Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

En damus tibi christianissime lector, Commentaria Bibliorum et illa brevia quidem ac catholica, eruditissimi simul ac pijssimi uiri Chuonradi Pellicani Rubeaquensis, qui & Vulgatam commentarijs inseruit aeditionem, sed ad Hebraicam lectionem accurate emendatam. Habes autem in hoc opere quicquid syncerae theologiae est. Ideoque si sapis ex ipso potius Sacrorum fonte, quàm riuulis Religionem ueram imbibe.

https://hdl.handle.net/1874/398501

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board


108
F
B



25.
c.

z.



Biblia et interpretes
Folio nº. 137.

Q estacaeōēs
luude t ſtungrunnee t fellee t fera
de oūis male ſt ē geſte uō bñ
bone t ſñ ceceſſi t ſñ vtuam
gn uō nō ād uelū egſtū p hec

Sc̄d q aūſt dī ul dīe locā malū
ē ſ dolēr bñeuaſſe dī purgōēs q ea
laſſe uī t bñ purgauerē ſt in ſtuauo lauſ
gn uō ſpo cōſi dīe mūdauit & q cū ſt ſñ p
gnīs vīt q exercitacōe ea aie alēm q egōēs q
vnuſq; p q; uuestigauit ſſēt purgōīs q ſta
acōe dīs luude ſungrunnee fellee ul colice t
ſcende & que oīa exercitū ſt actuēta. ſſ u
uīs m alā purgāta q̄ueret m alas mūdit
un cor purgauo cū alū purgō ſ ſt purgō
euangnus ex pcepto ap̄ac. q uō unā ac mor
bū illū ē cā eruut illū eruc purgō illa ſt
cum ē mpti ap̄ūſ q̄ ſt mūdificō lau uību
uſtm dīc uō bon ē q egredī mī ruca uī
uacuitas t corpis collāuea t ſbtēq; uſtm
leuitas t morbi uī. tp̄s q̄ſ t etas ſregno t ſtm
uī ſt. aūt aūſt hī in libris ſuēt duobus
moīs vīt tali uo hīc tēpr ſ uō uō nō ād
uelū nō egrau p locor hoī malū. dū
lbū cuēt nō. gn uō aliquid valū egā
rau p hoc locor malum. ℔8.

In non deſtaeuntibꝫ ſe. ſi q̄ dō
ex ſtū ſuūt. que uō mtus ai de

auc t ſtam haūc mortale eſt.

Oportꝫ mueſtigare ai hoc acc̄ poſt ēē ſe
nō deſtaēbꝫ ꝫ u. ē vidi ny cognom dūn
ſe. paeuſ t gn̄ā pcedere t pemē ſt. ne
nſe. ſuuoſis. ſuppauſ. ſ mi alus nō ny mi a
euers ſalubrib ny mi ſmſ q ſt calidioēs alus
q uō adūgere q dīc nō deſtaentibꝫ nulla dī
mē haſ t ſuppanaſ ul ſtuoſaſ mcelleſ gn ſt
q dīc mſpondulibꝫ uō ſtuū dīc in ſpōdulibꝫ
odulibꝫ dous mūc ſt mcēdiſſe nūc
ſ ū mdous ēē t ſ ſq̄ gn mdora dīc
ſ nūqbꝫ ſe. ſdū ſ uō deſtaēbꝫ
ſa aūt hoc acc̄ aūt ap̄a ꝫ calſſimū
moū gūe ul ſtapilaū q ſt cā ſpōnſ
ſpenor ad mcelbꝫ ubi ap̄a ſic vīt mcēdiſſe
mdora. t auct eruon ſtgeſtc ſt vī
m mcto ſtgeſtc m febulbuſ. ℔9.

In non deſtaeuntc uō ſe. ſi labi
nn. aut oculꝰ aut ſ̄alū aut
uallꝰ diſtoqueatur ac uō vide
at aut uō audiat iam debli eruntc
coꝝ q̄q hoc ſtāt iā ppe mors eſt.

Quatuor ſtc m mūbꝰ q eruūdūc lacta mūc
ſti. ſm ūcentes ꝛc ad radicē ſue ouḡſ. ſpa
cū n. t rhetnū pauſt dūm ac ex cali ap̄ūſ
cā. aut ex nimiā ſtēcate ſm ſc q ſi m ue
vīſ euenīnt molesta ſt mane m uō deſte
ſe. t uſmo debliteto q̄m u. hoī appenc mor
tē oūdūc vīcātē. mane ſi nō utere a
audiat. vnt u. ſtalꝰ uli. t deſtā. ℔10

Ubi in ſe. non deſtaēte dīpma
ſſ̄uenīt. t deſpientia mortale.

Alī ſ acc̄ utq ſt de cā vna. t ex celbn pa
nū ſtc ſpēſ ſē dī. t pmot uulgo t trau. alā
utra dīpma ex paſſē. m qbꝰ d uſtrīc ſpuali
bꝫ hūa q q ap̄a meior cautnē ſtr pellicle t
plbe ſten ſpacio pectoꝛis ul plōis mutare ſt
q oūa molesta ſt. t pcldo ſt. mane q ſe. q hoc
mozbꝰ. t uūbꝰ q ſt aūt dīc in ſe. nō deſtē
alīoꝝ nūc aſſūtaū. ſencentie.

Dīpma. ē diſſectio. t hēnabīa gonꝛ ſt. ā
dīpma. ē pſſectio qb bn ſt pcldo. t alb ut q ay
ſalutē. ſuū albus q pcldo alb pcldo
ſpēad dīgn

N.° 37. 112.

108. F. 8

TOMVS TERTIVS.

IN HOC CONTINENTVR PROPHETAE POSTERIORES OMNES, VIDELICET SERmones Prophetarum maiorum, Isaiæ, Ieremiæ, Ezechielis, Danielis, & minorum Duodecim, Commentarijs Chuonradi Pellicani Rubeaquensis summa diligentia enarrati.

M. D. XL.



TIGVRI IN OFFICINA CHRISTOphori Froschoueri, Mense Martio.

Ex dono Bucerfelij

ACADEMIA TIGURINA

TOMVS TERTIVS.

IN HOC CONTINENTVR PRO-

M. D. XL.

PRAEFATIO IN LIBROS CANONICOS PROPHETALES CHVONRADI

Pellicani Rubeaquenſis.



SANCTOS HOMINES DEI, QVI SPIRITVS AFFLATV & inſtinctu mentem diuinam expoſuerunt, uel alioquí uoluntatem cœleſtis numinis exploratã & perſpectam habuerũt, Hebraícus ſermo נביאים appellat: hoc ipſum Græci ferè ſunt interpretati per uocẽ προφήτης, quam Latini cæteræq; gentes barbaræ orbis Chriſtiani receperũt. Significat autẽ apud Græcos ea uox peculiariter illum, qui diuina mente rem præſumens, antequã eueníat edícit atq; profatur. Ab ijs unà cum rei uocabulo cõmunis & uulgaris accepta eſt opinio, Prophetas duntaxat eſſe præſcios, quiq; res ſequentibus temporibus euenturas prædicere & denunciare poſſint. Iuxta quem ſignificationis captum, quídam libros ueteris inſtrumenti diuiſerũt atq; diſcríminauerunt ín legales, propheticos & hiſtoricos. Verum id nõ ſatís exacta ratíone, nam lex Moſaíca tractat eadem quæ & cæteri prophetæ, ipſeq; Moſes propheta bene tríto nomíne uocatur, ſímilemq; ſui prophetam, Chriſtum uidelícet, futurum promittit. Rurſum prophetæ non addunt nec mutant quícquam ín ijs quæ per Moſen prodita ſunt, tantumq; exponũt dilucídius, attemperantes illa captuí ſuorum temporum. Sed & Dauíd & Iſaías & alíj título legís citantur in Euangelícis & apoſtolícis literís. In ípſis uero hiſtorijs ſacrís eadem eſt rerũ iactatío, quæ ín Moſaícis & cæterorum prophetarum libris. Quamobrem illam diſtínctionem non recípit ueteris inſtrumenti ſcríptura, ſi exacte rationem ſubducamus, quum ſit unica eíuſdem materíæ, cum inſtrumento nouo conſonãs, unius authoris, unius ſpíritus, ín unum fínem tendens, unumq; ſcopum reſpectans, nempe ut ſacramenta uoluntatís diuínæ mortalíum generí exponantur, quo cognoſcant unum deum uerum, creatorem cœlí & terræ, illiusq; beneplacitũ æternum, & quem miſit Ieſum Chriſtum: quæ eſt uita æterna. Significat quídem Græca uox προφήτης proprie díuínum & uatem, quí rerũ euentum prænuntíat. Compoſita enim uox eſt ex πρὸ, quod præ uel ante ſignificat, & φημὶ dico ſeu loquor. Quanquã íſta uox magís eccleſiaſticorũ uſu protrita eſt quàm alíorum, qui maluerunt hís uocibus uti Vatídicus, Díuinus, Vates, Sacerdos, Magus, oraculorũ reſponſator: et ſí quod aliud eſt eíuſdem ſignificatí uocabulum apud Latínos uel Græcos. Cæterum propheta ſeu נביא in díuíno eloquío non ís ſolum dícitur qui res in ſequẽtibus temporibus euenturas præſcit & prænuntíat, ſed quicũq; haud uulgariter conſcius eſt mentis díuínæ, interpres uidelícet atq; internuntíus cœleſtis numínis, quiq; arcana uoluntatís & abſtruſa ingenij díuíni perſpecta & prodita habet, ſeu occulta ínſpiratione & ſuggeſtione ſacri flamínis, ſeu per uiſa tum uígilantíbus tum quieſcentibus obiecta, ſeu uoce cœleſti per angelos, uel alío quouís arcano modo ad ſenſus perlata, non ſolum de futuris, ſed etiam de rebus præſentibus & præteritis. Illi etiam prophetarum nomíne cenſentur, quí de rebus ínterrogatís & propoſitís, edocti per uocem ſcriptilem, uoluntatem dei poſſunt exponere, replicãtes ſuper ijs ſacrorum uoluminum decreta, & rerum geſtarum memorias. Sed & illi quí ſacras ſcripturas enarrando enucleandoq; mentes hominũ de uoluntate ac ſententía dei formant & inſtruunt, nec non quí tum lectionibus tum acromatis & auſcultationibus arcanæ ſcripturæ præcípuo ſtudío dediti ſunt. Hos omnes homines circa uoluntatís díuínæ perquiſitionem occupatos, Hebræí comprehendentes unius nominís ambítu נביאים, quemadmodũ díximus, fermè appellãt. Interdũ κατ' ἀντονομασίαμ חוזים uídentes nominant, quod ſagaci in rebus díuínis mente uideant, quæ uulgares animos lateant, eorum diſcíplína, doctrína, inſtitutũ & profeſſio tum נבואה prophetía tum חזון uiſío uocitatur. Sed & pro diuerſitate materiæ ſubiectæ, prout læta, tríſtia, iucunda

Propheta quis dicatur & ſit.

Moſis & prophetarum diſcrimen.

Propheta in díuínis literis.

Videntes olim dicti.

uel acerba denunciat, iam onus, iam uirga, iam alijs mutuatitijs nominibus designatur. Quin producti iam in aciem, aut in statione positi ut speculentur, explorẽt, prouideant, ne qua mala populum inuadant, ne qua labes morum & pestes animorum irrepant, ne insidijs ullis homines concrediti pateant, aut si iam corripuerunt populum mala, tum non sinant longius serpere, sed opprimant, euellant, tollant, medeantur: hi צופים speculatores, uigiles, excubitores & episcopi uocantur. In sermone Latino hæc hominum diuinorum genera non possunt ita commode nominis societate coniungi, nisi quis uelit appellare conscios mentis diuinę, peritos uoluntatis dei, professos sapientiã cœlestem, doctos rerum arcanarũ, imbutos sacramentis diuinitatis, et similia. In lingua Græcorum non absurde, ut reor, simul θεόλογοι dici possunt, utputa qui modum, uiam, rationemq; teneant tum recte sentiendi, tum rite, religiose, sancte probeq; disserẽdi de deo & rebus diuinis. Θεὸς enim Deus, & λόγος uel sermo uel ratio interpretatur. Eorum disciplina, institutũ, professio, & functio, θεολογία nominet.

Theologi ueri.

Verum has diuini spiritus administrationes omnes, & nominis & rei propinquitate coniunctas esse in eloquio dei, nemo credat mihi, nisi prius uideat clare quadrare ueritati, adstrui dictis patrum, fulciri & stabiliri uerbis sanctarum scripturarum. De primo quidem significatu nemini dubium est, uel mediocriter initiato nostræ religionis institutionibus, prophetam illum dici, qui res euenturas mente præsagit, aut uoce prænuntiat. Vt cum propheta Ezechiel in speculam constituitur, ex qua circunspiciat ingruentia mala, imminensq; periculũ in tempore denuntiet. Eodem modo Agabus, ut est relatum in Actis apostolorum, famem futuram prędicit, & ob id propheta dictus est. Sic dominus in Euangelio Ioannem appellat prophetam, aut etiam plus quàm prophetam, quippe qui digito præsentem indicaret, quem superiores prædixerant in sequentibus sæculis uenturum. Sed & muliercula Samaritana in Euangelio secundum Ioannem proclamat Christum esse prophetam, qui arcana pectoris illius aperuisset. Interpretes uero diuinarum scripturarũ prophetas appellari duobus apostoli Pauli testimonijs ostendisse, addita præstantium theologorũ expositione, sat fuerit. Prius testimonium est in priore ad Corinthios epistola, ubi mirabilis ille doctor ecclesiæ uolens pacem constantem inter Christianos conciliare, duo uitia maxime illi contraria nititur euellere, puta inuidiam inferiorum, & fastum atq; contemptum superiorum. Introducta igitur similitudine corporis humani, docet diuersa esse inter se membrorum officia, quædam honestiora, quædam uiliora: pulcherrime tamen inter ea conuenire, non pedes inuidere oculis, auribus, naribus, non oculum & aures & nares contemnere pedum officia, sed mutuas operas inter se conferre, omnia esse in ministerio, omnium esse magnas & necessarias commoditates, ut si unum membrum cesset aut pereat, mox quoq; totius corporis integritas labefactetur. Eodẽ pacto, ait, in corpore Christi, quod est ecclesia, diuersas esse functiones & ministeria, diuersaq; charismata spiritus, non quod uni plura interdum non adsint, sed quod quisq; in eo emineat, & eo præcipue commoditatibus ecclesiæ inseruiat: omnia uero ista munera non esse contemnenda, non inuidenda, utpote secundum beneplacitum dei distributa, ad honorẽ nominis sui, & usus ecclesiæ. Verba ipsius Pauli hæc sunt, Posuit deus in ecclesia primum apostolos, deinde prophetas, dein doctores, tum uirtutes, exinde gratiam sanationũ, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes apostoli? nunquid omnes prophetæ? nunquid omnes doctores? nunquid omnes uirtutes? nunquid omnes gratiam habent curationũ? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur? His ad extremum subdit, Vti pariter æmulentur charismata potiora, nempe fraternam charitatẽ. Diui Ambrosij uerba super his Apostoli dictis strictim & saltuatim subijciam, prout instituto nostro conuenient. Caput, ait, in ecclesia posuit apostolos, qui legati Christi sunt, ipsi sunt episcopi, firmante istud Petro apostolo, & dicente inter cætera de Iuda, Et episcopatum eius accipiet alter. Prophetias duplici genere intelligimus, & futura

Propheta ut sit futurorum.

Propheta interpres diuinorum.

Functiones in ecclesia plures.

dicentes,

dicentes, & ſcripturas reuelantes. Quamuis ſint & apoſtoli prophetæ, quia primus gradus omnia ſubiecta habet. Doctores illos dicit, qui in eccleſia literis et lectionibus retinendis imbuebant, more ſynagogæ, quia traditio illorum ad nos tranſitum fecit. Doctores in eccleſia.

Diuus Hieronymus annotauit ad eundem locum, prophetas dici, qui explanent obſcura prophetarum, & qui homines exhortentur. Alterum Pauli teſtimoniũ ex epiſtola Epheſijs ſcripta, in eandem ſententiã tendit, quod ſic habet: Ipſe dedit quoſdam apoſtolos, quoſdã prophetas, alios euangeliſtas, alios paſtores & magiſtros, ad inſtructionem ſanctorum, in opus miniſterij, ad ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitate fidei & cognitionis filij dei, in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Hoc ipſum exponens Hieronymus ait, Poſuit ſiue dedit pater & filius primo apoſtolos, ſecundo prophetas, non illos qui futura uaticinentur, quales in ueteri legimus inſtrumento, ſed qui infideles & imperitos arguant atq; dijudicent. Tales quippe prophetas noui teſtamenti in alia epiſtola eſſe definit. Et mox infra: Non ait, Alios paſtores, alios magiſtros: ſed, Alios paſtores & magiſtros, ut qui paſtor eſt, eſſe debeat & magiſter: nec in eccleſijs quamuis ſanctus ſit, paſtoris ſibi nomen aſſumere, niſi poſſit docere quos paſcit. Vel certe aliter, ut unus atque idem præſes eccleſiæ ſit paſtor & doctor, paſtor ouium, magiſter hominũ. Super his Apoſtoli uerbis Ambroſius ita commentatur, Apoſtoli epiſcopi ſunt, prophetæ uero explanatores ſunt ſcripturarũ: quamuis inter ipſa primordia fuerint prophetæ, ſicut Agabus, & quatuor uirgines prophetantes, ſicuti continetur in Actis apoſtolorum, ſed propter rudimenta fidei commendanda. Nunc autem interpretes prophetæ dicuntur. Et poſtea, Inter iſtos poſt epiſcopum plus eſſe intelligitur, qui propter reſeratum occultum ſcripturarum ſenſum prophetare dicitur, præſertim quia futuræ ſpei uerba depromit, qui ordo nunc poteſt eſſe presbyterij: nam in epiſcopo omnes ordines ſunt, quia primus ſacerdos eſt, hoc eſt, princeps ſacerdotum, & propheta & euangeliſta, & cætera, ad implenda officia eccleſiæ in miniſterio fidelium. Tamen poſtquam omnibus locis eccleſiæ ſunt conſtitutæ, & officia ordinata, aliter compoſita res eſt quàm cœperat. Ex quibus omnibus perſpicuum fit, uni homini poſſe plures donationes contingere, item interpretes ſcripturarũ prophetas dici, ſed & illud, doctores, magiſtros, epiſcopos, paſtores, apoſtolos, euangeliſtas cum prophetico munere coniunctionem habere. Supereſt ut oſtendatur etiam, deditos ſcripturarum ſtudio prophetas dici. Hæc abunde ſatis uel una ſanctiſſimi Pauli ſententia conuicerit, qui ſic ſcribit undecimo capite prioris ad Corinthios epiſtolæ, Mulier orans aut prophetans uelato ſit capite. Quo loco docet Apoſtolus, qui mores deceant in publico & ſacris concionibus. Etenim quia dicit in ſequentibus uerbis, ſe nõ permittere fœminis ut loquantur aut doceant in eccleſia, ſed domi ſuos maritos interrogent. Clarum eſt utiq;, nõ hoc loco prophetiam dici de rebus futuris ſermonem, nec ſcripturarũ publicam enarrationem, ſed ſtudium & attentionẽ ad ſacras lectiones & conciones. Tametſi Hieronymus interpretatur, prophetans, domi uidelicet aut in ſexu ſuo. Verum quod cum gratia tanti uiri dixerim, Paulus non facit mulieribus poteſtatẽ uel in ſexu ſuo uel inter uiros publicitus docendi, ſed in uniuerſum iubet tacere: & iſto loco non de priuata domo ſermo eſt, ſed de ſacris conuentibus. Atq; hæc fermè genera prophetarum ſunt, hoc inter ſe commune habentia, quod prophetæ ſunt mentis diuinæ, & cœleſtis numinis conſcij, quacunq; tandem ratione, quocunq; infundibulo imbuti et edocti. Primarij uero et uelut anteſignani, ſunt myſtæ illi ac interpretes, internuntijq; ampliſſimę dei maieſtatis, quorum munus graphice deſcribit Ezechiel 3. cap. doctores & oratores ſacri, moderatores animorũ, magiſtri uitæ, cenſores morũ, profligatores uitiorum, cultores uirtutũ, propugnatores ueritatis, hoſtes uanitatis, impugnatores mendacij, medici ſpirituales, uigiles, cuſtodes, paſtores animarum, agricolæ diſpenſatoresq; in domo dei. Sal terræ, qui genus mortalium tum uitæ auſteritate, tum ſynceritate doctrinæ à uitiorum corruptionibus uendicet atque conſeruet. Paſtores & magiſtri in eccleſia.

Ordo mutatus in eccleſia à primo.

Prophetæ primarij.

mina mundi, quæ errorum tenebras, inscitiæ nebulas, ignorantiæ caliginem dispellant atq; auferant.

In prophetarũ cõtemptores.

Sancta itaq;, honesta, insignis, eximia, utilis & necessaria professio, quã qui tollere conatur, solem è mundo tollere conatur, qui contranititur præcipuo bonitatis & sapientiæ diuinæ muneri sese opponit, qui contemnit in summã suam ipsius perniciem deum contemnit, & illius in nulla re fallax iudicium atq; institutum. Ait enim Saluator, Qui uos audit, me audit: qui uos contemnit, me contemnit: imò non me tantum contemnit, sed patrem qui me misit. Fuerunt sanè omnibus temporibus fermè in omnibus nationibus, nõ solum per humanitatis artes cultis, sed etiam barbaris, homines singulares & præstãtes, qui uel ob uitæ innocentiam prærogatiuam, uel ob existimationem præstabilis prudentiæ, tum usu rerum, tum doctrinis artium liberaliũ paratæ, plurimum apud ætatis suæ homines, & apud posteros authoritate polluerunt. His quum crederentur esse boni uiri, & eximiam rerum diuinarum atq; humanarum peritisse cognitionem, instinctu quodam naturæ se regendos homines permiserunt, ac uelut ducibus, uitæ rectæ honeste riteq; transigendæ concrediderũt. In horum dicta consensum est, in eorum sententias & decreta pedibus itum est, eorum cõsilio negotia suscepta, illorum prudentia & opera gesta, ex illorum arbitrio confecta uel deposita sunt, horum præceptis obtemperatum est, in rebus publicis & priuatis, sacris & prophanis. Atq; hoc ciuitatibus, populis, regnis salutare semper fuisse compertũ est, si hominum bonorum & sapientium monita sequerentur. Rursum pernicioſissimũ semper fuit, & maximis calamitatibus, periculis, miseriis, infamia, extrema denicq; infelicitate stetit, priuatis, primatibus, regibus, ciuitatibus & imperiis tam idoneos consultores cõtempsisse atq; neglexisse. Vnde putemus autem illos similes rerum exitus prodiisse? unde illam negotiorum cõstantiam? unde illam in temporibus & locis diuersissimis similitudinem? nimirum ex mente superni numinis, quam isti quoq; uiri præstabiles aliqua ex parte introspexerant.

Dij gentium olim dicti.

Etenim deus quem multo magis necessum est esse commune bonũ, quàm sapientem, ut Platoni uisum est, nihil extra suam bonitatem & prouidentiam relinquit, omnibus prospicit & moderatur, omnia gubernat, ac ne consistere quidem aliquid potest extra ipsum, in ipso sumus, agimus & mouemur. Ex omnibus autẽ populis unũ uelut peculiarem delegit, in quo manifestius conspiciendum exhiberet, quæ sit ipsius immensa bonitas, iustitia, sapientia, potentia. Deus tamen existens in omnibus gentibus, nullos relinquẽs sui expertes, omnibus se fruendum præbens, omnibus se quadamtenus aperiens, alijs propius, alijs uelut de longinquo, alijs clare & dilucide, alijs ceu per somnium, per transennam, per nebulam, per corpus aliquod diaphanon. Is igitur deus commune bonũ ueritatis, hoc est suijpsius usumfructum concessit, etiam ethnicis hominibus, & leges illis fixit, non in æs aut lapidem incisas, sed scriptas & impressas in corda illorum. Quæ quoniam sunt insitæ & ingeneratæ pectoribus humanis, à rerum omnium opifice deo, proinde leges naturæ uocantur, particulæ sunt istæ proculdubio de uoluntate propositoq; & æterno instituto dei desectæ. Ad has ideas ueritatis informauerunt sensa sua uiri isti præclari, ad eas tanquam normam & regulam expenderunt ac direxerunt rationem uiuendi, inde morum præcepta, inde agendi consilia, inde ad omnes partes uitæ muniendas dictata sumpserũt, ut illorum iussa & monita capessere, stare legibus dei natiuis esset, transilire uero hæc rationis septa, præterire decreta dei censeatur. Fuit ergo merito & secundum exactissimum diuini iudicij examen, in præstãdo laus & felicitas, in contemnendo illorum placita, scita & monita, pœna atq; supplicij. Non domi nobis ista philosophia nata est, sed ex instructissimo diuini Pauli penu accepta & deprompta, qui perspicue satis illam rem disputat in literis apostolicis ad Romanos, cuius hæc uerba in præsens sufficiunt. Iis, ait, qui sunt contentiosi, & qui ueritati non obtemperãt, sed obtemperant iniustitiæ, uentura est ira & afflictio & anxietas, aduersus omnem animam hominis perpetran-

Deus in medio deorum.

Leges inscriptæ cordibus.

Felicitas ac supplicium.

tis

tis malum, Iudæi primũ simul & Græci. Gloria uero & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco. Non est enim personarum respectus apud deum. Quicunq; enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicunq; in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. Cum enim gentes quæ legem non habentes, sibiipsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se cogitationibus accusantibus aut excusantibus, in die quo iudicabit deus occulta hominum. Et paulò post, Si præputium iustitias legis custodierit, nónne præputium illius in circuncisionem reputabitur? & iudicabit id quod est ex natura præputium, si legem seruauerit, te, qui per literam & circuncisionem præuaricator es legis? Non enim qui in manifesto Iudæus est, Iudæus est: nec ea quæ fit in manifesto carnis circuncisio, circuncisio est. Verum ille qui in abscondito Iudæus est, & circuncisio cordis in spiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex deo est. In primo uero capite huius epistolæ palàm pronuntiat, deum manifestauisse gentibus ueritatem, sed pleroscp ueritatem in mendacio detinuisse.

Planum ergo puto ex sacris eloquijs, dei ueritatem gentibus quocp aliqua ex parte proditam, & legem naturalem eadem præcipere, quæ & lex per Mosen lata: cuius promulgationẽ, quum gentes contempserũt, merito pœna secuta est. Quum sequuti sunt dogmata sapientum & bonorũ uirorum, ad eam natiuam legem directa, honor, laus, felicitas à deo concessa est. Atcp istos humanarum rerum exitus lætos, tristes, honestos aut pudendos, administrationes item negotiorum & consilia, historiarum scriptores memoriæ posterorũ consecrarunt & prodiderunt. Cæterũ legum istarum naturalium, quas deus pectoribus humanis indidit νομοφύλακες & executores haberi possunt apud Indos Bragmanes & Gymnosophistæ, apud Persas tria magorum genera, apud Aegyptios sacerdotes Hierophantæ, apud Græcos & Latinos Philosophi, apud Gallos Dryidæ. Fuerunt & in diuersis locis Sibillæ fœminæ, quæ reconditam ueritatis cognitionem sunt professæ. Germanorum quidem religio nimis stolida & ridicula in hoc uideri potest, quod in uniuersum muliebri sexui diuinitatem promiscue tribuerunt. In hoc porrò uitæ humanæ magisterio rectissime numerabuntur insignes legum latores, Charundas, Minos, Lycurgus, Solon, Draco, tum si qui alij fuerunt apud diuersas nationes homines ingenio præstanti, ac honesto uitæ proposito: qualis apud Scythas Anacharsis, qualis apud Gallos Hercules ille, qui homines Gallos in suam sententiam oratione trahebat, tanquam si essent omnes ad os illius una catena deuincti. Oraculorum uero responsa neutiquam ad ueritatis professionem admitteda esse puto, quibus ut machina ualidissima cacodæmon ueritatis hostis usus est, ad mentes hominũ illaqueandas, & à ueritate ad mendacium, à deo ad creaturam auertendas. Nam licet multa uere protulerint, nõ tamen id mali dæmones egerũt intuitu & studio ueritatis, sed quum per se mendacium sit infirmum, uoluerũt id firmare admixtis sermonibus ueritatis, & laqueum sub specie ueri latentem in collum improuidorum inijcere: quemadmodum ille Sinon Vergilianus multa uera dicit, ut unum Troianis exitiale mendaciũ persuadeat atcp insinuet: & cacodæmon Christo domino scripturarum testimonia proponit, ut à placitis dei transuersum abduceret.

Verum apud nationes & regna legum latio & cultus, rerum publicarum semper fuit certissima salus & conseruatio, ut M. Cicero copiose disserit pro Cluentio. Ipsius uero philosophiæ moderamen adeo necessarium usu compererunt, ut sapientissimus Plato pronuntiet, eas demum respublicas & ciuitates felices fore, in quibus uel principes philosopharentur, uel philosophi publicis muneribus fungantur. Ex quorum libris, cum boni uiri esse & haberi optarẽt, ueritatiscp indefessi scrutatores, & uirtutis strenui satellites, multũ decerpi potest, quod uitam nostram excolat, instruat, formet, ab omni parte muniat, in rebus corpus, famam fortunascp concernẽtibus: multa etiã ab illis philosophis, oratoribus & honestis poetis quibusdã de deo sacris dogmatibus

Veritas dei gentibus prodita lex naturæ.

Germanorum prophetissæ.

Gentilium oracula.

Salus rerum publicarum.

Philosophorum libri quàm utiles, undecp desumpti.

consona. Ea putauerunt maiores nostri furta esse de uoluminum sacrorum thesauris, & proin iure petēda recuperatorio, atq; ab illis transferenda ceu ab iniustis possessoribus. Imò existimentur istæ ueritates omnes, dona cœlestis patris, existimentur semina iusti & ueri, cœlitus in agellum pectoris humani demissa. Vt enim deus largus est & munificus, minimeq; inuidus, noluit istos etiam homines à ueritatis, id est, prętantissimę rei participatu excludere. Quid dico noluit excludere? Maxime cupit, ut uerbum ipsius docet, omnes homines ad cognitionem ueritatis magnis passibus contendere, ac salutis æternæ consortes fieri, modo agnoscerent stulti homines beneficium ultro sibi oblatum, modo non dissimularent ingrati, sed porrectum amplecterentur.

Deo gratiæ referendæ.

Ea pulcherrima dei munera quũ uideamus apud ingratos & stolidos homines iacere neglecta & contempta, reportemus in domũ nostri patris cœlestis, non quod necesse sit ab exteris nos edoceri quid sentiamus de illo, quid à nobis requirat, quid abominetur, quũ simus ciues, domestici, filijfamiliâs, & sermonibus ipsius familiariter adsueti. Verum, ut dixi, miserti sortis talium donorum, recipiamus illa et uendicemus, ne situ marcescant, atq; in domo Dei honeste reponamus.

Excitanda industria.

Valent ista quoq; non parum ad excitandam nostrorum hominum industriam, & illorum socordiam exagitandam, qui uentri, somno, ambitioni, pecunijs, libidinibus dediti, non minimam uitæ partem ueritatis perquisitioni tribuunt, cui studio totam uitam nobiles istæ animæ impenderunt. Illa uero conquirere non est puerilis operis, nec negotium est imperitorum aut infirmorum, qui & ipsum uniuersum paternæ domus instrumentũ in suam perniciem uerterent, si permittantur ex arbitrio suo agere. Adultiorum hæc est opera, qui uniuersam patris suppellectilem exploratam & probe cognitam habent, qui animo sunt bene instituti, quiq; iudicio firmati, ne aliena pro domesticis, uana pro ueris, pernicioſa pro salutaribus apprehendant.

Caute legendi ethnici scriptores.

Ingenerauit quidem clementissimus deus semina ueritatis gentibus, uerũ illa sæpe tribulis, spinis sentibusq; circumsepta sunt, ut parum caute inquirentium pedes confodiantur, sæpe sunt corrupta, sæpe deperdita, & ad nihilum uel soli uitio, uel cultorum negligentia redacta. Quæritur aurum in stercore, argentum in periculosissimis metallis, gemmæ inter basiliscos & scorpiones. Solæ autem diuinæ & planæ sacræ literæ continent eloquium dei purum, infinitis partibus excellens aurum septies conflatum, merum habẽt sermonem uitæ, lympidissimi fontes sunt aquarum cœlestis sapientiæ. Nihil in illis noxium, nullæ insidiæ formidandæ sunt, in his deus aperitur recto corde quærentibus, paulatim quidem, sed quantum abunde satis est ad salutem æternam consequendam. Lucerna hæc est pedibus nostris, & lumen semitis nostris.

Fructus lectionis sacræ.

Illis nos ducibus certissimis credemus, & quidem bona fide. Certa enim nos ducent uia & solida & rectissima, sine erroribus, sine ambagibus, quo cognoscamus quã clemens sit deus, quàm benignus, longanimis, patiens, misericors, iustus, potens, unice bonus, unice sapiens, quæq; sunt aliæ ipsius uirtutes præstantissimæ, quas utcunq; uerbis nostri captus imbecillitas denominat, se ne quidẽ rectis luminibus intueri potest adhuc nostra mortalitas: ut discamus etiam, quo cultu illi maxime probemur, nimirum qui naturam illius & ingeniũ proxime referat, prout nostra infirmitas adspirare potest, positis impuris affectibus, iniustis uotis, in fidutia erga deum, in timore liberali, in amore erga illum eximio: denicq;, ut nos fiamus proximo, quod ipse cunctis est mortalibus, uere, iuxta Græcorum prouerbium, Homines hominibus dij, consulendo, prouidendo, tuendo, adiuuando, inopias omnium subleuando, quatenus ferent nostræ uires & facultates. Nihil agamus, nihil instituamus inconsultis illis optimis magistris. Nunquam enim in hoc pelago mundi nabimus sine illo cortice. Non

Semper uerbo dei insistendũ.

spernamus istos duces tanquam superuacaneos, nunquam fidamus nobis ceu gnaris itinerum, nunquam dimoueamus ab eis oculos in hac terra aliena, donec in patriam redierimus, in Ierusalem quæ sursum est, donec ex specula montis Zion omnes res mundi sublimes despiciamus, donec introducti in sanctũ sanctorũ opes diuinitatis penitissime

nitíſſime corã intueamur, quas nunc ex parte cognoſcimus per ſpeculũ in ænigmate.

Oportuit autem hanc ſacroſanctam doctrinam ſermonemq́ de deo & illius æterno beneplacito, cui de noſtræ ſalutis ſumma crederemus, ad quem tenderemus per tela, per ígnes, pro quo pugnaremus maiori ſtudio, quàm pro parentibus, coniugibus, liberis, amicis, pro focis & aris, quem profiterentur homines cum fortunarum, exiſtimationis, ſanguinis & uitæ diſpendio: eum, inquam, ſermonem neceſſe fuit dictari à deo benigniſſimo, ut eſſet pleniſſimus & abſolutus: à ueraciſſimo, ut conſtaret de illius certitudine: à ſapientiſſimo & ſoli ſibi domeſtice noto, ut exactus eſſet: ab omnipotente, ut in omnia ſæcula confirmatus omni dubitatione ſublata noſceretur. Oportuit etiam proferri per homines inſignes, integerrimæ uitæ, ac ſpectatiſſimæ fidei. Delígitur ergo Moſes fideliſſimus in omni domo dei, qui æternam dei uoluntatem antea modis arcanis & familiari colloquio proditam in líteras demitteret, ſcriptoq́ comprehenderet, ſemel omnem poſteritatem docens, quodnam ſit ingenium dei, quæ illius decreta immobilia, quibus rebus uelit coli, quásue auerſetur, quem ſermonem præterire ac negligere infelícitas ſit, obtemperare uita æterna, illi adíjcere, detrahere, aut mutare ſummum ſcelus & piaculum. Eam deinde ſcripturam, Ioſue per manus traditam conſeruat, tuetur, urget & exequitur, ut ſtrenuus ἐργοδιώκτης. Ab eo deinceps alíj per ſucceſſionem uſq́ ad tempora Samuelis. Tunc magnus fuit prophetarũ prouentus, & ſcholæ apertæ ſunt, atq́ cœleſtis illa philoſophia in profeſſo haberi cœpta eſt. Non autem ab íjs hominibus diuinis de integro ſermo propheticus excuditur, nec ſuperioribus adíjcitur, nihilq́ ex illis immutatur: ſed olim tradita iſti ſancti homines diſputabant, uentilabant, dilcutiebant, explicabant, deficiente indies in hominibus acumine ad res diuinas cognoſcendas: patribus tradita, ſuis tẽporibus conformabãt & adaptabant, de futura etiam ſalute calculum ſui teſtimonij adíjcientes. Horũ prophetarũ facta & ſermones, quantũ noſtra ſcire intereſt ſacris hiſtorijs cõprehenduntur.

Certitudo ſacræ doctrinæ.

Moſes qualis doctor & Ioſue. &c.

Sunt etiam in diuerſis temporibus inſtigati, & à deo impulſi uiri præſtabiles, quos ſuas ſacratiſſimas inſpirationes librorũ monimentis ad poſteritatis doctrinam tranſmitterent, Iſaias, Ieremias, Dauid, Ezechiel, Daniel, & alíj, tantumq́ à Moſe & ſuperioribus uatibus tradita uerbis alijs planius apertiusq́ enuntiabãt ex uſu temporum ſuorum, ex uſu noſtro, in quos fines ſæculorum deuenerunt. Illarum uero literarum ſanctarum ſtudium aliâs in flore fuit, aliâs neglectum propemodũ, nunquam tamen planè omiſſum, procurante id uidelicet prouidentia diuina. Etenim quum ſub Manaſſe prophetarum ſtrages æderetur, & libri ſacri iacerent in ſitu atq́ puluere, ſupereſt tamen Odolia prophetiſſa, tandem & ſacri codices in lucem ſeſe recipiũt ſub Ioſia. Per captiuitatem Babylonicam ſacra uolumina ex manibus hominum excutiuntur, Ezdras tamen à deo reſeruatur, qui reparet, & ab interitu uindicet. Nouiſſime temporibus euolutis iuxta conſilium ſuum æternum, locutus eſt nobis deus per filium ſuum unigenitum, qui ſemper eſt in ſinu patris, non alia, quàm quæ per patriarchas prophetas & Moſen locutus fuerat. Colloquuntur enim cum Chriſto in monte Tabor Helías & Moſes, teſtantes ſe cum illo facere. Chriſto teſtimonium reddũt omnes ſcripturæ. Ad ſcripturas ſubinde prouocat ſaluator contra Iudæos obmurmuratores, quas & ita roboratas aſſerit, ut citius hæc mundi moles caſura ſit, quàm ut unum iota aut unus apex de lege intereat. Non abolet igitur aduentu ſuo prophetiam ſuperiorem Chriſtus, ſed præſtat, quod ipſe iamdudum & ſemper nomine patris promiſerat, datamq́ fidem liberat. Non abrogat legem, ſed illuſtrat, ſed perficit, corpus ſuccedens in locum umbrarum, & re ipſa præſtans quod ſacrorum rituum figuræ prætulerant: nempe ut filius dei natus ante ſecula, in hunc corruptibilem mundum naſceretur ex muliere, conceptus è ſpiritu ſancto, factus ſub lege, ut eos qui erãt ſub lege redimeret à legis importabili ſarcina, peccato, diabolo & morte, qui reduceret in priſtinum ſtatum omnia, qui reconciliaret patri omnia, qui conderet ſibi populum peculiarem, ſuo ſanguine, morte & reſurrectione mundatum, ſanctificatum, & iuſtifi-

Prophetæ maiores.

Chriſtus colloquitur Moſi.

catum, populum, inquam, æmulatorem bonorum operum, cuius ipse rex sit ęternus, considens quidem ad dexteram patris in cœlestibus, nunquam tamen suos deserens aut relinquēs, sed usq; præsto existens suo nomine ecclesiæ. In mandatis uero sermonem contractiorem faciens, legis & prophetarū summam nodo gemino constrinxit, ut diligamus deum ex toto corde, tota anima, omnibus uiribus, & proximum sicut nosmetipsos. Eandem doctrinam suis legatis mandat uiua uoce ac scriptis per uniuersum orbem spargier, non contrariam aut diuersam ueteri scripturæ, sed tantum clara uoce testantem, cumulatissime à deo præstita esse per Christum, quæ patribus sint promissa. Hæc sacrosancta ueteris nouiq; instrumēti scriptura, sermo est propheticus, cui attendentes tanquam lucernæ positæ in caliginoso loco, recte facimus, ut ait Petrus. Ista sunt duo seraphim, perpetuò ante thronum domini Sabaoth obseruantia, alis sese contingentia, & mutuum inter se acclamantia. Hæc sunt eloquia dei certa & indubitata, bibliotheca spiritus sancti, pharmacopoleon animæ, uere copiæ cornu, thesaurus sapientiæ & scientiæ dei, uiridarium cœleste, pascua salubria, florida, iucunda, uberrima ouicularum Christi, ex quibus decerpāt solis, quæ deum, quæ salutem æternam, quæ officium nostrum erga proximū spectant. Illis adijcere de humano sensu Luciferiana superbia & temeritas est, detrahere sacrilegium supremum, mutare quicquam hæresis & summa perfidia. His testibus certis, locupletissimis, & exploratis semper credendum est, illis firmo gradu standum, citra illorum testimonium & authoritatem quantumuis eruditus, quantumuis clari nominis, quantumuis in speciem sanctus, quantumuis hominum sanctorum multitudine stipatus etiam consiliorum nomine, fidem nullam meretur in rebus diuinis: contraria uero adferens, anathema esto, etiam si angelus è cœlo sit. Vnus ille sermo est certus, fidelis, indubitatus, obsignatus sanguine prophetarum, apostolorum, martyrum, obsignatus morte & sanguine saluatoris nostri Christi, confirmatus signis & prodigijs per manum dei, confirmatus pignore spiritus dei, quē effudit in corda nostra, quæ est fidei πληροφορία. Confirmatus autem & stabilitus à condito mundo, uel potius antequam fundamenta mundi iacerentur, contra omnes insultus tyrannorum & mundi, contra fraudes & dolos hæreticorum, contra omnes machinas diaboli, deniq; contra portas inferorum.

Nodus legis ac prophetarū

Verbi dei præconia.

Authoritas sacræ scripturę.

Hæc igitur præscripta de ratione prophetiarum in sacris & prophanis libris, deq; authoritate canonicarum scripturarum, ut sint spectatæ certissimæq; fidei, indigentes tamen spiritus sancti magisterio, uarijs modis accipiendo pro locorum conditione & personarum, cum huic tertio Tomo, prophetico scilicet, præmittenda meditarer, nihil eruditius & religiosius scribi posse satis intellexi, quàm quæ de hac re præfatus est audientibus nobis & probantibus in Isaiam doctissimus noster & pijssimus ecclesiæ Tigurinæ presbyter Theodorus Bibliander, sacrarum literarum enarrator inclytus, cuius orationem aliâs licet impressam, non quidem integram, quod obstaret prolixitas, sed pro ratione argumenti suscepti in hunc locum transtuliſſe nihil puduit; qui malui bene dictis subscribere, quàm propriam tenuitatē agnoscens in sacris periclitari dogmatibus. Quin et inuenies pie Lector, Ezechielis ultimam de ædificatione templi & urbis uisionem difficillimam, ab eodem Theodoro nostro tractatam, quam in ordine scribendi dudum præterieram, absterritus omnium patrum iudicio & studio, qui pelagus magnarum difficultatum magno timore & modestiæ prætextu, uel declinare uoluerunt, uel cunctando attingere. Nihil quoq; in uniuersum hoc testamentū tentassem scribere, si nostræ Tigurinæ ecclesiæ doctores ambo, nempe Heinrychus Bullingerus, & Theodorus is, nostri præceptores, maturius aliquanto dei nobis gratia singulari contigissent. Quos ut clementia dei nobis superstites quamdiutissime seruet, etiam atq; etiam dominum pie Lector orare non desinas, à quibus eximia sis cum tempore sacrarum lucubrationū solatia percepturus. Quemadmodum & iam non pauca post beatæ memoriæ Huldrychi Zuinglij incomparabilis uiri labores & studia, eximiæ pietatis & zeli Leo Iudæ, alter urbis nostræ Parrhochus & doctor

Theodorus Bibliander in Ezechielis templum.

Tigurinæ ecclesiæ doctores catholici non hæretici.

doctor præcipuus, non pauca in usum tuum Lector minime grauatim ædidit, utraq; lingua cupiens profuisse quamplurimis. Pro quibus aliam à te gratiã non exigimus, quàm ut hos uerbi dei inquisitores studiosissimos, & minime temerarios professores, sed catholicæ & apostolicæ doctrinæ assertores humiles, pro Christianis habere, & indubie ecclesiasticos, uelis & audeas non imprudenter, sicut nec cunctanter defendere: quicquid interim garriant hi, qui hæreticus quid sit uel nesciunt uel malitiose dissimulant. Inuenies enim in ipsorum & nostris scriptis nihil contrarium sacrosanctis literis uel patrum dogmatibus priscorum & sanctorũ, nisi ubi alicubi ipsi quoq; sibi non satis constare inueniuntur, uel ad sacræ scripturæ regulam non definiũt neq; docent, & quantum sibi deferri uoluissent uiri sanctissimi. De ceremoniarum obseruantia nunquam non controuersia fuit inter ecclesias & ecclesiasticos, quanto magis negligendæ ab aliquot annorum centurijs, quando pro neglectu Canonicarum scripturarum, & augmento quæstuosarum opinionum in immensum creuisse uidentur ceremoniæ, prorsus intolerabiles ecclesiæ & fidei synceritati, in magnum scandalum, non solum Christianis omnibus, sed exterorum quoq; hominum. Quas utinam ad præscriptum uerbi dei propediem reformari contingat, & in uera pietate ecclesias cunctas coadunari, ad gloriam dei & animarum salutem, quam unice desideramus, & promotam cupimus, quam & Lectorem intendere uolumus & optamus.

Amen.

CATALOGVS LIBRORVM HVIVS TERTII TOMI, QVA QVI QVE IN PAGELLA EXORDIVM SVMANT.

Hunc autem adiecimus, ne Lector, quum cætera omnia bellè suo loco distributa sint, uel minutulo hoc inquirendi labore grauetur.

ISAIAS	IESCHAEIAHV.	Folio. 1.
IEREMIAS	IRMEIAHV.	81
LAMENTATIONES	CHINOTH.	144
EZECHIEL	IEHESKEEL.	156
DANIELIS	PROPHETIA.	212
OSEE	HOSEAH.	234
IOEL	IOEL.	247
AMOS	HAMOS.	251
ABDIAS	HOBADIAH.	260
IONAS	IONAH.	261
MICHAEAS	MICHAH.	264
NAVM	NAHVM.	271
HABACVC	HABBACVC.	274
SOPHONIAS	SEPHANIAH.	278
AGGAEVS	HAGGAI.	282
ZACHARIAS	ZECHARIAH.	285
MALACHIAS	MALACHI.	299

COMMENTARIA
CHVONRADI PELLICANI IN
ISAIAM PROPHETAM, QVI HEbræis Ieschaeiahu dicitur.

CAPVT PRIMVM.

1 

ISIO Isaiæ filij Amoz quam uidit sup Iudam & Ierusalem in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz, Ezechiæ regũ Iuda.

Totius libri titulus.

Titulus iste præponitur omnibus sermonibus Isaiæ prophetæ: quibus oracula cœlestia exponuntur fideliter, iussu dei, ad regnũ tribus Iuda, & ad incolas urbis Hierosolymæ. Primùm quidẽ ad tempora regum Oziæ, Ioatham, Achas, & Ezechiæ directa sunt. Quorum omnium uixit Isaias & prophetauit temporibus. Secundum quorum ordinem Isaias prophetarum celeberrimus, uisionum suarum ordinem præter aliorum quorundam consuetudinem disposuit, hunc librum eruditissimum & pijssimum concinnando, secundum quosdam, ut testatur hoc loco Hieronymus. Deinde profutura ecclesiæ fideliũ, toto orbe dispersæ: quæ, ut Iudaicus populus uerbo domini neglecto peccauit, & exhortationibus, minis & exemplis indiguit: sic ipsa quoq; continuo peccans, eisdem sanatur remedijs uerbi dei. Quo fit, ut æquè seruiant ij sermones ecclesiæ collectæ ex gentibus nunc & semper, ut olim Iudæis. Quandoquidem & nostra tempora similes ferũt tam reges quàm populos: & similes morbi eisdem remedijs curantur.

Quibus scripserit.

2 Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam dominus locutus est, Filios enutriui, et exaltaui: ipsi autẽ præuaricati sunt in me.

Quandoquidem horum regum temporibus multa uigebat iniquitas, quæ et inualuit nimis Achas regnante impijssimo: ideo tragica quadam exclamatione aggreditur gentem Iudaicam uelut alter Moses ad audiendum totum mundum conuocans, ait: Quoniã tanta hominum est ingratitudo & impietas, ut ad uerba dei obsurdescãt audireq; recusent, loquar cœlo & terræ. Cœlum licet remotissimum, quamlibet inanimatũ, audiet: terra quamuis lapidosa, dura & crassa, auscultabit tamen. Non autem mea uerba, non aliorum hominum, nihil enim de capite meo confictum loquar, sed quæ dominus ipse creator locutus est, quæ surdis auribus nemini unquam fas est præterire. Quid autem dicit dominus?

Verbũ dei nõ ingratis.

O me infelicem patrẽ ingratissimorum filiorum, quos maioribus beneficijs prosequi nõ potuissem nec debuissem, etiam si ex lumbis meis progredi contigisset, ex Aegypti fornace eripui, prodigijs tutatus sum, mãna cibaui, ab hostibus defensaui, hæreditate dotaui: & quid non semper ecclesiæ huic beneficiorum conceßi? Ipsi uerò coniurauerunt in me, hostes facti ac proditores. Malum semper pro bonis repẽdunt increduli, rebelles, & per contumaciam inobedientes.

3 Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israël (autem) non cognouit (&) populus meus nõ intellexit.

Agnoscit bos se pascentem, asinus eum à quo curatur & stabulum inducitur, leones ac tygrides suos obseruant mansuetarios: populus autẽ meus Israël, ßbeluis hac parte intractabilior & inferior, nihil nouit, neque beneficiorum meorum memor est, nec suam ipsius utilitatem recogitat, sed & tantum benefactorẽ parentẽq; offendere non ueretur.

4 Væ gẽti peccatrici, populo graui iniquitatẽ, semini nequã, filijs sceleratis. Dereliquerunt dominum, prouocauerũt sanctũ Israël, abalienati sunt retrorsum.

Prophetico sanctoq; furore subito erumpit obiurgatoria oratione, Væ, inquit, uel, O sceleſtam gentem, heu obstinato progressu continuo peccantem populũ, non minoribus tantum peccatis obnoxium, sed insigniter malignantẽ & malitiosum, facinoribus ueluti obrutũ, tãgraui sarcina, ut assurgere nec posßit nec uelit. Hoc est, Væ populo, qui multis alijs modis celebris erat, & insignis, eius enim est testamentum, eius patres, nũc autem nulla re alia nobilis est, quàm scelere, audacia, immanitate, prosapia peruersa est, & semen malignum, quamlibet ex sanctis patribus satum, quorũ omnia consilia ex nequitia dimanant, atq; ad nocendum pergunt, degeneres filij, moribus scilicet corruptissimi, & à patrũ probitate remoti, ac perditissimi. Religionẽ enim, mores, & leges paternas abiecerunt: dereliquerũt dominum, cui se seruituros promiserant: incredulitate sua & blaſphemijs prouocauerunt eum, quem sanctificare debebant, à tergo defecerunt, ducẽ & illius signa prosequendo & deserendo.

Obiurgatio prophetica.

5 Super quo percutiemini ultrà, addẽtes præuaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens.

Quò quæso improbitatis uentũ est, ut quo ego uos magis percutiam, uos subito aliquod nouum crimen designetis more contumacium seruorum, & degenerum filiorũ? Omne caput languet, prophetæ uestri, magi-

ſtratus ac reges peßime habẽt, grauiſſimoq; corripiuntur & immedicabili morbo. Quo fit, ut dum caput & cor langueãt, cætera quoq; omnia mẽbra deficiãt. Mœret autẽ cor, ſi fides abſit, & ſi ſpiritus cõſolatione anima careat, grauißima pœna cõſcientia peßimè uexata, etiã ſi felices impij homines in hoc mũdo uideantur.

Mœror cordis.

6 A planta pedis uſq; ad uerticẽ non eſt in eo ſanitas. Vulnus, & liuor, & plaga putrida non ſeparauerunt, nec eſt curata medicamine, neq; fota oleo.

Per omnem populum, neq; in patribus, neq; in plebe quicquam eſt ſaluum: omnes corrupti ſunt perfidia ad deum & proximũ, nullus tranſgreßionum modus neq; metus, nemo integer moribus in toto cœtu ueſtro, omnia mẽbra ueſtra occupat uulnus recens illatũ, crimina nondũ ligata: liuor ſecretiora flagitia, cõſcientiam tumore horribili uexantia: plaga ſtillans putredinẽ, ſanieq; purulẽta fluens, & per hoc immedicabilis. Tam deploratum eſt autem hoc uulnus, ut ab eo purulentia illa aufferri nequeat, nec aliquatenus ad ſanitatẽ aſſui uel obligari, nec aliqua mollice olei foueri: proximum uidelicet, ut ferro & cauterijs oppugnetur: hoc eſt, à facie domini abijciatur gẽs tam iniqua & incicurabilis.

Malum generale.

7 Terra ueſtra deſerta: ciuitates ueſtræ ſuccenſæ ſunt igni. Regionem ueſtram corã uobis alieni deuorãt, & deſolabitur, ſicut in uaſtitate hoſtili.

Quia omnibus acceptis à domino abutebantur bonis, iuſtum erat, ut in omnibus adfligerentur. Diuitias & prouentus regionis, agrorum, hortorum, & uinetorum in luxum & faſtum inſumebant, corpore uoluptatibus, animo dæmonibus ſeruientes. Humiliantur igitur morbis animi & corporis, hoſtiumq; ſæuitia, & ſubuerſione alienorũ, qui urbes incẽdant: fructus terræ multo labore cultos, illis aſpicientibus, & prohibere non potentibus, edent alieni & inimiciſſimi, omnia ſubuertẽdo, diſſipando, & redigendo in fauillas. Hæc omnia per amplificationem eatenus Iudæis tunc dicta, & per prophetam dei iuſſu cõſcripta ſunt, & relata in literas, ut totus id ſibi orbis dictũ audiat, credat, & pertimeſcat.

Abuſus munerum dei & pœna.

8 Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in uinea, ſicut tuguriũ in cucumerario, ſicut ciuitas obſeſſa.

Expugnatis ab Aſſyriorũ rege omnibus munitis in Iudæa ciuitatibus ſub Achas, unica Ieruſalem ſuperſtes, non tamen extra calamitatẽ erat: contẽpta enim erat, & ſine frequentia populi, regione tota uaſtata, ſicut poſt uindemiam collectam tugurium in uineis non curatur, ſed ſolum relinquitur: Et ſicut diuerſoriũ in difficultate uel rebus dubijs, dum periculoſis tẽporibus ſtationes excubantium & peruigilum ſeruantur, quæ pacatis rebus negligũtur. Vel iuxta Hebræos, manſiuncula in horto cucumerum: ſicut ciuitas obſeſſa, in anguſtijs conſtituta, irruptionem hoſtiũ iugiter extimeſcens.

9 Niſi dominus exercituum reliquiſſet nobis ſuperſtites, ferè quaſi Sodoma fuiſſemus, Gomorrhæ ſimiles eſſemus.

Sola domini clemẽtia ſeruantur pij, in hoc flagitioſo ſæculo, ut ueluti probitatis quædam ſemina ſuperſint: alioqui mererentur tot tantaq; peccata orbis excidiũ, ſimile ei quod pertulerũt Sodomitæ. Id quod & Iudæis euenit, ob ſpretum ſemen, in quo gentes benedicendæ erant, alioqui citius & in totum fuerant excindendi.

10 ¶ Audite uerbum domini principes Sodomorũ: percipite auribus legem domini dei noſtri populus Gomorrhæ.

Exaggerato malo idoneis uerbis & ſentẽtijs obiurgationem uelut arietem admouet, quo ſic eos concutit, ut omnia externa ſolo deijciat, quibus nitebantur, uero ac ſpirituali cultu neglecto. Vehementer autem, ſed neceſſario obiurgat, Sodomæ tyrannos nominans, regem nimirum Achas, & plebem Gomorrhæ populum, contemptores uerbi dei & legis, ingratos in deũ pro optima terra, ac crudeles in proximos, turpitudinis patratores, cum pietatem oſtentarent. Superbia, ſaturitas panis, otium, inclementia, ac abominationes, idololatriæ, leguntur pariter & Sodomorũ crimina fuiße & Hieroſolymorum.

Sodomæ crimina.

11 Quò mihi multitudinem uictimarũ ueſtrarum, dicet dominus? Plenus ſum holocauſtis arietum, & adipe pinguiũ, & ſanguinem uitulorum, & agnorum, & hircorum non uolui.

Quomodo mihi placere poteſt corporale ſacrificium ueſtrum, qui ſpiritus ſum, & in ſpiritu tantũ digne coli poſſum? Non multitudinẽ animaliũ, ſed feruorem fidei appretior: non mihi ſacrificãdum, ſed uobis, ad ueſtrum cõmodum, non meum, ne ad idolis ſacrificandum deficeretis à me, qui ſacrificare omnino uoluiſtis. Satur ſum, & faſtidire iamdudum cœpi holocauſta arietũ & adipem pinguium ueſtrorum. Nunquam illa eſuriui, in tabulis decalogi nihil tale commendaui: fidem ueſtram eſurio, animas ueſtras mihi adhærere cupio: non exigo pecudes ſed fideles. De ceremonijs paßim plura & uera leges, interim ſpiritu deo ſeruies. Hæc quoq; referuntur ad eos qui cum dei præcepta non faciant, oblationibus rapinas diluere tentant, & offerre altaribus quod debetur pauperibus. Vide Hieronymum.

Sacrificia ingrata.

12 Quum ueneritis ad comparẽdum corã me, quis quæſiuit hoc de manu ueſtra calcare atria mea?

Ter quotannis ueniebatis pedibus, non ita deuotione, ad templum, tam uos quàm ueſtri ſacerdotes, ad comparendum coram me, uolentes uideri à me, ueluti meus populus eſſetis, cum de mea uoluntate nihil curetis. Quis hæc ſacrificia à tam cruẽtis manibus exigeret in templo meo? Fidelem & charitate plenum animum, non munera exigo illa: Non hoc tantum loco, neq; tali cultu mihi ſeruietur, ſed in ſpiritu & ueritate colar toto terrarum orbe: uos uero magnũ putatis, calcare atriũ meum, & hircino cruore cõmaculare, externo tantum cultu demereri meũ fauorẽ, cum nihil minus placeat.

Cultus dei

13 Ne afferatis ultra ſacrificiũ uanitatis: Incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniã & ſabba-

sabbathum, & festiuitates alias nõ feram, iniqui sunt cœtus uestri.

Sacrificia digna & grata.

Sine fide & uirtutis amore frustra domino sacrificatur. Vult dominus sacrificiũ iustitiæ, & contriti spiritus. Suffitus deuotionis & fiduciæ, odoriferus deo est. Fumus ceremoniarũ & thuribulorũ, ostẽtatio cum sit deuotionis absentis, abominatio est, ueluti omnis hypocrisis. Neomeniæ iam ad abusum peruenerãt culturæ reginæ cœli, & ad astrorum reuerentiam, ut creaturæ deferretur honor non creatori. Sabbathũ otium tantũ erat, & lasciua superbiæ ostẽtatio, cum crapula & luxu omnis generis, nõ orationis uel audiẽtiæ uerbi dei. Solennes conuocationes uestras quibus ad contentiones & luxum uel quæstũ cõuenitis, obmittite: dissplicent enim, & abominatio sunt, ferre non poßum, uanitas est, iniquitas etiã inedia, abstinentia, uel ieiuniũ uestrũ. Studia uestra omnia displicent, quia impij estis, & corporalia mihi defertis, qui spiritualia uolo: manus & eas sanguinolẽtas porrigitis, cum cor exigam.

14 Calendas uestras, & solẽnitates uestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta: laboraui sustinens.

Ex animo odi nouilunia uestra, quæ & uos aliter atq; institui seruatis, & idololatriam exercetis potius quàm pietatem. Solennitates uestras, quas uestro more insynceriter & carnaliter celebratis, de spirituali profectu fidei & morum nihil soliciti, grauatim fero, & statim abijciã, ne cogar laborare diutius, impœnitentiæ uestræ incondonabili peccato irritatus.

15 Et quũ extenderitis manus uestras, auertam oculos meos à uobis: etiã quum multiplicaueritis orationẽ, nõ exaudiam. Manus uestræ sanguine plenæ sunt.

Orationes abominabiles.

Impiorum ac sine fide orantiũ, extentæ manus nihil merentur. Auertit dominus oculos, & abominatur orationes quantũlibet prolixas, eorũ qui opprimunt pauperes, qui effundunt sanguinem innoxium, uiduas & orphanos diripiunt, & in iudicio non defendunt.

16 Lauamini, mũdi estote, auferte malum cogitationum uestrarum ab oculis meis. Quiescite agere peruerse.

Ex medelarum applicatione à posteriori indicãtur morborũ genera, & ex ueri cultus diuini præscriptione discimus quibus modis dominus nolit coli. Lauetis, inquit, uos à pristinis sordibus, iustitiam ac probitatem uitæq; innocentiã colite, perpetuũ studiũ emendandæ uitæ amplectimini: nolite existimare latere me improbitates cogitationum uestrarum, omnia enim uestra figitia nuda & aperta sunt oculis meis. Declinate à malo, cessate ab iniuria proximi.

17 Discite benefacere. Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam.

Nec id satis sit, Renouemini spiritu mentis uestræ, charitatis opera exercete, assuefiatis ad mansuetudinẽ, colite iudiciũ, neminem condemnate non audita causa, sed scisscitemini quid liquido sit in causa, forensem iustitiam cõseruate, eximite periclitantem, succurrite oppresso per uiolentiam spoliato suis rebus: maximè uerò pupillos defendite, et uiduas in suis causis promouete, à corruptis iudicib. & accusatoribus uindicate diligentißime meo nomine & authoritate, imbellem turbam.

18 ¶ Venite & coarguamur, dicit dominus. Si fuerint peccata uestra ut coccinũ, quasi nix dealbabũtur: & si fuerint rubra ficut uermiculus, uelut lana, alba erunt.

Disceptatio dei cum homine.

Proponamus utrinq; causas, ego beneficia, uos ingratitudinẽ: disceptemus pariter, ait dominus, & arguite me, si potestis, uel redarguemini, si uos causa inferiores fueritis. Possunt tamen hæc quoq; uerba ad prophetã referri, promittentis indulgentiam, si resipiscant. Sed idem est uerbũ domini & prophetæ. Si fuerint peccata uitæ præteritæ quantumlibet atrocia, & similia coccо rubra ac feruida, si resipueritis, & emẽdaueritis ea, remittentur omnia: quantumlibet grauia sint & enormia crimina uestra remittentur, si fide & ueritate ad me cõuersi fueritis, ne quis desperationi locus relinquatur pœnitentibus, & uitã in meliora mutantibus.

19 Si uolueritis, & audieritis, bona terræ comedetis.

Si consenseritis uocationi meæ, & uoluntatem uestram ad mihi gratificandũ inclinaueritis, & legẽ traditam seruaueritis: promissa uobis ex lege læta, & operum bonorum fructum percipietis. Si uos creatori fueritis obsequuti, terra quoque & quicquid propter te creatum est, tibi seruiet. Si regnũ dei imprimis quæsieritis, omnia alia adijcientur uobis.

20 Quòd si nolueritis, & rebelles eritis: gladius deuorabit uos, quia os dñi locutũ est.

Si uerò cœptam contumaciã tenebitis, & rebellare deo perrexeritis, inobedientes & perfidi, hostibus proijciemini, gladio deuorandi. Non enim dubitandũ est impijs, unde illis calamitates accidant, sicut nec pij ignorant manum patris sui, & amplectuntur æquanimiter. Non ergo uos impij rapinas pauperum cum pace & uoluptate uorabitis, sed gladius hostium uestrorum deuorabit uos & uestra.

21 Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ.

Ad regum mores componitur populus.

Olim poterat cõmendari urbs uestra à fide in deum, à iusto iudicio in proximum, à pace ac tranquillitate rerum omniũ: sed ô miseram rerũ uicißitudinem, nunc ipsa uidetur perfida in deum, scortatrix inuerecunda cum idolis & gentium abominationibus, ut uidere licuit sub Achas rege, cui semper maxima pars uulgi & principũ consentiebat, etiã sub religiosißimis regibus, Osia, Iotham, Ezechia & Iosia, ad quorum fortaßis omniũ hæc tempora referuntur, non deo fidentes, sed brachio gentilium, cum quibus fœdera inierunt cõtra dominum. Deniquc, in qua ipsa urbe iustitia habitauerat, Dauidis, Salomonis, & Iosaphat diebus, nunc homicidæ illam occupant, & impunè inhabitant.

22 Argentũ tuum uersum est in scoriam:

uinum tuum mistum est aqua.

Fraudes in republica.

Nulla relicta est in urbe iustitia. Quod argentũ esse debuerat, factũ est scoria, adulteratis monetis ad quæstum diuitum & magnatum: uinumq; uitiatum est, & aqua limphatum. Per hæc autem pauca intelligi debẽt omnes fraudes in cõtractibus, quibus fauebat magistratus, portionẽ aliquam sibi decerpẽs, & ad scelera connuens sub iniquis regibus. Quin & doctrinæ argentum, factũ est hæresis & error. Et uinũ fidei cor suffulcientis, cõuersum est in quæstũ & superstitiones. Et in alijs quoq; cõtractibus humanis corrupta sunt omnia, quia lex dei abolita, cultus idolorũ susceptus est.

23 Principes tui infideles, socij furum. Omnes diligunt munera, sequũtur retributiones. Pupillo non iudicant, & causa uiduæ non ingreditur ad illos.

Corruptus magistratus

Præfecti populo regẽdo peiores sunt subditis, præuaricatores legum diuinarum, & fidem ciuibus minimè seruantes, socij furum, quos uel nõ puniunt, uel partes recipiendo absoluunt. Nemo eorum non accipit munera, propter quæ & excæcãtur, & mutant sententias, mutuumq; colludunt ad innocentium iacturam, sectantur eos à quibus retributiones expectãt, quantumlibet iniquos. Non uindicant pupillos ab oppressoribus, lites non finiunt uiduarum, sed prorogando extenuant ac depredantur, si tamen admittunt illarum causas, dum se nihil lucrari crediderint.

24 ¶Propter hoc ait dñs deus exercituum fortis Israël, Heu consolabor super hostibus meis, & uindicabor de inimicis meis,

Vindicta diuina.

Contra impios in ecclesia sententiã seueram profert, iunctã suo more clementia. Dominus ipse iustus iudex iudicum iniustorũ, & rex regum, salus certissima oppressorũ, Heũ, inquit, quandiu ferã indignitatẽ huiusmodi? cõsolabor iam meipsum ultione digna, de cõtemptoribus meis sumẽda, uindicabor de inimicis his meis, per Sennacherib, aliosq; iræ meæ ministros, impios peutiendo per æque impios. Mutuũ sese cõfringent iniqui.

25 & cõuertam manũ meam ad te, & excoquam ad purum scoriã tuam, & auferam omne stannum tuum,

Iterum atq; iterũ te percutiã multis calamitatibus, ut si per unã minorẽ nõ emendaberis, succedat maior, donec impietatẽ tuã digne flagellauero: nec desistã usq; quo redieris ad bonam mentẽ, uitam emendaueris, & quicquid adulterinum ac hypocriticũ erat deseruerit, inique etiam ablatum restituatur in integrũ. Hoc enim electis usui uenit, ut quantumlibet peccantes, resipiscant, & per dei gratiam sanentur.

26 & restituã iudices tuos ut fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus. Post hæc uocaberis Ciuitas iusti, urbs fidelis.

Semper restituenda speratur ecclesia fidelium, post lapsus enormiores, opera prophetarũ, uerbum domini tractantium fideliter. Quod & Ezechiæ temporibus contigit, & Ieremiæ, per Christũ deniq; & apostolos factum est, & futurũ propediem non dubitandũ, ut sci

Ecclesia restituenda.

licet restituantur ecclesiæ iudices probiores, senatores quoq; & consiliarij iustiores per dei benignitatem donentur regibus, quibus reformatis ad uerbum domini, totius ecclesiæ status iustior appareat, ac fide in deum, iustitiaq; in proximũ sanctior, nomenq; quo nominantur passim re ipsa uirtuteq; operum comprobetur.

27 Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustitia.

Multa quidem patitur ecclesia uniuersa fidelium omnibus temporibus propter iustitiæ fideiq; neglectũ: redimetur autem semper per dei gratiã, si iudicium iustum resumpserit, & æquitate cœperint prodesse qui præsunt. Sed & si propter peccata enormia, etiã in captiuitatem extrudantur iusto iudicio dei, non tamen desperandum est illis, si uerbo dei admoniti, & studio prophetarũ uerorum, iustitiam fidei & charitatis arripuerint, gratia diuina præuenti.

28 Et contritio præuaricatorum & peccatorum simul erit, & qui dereliquerũt dominum, consumentur.

Si uerò data opera contemptimq;, & post prophetarum oracula peccare perrexerint, pariter conterentur, & iudicium domini toto orbe terrarũ clarè uidebitur iustum ac sanctũ, dum in totum, ut de Iudæis uidetur, fuerint consumpti & reiecti à domino.

29 Cõfundent eñ à tilijs quas desideraſtis, & erubescetis super hortis, q̃s elegeratis,

30 quũ fueritis uelut quercus defluentibus folijs, & uelut hortus absq; aqua.

Idololatrũ cõfutatio.

Verè confusi sunt non solũ Iudæi, sed & omnes gentes, quotquot sub quercubus suis, ac in delubris excelsorum & lucis, cum superstitiosa uoluptate, quasi deũ colendo lætati sunt, quæ & uelut sacrosancta propugnauerunt, & mordicus tenuerunt. Quando iusto dei iudicio captiuati sunt, ab infidelibus regibus subiugati, & in exilium relegati, sicut sæpe factum scimus omnibus idololatris, ut omnem splendorem, substantiã quoque & libertatẽ perdiderint, ueluti quercus folijs defluentibus, & hortus sine irriguo. Nónne uidemus desertores uerbi dei desertos à domino, subsistere minimè posse? sed cum suis quoq; idolis redactos in nihilũ, tam corporaliter quàm in spiritu uastatos, in æternam contumeliam ac in inextinguibilem ignem coniectos, præmium perfidiæ diuiniq; contemptus.

31 Et erit fortitudo ad fauillam stuppæ, & opus eius quasi scintilla, & succendetur utrunq; simul, & nõ erit qui extinguat.

Creaturis nõ fidendũ, sed deo.

Impiorũ fortitudo non fuit deus, sed idola & quicqd in hoc mũdo amauerãt supra uel cõtra deũ: quæ omnia fauilla stuppæ erunt, redacta subitò in nihilum. Opus quoq; idoli, quamlibet firmiter stabilitum corruet, & cultorẽ suum confundet. Pariter peribũt, idolũ tam studiosè excultũ, & faber tãta diligẽtia elaboratũ figmentum suum sentiet sibi nihil profuisse, nihil præter confusionem reportaturus tandem. Sic oẽs qui cõfidunt creaturæ cuicunq; neglecto creatore optimo summo & maximo, qui solus succurrere potest & liberare.

CAP.

¶CAPVT II.

1 VErbum quod uidit Isaias filius Amos super Iudam & Ierusalē.

Varijs temporibus Esaias pro spiritus diuini tactu, uarias prophetias dixisse uideri potest: nunc contra Iudā & alias gentes, nunc pro illis, iam corripiendo, iam consolando, ad suum aliquando tempus, & præsentē statum, aliquando ad futurum, nunc contra peccata uaria, nunc pro piorum profectu. Vtq; in libris Salomonis & Psalmis, nullus certus requirēdus est ordo temporis rerumq; gestarū: sic nec in prophetis, tam Esaia & Ieremia, quàm alijs in ordine sermonum propheticorū, quos prolixos aliquādo dixerunt, licet Esaias fuerit plerisq; prophetis diligētior, ut uideri posit unū fuisse sermonem à principio libri usq; ad sextū caput, ut hoc loco permotus Iudaica sui temporis impietate, orationem suam transtulerit ad regnum Meßiæ describendū & uocationem gentium cum reiectione Iudæorum, quæ duo frequēter interiecta legūtur alijs ferè omnibus omnium prophetarū uaticinijs. Erat enim uulgatißima traditio omniū priorū patrum ad filios de aduentu saluatoris mūdi & ueri Meßiæ, de stirpe Iuda & Dauid. Sunt autem ut plurimum succinctæ quædā prædictiones, à prophetis suis dictæ tēporibus, ad reges & populum, postea à prophetis redactæ in libros, sine curiosa ordinis habita ratione, sed non sine causa, uel temere. Præscripta itaq; prophetia ueluti ad totū regni statū dicta & generalis, præmißa est ad correctionem deprauati status totius gentis, quam necesse erat aliquando pro criminibus confundendā. Sed ne durior esset propheticus feruor, subiūgit nunc, hunc prophetiarū suarū librū componēdo, consolatoriā prophetiam similiter generalē, ad totā gentilitatē, & ad piorum in dei populo recreationē & consolationē: in initio statim operis duplex prophetæ officiū exequendo, uitia corrigens, & salutē prædicens, Iudæorū lapsum, & gentiū uocationem describens. Alia itaq; prophetia Esaiæ hoc loco uidetur quo ad materiā, quam à domino reuelatā dixit & scripsit de Iuda & Ierusalem, ad consolationem piorum ex Iudæis & gentibus, laudes maximas Iudææ & Ierusalem continentem.

Meſsiæ mysterium sæpe miſcetur prophetijs.

2 Et erit posterioribus diebus, præparatus erit mons domus domini in uertice montium, & eleuabitur super colles. Et fluent ad eum omnes gentes,

Post temporis à deo præfiniti lapsum, diebusq; posterioribus, quum uenerit plenitudo temporis, ut filiū suū mittat deus Meßiā, constituetur mons domus domini in caput montiū. Ecclesia electorū, in qua ueluti in domo habitat uniuersorum dominus, hactenus humilis & oppressa ab infidelibus, ac intra Iudæā & unam domū domini lapideam contentam, tempore Christi regis, erit gloriosißima & illustris exaltata super omnes montes: quicquid in mundo altū forte & splendidū uidetur, superabit magnifica gloria: ueri dei cultus omniū deorum ritus superabit, opprimet & eliminabit, collibus omnibus erit æditior, crescet in altum & ad immensum

Ecclesia duplex, domus dñi.

uera pietas. Confluentq; ad hanc ecclesiam & religionem ueram, omnium gentium populi, sine cessatione, & sine personarū acceptione, filij fidei Abraæ de oriente & occidente uenient, uelut fluminū impetus ciuitatem dei lætificaturi, sua sacrilegia & idola deserturi, & deum unum & uerum adoraturi.

3 & ibunt populi multi, & dicent: Venite, & ascēdamus ad montē domini, ad domū dei Iacob, & docebit nos de uijs suis, et ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & uerbū domini de Ierusalem.

Mutuū sese hortabūtur ad instituta fidei & morum sanctiora, admoniti prædicatione Christi & apostolorum, ac dicent, Hactemus toto orbe in excelsis adorauimus errores & idola, falsosq; diuos: iam nunc ascendamus ad montē domus domini dei Iacob, uerorū cultorū ecclesiæ insinuemur & incorporemur pariter, & docebit nos Meßias nimirum de uijs suis doctrinam euangelicam, & uitæ æternæ semitas, in quibus per fidē & charitatē ambulemus, quas prius exosas habuimus & persequebamur, deleuisseq; uoluimus. De monte enim Zion, de ecclesia ueteri & Israëlitica prodibit in orbem terræ lex domini, pura, conuertens animas, & sapientiam paruulis & humilibus administrans, & euangelium salutis uniuersalis & perfectæ per apostolos à Ierusalem profecturos disseminabitur, ueluti fons salutis gratiæ & felicitatis ex paradiso diuinæ consolationis & bonitatis in quatuor orbis plagas emanaturus.

Collectio gentium in ecclesiam Christi.

4 Et iudicabit inter gētes, & arguet populos multos. Et conflabunt gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladiū, nec exercebuntur ultra ad prælium.

Meßias ipse ius dicet, & iustißime potēterq; regnabit, potestate accepta à deo patre in cœlo & in terra, omnia sub pedibus suis positurus: sed in spiritu oris sui non armis corporalibus imperabit gentibus: & de peccato arguet impios, conuincet errorū populos multos, cōcordiamq; & pacē eatenus propagabit in fide unus dei, cum antea per infinitos errores & sacrilegia dissentiret gens à gente, ut post prædicatum euangelium profligatis idolis omnibus, nulla ob fidei in unum deum religionem bella futura sint: quantumlibet ob auaritiā & honores inter impios pax nulla cōsistat. Fideles autem & euangelij auditores, quæ pacis sunt & charitatis semper amplectuntur, paratiores cedere quàm loco pellere, pati quàm inferre iniurias, cōtenti conscientiæ tranquillitate, & unius dei spirituali cultu felices, mundum triumphantes, fide, patientia, beneficijs, non ferro & armis. Parabunt autem se, non ad otium, sed ad culturam agrorum, gladios conflando in uomeres, & lanceas in falces, instrumenta necessaria agricolis & uinitoribus, quibus inculpatis se laboribus exerceant ad alios secum nutriendos.

Messias rex iustitiæ & pacis.

5 ¶Domus Iacob uenite, & ambulemus in lumine domini.

6 Proiecisti enim populum tuum domum

Iacob: quia pleni fuerunt plusquam orientales, & augures (habuerunt) ut Philisthiim, & cum pueris alienorũ excesserunt.

7 Et repleta est terra eius argento & auro, & non est finis thesaurorũ eius. Et repleta est terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius.

8 Et repleta est terra eius idolis. Opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerũt digiti eorum.

9 Et incuruauit se homo, & humiliatus est uir. Ne ergo dimittas eis.

Alia prophetia in unius sermonis cõtextu uel descripta uel etiã dicta, non sine causa sequens præscriptam. Videbat in spiritu uocationem gentium ad pietatem, coram autem impijssimos Iudæos cernẽs hortabatur ad

Contra idolorum culturam.

conuersionẽ ab idololatria: quasi dicere uolẽs, O Israëlitæ et posteri sanctissimi patriarchæ, de cuius fama gloriamini, uenite iam nunc, & præparamini ad ambulandum in lumine domini, ad cõuersandum secundũ legem eius sine querela, ad abijciendum abominationes plurimas, quas odit dominus, quas seriose prohibuit, quas non punire non potest, quibus impietates superatis gentium omniũ, earum quoq; quarũ in locum succesistis, & quas deleuit in uestrã gratiam dominus. Mox autem Propheta sermonem abrumpens ipsum cõuertit ad dominum, qui dereliquit impios propter multiplicia peccata sua, quibus terra corrũpitur maximè idololatria. Tu enim, inquit, ô domine deus, dereliquisti iusto tuo iudicio populũ, domũ Iacob, quantumlibet tuus esset, erroribus & iniquitatibus addictum, & ingratissimũ beneficijs tuis maximis & celebribus, ut nihilo meliores sint, quàm hi, quos ob gratiã ipsorũ deleuisti. Plenu sunt enim errorib. & superstionib. omniũ gentiũ, supra pri-

Chananaica superstitio in Israël.

scos terræ huius colonos Chananaicos. Augures enim et diuinatores habẽt nũc, ut olim Palestini ob impietatẽ deleti. Secundũ leges gentiũ uixerunt. Non eis suffecit prudentia diuinæ legis, nisi etiã ad alienigenarum errores delaberẽtur, & superstitionibus peregrinis contra tuum præceptum, toties in lege replicatum, inuolueren tur crimine inexpiabili. Ideo subdit, Nõ indulgeas quæso tanta crimina illi populo, cõmemoratione impietatiũ incandescens Propheta & exclamans, Postquam sunt desertores dei, fautores idololatrarũ, auaritiã sectantes & fastum, cum idolorum cultu execrabili, ut iustè reijciantur. Hæc autẽ sic scripta sunt, ut ad sua tempora & Messiæ propheta retulerit. Quum enim, inquit, tuo munere ditati abundarent argento & auro, infinitisq; diuitiarum thesauris, equis deniq; & quadrigis innumerabilibus ad gloriã & splendorẽ à tempore Salomonis, pro quibus domino grati adhæsisse debuerant: ipsi contra totã suam terrã impleuerũt idolis, operibus manuũ suarũ, quæ & adorare & colere cõtra prohibitionem meam non timuerunt, licet certo certius nouerint digitis proprijs elaborata & conficta, quare ergo ante illa prosternuntur? Nónne stultitia imò insania plenũ peccatum, incuruari hominem ad truncũ quem excidit, &

humiliari coràm opera digitorum suorum? Qui fieret ergo, ô deus, ut ad tam procacem perfidiã possis aliqua ratione cõuuere? Quis fideliũ tuorum non optaret dignam tantæ perfidiæ & inobedientiæ ultionem?

10 Ingredere in petram, & absconde in (fossa) humo à facie timoris domini, & à gloria maiestatis eius.

Imminet sine dubio tibi, ô flagitiosa gens, & procax contemptrix diuinæ legis, grauissimũ supplicium, quod euadere non poteris, etiam si in petram uel arenã confugeris, illic enim furor dignæ ultionis te comprehendet, ut quocunq; aufugeris semper tremendæ maiestatis iudicem sentias & contremiscas. Discas ergo reuereri potius ut patrem, & humiliari sub potenti manu illius.

11 Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incuruabitur altitudo uirorũ: exaltabitur autem dominus solus in die illa.

Is enim reuera solus est dominus, qui oculos superbiæ humanæ & supercilium fastuosorum hominum humiliabit, ut discant superbi omnes malo suo omnipotentiam & seuerum iustumq; iudicium dei, eumq; solum esse qui superbos deijcit, contumaces comprimit, & in ordinem redigit, ut facto discant, quàm excelsus sit dominus, & insuperabilis uirtute.

12 Quia dies domini exercituũ super omnẽ superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur

13 & super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan,

14 & super omnes mõtes excelsos, & super omnes colles eleuatos,

Propheta uel sermo est contra superbiã humanam & idololatriam, eiusdem argumẽti cuius est superior, ideoq; cõiungitur per Quia. Discite humiliter sentire, & sub potenti manu dei contremiscere, ô impij omnes: sicut enim crebro tangũtur cacumina montiũ fulgure, sic graue iudiciũ dei imminet omnibus superbis, quibus resistit deus, ut ferro, fulgure & petris. Humiliabitur enim quicquid contra deum se erexerit, qualecunq; sit illud: etiamsi illustrissimũ, laudabile, altum ac forte uideatur. Hoc enim cedris Libani, quercubus Basan, excelsis montibus, collibus æditis, & altis turribus murisq; munitis, & nauibus Tharsis, Propheta significat. Nullæ enim tam firmæ munitiones in summis mõtibus sunt, uel imis speluncis, quæ liberẽt in die domini. Manũ domini effugere nõ potest quantumlibet altus uel fortis. Deprimet enim superciliũ hominis, & arrogantiam uirorũ humiliabit. Vult enim dominus, ut summus est, ita ab omnibus adorari, idq; solus, non quæcunq; idola, quæ & suo tempore exterminabũtur in totũ, dum scilicet diuinæ maiestatis omnipotentia agnoscetur.

Contra superbiã & idololatriã.

& super omnẽ turrim excelsam, & super omnem murum munitum,

Omnes impij homines iudicij diuini tempore male habebunt, unus deus uerus, optimus & maximus, solus bonus agnoscetur, eius solius gloria uigebit. Omnia autem idola & simulacra stulta abolebũtur, id quod per Chri-

Idololatriæ finis.

stum

stium & apostolos contigisse, ne ipsi quidem Iudæi insi
cias ire possunt: nisi quod nos Christiani loco priscorũ
diuorum nouas sanctis uiris statuas locamus, multò plu
res quàm unquam apud paganos fuerint, quas & pro=
caciter defensauimus in magnum scandalum omnium
Iudæorum & gentium aliarũ, unum deum colentium,
& legem eius credentium.

16 & super oẽs naues Tharsis, & sup omne
desiderabile quod uisu pulcherrimũ est.

Terror diui ni iudicij. Tanta timebitur & sentietur ira domini ab impijs, generaliter quidem in fine mundi, partim uerò genti unicuiq; & priuatis hominibus superbis, deoq; rebellibus. Quærent enim ubique locorum profugia à facie domini, sed nusquam inuenient, quũ sit ubique deus. Sic dum uult dominus angustijs terrere leuiter potest impios, ut nesciant quò diuertant, ut angustus illis fiat orbis totus, ut coram cernere uideãtur uultum tremẽdi iudicis. Id uariè usui uenit contemptoribus dei, dum minimè expectant, & in ipso quoque mortis articulo nõ raro, sæpe etiam in bellorum tumultibus, omnibus autem in extremo continget iudicio.

17 Et incuruabitur sublimitas hominũ, &
humiliabitur altitudo uirorum. Et eleua-
bitur dominus solus in die illa:

18 & idola penitus conterentur.

19 Et introibũt in speluncas petrarum, &
in uoragines terræ à facie formidinis do-
mini, & à gloria maiestatis eius, quum sur
rexerit percutere terram.

Impij in angustijs comprehẽsi, qui sibi tutelares deos prostituerant, & ex proprijs quoq; operum meritis fidebant, dum ingruit iudicium domini, confunduntur ab omnibus & destituuntur, experimentoq; discunt uana omnia, etiam si aurea fuissent uel argẽtea. Proinde cum in domini clementiã fidere nõ didicerint, nihil superest, quàm ut posthabitis & iam spretis idolis omnibus expeditissimè nutantur cauernas ingredi petrarum, & latibula saxorum: utcunq; autem fugiant, iram tamen domini non effugere ualebunt, quam durè illis impendentem sentient, & peribunt.

20 ¶ In die illa proiẽciet homo idola argẽti
sui, & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi
ut adoraret, talpas & uespertiliones.

21 Et ingredietur scissuras petrarum & in
cauernas saxorum à facie formidinis do-
mini, & à gloria maiestatis eius, quum sur
rexerit percutere terram.

22 Quiescite uobis ab homine, cuius spiri-
tus in naribus eius est: quia excelsus (uel in
quo) reputatus est ipse.

Videtur hæc sentẽtia inserta, ut ad præcedentia pertineat & sequentia, quasi Propheta dicat: Summopere cauete uobis, ô homines, ne iram domini dei terribiliter grassantis ferre grauissimè cogamini, studete beneplacito illius, minimè irritetis eius iustitiam, & ad iracundiam non prouocetis, quod ea tolerabilis nõ sit, non magis quàm hominis stomachãtis, & iram naribus ueluti

fumum quendam spirantis. Si inquam, alicuius hominis furor timendus est, omniũ maximè dei iusti iustũ seuerumq; iudiciũ extimescendum. Iudæi exponunt: Tunc dicent singuli ad socios, Quiescite timere ab homine qui nullius momenti est, leui flatu moriturus, cessante anhelitu: quis enim in eum sperare posset? Sed est commonitoria clausula elegans, apperiens totius orationis scopum: quasi dicat propheta, Hæc omnia in hoc dixi, ut dominum plurimum timeatis, & in illum solum speretis, & ab illius offensa studiosè caueatis, qui non sinit inultum, quicquid mali designaueritis, proinde uobis ipsis diligenter cauete.

CAPVT III.

1 ECce enim dominator Dñs exer
cituũ aufert à Ierusalẽ & à Iuda
ualidũ & ualidã, omne robur
panis, et omne robur aquæ.

Prophetia contra Ierusalem, qua describitur corruptum regnũ Iudaicũ, quod olim Messiæ tẽporibus restituetur in felicissimũ statum, tunc autem miserè iacebat Hierosolyma, quæ electa quidẽ à domino præ alijs, propter peccata tamen populi principũ & fœminarũ misere perdenda erat, exemplar suijpsius facta, toties destructa ob ciuiũ insolentias, & omnibus urbibus, in quibus post acceptã dei gratiã sic crimina succrescũt, ut nihil pristinæ integritatis remãsisse uideatur. Cernens enim Propheta sub rege Achas impio fidẽ & mores in populo & primoribus corruptissima, dignam factis uindictã imprimis futurã, dicit Dominũ deum exercituũ, quem reuereri oportuit, non solum de Ierusalem, sed de toto regno Iuda ablaturũ quicquid ad salutẽ, decorẽ, regnũ, pacem & conseruationẽ pertineret urbis & regni, suf fulcimentũ quoq; omne, sine quo subsistere ciuitas non posit, magnum & paruum, præsidium tam diuinum quàm humanum, tam sacerdotes quàm populum, imprimis aũt uim panis & aquæ, quicquid scilicet ad uictum pertinet, & ad sustentaculũ uitæ, uirium, animæq; & corporis: omnia pariter auferenda prædicũtur, si in tantis malis perseuerarent. Vindicta peccatorũ.

2 fortem, & uirum bellatorem, iudicem,
& prophetam, & ariolum, & senem:

Quis uel fortissimus homo, uel militia exercitatus quicquam potest sine cibo & potu? Sed & insuper à domino deserti, à quo omnis uictoria, cõcident potius coram hostibus, quàm ut uincãt: qui dominũ nõ requisierunt, qui sine timore dei belli aleam subeũt, non euadũt. Militibus ergo occisis, qd imbelles audebũt? quid imbecilles ac formidolosi? Auferet quoq; iratus dominus ab infelici ciuitate iustitiæ iudiciorumq; patronos, ut iniquissimo cuiq; grassatori impunè liceat iniuriari omnibus p omnia, legũ reuerẽtia cesset, ultor criminũ nullus supererit. Quid igitur relinquetur, nisi ferociũ beluarũ horribilis saltus, uel spelunca latronũ? Prophetã quoq; negabit, qui diuinorũ oraculorũ cõscius, populũ doceat timorẽ dei & uirtutes politicas, qui corrigat insolẽtes, et instruat ignaros, interpretetur dñi uolũtatẽ, sacrasq; scripturas, legem quoq; diuinã. Augur quoq; qui futuro Prophetæ officia.

rum cõiectator sit ex præteritis experimentis ac histo-
rijs, procul tunc aberit: & senex uenerandæ authorita
tis experientiæ ac circunspectionis, cui iuniores acquie
scant ad reipublicæ salutem. Huiusmodi enim personis
feliciter subsistunt, consolanturq; & diriguntur respu-
blicæ ac ciuitates, sine quibus dispereunt.

3 principem super quinquaginta, & ho-
norabilẽ uultu, & cõsiliariũ, & sapientem
de architectis, & prudentẽ eloquẽ (mystici.)

Personæ necessariæ reipub.

Magister & gubernator super milites quinquaginta
nullus erit, multo minus centuriones, & tribuni siue mi
litum siue ciuium, omnia erunt absq; ordine & præfe-
cturis. Vultu uenerandus, spectabilis præ diuitijs & ho
nestate nullus erit in urbe, ubi confusa sunt omnia. Con
siliarius qui prudentia sua politicam administret, &
probatis moribus moderetur non erit. Artifex peritus
ad publica negotia prosequẽda, & qui sufficiat ad per-
suadendum honesta atque utilia reipublicæ, apposita
oratione & erudita, philosophus scilicet ac orator nul
lus erit in ciuibus. Ex quibus discimus qualibus perso-
nis ac officijs nitatur respublica, sine quibus collabatur
& pereat: de quibus sequitur.

4 Et dabo pueros principes eorũ, & effœ-
minati dominabuntur eis.

Calamitatum maxima ciuibus est, si præficiantur il-
lis pueri sensu, inexperti, temerarij, nullam ad subditos
gestantes curam & charitatẽ ad quantumlibet paupe-
res & oppressos, quos iuuare cõsilijs debuerant & au
xilijs. Quòd si insup dolosi, uulpini, uel imperiosi, aut
mente tyrannica obsessi, ac uersipelles sint qui magi-
stratum agunt, duplicatur malum.

5 Et urgebit populus, uir ad uirũ, & unus-
quisq; ad proximum suum. Tumultuabi-
tur puer contra senem, & ignobilis con-
tra nobilem.

Fructus neglectæ legis diuinæ.

Quid mirum si prædictis accedat seditio uulgi? ut
quisq; in quemlibet iniurius fiat, & proximi necessita-
tem nullus attendat, sed sibi quod ad manum uenerit ar
ripiat per insolentiam pro omni urili. Non est enim iu
dex nec propheta qui arguat, & reuerentia senum &
iudicum abiecta est cum legum timore, ut quo quisque
uiolentior sit & procatior, tanto sit maior. Denuq; pue
ri despicient senes, ut Roboam, consilia sapientum non
suscipient, corporis robur & audaciam cõsilio & pru
dentiæ anteponent, & infimæ sortis nebulones specta-
tæ uirtutis nobiles floccipendent. Hi sunt fructus negle
ctæ legis diuinæ: sic habet respublica iudice & pro-
pheta destituta.

6 Apprehendet enim uir fratrem suũ do-
mesticum patris sui, Vestimentum tibi est,
princeps esto noster, ruina hæc sub manu
tua.

Consequitur necessariò tanta mala rerum confusio
cum desperatione remedij, quum quisquis prudens refu
git periculum magistratus, in tam corrupta republica,
nec se etiam precibus fratrum & amicorum accommo
dat ad correctionem iniquitatis, causas in promptu ha-

bens uel cõminiscens, quo abnuat principatum, Quan- Seditiõ quid mo
doquidem alios non quærunt quàm diuites & fortes, liantur.
qui præsentibus tantũ incõmodis succurrant, tributum
amoliantur, annonam proponant, profundant propria,
& rapiant aliena.

7 Respondebit in die illa, dicens: Nõ sum
medicus, & in domo mea non est panis,
neq; uestimentum: nolite constituere me
principem populi.

Leuata manu deierabit, tunc, qui sic rogabitur, dicen
do: Tanto urbis ac gentis incommodo succurrendo & Recusare
medendo non sufficio, grauior est contritio & morbus, imperiũ.
quàm ut medelam suscipiat: uix meæ familiæ meæ sup-
petunt facultates: periculosior est functio quàm ut
periclitari libeat. Tutius in huiusmodi republica est
subesse quàm præesse: in tam corrupta gente, ubi neq;
dei timor nec legum reuerẽtia est, omnis qui sapit intra
suam se cuticulam continet, & qui principatũ refugit
ab improbis protractus, sibi consulit. A deo autem ele-
ctus ac missus, ut Dauid, Iehu, Gedeon ac Moses, spiritu
sancto de gerendis rebus docebitur, & uolũtati diuinæ
non resistet, cum dei timore obsequetur.

8 Ruit enim Ierusalem, & Iudas concidit:
quia lingua eorũ, & adinuẽtiones eorum
contra dominum, ut prouocarent oculos
maiestatis eius.

Causa tantæ calamitatis in urbe siue Hierosolyma Vrbium
siue Roma, aut quacunq; alia docetur esse, quia omnia ruinæ.
illorũ colloquia, cõsilia, doctrinæ & mores, studia &
opera contra dominum sunt, cõtra uerbum dei, quibus
dominus prouocatur ad irã, per omnes abominationes,
sacrilegia, superstitiones & uitia, quibus oculos diuinæ
maiestatis offendunt, ut ferre diutius non posit.

9 Agnitio uultus eorum respondit eis: &
peccatum suum quasi Sodoma prædicaue
runt nec absconderũt. Væ animæ eorum:
quoniam reddita sunt eis mala.

Quomodo enim ciuitas consisteret in qua procaci- Ciuiũ uitia
tas faciei, impudentia, atrocitas, fastus, supercilium &
furia laudem habent? at qui huiusmodi sunt, alijs præ-
sunt, & sui cupiunt quàm simillimos, in reprobum sen
sum dati, ut repleti omni iniquitate, malitia, fornica-
tione, nequitia, inuidia, homicidijs, elatione, sine affe-
ctione, absque fœdere, sine misericordia, faciendo quæ
non conuenunt, idq; sine erubescentia: quandoquidem
& audent peccata sua uelut Sodoma iactare, & mini-
mè dissimulare, quando nemo est qui corripiat uel pu-
nuat. Quomodo tanta ciuium mala ultione graui care-
rent? Sentient potius & dolebũt, tam apud semetipsos
in iudicio mortis confusi, quàm in retributione malo-
rum damnati. Quin & non raro impiæ urbes, pessimè
luunt, & patientia longa dei pœnarum illis grauita-
te pensatur.

10 Dicite iusto quoniã bene, quoniam fru
ctum adinuentionũ suarum comedent.

11 Væ impio (in) malum: retributio enim
manuum eius fiet ei.

Quicunq;

Quicunq; ergo iustitiæ & ueritatis amatores estis, dicite, & ut certò definitum cõsitemini, optime esse iusto, & cõtrà, iniustis pessimè euenuet: utriq; enim comedent fructũ studiorũ suorũ. Verè enim iusti p fidẽ beati erunt, per speciem regnũ percepturi, cum Christo à patre domino benedicti in dextera. Impij uerò ad sinistrũ supplicio æterno puniẽtur, cũ diabolo & angelis suis.

12 **Populũ meũ exactores sui spoliauerunt, & mulieres dominatæ sunt eis. Populo meus, qui te beatum dicunt, decipiunt, & uiam gressuum tuorum dissipant.**

Prælatorũ peccata.

Promulgaturus Propheta in nomine domini iudiciũ iustum, seueramq; sententiã contra malos duces, sicut & iam populi iudiciũ pronuntiauerat, præmittit peccata prælatorũ in subditos, quos quum ueluti legitimi fidelesq; pastores ac patres, pascere, docere, regere, defendere, tueriq; deberent, ipsi contrà durissimi sunt exactores operũ, tributorũ, munerum ac officiorum, quos & deglubunt, & ueluti racematio deprædantur & expilant, & si quando populus ipsorũ egeat opera tutelaq;, non se aliter reddunt illis, quàm effœminatos, & nihili homines, fœmineo tantũ fastu imperiosos, & libidini seruientes, arduũ nihil audent pro subditis, & quũ seruare populum debeant, & in felici statu conseruare & dirigere in uiam ueritatis ac uirtutis: ipsi contrà eosdem decipiunt, erroribus inuoluunt, utcunque possunt maluntq; imperitos, stultos, formidolosos & supplices, quàm doctos iustitiã & ueritatem, quo diutius simplicibus imponentes imperent, & ferre se cogatur infelix corruptusq; populus.

13 **¶ Stat ad iudicandum dominus, & stat ad iudicandos populos.**

Quum igitur domini populus tam crudeliter adfligi cernitur, nulli fideli dubium sit, in proximo esse, ut dominus adiutor oppressorum prodeat, firmissimè constiturus contra impios pastores, eos quoq; ad iudiciũ euocaturus: durissimũ sanè, duriter præsidẽtibus, nõ solum Hierosolymis, sed in omnib. populis, quibus dominator est, primariusq; iudex, quorũ & creator ex æquo est & uindicator, ut opprimi suos diu non patiatur.

14 **Dominus ad iudicium ueniet cum senibus populi sui, & principibus eius: uos enim depasti estis uineã, rapina pauperis in domibus uestris.**

Iudiciũ dei iustum.

Veniet dum non expectatur à tyrannis dominus, ad iudicio iusto seuerq; disceptandũ cum impijs pastoribus populorũ: quos seniores populi sui uocat ac principes, improperatq; illis perfidiam in delegato diuinitus illis officio pascendi greges subditos, quos ipsi potius corruperunt. Vos, inquit, depasti estis locatam uobis meam tam dilectã uineã, commẽdatos uobis meos filios non nutriuistis, sed occisos deuorastis, non tam illorum sortem & salutẽ curantes, quàm ut diripiatis ipsorum bona, & execrabilem pauperum rapinam inferatis in domos uestras, deprehensi in furto, ut tanto fastuosius incedatis, & atrotius opprimatis subditos.

15 **Quare atteritis populũ meum, & facies pauperũ commolitis, dicit dominus deus exercituum?**

Ad Principes redargutio.

Quare uos, ô principes, quorũ erat cõfractos recon solidare, & sautijs mederi, magis audetis atterere, contũdere ac cõmoliri meũ populũ? Tamq; corpore quàm rebus affligitis fideles meos, & ueluti genas uellicãdo, atroci iniuria pauperes & alioq miseros diuexatis, in meã iniuriã, qui omnia noui, uideo & possum, quẽ uos tyrãnu euadere nõ potestis, quem timere debueratis.

16 **¶ Et dixit dominus, Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerũt extẽto collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant.**

Mulierum uanitas.

Populum in primis corripuit Propheta, deinde principes: nunc mulierum taxat uanitatẽ, & prædicit infe rendam illis pœnã. Suo, inquit, tempore Achas scilicet, & Zedechiæ, & quoties similiter peccatur, similis quoq; est expectanda uindicta. Pro eo, inquit, quòd filiæ Zion, fœminæ fideles, & in gẽte sancta, quæ iuxta professionem suam ac conditionẽ, humiles, castæ ac uerecundæ esse debent, sobriæ, domesticæ, obẽdientes & modestæ, superbiũt insolenter, animo, habitu, incessu, uerbo & opere, incedẽtes erecto collo, quũ ex natura pudicum ac submissum uultũ acceperint, minimeq; eas superbia deceat, & fallacibus oculis mendacibusq; nutibus pellicientes mœchos ad amorem illicitum, nõ sine procaci plausu incedentes composito gressu, ad irritandam libidinem aspectantiũ uirorum. Videtur enim עבס pro בעס sumi, quod irritare significat.

17 **decaluabit dñs uerticem filiarum Sion, & dominus crinem earum nudabit.**

Non solum capitis tot ornamẽta illis dominus auferet, sed etiã scabiosum illis caput reddet, ut uertex depiletur, & defluant capilli, quos etiã præ dolore euellere cogẽtur in excidio urbis. Pudenda deniq; illarum deteget, nudatis ab hostibus, quæ tot uestibus apparere consueuerant, quum nudæ ab inimicis in captiuitatem abigentur, tempore Achas & Zedechiæ.

18 **¶ In die illa auferet dominus ornamentum calceamentorũ, & fibulas & lunulas.**

Eo tempore uidelicet decreto à domino, dominus ipse iusto iudicio suo auferet à superbis mulieribus omnem illum superbum libidinosumq; ornatum, consistentem in uarijs rebus, pellicientibus & irritãtibus stultos amores aspectantium. Qualium ornamentorũ uiginti hic enumerantur genera, ad confusionem muliebris petulantiæ, ut non eam nouam miremur, sed ut ueterẽ diligentius corrigere annitamur. Intertexturas uel inclusoria Hebræi primum nominant ornamentum. Deinde Lunulas ornamenta dicunt ad formam lunæ.

19 **& torques, & armillas, & mitras.**

Distillatoria ex collo pendentia, unde liquor odorifer us stillabat ad pectus. Alij torques interpretantur, ex lapillis filo insertis ex colle pendentes. Armillas, ornamenta brachiorũ. Pepla quibus fœminæ totas inuoluũt facies & caput, ut præter oculos nihil uideri possit.

20 & discriminalia, & periscelides, & murenulas, & olfactoriola, & inaures,

באריס generale ornamenti nomen: specialiter Hebræi exponũt per thiaras uel mitras. Tibialia ab incessu dicũtur, strictæ uestes uel cõstrictoria. Olfactoriola, globuli quibus odorifera circunferuntur. Hebræi domunculas animæ, id refrigeratoria spiritus dicunt. Ad aures quoq; pendentia ornamenta quæ dulcissimum leuemq; sonum auribus resonare pro libidine debebant.

21 & annulos, & gẽmas in frõte pendẽtes,

22 & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus.

Annuli pro digitis & auribus, Inaures pro facie pendentes, Præcinctoria uel succinctoria, Togas uel opertoria, Palliola, Marsupia, uel Acus.

23 & specula, & sindones, & uittas, & theristra.

Specula, sindones, diademata, uestes subtilissimæ. Et quis uel dinumerare posit uel nominare omnia ornamenta muliebria, tot gentiũ atq; seculorũ, quũ subinde ea noua excogitari cernamus? Quis hodie uel Suetonius Tranquillus, uel Lazarus Bayfius pro dignitate posit describere nomina noua, uestibus quotidie nouis matronarũ, ne dicam uirginũ, imò meretricũ, etiã nobilium, quibus à plantis pedũ usq; ad discriminalia capillorũ, & pepla infiniti generis, petulãtias suas prodere gaudent, eaq; secundũ loca, tempora & fortunas, sine numero, quæ prophetæ tẽporibus cadere sub certo numero & nominibus poterant, & tamen tam graui ultione dei prædicũtur puniẽda? Quantũ incommodorũ nostras maneat libidines, dominus nouit, quas hodie uiros & principes, imò episcopos nostros, & abbates, monachos, non pudet imitari, imò religiosum haberi & ut sacrosanctum defendere. Voluit sanctus Prophetа sui temporis uanitatẽ arguere & dignam illis prædicere ultionem.

Ornamentorum insolentia in omnibus.

24 Et erit, pro suaui odore fœtor erit, & pro zona ruptura, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali ciliciũ, adustio pro pulchritudine:

Pro singulis superbiæ ornamentis singulas prædicit pœnas, quibus fœminarũ luxus punietur, dum hostium potestati ciuitas tradetur à domino. Destitutæ enim suis olfactoriolis & aromatibus, saniem & fœtorem suum uix ferre poterunt, ex plagis & ulceribus: proq; pretioso cingulo, cutis ruptura ex flagellis adhibebitur: & pro plexis criniũ uel opere calamistri caluitiũ patientur: & pro fascia pectorali, cinctura cilicij uel sacci: adustio quoque carnis & cutis pro uenustate ac formositate illis affectata rependetur: ut in quibus peccauerint fœminæ, eisdem etiam puniantur.

25 uiri tui gladio cadẽt, et fortes tui in p̃lio.

26 Et mœrebunt atq; lugebũt portæ eius, & desolata in terra sedebit.

Mulierum pœna pro petulantia.

Post amissa omnia ornamẽta, etiã cernent uiros suos occidi ab hostibus, cadere gladio, & quicquid roboris ac formæ admirari solitæ erãt, eosq; quibus placere uoluerant in bello cecidisse conspicient & dolebunt. Videtur tamẽ sermo hic dirigi ad Zion, uel Hierosolymã urbẽ, cuius resídui uiri fortes casuri sint prælio. Cuius quoq; portæ lugebũt, & tota urbs desolata sedebit destituta uiris, secundũ Ieremiæ Lamẽtationes. Sic domino puniente urbẽ cum ciuibus, uiros cum mulieribus, principes cum subiectis, populũ cum rege, idq; nedum ad Isaiæ tempus, sed omni in loco, semper, & omnes personæ sic superbiã excolentes, iustissimã dei manum sentiẽt suo tempore & casu, celebremq; degradationẽ cernẽt uani illi homines, pompa tantũ nobiles, nulla sapiẽtia, probitate, uel religione insignes. Hæc sanè pars est ecclesiæ nostræ, quæ nõ speciem & pulchritudinẽ tenet, propter ueritatẽ, mansuetudinẽ & iustitiã, sed omnis gloria eius est à foris, uarietatibus circumamicta, nõ abintus, ut decet ecclesiasticam sponsam, quam concupiscere rex posit ob decorem illius. Vtinam citò redeat alia facies & forma ecclesiæ sanctæ dei, ut scandala & uanitates cessent à sponsa, quæ se Christi esse iactare audet & uenditare.

Superbia iudicium.

CAPVT IIII.

1 ET apprehendent septẽ mulieres uirũ unũ in die illa, dicẽtes: Panem nostrũ comedemus, & uestimẽtis nostris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.

Veteres huius prophetæ distinctores in capita, arbitrati sunt hunc uersum pertinere ad sequentia, quæ de Christi gloria & ecclesiæ profectu exponũtur ferè ab omnibus: ut per septem mulieres intelligãtur uniuersæ gentiũ nationes, quæ omnes Christi domini gratiã, charitatem & fidẽ ambierint, sponsumq;, unde filios susciperent gratiæ & salutis. Sed male quadrat, quod subditur, Panem nostrum edemus, ueste nostra induemur: quasi ecclesia de suis uiuere posit, & non ex solius Christi beneficijs: Vel, quòd ritus gentiles & idolorũ culturã seruare uoluerit, etiã si Christũ spõsum amplecteretur: Vel, quòd philosophorũ sibi doctrina ad salutem sufficere putarit. Rectius ergo exponitur post priora, qbus & in Hebræo iũgitur, de tanta Hierosolymæ uastitate, totiusq; Iudææ, ut occisis uiris, relictæ fœminæ plures ambierint unũ uirũ maritũ, à quo filios susciperent, ad restaurationem populi sui, & ad sterilitatis opprobriũ euadendũ, promittẽtes se de proprio labore & stipẽdio uictũ & amictũ susceptúras, quo minus ob impensas à uiris recusentur. Tanta autẽ uirorũ strages contigit tempore Achas, quum filius Romeliæ de Iuda occidit centum & uiginti millia uirorũ die uno.

2 ¶ In die illa erit germen domini in magnificẽtia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & in decorem his qui saluati fuerint de Israël.

Iterũ post aduersa Iudaicæ gentis pro peccatis prænuntiata, subiunguntur prospera per Christum expectanda. De cuius aduentu exponitur hic locus etiam ab Hebræis, qui Germen domini Messiam filium Dauid

Christi gloria quibus cesserit.

uerè interpretantur, qui suo tempore in maximam laudem, gloriam & decorem erit, non solum in ipsum creditoræ ecclesiæ, sed etiam toti Iudaicæ genti, si agnoscere uoluissent. Quandoquidem nemo negat, salutẽ ex Israële propagatã in gentes. Quod autem illis factus est lapis offensionis, & petra scandali, sibi imputabũt, nõ Christo felicissimo germini, cuius fructus in gloriã ac maiestatem cedet, his qui euaserint de Israële, apostolis scilicet, & ex Iudæis cõuersæ primitiuæ ecclesiæ. Quid enim glorioſius obtingere illis potuisset, quàm ut fierent pro patribus filij cõstituendi magistri omniũ ecclesiarum toto orbe? per quos Euangelium peruasit totum mundum, ut ueri dei cultus ac fides prædicaretur in gentibus, & error uetus eliminaretur.

3 Et erit: qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalẽ, sanctus uocabitur, omnis qui scriptus est ad uitam in Ierusalem:

Sancti in Sion qui.

Sine dubio enim sancti habiti sunt, & gens electa à domino, quotquot perfidiã iniquorum euadentes, per Christi gratiam liberati sunt, & prædestinati ad gloriã ex Iudæis, secundum prophetias Christũ regẽ suscipiendo, & ex gratia illius in ecclesiam fidelium adscribendi in cœlesti regno cum Christo, ac in regno ecclesiæ, etiam militantis adhuc in mundo. Omnes enim sancti dicentur, quia per Christi sanguinẽ sanctificati in fide, filij ecclesiæ, quæ Ierusalem dicitur, & est in spiritu & ueritate, euersa ea quæ constitit ligno & lapidibus.

4 si abluerit dominus sordẽ filiarũ Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij & spiritu ardoris.

Peccata abluí.

Ecclesiæ filiorum per fidem peccata abluuntur, non per alium nec aliter, quàm à deo, per gratiam ex fide & electione, non uirtute meritorum, & impletione legis. Solius enim gratiæ & spiritus sancti est expiare sanguinem: hoc est, crimina electorum, siue sordes fragilitatis humanæ abluere. Nõ sine iudicio spiritus incredulos discernendo à pijs, & cruce passionum, quibus purgandi sunt & probandi.

5 Et creabit dñs sup oẽm locũ mõtis Sion, & ubi inuocatus est, nubẽ per diem, & fumum & splendorẽ ignis flammãtis in nocte. Super omnẽ enim gloriam protectio,

6 & tabernaculum erit in umbraculũ diei ab æstu, & in securitatem & abscõsionem à turbine & à pluuia.

Ecclesiæ ex gentibus dignitas & magnitudo.

Nõ minori gratia dei potietur ecclesia Christi, etiã ex gẽtibus cõuersa, nec leuiore cura et protectione, & beneficiorũ largitione cõsolabitur, nec obscurioribus diuinis miraculis clarificabitur, quàm olim Israëlitica illa de Aegypto liberata sub Mose, quando protegebatur noctu flammante igne per columnam, & interdiu ab æstu solis nube tegebatur. Nec minor erit nouæ ecclesiæ conuocatio, cœtus & amplitudo, sed multo maior & glorioſior toto orbe terrarum diffundenda. Nihilominus tamen à tentationum ac persecutionum uehementibus turbinibus protegenda. Sicut enim sub Mose mons Sinai glorificatus est: sic non minori, sed lõge am-

pliori gloria mons Zion, unde prodijt lex Euangelica, & Christi ecclesia ad gentes celebrabitur, non ex loci nobilitate, sed mysteriorum excellentia, quæ orbi toto per apostolos innotuerunt, & digne susceptа sunt. Propterea & ipsa tam prosperitatis tempore, quàm adflictionum, refugiũ habet à turbine & pluuia, apud deum sponsum suum. Vt enim tentorijs ab omni nos tempestate recõdimus: ita in protectione dei cœli commorabuntur electi, & sub alis fouebuntur, ne à dæmonum insultibus offendantur. Iudæi exponunt, Post reuersionẽ de captiuitate, obũbratio celebris & miraculosa erit Hierosolymis, super domibus sapientum, sanctorũ, & magistrorum. Die & nocte: id est, protectio dei uel prouidentia specialis, interdiu umbra, noctu splendor, ut tuti sint ab omni aduersitate & calamitate huius sæculi.

¶ CAPVT V.

1 Cantabo dilecto meo canticũ patruelis mei uineæ suæ: Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei.

Pergit, sed alio stilo cõtra Ierusalem & Israëlem, ac quemlibet fermè populũ, domino pro magnis beneficijs spiritualibus & corporalibus ingratũ, malumq; repentẽ pro bono, & uerbũ domini cõtemnentẽ. Quibus Iudaicus populus ponitur in exemplum, propter quem Esaias spiritu sancto adflatus sic scribit, Canã iam nunc canticũ, ei, quẽ ut maximũ mihi & populo meo fautorem, amicũ, & ueluti spõsum expertus sum, sic amicißimum habeo: canam aũt dilecto huic meo, de uinea sua. Quam ut ueluti spõsam spõsus uehemẽter appretiatur ac diligit, ubi & unicũ solatiũ suũ reposuisse uidetur, unicequ; amasse præ omnibus peculijs suis & possessionibus: Sic eam studioſißime plãtauit, et exornauit supra modum, ut illi in tota terra uinea nulla potuerit cõparari: Sic aũt exordiar cãtionem, Vineã habet dilectus meus, fons omnis bonitatis et amoris omnipotens deus exercituũ, populũ ex omnibus gẽtibus electũ & peculiaribus beneficijs insigniter illustratum, in colle optimo, aprico, frugifero, excelso, & pingui: qui in flumẽ aliquod prospicit, uel in uallẽ uersus solẽ (hoc enim dicitur cornu) ut oportunior ferẽdo uino optimo locus nullus inueniatur. Populũ domus Israël ex Aegypto in cultã trãstulit promißionis terrã, lacte ac melle fluentẽ, fertilißimã & optimã, nihilq; culturæ obmisit, nullã gratiarũ negauit, qua posset promoueri in optimũ statum, omnium uirtutum germinibus illustrem ac egregium.

Contra ingratos deo.

Vinea dominus Israel.

2 Et pastinauit (uel sepiuit) eam et lapides eiecit ex ea, & plantauit uineam electam: & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea. Et expectauit ut faceret uuas, & fecit labruscas.

Circundedit & sepiuit eam maceria, cancellis legis iudiciorum, ordinationum, & mandatorũ. Insuper & fodit diligenter opera patriacharum & prophetarum. Lapidesq; ac petras, gentes impias eiecit & occidit, ne prouentũ uineæ in fide & moribus minueret & impediret, ne in laqueum illis essent & scandalum. Et plan-

tas optimas & electißimas uites inſeruit uineæ, uuas proferentes ſine granis & omni acore, ad eliciendum uinum dulciſſimum, Leuiticum ordinem, ſacerdotium, prophetas ac iudices optimos, qui bene populũ domini inſtituerent ac religioſiſſime. Aedificauit in medio illorum turrim, templum, tabernaculum honori diuino dedicatum. Trocular quoq; excidit in ea, cultum legitimum, aras & propitiatoriũ omnis gratiæ & conſolationis, ubi & uinum redundaret oraculorum ſacrorũ, unde fidelium conſcientiæ recreentur. A taliter inſtituta ſynagoga fidelium, expectaui ego dominus uineæ pietatis fructus optimos, opera pfecta uirtutũ omniũ, fidei, ſpei & charitatis: protulit autem proh dolor & pudor, non uuas, ſed labruſcas, uuamq; acerbam, imò ſpinas & tribulos, uitia & crimina omnis generis, & intolerabilia facinora.

3 Nũc ergo habitatores Ieruſalẽ, & uiri Iuda, iudicate quæſo inter me & uineã meã.

4 Quid debui ultrà facere uineæ meæ, & nõ feci eis? an quòd expectaui ut faceret uuas, & fecit labruſcas?

Carmina Hebræorũ. Breuia ualde ſolent eſſe carmina Hebræorum, præter Pſalmos, ſed admodum graues ſententiæ, affectus intimi, & myſteria inuoluta uerbis elegantibus, eruditis & ponderoſis, nulla habita ut arbitror numerorum in ſyllabis ratione. Non enim auribus canunt prophetæ ſancti, ſed fidei deuotioni & cordibus. Ideoq; poſt finẽ carminis admonet auditores, ciues Ieruſalem & regni Iudaici, ut ipſimet iudicent in cauſa, quæ cõtrouertitur inter uinitorem & uineam, quum ſcilicet nihil obmiſerit agricola, quod ad curam pertineat uineæ, & tamen fefellerit omnes labores, labruſcas proferens, quas nemo expectauerat.

5 Et nunc oſtendã uobis quid ego faciam uineæ meæ, Auferetur ſepes eius, & erit in direptionẽ: diruetur maceria eius, & erit in conculcationem.

Ecclеſiæ dei ignominia. Ingratiſſimo populo nihil reſpondere potenti dominus ipſe ſubijcit, & reſpondet, decernitq; publice iuſtiſſimam pœnam, ut qui dominum in ſuis beneficijs non agnouit, nunc omnibus deſtitutus experiatur digna ſupplicia. Auferetur nimirũ marceria illius, ſpinarumq; intricatura, & ſeps ipſa protectio mea, ut ſedeat populus ſine lege, ſine rege, ſine regimine: ſubintroeãt autẽ beſtiæ agri, feræ & hoſtes, ad libitum omnia depaſcãt, ſepemq; perrumpant ac diſſipent, totaq; conculcata iaceat ac protrita. Sine lege enim & gratia dei, eccleſiæ pereunt. Sine uerbo dei nulla diu perſiſtet obedientia uel ciuilitas. Sine diſciplinæ cancellis, uitia cum tempore incorrigibilia ſuccreſcunt.

6 Et ponam eam deſertam: nõ putabitur, & non fodietur: & aſcendẽt ſuper eam uepres & ſpinæ, & nubibus mãdabo ne pluant ſuper eam imbrem.

Redigetur hic populus ingratus, & omnis qui illi aſſimilabitur, in ſolitudinem ac uaſtitatẽ, ut à nemine curetur, uel putetur, nec fodiatur. Non ei mittentur pro-

phetæ, doctores, zelo domini feruentes, ut uineã colãt, ideoq; neceſſario pro uitibus creſcent uepres, & pro botris ſpinæ: degenerabit uirtus in uitia, & pietas oprimetur ab iniuſtitia: in totum peribit omnis ſuccus timoris domini, & ſpiritus ſancti influxus procul aberit, ſine cuius numine ſanctum nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.

7 Vinea enim domini exercituum, domus Iſraël eſt: & uir Iuda, germen delectabile eius. Et expecta iudicium, & ecce plaga: & iuſtitiam, & ecce clamor.

Hic uerſus expoſitio eſt parabolæ, ubi domus Iſraël uinea dicitur, Iudæi uel uiri Iuda, delectabile germen eius, à quibus dominus iudicium expectauerat, ſed non niſi plagas & iniquitatẽ inuenit: cupiebat fideles, & accepit rebelles: iuſtitiam ſeruari præceperat, & ecce pauperum oppreſſorum, & iniuria affectorum clamor miſerabilis ad eum clamat in cœlum. Hac breui expoſi Parabolæ quomodo excutiãdæ tione prophetæ licebit diſcere non ad unguem & per omnia ſemper parabolarum particulas excutiendas, ut omni ex parte ſimilitudo exigatur & conſtet, ſed in principali aliquo inſtituto teneat exemplum, contra nimium curioſos interpretes.

8 Væ qui cõiungitis domum ad domum, agrum agro copulatis uſque ad defectum loci. Nũquid habitabis uos ſoli in medio terræ?

Peccata Iſraelis. Proſequitur genera labruſcarum, quæ creuerunt in populo Iſraël, quem uoluerat data lege, miſsis prophetis, impoſitiſq; regibus eſſe pijſſimum atq; ſanctiſſimũ. Sed longe aliter accidit, ideoq; conſequenter per ſingula enumerat propheta ſanctus peccata ſui populi. In primis increpando auaros, ac pauperum oppreſſores, Væ inquit eis, quibus non ſufficit ſua hæreditas, ſed agros multos coemunt, ut plurimos corradant prouentus, ut obnoxios ſibi faciant multos pauperes, amplificantes domos, hortos, agros, uineas, donec aſſequi poterint, ueluti ſoli cupiant habitare in terra, omnibus ditiores, potentiores, maiores, quibus non ſufficiant ſufficientia niſi & multiplicia addantur, cum iniuria quoque proximorum.

9 In auribus meis (ſunt hæc) domini exercituum, Niſi domus multæ deſertæ fuerint grandes & pulchræ, abſque habitatore.

Nihil in humanis rebus geritur ſine prouidẽtia dei, qui tamen oppreßiones, iniurias, uiolentias diutiũ in pauperes, ab ipſorum ac ſe gemitus peculiariter audit. Ei enim derelictus eſt pauper, & orphanus derelictus eſt ei: ideo & inermibus perſonis omnipotens certò ſuccurrit, potentes autem ac uiolentos potenter conterit, & rapinas pauperum ex ipſorum faucibus extrahit, palatia illorum, ſanguine miſerorum extructa diſperdit & diripit, non raro hos uiolentos ex proprijs huiuſmodi domibus eijcit, & pijs habitandas concedit, crebrius autem ui præliorum diripiuntur potentiũ domus, ipſis in captiuitatem ductis, uel peſte abſumptis.

10 Decem enim iugera uinearum faciẽt lagunculam

gunculam unam, & triginta modij semen tis facient modios tres.

Maledictionem quoq; meã immittam in uineas illorum & agros, tantam, ut ex decem iugeris uineariũ uix unam susceptur sint & repositur uinu amphoram uel urnã: & ubi sementis integrum corum effuderant, uix ephi unum, modicam scilicet annonam sint recepturi. Non enim tam cœlorũ inclementia ac aëris est annonæ caritas, & fructuum iactura, quàm prouidentiæ dei pu nientis perfidiam auarorum, & infideliter administran tium dona dei, & ingratorum, pauperibus quoq; non succurrentium, decimas quoq; non dantium, eis qui ec cleſiæ seruiunt plus quàm sibi.

Vnde fit caritas annonæ.

11 ¶ Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad uesperam, ut uino æstuetis.

Consequenter crapulam, ebrietatem, & insanũ studium delitiarum taxat propheta. Væ denuq;, inquit, qui mane surgentes, tota die nihil curatis præter delicias, ebrietatem sectando, ut uino æstuetis tota die, & ad noctem tardam, quasi ad hoc unum nati sitis, ut uinũ perdatis & fructus, otiosi & cupiditatis mancipia, sordidi, uani, inutiles, & expositi consequenter omnibus cæteris criminibus.

Contra crapulam.

12 Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & uinum in conuiuijs eorum: & opus domini non respicitis, nec opera manuum eius consyderatis.

Non contenti gulæ delitijs, aures multiũt uarijs mu sicis instrumentis, quasi uinum non sufficiat ad hilaritatem nimiam, quæ degenerare solet in otium, luxum, & rixas, adulteria, tandem quoque in furta ac latrocinia. Quasi uerò eas creaturas dei, ad proximi utilitatem & naturæ decentẽ sustentationẽ concessas, liceat tam turpiter perdere, illis abuti ad superfluitatem, interim multis fame laborantibus ac siti, qui graui labore & sudoribus pro eis distenti sunt, fatigati, adusti solis ardoribus & afflictim: interim opus dei, quod est liberalitas, clementia, eleemosyna ad pauperes, gratiarũ quoq; actio, oratio, & laudes diuinæ negliguntur, et opus manuum, & sudor uultus, homini iniunctus à deo, obmittuntur: quin & dei bonitatẽ & potentiã, in tam optimis creaturis non attendunt, nec contemplantur creatorem ex creaturis, indigni planè quibus seruiat opus dei & beneficentia.

Ebrietas.

Opus dei.

13 Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit.

Quia populus meus tot beneficijs adfectus ignorauit me benefactorem, & submersus delicijs, obliuionem diuinorum incidit beneficiorum, assimilatus brutis, imò insania & ingluuie feras superans, et opus obseruantiæ legalis contemnẽs, ideo exilium passus est, & qui in eo glorioſiores fuerant, fame enecabuntur, pœna respondente culpæ: fames in crapulam, & uinolentia in sitim carentiamq; aquarum mutabitur, idq; tam uulgo euenit, quàm primoribus, qui pariter abusu peccarunt beneficiorum dei.

Ingratitudo punienda.

14 ¶ Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino. Et descendet decor eius, & multitudo eius, & opulẽtia eius glorioſiq; in eam.

Crapulam sequitur morborum & mortalitatum pœna, ubi post famem sequitur pestilentia. Commessationibus quoque corrupta corpora subinde obnoxia fiunt ægritudini. Nec solum mors corporũ sequitur, sed etiã perditio inferni, quæ impios & contemptores dei manet, & ueluti auida uoraxq; & hians expectat damnatos. Certa enim & ingens corruptio corporũ, morum, & bonorum sequitur studium deliciarum, ut etiam fortiſsimi exercitus, et inuincibiles dcleti sint tali ingluuie, ut recte dicatur, non tot gladio corruiſse quot crapula. Omnis quoque decor & gloria ibi cessat ac perit, ubi regnat libido & commessatio. Tumultus autem ac temeritas, & uana insolens & incondita exultatio succedunt proxime, ueluti perditionis arma & merces libidinis.

Pestis sequitur crapulam.

15 Et incuruabitur homo, & humiliabitur uir, & oculi sublimium deprimentur.

16 Et exaltabitur dominus exercituum in iudicio, & Deus sanctus sanctificabitur in iusticia.

Ne quis diuitum, & eorum qui se tam felices in luxu suo arbitrantur, ut timoris dei non egeant, sed sine deo sibi sufficere putent, legibus contemptis perpetuam pro uoto lætitiam sibi promittant, subdit propheta, Sub potenti manu dei facile humiliabitur quicunq; & quantumlibet arrogans, insolens, & sine deo uiuens, subito à domino prosternitur, humiliatur, occiditur, perditur, ut uirtus, iusticia & imperiũ dei inclareſcat, & subditus fiat homo creatori, & de se sentiat quod est, ac dominum reuereatur, qui quum sit omnipotens ab omnibus adorandus sit, & pro sanctitate & iusticia illi summopere seruiendum & obediendum, qui superbiam humiliat, & insolentiam compescit multis modis, ac comprimit, unde impij terreantur, & pij exultent, bonitatem iusticiamq; illius deprædicent & adorent.

Iusticia dei in impios.

17 Et pascentur agni iuxta ordinem suum, & deserta in ubertatem uersa aduenæ comedent.

Vt non patitur dominus arrogantes, & superbè se irritantes: sic clementiſsimè suscipit, tractat, fouet, consolatur, nutrit, & beat agnos, hoc est simplices, quietos, humiles, gratos, beneficos, innoxios, quos ueluti peculium suum omnibus beneficijs prosequitur, tuetur à lupis, pascuis reficit gratiarum & uitæ, & ueluti in uberrimis pascuis pererrantes, in omnibus tuti sunt. Pijs enim omnia cooperantur in bonum, & absque omni impedimento domino uiuunt, & semper proficiunt de bono in melius, donec ad satietatem iusticia repleantur, quam esurierant, & pingue domino pecus ac gratum diuinis epulis proponatur, benedicti à patre, & beati.

Pascua fidelium.

18 ¶Væ qui trahitis iniquitatẽ in funiculis uanitatis,et quaſi uinculũ plauſtri peccatũ.

19 Qui dicitis, Feſtinet, cito ueniat opus eius ut uideamus: & appropiet, & ueniat conſilium ſancti Iſraël, & ſciemus illud.

Impiorum damnatio etiam in hoc ſæculo.

Væ eis, qui continuo ſectando carnis deſyderia, libi dinis funem ſectantur per omnia, donec creſcat impietas ad contemptum dei, & in abyſſum peccatorum uenientes, iudicia dei nõ timeant, ſed audaci deſperatione etiam monentibus prophetis reclamare non uerentur, Veniat, imò acceleret, ſi placet opus domini, ſi quid contra nos deus decreuit, ſi imminet illius ira & iuſticiæ ſuæ iudiciũ, ueniat, uideatur, ſentiamus. Falſa enim arbitrantur omnia prophetarum uerba, uana eſſe quæ minantur exiſtimant. Velut continuo dæmones aduocantes, certi non eſſe uenturos: ſic ultionem dei non expectant homines ſine deo, donec repentinus illis ſuperueniat interitus, & in puncto ad inferna deſcendant, uel tanta calamitatis mole obruantur, ut manum domini horribilem & inexpectatam ſentiant, & ceſſent contemnere.

20 ¶Væ qui dicitis malo bonum, & bono malũ: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

Contra ueritatis oſores.

Tanta impudentia pleriq; ob ſolum commodum priuatum uel honorem inſaniunt contra ueritatis prophetas, ut contra ſuam conſcientiam audeant ueritati obſtrepere, quod malum eſt laudando ac defendendo, contrà uerò ex mera calumniandi libidine excuſare crimina & laudare. Qui opinata aſſeuerant, incerta pro certis obtrudunt credenda, quæ nullum ex ſcripturis ſacris teſtimonium habent pro fidei articulis ingerendo, publicos abuſus ac errores tam fidei quàm morum defenſando ſtrenue ac maligne, ex amaro dulce, ex damnoſo utile, ex uitijs uirtutem, & ex ueritate falſum perſuadendo producunt, dati in reprobum ſenſum, excæcati ſenſu carnis.

21 ¶Væ qui ſapientes ſunt in oculis ſuis, & coram metipſis prudentes.

Officia ſtulti & ſapientis.

Stultitiæ non infima eſt portio, proprio ſenſu abundare, ſibi placere, nolle acquieſcere, iactare ſapientiam. Sapientis autem eſt humiliter de ſe ſentire, patulas ac dociles aures accommodare, lapſus aliorum non ridere, ſed modeſte corrigere, cogitans & ſe quoque lapſum alicubi, malle diſcere quàm incerta docere.

22 Væ qui potentes ad bibendum uinum, & uiri fortes ad miſcendam ebrietatem.

Contra compotatores.

Arguit uiros, quorum omnis fortitudo non eſt ad pugnandũ cum hoſtibus, ſed cum calicibus epotandis: qui ſtrenuiſſimi quidem ſunt, ſed ad miſcendam ebrietatẽ, hoc ſolo nobiles ſi multum crapulæ & ebrietati ſeruire poſſint, nihil ſcientes, niſi ueluti porci uerſari in luto, conculcare margaritas, ad omne bonum opus inutiles.

23 Qui iuſtificatis impiũ pro muneribus, & iuſtitiam iuſtorum aufertis ab eis.

Væ etiam illis qui iuſtificant uel abſoluunt in iudicio impium propter munera, qui peſſimæ cauſæ patrociniũ adhibẽt ſi lucrum ſperant, qui non iuſtitiam zelant, ſed ſibi conſulunt, ut uincat cauſa plura donantis, & iuſtitia, hoc eſt, iuſta cauſa innocentum non attenditur, ſed deprauatur ſtudio impiorum, ut innocens cõdemnetur, et iure ſuo optimo priuetur, ſi nõ habet quod largiatur.

Contra iudices iniquos.

24 Propter hoc ſicut deuorat ſtipulam lingua ignis, & paleã flamma exurit, ſic radix eorum quaſi fauilla erit, & germẽ eorum ut puluis aſcendet. Abiecerunt enim legẽ domini exercituum, & eloquium ſancti Iſraël blaſphemauerunt.

Enumeratis labruſcis, quæ increuerunt in uinea domini ſabaoth, non modicis criminibus, & impietatibus intolerabilibus, iam exprimit quid uineæ ſuæ facturus, quali uindicta peccatis ſuæ gentis occurſurus ſit dominus. Primò quidem acri caſtigatione eam correcturus, quæ ſi pergat præuaricari & cõtemnere, ultimo ſit ſupplicio afficienda. Sicut deuorare ſolet flamma ignis ſtipulam, & paleam diſſoluit ſubito nullo labore flamma ignis: ſic facillime & ſubito improbo populo & magiſtratui mala ingruent, hæc quæ ſubnotantur. Radix inquit, eorum, ut putredo erit, ſine uigore boni fructus. Fide enim in deum ac charitate in proximum putrefactis, nulla ſpes eſt boni operis, ſed ueprium ac ſpinarum: & ſi quid forſan germinare uidebitur, ſi ſpecies legaliũ ceremoniarum per aliquos pios reges ac pontifices reſtitui cœperit, protinus cuaneſcet, & ueluti in aëra diſſoluetur. Principali enim neglecto obſeruantia decalogi, qui principaliter dicitur lex domini dei exercituum, omnia alia fruſtra conabuntur & tentabũt. Nihil enim ſine fide & obedientia legis domino placebit unquam. Non placẽt domino quæcunq; externa officia, ſi uerbũ domini blaſphemetur, ſi prophetia contemnatur.

Pœnà præmagiſtratui & populo.

25 Ideò iratus eſt furor domini in populũ ſuum, & extendit manũ ſuam ſuper eum, & percuſſit eum: & conturbati ſunt montes, & facta ſunt morticina eorum quaſi ſtercus in medio platearum. In his omnibus non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta.

Quid nu iraſcatur dominus in ſuo uerbo blaſphematus, et tantopere prouocatus? Durius autem animaduertit in populum ſuum, ſeuerius corripit exerta manu, & uehementer comminatur, ut reſipiſcãt, emendentur, et ad dominum deum ſuum conuertantur: quòd ſi renuerint, & ab impietatibus non deſiterint, horribili ueluti montium concuſſione & ira uehementi ſic illos percutiet, occidet, & exterminabit, ut cadauera illorũ in plateis urbium proſtrata reſoluenda ſint in ſtercus, & calcanda pedibus, horrendo ſpectaculo: id quod non ſemel contigit etiam regno Iudæ, maxime uerò ſub Achas, Manaſſe & Ioram. Quum tamen reuera emendati non fuerint, & à legis contemptu nõ deſiterint, niſi ad horam ſub Ezechia atq; Ioſia pijs regibus, iáq; magis ob authoritatem regis, quàm amore diuinæ legis. Ideóq; & non deſtitit manus iudicij dei et uindictæ æquiſſimæ extẽdi,

Ira dei contra inobedientes.

donec

donec calamitatibus grauioribus opprimerẽtur à Chaldæis, quos Assyriorum & Aegyptiorum illis immissa flagella emendare non poterant.

26 Et eleuabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ: & ecce festinus uelociter ueniet.

Dominus omnuno pertinacem populum cernens, tam prophetarum tempore quàm apostolorum, ea quæ hîc illis comminatur impleuit, nec cessat etiã nunc & semper minari ac percutere, suo quoq; tempore improbos Iudæos puniturus dominus: signum ueluti bellicum ædit longinquis gentibus, & ueluti sibilando conuocat ad suum opus, cui omnia seruiunt, de remotissimis terræ locis, iam Chaldæos, tunc Romanos celerrime accurrẽtes facit, sine impedimento uel difficultate sponte eidẽ obsequentes ad puniendũ populũ, qui nullis beneficijs nec persuasionibus in officio cõtineri potuit. Vtinã id quoq; non nunc fiat per Turcam, qui à domino incitatur ad uerbi sui contemptores iustissime persequendos.

Iudæi punisti à Babylonis et Romanis.

27 Non est deficiens neq; impingens in eo: non dormitabit, neq; dormiet, neq; soluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius.

Tanta animi propensione mouebitur hostis, tanta diligentia iussa summi imperatoris perficiet, ut in tanto exercitu post tanti itineris labores nemo lassus uideri uelit in expeditione, nemo impingens quomodocunq; impediri. Nõ dormient neq; dormitabunt, præ magna sollicitudine gratificandi domino, in cædem impiorum & ingratorum. Cingulum die noctuq; nõ resoluet miles in exercitu, quo minus tardetur in itinere. Nec confringetur corrigia calciamentorũ eius, prosperè illis dei nutu omnia cedent, quo sint expeditiores in opere ultionis diuinæ.

Prosperitas impiorum contra impios.

28 Sagittæ eius acutę, & omnes arcus eius extẽti. Vngulę equorũ eius ut silex reputabũtur, & rotæ eius quasi impetꝰ tempestatis.

29 rugitus eius ut leonis, rugiet ut catuli leonum: & frendet & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat.

Diligẽter propheta inculcat suis Israelitis, quàm strenui & infatigabiles futuri sint hostes ipsorum, quàm bene armis instructi, quàm auidi ad prædam, quàm crudeles & inexorabiles, acutissimis sagittis, fortissimeq; directis & arcubus extensis, equis quoq;, quorum ungulæ sint ut silices, infrangibiles scilicet, currus illorũ ueluti turbo festinent horribili sonitu & leonino terrore, crudelissimæ instar leænæ raptis suis catulis, quàm nemo tandẽ euadere possit, ut adsit perfecta desperatio, etiãsi permittatur fugere, non dabitur euadere.

30 Et sonabit super eũ in die illa sicut sonitus maris. Aspiciemus in terram, & ecce tenebrę tribulationis, & lux obtenebrata est in caligine eius.

Velut mare horribiliter fremens, & tumultu suo cuncta inuoluere gestiens: sic ueniet exercitus domini contra impios contemptores uerbi domini suorũq; pro-

phetarum, dum illos clementer mittẽs dominus, uiderit peruicaciter irrideri & persequi. Tunc ô nos miseri propheta ait, populus hic meus, & ego, cœlum aspicere non audentes, qui dominum cœli iratum reddidimus, terram despiciemus, si quo modo alicubi in ea nos occultare possimus: sed omnia tenebris obfusa uidebũtur præterrore, confusione, & præsenti angustia, cum præ desperatione maxima uelut cœlum ruiturũ timeamus, imò optemus, dum lux uertetur in tenebras: ueluti quum horribilis pluuia ut diluuiũ ingerenda, omniaq; obruitura formidatur, sic ineffabili angustia terrebuntur à domino, qui placidum rorem sermonum illius & stillas gratiæ propheticæ susципere recusarunt. Is finis ultimus manet impios contemptores præceptorũ dei. Et hic primæ orationis propheticæ finis, in qua uoluit Esaias hortari Iudæos, ut à peccatis desisterent, ad pietatem redirent, uel metu suppliciorum grauissimorum. Vnde & tragica in primis exclamatione orditur, obijcit beneficia, tollit excusationes, ostendit crimina, subdit pœnã, spem inserit de futuro in regno Messiæ, taxat subinde oscitantiam Iudaicam, dum uocandos gentiles ad dei cultum, tanta alacritate aduolaturos prædicit. Vnde & transit consequenter ad uituperationem Iudæorum, imporans crimina, denuo denuntians pœnã. Remouet deinde fiduciam seminis, & promissionum dei, ostendit delectos quidem à deo ex gratia, sed pro ingratitudine reijciendos, ut malos uinitores. Subnectit flagitia per epilogũ: & tertiò uindictam prædicit, quo sint magis attenti ad pœnitentiam non negligendam.

Iudicium Dei quale impios manet.

Orationis primæ finis cũ epilogo.

¶CAPVT VI.

1 IN ano quo mortuus est rex Ozias, uidi dominũ sedentẽ super solium excelsum et eleuatum: & syrmata eius replebãt templum.

Quanto simplitius scripturas tractamus, tanto tutius ac uerius. Est enim cognata ueritati simplicitas. Nõ hic scribitur ut alibi, Et factum est post mortem regis, &c. Sed, In anno mortis Oziæ, qui & Azarias, siue dum ob temeritatis peccatum lepra affectus regnum posuit, ut Iudæi post Ionathan Syrum sentiunt, siue dum esset moriturus eodem anno, sub quo & Esaias prophetare orsus est, iuxta libri titulum, etiamsi unam tantũ dixisset prophetiam, quia tamen principalis erat, & authoritatem dedit sequentibus, digne sub Ozia prophetasse dicitur. Videtur enim hæc uisio præambula fuisse tã sequẽti prophetiæ de Iudaicæ captiuitatis uindicta, quàm alijs omnibus, tam à principio libri ordinatis, quàm alijs scribendis omnibus. Prædicaturus enim pœnitẽtiam, in primis sicut Ionas prædicere debebat Babylonicum exiliũ, cui quũ in tam corrupto sæculo uix aliquis credidisset, prouidentia dei uocatus est, & uocationi signum, & egregia uisio coniuncta est, qua non tam rex & populus certificatus est de prophetico ueraciq; spiritu locuturo, quàm ipsemet Esaias, quo constantior obiret prophetale munus, sicut & Ieremiæ prophetæ, Mosi & Ezechieli à principio uocationis uisiones contigerunt.

Oratio secunda prophetæ.

Prophetæ uocatio.

Verum de ordine hoc, nolo contentionis funem trahere, sicut & circa alia omnia suus cuiq; sensus spiritui sancto permittitur. Sic autem uidit Esaias, non tantũ in somnis, quod non tacuisset, sed prophetico aliquo spectro, sensu humano apparuit ei Dominus: qui licet hìc non יהוה sed אדני scribatur, intelligitur tamẽ uidisse ueluti potentißimum aliquem dominum ac regem, clamyde uel paludamento glorioso magnificoq; indutum, sedẽtem quasi pro imperatoria maiestate sua in throno regni excelso, glorioso, ornatißimoq;, pleno maiestate indicibili, cuius uel fimbriæ uel syrmata, imò splendor gloriæ desubtus apparens, & quicquid ad ornatum spectabat, implebãt totum illud palatium, templum, uel basilicam. Nihil est enim toto in mundo (qui regia quædam est & palatium diuinitatis) ubi gloria omnipotentis non resplendeat, ubi desit uestigium perfectionis diuinæ, unde uirtutis dei gloria non reluceat.

Diuina maiestas proponitur mortalibus

2 Seraphim stabant super illud (uel desuper eum) sex alæ, sex alæ uni. Duabus uelabat faciem eius, & duabus uelabat pedes eius, & duabus uolabat

Angeli deo assistentes.

Nõ unus nec duo, sed multi Seraphim, angelicæ creaturæ, tanquã unius solius mundi totius monarchæ astabant tanquam seruuli, de quibus in prophetica uisione Michææ, & Danielis. Sic autem astabant, ut undiq; adessent supernè & ad latus, pro more regum magnorum inter homines, ad quorum capacitatem dominus attemperat uisiones suas. Quorum Seraphim singuli habebant senas alas. Sic enim & in sancto sanctorum imaginibus angeli figurati sunt, tamen duabus tantum alis ad gloriam maiestatis diuinæ, quæ super propitiatorio residere credi uoluit, & apparere suo modo dignata est.

Alæ sex ad quid dispositæ.

Sic autem alæ istæ sex hic positæ uidebantur, ut duabus tegerent suas facies, ueluti gloriam diuinæ maiestatis cum reuerentia uix aspicere audentes, & minime capientes: duabus alijs ne uiderentur passim ab hominibus, pedes, hoc est, inferiora staturæ suæ uersus pedes declinando operiebantur: reliquis duabus uolabant, promptißime diuinum imperium ad homines expleturi. Talis erat rerum uisio, qua significabatur spiritualium rerum uis & nobilitas, diuinitas ipsa incomprehensibilis maiestatis & spiritualium naturarum, non tam substantiæ quàm officium: uis omnia cognoscendi in capite alis inuoluto, sed imperfecte dei maiestatem: sedulum ministeriũ ad gloriam dei & salutem electorum, in alatis pedibus. Volatu autem alarum discursus signabatur celerrimus, ad iussa dei perficienda.

3 & clamabat alter ad alterum, & dicebat, Sanctus sanctus sanctus dominus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.

Confessio maiestatis diuinæ.

Mutuum sese singuli hortabantur (hoc est enim unũ locutum fuisse ad alterum) & prouocabant ad laudandum & admirandum potentiam, bonitatem, ac sanctitatem diuinæ maiestatis, in cuius manu sunt omnia. Ter sanctus clamitant, patri, filio, & spiritui sancto, ei, qui est, fuit & erit æternus. Dominus est enim omnium quæ sunt in terra, cœlis, & supercœlestibus, omnipotentiæ, sapientiæ, & bonitatis infinitæ, quæ sunt sua sanctitas inexplicabilis: quæ etiam inexplicabilitas significari potest per trinum eiusdem nominis clamorẽ, nõ sufficiente binario. Dominus exercituum, imperator summus & omnipotens, angelorum, astrorum ac hominum, & inuincibilis rex omnis uirtutis creatæ, siquidẽ illius quum sit author & artifex. Quid enim maius de domino dici potest, quàm magnorum omnium maximum, & bonorum optimũ? Plena est omnis terra gloria eius, operum uirtutis illius agnitoribus, & cultoribus bonitatis eius. Signatum est enim super homines lumen uultus illius, cuius sapientiam bonitatemq; clamant ac testantur omnia quæ sunt iuxta terram, quam creauit propter homines, & cœlestia propter utrunq;: hoc est aũt plenam esse domum domini fimbrijs gloriæ illius, cuius maiestas omnia permeat, fitq; cõspicua electis per omnia. Tanta apparebat maiestas domini dei, quæ prophetã ad uerbi sui ministerium uocare uolebat, & assecurare quo certius et sedulo magis incumberet, et attentius audiretur.

4 Et cõmota sunt superliminaria postiũ à uoce clamãtis, et domus impleta est fumo.

Timor necessarius.

Quoties priori populo uel ipsorum prophetis dominus apparet, ut uerbũ suum prædicent iniuncturus, toties cum tremore, terrore, fumo, & horribili spectro utitur, præscius necessarium timorem esse rebelli populo, & uerbum domini perpetuò cõtemnenti. Quem & hic propheta iubetur de incredulitate corrigere, sicut & Moses moriturus, quem & sonora ac horribili concußione postiũ et liminis, cum omnimoda peruasione fumi in domum ostendere uolebat. Prædictio ergo futuræ & instantis excæcationis, & indurationis in Iudaico populo dignè præexigebat concußionem horridam, & obscurißimum fumum, sicut Euãgelij ortus à cantu angelorum, & immenso lumine, pacem denuntiantiũ, & ab infante clemẽtißimo auspicabatur, et morte pro inimicis sponte perlata post maxima beneficia compleba-
tur: ubi omnia benignitatis ac amoris exhibebantur signa, hic autem omnia timoris & maiestatis plena sunt.

5 Et dixi, Væ mihi, quia tacui, quia uir pollutus labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habẽtis ego habito, quia regem dominũ exercituũ uiderũt oculi mei.

Conscientiæ compunctio.

Quomodo nõ reuereretur & timeret propheta insolitam tantæ maiestatis apparitionem? cui ut omnibus electis, quoties uel terror comminationis uel beneficiũ insolitum à deo contigerit, in primis conscientiam occupat indignitas propriæ fragilitatis, peccatorũ reatus ac uindictæ pauor, nunquam autem præsumptio iusticiæ, quam sancti non sibi tribuunt, sed spiritum tribulatum & contritum, trementem ad sermones diuinos, domino ante omnia sacrificant: fiunt enim attoniti & cunctabundi, ueluti nescientes quid respondeant tantæ dignationi. Et hic propheta ad uerbum domini sese indignum clamat, quia labijs sit immũdis, in uerbis offendere assuetus, & particeps criminum populi, quæ hactenus ut nõ ignorata, tamen pusillitate cordis corrigere non ausus fuerat, nondum propheticæ constantiæ spiritu imbutus.

Prophetæ nõ sunt peccato.

Viderat

Viderat enim tam in populo quàm regibus ſuæ gentis non pauca nec parua peccata cõtra deum & legẽ, quæ non taxauerat, hæc illi nunc iniquitas conſcientiam inquietabat. Non ut Iudæi mentiuntur, quia gentem ſuam accuſaſſet impuritatis labiorum, & quia regem domum gloriæ uidiſſe, ſemper inter homines mortale habebatur, quoties ſcilicet angelus quiſpiam apparuiſſet, ut ex ſcripturis liquet.

6 Et uolauit ad me unus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.

Declarauit Seraph officiũ & opus ſuum, qui nondũ uerbotim iuſſus, domini uoluntatẽ nutu tantũ agnatam ſtatim exequitur, idq; adhibito ſacramẽto igniti carbonis, tactu ad labia ſignificando purificationẽ labiorum, quorũ cauſatus fuerat impuritatẽ. Solius quidẽ domini eſt peccata indulgere, ſignorũ tamen exhibitio pertinet ad dei miniſtros, per quos ſuos dominus cõſolatur, erigit ac cõfortat. Calculus aũt ignitus ſignat eloquiũ domini zeloſum, feruensq; deſyderiũ benefaciendi fidelibus, & uerbum correptionis ad exurenda uitia ſuæ gentis, quæ nõ naturali uirtute, ſed diuini muneris beneficio dimittũtur: uerba ſcilicet dei, animorumq; illuſtrationes, & fidei charitatisq; feruor de ara domini accipiuntur per ſpiritũ ſanctũ: qui prout uult largitur omnia, non tamen omnibus. Hæc autẽ ara domini, uerbum dei eſt, & theſaurus gratiarũ omniũ in Chriſto domino. Cuius ſolius meritis proficimus per chariſmata gratiarũ, ad eccleſiæ iuſtificationem & profectus.

Indulgentia peccatorũ unde.

7 Et tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferet iniquitatẽ tuam, & peccatum tuum mundabitur.

Sacramentum prophe ticum.

Sacramenti uice tangit angelus miniſter dei calculo labia prophetæ, quum interim gratia dei peccata remittit labiorum, ſpiritusq; diuinus mentem imbuit ad uerbum domini ſuſcipiendũ, & magnanimiter prædicandũ regibus & gẽtibus. Recedere uerò iniquitatẽ, & propitiari peccatũ, idem ſunt, ſcilicet non imputari à deo, & charitate contegi, deſidiam cordis, & timorem periculorum ob ueritatem prædicandã eximere, zelumq; gloriæ diuinæ amplecti.

8 Et audiui uocem domini dicẽtis, Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi, Ecce ego, mitte me.

Miſſio prophetica.

Satis hic indicatur primam hanc fuiſſe uiſionẽ, quia quærebatur quiſpiã mittendus ad populũ corripiendũ, qui ſi antea aliquoties in hoc miniſtraſſet, uidetur non neceſſaria fuiſſe tanta inquiſitio. Et quũ ſe ſolum adeſſe uideret ex hominibus uiſioni, affectũ gratificãdi domino, iam ſancto ignitus deſyderio prædicandi, aliũ expectare non potuit. Non eſt enim otioſa ſpiritus ſancti datio, magna operatur ſi adſit, & ſine cunctatione ſanctè præcurrit qui charitatis ardore inſtigatur, nec temeritatis eſt, ſed ſancti zeli, & feruidæ charitatis. Qui hoc modo epiſcopatum deſyderat, opus ſanctum deſyderat. Satis miſſus intelligitur, qui neceſsitate perſpecta ſalutandarum animarũ & gloriæ dei uindicandæ certò no

uit ſe gratiã proficiendi accepiſſe à domino, ut hic propheta iam calculo tactus. Quis ibit nobis? Locutio eſt familiaris deo, nõ ſine cauſa pluratiuo numero, ut & in creationis hominis inſtituto, in quo diuinitatis non erat hominum opinioni ſubindicanda pluralitas, ſicut & in nomine אלהים, niſi in diuinis nonnulla locũ haberet pluralitas, perſonarũ ſcilicet (nam aliud aptius nomen nõ occurrebat ſanctis) minimè deitatis uel naturæ. Simpliciter tamen uox dei intelligi poteſt cum aſtãtibus ueluti miniſtris angelis deliberãtis de propheta mittẽdo.

Pluratiuus numerus, deo.

9 Et dixit, Vade, & dices populo huic, Audite audiẽdo, & nolite intelligere: & uidete uidendo, & nolite cognoſcere.

Prophetarum prouincia difficilis.

Difficilis prouincia prophetarũ, officium multis obiectum miſerijs, quibus iniungitur à domino, ut etiã rebelles, peruicaces, & acquieſcere nolẽtes alloquãtur, & duriter. Plena hic ſunt omnia furoris diuini, ueluti poſt tandiu expectatam pœnitentiã & emendationẽ, cum omnino cõtemnendo deum & illius prophetas omnes, ſemper procederẽt in malo, mittitur illis propheta qui iuſtã ſeueramq; ſententiã paucis uerbis exponat. Nõ dignatur eos nomine populi ſui, & hæreditatis peculiaris ut antea ſæpe, ſed contemptim iubet ut eat ad populum iſtum: quaſi dicat, Non amplius meũ quia impium. Audite audiẽdo, ſed nõ intelligetis. Audiſtis crebro uerbũ domini ex prophetarum ore, ſed attendere non uultis, ideoq; non intelligetis, uel periculũ ueſtrũ, uel furorem diuinum, iuſtumq; uobis impẽdens iudiciũ. Vidiſtis tam beneficia dei quàm portenta, quibus ad ſe uos uocare non ceſſat, ſed nihil attenditis.

10 Incraſſa cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte uideat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.

Ingratitudo populi contra uerbum dei.

Craſſum eſt numis & ſtolidũ cor populi huius, ut pinguiter & difficulter intelligat iuſtitias domini, & ſuas præuaricationes. Aures ſuas tantopere inexorabiles habent, & cõtumaciter uerbum domini audire recuſant. Oculos quoque eius perſtringes & uelut luto oblimes, tanto magis quanto diligentius illuminare, docere, & admonere tentaueris. Contumaciam eius augebis, ſi, ut debes, uerbum illis ueritatis obfũderis. Iam enim ſemel decretũ eſt, ut quandoquidẽ ſemper rebelles fuerũt ſpiritui ſancto, & ſanctos quoſq; iudices prophetas & reges audire cõtempſerũt ad præſens uſq;, deinceps uerba quoq; tua nõ ſint audituri, manifeſta etiam ſigna uoluntatis meæ & periculorũ ſuorũ illis imminentiũ, non ſint intuituri: minimeq; reſipiſcere poterunt iam iudicati, ut omni poſthac remedio ſint indigni, & recuperandæ ſanitatis prorſus imperceptibiles. Talis eſt enim hæc natio, ut ingratitudine, peruicatia, contemptuq; atroci in me eorũ patrem & dominũ, abijci in totũ demeruerint, & ſine omni clementia damnandi ſint.

11 Et dixi, Vſquequo dñe? Et dixit, Donec deſolent ciuitates abſq; habitatore, & domus ſine hoĩe: & terra relinquet deſerta,

Non audet Propheta orare pro populo, sententiam fixam à domino intelligens, sed suppliciter inquirit si ali quando finis malorũ sperandus sit, & quãdo ira domini cessatura, suppliciorũ quoq; mẽsura quousq; porrigenda. Et respondit Prophetæ dominus, more iustissimi iudicis. Nõ cessabo, inquit, adfligere, & calamitatibus opprimere eos, donec nulla illis ciuitas relinquatur in tota terra, inhabitator quoq; nullus, omnibus illorũ uastatis domibus, ut eas ne unus quidem ex eis homo inhabitare possit tota illa eorũ terra desolata. Tandiu durabit eorum malitia, ut nulla spes reliqua sit emendationis uitæ, donec in totum cum terra perierint.

12 & lõgè faciet dominus homines, & multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ.

Terra Israel derelicta.

Nec transferetur hic infelix populus ad uicinas gentes, sed ad ualde remotas eijcietur, & incognitas nationes. Insolita, admirabilis & grãdis in tota hac terra erit derelictio, ut in solitudinem redigatur propter peccata eorum, quæ fuerat omnium populosissima, & præ cunctis reliquis terris egregia. Talis autẽ iam à mille quingẽtis annis squalida iacere uisitur ab omnibus gẽtibus, è toto orbe illam lustrantibus.

13 Et adhuc in ea decimatio, & cõuertetur: & erit in exustionem, sicut terebinthus, & sicut quercus quæ abijcit fructus suos. Semen sanctum erit quod steterit in ea.

Semen sanctum nõ cessat.

Veruntamen adhuc in ea decimatio relinquetur, ex multis paucissimi, ueluti decimus quisq;, in quibus diuinæ promissiones sanctis patribus factæ confirmabuntur & complebuntur. Erit enim in illis conuersio scilicet ad dominum, ac pietatis studium aliquod insigne in paucis residuis. Et erit in purgationem: hoc enim pacto purgabitur hic populus, ut pessimi abiciantur, & optimi conseruentur. Quin etiam sicut quercus & terebinthus fructus suos sic proijciunt, ut tamen supersit racematio, & parum aliquid relinquatur in eis uel paucissimus fructus: sic semen sanctũ, Messiæ scilicet propagatio, & genealogia cum paucis electis ex Iudæorum gente apostolis & apostolicis uiris, quorum aliqui dei gratiam agnoscent, ij, ueluti paruus sed sanctus fructus, de illo populo reliqui erunt, omnibus alijs abiectis, & iusto dei iudicio cõdemnatis. Hæc summa totius propheticæ uisionis, abiectio contumacis synagogæ, & electio ac sanctificatio noua ecclesiæ, quæ è sancto semine enata est, & in fines orbis terrarũ diffusa apparet, intuentibus, non cæcis & inuidia deprauatis Iudæis, in deum suum & in gentium salutem nihil propensis.

¶ CAPVT VII.

1 ET factũ est in diebus Achaz filij Iotham, filij Oziæ regis Iuda, ascẽdit Rasin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Israël, in Ierusalem, ad præliandum contra eam: & non potuit debellare eam.

Malitia Achas regis.

Achas rex Iuda, omnium qui præcesserant pessimus, clausit ianuas templi, idola adorauit, filium suum consecrauit idolo Moloch, aram æneam fecit loco: aram externu cultus, cuius figuram in Damasco uiderat, intra templum extrui fecit, sub quo & Iudas grauissimas strages pertulit, ut habetur ultimo Regũ 14. & 2. Paral. 28. bonorum patrũ genitoris & aui impia proles, sicut & optimi filij pater factus est. Bis enim uastatũ est regnũ Iuda sub Achas, semel à rege Syriæ Cœles, in Damasco metropoli regnante Razin. Deinde rex Israël Phacee maximum numerũ bellatorum occidit de regno Iuda, ac multò plures cepit utriusq; sexus & ætatis: uolebantq; Hierosolymam cepisse, & deleuisse regnum, sed nõ potuerunt, domino nolente, ob memoriã Dauidis, & probitatem tam Oziæ quàm Iotham.

2 Et nuntiatum est domui Dauid, dicẽdo, Requieuit Syria super Ephráim, & cõmotum est cor eius, & cor populi eius: sicut mouentur ligna syluæ à facie uenti.

Intra regium palatium, in quo posteritas Dauidis regnabat, nuntiatum est, nimirum regi Achas, qui ob nimiam malitiam non hic nominatur, quod rex Syriæ & Israël fœdera iunxissent, & concordi uoto animarẽtur contra Achas bellumq; meditarentur, qui hactenus dissentientes, minus ei poterant nocuisse. Nunc uerò cõspiratione sua maximè perterruerũt Achas regem, & populum totum, ut præ formidine subsistere non possent, sed ut arborum folia agitabãtur trepidatione, seseq; paruidi perturbabant & tremebant.

3 ¶ Et dixit dominus ad Isaiam, Egredere in occursum Achaz, tu, & Saariasub filius tuus, ad extremum ascensus piscinæ superioris ad uiam agri fullonis,

Prophetæ patientia & diligentia.

Non mirabile est impios & dei proditores turbari: sed tam impiũ regem & regnum diuinitus consolari & adiuuari, inæstimabilis clementiæ dei indiciũ est. Esaias denicq; sanctus propheta cum pijs alijs multis in populo patienter fert impij regis imperium, exhortationibus mutuis & orationibus ad dominũ semper intentus, interim quoq; cõtentus. Qui & iubetur à domino occurrere regi, iuxta piscinæ superioris ascensum uel gradus casu aliquo transeuntis, idq; non sine testimonio socij fidelis, siue is uerè filius prophetæ fuerit, siue discipulus, cuius nomen non sine causa adsignatur Sariasub, ipsum timore aliquatenus leuaturus, si tamen crederet prophetæ uerbis, & domino gloriã daret rex impius. Idq; fit eo loci, ubi postea Rabsaces confundendus erat domini blasphemator.

4 & dices ad eum, Obserua te & fileas: noli timere, & cor tuũ ne formidet à duabus caudis titionum fumigantiũ istorũ in ira furoris Rasin & Syriæ, & filij Romeliæ:

Serua teipsum à prælio concitando, & quiesce, nec timeas regum illorum conspirationem contra te, non collabascat cor tuũ, propter eos qui nihil aliud sunt, quàm titiones quidam & torres, quibus uastationes horribiles exercentur, sed fumare tantũ incipiunt, & statim desinent posse cuipiam nocere, prope interitum sunt, non nisi minas possunt: quorum Rasin rex Syriæ occi-

sus

ſus eſt, captus in Sirenen, Samariæ uerò rex Phacee in Medos à regibus Aſſyriorum translatus, ſub Achas & Ezechia. Sic utrunque regnum finitum eſt, & titiones extincti fumare deſierunt.

5 eò quòd conſilium inierit contra te Syria in malum, Ephráim, & filius Romeliæ, dicentes,

6 Aſcẽdamus in Iudã, & ſuſcitemus eum, & auellamus eum ad nos, & ponamus regem in medio eius filium Tabeel.

Conſilio furorem iunxerunt duo reges, Syriæ & Iſraëlis, hoc eſt Ephraim, contra regnum Iudæ: ideo non proceſſit inſtitutum. Iactabant ſe aſcenſuros montana Iudæ ac Hieroſolymam pariter capiendam, regnum diuidendum ſibi, & pro uoto ſuo regem aliquẽ præficiendum ex ſe, qui ipſis placuiſſet. Tabeel quidam putant idolum fuiſſe, alij ſtrenuũ aliquem Samaritam: non credentes dominum eſſe rerum omnium gubernatorem, cuius ſolius eſt regna mutare cum regibus, qui ſolus uictoriarum eſt largitor.

7 ¶ Hæc dicit dominus deus, Non ſtabit,

8 & non erit:

Sed caput Syriæ Damaſcus, & caput Damaſci Raſin. Et adhuc ſexaginta & quinq; anni, & deſinet Ephráim eſſe populus,

Certò promittit dominus ſe conſilia regum diſſipaturum, ut cohibenda ſint ipſorum regna intra ſua pomeria: ſtultam eſſe impiorum confidentiam, non ſint nouas metropoles habituri, ſed & non poſt longum tempus utrunque expiraturum, ſicut & iam ante Amoz Propheta prædixit utrunque regnum deſtruendum, tam Syriæ quàm Samariæ. A qua prophetia uſque ad ipſorum regnorum finem ſexagintaquinque anni computandi eſſent, uſque ſcilicet ad ſextum Ezechiæ annum, in quo Iſraëlis regnum ceſſauit, ſicut & iam ante Syriæ. A quo tempore regnum Ephraim irreparabiliter deletum eſt, & populus diſperſus in exilium, ne ſit nominatus in populis, ſed ſeruorum more paſſim diſperſus & oppreſſus.

9 & caput Ephraim Samaria, & caput Samariæ filius Romeliæ. Si nõ crediderit, non permanebitis.

Interim bono animo rex Achas eſſe iubetur, quia inquit, caput regni Iſraëlitici nõ Hieroſolyma erit capta, ſed ſuo tempore capienda Samaria, cui nõ alius interim præcrit, quàm Phacee filius Romeliæ, Achas tempore. Nam poſt eundem regnauit nouem tantũ annis Hoſeas filius Ela, ſubditus tamen & tributarius regi Aſſyriorum. Conſolatione itaque finita ad regem, propheta ſubiungit hortando, ut credat promiſſionibus diuinis. Alioqui, ſi inquit, non crediderit uerbo domini, & in perfidia ueſtra perſeuerabitis, certè nec uos quoq; ipſi firmi manebitis, ſed domino non credentes, illius auxilio protectioneq; deſtituemini. Nihil enim æquè offendit bonitatẽ dei, ut ſi illi fidere, & ex illa pendere non audeamus, uel non uelimus.

10 ¶ Et adiecit dominus loqui ad Achaz, dicens:

11 Pete tibi ſignum à domino deo tuo in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra.

Cum impius Achas conſolari non ſatis uellet, ſed pro auxilio ad regem Aſſyriorum maximis muneribus honorandum mittere nuntios ſtatuiſſet, quod & fecit contra regem & regnum Iſraëlis & Syriæ, qui cõſpiraſſe dicebantur, quo minor eſſet perfidiæ excuſatio, maiorq; peruerſitas proderetur, ſecundo per prophetam Eſaiam regi loquitur dominus, dicendo: Si nondũ ſperare potes promiſſam redemptionem regni tui à domino, nec fidem adhibere uerbis domini, Poſtula ab eo ſignum aliquod, ſupra naturalem curſum rerum, ſiue in cœli excelſo, ſiue deſubtus ſuper terram, ut quum uideris potentiam dei, credas & promiſſorum ſuorum certitudinem, ipſumq; dominum deum tuum, uel miraculo cognitum, poſthac colas, & credas exemplo Moſis, Ioſue & Gedeonis.

12 Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo dominum.

More omnium impiorum, perfidiæ ac cõtemptus ſui in deum, quem ſemel abiecerat, cuius gloriam nihil curabat, cuius bonitatem & omnipotentiam non credebat, ſed gentilium ſacrilegijs delectabatur, prætexit honeſtam excuſationem, quaſi nolens tentare dominum non petat, cum re uera domino fidere nollet, ſed ſemel inſtitutum impij regis auxilium implorare malebat. Prætextus erat deſperatio, ſuperbia & temeritas: non à domino, ſed carneo brachio pendens in contumeliam domini dei Iſraëlis, qui ſibi cõfidentes reges pios ac populos nunquam deſeruerat, ſed glorioſe ac miraculoſe adiuuerat ſemper.

13 Et dixit: Audite ergo domus Dauid, Nunquid parũ uobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & deo meo?

Aggreditur propius ſanctus propheta conſcientiam ſcelerati tyranni, & huius aſſentatores impios, & eorum ſacrilegam deſperationem uerbiq; prophetici & prophetarum domini contemptum, Audite, inquit, ô illegitima progenies, & degener proſapia domus Dauid, non mirãda nunc eſt ueſtra impietas, qua ſemper prophetis domini negotium faceſcitis, & uſq; ad ipſorum occiſionẽ perſequimini & moleſtatis, qui nunc audetis ultrò uobis indignis oblata beneficia reſpuere & abominari, irritareq; perfidioſa blaſphemia beneficentiam & ſummam clementiã domini dei ueſtri, patrumq; ueſtrorũ. Quid enim indignius deſignari poteſt in deum, quàm gratiæ ſuæ promiſſionem, ſigno gloriæ ſuæ comprobandam & conteſtandam, nolle oblatam ſuſcipere: ſed dominum ipſum ueluti cum ſuis beneficijs contemnere, uerbis ac operibus refutare?

14 Propter hoc dabit dominus ipſe uobis ſignum, Ecce uirgo concipiet & pariet (uel ecce uirgo grauida & pariens) filium, & uocabit (ipſa) nomen eius Emanuel.

15 Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum.

16 Quia antequam sciet puer reprobare malum & eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris, à facie duorũ regum suorum.

Sensus scripturæ duplex.

Non rarum est in sacris scripturis sententias orationis unius dupliciter intẽdi. Quum scilicet de Salomone uerè dicitur, Ipse mihi erit in filium: uerißimè autem de Meßia scribitur, de Cyro similiter, Dauide, Isaac, & cæteris multis similia, hoc ipsum tam ab Hebræis quàm Christianis necessariò admittitur. Sic hoc loco sine dubio spiritus prophetalis mysteriũ incarnationis sic uoluit indicare, maximũ miraculorũ ac signorũ dei ad homines, ut tamen eadem uerba historiæ sacræ quæ tractatur, per omnia consonent & inseruiant. Vidit sine dubio spiritus Euangelistæ Matthæi, quo scriptum est sacrosanctũ Euangeliũ, beatißimã uirginem deiparã eam esse, de qua sine uirili semine, spiritu sancto obumbrãte, generatus esset Meßias ac Christus dominꝰ, quem ipsa, monita à domino per angeliũ, non alio nomine appellare deberet, quàm saluatorẽ populi sui ab omnibus peccatis, qui & in terris uidendus, & cum hominibus cõuersaturus, uerißimè Emanuel, hoc est, nobiscũ deus, diceretur & esset. Quid est enim aliud, Verbũ caro factũ, quàm nobiscum deus? Quid aliud unicus humanæ miseriæ medicus & saluator, quàm Immanuel? Quid aliud, deum patrem, omniũ creatorem, unicum filium dedisse fidelibus ad satisfactionem pro peccatis mundi, quàm deus nobiscum? Deniq; butyrum & mel comedet, qui nobiscũ est deus, quia absq; peccato carnem ueram habuit, & simplici cibo & mundo ueram humanitatem ostendit: in qua nõ ex æquo bonũ scire uoluit & malũ, sicut uetus Adam, sed sic bonũ eligere cognouit, ut malum abominari & odire cogeretur, uellet ac nosset. Huc usque Matthæi spiritus & sancti ueteres hunc locum intellexerunt, & hodie omnes fideles hunc inde sensum intelligunt & amplectũtur. Quem sensum nequaquam Achas cum complicibus capere potuit, neque debuit, impijßimus & sacrilegus nebulo, nec diuinus spiritus sanctusq; propheta huius mysterij margaritam ante porcum proijcere uoluisset: Sed alium interim sensum, eisdem uerbis ipsis dignum, & non inutilem, si uoluissent ædit, uerbis prophetico nihilominus sale conditis. Quasi diceret, Nihil de domino deo tuo dignũ speras, cui per omnia obstrepis, qui tamen ob promißiones Dauidi factas, sic eximet statim suum populum, & te, quantumlibet peßimum: ut quæ hodie uirgo est, propediem conceptura sit, & filium paritura, qui & nomen habiturus sit Immanuel, in signum proximæ ingruentis redemptionis uestræ, ab his duobus tam regnis quàm regibus: quandoquidem auxilio suo & gratia sic nobiscum futurus sit, ut nihil timeamus homines, si dominus nobiscũ & pro nobis adstiterit. Deniq; uix à lacte ablactandi tempus appetet, ut melle & butyro illi uesci libeat, nec expectabitur tempus adolescentiæ, quo discernendi bonum à malo perfecta uel sufficiens

Emanuel quare dictus.

cognitio adsit: hoc est, dum adhuc puer fuerit proximo generandus, antequam discretionis annos attigerit, scilicet post annos non adeò multos, exonerabitur terra utriusq; regni, tam Syriæ quàm Ephraim uel Israëlis à suis impijs regibus, & iniquo populo, quas tu quoq; licet impius detestaris, & uelles deletas cũ suis regibus, contra quos auxilium Assyrij regis imploras, & munera bis ambis, cum has sine domino deo nostro nemo uincere uel eliminare posßit, in cuius manu sunt omnia iura regnorũ, cuius tu gratiam minoris æstimas, quàm regis Assyriorum, qui regni tui suo tempore uastator erit. Discendũ interim hoc loco, oblata à domino beneficia grato animo deuoteq; amplecti, de deo religiose sentire, eius uerbũ audire diligẽter, prophetas non molestia afficere, ecclesiæ fidelibus filijs secundũ nomen Emanuel, dominum non abesse, simpliciter uiuere & innocẽter, auersari malum, eligere bonum, aduersarios fideliũ, non solum non prosperari, sed eliminari, impios non timere quo minus domino obsequi cupiamus ac studeamus.

Discendũ hoc loco

17 Adducet dñs super te, & super populũ tuũ, & super domũ patris tui dies, qui non uenerunt à diebus separationis Ephraim à Iuda ipsum regem Assyriorum.

Ab his quidem regibus duobus non timeas ultra, sed quia impius es, & in infidelitate procedens, spreto domini auxilio, ac Assyriorũ regẽ accersens, scito futurũ, ut iudicio diuino maiora sis mala passurus à rege Assyrio, quàm pertulisti à Syro & Samaria. Tu inquit, hoc est, regnũ tuũ, iam sensisti mala, populusq; tuus occisus est & captus, sed et familia tua, posteri scilicet tui, Ezechias, Iosias, & filij illorũ, tam calamitosa tempora sentietis, cõtinuis inuasionibus Assyriorũ, Aegyptiorum, Chaldæorũ & aliorũ, ut similia incõmoda hic populus nunquam senserit, à tempore quo sub Roboam & Ieroboam diuisus est Israël in duo regna. Semper enim missos domini prophetas, & uerbũ domini cõtempserunt, ut tandem eliminari sua pertinatia meruerint. Tantopere q; populus deprauatus est, ut etiam boni reges, sancta tentantes proficere non potuerint.

18 ¶ Et erit in die illa: fibilabit dominus muscæ, quæ est in extremo fluminũ Aegypti, & api, quæ est in terra Assur:

19 & uenient, & requiescent omnes in torrentibus solitudinũ & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in uniuersis foraminibus.

Non semel nec unica prophetia, Esaias, sed sæpe & multis prædixit uenturum Iudæis excidium, quæ omnes in hunc librum insertæ, unum sæpe argumentũ lectori fideli adferunt, nunc obscurius ac breuius, nunc clarius & explicatius, ut moris est futura prænunciantibus. Non sola uoluntate humana hostes ingruũt, sed prouocati à domino, & ueluti cum sibilo conuocantur ut pulli animalium, idq; maxima multitudine, ut muscæ humum operientes, quibus Aegyptij indicantur, à quibus Iosias occisus, & filius eius in Aegyptum ductus: & apes Assyrij, Teglatphalassar primus, deinde Salmana

Excidia Iudæis sæpe uenturum

zar

rar, & tandem bis Nabuchodnezer. Omnes hi semper innumerabili exercitu Iudam uastauerũt. Intima uallium, foramina petrarum: omnes scilicet uillas, oppida, urbes, arces, suburbana, nihil integrũ relinquendo, donec tota redigeretur in solitudinem. Sic rependit iustitia dei spretam clementiam tanto tempore.

20 In die illa radet dominus in nouacula conducta in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput et pilos pedum, & etiam barbam adimet.

Secundo comminatur excidium Iudaici regni à domino constitutum, per exercitum Chaldaicum, qui instar nouaculæ acutæ non solum nihil pilorum relinquit, sed etiam ad sanguinis elicitationem, austere ueluti imebriatur: uel ad id studiose committendum, mercede conducitur de Chaldæa transfluuiana Assyriorum prouincia, ut nihil reliquum faciat, nec regem caput, nec principes uel senatores barbam, sed nec artifices, nec agricolas, quin omnia auferantur, & prouincia redigatur in solitudinem propter inobedientiam ac uerbi dei contemptum.

21 ¶ Et erit in die illa: nutriet homo uaccam boum, & duas oues,

22 & præ ubertate conficiendi lactis comedet butyrum, butyrum enim & mel manducabit omnis qui relictus fuerit in medio terræ.

Post regnum Iudaicum ablatum, & uastatam regionem, tanta erit rerum penuria, ut qui prius agrum agro copulabat, uix nũc uaccam unam sit habiturus, uix singulas ouiculas, qui inter eos primus fuerit. Pinguia tamen pascua erunt, & sufficientia ob raritatem, unde & in carẽtia tam panis quàm uini, lacte & butyro sese sustentare possint in solitudine, non sine magno labore.

23 Et erit in die illa: omnis locus ubi fuerint mille uites, mille argenteis, in spinas uepres erit.

24 Cum sagittis & arcu ingredietur illuc. Vepres enim, & spinæ erit uniuersa terra.

Vbi ebrietatibus à mane ad uesperã uacabãt antea, sine timore dei, beneficijs dei abusi, ibi tunc preciosæ uites redigentur in uepres ac spinas, uimeis syluescentibus et extirpatis, terra inculta, desolata, & à feris erit occupata tanta frequentia, ut loca agrorum quondam, ingressuri modo, non nisi cum sagittis & armis metu ferarum ingredi audeant, uicem domino tantis dignam criminibus rependente.

25 Et omnes montes qui in sarculo sarrientur, nõ ueniet illuc terror spinarum & ueprium, & erit in pascua bouis, & in conculcationem pecoris.

Homines relictis campestribus metu hostium ad montana confugient, manibus suis ægrè sarculo aspera montium excolendo, tanto tutiores, quanto difficilius illuc homines ascendunt: & minus illic uepres spinæq; crescunt: sed commodius illic armenta defendi possunt & pasci montes pererrando ad uitam misere sustentandam

in tanta terræ totius uastitate. Iram domini discimus contra eos, qui bonis et donis dei abutuntur timore dei postposito. Hæc denique ueluti repetita à lege Mosis, sanctus propheta audit à domino denuo inculcari, qualia & lex minatur Deuteronomij uigesimoseptimo & Leuitici uigesimosexto, Vbi inquit fuerãt cultissimi colles & carmeli, & citra negocium arari & coli potuerunt, ibi amodo non inuenies nec audebis eos adire, asperitate ueprium absterritus & remoratus. Locus est ad literam non facilis.

¶ CAPVT VIII.

1 ITem dixit dominus ad me: Sume tibi uolumen grande, & scribe in eo stylo hominis, accelera spolium, festina prædam.

2 Et adhibui mihi testes fideles Vriam sacerdotem, & Zachariam filiũ Iebarachiæ:

3 & accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit dominus ad me: Voca nomen eius, Accelera spolium, festina prædam.

4 Quia antequam sciat puer uocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorum.

Quid in his locis pij & eruditi uiri multi scripserint, facilè potest legi à studiosis, quorum est diligenter attendere, & piè iudicare. Potest uideri continuus sermo à septimo capite ad tredecimum, plures continens suadendi locos, & docendi. Consequenter enim consolatur regem & populum, quos nondum dei pietas uellet delere, uti metuebant, & coniuratio duorum regum prætendebat: quin potius ipsi ambo cũ suis regnis post breue tempus delendi. Iterum autem nouo aliquo signo ostenduntur regi à propheta cõsolationes iussu domini. qui non uult mortem peccatorum, sed conuersionem, quiq; pijssimum regem illi impio successurum parauerat Ezechiam. Cessauit autem regnum Israël & Syriæ, ut habeatur secundo Regum decimoquinto, ad mortem Phacee filij Romeliæ, sub quo Assyrius maximam partem regni Israël cepit, & successorem illiusq; occisorẽ, Osee filium Ela, tributarium tenuit, donec rebellantem sibi cum regia Samaria cepit, & transtulit residuos in Medos. Quæ facta scribuntur tempore regni Achas, quæ hic propheta prædicit regi ad consolationem. Iubetur autem magnum parare uolumen, in quo pauciss ima sed grauia scribenda sint uerba, more styli, quo homines tunc scribebant, Maher Salal & Hasbas, significantia simul, Accelera spolium, Festina prædam. Ad quam suam scripturam testes adhibuit duos uiros fide dignos, quos nominat, non dubium quin illis indicarit quid hæc scriptura portenderet. Denique ex prophetissa uxore Isaiæ genito filio illis diebus, à dño iussus propheta nomen illud composituũ ex quatuor imposuit, quo frequentius esset in omniũ ore propheticũ illud, à nemine ignorandũ, ut & cõmunior multis fieret cõsolatio de statim destruẽdis ambobus regnis, Samariæ et Syriæ, qui huius

nominus institutionis causas, à uiris grauibus testibus audiebant, adiecta sententia explicante mysterium, hac forma: Antequam hic puer fari incipiat, tam Damasci, quæ metropolis est Syriæ, quàm Samariæ regnum frangetur, diripietur, cessabitq; molestare Iudæã. Non ignoro quid hoc loco Lyranus contra Aquinatis expositionem argumentetur: ego ueritati accedere cupio, & firmiorem puto Aquinatis hac parte sententiam. Interim tamen doctioribus cedendum est iudicium, & pie simplicibus, donec quod certum sit inquiretur. De Vria & Iebarachia qui fuerint, ob nominum & personarũ mutationes multiplices, didici ex Paralipomenon curiosus non esse, multo minus contentiosus.

Aquinas.

Lyranus.

5 ¶ Et adiecit dominus loqui ad me ad huc, dicens:

6 Pro eo quòd abiecit populus iste aquas Siloe, quæ uadunt cum silentio, & approbat magis Rasin, & filium Romeliæ,

Amore & gratia familiæ Dauidicæ, dominus regnũ Iuda etiam sub impio Achas rege consolatur, & fauorabili zelo prosequitur, arguendo eos, qui domum Dauid, & regni Iudæ attenuatum statum spernebant, fauentes regibus Syriæ & Israëlis, quorum gloriam & diuitias iactabant in despectum regni Iuda. Idem solent pseudochristiani, qui gentilium & hæreticorum luxum, templa, ceremonias, eloquentiã, curiositatem, magis admirantur & spectant, quàm simplicitatem, tam scripturæ quàm Christianismi ueri.

Contra curiosos gentilium.

7 propter hoc ecce dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum, & omnẽ gloriã eius, & ascendet super omnes riuos eius, & fluet super uniuersas ripas eius,

Tam super utrunque regnum, quàm illorum fautores dominus inducturum se cõmitnatur exercitum Sennacherib, qui ueluti immensum diluuium confluens ex maximis fluminibus regnorum inuoluet omnia hæc regna, & uelut undique superatis alueis redundabit, nihilq; nõ præuocatũ relinquens, etiã Iudam usque ad collum regni metropolim, sed non ultra inuoluet, sola Hierosolyma seruata à domino, propter domum Dauid, fidem Ezechiæ regis, Esaiæq; prophetæ orationes.

8 & ibit per Iudam inundans, & transiens usque ad collum ueniet. Et erit extensio alarum eius, implens latitudinẽ terræ tuæ ô Emanuel.

Contemptus & inobedientia populi Iudaici extra Ierusalem contra Achas, non ob illius perfidiam, quam iniqui subditi probabant, & fortassis exigebãt & extorquebãt, propter quod fortassis & pluratiue semper propheta loquitur: sed propter regni paruitatẽ & paupertatẽ quam ridebant, iam hic punienda prædicũtur, ut in totũ Iudam hæc pœna tyrannici regni Assyriorũ sit peruagatura, sola dempta Hierosolyma regni metropoli: in tantum, ut omnia regionis & regni oppida capienda sint, & tota terra exercitu Assyriorum uastanda, quãtumlibet adhuc dominus nobiscũ sit, Ezechiæq; fides et opera, domino ualde placuerint, et Emanuel ille gratiæ diuinæ intersignũ extaret. Quid enim aliud uidetur uelle, quàm peccatricem gentem sic crudeliter diuexari toto regno, & tamen fauore diuino non destitui: sed illum celeberrimo signo, uel potius multis signis ostendi, ut patebit ex ipsa historia.

9 ¶ Congregamini populi, et confringite, & audite uniuersę procul terræ. Accingite uos & conterite, accingite uos & cõterite.

10 Inite consilium, & dissipabitur: loquimini uerbũ, & nõ fiet: quia nobiscum deus.

Loquitur adhuc propheta contra regnum Syriæ & Samariæ, quæ fœdus & coniurationem inierant ad perdendum regnum Iuda, & illi præficiendum cogitabant non aliquem de domo Dauid, sed quem ex seipsis uoluissent. Sic autem dicit, O uos populi increduli uerbo dei, qui conterere & disperdere uultis regnum Dauid, audite omnes, etiam qui in remotis agitis, & de Israële prognati non estis, utcunq; semel & iterum accingemini ad conterendum et disperdendum domum Dauid, ac toto conatu instetis consilijs & apparatu contra Iudam, iactando uestram fortitudinem, multitudinem, & consiliorum prudentiam, ut nihil uotis uestris obstiturum putetis, omnia tamen frustra conabimini, nihil proficietis, nec consilio, nec opera: ea ratione, quia dominus nobiscum est, nondum finiri sinet nostrum regnum, ut uestra, adhuc promissiones Dauidi factas seruabit, uobis inuitis, non ob nostra merita, qui peccatores sumus, sed quia promisit nobiscum se futurum, ideo non deseret nos: non uos quicquam contra illius potentiam ac ueritatem poteritis. Religiose & uerè exponitur totum hoc caput de regno Christi, qui aduersarios fidelium, & suos spoliatos uastauit & redegit in nihilum, ut nihil consilio uel robore possint cõtra electos, etiam si omnibus malitiæ suæ armis & socijs nitantur. Domus Dauid, ecclesia Christi semper sibi præsentem dominũ experietur.

Domus Dauid non disperdi

11 ¶ Hæc enim ait dominus ad me, Secundum apprehensionẽ manus erudiuit me, ne irem in uia populi huius, dicens:

12 Ne dicatis, coniuratio, omnia enim quæ loquitur populus iste, coniuratio est, & timorem eius ne timeatis, neque paueatis.

Admonuit me dominus familiariter, & ueluti puerum ac discipulum magister ad manum ducendo, in aurem mihi dixit, & docuit fideli opera, ne de pietate sua ac fide dubitem. Primum quidem, ne incredulorũ multitudine territus, eos sequar, & à fide promissionum eius desciscam, alium mihi deum præstituendo, uel alio modo quàm legali ipsum colendo. Deinde ne colligationis & conurationis contra domũ Dauid particeps fiam, nec seditiones ipsorum timeam, quas dominus ipse confundet, idipsum quoque, ut domum Iuda doceam, & admoneam præcepit, impios scilicet non timere, deo credere, & à consortio idololatrarum prorsus abhorrere ac fugere.

Dominum

13 Dominũ exercituũ ipsum sanctificate, & ipse terror uester, & ipse pauor uester.

Sanctificare dominũ.

Sanctificare dominum, est timere eũ ut patrem & iudicem, illius beneplacito per omnia uelle cõplacere, ab offensa illius sumopere cauere, ipsius amorem ac timorem omnibus creaturis præferre, qui si saluare uelit nocere nemo possit, si opprimere decreuerit, nemo possit eximere: hoc est quod dicitur, Ipse solus terror uester sit, non impij homines, qui contra illius uoluntatẽ nihil possunt. Ipse fortitudo & robur uestrũ sit, cuius uirtute nitamini.

14 & erit in sanctificationẽ, & in lapidem offensionis et petrã scandali duabus domibus Israël, in laqueum et in tendiculum habitantibus Ierusalem.

15 Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & cõterentur, & irretientur, & capientur.

Dominum deum fide colendo, & obseruando sanctificamur, & ille nos quoq; sanctificat, et beatos reddit. Si uero contumaciter offendemus in illius clementiam, ruina nostra erit, & maledictio à regibus impijs, deiq; flagellis cædemur, capiemur & disperdemur. Domini dei nostri bonitas nobis uertetur in damnationem, si illi ingrati fuerimus, id quod cõtigit duabus domibus Israël. Quibus gratia et beneficia domini cesserunt in damnationem per infidelitatem cadentibus, & in multiplicia peccata & grauia illaqueatis, ut in seruitute diaboli detineantur captiui, gentiliũ erroribus & sacrilegijs corrupti. Cadunt enim, uerbis domini non credendo: conteruntur, criminibus indulgendo: irretiuntur, assuescendo et alios secum deprauando: capiuntur autem, dignæ ultionis pœnam sustinendo.

16 ¶ Liga testimoniũ, signa legem in discipulis meis.

Verba domini uidentur hæc esse ad prophetam, dicentis: Signa contestationem quam tibi reuelare uolui, & doctrinam quam inspiraui claude, ne passim omnes etiam indigni & impij eam intelligant, sed tantum seruetur intelligenda doctis meis, quos spiritu sancto imbutos uoluntatis & mysteriorum meorum agnitores elegi, qui & à deo docti dicuntur discipuli prophetarum, & filij promissionis, qui uerbo domini firmiter adhærebãt, credentes prophetis de proditione futura duorũ regum.

Docti Dei.

17 Et expectabo dominum qui abscondit faciẽ suã à domo Iacob, & prestolabor eũ.

18 Ecce, ego & pueri, quos dedit mihi dominus in signa, & in portẽta in Israël à domino exercituũ, qui habitat in mõte Sion.

Verba sunt prophetæ ad se cõuersi, ac loquentis: Expectabo per fidem, saltẽ ego cum auditoribus meis & fidelibus discipulis, dominum deum gratiam suã ad electos suos conuersurum, qui nunc uultum suum auertit à domo Iacob, multipliciter uindicando illius perfidam per strages non paucas, nec leues: Sperabo, inquam, in eum plena fiducia, cum filijs meis & discipulis, qui uerbis domini credunt admoniti institutione mea, & domi-

num deum nostrũ exemplo meo colunt, propterea una mecum contempti ab impijs Israëlitis, quibus sumus portenti & signorum instar, nolentes sequi ipsorum perfidiam, errores, idola, timorem, coniurationes contra dominum: idipsum uerò non nostris uiribus, sed fauore dei agimus, quem credimus ex uerbo domini, & priorum sanctorum testimonijs habitare familiari aliquo modo gratiosæ præsentiæ, beneficentiæ, apparitionis et exauditionis in monte Zion, in templo suo sancto. Qui dominus noster licet locum deserturus aliquando sit, reuersurus tamen est, & faciẽ suam ostensurus benigniorem quàm unquam fecit, templum sacratius & stabilius suscitaturus quàm fuerat Salomonis structura. Hac spe ego cum discipulis fruor, impijs interim tam dominum ipsum quàm fidem nostram irridentibus.

Dominus in Sion.

19 ¶ Et quum dixerint ad uos: Quærite à pythonibus, & à diuinis qui stridentin incantationibus: Nunquid non populus à deo suo requiret pro uiuis ad mortuos?

20 Ad legem, & ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta uerbum hoc, non erit eis matutina lux,

Non desunt maleuoli et impij in duarum domuũ gentibus, qui mihi & fidelibus meis discipulis sæpe obstrepent, à ueri dei uero cultu abstrahere cupientes nos, dicendo, Quærite responsa sacra, & prædictiones rerum futurarum, non in sancto sanctorũ à summo sacerdote, sed ab astrologis, diuinatoribus, incãtatoribus, magis et sortilegis, ut ipsi faciũt. Quibus nos respondemus, nónne quælibet gens eos deos consulere cõsueuit, quos colit, ueneratur, quibus sacrificat & oblationes defert, secundum patrias suas leges & consuetudines, à quibus deficere nephas ducit? Idq; faciunt gentes cõsulturi deos in rebus omnibus, siue ad uiuos pertineant, siue ad mortuos: sic enim instituti sunt, sic à moribus didicerũt. Nos autem instituti sumus à sanctis patribus nostris, & per legem datam nobis à deo nostro docti, ut errores istos contemnamus, instituta uitæ & fidei, tã sperandaquàm timenda & operanda discamus à uerbo domini, à lege dei, quem nos colimus, & colendum didicimus, & promisimus, à quo solo ab omnibus malis semper erepti sumus, & saluati. Certoq; didicimus hãc esse ueritatis et iustitiæ regulam, uiam salutis & felicitatis in æternum permanentis: Lucem unicam orbis, sine qua qui uiuunt in tenebris ambulant, uarijs erroribus decepti, à quibus emergere non possunt, sed tandem in tenebras exteriores protruduntur, contra sensum & rationem idola colendo, & per crimina infanda uitam polluendo præsentem, & amittendo futuram.

Deos consulere & uerbũ domini.

21 & trãsibit per eam, corruet, & esuriet, & quum esurierit, irascetur, & maledicet regi suo, & deo suo, & suspiciet sursum,

22 & ad terram intuebitur, & ecce tribulatio & tenebræ, dissolutio, angustia, & caligo persequens,

1 quia nõ poterit auolare de angustia sua.

Quisquis dei ueri ignorantiam habens, per gentiliũ

idololatriam & errores fuerit excæcãdus, aliunde ſibi quàm à uerbo dei eruditionem & probitatis regulam adſumendo: is in cordis duritiam conſequenter magis ac magis uertendus, eſuriet, uerbi dei pane deſtitutus, et ſiliquis gentilium fabularum minimè ſatiandus, in regione diſſimilitudinis à domino elongatus, cupiens ſaturari de porcorum ſiliquis, nemine exhibente. Pro famis impatientia, non redit ad patrẽ, ſed ira & furore perturbatur, diuinam bonitatem ſpernit, & prouidentiam dei blaſphemat omnia gubernantem, dum aduerſa patitur, & nullam conſolationis fiduciam inueniens, nec deſuper à deo, nec inferius ab hominibus pijs: ubiq; perquirens conſcientiæ quietẽ, nullibi quicquã ſolidæ ueritatis inueniet, ſed anguſtiæ intolerabiles inquietæ cõſcientiæ, & tenebræ palpabiles errorum in fide & moribus illi occurrent. Quicunque enim creatoris laborat ignorantia, ſolatio quoque illius deſtituitur neceſſario, nullam uſpiam inueniens conſolationem ex creaturis, ſed deſperatione æternæ uitæ, & felicitatis obruitur, & inconditis flagitiorum turpitudinibus rotatur per omnẽ uitam ſuam, nullaq; ſpirituali conſolatione unquam afficitur. Fidelis autem & iuſtus per fidem, iucundus ſemper gaudet in domino operaq; uirtutum exercet ad gloriam dei, proximi charitatem, in ſpe beatitudinis, quã expectat. In idem recidunt uerba in fine capitis, tribulatio, obtenebratio, cõfuſio, error, nebula, timor, & anxietas. Quibus omnibus deſignatur quod dictũ eſt, confundendos idololatras, maximè eos qui toties admoniti per prophetas errorum tenebris inuolui magis cupiunt quàm in luce uerbi dei gaudere, & ſperare in dominum: in brachio humano ſeſe defendere, quàm ex diuina prouidentia & uoluntate pendere.

Duritia cordis quid operetur.

Ignorantia creatoris.

CAPVT IX.

PRimo tẽpore alleuiata eſt terra (uel leuiter fecit terræ) Zabulon & terra Nephtalim, & nouiſſimo aggrauata eſt uia maris trãs Iordanem Galilææ gentium.

Iudæorum Rabinos poſteriores, ineptè puncta adiciſſe, etiam uerſibus diſtinguendis non raro deprehendimus, quum tempore uterũ Græcorum interpretum aliter alicubi lecta ac intellecta Hebræa fuiſſe clare oſtendi poſſit. Hanc ſententiæ partem quomodo præcedenti conſtruere potuerint non uideo. Græcos autem & Latinos priſcos patres hic tam uerſum uel ſententiam incepiſſe ac caput, arbitror rectius. Vbi tamen non uacat nota ſimilitudinis ב præmiſſa tempori: ut uideatur hæc eſſe ſententia prophetæ, Secundum tempus priſtinum, uel priori tempore, dum reges Aſſyriorum inuaderent regnum Iſraël, leuiter, comparatione non ſimpliciter ad ſlixerunt illud, partem aliquam transferendo populi in Aſſyrios, capiendo terrã Zabulon & Nephtalim, cum duabus tribubus & dimidia ultra Iordanem. Poſteriori autem tempore, cum rex Hoſee rebellaſſet, grauius afflixit totam terram decem tribuum Salmanaſar: & Sennacherib quoque Iudæam inſuper oppreſſit, nihil relinquens ſaluum uſque ad maritima loca magni maris, ubi tribus Aſer, Iſachar, Manaſſes, Ephraim & Dan habitabant, quos omnes in Medos tranſtulit & Perſas.

Puncta & diſtinctiones Iudæorum.

2 Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis.

Interim uero populus Iuda qui uel ſub rege Achas erroribus idololatriæ inuolutus fuerat, uel ſub Ezechia potius per Sennacherib in totum oppreſſus erat, præter Hieroſolymam, omnibus ferè captis regni oppidis, hi per gratiam dei & precibus Ezechiæ ac iuſtitia, uiderunt lucem fauoris diuini, pro ſe facientis maxima miracula, tam in percuſſione tanti exercitus, quàm ſolis uel umbræ retroceſſione ad preces Ezechiæ ac Iſaiæ. Quo fulgore diuinæ beneuolentiæ conſolati ſunt habitatores terræ Iſraël, qui reliqui fuerãt in tota terra, deſerta alio qui, & umbrã mortis referente. Hi enim fide ad deum & obedientia ad regem cõuerſi, reformati ſunt ad tempus & conſolati. Hunc autem locum cõmodiſſime Euangeliſta Matthæus allegat iuxta ſenſum æque uerum, & à propheta intentum, qui Chriſti myſterium paſſim ſub indicauit, cum prophetia ſuo tẽpori neceſſaria. Quem admodũ enim tribus Zabulon & Nephtalim in Galilæa & confinio gentium ſita, primum ſenſerũt exterminiũ capti in Aſſyrios: ſic illis quoq; primum lux uera orbis reſplenduit Chriſtus dominus, qui in Galilæa diſcipulos elegit, miracula ædidit, uiam ueritatis prædicauit, populum reuocauit ad euangelicam ueritatem, quem & ſequacem habuit, unde & uſq; ad Hieroſolymam populum ſeduxiſſe Iudæi dominum accuſabant. Deniq; Galilæa gentium indicatur primum per Chriſtũ uidiſſe lucem, quæ prima per reges olim, ut hic dicitur Aſſyriorum perierat.

Locus Euang. Matth.

3 Multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam. Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultãt (uictores capta præda) quando diuidunt ſpolia.

Verbum prophetæ ad Aſſyrium Sennherib, Multiplicaſti uehementer exercitum tuum, regnum Iudaicum oppreſſurus, ſed non magnificaſti lætitiam tuã, qui centum octogintaquinq; milibus una nocte occiſis, confuſus & mœſtus aufugiſti, ſtatim à filijs occidendus: nec id ſolum, ſed eis potius, Iudæis ſcilicet, auxiſti lætitiam: iuxta Hebræos לֹא pro לוֹ exponentes. Sic enim ſæpe prophetæ ambigua ſcribunt, & uolunt utrunq; intelligi. Sequitur enim, Lætati ſunt, certè populus Ezechiæ poſt ſtragem Aſſyriorum, & aliorum qui adfuerant in exercitu, ex gentibus multis. Lætati ſunt coram domino pro mirabili uictoria ac ſpolijs, ut ſolent gaudere copioſa in meſſe meſſores, & uictores ſpolia opima & maxima diuidentes. Idipſum enim tunc & Iudæis contigit de Aſſyriaci exercitus maximis ſpolijs, & Chriſto domino cum diſcipulis, qui & fideles multiplicauit in toto orbe, & dæmoniorum mancipia, errorumq; captiuitates cepit, et ſibi rapuit, ac proprio domino ſubiugauit.

Ambigua in prophetis.

4 Iugum enim oneris eius, & uirgã humeri eius, ceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian.

Eo diuino opere & miraculo, onus terræ exercitus Sennherib, qui sceptrum exactoris dignè dicitur, ablatus est ab humero Iudæorum, & Ezechiæ, nõ minore, imò mirabiliore victoria, quàm cum olim Iudicum septimo Madianitarũ exercitus à Gedeone uinceretur cum paucis. Sic Christus dominus sceptrũ Satanæ ab electis amouit, & iugũ oneris illius pro nobis portauit, ut eximeret suos pro quibus se tradidit.

5 Quia omnis uiolenta prædatio cum tumultu, & uestimentũ mistum sanguine, erit in combustionem & cibus ignis.

Omne quidcũ prælium & deprædatio uiolenta fieri solet non sine magno tumultu & uestimẽtorũ aspersione horribili ac fœda ex cruore occisorũ & occidentium: hoc autem prælium tam angeli cũ Assyrijs, quàm Christi domini cum aduersaria potestate, non sic confectum est, sed magnifica uirtute dei, & spiritu oris diuini, cui cedũt omnia. Totus enim iste exercitus, cibus factus est ignis, hominũ corporibus redactis in cinerẽ, ut spolia salua raperẽtur. Sic Christo seruati sunt fideles, impijs damnatis: error eliminatus: ueritas autẽ reperta in gentilium prophetia, in spolium cessit ecclesiæ electorum.

Præliũ sine sanguine duplex.

6 Paruulus enim natus est nobis, filius datus est nobis, & factus est principatus super humerũ eius, & uocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, deus fortis pater futuri sæculi, princeps pacis.

Vtcunq; priora de Ezechia exponendo uerisimilia sint, hæc tamen quæ sequuntur de eo intelligi non possunt, quantumlibet anxie adlaborẽt Iudæi. Sed filio Dauid, Christo dño, Messiæ nostro, sine omni difficultate adstipulantur, quod & Euangelistarum spiritus docuit. Quanquam autem Ezechias Christi aliquod symbolum esse potuerit, et pro tanto ei quædam applicari possint, sed pauca & ineptius, Christo aũt luculentissime, maximè si non ubiq; Rabinorũ adiectamenta curentur, quæ Christi & Euangelistarũ temporibus nondum aderant. Christus itaq; puer natus est, uel etiã nascetur, si libeat (confunduntur enim Hebræis tẽpora) ex benedicta uirgine Maria: filius quoque dei, datus fidelibus est à patre rerum omniũ. Datus, inquit nobis, pro nostra salute in nostrũ usum & solatiũ conscientiæ. Et erit principatus super humerum eius. Eidem enim ut homini crucifixo & resurgẽti data est omnis potestas in cœlo & in terra, in cuius femore scribitur, Rex regum & dñs dominantiũ: qui iuxta diuinitatem eiusdem est potentiæ cum deo patre. Et uocabitur nomen illius pueri, etiã secundum doctissimos quosdam Iudæorũ, multis nominibus, Hebræorum quoq; more. Primũ admirabilis uel mirificus, patrator scilicet maximorũ miraculorũ, de quibus euangelia loquuntur: Consiliarius uel cõsultor, cuius in mysterio diuino erũt tam uerba quàm opera, qui et rebus nostris consilio suo & doctrina cõsuluit: Deus fortis, cuius spiritu oris idola omnia cũ ipsa idololatria concident, quantumlibet secundum carnẽ fragilis esset, & cruce occidendus, uirtute tamẽ sua diuina hostes de

Principatus Christo datus.

uicit generis humani & ueræ pietatis ac salutis in hoc mundo: Pater deniq; æternus uel futuri sæculi, singularẽ curam habens fidelium & electorũ, qui per uitã & mortem suam omnes nos genuit, & immortalitate dotabit: Princeps pacis, author salutis, reconciliatio humani generis cum patre, quod in Adæ transgressione defecerat, per quem fidelium conscientiæ pacificantur.

7 Ad multiplicandum (eius) imperium, & pacis non erit finis. Super solium Dauid, & super regnũ eius (sedebit) ut confirmet illud & corroboret illud in iudicio & iustitia amodo, & usq; in sempiternum. Zelus domini exercituum faciet hoc.

Regni Christi amplificatio.

Tantum abest ut regnũ Iudæorum uastetur omnino, ut etiã olim per Christum totum mũdum peruasurũ sit, & dilatandum feliciter: quod & factum norunt fideles. Imperiũ enim Christi patet toto terrarũ orbe, et ab exordio primorũ fidelium usq; ad ultimos, quale nusquam unquam fuit imperiũ: non quidẽ caducum & mũdanũ, sed spirituale ac æternũ, cui omnia subsunt, ad quem regem adorandũ ab occidente & oriente uenerunt gentes, quarũ tanto tempore erat expectatio illius à patre sibi promissa hæreditas. Hoc significari puto per Mem clausam cõtra naturam, secunda litera dictionis quinque literarum למרבה. Vel aliud respondeãt Iudæi, & Ezechiæ regnũ uigintinouem annorũ, & in Iudæa tantum, uel multiplicatũ mentiãtur, uel æternũ, ac sine fine pacificum. Super solium Dauid Christus sedit, Gabriele teste, cuius secundũ carnem est filius. Christus dominus, Messias filius Dauid promissus patribus, cuius regnum ad quatuor orbis partes, & æternũ perseuerat, siue Mem rotũdum siue quadratũ nomines, uel cõtra naturam loci scribas more ueterum quoq; Iudæorũ. Vel ostendãt Iudæi superstitem de familia Dauid, unde sperent nasciturũ Christum. Per euangelicã doctrinã præparatum est regnũ Christi, in iudicio et iustitia, dum se fideles iudicãt quales sunt, hoc est, peccatores, et proximo seruant æquitatẽ ut sibi uolunt seruari, iustitiam autem fidei in deũ per Christum mediatorẽ. Zelus et æmulatio dñi, qua & dominus nihil odit eorũ quæ condidit, qui gloriã suam nõ tantũ in Iudæã includi terrã diutius uoluit, qui Iudaicã cerui cositatẽ, & toties relapsos sui contẽptores negligere uelle uisus est, & gloriosam sibi ecclesiã propagare ad angulos orbis decreuit. Cui regẽ & caput Messiã imposuit sacerdotẽ et regẽ, offerẽtem seipsum patri pro mũdi peccatis, et regnũ possidens in cœlo & in terra, angelorũ ac hominũ. Nõ ergo Iudæis timendum ab Assyrio uel Syro, sed confidendum in promissis diuinis, qui quæ pollicitus est sine dubio seruabit.

8 ¶ Verbum misit dominus in Iacob, & cecidit in Israël.

Prophetando pergit eadem repetẽdo alia figura sermonis contra decẽ tribus Israël, ut patet ex litera: quantumlibet in primo titulo libri tantũ contra Iudam prophetias cõmemoret, ne nimium scrupulosẽ singula rimari uerba uelimus. Beneficium prophetiæ dominus misit per non unum prophetam, sed multos, qua præmo-

niti mutarent mores, & impendentia illis mala euaderent. Sed quum nihil profecerint, contigit illis merito, ut mala prædicta inciderint in eos, & omnia prædicta illis mala senserint, abacti tandem in captiuitatem perpetuam ac irreuocabilem. Sic omnibus usu ueniet, uerbum domini repellentibus, Iudæo pariter & Samaritæ uel Israëli.

9 Et sciet omnis populus Ephraim, & habitantes Samariam in superbia & magnitudine cordis, dicentes:

10 Lateres ceciderũt, sed quadris ædificabimus: sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus.

Prophetæ in Israel. *Consensu totius populi, & usu superbo uertebatur in terra decem tribuum prouerbium contra prophetas domini, quos habuit multos, Heliam maximè & Helisæum, cum reliquis. Quibus per uerbum domini monentibus ad conuersionem, ac clades multas prædicentibus, superbißimè respondebant: Lateritia corruerunt, quadro ædificabimus. Quasi dicãt: Vrbes nostras quum essent ex lateribus extructæ diruerunt hostes nostri, nos multò fortiores reædificabimus, & in futurum nostro Marte nos melius tuebimur, domini gratiam non moramur. Exciderunt hostes nostri domos ædificatas minoribus lignis, pro quibus ambitiosiores ædes è cedro substituemus, posthac feliciores uiuemus, non obstantibus prophetarum sermonibus: stipati enim potentißimis socijs Syris & Aegyptijs facilè nos ab Assyrio tuebimur.*

11 Et eleuabit dominus hostes Rasin super eum, & inimicos eius in tumultũ uertet,

12 Syriam ab oriente, & Philisthijm à posteriori (occidente) & deuorabũt Israël toto ore. In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta,

13 & populus non est reuersus ad percutientem se, & dominum exercituum non exquisierunt.

Contumaciæ pœnas prædicit certißimè uenturas contra Israëlem, donec toti deleantur è terra. Eleuabit ac suscitabit iudicium domini iustum, eos hostes contra Israëlem, Razin, qui illũ quoque perdent cum quo fœdus inierant, ut omnes cõueniant de multis locis, & in unum exercitum coëant contra uos. Syri iam Assyrijs subiecti ab anteriori parte, Palæstini à tergo uos totos deglutiẽt, ueluti auidißimo rictu lupus ouiculã. Et cum hac pœna emendati non fuertis, sed in consueta prauitate perstiteritis, ego quoq; non cessabo adfligere uos, donec in totum eijciamini. Iustum est enim plagam non cessare, ubi contumacia non finitur.

14 ¶ Et disperdet dominus ab Israël caput & caudam, ualidũ & debilem, (*uel incuruantem & deprauantem*) die una.

15 Longæuus & honorabilis, ipse est caput: & propheta docens mendacium, ipse est cauda.

Distinctius mala prædicit ingruentia. Excindentur, inquit, ueluti radicitus impij reges, senatores, consiliarij, populi oppressores uiolenti & stulti. Deinde falsi prophetæ tam Baal quàm hi qui ramus & iuncus dicuntur, caput & cauda, qua & blandiuntur ut canes, qui mendaciter de corde suo prophetabant, sine uerbo domini, & ueros domini prophetas persequebãtur, ut Heliam ac Michæam, Amoz & similes: quorum opera plebs omnis corrumpebatur in fide & moribus.

16 Et erunt qui beatificant populum istum seducentes, & qui beatificantur præcipitati.

Qui populum dirigere, regere, & ad beatam uitam adhortari debuerant prophetæ & senatores, hi decipiebant magis, & erroribus inuoluebant contra uerbum domini: propterea conciderunt, deuorati sunt pariter, & duro supplicio damnati à domino. Id quod semper timendum, dum sal infatuatur, dum mendacia docentur, dum uulgus corrumpitur, exemplo prophetarum & regum, dum non rigidè iniquitatibus & impijs resistitur, dum copiosè subinde indulgentiæ promittuntur, dum pars prædæ cultui diuino sacrificata satisfactio prædicatur. Supplicia præuaricatorum ubi dei.

17 Propter hoc super adolescentulis eius non lætabitur dominus, & pupillorum eius, & uiduarum non miserebitur: quia omnis hypocrita est & nequam, & uniuersum os locutũ est stultitiam. In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.

Dominum lætari, est benefacere: misereri, est à malis eruere. Iuuenibus & uiduis cum pupillis parcitur, dum cuncta prælio feruent: nunc autẽ minatur dominus, sine clementia omnes pariter excindẽdos, causas exprimẽs. Primo hypocrisim, qua dominus maximè offenditur, cum scilicet maior probitas fingitur, & ambit laudari, quàm adsit, & dei prouidentia non creditur uel cõtemnitur: dum religio quidem ac pietas iactatur, reuera tamen inuenitur sacrilegium & quæstus. Malignitatem deinde taxat dum proximo nocemus, propterea quod se non posse uindicare uidemus, horum ultor est dominus irrecõciliabilis. Tertio non miseretur illis, qui ore suo scientes loquuntur prædicantq; mendaciũ, simplices decipiendo, ac illudendo doctrinis, propriaq; commenta ingerendo pro uerbo dei, auaritiam honoremq; sectando. Contra tales ira domini nõ cessat donec excindantur, uel peccata, uel peccatores. Hypocrisis quid sit.

18 Succensa est enim quasi ignis impietas, uepres & spinam uorabit, & succendetur in densitatibus saltus, & conuoluetur superbia fumi.

19 In ira domini exercituũ conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis. Vir fratri suo non parcet.

Tanti exterminij causam & formam declarat Propheta, impietatem maximam continuò grassantem, & nulla commonitione corrigibilem, ueluti cum inuaserit ignis sentes, spinas ac uepres, tunc enim in altum subitò

subitò flãma subleuatur cõspicua & horribilis, nullius opera extinguibilis antequam omnia uastentur: Sic per iram domini terra quoq; desolabitur, ut ubi abundauit crimen, ibi augeatur & uindicta: & sicut in impietate consenserũt, pariter prophetas domini persecuti sunt, & uerbũ domini irriserũt, sic iudicio dei frater quoq; fratrẽ sine omni clementia persequetur, præter ea quæ ab hostibus patiẽtur, ubi nulla fraternitas uel cognatio locum indulgentiæ admittet, sed mutua cõtumelia, rapina, cæde, morteq; concident. Id crebro accidisse Iudæis tam certũ est, quàm certè similia sæpe uisuntur, etiam nunc impiorum ad pios, uerbum domini irridentiũ ad eos qui iuxta scripturas docere, uiuere, & conuersari desiderant. Tanta est ira domini in incorrigibiles, & uerbi domini contemptores. Id autem prophetæ tempore factum est dum Sellum Manahen & cæteri, alios per insidias occiderunt, ut in libris Regũ & Præteritorum legitur, mutuis enim cladibus cadebant.

20 & declinabit ad dexterã, & esuriet, & comedet ad siniſtram, & non saturabitur. Vnusquisq; carnem brachij sui uorabit:

21 Manasses Ephraim, & Ephraim Manasſen, simul ipsi contra Iudam. In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.

Oratio sumpta ex usu rapaciũ animaliũ, quæ utrinq; uertuntur crudelia & famelica, ut impleant ingluuiem suam. Interim ciuili quoq; discordia & intestinis odijs sese cõficient impij, dum ambitur tyrãnis populi à multis impijs, & feruent interim studia partium, ut hic faueat huic regi alter alteri, unde populorum infelicitas augetur quotidie, & regna concutiuntur, regiones uastantur ac urbes, omnia propter peccata hominũ, quibus deus non parcit, sed punit.

¶ CAPVT X.

1 VAe qui condunt leges iniquas, & scribẽtes laborẽ scripserunt:

Contra scribas. Pertinet ad Catalogũ criminum in populo Israël, propter quæ perdendus erat. Legem enim domini spernentes, humana temeritate traditiones parabãt, quibus illaqueabant pauperes, & reos statuebant ad emulgendũ pecunias, & ad diuitias comportandas, quibus ad luxum abuterentur & ad oppressionem egentiũ, consentaneos habentes scribas ac libellarios, qui uarijs technis extorquebant pro literis quantum cupiebant ad molestiã, infelicitatẽ, & depauperationem humilium de plebe.

2 ut opprimerent de iudicio pauperes, & uim facerent causæ humiliũ populi mei, ut essent uiduæ præda eorum, & pupillos diriperent.

Studia iniquorum iudicum & scribarum prodũtur: fraudare pauperes iure suo, dolo, auaritia, contemptu: deprauare & calumniari, causas quoq; inuertere eorũ qui non habent unde fauores promereãtur, & quos carere patronis intellexerint, ut sunt orphani & uiduæ, quarum tenuem substantiam tenuiorem subinde reddunt, donec totam deglubant, impunè se hæc agere credentes, quia iustitiam dei non credunt.

Oppressores pupillorum.

3 Quid facietis in die uisitationis, & calamitatis de longè uenientis? Ad cuius confugietis auxiliũ? & ubi derelinquetis gloriam uestram,

4 ne incuruemini sub uinculo, & cum interfectis cadatis? Super omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.

Dei manus contra tyrannos. Quicquid interim libet audetis. Imbelles expugnatis & spoliatis dei iudicium non credendo, uel contemnendo, donec adesse senseritis. Quandoquidẽ deus & dominus orphanorum & uiduarũ patronus, causam susceptam negligere nõ potest, cum eam uobiscũ cœperit contestari, cõstringere reas cõscientias, & uindicta durissima cõpensare, quid tum facietis? quò fugietis à calamitate de longè uemente, uos horribiliter obruitura? Nihil minus feret pater orphanorũ & iudex uiduarũ, quàm hoc uestrũ piaculũ mortale, & clamitãs in cœlũ. Sub cuius cõfugietis præsidium? Et quò proficiet uobis coram me uel honor secularis, uel diuitiarũ onus? Quo modo effugietis cõpedes meos, quibus uos astringã in carcerem meũ, donec ultimũ quadrantem reddatis, & cum interfectis cadatis, imò proijciamini in tenebras exteriores, etiã postquam impœntentes in captiuitatẽ hostiũ abducemini, uel cum occisis corruatis? Omnino enim hoc crimen expiari nõ poterit, nisi iniuria cõpensata. Alioqui semper perseuerat iustissima dei manus ad puniendum extenta irreuocabili iudicio suo.

5 ¶VAe Assur, uirga furoris mei & baculus ipse, in manu eorũ indignatio mea.

Prædicit & minatur uenturum regem Assyriorum, quod sub multis regibus domini iudicium contra Syriæ & Samariæ regnũ exercuerat, sed iniqua uoluũtate & crudeli opera, etiã Hierosolymã cum regno Iuda uolẽs uastare, in quem usum maximum inuexit exercitũ contra Ezechiam, quartodecimo anno regni eius, sed angelo percutiẽte exercitum, confusus redijt cum pauciſſimis. Vbi discimus malos homines non gratis uiuere in hoc mundo, nec domino inutiles esse, ideoq; eidem esse non malos, quantumlibet sibijpsis & in se peßimi sint. Rex & regnum Assyriorũ uirga est in manu domini, qua corrigit filios inobediẽtes, qua ordinem iudicij sui & seueritatẽ contra criminosos exercet, qui ut peßimè uelint & agant contra Israëlem, manus tamen eorũ in domini uoluntate per omnia regitur, qui eorũ certè impia uoluntate abutitur, ad iræ suæ, hoc est, iusti iudicij executionẽ: dum interim impij prauitatẽ animi sui non excusare poterunt, qui per crudelitatem peccant, aliorum uitæ insidiantur & rebus.

Mali non gratis uiuunt.

6 Ad gentẽ fallacẽ mittam eum, & contra populũ furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, & diripiat prædã, & ponat illũ in conculcationẽ quasi lutum platearũ.

7 Ipse autẽ nõ sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit: sed ad cõterendũ erit

cor eius, & ad internetionē gentium non paucarum.

Hypocritæ Iraëlitæ. Ego, inquit dominus, te mittam contra hypocritam gentem Iſraëliticam & Iudaicā præſcriptis iam uitijs corruptam, perfidia in deum & homines, uerbum tamen domini iactantes, idipſumq; non ſeruantes, ſed traditionibus ſuis ſimplices decipientes, & ius omne peruertentes, interim tamen de ceremonijs ſoliciti in templo, quas tamen diligentius idolis quàm deo uero deferunt. Merito ergo huiuſmodi populus dicitur populus iracundiæ, in quem neceſſaria ira feratur, dei iuſtitia. Iubetur quidem diripi, uinci, occidi, capi, cōculcari, ut lutum platearū ab Aſſyrijs: quia tamen hoc hoſtes gentiles impia uoluntate aggrediuntur & perficiunt, arbitrati proprijs ſe uiribus uicisſe gentem Iſraëliticā, ignorantes eum, qui omnia moderatur & agit in omnibus, imò eundem ipſum blaſphemātes, & abominationibus idolorum ſuorum comparantes, ut fecit Rabſaces, iniquo inſtituto ſuo tot gentes & regna exterminantes, ideo iuſtè à domino, ſuo tempore & modo, ipſi quoque puniuntur, pro crudelitate & ſanguinis effuſione tot populorum. Vtcunq; domino ſeruirent, omnia bene ordinanti, ipſi tamen prauiſſimo corde, ignari uoluntatis diuinæ, omnia peragebant, & contra æquitatem propria conſcientia certabant, ut eſſent in proprijs quoq; conſcientijs & apud ſemetipſos inexcuſabiles, ut ſunt omnes impij & iniuriatores.

Imporum inſtituta.

8 Dicet enim: Nunquid nō principes mei ſimul reges ſunt?

Ab arrogantia quoq; & nimio faſtu ſe regem uocat aliorum regum, quos ſub ſe ſeruos teneat & aulicos: quorum ſcilicet minimus expugnare poſſit Hieroſolymam, ut duces imperij ſui comparentur aliarum nationum regibus, & inuincibilē ſeſe arbitretur hominibus atq; dijs omniū populorū: quaſi dicat, Duces mei aliarū gentiū reges ſunt & mihi ſubiecti, cunctis nationibus imperabunt, ut Rabſaces iactabat.

9 Nunquid non ut Charcamis, ſic Calano, & ut Arphad, ſic Emath? Nunquid non ut Damaſcus, ſic Samaria?

10 Quo modo inuenit manus mea regna idoli, ſic & ſimulachra eorū de Ieruſalem & de Samaria.

11 Nunquid non ſicut feci Samariæ & idolis eius, ſic faciā Ieruſalem & ſimulachris eius?

Quantumlibet magnas potētiſſimas & claras urbes uincere, & ſubdere potui imperio meo, quin & Damaſcum ac Samariā, duorū regnorū metropoles deuici, in quibus omnib. idola, & dij multi colebātur, qui tamen ſuos liberare de mea manu minimè potuerunt, ſed nec ſeipſos quidem, omnes enim inuenit manus mea, triumphaui de omnibus. Quid ergo obſtet, ut non itidem euenat mihi de Hieroſolyma & idolis eius? Nō ſunt enim, inquit, fortiora ſacra illius, quàm aliorum.

12 ¶Et erit quū impleuerit dominus cuncta opera ſua in monte Sion & in Hieruſalem, uiſitabo ſuper fructū magnifici cordis regis Aſſur, & ſuper gloriā altitudinis oculorum eius.

Victoria Hieroſolymitana. Omnia opera ſua dominus compleuit in monte Zion & Hieroſolyma, tam exercitum infidelium ac blaſphematorum dei per angelum una nocte perdendo, quàm Hieroſolymæ etiam myſterium omnium ſeculorum per Chriſtum in cruce perficiendo. Videtur enim magna quædam ſubindicare Propheta his uerbis, quandoquidem & occiſio exercitus Sennherib, exemplar quoddā fuiſſe uidetur deletionis & exterminij diabolici imperij, in gentes toto orbe diſperſas, quod in Ieruſalem deuictum eſt per Chriſtum dominum. Ibi enim uiſitauit dominus gladio uerbi & iudicij ſui utrunq; tyrannum omnium fidelium, eum qui rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ, qui ab initio opus domini corrumpere conatus eſt, & Aſſyrium ipſum qui malignitate ſua gloriā domini remorari tentauit. Vtriq; enim ſe contra dominū erexerunt, & uicti ſunt in monte Zion, bonitate & clementia dei in ſuos fideles.

13 Dixit enim: In fortitudine manus meæ feci, & in ſapientia mea quia intellexi, & abſtuli terminos populorū, & principes eorum deprædatus ſum, & detraxi quaſi potens inſublimi reſidentes.

Iactatio odio diſ. Gloriæ ſuæ zelator ſtrennuus eſt dominus ipſe uirtutum, ideo ſemper reſiſtit ſuperbis, & gloriationem uirtutis in creatura omnipotens ferre non poteſt. Sapientiam quoque non uult iactari ab alio, qui ſolo nutu & prouidentiæ oculo inſpicit & ordinat uniuerſa, ſecundum arbitrium uoluntatis ſuæ, ut qui gloriatur in domino gloriet̄ur. Non Aſſyrij erat monarchiæ ſuæ propagatio, non ſuæ adſcribendum prudentiæ uel fortitudini quicquid acciderat in uictorijs populorū, quæ non parantur brachio hominis, ſed arbitrio dei. Direptiones quoque theſaurorum, qui in futurum reponuntur ab infidelibus, & expulſiones eorum tyrannorum & nobilium prædonum qui ſolidiſſima ac firmiſſima fortalitia inhabitant, qui ſuis uiribus tribuunt, dignè merentur perdere uniuerſa & ſuccumbere hoſtibus, qualia iactabat Aſſyrius, tam Sennherib quàm Chaldaici regni, illi ſuccedentes, tyranni.

14 Et inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum, & ſicut colliguntur oua, quæ derelicta ſunt (ſic) uniuerſam terram ego congregaui, & non fuit qui moueret pennam, & aperiret os, & ganniret.

Oua regnorum in nido. Quaſi dicat tyrannus quicunq; regnorū prædator, & diabolus quoq; ipſe, Manus mea aſſequuta eſt, & in meā poteſtatē collegi, & uelut ouis illis incubo, omnes diuitias orbis, populorū omniū theſauros ueluti in meū nidum ut propria repoſui & teneo, tota uirtute conor quocunq; titulo cōgeſta ſeruare, tutari & augere, in uitis omnibus. Eatenus autē collegit omnia oua regnorum quaſi in ſuum nidum, ut nihil euaſerit manū eius, nihil reliquū alicubi inueniatur, quin uindicauerit ſibi imperium

imperium omniũ, ut nemo illi quoquo modo obstrepere, contradicere, & uel hiscere posſit, uel rictum oris aperire: tãta tyrãnide opprimit uniuersa, tam Assyrius ille ferox, quàm hostis humani generis diabolus. Tanta insania & furore supbit miser ille princeps latronũ, monarcha iniquitatis, fideliũ parricida ac hostis perpetuus.

15 **Nunquid gloriabitur securis cõtra eum qui secat in ea? aut magnificabitur serra contra eum à quo trahitur? Quomodo si eleuetur uirga contra eleuantem se, sic eleuatur baculus non lignum.**

Creatura nulla gloriatur nisi in domino.

Quomodo gloriari posſũt creaturæ omnes de uirtute quacunq;, cum aliud nõ sint, quàm securis in manu cædentis, suapte natura nihil ualens: sed ex manu eius qui ea utitur, tota pẽdet, ad cuius nutũ uelit nolit obsequitur? Sicut & serra stultè gloriabitur aduersus eum qui trahit eam. Otiosæ sunt & uanæ omnes creaturæ, nisi ducantur à domino, à quo & uim agendi percipiãt. Nunquid, si quis baculũ arripiat manu quidpiam percussurus, reclamabit baculus, & obsequi detractabit? quasi lignũ nõ sit in usum à deo constitutũ homini, ad operas quascunq; uoluerit: Sic aliud nõ est homo quicunq; orbis etiã dominator, nisi instrumentũ uoluntatis diuinæ, cui uelit nolit per omnia obsequatur necesse est, quem & in uas contumeliæ cõuertet pro nutu solo, quem ut extulit in sublime, sic deponit, non tantũ de sede, sed inter feras quoq; habitare, & à filijs proprijs occidi mandat, & iudiciũ dei sui euadere non possunt.

16 **Propter hoc mittet dominator dominus exercituũ in pinguibus eius tenuitatem, & subtus gloriã eius succensa ardebit quasi combustio ignis.**

Uertit deus tyrãnos.

Ob superbiam & ferocitatem tyrannorũ omnium, quorum hic Sennherib exemplar fert, sicut & Pharao & Nabuchadnezer & similes, dominator dominus omnipotens, pinguissima uertit in matiem, thesauros in egestatem, gloriã in confusionẽ, principes in emptitios seruos, uel in lutum platearũ ac ferarũ escam, & splendorem omnẽ gloriæ rediget in adustionẽ ignis & cineris fauillã. Superbis enim dominus resistit, cum dat gratiam humilibus: Sic Pharaonẽ, Sennherib & Chaldæos iudicauit, & omnem mundi impiam maiestatẽ semper opprimet, calcabit in lutum & confundet.

17 **Et erit lumen Israël in ignem, & sanctus eius in flammam. Et succendetur, & deuorabitur spina eius, & uepres in die una:**

Lux fideliũ in tenebris angustiarũ dominus est: sola enim consolatione diuina fruebãtur Israëlitæ Hierosolymis, cum Sennherib urbẽ obsedisset, qua & per prophetam Esaiam rex Ezechias cõsolabatur. Impijs aũt idem deus flamma est, deuorãs quicquid illi obijcitur & aduersatur: non secus atq; spinæ ac uepres facilè conflagrantur, sic principes & exercitus à domino absumpti sunt uno die pariter uirtute dei percussi, ut scirent tam ipsi quàm gentes reliquæ quid sit dominũ cõtemnere, & bonitatem eius blasphemare.

Flãma deus impijs.

18 **& gloria saltus eius, & Carmeli eius ab**

anima usq; ad carnem consumetur. Et erit ueluti terrore profugus,

19 **& reliquiæ ligni saltus eius præ paucitate numerabũtur, & puer scribet eos.**

Quicquid in Assyriorũ exercitu gloriosum, magnificum, forte, & eximiũ fuerat, unius percussionis clade perijt, tam corpore quàm anima. Pariter omnes impij, pro blasphemijs suis trucidati sunt & damnati, ut nihil illorũ quod ad personas attinuerit & uitã, remanserit. Nemo enim læsus, nemo anxius, sed omnes penitus mortui & incinerati fuerunt, ut expeditius spolia auferrentur. Remanserãt autẽ anxiè fugitiui quidã de exercitu, inter quos & rex erat, quem dominus fugere permisit, sed nõ effugere, & cum eo paucissimi numero, quos uel quot infantuli queant numerare. Traditio est enim Hebræorũ, decem tantũ euasisse hanc cladem, cuius denarij apicem, uel minimus posſit paruulus scribere, Iod scilicet, omniũ literarũ caput, & scriptionis exordium.

Traditio Hebræorũ.

20 **¶Et erit in die illa: non adiiciet residuũ Israël, & hi qui fugerint de domo Iacob, inniti super eo qui percutit eos: sed innitet super dominũ sanctum Israël, in ueritate.**

Impijs perditis strage angelica, pij in regno Iudææ, imò omnes fideles discent confidere, non in brachium carneum, in auxilium peruersorum, ut Achas fecerat: sed luculenti exemplo discent electi omnes timere dominum, & in promissiones eius sperare, uidentes prostratos eos, à quibus subsidiũ data mercede sperauerãt. Residui Israël hi sunt, & dicuntur, qui perfidis Israëlitis à domino reiectis, successerũt fide & obedientia: qui domino adhærẽt, ipsumq; ut Iacob, Isaac, & Abraã uenerãtur: hi discent timere eum, & sola illius bonitate niti, & sese totos illi credere.

21 **Reliquiæ cõuertentur, reliquiæ inquam Iacob ad deum fortem.**

Reliquiæ Israelis.

Reliquias Iacob duas replicando innuit, propter filios Israël secundum carnem & spiritum, qui subinde in deum fortem, unicum & uerum sperare discent, non in homines.

22 **Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ cõuertentur ex eo, consummatio abbreuiata inundabit iustitiam.**

Iustitiæ inundatio.

Quantumlibet fuerit populus Israël multus numero, ueluti harena maris, perducentur tamen ad paruas quasdã reliquias, non solum redactis duodecim tribubus in duas, sed & ipsæ quoque duæ redigentur in paucos. Quum uerò in breue aliquod & modicũ redacta fuerit consummatio illius gentis, dum uidebitur religio uera cõtracta ad pauciſſimos bonos, & sanctos è terra abstulisse uidebitur, ut pauciſſimi supersint: tunc uigore diuinarum promissionũ, clementiæq; diuinæ, uera iustitia fidei inundabit in immensum, & electorũ ecclesia diffundetur in omnes gentes, & iustitiæ diuinæ splendor claresset ad omnes homines, gloriaq; patriarcharũ longè amplior quàm unquam celebrabitur, illorum scilicet fides atque iustitia.

23 Consummationem enim, & abbreuiationem dominus deus exercituum faciet in medio omnis terræ.

Colendus ubiq; deus.

Verbum abbreuiatum, euangelicam legem, de fide in deum ac charitate in proximum disseminabit deus per Christum, & apostolos in omnem terram. Hæc est promissionum diuinarũ summa & legis, cuius studium dominus imbuet cordibus electorũ, ut non iam in Iudæa colatur deus tantum, sed in medio omnis terræ, ubique & uerè. Huic uerissimo cultui & religioni locum cedent innumera ueteris religionis instituta, sanctiones & cæremoniæ, quæ ad tempus correctionis populo proposita sunt, timore ac legibus ab idololatria coercẽdo, donec spiritus sanctus electorũ corda imbueret, ad colendum dominum deum in spiritu & ueritate.

24 ¶ Propter hoc, hæc dicit dominus deus exercituũ: Noli timere populus meus habitator Sion, ab Assur, in uirga enim percutiet te, & baculum suum leuabit super te in uia Aegypti.

25 Adhuc enim paululum modicum ꝙ, & cõsummabitur indignatio & furor meus super scelus eorum.

Redit ad consolandum pios, habitatores scilicet Ierusalem suo tempore imminente Assyrio, idq; ex ore domini exercituum. Virga quidem percutiet te, tributum extorquendo argenti & auri, & uiolentia qua potuit opprimendo, ut olim patribus faciebat rex Aegypti. Veruntamen ualde post modicũ lapsum temporis aspicies iucundissimum lumen serenitatis, & gratiæ meæ, dum auferam hunc tyrannũ furoris mei, quem propter peccata ipsorum illis imposueram, id enim merebantur populi crimina & superstitiones.

26 Et suscitabit super eum dominus exercituum flagellum, iuxta plagam Madian in petra Oreb, & uirgã suam super mare, & leuabit eam in uia Aegypti.

Illũ autẽ Assyriũ non dissimili miraculo & iudicio iusto cædam ad internetionẽ, subitò & insperato, sine armis & robore exercitus, quo olim perdidi innumerabilẽ quoq; exercitũ Madiantarũ sub Gedeone. Et sicut dudũ aquis rubri maris, sine manibus Aegyptiorũ regẽ cum omni militia ad unum prosternebã & delebã, sola baculi eleuatione per Mosen: sic semper pij saluabũtur, & impij iram meã sentire cogentur suo tempore.

27 ¶ Et erit in die illa: auferetur onus eius de humero tuo, & iugũ eius de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei.

Dum sic impij tyrãni uires cõteruntur, tamq; illustris exercitus, nõ mirum si iugum abijcitur Assyriorũ, si tributa negantur, si libertas restituitur pio regi, si regnum Ezechiæ iterũ augescit & corroboratur. Quæ tamen omnia beneficia abiecti oneris, non populi meritis, sed clementia saluatoris, & pij regis ac sancti prophetæ orationibus impetrãtur, uel quia excessus tyrãnicæ oppressionis, & fastus opulentissimi regis ferre scipsum non potens defluere & euanescere cogebatur.

28 Venit in Aiath, trãsijt in Magron: apud Machmas commendabit uasa sua.

Via hic describitur exercitus Sennherib proficiscentis ab Aegypto, ubi deuiccrat reges, & redibat ad denuò obsidendum Ierusalem. Nomina autem urbium iuxta tempus & homines uariata obscuriorem reddũt sensum. Tendebat enim ad Aioth, interim pertranseundo Migron, deinde in Machmas perueniens exercitum recensuit secundum arma sua, ut legitimè in armis incederet.

Vrbium nomina uariata.

29 Transierunt cursim, Gaba sedes nostra. Obstupuit Rama, Gabaath Saulis fugit.

30 Hinni uoce tua filia Gallim, attẽde Laisa paupercula Anathoth.

31 Migrauit Medemena: habitatores Gabim confortamini.

Per uada alicuius aluei, uel angustias montiũ transierunt, unde ad proximas quasq; urbes terror famæ illius habitatores perterruit, & ad fugam coëgit, qua quiq; possent. Tam remotarũ ciuitatũ, quàm proximarũ nomina adnotantur, ut horror unuersalis in tota terra, non solum Beniamin & Iudæ audiretur, sed etiam alia, quæ tamen iam ciuibus uacua erat Israëliticis.

32 ¶ Adhuc dies est, ut in Nobe stetur: agitabit manũ suam super mõtem filiæ Sion, collem Ierusalem.

Iam uentum fuerat ad Nobe, ubi & pernoctandum prædicitur à Propheta, futura quasi præsentia describendo. Est enim prophetia quæ singillatim futura depingunt. A Nobe exercitum applicat prope Hierosolymæ urbis mœnia, ad montes, qui in circuitu Ierusalem circumiacent, ut terror augeretur infidelium ciuium, hostium uerò audacia maior cerneretur, & gloria futuri miraculi celebrior agnosceretur.

33 Ecce, dominator dominus exercituum præscindẽs ramos (elegantiores) cum uiolentia, & excelsi statura succidentur, & sublimes humiliabuntur.

34 Et subuertentur condensa saltus eius ferro, & Libanus per magnificum cadet.

Dum omnia maximè putantur collapsa & præsens minantur periculum, imò urbis excidiũ, tunc dominus pro fidelibus pugnat, fortissimos quosq; trucidat, & ueluti speciosissimã arborem præscindit duces exercitus, milites deinde omnes, & nihil sinit uiuum, unica quidem strage angelica occidit omnes, maximos & minores. Poëticè tamen, & eleganti prophetico eloquio, quasi pingit tam exercitus apparatũ, quàm cladem impiorum subitaneã, sub metaphora cædẽtis ligna in saltu maximo, sine omni delectu pulchritudinis, imò ut fuerit procerioris staturæ, sic minus nunc illis parcendũ existimat. In summa docet Propheta fiduciam piorum in dominum, ut à quantumlibet magno hostium exercitu non timeant, ubi pro se domini fauorem & gratiã sperare potuerint. Id uerò cõtingit, si prophetæ dominu audiantur, si lex domini diligatur, si seruetur iustitia ad proximum & fides in deum.

Spei locus in deũ, ubi.

CAP.

¶CAPVT XI.

1 ET egredietur uirga de trũco (uel de radice) Ieſſæ, & flos de radice eius ſuccreſcet.

Conſentiunt etiam Hebræi de Chriſto exponendũ hunc locum, qui hic promittitur uenturus ad ſalutem fideliũ de ſemine Dauid, ſicut & Ezechias, de quo iam ſcripſerat propheta. Qui & longè clariorem uictoriã de ſpiritualibus inimicis fideliũ reportabit quàm Ezechias de Aſſyriorũ exercitu. Prædicitur naſciturus Meßias de ſtirpe Iſai, qui pater Dauid, cuius arboris truncus aliquando ueluti abſcindendus, quia radicibus adhuc adhærebat, fructiferum ſurculum prolaturus ſit. Quũ enim ferè periſſe uideretur Dauidis proſapia, prouidentia dei ex Maria uirgine Chriſtum filium Dauidis generandũ ſtatuit, florem odoriferum gratiæ & felicitatis, ſalutiſq; generalis.

Chriſti uictoria illuſtris.

2 Et requieſcet ſuper eum ſpiritus domini, ſpiritus ſapiẽtiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & timoris domini.

Meſſiæ dignitas.

Plenus erit Meßias ſpiritualibus diuitijs & uirtutibus, cui ſpiritus non ſecundũ menſuram datus eſt, ſed ad plenitudinem, de qua omnes electi hauriant: Spiritus ſcilicet ſapientiæ, quum ſit ipſe uerbũ dei quo cõdita ſunt omnia, & ſapientia dei patris: Intelligentia ſecundum quam omnes condidit creaturas, ſicut ad exemplar: Spiritus conſilij eſt, quo omnia inſtaurantur & in finem à deo deſtinatum ordinantur, quum ſit primogenitus creaturæ, & regnum patri redditurus poſt perfectionem omnium: Spiritus fortitudinis, in quo omnia poſſumus, & cui omnia ſubiecta ſunt, qui & mundũ uincit, & fortẽ ligat, ut nocere nequeat: Spiritus quoq; ſcientiæ & cognitionis, quo quæ à patre audiuit narrauit credentibus, non uanitatum huius mundi, ſed ſcientiæ quæ ex deo eſt pudica & ſancta: & ſpiritus timoris domini, qui aliud non eſt quàm ueræ religionis ſtudium, & pietas in deum, cum charitate in proximum, quod dominus exigit pro uero cultu qui ei placeat, & eſt uera religio. Hæc Chriſto homini donata ſunt, ut capiti eccleſiæ, à quo in electorũ animas deriuentur per gratiam dei & unctione ſpiritus ſancti.

Religio uera.

3 Et redolentia eius (erit) per timorẽ dñi, & nõ ſecũdũ uiſionẽ oculorũ eius iudicabit, neq; ſecundũ auditũ aurium eius arguet:

Et redolebit ſuauiſſimus odor & fragrãtia ſui nominis per timorẽ ueræ pietatis per totã eccleſiã electorũ, qui in odorem unguentorũ ſuorum current, & in uera religione & fructibus pietatis ſemper proficiẽt ad uerbum ipſius & exẽpla. Is Meßias Chriſtus dominus, iudex à deo patre conſtitutus eſt uiuorum in eccleſia & mortuorum, qui ut ſapiẽtia dei plenus nõ ignorabit ſecreta cordiũ, hypocritarũ uerba & opera probè noſcet & iudicabit, non ad gratiã hominũ, ſed interna ſpectabit, non ut purus homo, ſed & deus, cuius ſolius eſt ſcrutari cor atq; renes. Neq; ad rumores tantũ & famã arguet, cui patent omnia, qui mendacijs nõ ſeducitur, cui nemo

Meſſiæ omniſcientia.

imponet, qui iuſtitias & iniquitates hominũ non ignorat, ut falli poſſit arguendo quenquam uel fallere.

4 ſed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Et percutiet terram uirga oris ſui: & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.

Omniũ quidẽ iudex eſt, ſed præ alijs pauperũ, quorũ nullus eſt adiutor, quos opprimi nõ ſinet: qui iniuriã patiuntur à diuitibus, hos iuſto dei iudicio uindicabit, & illorũ oppreſſores redarguet per æquitatẽ, qui alioqui deſtituti adfliguntur & opprimũtur à tyrannis terræ. Denuq; percutiet uiolẽtos quoſcunq;, nõ tam ferro, machinis & flãma, quàm uirga oris ſui terrenos homines: ut alter Elizeus uirtute oris ſui percutiet, nõ ad mortẽ, ſed uitam, ut prædicatione ueritatis & iuſtitiæ peccatis moriãtur, & uiuant noui homines. Et ſic ſpiritu uel halitu labiorũ interficiet impiũ, dum addicet illũ in ſupplicium æternum, uel leuiſſima opera rebelles ueritati conuertit uel eliminat irrefragabili uerbo dei.

Meſſiæ iudicium.

5 Et erit iuſtitia cingulum lumborũ eius: & fides cinctorium renum eius.

Non amittetur ferro tyrannico, ad uel ſe tuendũ, uel impios trucidandũ, ſed iuſtitia, fide & ueritate præditus omnia uincet, beneficijs certabit potius, & promiſſiones firmas amicis cuſtodiet, promptus, ſtrenuus & fidelis electorum propugnator.

6 Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubabit: uitulus & leo, & ouis ſimul (morabuntur) & puer paruulus minabit eos.

Iudæorũ aliqui uolũt Meßiæ temporibus naturã rerũ mutandã. Cõtra quos alij Iudæi aſſerũt, æquè nihil altercandum, ut in diluuio Noë, quod quædẽ animalia carne nutriãtur ut inimicitia omnis auferri nequeat. Sed myſticam admittunt nobis intelligentiã huius loci, futurũ illo tempore, ut uiolẽtiſſimi quiq; homines cum manſuetiſſimis, & perfidi cum pijs, gentiles cũ fidelibus cõuenturi ſint, & nõ ut antea cõcertaturi propter unus dei cultũ, quandoqdẽ pacẽ docturus ſit, ac uincere in bono maliũ, diligere inimicos, non iraſci, & ſimilia. Hoc numirũ eſt habitare lupũ cum agno, pardũ cum hœdo accumbere, leonẽ & iuuencũ: & tũ reuera per Chriſtũ iuſtis hominibus ac fidelibus ferarũ rabies nõ nocet, ſed potius cicurabũtur, & ad mãſuetudimẽ reuocabũtur, ut in una eccleſia ſic cõciliãdi ſint aduerſarij, ut à ſimplici & innocẽte epiſcopo & doctore cicurari poſſint ac moderari.

Mutatio rerũ Meſſiæ tẽporibus.

7 Vitulus & urſus paſcentur: ſimul requieſcent catuli eorum: & leo quaſi bos comedet paleas.

Vacca & urſus uelut unum armentũ ſimul paſcent, ut catuli quoq; amborũ pariter accumbere uideantur. Mira enim gentiũ concordia per Euangeliũ ſemper parata eſt, & Euangelica doctrina paratur inter electos: reprobi autẽ ſemper ſuo fato urgẽtur. Leonem ucrò paleas edere, quaſi bos, concordiã ſignificat, & eiuſdem doctrinæ uſum. Innocua doctrina eſt, uerbũ domini, naturali lege per Chriſtũ reformata ad regẽdũ electos: &

Doctrina Chriſti qualis.

contra naturã gratia dominu multa operatur in pijs, & ad manſuetudinẽ reuocans crudeliſſimas gentes.

8 Et delectabitur infans ab ubere ſuper foramine aſpidis: & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet.

9 Nõ nocebũt, & nõ occident in uniuerſo monte ſancto meo: quia repleta eſt terra ſcientia dñi, ficut aquæ maris operientes.

Securitas in regno Chriſti.

Securitas in regno Chriſti deſignatur, ut & aſpidem puer non timeat, ſed poſſit perdere, ablactatus baſiliſcũ perimat. Infirma enim mundi deus eligit, ut confundat fortia. Sapientia mundi uincitur à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto. Fide reſiſtitur leoni rugiẽti. Quanto fideles in Chriſto magis creſcunt, tanto duriora ferre poſſunt, certi contritũ eſſe caput ſerpentis per Chriſtum. Nam & Iudæi hoc loco fatentur, inimicitiã ſerpentis aduerſus Euam finiendam Meßiæ temporibus, in terra fideliũ æquales erunt per dei gratiã omnes, à minimo uſque ad maximum. Id quod nõ Iudæi ſed fideles capiunt, quomodo ſcilicet mons Zion eccleſia ſit fidelium, tuta à portis inferorũ, & ipſis dæmonibus. Nihil enim damnationis eſt eis qui ſunt in Chriſto. Qui igitur tam propẽſi ſunt ad ſanguinẽ fideliũ effundendũ, qui uaſtare non uerentur pietatis profeſſores, hic uident ſe non pertinere ad montẽ ſanctũ, ſed ad deſcẽdentes cum tyrannis ad infera. Chriſti enim temporibus plena erit terra ſcientia domini. Omnes enim erũt docti à domino: à minimo uſque ad maximũ cognoſcent dominũ, & fidei doctrina aquæ operiẽtes erunt uelut mare totũ mundũ. Non remanſit enim locus in terra, quo diuulgatum non fuerit Euangeliũ Chriſti domini. Vnus quoq; ueri dei cultus & religio orbẽ peruaſit totũ, ut de ſua Hieroſolyma & arca Iudæi iactare nihil à tempore Chriſti potuerint.

Mõs Zion eccleſia pacifica.

10 ¶ Et erit in die illa radix Ieſſæ, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit requies (ſepulchrum) eius glorioſa.

Eo tempore per Euangelij prædicationẽ confluẽt ad unus ſolius dei ueri cultũ per Meßiam Chriſtũ omnes populi, qui fuerat eorũ expectatio, colligenturq; ueluti ad uexillũ exercitus, ad quos ab omnibus reſpicitur, ad Chriſti tropheum ac imperiũ ſe ſubdentes, eum requirent, iußaq; ipſius ſeruabũt, & erit, non ſepulchrũ, ſed gloriæ ſuæ regnũ glorioſum, quod illi pater cum omnibus dedit, ut ſedeat ad dexteram ſuam in excelſis, tanto glorioſior angelis effectus, &c. Quia enim humiliauerat ſe ad mortẽ crucis, deus exaltauit eum, & dedit illi nomen, &c. Perpetua enim pace regnabit, quod eſt glorioſam eſſe manſionem illius & quietam.

Vexillum Chriſti regis.

11 Et erit in die illa: adiñciet dominus ſecundò manũ ſuã ad poſſidendũ reſiduũ populi ſui, quod relinquetur ab Aſſyriis, & ab Aegypto, & à Phetros, & ab Aethiopia, & ab Aelam, & à Sennaar, & ab Emath, & ab inſulis maris.

Cõgregatio fidelium.

Per Chriſti domini noſtri myſteriũ, omnipotẽs deus, iam alia uice, & alio quoq; modo colliget fideles ac electos ſuos: non iam Iſraëlem ſecundũ carnem, cuius ratio ſicut & carnalis cõfœderatio penes deum iamdudũ neglecta cernitur, ſed ſecundũ fidem & ſpiritũ Iſraëlem ſuum in auream cõgregabit Hieroſolymã. Imò nihil hic de Hieroſolyma dicitur urbe Iudaica, ſed de ſacroſancta eccleſia, in qua ſunt populus domini, & fideles filij dei, diſperſi per mundũ, quos Chriſtus moriturus, ſe congregaturum fatetur ex omnibus gentibus, regnis, plagis terræ, ad unum ſinum Abrahæ, in qua recũbent. Quomodo enim & quando Iſraëlitæ reuerſi fuerint ex hic nominatis regnis, ad felicitatẽ aliquã, nec oſtendere potuerunt interim, nec unquam oſtendent, præter eam, quam in Chriſto habere poßũt ſecundũ ſcripturas, non carnaliter, ſed deo digno ſenſuintelligẽdas, non ad regnum corporale & caducum, inter mortales ſub mortalibus, ſed ſub Meßiæ regno: qd' quũ æternũ eſſe debeat, corporale eſſe nõ poteſt, & ideo nec ad unum locũ aliquem, quantumuis magnũ, etiã decies Iudæa latiorem, colligi poſſunt fideles uiui, multò minus ſi de morte ſurrexerint uel ſoli Iudæi, ad temporaliter cum ſuo Meßia regnandũ. In ſpiritu autẽ & ueritate Chriſtus regnat ſemper, ubiq;, & ſuper omnes credẽtes deũ Abraham, Iſaac & Iacob. Quem Iudæi infeliciſſimi ob humilitatẽ reſpuentes, & ſuper ſe regnare nolentes, meritò ſerui ſunt & miſerrimi hominum, donec agnouerint quid ſit regnũ æternũ filij Dauid, quid Ieruſalẽ capax omnium fideliũ, qui filij Abrahæ ſecundũ fidem & illius iuſtitiã, cuius & ſectatores. De quibus paßim lex & prophetæ ſatis luculenter docent, niſi uelamine tegerẽtur Iudæorum oculi, inuidia ſcilicet, auaritia, ambitione, ira, odio, & cupidine uindictarum.

Felicitas Iudæorũ.

Regnum Chriſti.

Velamen Iudæorũ.

12 Et leuabit ſignum in nationes, & cõgregabit profugos Iſraël: & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.

13 Et auferetur zelus Ephráim, & hoſtes Iuda peribunt. Ephráim non æmulabitur Iudam, & Iudas non pugnabit contra Ephráim:

Dominus ueluti ad magnificũ interſigne & uexillũ, crucifixi ſcilicet filij dei pro peccatis mũdi, prædicatione apoſtolica cõuocabit omnes gẽtes, & colliget diſperſos Iſraëlis & Iuda, à quatuor plagis orbis in unitatem catholicæ profeßionis: ceſſareq; faciet æmulationẽ illã, quæ tantopere ſemper uiguit inter Iudam & Ephraim, etiã ſub rege Dauid, multò magis poſtea: tantũ ſub filio primo Dauid Salomone aliquandiu is zelus aberat, ſub ſecundo quoq; Dauidis filio Meßia in totũ auferendus. Quem zelum iam à duobus millibus annorum ceſſaße nemo ignorat. Sub Chriſti autẽ regno orbem cõſenſiſſe totum in cultum omnipotentis dei æquè nemo ignorat, ut iamdudum non ſolum diſcrimen ceſſauerit Iudæi & Ephrem, ſed etiã Græci & Latini, Hebræi & Samariæ, imò uiri & fœminæ in Chriſto domino.

Colligit fideliũ.

14 & uolabũt in humero Philiſthiim p mare, ſimul prædabuntur filios orientis. Idumæa & Moab præda (uel præceptum) manus eorũ, & filij Ammon obedientes erunt.

Quis

Spolia Iudæorum in orbe sacra.

Quis uel cæcutiēs Iudæus, multo minus fidelis & sacræ scripturæ studiosus, non uidet apostolos, & ex omnibus gentibus congregatos Hierosolymis, quos deus elegerat in omnē terrā dispergēdos in die pentecostes, eruditos in lege domini, Iudæos ad Christi fidē uocatos, & postea Paulū cum reliquis totū inuasisse orbē prædicationibus suis, & domino attulisse, collegisseq; in unā ecclesiā opima spolia multarū gentium? Quis ignorat uiuentibus adhuc in carne apostolis, unius dei fidem, & incarnati filij sui mysterium prædicatum fuisse in totum orbē Romani imperij, & usq; ad Indos? Quis non hæc spolia pluris faciat pius homo, quàm omnium imperiorum argentū, aurum, gemmas & pretia alicubi comportata si quis offerret ut propria? Philisthijm aūt alienigenæ dicuntur, & ubiq; gentium omnū austeriorem inuestationem à pijs passam significant. Harum atque aliarum omnium gentium prædas fideles obtinuerunt, Christo domino plenam obedientiam professi sunt, & continuò profitentur ex illis ubiq; non pauci: propter peccata autem perfidorū interim hæc felicitas ecclesiæ non modicum diminuta fletur à pijs, & speratur prope tempus restituēda à fidelibus post antichristi deiectionem, ut fuerat antè, & si domino placuerit, ut speratur, longè felicior, in spiritu & ueritate, non temporalium luxuum amplitudine & uanitatibus.

Spes indue cendæ pietatis in Christo.

15 Et desolabit dominus linguam maris Aegypti, & leuabit manū suam super flumen in fortitudine spiritus sui: & percutiet eum in septem riuis, ita ut transeāt per eum calceati.

16 Et erit uia residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyrijs: sicut fuit Israēli in die illa qua ascendit de terra Aegypti.

Aegypti flumina & Assyriorum, imò omnia obstacula uiæ, quo minus perueniatur ad regnum Christi dominus amouebit. Spiritus enim magnus adflabit electorum corda, ut facilè Euangelio credentes toto conatu aduolent ad pietatis cultum, & ueram religionem amplectendam, ut nullis calamitatum aquis remorari possint à professione ueræ fidei in uerum & unum deum, per Christum dominum dei filium & mundi reparatorem. Properabunt enim Christi odore tracti cum gaudio ad uiam ueritatis & uitæ, emersi & liberati de tenebris Aegyptiacis, & à seruitute Pharaonica, subuersis mundi totius erroribus, circa unius ueri dei cultum. Quos mortuos in littore iacentes uidisse, est sacræ scripturæ testimonijs agnouisse causas tam abominabilium errorum. Denique sicut Aegyptijs submersis Israēl feliciter euasit: sic electi procedunt per salutis uiam, per huius seculi solitudines, non sine tentationibus, in quibus tamen beneficijs diuinis nemo destituitur, quoties in fide dei clementia inuocatur. Non enim manna illis deficit sacræ scripturæ, nisi si quando fastidio eius murmurent, & ad Aegyptiacas cepas & ollas malint diuertere, suo damno esuriem passuri. Linguam maris, intellige iterum littus maris, uel tractum, ductum, uel alueum.

Ad Christū properabit mundus.

CAPVT XII.

1 ET dices in die illa, Confitebor tibi domine, quoniā iratus es mihi: conuersus est furor tuus, & consolatus es me.

Pro reuelata sibi prophetia nobilissima de Christi mysterio, ex certissima fide, quasi iam subinde complendum de proximo sit quod prædixit, erumpit pijssimus propheta Esaias in canticū gratulatorium, ueluti epilogi prædictorū uice, magnificis uerbis gratias agendo domino deo nomine ecclesiæ & omniū fideliū, alios quoq; inuitando ad laudē, & dices inquit, Quisquis fidelis salutare hoc domini cernes, gloriam dei propagari in gentes, & filios Abrahæ multiplicādos supra harenam maris, & creatori reconciliatos homines, quos repulisse uidebatur, solo semine Iacob electo: pro hac tanta gratia dices, eo tempore quum compleri uideris quæ nunc prædixi: Confitebor tibi domine, gratias agam, & collaudabo bonitatem tuam, qua sola prouenit nobis tanta salus, non nostris meritis. Quia iratus mihi fueras, puniendo me multis tam criminibus, quàm peccatorū pœnis, quibus iamdudū subditus fui & oppressus, certum indicium iræ tuæ, nunc uerò reconciliatum te ostendis, uocando ad gratiam, ad tui cognitionem & amorem, quibus usque nunc carui. Iam enim auersus est furor tuus, remittendo peccata, liberando ab erroribus, ex inferno euocando, gratiā largiendo cōsolatus es me, conscientiā meam Euangelio gloriæ tuæ per Christum & in Christo mihi donatum.

Epilogus in cantico.

2 Ecce deus saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea, & laus mea dominus deus, & factus est mihi in salutem.

Hactenus durum iudicium pertuli te mihi iustè irato, nunc uerò mirabili clemētia tua uersus es mihi in deum saluatorem, quum aspicere te non auderem, præ confusione cōscientiæ, tu ineffabili modo me redimis de inferno, & saluas à damnatione æterna. Sperabo ergo posthac, & non desperabo: fidam, & non formidabo, non in meritis meis, quæ nihil sunt, cum nihil boni possim sine tuo auxilio. Tu enim solus es robur meū, mihi nihil tribuo, tibi cano salutare meum, tibi acceptum refero, si quid boni in me inuenero.

3 Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris:

Aquas sapientiæ salutaris, qua deum agnoscatis, & illius beneplacitum, fontem & authorem totius boni uestri, non aliunde haurietis, quàm de fontibus saluatoris, de Euangelio filij sui, de doctrina noua Christi domini: quandoquidē etiā Iudæis asserentibus tempore Messiæ docebitur noua sapiētia de rebus diuinis, qualem nemo hominum antea docuit.

4 & dicetis in die illa, Confitemini domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuētiones eius: mementote quoniam excelsum est nomen eius.

Quum cōscientiæ refrigerium ex aquis uitæ æternæ

per Christũ cõsequemini, etiã summopere curabitis, ut alij quoq; & salutẽ consequãtur & in fide erudiãtur, unde & ipsi quoq; similiter domino gratias dicant, ut non soli uos aquas uitæ bibatis, sed & alijs ad salutẽ bibendã copiosè propinetis. Solum dominũ inuocetis, & illius sacrosancta iudicia, & beneficia collaudetis & deprædicetis, ut & alij agnoscant, quantus sit dominus & quàm sanctè colẽdus, quid humano generi per Christum cõtulerit, & quid nos illi uicißim debeamus.

5 Cantate domino, quoniã magnificè fecit: annuntietur hoc in uniuersa terra.

Magnifica dei in Christo.

Psallite domino omnes gentes, non soli Iudæi, quia ardua fecit, cœlos inclinando, & descendendo non iam in rubum, nubem, arcam, templũ, prophetas, sed in semen à seculis omnibus prædictum & benedictum, in quo no uißimè apparuit nobis in filio suo, inter homines cõuersando, & salutem perficiendo, ex charitate tanta qua maior cogitari non posßit. Re uera ardua fecit, & supra omnium hominũ opinionem, cuius simile nunquam sit uel cogitatum uel factum. Canite, inquam, & celebrate beneficium gratiæ & gloriæ suæ, ut sciatur per omnia secula in omni terra.

6 Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israël.

O habitatrix Zion ecclesia electorũ, mater fideliũ, eleuata uoce lauda dominũ, prædica bonitatẽ illius immensam, & cura ut maximus habeatur in te dominus, ut ipsius gloriã & misericordiã intra te sentias talem qualis est, ipsumq; sanctifices, ut & ab eo sanctificeris: ne illum in arctum Iudææ uel templi locũ coarctes, sed sanctitate & potẽtia omnia replentẽ, gubernantẽ & sustentantẽ agnoscas, uenereris, & diligas sup omnia.

Epilogus.

Hactenus diuinitus inspirata oratio Prophetæ, qua hortatus est Israëlitas Iudæos ne timeant Assyrium, non petant auxilium à Rasin, qui illis mala illaturus sit, iuuare non posßit, qui & ipse destruendus sit: cõsilia hostiũ improbat, Meßiam expectandum uerum cõsolatorem omnium fideliũ, qui & nasciturus sit, & suo imperio omnia occupaturus, etiã Assyrijs imperitaturus. Perdendus Rasin non sine incommodo Iudææ, pro quo abigendo non nisi uerbo dominũ obsequendũ esse, & Emanuelem sperare, quem & de tribu Iuda prodituruũ describit. Iam deinceps subiungit decem orationes propheticas, aduersus eas gentes, quæ potißimum aduersabantur Iudæis.

¶ CAPVT XIII.

1 ONus Babylonis, q̃d uidit Isaias filius Amoz.

Babylonio rum fata cũ suo rege.

Superbißimæ urbi Babylonæ & gentium crudelißimæ oppressori, populiq; dei & sanctæ urbis uastatrici, qualis uindicta, fatum, & compensatio reddita sit, & dudum antea prædicta à prophetis, hic legitur, & completa experiẽtia historiarum docetur. In eum autẽ finem à prophetis memoriæ traditũ, ut prouidentia dei circa humana omnia doceretur, fideliũ fides ad uerbũ dei cõfirmaretur, & exemplis ostenderetur quale iudicium dominum maneat tyrannos populorum, superbos reges, atrocißimos populos, pro nihilo ducẽtes ad libidinẽ suã uastare terras, opprimere populos, & siue pios siue impios inuadere, tantum ut crescat ipsorũ potentia, facultas & dominium. Qui ut pari crudelitate cum Babylonijs insanũt, simili quoq; iudicio puniuntur semper à domino: ut quum ad fastigium se peruenisse imperij credunt, horribili, sed æquißimo iudicio dei præcipitentur in sordes & confusionem. Docetur interim modestia habenda in successibus mundanarũ felicitatũ, ne abutantur potẽtes potentia sua, & non per crudelitatẽ agant, sed dominum timeant, in cuius manu stant omnia: qui imperia erigit, mutat & disperdit ad nutum: qui iustitiã præcipit & æquitatẽ, eis quos potentia clarificat, & utitur uelut instrumẽto ad operas suas. Excidiũ autem & calamitosum fatum diuino iudicio decretũ cõtra Babylonem, & à prophetis prædictũ, onus dicitur, uel ærumnæ Babylonis. De cuius urbis incredibili magnitudine, gloria, & ædificijs scripserunt, Quintus Curtius, Strabo, Herodotus. Eius dicitur latitudo fuisse duodecim miliarium. Quæ autẽ hic futura referũtur, facta legimus primo anno Cyri, qui auxilio Astyages expugnauit Babylonem. Nullũ unquam fuit angustius & florentius regnum, eatenus tamen iudicio dei subuersum, ut temporibus Hieronymi hortus tantũ superfuerit.

Onus quid dicatur.

2 Super montẽ caliginosum leuate signũ, exaltate uocem ad eos, leuate manum, & ingrediãtur portas magnificas (uel duces.)

Contra superbißimi regni & monarchiæ maximæ matrem, & amplißimam urbem, in campo quidem sitam, sed ædificiorum altitudine & mole montis maiestatem præ se ferentẽ Babylonem, leuate uexillum, indicite bellum, claßicum canite, mutuum uos adhortamini ad uastandum eam, ad uicem rependendum crudelitati illius, & sine difficultate uel impedimento ingredimini portas eius urbis, ubi principes habitant, orbis prædones, & tyranni omnium regnorum, pariter ibidem dominantes ad libidinem regum Babyloniorum, uelut in antro suo latrones orbis.

3 Ego mandaui sanctificatis meis, & uocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea.

Ego dominus omnipotẽs & longanimis, iustus & zelator æquitatis, iam statui uoluntatis meæ executores Persas & Medos, quibus promptam uoluntatem dedi, ad gratificandũ mihi, in uindicta sumẽda de crudelibus tyrannis. Facilè dominus impiorum suscitat excidium per impios, dum tempus ultionis aduenerit, dum impleta fuerit mensura peccatorum. Fortes meos quos robore instruxi ad opus uindictæ meæ prosequendum, qui & cum gaudio & exultatione inuadere cupient, quos odi, & gloriæ meæ & maiestatis assertores erunt etiã ignari iustitiæ meæ.

Excidia piorum & impios.

4 Vox multitudinis in mõtibus, quasi populorũ frequentiũ, uox sonitus regnorũ gentium congregatarũ: dominus exercituum recensuit militiam belli.

illico

Illico ad præceptum omnipotentis non libera hominum electione populi tumultuantur, & ueluti in montibus fragorẽ ad remota diffundunt, ut populus multus & magnus cõgregatus ex multis nationibus et regnis, uno cõsensu paratis ad prosternendũ Babel, à qua iam omnes afflicti se uindicare cupiebãt, dum de sua potẽtia & crudelitate præsumẽtes, pulcherrimo orbis spectaculo cõtingit crudeliter uicissim tractari ab eis, quos ipsi imperiose oppresserãt. Quorũ instigator & dux belli tunc dominus erat, in cuius arbitrio stant omnia. Eius ergo opus est dum populi cõgregãtur, dum prælia committuntur, dum potentes uiolentiam patiuntur.

5 Veniẽtibus de terra procul, à summitate cœli: dominus, & uasa furoris eius, ut disperdat omnem terram.

In longinquum distenderat imperium suum, multos subiugauerat, ideo de longinquo hostis ultor accersitur tyrannis, de finibus cœlorum, de omnibus plagis terræ sub cœlo. Dominus aũt est qui hæc disponit, qui iustitiã administrat suis instrumentis, qui uasa iræ suæ ordinat ad uindictam impiorũ, in tota terra, nunc hic, nunc alibi uastando improbos oppressores. Nemo Turcarũ irruptionem miretur, uel aliorum, sed de suis publicis & priuatis cogitet peccatis. Domini est potestas & opus, propter ulciscenda mala hominum.

6 Vlulate, quia prope est dies dñi: quasi uastitas à domino (uel à uastatore) ueniet.

Iam ululate uos quoque Babylonij, qui tot gentes improbitate uestra iamdudũ afflixistis, & lugere fecistis, iam uobis rependetur, iam tempus retributionis instat, iam uastatoribus uastator aduenit, iam ab omnipotẽte uestra opprimetur potentia, quo minus cuiquam ex uobis pateat qualecunq; effugium.

7 Propter hoc omnes manus dissoluẽtur, & omne cor hominis contabescet,

Tam dei terrore perculsi quàm crudelitatis cõscientia, nunc anxij, uiribus undiq; destituuntur, dissoluitur robur, effœminatur crudelitas pristina, & toto corde tabescunt manũ domini sentientes, quam non crediderant, & ex propriis malis experiuntur damna alijs illata sua tyrannide. Terror & subitum periculũ facit, ut cor prematur & ratio, ut nescias quod scire oportebat, & tremore membra corripiuntur.

Contra belaces.

8 & cõturbabuntur: torsiones & dolores tenebũt, quasi parturiens dolebũt. Vnusquisq; ad proximũ suum stupebit, facies combustæ uultus eorum.

Conterrebuntur & stupebunt ad grauissimas angustias, ueluti etiam torsionibus intestinorum, quas ferre nequeant, præ doloribus & pauore ignorantes quo se uertant. Non secus ac doloribus parturientium apprehensi effugere non ualentes: ita quocunq; diuerterint, hostes inuenient, ubi socios & amicos putabant, ut fieri solet tyrannis, dum inquiritur in eos, dum confusione cõscientiæ pro tot facinoribus stupent, & facie confusissima perturbantur præ horrore instantis pœnæ, quam iustè se meritos agnoscere coguntur à domino, uel inuiti tandem. Hoc dudum illis fuerat cogitandum, quo dominum timuissent, & ab iniuria temperassent. Vultus flammarum stuporem mentis dicit, quum sanguis ebullit in faciem.

Tyrãnorũ iudicium.

9 Ecce dies domini uenit, crudelis, & indignationis & iræ, furorisq; ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea.

Quantumlibet diu tardare uideatur iudiciũ domini, certissimè tamen ueniet, ac citius denuq; quàm putabatur ac durius. Iustus enim est dominus, & iustitiam diligit, ac abundãter rependit facientibus superbiam, usq; ad uastationem totam terræ, contra omnũ opinionem, peccatorumq; in ea habitantium: saluis interim iustis, quibus omnia prosunt.

10 quoniam stellæ cœli, & splendor earum non expandent lumen suum. Obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit, (in) lumine suo.

Tanta manet impios scueritas ultionis, ut omni destituantur tam solatio quàm auxilio, sic ut quicqd uspiam cernitur & occurrit, hostile sit, & perturbationẽ doloris q; & perditionis materia, cum desperatione extrema, ut etiã cœlũ ipsum & elementa cõspirasse uideantur in exitium impiorũ, & post tam horribilẽ noctem aduersitatũ nulla supersit fiducia solis orituri, restituendæq; salutis. Quod & Babylon contigit funditus deletæ, quæ fuerat orbis domina. Varia sentẽtia Hebræorum quod astrum כסיל dicatur, & inutilis disputatio: quidam Oriona putant cum cingulo.

Iudiciũ orbis contra impios.

11 Et uisitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quiescere faciam superbiã contumaciũ, & arrogantiã uiolentorum humiliabo.

Hoc enim pacto tam contra Babel quàm contra deprauatũ orbem uniuersum uisitabo malitias impiorũ, ut omnem superbiam deijciam, tyrannorumq; contumaciam prosternã, qui licet non sine domini uoluntate grassentur in impios, iniqua tamen intẽtione, & supra modum, non ad obediendum deo, sed ad satisfaciendum furiæ & auaritiæ peccant.

12 Pretiosior erit uir auro, & homo præ auro obryzo.

Nulla locũ habebit clementia cõtra Babylonios, pro nullo quoq; auro dimittentur captiui, nemini quacunq; ratione parcetur, ut ipsi quoq; nulli pepercerũt. Nullam quoq; hominũ frequentiã futuram dicit, sed summam raritatem, ut solet fieri post clades. Omnes sanguinem effundere malunt quàm aurum rapere.

13 Super hoc, cœlũ turbabo: & mouebitur terra de loco suo, propter indignationem dñi exercituũ, & in die iræ furoris eius.

Agnoscent iram domini oppressores orbis, ex ipso cœlorum influxu, qui nihil nisi horridum, exitiale, cruentumq; prætendẽt, fulgure, tonitruo, cometis, et fulminibus, tota aëris inclemẽtia militabo contra eos, terræmotu obruã, & ex omni parte scueritatem iustæ ultio-

nis inducã ſuo tempore. Hyperbolicæ ſunt locutiones.

14 Et erit quaſi damula fugiens, & quaſi ouis: & non erit qui cõgreget. Vnuſquiſq; ad populum ſuum conuertetur, & ſinguli ad terram ſuam fugient.

Aduenæ ac alienigenæ qui quacunq; ratione Babylonem inhabitauerant ablato regno & urbe exciſa, natale ſolum repetent, aufugient quicunq; diuites, ut cæpe timida, cum ſuis familijs, negotiatores ac milites, ut quiſq; poterit, ſine ordine & ſocietate confuſi, inopes conſilij, rebuſq; perditis, uix uitã auferẽtes pro ſpolio, optantes ſe nunquam Babylonem uidiſſe: ſic enim & ipſi Babylonij olim urbes tractauerunt.

15 Omnis qui inuẽtus fuerit, occidetur: & omnis q collectus fuerit, cadet in gladio.

Siue ſolus quis profugerit, ſiue cum multis, omnes occidentur, euadet nemo: gladio cõcident & interibunt, qui gladium temeritate ſua ceperant, & humanu ſanguinis effuſione luſerunt.

16 Infantes eorum allidentur in oculis eorum: diripientur domus eorũ, & uxores eorum uiolabuntur.

Infantium atrox homicidium.

Rependetur Babylonijs ſanctorum imprecatio, ut benedicti ſint qui illius paruulos allidant ad petrã, qui nulla miſericordia tractabant miſeros, ut cogãtur cernere infantium quoq; ſuorum crudele exterminium, qui prauã uoluntate iudiciũ dei executi ſunt, Zedechiæ filios occidendo aſpiciente miſerrimo. Curandũ igitur omnibus, ut quod iuſtũ ſit iuſtè exequantur: nihil agatur per furiam: modus ſeruetur, etiam ad impios puniendos. Nihil atrocitatis obmittetur in excidio tyrannorum, ubi dominus iraſcitur. Domus diripiuntur & uxores turpiſsimè ſtuprantur, idq; aſpicientibus uictis.

17 Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentũ non æſtimabũt, nec aurũ uelint.

Expoſitio clarior eſt prædictorũ, pertinens ad exaggerationẽ mali perpetiendi. Quos ſibi cum alijs regnis ſubegerant Medos, hos tunc dominos coguntur & uictores agnoſcere: & qui pacificè ueluti dormierant in delitijs ſtertentes, hos nunc dominus excitat ad iuſtitiã aſſerendã in impios, ſine omni uel miſericordia uel redemptione quacunq; auri uel argẽti, quibus ſanguis hoſtium gratior eſt quàm diuitiæ, licet utriſq; dominẽtur: ſed auaritiam ſuperabit atrocitas.

18 ſed ſagittis paruulos allident, & fructus uteri non miſerebuntur, ſuper filios non parcet oculus eorum.

Hebræi quidem exponunt paruulos iaculorum uice arcubus traijciendos in parietem. Aeque dici poteſt, allidendos arcus iuuenũ, ut nihil tueri ſe ualeant. In ſumma autem addit, nulla miſeratione tractandos Babylonios, ut etiam imbelli ætati & infantibus non parcendum ſit, par pari repenſo.

19 Et erit Babylon illa glorioſa in regnis, inclyta ſuperbia Chaldæorũ, ſicut ſubuertit dominus Sodomam & Gomorrham.

Rerum uerſio.

Elegantiſsima omnium urbium redigetur in uaſtiſsimam ſolitudinem, ut ne nomen quidem permanſerit, ſed illius loco cõditæ ſint Seleucia & Cteſiphon, Parthorum uici. Comparatur autem Babylonis ſtatus Sodomæ & Gomorrhæ non per omnia, ſed ob idem iudiciũ domini, eademq; peccata, quibus præter infame nomen nihil ſuperſit, campus ut ſit ubi Troia fuit, orbi toto expoſitæ in fabulã, nunquamq; ut fuerant reſtituendæ in ſuam gloriam, tam Babylon quàm Sodoma.

20 Non habitabitur uſq; in finem, & non inhabitabitur uſque ad generationẽ & generationẽ: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec paſtores requieſcent ibi.

21 Sed requieſcent ibi beſtiæ, & replebũtur domus eorum draconibus: & habitabũt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi,

Iucunda olim erat potẽtiſsimis regibus, nunc eam paſtores ouium dedignãtur, abhorrent feræ & iumenta, nulla hominibus habitatione utilis eſt, nec ullatenus reparanda: tantũ his feris & fœdis animalibus ceſſura locũ, quæ ſolitudines amant, & inuia loca, ſatyris & faunis, & ſi quid aliud orbis horridũ fouet & crudele.

22 & reſpõdebũt ibi ululæ in ædibus eius, & ſyrenes in delubris uoluptatis.

In regijs delicatiſsimiſq; palatijs tyrannorum, pro cynedis uel meretricibus ſatyri habitabũt, & pro cantoribus audientur ululæ. Quæ omnia & facta ſunt Babylonæ ob impietatem ſuam, & ad exemplum deſcripta ſunt, certiſsimeq; uſui futura omnibus ſimilem illis uitam ac crudelitatem acturis. De duplici Cyro & Babyloniorum ſubuerſione legantur hiſtoriæ ſæculares, ut ſupra.

CAPVT XIIII.

1 ET prope eſt ut ueniat tẽpus eius, & dies eius non elõgabuntur.

Tempus prouocat.

Exaltatio & proſperitas impiorũ, ſicut terror eſt & oppreſsio piorũ: ſic dum humiliantur & deprimuntur perfidi, conſolantur electi. Ideo Propheta Babylonis excidiũ propinquum denuntiat, quia ad illud tempus captiuitas Iudæorũ ſoluenda eſſet. Quòd ſi cauſentur aliqui dilationem ad temporis prolixitatem, quandoquidem à tempore Eſaiæ uſq; ad Babylonis excidiũ plus quàm centum anni fluxerunt, hi cõuincuntur modicæ fidei homines. Quandoquidem qui uerè domino fidunt, exilium in hoc mundo nullum ſentiunt, etiam patria extorres, niſi id à quo diſſolui cupiunt & eſſe cum Chriſto. Alioqui dei ordinẽ magnanimiter ferunt, & toti pẽdent ſemper à domino, cuius prouidentiam agnoſcunt in omnibus.

2 Miſerebitur enim dominus Iacob, & eliget adhuc de Iſraël, & requieſcere eos faciet ſuper humum ſuam: adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob.

Prophetia quidem eſt de Iudæis reuerſuris ab exilio in patriam poſt Babylonem deſtructam, quam conſtat impletã ſub Zorobabel, Ezdra & Neemia, ſed, ut Iudæi quoque fateri coguntur, ſatis incompletè. Miſertus eſt enim dominus nõ tam Iacob quàm paucis Iudæis, bonis

redeun

redeuntibus, maxima Iudæorum parte inter gentes manente etiam sua sponte. Quietem eis dedit super terram suam, ut non prævaluerint hostes, licet nunquam nō mesti fuerint tam templum quàm murum urbis ædificantibus, ut hanc felicitatē de qua hic dicitur, nō aliam sperent Iudæi, nec nos agnoscamus aliā quàm eam qua Christus dominus fideles suos, rex ipse Meßias, ucros in fide Israëlitas lætificat, eligit & defendit: sub quo non solum Iacob et Israël, sed etiā gentes et aduenæ gaudent in domino, quē ut solū credunt, sic ei soli seruunt, dignè eum colunt, & ad uerū semen ac domū Iacob aggregantur, ueluti cognati fratres, & filij Abrahæ secundum fidem qua deo placuit, ac in Christo membra unius corporis.

Felicitas Israelitarum.

3 Et tenebunt eos populi, & adducēt eos in locum suum, & possidebit eos domus Israël super terram domini in seruos et ancillas: & erunt capiētes eos qui se ceperāt, & subijcient exactores suos.

Expectatio Iudæorum inanis.

Iactant Hebræi obsequia sibi præstanda à gentilibus, quos in seruos et ancillas habituri sint Meßiæ temporibus, idq; iam expectant futurū plus quàm à duobus millibus annorū, prolixiori tempore secundū ipsos quoq;, quàm ab Abraham ferè usq; ad Esaiæ tempus fluxerit. Semper aūt expectant suam non dei sui gloriā, corporalia non spiritualia, quæ & potiora dei sunt ad homines beneficia. Ideo nunquam exaudientur, nunquā consolabuntur, quia quod patriarchæ sancti maximè desyderasſent, dei sui uniuersalem gloriā ex ipsorū semine propagandā, id infelicißimi Iudæi nihili ducunt, imò magis inuident, donec regnū terrenū in insulis fortunatis, et aureos montes assequantur, quæ sola somniant, gloriæ diuinæ minumè studiosi, sed tantū suæ, ut semper fuerūt: quā quanto ardentius cupiunt, & per fas & nefas studiosius uenantur, tanto minus assequuntur, donec dei solus gloriā quærant, quā in Christo dño nostro, agnoscēt. Interea uerò nos hunc illis locū sic exponimus, et cōpletū luce clarius ostēdimus in Christo & apostolis, Iudæorū sanctißimis & reliquis discipulis, & apostolicis uiris primitiuæ ecclesiæ. An non illi ceperūt gentes, non unā & alteram, sed omnes? & introduxerunt eas, ad suum locum, ad Hierosolymam, ad ciuitatem cultorum unius ueri dei, in montem Zion, ubi mysteria salutis & gloriæ dei agnoscunt, in ecclesiam electorum, quocunq; ea locorum sit, quum dominu sit terra et plenitudo eius. Denuq; ueri illi Iudæi, imò Israëlitæ, quibus deus pro uoto obsequitur, ipsa ecclesia sponsa, dominatur gratiosißimo ac sanctißimo sponso, hi inquam reliquiæ prioris populi, in hæreditatem capiunt ac possident in Christo, & sub Christi regno, totam gentilitatem, omnia regna mundi: in seruos quidem & ancillas, nō misera necessitate beloq; coactos, & inuitos, sed deuotißimos domino deo suo, & omnibus in Christo fratribus. Qui enim domino credit, libertus fit domini, & ingenuus. Factum est etiam perfectißimeq; completum, ut Israël uerus, fideles adoratores domini dei Israël eos ceperint, populos scilicet, sed in uinculis fidei, spei et charitatis, qui dudum ad mortem persequuti fuerant propter deum uerum electos. Et qui propter idola sua unius dei cultores toto terrarum orbe primum quidem exitiali odio persequebantur, deinde etiam multis generibus mortis delere conabantur. Ii tandem per Euāgelium Christi domini capti, & in rete ecclesiasticum collecti, sic fidei & ueritati gloriæq; dei obnoxij redditi sunt, ut nihil dulcius amplecterentur, quàm pro nomine domini dei sui diuitias, honores, amicos, filios, corpus & animam, totumq; mundum contemnere & resignare. Hæc est inquā uictoria mundi, qua mundus uincitur ab electis. Hæc felix seruitus, & beata libertas, ad quam stulti Iudæi nihil respicientes, pro carnali captu suo et priuata gloria sua, nunquam peruenunt, donec mysteriū Meßiæ clarè didicerint, quod hactenus in totum ignorasse cōuincentur, ex his potißimum locis in quibus se stulti carnaliter uanēq; cōsolari nituntur, semper interim miserrimi animis atq; corporibus, quia non dei gloriam quærunt, sed suam.

Euangelio captæ gentes.

4 ¶ Et erit in die illa: quū requiē dederit tibi dominus à labore tuo, & à concussione tua, & à seruitute dura qua antè seruisti,

5 sumes parabolam istam contra regem Babylonis, & dices: Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum?

Irrideant & insultent Iudæi sequentibus uerbis Babylonis regem & regnum. Id enim potuerunt reuersi Hierosolymam, sed tam tenuiter & minus complete ac paruo tēpore, ut longe id melius poßint fideles in Christo, quorum redemptionis ex diabolica captiuitate & mundana, hæc Babylonica typus fuit et umbra. Sic ergo promittit sanctis pius propheta uerbo domini, Cum tibi dominus requiē concedet ab ærumnis tuis infelicißimæ infidelitatis, & ab idololatriæ miserijs, & à perturbatione tua, qua propter me & peccata tua continuo defatigaris, & à dura seruitute qua oppressus es ab impijs Babylonicis tyrannis, ab huius mundi principibus, tenebrarum harū: tunc assumpta parabolica cantione, contra regem confusionis, uel Hierosolymis si placet, cum Iesu filio Iosedek, uel cum Iesu filio Dauid regnante semper & ubiq; in regno piorum & electorum sic dices, Quomodo cessauit Babylonicus uel satan exactor, cessat quoq; aurum tributarium: quomodo qui omnes opprimebat iam cecidit confractus & oppressus ab omnibus, & qui mundum tot immanibus erroribus captum tenebat, rex ipse tenebrarum, ac filiorū superbiæ, quomodo nunc quoq; & ab eo tempore semper spiritu labiorum Christi occiditur, & illius arma in quibus fiderat sortis diripiuntur.

Redemptio duplex.

6 Contriuit dominus baculum impiorum uirgam dominantium,

7 cædentē populos in indignatione, plaga insanabili, subijcientem in furore gentes, persequentem crudeliter.

Potestatem impiorum solus dominus conterere potest, à quo & postulandum. Et quicunq; possunt impedire debent, quo minus impij eligantur in magistratum, quos dominus odit, iusticiæ deprauatores quam unicè amat. Iustè igitur Babel cæditur, & omnes tyrannici

Magistratus qualis eligendus.

reges, quia per iram percutiunt, quos regendos susceperant per iusticiam: nec simpliciter onerant, sed crudeliter & sine intermissione nouis semper admuentionibus macerant et opprimunt, plaga insanabili continuo sauciando. Tales sunt principes sine deo, sine fide & timore iudicij diuini, quos pro populorum peccatis dominus imponit & sustinet ad suum tempus.

8 Conquieuit & siluit omnis terra, gauisa est & exultauit:

9 abietes quoq; lætatæ sunt super te, & cedri Libani: ex quo dormisti, non ascendit qui succidat nos.

Tyrannorũ occisio.

Tyranno occiso conquieuit populus, laborũ querimonia cessat, redit lætitia: quin & principes regni & subacti reges, quos abietes & cedros nominat, quos pro sua libidine humiliabat, & in carceres cõijciebat, nunc lætantur quòd cõmunis omnũ pernicies defecisset. Dignum enim gaudiũ ubi tyranni occidũtur, & iusta erat olim decreta merces, et corona ei q occidisset tyrannũ, ueluti lupũ uel aprũ: æquè ac si quis periculosum prælium cõtra hostes, duce hostiũ occiso pacasset prouinciã.

10 Infernus subter te cõturbatus est in occursum aduentus tui, suscitauit tibi gigantes. Omnes principes terræ suscitauit de soliis suis, omnes reges nationum.

Tam uiuentes quàm mortui in regnis Plutonucis inducuntur gaudentes de morte regum Babyloniorum: tyranni, qui hinc dudum ad inferos descenderant, producuntur illi obuiam uenientes ad excipiendum eum, qui sibi deus uidebatur. Quin & infernus animatus fingitur, & illius Pluto rex tartari, in suis se sedibus tremere queritur, & de regno timere suo, postq; regum omnium uastator ingreditur. Cui et ridiculè honores illic deferri finguntur, non alij certe, quàm ut tanto potentius puniatur, qui potentia à domino sibi permissa abusus est.

11 Vniuersi respondebunt, & dicent tibi, Et tu uulneratus es sicut & nos, nostri similis effectus es.

Alternis canunt mortui principes in inferno, sibi mutuum illudentes, uiolentias opprobrantes, iram & fremitus exercentes, impatientia & iniurijs furentes, uermium esca, & cõscientiæ morsu perenni miserrimi, qui epulabantur splendidè, sicut et in beatorum regno, mutuis præmiorum & honorum gaudijs congratulantur.

12 Detracta est ad inferos superbia tua, strepitus psalteriorum tuorum (*concidit cadauer tuum*) subter te sternet tinea: & operimentum tuum erunt uermes.

Qui tibi deus uidebaris, & omni fastu, libidine, deliciis utebaris, interq; conuiuia dominum blasphemabas: iam nunc sternitur tibi tinea pro lectica, & uermibus operiris pro tegumentis aureis et serico. Eris enim uermibus esca & tinearum, ubi illorum uermis non moritur, & ignis non extinguitur.

13 Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris (*filius auroræ?*) Corruisti in terram qui uulnerabas gentes.

Nihil tale tibi accidere debuisset, qui in terris rex tantus uelut lucifer cœlestis habebaris, quam stellam nemo detrahere posit, sed admirantur & cum gaudio omnes aspiciunt. Et qui filius eras clarissimorum regum nunc prostratus iaces cum abiectissimis animalculis, cibus illorum factus. Ad terram prolapsus es, qui sorte gentes tibi diuiseras, qui illas attenuabas, & redigebas in egestatem, & quasi pro lusu molestabas.

14 Tu quoq; dicebas in corde tuo, In cœlum conscendam, super astra dei exaltabo solium meum, & sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis.

Nimia arrogantia tua, qua te totius habitabilis terræ regem, imò deum existimabas, qui omnibus imperares, quem nemo auderet contingere, quẽ omnes suspicerent, ueluti stellas admirarentur, ut deũ colerent, altissimũq; in toto mundo inter homines locũ haberes, & aquilonã toti, quò uergit habitatio humana (nã de australi plaga nihil homines nostri sciebant, ultra scilicet uel sub torrida zona) imperares: siue etiã te iactaueris quomodo monti testamenti, qui Hierosolymis est, cum dei iudicio prævalueris, & tributum imposueris ei populo, qui se summi dei filios liberos iactauerant, his superatis imperaris: quid in terra gloriosius cogitari potuerat? Babyloniorum arrogantia.

15 Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.

Cogitasti te æquandũ, imò præferendum superis, & altissimo comparandum, quo nemo esset excelsior, qui nullius uel hominis uel Diuorum gratia indigeres. Sic enim cogitant stulti, superbi, & arrogantes tyranni, quum ad tempus fortunæ se filios putant, sedereq; in gloria pulcherrimum ducunt.

16 Veruntamen ad infernũ detraheris ad latera laci.

17 Qui te uiderint, ad te diligenter prospicient, teq; cõsiderabũt, Nunqd iste est uir qui cõturbauit terrã, qui concussit regna,

18 posuit orbẽ uelut desertũ, & urbes eius destruxit, uinctis eius nõ aperuit carcerẽ?

Sed iam nunc te detractũ in infima sentis, ad latera laci infimi, abiectior omnibus abiectissimis, tam in terra quàm subtus terram apud inferos. In tam remotissimos coniectus nunc es recessus, ut qui te cernere cupiant uix possint uisu infima consequi, & per admirationẽ quasi stupentes contemplabuntur uicem tuam, sed non dolebunt, imò potius insultantes dicent, Num iste est perturbator & concussor totius orbis, omniumq; regnorũ uastator & oppressor, qui posuit habitacula hominum in orbe ad solitudinem, ueluti solus cupiens omnia possidere, ut præ se nemo quicquam sit uel audeat, ciuitates omnes destruxit, ut omnibus sine impedimento præesset imbellibus & confractis, uinctis quoq; suis nullam gratiam impartiendo, nec manumittendo captiuos? Vt igitur nullam clementiã alijs detulit, sic nulla quoq; eidem misericordia retribuetur. Tyranni locus fatã.

19 Omnes reges gentiũ uniuersi dormierunt in gloria, uir in domo sua:

tu autem

20 tu autem proiectus es de sepulchro tuo, quasi flos abominabilis, uestis occisorum transfossorum gladio, qui descenduntad fundamenta laci. Quasi cadauer putridũ

Nabuchodonozor è sepulchro extractus.

Reges alij sepulchris suis honorifice quiescũt, tu uerò summa contumelia à filio contumeliandus protraheris, abominabilis, fœtidus, cõculcatus. Sic enim habet Iudæorũ fabula de Nabuchadnezer & Euilmerodach. De qua et in Commentarijs Hieronymi, quomodo Euilmerodach qui patre suo Nabuchadnezer uiuẽte per septẽ annos inter bestias, antè regnauerat, postquã ille restitutus in regnum est, usq; ad mortem patris cum Ioachin rege Iudæ in uinculis fuit: quo mortuo, quum rursus in regnum succederet & non susciperetur à principibus, qui metuebant ne uiueret qui dicebatur extinctus, ut fidem patris mortui faceret, aperuit sepulchrum & cadauer eius unco traxit & funibus: ut sit sensus, Sepultis oĩbus qui à te interfecti sunt tu solus insepultus iacebis.

21 non habebis consortium cum eis in sepultura. Tu enim terrã tuam disperdidisti, populum tuum occidisti: non uocabitur inæternum Semen pessimorum.

Tanta uastatione terra tua delebitur, ut nec sepultura tua subsistere, durareq; sinatur. Etiam post mortẽ impij male audiunt: & iustorum parentum sepulchris carent plerunq; qui multorum populorum perditioni causam præbuerunt, ipsi quoq; contumelia non intermoritura traducuntur, qua & illorum posteritas commaculata semper male audiet, ut malignorum soboles appelletur.

22 Præparate filios eius occisioni in iniquitate patrum suorum: nõ consurgent, nec hæreditabunt terram, neq; implebunt faciem orbis ciuitatum.

Parentes in filijs puniendi.

Verba dei per prophetam ad Persas, & ad omnes tyrannos. Quum enim propensio ingens ad peccandum nascatur in filijs ex parentum improba consuetudine, indignum non est parentes puniri in filijs, quos ut sibi simillimos nutrierunt, & suæ sortis tyrannos post se orbi relinquere uoluerunt: sic eorum quoq; infelicitatem uidere coguntur, etiam dum uiuunt, obsides scilicet, uel abiectos in totum, uel præmatura morte præoccupatos, si non id etiam patrum in prospectu accidat ut Zedechiæ. Ad minus uero dum maiorum illis adimitur hæreditas, ut egeni fiant & extorres patria. Hoc denique prædonum genus faciem orbis implet, ut nemo alteri fidem seruet, sed ut quisq; fortior sit, sic quoque fiat iniuria pluribus inferenda nobilior & potentior. Denique non implent urbibus terram, quas odiunt maximè, arces potius munitissimas labore pauperum extruunt in montibus nidos, & pardorum speluncas & cubicula, unde urbibus insidientur, & rapinas ciuium ut uespertini lupi diripiant.

23 ¶ Et consurgam super eos, dicit dominus exercituum: & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniẽ (filium & nepotem) dicit dominus.

24 Et ponam eam in possessionẽ erinacij,

& in paludes aquarum, & scopabo eam in scopa terens, dicit dominus exercituum.

Tyrannorũ exemplum.

Exemplum tyrannis Babyloniũ statuit, quibus dominus resistit & aduersatur, exterminat quoq; suo tempore nomen illorum, et gloriam inter bonos delet, progeniemq; totam traducit in summam ignominiam. Et Nabuchadnezer quoq; tyrannorum potentissimus, in uita sua ac morte filiorumq; suorum infelicibus fatis miserè damnatus est, & non peruenit nisi ad nepotis Baltasari breue imperium: post quod totum collapsum est, & ut supra quoq; dictum, habitatio facta est Babel non hominum sed erinaciorum, & in stagna aquarum, prorsus mundata ueluti scopa quadam, ne uel puluisculus aliquis gloriæ uel honoris supersit. Hæc uerò ad tyrannorum animos perterrendos scribuntur, quibus tantum studium est plura possidendi regna, non quo optimè gubernentur & salus proficiat hominum subditorum, propter quos ipsi instituuntur, non populi propter reges.

25 ¶ Iurauit dominus exercituum dicens, Si nõ ut putaui, ita erit: & q̃modo mente tractaui, sic eueniet.

26 Vt conteram Assyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum, & auferetur ab eis iugum eius, & onus illius ab humero eorum tolletur.

Applicatiõ prædictorũ.

Quemadmodum finiendum tam turpiter regnũ Babylonicum post multos annos uerissime prædico, de quo nihil sit addubitandum (stat enim firma sententia omnipotentis dei, consilium irreuocabile, nec mutandum) sic certo quoq; breui futuram Assyriaci regni stragem nemo dubitet, sub rege Sennherib, qui nunc tyrannicè uastat omnia, quem uos nunc timetis: eum sanè propediem in terra Iuda, in montibus circum Hierosolymam, contumaciter nomen meum blasphemantem, & subuertere cultũ meum statuentẽ, conculcabo, ab ipsius quoq; tributo & oneribus redimam gentem meam.

27 Hoc consiliũ, quod cogitaui super omnem terram: & hæc est manus extenta super uniuersas gentes. Dominus enim exercituum decreuit, & quis poterit dissipare? Et manus eius extenta: & quis auertet eã?

Prouidentia dei circã regna.

Videtur hoc quod sequitur exponendũ de toto mundo, quem prouidentia sua dispensat dominus, cuius omnes habitatores etiam tyranni & reges, domino se subiectos credant, & eum timeant, quos pro uoluntate exaltat ac deijcit, glorificat et confundit, cui nemo quantumuis magnus reluctari potest, extenta semper manu protegit suos, & uerberat impios, quo percutiente nemo liberabit, ipso saluãte nullus damnabit: omnipotens enim est & dominus exercituũ superiorũ & infimorũ.

28 ¶ In anno quo mortuus est rex Achaz, factum est onus istud.

29 Ne læteris Philistæa omnis tu, quoniã comminuta est uirga percussoris tui: de radice enim colubri egredietur regulus, et fructus eius adustio uolitans.

Caput hîc fuerat, ut uideri potest, incipiendũ nouum. Quandoquidem post prædictam Babylonis & Assyriorum pœnas ac strages, hîc quoque cõtra Palæstinos dirigit prophetiã, qui sub impio Achas rege inuaserant urbes quasdam, quas sub Ozia perdiderant, eo scilicet tempore, cum Phacee filius Romeliæ maximo damno affecisset regnũ Iuda: sed mortuo Achas pijssimus Ezechias Philisthæos percussit usq; ad Gazam, omnia tam oppida quàm uillas. Potest tñ ad priora referri, quasi dicatur, Hactenus prophetiæ sub rege Achas reuelatæ pronuntiatæ, nunc incipiunt hæ quæ sub Ezechia dominus Esaiæ reuelauit, & primò contra Philisthæos, ad quos dicitur, Ne læteris diutius ô Palæstina tota, quia euaseras uirgam correctionis & oppressionis, qua te Ozias rex percusserat, quam tu sub Achas confractam iactasti: durior enim tibi, austerior, & inexorabilior uindex impietatis & crudelitatis tuæ nunc orietur. De radice enim colubri regulus exibit, de regibus posteritatis Dauid, qui Hebræis etiam Nahas dicitur, & coluber pro Isai, uel potius de nocentiore uobis hoste nocentior adhuc & perniciosior imminebit: post Oziam ipse Ezechias, qui licet benignissimus rex sit futurus, & innocentissimus in suos, tibi autẽ pestilentissimus erit, & durissimus uastator tyrannici regni tui.

Contra Philistæos.

30 Et pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescent: & interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiet.

Posthac & oppresso te uel inuito, Israëlitæ de tribu Iuda exibunt ad sua pascua, & pauperum greges per optima quæq; prata absque tui timore frequentes errabunt: sed Ezechias subditos sibi pauperes blandè & benigniter reget, & nihil suis necessarij uictus patietur abesse, sub suo regimine tuti, salui & pacificè requiescent, & iustè regentur. Tuus autem populus fame & gladio occidetur. Exemplum hoc Iudæi quoque de Christo exponunt, quantumlibet in Ezechia quoq; factum agnoscant. Simule quoque nobis permissuri, si quando salua historia, Christi quoque mysterium agnoscamus à prophetis insinuatũ alicubi, sicut & hic sub Ezechiæ persona qui Palæstinam uicit Christum intelligimus orbis increduli domitorem, & errorũ monstra extirpasse non ignoramus. Id autem contra Iudæos annotandum, ut & quædam alia.

Exponendi modus in prophetis.

31 Vlula porta, clama ciuitas: cõtabescе Philisthæa tota tu. Ab aquilone enim fumus uenit, & non est fugiens (uel solitarius) in agmine eius.

Vlula potius ô Palæstina pro gaudio in omnibus portis urbium tuarum quæ capientur. Vlulate tam primores urbium quàm uulgus, quia à Hierosolyma, quæ tibi ad aquilonem est, uenit fumus calamitatum tuarum, fortis & magnus exercitus, quandoquidem nemo suorum uolet solitarius remanere domi, & non se adiungere exercitui, sub tam optimo duce Ezechia. Sic ubi Christus prodierit contra impios, quum gentes sibi rebelles subiugare cœperit, nemo fidelium cunctabitur sub illius

Pugna Christi contra impios.

signis uerborũ domini armis præliari. Sub duce fido, sancto & gnaro sponte militatur fortiter & feliciter.

32 Et quid respondebitur nuntijs gentis? Quia dominus fundabit Sion, & in ipsa sperabunt pauperes populi sui.

Cum maritima sit Philisthæa, ad cuius nobiles urbes legati ac nuntij plurimi mittãtur ex toto orbe, quid illi renuntiabunt ad suos reuersi, de Palæstinæ negotijs & rumoribus, quàm quod toto orbe uulgabitur per omnũ ora, dominum deum Israëlitarum, qui Hierosolymis colitur, & populo suo regnum tenet, omnipotentia sua non solum mirabiliter per angelũ strauerit exercitum Sennherib, sed etiam manu & armis totam Palæstinam subiugauerit & deleuerit, quæ tamen omniũ gentium semper fuerit robustissima & mater gigantum? Neque solum ad hostes terribilis sit dominus, sed sibi fidẽti populo indulgẽtissimus pater semper sit, qui eatenus Sion firmauerit locũ diuini cultus, ut fideles suos & spiritu pauperes illi fidentes perpetuò sit cõseruaturus, donec de ea exeat lex domini, & ad illã per fidem confluant omnes gentes, donec Hierosolymæ imperium totum in orbem terrarum protendatur per Christum in cruce extensum regni sui signa felicissimè exhibentem.

Fama Palæstinorum.

¶ CAPVT XV.

1 ONus Moab: quia nocte uastata est Ar Moab, conticuit: quia nocte uastatus est murus Moab, conticuit.

Visio est prophetica de miserabili excidio florentissimæ regionis Moabitarũ. Qui ut erãt opulenti, potẽtes & quieti, sic & superbi, infideles, lasciui, inclementes, duri, & inhospitales erant, perpetuo odio Iudæos prosequentes, quos ob fratrẽ Abrahæ Loth, à quo descenderant, quem & redemerat à captiuitate, amasse debuerant. Sita est autẽ Moab in Arabia Petrea, cuius portio est ad orientem maris mortui & Iordanis. Cuius præcipuæ urbes hic nominantur. Bis in exiliũ relegati uastatiq;, semel à Sennherib, deinde à Nabuchadnezer. Subitò igitur & nemine cogitãte uel formidãte, quasi intempesta nocte, cũ subita pericula fiunt horribiliora, prædicitur uastanda Moab, & sic domanda cõterendaq;, ut tota conticesçat, ut superbiæ cristas demittat præ stupore & cõfusione. Etiã quæ metropolis regni erat, & potentior idem patitur. Manum domini non effugit impietas quantũlibet fortis, dum minimè putat obruitur dei iudicio. Timẽdus est ergo semper & colẽdus, qui potestatẽ habet conijciendi in gehennam animam & corpus.

Moabitæ excidium.

2 Ascendit Baith & Dibon excelsa in planctum: super Nabo, & sup Medaba, Moab ululabit. In cũctis capitibus eius caluitiũ, omnis barba radetur.

Multiplicauerant excelsa, gentilium more in montibus multa & uana idolis suis, ex quorum sæpe nominibus loca nominabant. Hic quatuor principalia phana numerantur, & nominantur Baith, Dibon, Nabo, & Medaba, ad quæ angustia pressi cõcurrebant flendo & eiulando, frustra ab idolis salutem precantes, qui dominum

Phana Moabitarum.

num uel ignorabant, uel non colebant, imò odiebant cultores illius, & pro oportunitate persequebantur. Sic fit omnibus fiducia & fide destitutis in unum solum deum, omnibus qui creaturis ac etiam sanctis hominibus plus clementiæ & gratiæ tribuunt, & eis succurrendi in necessitatibus, quàm ipsi domino, cum propensior longe sit ad benefaciendum suis ob infinitam bonitatem quàm ipsi sint ad postulandum, pro quibus filium unicum dedit, qui & solus uult adorari & orari. Caluicie capitis, & resectione barbæ, stultis ceremonijs impij suis idolis probari cupiunt: pij autem fide, spe & charitate, resipiscentia & humili oratione.

Diui non inuocandi.

3 In triuijs eius accincti sunt sacco: super tecta eius, & in platéis eius omnis ululat, descendit in fletum.

Sine cõsolatione & necessario sunt in angustijs quicunq; dominũ non agnoscunt, qui creaturarum solatia sectantur, tumultuantur, discurrũt in triuijs per sacella, in tectis astra inuocant, sacco induuntur, charitate & fide nudati in dominum. Non igitur mirum si incondito ululatu & fletu amaro dissoluantur etiam uiri, & lugeant milites, quibus arma fuerãt fortiter tractanda nõ lachrymæ, cum iusto iudicio impij corripiuntur: qui si fideles essent, totos se domino in spiritus humilitate commendarent, ut Dauid ac similes.

Idololatrarum angustia.

4 Clamabit Hesebon & Eleale, usque Iasa audita est uox eorum. Super hoc expediti Moab ululabũt, anima eius ululabit sibi.

Per rapinam Israëlitis, tribui scilicet Ruben et Gad, ab Ammonitis urbes quædam ablatæ erant, ideoq; Hesebon, Eleale cum reliquis urbibus malæ fidei possessores merito nunc uociferantur, quibus iam ejectis ab Assyrio incumbebãt, non diu seruandis, sed à Chaldæo iterum ejciendi. Clamant igitur & ululant fortissimi illorum milites, de suis iam uiribus desperantes, deum & homines hostes sibi sentientes adesse.

5 Cor meum ad Moab clamabit, uectes (uel fugitiui) eius usque ad Segor uitulam trienn em. Per ascensum enim Luith flens ascendet, & in uia Oronaim clamorẽ contritionis euulgabunt.

Formido impiorum.

Propheta ueluti compatiens Moabitis ait, Væ cordi meo, proh dolorem maximum, qui omnia confusa cerno: au fugientes præ angustia hostium ad extrema regni usque ad Zoar uideo, usque ad opulentissimam & præ diuitijs nimium petulantem urbem, sitam ad Meridiem maris mortui, quò fugiebãt formidolosi exercitum Assyriorum de Septentrione illis superuenientem. Fugiebant autem per ascensum uel decliuum Luith, flendo & eiulando, per uiam Oronaim, uallem scilicet ad Arabiã ducentem. Clamabant autem ob contritionem imminentem toti regioni, nimirũ solatio diuino destituti, & per infidelitatem ignari quò confugerent: sic fit impijs omnibus, domino terrente suos hostes.

6 Aquæ enim Nemrim desertæ erũt, quia aruit herba, defecit germen, olus omne interijt.

Non solum Assyrios hostes fugiebant, sed iudicium quoque domini cœlitus urgebat, siccitate regionis insolita, quam idolorum nullam emendare poterat, dominum deum cœli & elementorum omnium ignorabant, & inuocare non didicerant. Quid enim aliud usu ueniret impijs, quàm ut fugati ab hominibus in manus irati dei incidant? Et qui uescebantur delicatissimis bellarijs in fuga hostium nec aquam inueniãt ad potum, nec herbas ad cibum, ut nec iumentis uti possint ad effugium, conspirantibus nimirũ creaturis omnibus ad uindictam sumendam de contemptoribus creatoris.

7 Ideo secundum abundantiam quam fecit uisitatio eorum. Ad torrentem salicum ducent ea,

Propterea autẽ fleuit Moab, quia omnes diuitias & lucra per fas & nefas repositas in annos multos iam auferebãt hostes, uel ablaturi formidabãtur, & ad flumen proximum urbi auehendæ uersus Arabiã, ubi & diuidendæ militi colligebãtur, in Ariopoli scilicet urbe sita ad flumen Arnon, quæ & Armoab dicta est. Hoc enim sibi quisque timet quod uehementius amat: sic diuitias plangebant auferri, quas operosius collegerant: & durior diuitibus est alea præliorum quàm egenus.

Moabitæ deprædati.

8 quoniam circumibit clamor terminum Moab. Vsque ad Agallim ululatus eius, & (usque ad) puteum Elim clamor eius,

Communis erit hæc calamitas omnibus Moabitis, peruenietq; usq; ad Moabitarum finitimas urbes ut & ipsi malis non modicis afficiantur, nihilq; in toto regno tutũ saluumq; cõsistat: sentient hæc mala urbes Gallim & Beerellim pari ululatu clamaturæ.

7 quia aquæ Dimon repletæ sunt sanguine. Ponã enim super Dimon additamenta, his qui fugerint de Moab leonẽ, & reliquijs terræ.

Tanta erit strages Moabitarũ, tale profluuiũ cruoris occisorum, tam cruentum prælium, ut aquæ etiam Dimon sanguine replendæ sint, & horribiliter flumen illud cruore tingendũ, ne leuem putes iacturã tui exercitus, grauissima enim erit. Idq; tibi accidet ob turmam illam hostium in insidias positorum, qui ueluti leones prædæ & sanguini insidiantes, ut primũ opportunũ illis erit, crudeliter inuasos uos & deinsperato uestrum prosternent exercitũ. Hactenus uastitatẽ Moabitis impendentem descripsit: cõsequenter causam subnectit primam, quæ fuit fœderis fractio, defectio & perfidia.

¶ CAPVT XVI.

1 Mittite agnum dominator terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.

Cohærent superioribus quæ hic sequuntur, ad hunc sensum secundũ Hebræos: O uos Moabitæ, quorum rex Mesa, & alij, ouium nutriendarum studium fouet in suo populo & regno, qui & regibus Israelis tributarius factus, quotannis mittebat decẽ millia agnorũ, & decem millia arietum, cum lana eorum, qui post mortem Achab præuaricando tributum nega-

stis, propter quod & hæc uobis aduersa patiemini, à deo immittenda. Consulte igitur egeritis, si agnos uel tributum illud regi Ezechiæ reddideritis, qui regnat in Sion. Iam enim sentitis perfidiæ uestræ uindictam ab Assyriorum rege tam miserè uastati, liberandi iterũ, si colla uestra iugo iustissimi regis submiseritis, agnos illi de petra deserti, de regia uestra urbe mittentes. Vel per illusionẽ legi potest: quasi dicatur, Nunc sreuate fidem, nunc sitis hospitales, &c. olim factum oportebat.

2 Et erit: sicut auis fugiens nidum auolando (sic) erunt filiæ Moab in transcensu ad Arnon.

Incertis alioqui sedibus uagabimini, ueluti auicula nido eiecta, miserè oberrans, ubiq; pauida, & nusquam consistere audens: sic Moabitæ inhospitales & inuidi exulabitis, ultra fluuium Arnon, ubi ex uiculis & urbibus uestris extracti, uendendi prostabitis in gentes, calamitosum seruitium seruituri.

3 Ini consilium, coge concilium: pone quasi noctem umbram tuam in meridie, absconde fugientes, & uagum ne prodas.

4 Habitabunt apud te profugi mei: Moab esto latibulum eorum à facie uastatoris: finitus est enim emulctor, cõsumatus est uastator, defecit qui conculcabat terram.

Crudelitas Moabitarũ uindicata.

Iam uenit tempus consultandi de rebus uestris, iam uicem uobis hostes rependunt pro crudeli austeritate uestra, qua profugos Israëlis ad uos confugientes, more patrum uestrorum suscipere renuistis: quàm nunc in medio calamitatum, in ardentissimo meridiano æstu optaretis umbram refrigerij, & hospitalitatis refugium consequi? Quare ergo non nostros quoque profugas suscepistis? sed uagos palantesq; prodidistis Assyrio Israëlitas nostros fugientes, qui uobiscum salutis suæ latibula requirebant, sed per uestram crudelitatem minimè susceperunt, propter quod ab hostibus uastati fuerunt, & prophanati, miserrimè conculcati, & usque ad minutissimos puluueres redacti. Id certe quod & uobis in pœnam continget, qui ab eisdem hostibus pari crudelitate tractandi estis, sine fugæ subsidio capiendi, & in exilium relegandi ad perpetuam seruitutem.

5 ¶ Et præparabitur in misericordia soliũ, & sedebit super eum in ueritate in tabernaculo Dauid iudicans & quærens iudiciũ, & uelociter (reddens) quod iustum est.

Vobis Moabitis extrema mala patientibus, & seruituti subactis, nobis Iudæis domino deo fide adhærentibus, rex felix, iustus & triumphalis donabitur à domino Ezechias, cui tronus regalis in gratia ac beneficentia præparabitur, domino approbante & populo, in quo & sedebit diligenter officio regio intendens, non ad gratiam uel munerum largitiones iudicium dicens, nec causas dissimulabit pauperũ, sed perquiret diligenter negotiorum circumstantias, & testes idoneos audiens, quæ ut certò agnouerit, statim & sine dilatione sententiam ædet, & ab iniuria defendet oppressos.

Regis iusti descriptio.

Officiũ regium.

Quinq; autem uerbis absoluit regium officium, misericordia uel gratia, ueritas, iudicabit, quæret iudicium, & uelociter: quibus sufficientissime politia regia indicatur, si faciat gratiam, ueritatem tutetur, cognita iudicet, ignorata perquirat, ius oppressorum non protrahat uel differat. Quanquam autem Ezechias rex talis fuerit, ut cæteris quoque omnibus fidelibus regibus exemplum sit, typus tamen Christi domini in istis, sicut & in alijs esse potest, & reuera fuit. Sub cuius imperio Moab, & Assyrij cum Palæstinis, hoc est, omnibus infidelibus & deum ignorantibus opprimentur, & manus dabunt regno Christi, longe felicius quàm unquam fuerit nedum Ezechiæ regnum, sed & Salomonis, ne dicam Dauidis uel Alexandri. Christi regnum.

6 Audiuimus superbiã Moab, superbus est ualde: superbia eius & arrogantia eius, & indignatio eius, plusquã fortitudo eius.

Verba sunt earum gentium ad quas fama excidij Moab perueniebat, de qua non tristabantur, sed exultabant magis, propter superbiam Moabitarum, tertium illorum crimen, qua sic suas diuitias & felicitatem insolenter iactabant, ut præ se omnes uicinas regiones contemnerent, cum tamen non æquè semper præstare possent iactata. Non sufficiebat illis rerum suarum copia ad tantum splendorem gloriæ prosequendum. Nec tantum mali uicinis inferre poterant, quantum per furorem & inuidiam uoluissent. Hoc bonum deus peßimis tribuit, ut uires non semper suppetant malignandi. Superbia Moab.

7 Idcirco ululabit Moab ad Moab, uniuersus ululabit: his qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas.

Enumeratis peccatis redit ad uastationis prædictionem. Moab inquit ululabit pro Moab, superstites cladi plangent captiuorum exilia & mortes. Et eximiæ urbis Moabitarum latericios muros subrutos plangent, ac per animi angores meditabuntur exitij magnitudinẽ, uidentes deiectos urbium muros & fortißimos quosq; percussos de exercitu, populumq; cum regno uastatum.

8 Quoniam suburbana Hesebon deserta sunt, uineam Sábama domini gentium exciderũt, flagella (uineta electißima) eius usq; ad Iazer peruenerunt, errauerunt in deserto, propagines eius relictæ sunt, transierunt mare.

Vastationem prædicit in uisione agnitam (ut totum est uisio) urbis Hesebõ, cuius fertilißima suburbana, & uineta delicatißima uastata iacebũt. Similiter & in Sebama alia urbe, quod & de reliquis dicendum ciuitatibus, preciosisq; quibuscũq; regni illius Moabitici. Omnia enim perdenda prædicuntur, succidenda, eradicanda, spargenda, & prorsus perdenda à crudelissimis hostibus. Domini enim gentium, domitores superbiæ Moabiticæ, quascunq; optimas uites exciderunt per totam regionem Moab, quæ olim Bacchi ipsius domicilium habebatur ob electissima uina, usq; ad Iaser terminum Moab, in tribu Gad sitam, nobilem urbem. Errauerunt per totam solitudinem propagines illarum uinearum, tum quod spargerentur in syluas, tum quod uinu illius optimu po- Bacchi domicilium.

mi potatores, olim ebrij, nunc desertum pererrant. inuium, & aquis indigent ad bibendum: abiecti in miseram seruitutem, & uelut exules, disiecti, sparsimq; distracti, donec ad remotissimas terras & maria transferrentur.

9 Super hoc plorabo in fletu Iazer, uineã Sabama. Inebriabo te lachryma mea Hesebon & Eleale: quoniam super uindemiam tuam, & super messem tuã uox calcantium irruit.

Fletus Moabitarum. Populus Moab deflere cogitur excidium optimarum urbium & uinearum, donec ebria fiet à lachrymis, ut olim domino ingrata, per insolentiam optimo uino inebriabatur. Interim uerò hostes Assyrij & Chaldæi exultant, & gratulantur se incidisse in ditissimam uindemiam electissimi uini, & copiosam messem annonæ delicatissimæ. Siquidem priores duæ urbes abundabant uino, posteriores frugibus. הידד uerò carmen est rusticum celeusma, uel uindemiale.

10 Et auferetur lætitia & exultatio de Carmelo, & in uineis non exultabit neque iubilabit. Vinum in torculari non calcabit qui calcare cõsueuerat: uocem calcantium abstuli.

Collecti sunt fructus optimi omnis generis de fertilissimis agris & montibus: sic autem collecti, ut auferantur è terra Moab, in prouintias inimicorũ suorum, & ab hostibus ipsis, ne inde gaudium aliquod redcat ad agricolas uel incolas Moabitarum. Cessabit tunc enim lætitia uindemiantium & messorum, uertetur autem in luctum & lachrymas uox calcantium.

11 Super hoc uenter meus ad Moab quasi cithara sonabit, & uiscera mea ad murum cocti lateris.

Super tam horribili fato Moabitarum, & tam nobilis regionis uastatione, uiscera soluuntur, & formido obrepit toto corpori: præ angustia, & spirituum uitalium defectu, uenter obmurmurat ut cithara, cassum inspiciens uel audiens potẽtissimæ urbis, & murorum confectorũ ex coctilibus. Sunt qui nomen קיר urbi appropriant, alioqui murum significans uel parietem.

12 Et erit: quũ apparuerit quod laborauit Moab super excelsis ingredietur ad sancta sua ut obsecret, & non ualebit.

Idololatria Moabitarum. Omnium calamitatũ illarum causa non minima subiungitur idololatria, quæ & primo fuerat allegata. Multa enim excelsa in Moab & magna ostendebant superstitionis excessum & ignorantiã dei, odium Israëliticæ gentis, unum tantũ deum asserentiũ, & reliquos deos irridentium. Quos suos deos nunc uanè precantur, ut & frustra coluerant, qui in angustijs nihil succurrunt, cum idola sint, & aliàs nihil, nec sibi, nec alijs utilia, sed risu digna.

13 ¶ Hoc uerbum quod loquutus est dominus ad Moab extunc.

14 Et nunc locutus est dominus, dicens: In tribus annis quasi anni mercenarij ignobilior erit gloria Moab in omni populo multo, & relinquetur paruus & modicus, nequaquam fortis.

Prouidẽtia dei generalis. Ad prouidentiæ diuinæ uniuersalis declarationem subditur, dudum hæc dominum decreuisse contra Moab, sicut & iamdudum impia fuerat per omnia flagitia. Nunc autem in summa contra eam breuibus & clarè complectitur iudicium illius, Intra annorũ trium spacium Moabitis quæ prædicta sunt mala contingent, amittent omnem felicitatem & rerum copiam atque dominatum: humiliabuntur autem, & extremis incommodis adfligẽtur, nec durabit diutius Moabitarum status. Sicut nec mercenarius ultra suum statutum tempus durat laborando, & in parato præmium reportat: sic Moab iniquitatum suarum mercedem proximè certoq; recipiet sine defectu. Reliquiæ autem eius tam paucæ erunt, ut pauciores esse uix possint. Desinet enim in totum eius fastus & insolentia, populo capto & occiso, prouintia autem uastata miserèq; neglecta. Potest & trium annorum curriculum intelligi à capta Ierusalem per Babylonios, post quod Moabitæ quoq; à Chaldæis uastandi sint: siue quod in trium annorum spatio nulla eis danda sit requies.

¶ CAPVT XVII.

1 ONus Damasci. Ecce Damascus definet esse ciuitas, & erit ficut aceruus lapidum in ruina.

2 Derelictæ ciuitates Aroer gregibus erunt, & requiescent (ibi) & non erit qui exterreat.

3 Et cessabit munitio ab Ephraim, & regnum à Damasco: & reliquiæ Syriæ, sicut gloria filiorũ Israël erunt, dicit dominus exercituum.

Trium regnorum casus. Videtur tribus his uersibus & sententijs Propheta domini sententiam pronunciasse, de tribus regnis, sub idem ferè tempus, & eodem hoste perdendis. Regnum Syriæ sub nomine Damasci. Moabitarum per Aroer, & Israëlis per Samariam. Simili enim iudicio damnata sunt, ut metropoles eorum in totum destruantur, ac urbes esse desinant, tyrannide quidem Assyriorum, iusto autẽ iudicio dei. Damascus enim capta est, & regnum cessauit, populo ducto in Cyrenen. Iunxerant enim se Aegyptijs & Aethiopibus ut rebellarent Assyrio, à quo & capti sunt. Aroer & Moabitarum terra redacta est in pecorum multi generis & multitudinis pascua, ubi & ob hominum raritatem accumbere potuerint absque terrore. Samaria autem caput regni Israël, uel Ephraim, munitissima, uastata est cum suo regno: quod & eadem ratione comparantur cum Syriæ regno, similem sortita finem, exilium & solitudinem, ut fit omnibus dominum deum uel non agnoscentibus, uel agnitum non colentibus.

4 ¶Et erit in die illa: attenuabitur gloria Iacob, & pinguedo carnis eius emarcescet,

Casus Israelitarum.

Prophetia est contra Israëliticam gentem, quam in paucissimos Iudæos redigendam prædicit. Vt quemadmodum messores spicilegium faciunt post multam messem ablatam: sic post tam populosum regnum Israël, reliqui fient admodum pauci. In die illa, quando Israël delicijs & lasciuia corrumpetur, ueramq; gloriam suam, domini dei sui promissiones & beneficia per oblivionem & contemptum posthabuerit, & uelut pingues uaccæ uentri dediti fuerint, tunc crassitudo eius redigetur in maciem, copia in raritatem, & gloria in confusionem.

5 & erit sicut cõgregans in messe segetem, & brachium eius spicas leget. Et erit sicut quærens spicas in ualle Raphaim,

Comparat paucitatem reliquiarum eius: primo paucissimas spicas legenti in agro post messem collectã & abactam: uel messori, copiosam messem in manipulos comprehendentem, paucas tamen aristas negligentem. Est autẽ uallis Raphim prope Ierusalem ad Septentrionem, pollens ditissima ubertate segetum.

6 & relinquetur in eo sicut racemi, sicut excussio oleæ duarũ uel trium granorũ in summitate rami, siue quatuor aut quinq; in cacuminibus eius fructus eius, dicit dominus deus Israël.

Secundo cõparat excutienti oleam, quem tamen effugiãt unus ac alter hinc inde ramusculi in cacuminibus. Omnes enim in captiuitatẽ abducti sunt, exceptis paucissimis. Sola nanque Ierusalem saluata est uastantibus regibus Assyriorum de tota terra Israël.

7 In die illa aspiciet homo ad factorem suum, & oculi eius ad sanctum Israël respicient:

8 & non aspiciet ad altaria quæ fecerunt manus eius, & quę operati sunt digiti eius non respiciet, lucos & delubra.

Quanquam tam sub Ezechia quàm Iosia reformatus fuerit status regni Iudæ, ut tunc cœperint respicere ad dominum deum suum, & idola abominari, modicum id tamen uidetur & breui tempore durasse. Denique & post reditum à Babylone tenuis & imbecillis fuit eisdem religio & uera pietas: per Christum autem & apostolos Euangelio prædicato, uera ubique cœpit religio, conuersis hominibus ad factorem suum, creatorem rerum omnũ, & ad sanctum Israëlis, deum unum uerum & unicum. Tunc enim cœpit mundus totus abominari aras idolorum, opera manuum ad adorandum proposita, imagines & sculptilia, lucos denique & delubra gentilis erroris in totum excindi, & ad unum deum colendum reuerti. Vt cum maximè Israël attenuatus est, tunc salus ex Iudæis paucissimis in totum terrarum orbem promanauit. Vt uideantur nobis hæ sentẽtiæ à quarto uersu hucusque propria esse prophetia: sicut & Hebræi distinctum capitulum habent, de Christi tantum tempore exponendum.

Fidelium multitudo.

9 In die illa erũt ciuitates fortitudinis eius derelictæ sicut aratrum, & rami excelsiores qui derelicti sunt à facie filiorũ Israel, & erit deserta.

Post idola destructa in orbe, & agnitum creatorem ab omnibus hominibus, tunc urbes fortissimæ Israëlis in sua terra, quas hactenus dominus propter populum suum seruauerat, derelictæ erunt ab Israël, & ueluti inculta arbusta & syluæ, dumi ac uepres in ea succrescent. Deserta ab hominibus: hoc est, in nulla æstimatione habebitur suis ciuibus desolata, filijs Israel secundum carnem, quibus data fuerat ad hæreditatem expulsis Amorrhæis. Quod certè probatione non indiget, cum electio gentium facta fuerit reiectio Iudæorum, & cultus dei Israel deletus in Iudæa, templo scilicet & altari ablato, toto orbe terrarũ propagatus creuit ac mauet.

Israeli secundũ carnẽ, succedit Israel in spiritum.

10 Quia oblita es dei saluatoris tui, & fortis adiutoris tui non es recordata: propterea plantabis plantationes iucundas, & germen alienum seminabis.

Causa tantæ uastationis additur, Quia tu ô terra, imò domus tota Israel, oblita es domini dei tui, illius uoluntati minimè te attemperando. Qui tamen semper fuit salus tua, petra refugij, & fortitudo tua, contra omnes aduersarios, eius tu oblitus es, beneficiorum & uoluntatis illius immemor: ideo plantasti tibi plantationes infelices, instabilem fructum, germina quæ non subsistunt, peregrinas leges, pharisaicas traditiones, superstitiosos ritus, doctrinas dæmoniorum, fabulas stultissimas, quibus loco diuinæ legis & prophetarũ libentius aures præbuisti, & quas diligentius docuisti, ut negari non potest legenti illorum Talmudica.

Perfidia Iudaica.

11 In die plantationis tuæ sedula eris, & mane semen tuum florebit. Ablata est messis in die hæreditatis, & dolebis grauiter.

Eo autem tempore harum plantationum tuarum in summam ignorantiã profecisti, & deuiasti à tramite uerę religionis & doctrinæ in errores, figmenta & opiniones: quibus cum diligenter incumberes, & ueluti diluculo consurgens insudares, nihil tamen utilitatis & profectuũ tibi creuit è plãtationibus tuis huiuscemodi, sed messem agriculturæ tuæ, fructumq; laboris aliũ nonlorem, afflictionem & perditionẽ miserabilem. Quid enim aliud Iudæis erronibus toto orbe, & à deo proiectis gentibus in exemplũ, redditũ est pro sua durissima ceruice & inobedientia, quàm errores, odia, captiuitates & miseriæ, desperatioq; salutis, qui promissam toto orbi salutem agnoscere noluerunt?

Præmia Iudæis reddita.

12 ¶Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonabunt, & tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum sonabunt,

Populi

13 Populi ſicut ſonitus aquarũ multarum ſonabunt, & increpabit eum, & fugiet procul. Et rapietur ſicut puluis montium à facie uenti, & ſicut turbo coram tempeſtate.

14 In tempore ueſperæ, & ecce turbatio: ante matutinum, & non ſubſiſtent, hæc eſt pars eorum qui uaſtauerunt nos, & ſors diripientium nos:

Sub hiſtoria ſtragis Aſſyriorum, quam uel propheta uiderat, uel præuidebat, generalis datur conſolatio pijs contra tumultum omnium impiorũ, qui in ſua multitudine potentia ac malitia confidentes, dum ſibi uictorias pollicentur contra pietatem, ſubito diuina potẽtia opprimuntur. Oppreſſio impiorum. *Venerat enim Sennherib impius, cum infinita multitudine & potentia contra regnum Iuda, ut maris horribiles commotiones, terram operientes, & exitium pijs minantes, ex multis collecti populis ſine numero, inſtar aquarum immanium exundans diluuiũ, Hieroſolymamq; obſidebant: ſed una omnipotentis dei increpatione perculſi, & angelico miniſterio debellati ſic ſunt, ut unius noctis opera trucidati ſint omnes, & redacti in cineres, uentilatiq; eatenus turbine uenti, ut inter eos nemo uiuens comparuerit, ſed cœleſti uirtute, de longe uenientes Aſſyrij ad piorum interitum, uelut turbinis ipſi procella ſubito rapti ſunt, ſicut puluis in montibus diſſipatur à uento. Erant enim ad ueſperam aduentus illorum ualde formidabiles, fidelibus in Hieroſolyma, quaſi uno impetu templum urbem & populum proſtraturi. Sed antequam matutinum rediret, eorum nullus comparebat, percuſſis ab angelo centum millibus & octagintaquinq; millibus. Nec id ſolum tunc & illis contigit impijs, ſed omnibus piorum hoſtibus ſimilis eſt repoſita merces, exitium par manet ſuperbos omnes, qui ſe contra domini dei ſeruos erigere præſumpſerint, qui opprimere ac diripere pios perrexerint.*

¶ CAPVT XVIII.

1 Væ terræ umbratili alarum quæ eſt trans flumina Aethiopiæ,

Quandoquidem obſcuriſſimus locus uidetur, etiam Iudæis, quia tamẽ eum exponunt de Meſſiæ temporibus & regno Chriſti, ſic poteſt rationabiliter intelligi, ut prima dictio הוי uocantis interiectio ſit potius quàm lugentis, ut læta denuntientur gentibus ad unus dei cultum conuocandis. Terra uehementer umbroſa ex alis uolucrum, ultra flumina Cus (quæ Aethiopia eſt) uideri poteſt ſignificare late patens Romanum imperium, ueluti ſub aquilarum alis regiones remotiſſimas protecturum. Ad quod et de quo propheta hic prophetiam breuem ſcripſit, à domino reuelatam, quæ ſic habet.

2 qui mittit in mare legatos, & in uaſis papyri ſuper faciem aquarum. Ite nuncij ueloces ad gentẽ diſtractam, & dilaceratam: ad populum terribilem, poſt quem nõ eſt alius: ad gentem ſemper expectantem & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius.

Quæ rex Meſſias Chriſtus dominus ſit miſſurus, prædicitur. Eſt enim שלח maſculum uerbum, non terram uel regnũ, quæ fœminina ſunt, ſuppoſitum habens. Per mare, hoc eſt, ad remotiſſimas nationes, ad quas olim non niſi nauigijs penetrabatur, mittit legatos apoſtolos in nauibus tunceis per mare uniuerſum, ut uelociſſime apoſtolatum ſuum exequantur, ſiue proprijs perſonis, ſiue epiſtolis miſſis per manus fidelium, quos & ire iubet in omnem terram, & in fines orbis terrarum, ad prædicandum Euangelium ſalutis & fidei, in deum per Chriſtum dominum. Mittuntur autem ad gentem diſtractam in uarios errores, ritus, cultus, & deos ad nationes agreſtes, indiſciplinatas, incomptas: ad populum terribilem, qui meliora ac ipſis inſueta denuntiaturos, & morum conſuetudines mutandas in melius prædicaturos horribiliter ſint excepturi, & uſque ad mortem perſecuturi. Ad hos populos Chriſtus mittet ſalutis uniuerſalis nuncios ac legatos, ab exordio ſui, & deinceps & uelut naturaliter terribiles pijs hominibus, quas gentes pedetentim & ſucceſſiue docere deberent, diſponere, ordinare, & ueluti ad normam dirigere ſubinde, quæ fuerant conculcatæ, contemptæ, neglectæ à tempore originis errorum et idololatriæ: quorum terras flumina libidinum, errores idolorũ, & tyrannis principum diripuerãt, ut ſine fide & ſanctis moribus ac ſine ueri dei cognitione cultuq; uixerint. Apoſtolorũ Chriſti miſſio in orbẽ.

3 Omnes habitatores orbis qui moramini in terra, cum eleuatum fuerit ſignum in montibus, uidebitis, & ueluti clangorem tubæ audietis:

Omnes habitatores orbis, & omnes incolæ totius terræ uidebitis ſignum, ueluti exercitus, eleuatũ in montibus, ad quod milites confugiant: hoc ſignum ſine dubio eſt, & hæc legatorũ cõmiſſio, quam priſtini patres alicubi uel ex hoc loco admoniti à ſpiritu ſancto didicerũt, Dicite in nationibus, quia regnauit à ligno deus. Crucifixi enim myſterium intueri iubentur, uti ſignum propoſitum omnibus fidei militiam adituris. Inſuper tubæ euangelicæ doctrinæ ſonitum apoſtoli emittunt, & uelut claſſicum canũt omnibus audiendum, ut euangelio omnes obediant, & in Chriſto mundus uniuerſus ſaluetur.

4 ¶ Quia hæc dicit dominus ad me: Ego quieſcam, & conſiderabo in habitaculo meo ſicut calor ficcans poſt lucem (uel pluuiam) nubes roris in calore meſſis.

Sequitur de excidio Iudæorum, poſt uocationem gentium. Verba autem domini ſunt, Quieſcebam ego, & prouidentia mea uniuerſali omnes homines intuebar, immotus ego manens omnia diſpenſabam de cœlorum habitaculo meo: uidebarq; mihi, ait dominus, in acceſſibile lumen inhabitare, & calorem præbere omnibus quæ fouentur in cœlo & in terra, quo creſcunt & maturantur omnia, nubem quoq; refrigerij præbere æſtu tentationum uexatis, tempore meſſis dum omnia calent. Periphraſis hæc eſt maieſtatis diuinæ & regiminis.

5 Ante messem enim totus efflоruit, & immatura perfectio germinabit, & procindẽtur ramusculi eius falcibus, & quæ derelicta fuerint, abscindentur, & excutientur.

Vidi ergo peculij mei agellos crescere, & fruges ipsas indies ad maturitatem tendere, uineam quoq; meã domum Israël botros suos etiamnum floreſcentes proficere in grana, præmaturaq; fieri, & spem mihi præbere copiosæ uindeminæ, & messis. Sic enim dominus semper expectat fructus fidei, & operum sanctorum annonam, à suis fidelibus, imò omnibus hominibus quos uocauit ad pietatis exordia, quos prouidentia sua nutrit ad
Iudæorum abiectio. *meliora, quos non cessat corrigere, monere, & exercere ad meliora. Quum itaq; peculium meum intueor & contemplor, subintrantem uideo feram singularem, & hominem inimicum, contrariam potestatem, & angelum iudicij, qui conuersus in illud, omnes ramusculos uitium, & quicquid cohæret radicibus, ueluti falcibus excindit, sarmenta quoque & propagines in totum amputando aufert, ut nec matureſcens fructus, nec spes aliqua futuri aliquando prouentus supersit. Sic enim uinea domini excisa uidetur, & exterminata, ut nihil ferè spei reliquum manserit: sic Iudæi abiecti, ut finis nullus speretur calamitatis & exilij.*

6 Et relinquẽtur simul auibus montium, & bestijs terræ, & æstate (*perpetua erunt*) super eum uolucres, & omnes bestiæ terræ super illam hyemabunt.

Sic autem derelicti sunt miseri, & perduelles Iudæi, ut maximis primũ stragibus perierint in montibus, et cũ ipsa Hieroſolyma ut bestijs iumentisq; in escam proiecti fuerint, id quod & dominus crebro illis promiserat, & auibus relicti in cibum sunt tempore æstatis, & feris in hyeme: hoc est, tanto tempore tot regnis & tyrannis obiecti sunt, ut iudicij sui tam duri causam iamdudum agnoscere debuerint esse, quia non cognouerũt tempus uisitationis suæ.

7 ¶ In tempore illo deferetur munus domino exercituum à populo diuulso & dilacerato: à populo terribili, post quem nõ fuit alius à gente semper expectante, & cõculcata: cuius diripuerunt flumina terram eius ad locum nominis domini exercituũ montem Sion.

Dum sic tã apostoli mittuntur ad gentes quàm uirga domini exercitus hostium immittitur in ingratos Iudæos. Clementia dei & gratia per Christum saluatorem
Hostia acceptabilis fidelium. *cœlo terræq; præsidentem fit, ut acceptabilis hostia, & sacrosancta oblatio domino offeratur ab omnibus gentibus, ab ecclesia uocata ex nationibus omnibus, sacrificium in odorem suauissimum domino deo Israël, fides scilicet & charitas in dominum deum creatorem suũ, spiritusq; contriti cordis & humiliati deuotissima renuntiatio omnium errorum & idololatriarum: quo sacrificio nullum deo acceptius unquam in templo Hieroſolymitano oblatum est. Affertur, inquit, & offertur domino exercituum per legatos & apostolos, magnus*

populus, ut dictum est, distractus, neglectus, horridus à longo tempore, gens paulatim deterior facta, & nunc ad meliora pariter animata ac præparata, cuius directa fuerãt omnia bona naturæ et gratiæ. Tota illa gens, & orbis terrarum ferè totus, allata est per fidem, oblatio ad locum montis Zion, de quo exierant legati. Ad quem montem domini certatim ascenderũt gentes multæ, ut docerentur de lege domini, quam improbi Iudæi toties ſuſceptam abiecerant. Potest tamen simplicius Alia expo. *hoc caput exponi, de Aethiopibus, uicinis Aegyptijs, quorum rex Thartan istis temporibus Iudæis consilium & auxilium promittebat contra Assyrium, quibus & fidebant magis quàm deo ſuo. Nassa autem dici potest Aethiopũ principalis insula Meroe. Is Thartan solatia spondet, per ueloces nuncios in nauiculis iunceis, ad gentem Iudaicam, sæpe protractam, profligatam, multis tamen olim & maximè Aetiopibus terribilem, ut patet 2. Paralip. 16. Cuius gentis terram aquæ maximorum sæpe exercituum uastauerant. Sed hoc consilium immaturum ostenditur, & prorsus infructuosum. Peribit enim Aetiops, & ut surculi inutiles abijcietur, & à bestijs agri cadauera Aethiopum prosternentur, & sicut exercitus Sennherib occisi discerpẽtur. Tunc aũt apparebit quàm uane Iudæi alijs quàm ſuo deo uero fidem habuerint: tunc domino deo gratiam Iudæi, sub Ezechia habebunt: omneq; consilium utile à Deo discent esse petendum. Alij de Aegypto interpretantur, cui nunc uastitas prædicetur, idq; in obscuro ænigmate, cui ſequenti capite explicatio clarior subnectatur. Vide Hieronymum.*

¶ CAPVT XIX.

1 ONus Aegypti. Ecce dominus ascẽdet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & mouebuntur simulachra Aegypti à facie eius, & cor Aegypti tabescet in medio eius.

Prophetia ad Aegyptios, quorum primo perditionem Contra Aegyptios. *prædicit per Assyriorum exercitum sub Sennherib: deinde consolationem ueram, tam Ezechiæ temporibus quàm Christi. Equitat super nubem dominus in Aegyptum, cum ueloci uindicta idololatriam ipsorũ, & uitia grauia punit. Quid autem mirum, si iudicium dei idola non ferant, & fingantur aufugere conſpectum dei, ut error ueritatem, impietas iustitiam, & spiritum caro? Mundus deum nõ potest sustinere unquam. Necessario quoque corda diffluunt desperando, quæ fiducia nulla nituntur deo, ut super arena fundata domus minume subsistit aut permanet.*

2 Et concurrere faciam Aegyptios aduersus Aegyptios, & pugnabit uir contra fratrem ſuum, & uir contra amicum ſuum, ciuitas aduersus ciuitatem, regnum aduersus regnum.

In falsarum religionum ritibus pax nulla subsistit, & humanæ traditiones nũquam omnibus seruire possunt. Pax nulla impijs. Facile regnum in ſe diuisum superari

potuit

potuit, dum principes dissentiunt, & urbes non concordant, dum fratres sibi fidere non audent. Sic Aegyptiorum principum quidam Assyrio fauebãt, quidam repugnabant, ideo subsistere contra eum non poterant.

3 Et dirumpetur spiritus Aegypti in uisceribus eius, & consilium eius præcipitabo, & interrogabunt simulachra, & diuinos, & pythones & ariolos.

Superstitio Aegyptiorum.

Concidet animus Aegyptiorum, & comprimetur ueluti strangulatione spiritus Aegyptiorum, ut uis omnis ipsorum expiret præ formidine. Consilia eorum dissipabit dominus et frustrabit. Erant enim ab antiquo superstitiose sapientes & iactatores sacræ eruditionis, bello fortes, & nihil sine uatũ consilio aggrediẽtes: sed deus inuertet consultationes ipsorum ab idolis suis, & omnibus superstitiosis, quorum maxima semper fuit in Aegypto colluuies. In totum fallent idola cultores suos, quandoquidem & ipsi fallentur, & futura illis mala subterfugere non datur.

4 Et tradam Aegyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum, ait dominus deus exercituum.

Concluſi sunt discordes, & uane sapientes Aegyptij in potestatem tyrannici Assyriorũ regis, qui graui illos opprimat seruitute. Qui enim sponte erroribus seruiebant, & multos perturbauerant sæpe, dignã nunc quoque ab impijs tyrannis talionem recipiunt. Hæc autem non fiunt malitia uel arbitrio hominum, sed iudicio uoluntateq; diuina. Rex autem tam uiolentus & fortis, proprie magis dicetur Satanas princeps tenebarum, ciuiumq; Aegyptiacorum, sicut & Babyloniorum.

5 Et arescet aqua de mari, & fluuius desolabitur atq; siccabitur,

6 & deficient flumina. Et attenuabuntur, & siccabũtur riui aggerum. Calamus & iuncus marcescet,

7 Gramina iuxta riuum, iuxta ripam aluei, & omne seminatum iuxta riuum siccabitur, arescet, & non erit.

Nilus frugifer.

Destituetur Aegyptus omni commoditate sua, & uiribus, annona quoq; & aquis, ut Nili quoq; fluenta arescere dicantur, sine cuius irriguo uiuere nõ possint, nec crescere quicquam, quòd imbribus careat. Quum itaq; flumen istud in alueis suis aqua destituitur, extenuãtur, flaccescunt, & arescunt uniuersa. Hic uerò tam calamus quàm iuncus disperitura prædicãtur: hoc est, nihil extabit usui necessario hominum. Viror omnis graminum in ripis, & omne sementum in agris siccabitur, uento urente corrumpetur, perditis omnibus fructibus. Etiam si hæc ad literam nõ accidissent, tamen periphrases sunt calamitatum maximarum Aegypti, ob Assyrij exercitus stragem & impetum.

8 Et mœrebunt piscatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, & expandentes rete super faciem aquarum emarcescent.

Vbi aquæ deficiunt & flumina, piscatores quoque

cessant, & qui conficiant retia, nassas, & sagenas, piscatoria instrumenta quæcunq;, ex lino uel serico concamerando reticulata opera & uelamina, quod serica in aquis diutius durẽt, & funium sunt infinita genera.

9 Confundentur qui operantur linum fericum, & texentes nassas.

10 Et erũt irrigua (retia) eius dilacerata: oẽs q̃ faciebant uiuaria (lacunas ad capiendos pisces.)

Artifices etiam lacunarum, uiuariorum, & aggerũ, qui sese omnes nutriebãt ex Nilo, deficient, omnes mœrebunt & peribunt: hoc est, egestate maxima laborabit totum regnum. Omnia hæc merito patiebãtur, quia Nili creatorem ignorabant, & pro tanto beneficio gratias non agebant, & similia his mala alijs quoq; incommodauerant.

11 Stulti quoq; principes Taneos, sapientes consiliarij Pharaonis dederũt consilium insipiẽs, quomodo dicetis Pharaoni, Filius sapientiũ ego, filius regum antiquorum?

12 Vbi nunc sunt illi sapientes tui? Annuntient & indicent tibi quid consuluerit dominus exercituum super Aegyptum.

Eadem mala Aegypto intentat, quæ supra genti suæ cum sapientes uates ac legisperitos auferendos comminatur, & quum iactauerint se super prisca nobilitate et sapientia, quasi primi fuerint philosophorũ & literarum repertores, ideoq; filios se sapientũ dicunt: nunc domino irato illis, toti infatuantur, & nullo cõsilio turbatis rebus succurrunt, nihilq; tam graue superuenturũ præscierant uel fuerãt suspicati. Nullum est enim consilium contra dominũ. Pœnæ decretæ à domino non auertuntur. Sapientia sola à malis liberat, ea, qua dominus creditur atque colitur.

13 Stulti facti sunt principes Taneos sublati sunt principes Mempheos, deceperunt Aegyptum, angulum tribuum eius.

14 Dominus miscuit in medio eius spiritũ uertiginis, & errare fecerũt Aegyptum in oñi opere suo, sicut errat ebrius & uomẽs.

Consiliarij regis in metropoli regni stulti facti sunt, sine consilio, à quibus tamen negotia cuncta pendebãt, unde & anguli tribuum nominantur, quibus constet salus et tranquillitas. Vbi ergo deerat spiritus consilij, ibi uertiginis, errorum, ac peruersitatum spiritus impellebat ad mala, ut domino disponente decipiantur impij, et consilia eorum confundãtur. Et sicut errant ebrij, ac in uomitu uolutantur: sic si impiorum principum impij consiliarij per aduersum gradiuntur ut cadant, & secum trahant sibi innutentes, & credentes impijs. Nihil perniciosius impijs cõsultoribus & senatoribus, in quacunque republica, qui scilicet sua querẽtes deum non uerentur.

15 Et non erit Aegypto opus quod faciat, caput & cauda, ramus & iuncus.

Caput & caudam ignorare.

Prouerbialis sermo, Caput & caudam ignorare, pro destitutum esse consilio, quomodo aliquid ordiaris uel finias. Surculũ & iuncum, Hebræi ualidos & debiles in-

terpretãtur, populares ac principes hoc loco. Sic enim turbati fuerũt omnes, ut nullus potuerit facere officium suum propter ebrietatẽ corporis & insaniã mentis.

16 In die illa erit Aegyptus quasi mulieres, & stupebũt & timebunt à facie cõmotionis manus domini exercituũ, quam ipse mouebit super eam,

Aegyptij idololatræ superstitiosi, et præ diuitijs insolentes, audientes famam tanti Assyriorum exercitus ingruentis, consolatione deorum & sapientum destituti, ueluti mulieres extimescunt iudicium domini impendens & manum eleuatam ad feriendum expauẽt, alioqui natura effœminatiores, nunc uero tanto malo exterriti magis anxiãtur. Potest enim dum uult dominus suos hostes terrere uehementer, solo nutu, etiam nemine infestante.

17 & erit terra Iuda Aegypto in pauorẽ. Omnis qui illius fuerit recordatus, pauebit, à facie consilij domini exercituum, quod ipse cogitauit super eam.

Quum rediens de Aegypto Assyrius, Hierosolymã obsedisset, et stupẽdo miraculo percussus esset ab angelo ad preces Ezechiæ, tanta fortitudine dei Israël & iustitia uisa, stupefacti sunt omnes populi propinquiores ex fama miraculi: maxime autem Aegyptij, iam humiliati, & deorum suorum impotentiam uanitatemq; experti. Nec tantum territi ex hoc sunt, sed etiã subinde gauisi de strage ferocissimi hostis sui. Quis enim non horreret manũ domini, & tyranni morte non gauderet? Consiliũ quoq; domini exercituũ ex facto cernens, tam horribile super impios, quis non timeret sibi quoq; imminere, si in illum peccaret?

18 ¶ In die illa erunt quinq; ciuitates in terra Aegypti, loquentes lingua Chanaan, & iurantes per dominum exercituum, Ciuitas solis uocabitur una.

19 In die illa erit altare domini in medio terræ Aegypti, & titulus domini iuxta terminum eius.

Traditio. Hebræorum traditio est, Sennherib uictos Aegyptios & Aethiopes secum duxisse ad expugnationem Ierusalem, suo autem Assyriaco exercitu percusso, Ezechiam Aegyptios remisisse saluos cum Aethiopibus, ut narrarent magnalia dei Israël, & erectis eum aris colerent, & uenerarentur sacrificijs: & hoc esse quod hic dicitur, quinq; Aegyptiorum celebriores urbes conuersas ad dominum, Hebræa lingua, quam hic dicit Cananaicam, qua utebantur fideles, dominum laudantes, & in illius nomine iurantes, quarum una ob perfidiam fuerit uastata. Vtcũq; habeat de illorum dicto, uerisimile est, & certum, Aegyptios circa illud tempus ex tot miraculis auditis cœpisse colere dominum deum Israël, hoc est, unum ac uerũ, eidemq; aras extruxisse in urbibus suis suo more, & Iudæis minus quàm antea infestos fuisse, maxime cum Ezechiæ sancti regis famã uirtutesq; audissent. Qui etiã hac ratione Christi domini typus erat, per quem inter primos omnium nationum cõuersi sunt Aegyptij ad uerum dei cultum, per apostolos prædicato euangelio, ut constat, quod significatur per altaris erectionem. Nunc autem regnante Christo, totus mundus uno altari, hoc est, unius dei cultu contẽtus est. Titulus autem erectus iuxta terminum Aegypti inscriptus est Domino, ad significandum omnibus ingredientibus eam, mutatam idololatriam multorum deorum, ac unius ueri & omnipotentis dei se cultum suscepisse. Durum Iudæis uidetur admittere dei ueri cultum gentibus, ideo ad damnationis suæ cumulũ pro ara hoc loco exponunt, post suum Ionathan Chaldæum, mactationem Aegyptiorum: cum reuera habeatur, Ara domini dei, & columna uel statua domino deo.

Ezechias Christi typus.

20 & erit in signum & in testimoniũ domino exercituum in terra Aegypti. Clamabũt enim ad dominũ à facie tribulantis, & mittet eis saluatorem & magistrum qui liberet eos.

Certissimum gratiæ dei signum Aegyptijs erit, susceptio cultus unius dei. Fide enim confirmata in illorũ cordibus, sine cunctatione in aduersitatibus suis dominum inuocabunt, & exaudientur, misso saluatore & consolatore, hoc est, gratia domini illis cõcessa, qua credãt & adorent, non alium quempiam præter deũ uerum.

21 Et cognoscẽt dominus ab Aegypto, & cognoscẽt Aegyptij dominum in die illa, & colẽt eum in hostijs & in muneribus, & uota uouebunt domino, & soluent.

Significatur hoc uersu perfecta conuersio Aegyptiorum ad legitimum cultum ueri dei, ut iam non solum in Iudæa dominus notus sit, sed in Aegypto quoq;, & per eos ueluti & aliæ eorum preciosissimæ merces transferentur in omnem terram. Verè enim propagatam cernimus pietatem ueram ad exteras quasque nationes, ut omnes cognoscant dominum, uno humero eum adorent omnes, & sacrificijs laudis, contritionis fidei, & pijs operum deum colant, uota domino religiose soluant, quibus se certo norint posse domino complacere, secundum ipsius mandata alioqui facto impossibilia: uel domino ingrata uel impia uouere, tam ingratum est, quàm reddere uel complere. Conuers. mundi.

22 Et percutiet dominus Aegyptum plaga, & sanabit, & reuertentur ad dominum, & placabitur eis, & sanabit eos.

Hoc pacto percutientur Aegyptij à domino propter plurima peccata sua, & iterum sanabuntur, conuersi ad dominũ uera fide & pietate. Idq; non solum illis, nec semel tantum usui uenit, sed semper & omnibus quanuis tumlibet impijs gentibus cõtinget, si resipiscant & dominũ ex animo implorẽt, pro gratia & clementia sua.

23 In die illa erit uia de Aegypto in Assyrios, & intrabit Assyrius in Aegyptum, & Aegyptius in Assyrios, & seruient Aegyptij Assur.

Describitur communio fidelium, post errorum agnitionem, & ueri dei cultum susceptũ. Vt enim omnibus Iudæis hostes fuerant omnes gẽtes idololatræ, multaq; semper bella & incõmoda eis propter idola sua intulerant,

lerant, uniuſq; dei cultores abominabantur quàm maxime, & uiciſſim odiebantur à Iudæis: ſic obmiſſis ſuperſtitionibus uarijs, ad ueram religionem conuerſæ, ſimultatem quoque & odium abiecerunt. Quod & non raro contigit, maximè autem apoſtolorum temporibus, quando Petrus dixit: Vos ſcitis non eſſe fas uiro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam, ſed mihi oſtendit deus, ne quem communem aut immundum dicerem. Sic ante Aſſyriorum ſtragem, & alia miracula facta Ezechiæ temporibus, odium uigebat inter Aegyptios, Aſſyrios & Iudæos, qui in conuerſione ad deum uerum facilè concordarunt: magis autē omnes populi orbis terrarum per Chriſtum in eccleſiæ communionem collecti ſunt per Euangelium, & fidem in Chriſtum. Per has enim tres gentes Iudææ uiciniores, omnes reliquæ deſignantur, quæ in unitatem fidei congregatæ ſunt, & Chriſtiana charitate adunati: donec tyrannus peregrinarum doctrinarum denuò ſcidit & diſſecauit catholicam & apoſtolicam eccleſiā. Quam ubi uerbi dei ſyncero intellectu & fide contigerit denuò imbui, & ſcandaloſos abuſus multos finuri, non dubium eſt reſtaurandam orbis totius communionem & eccleſiaſticam pacem.

Odium Iudæorum minuit diuinū miraculum.

Doctrinæ peregrinæ.

24 ¶ In die illa erit Iſraël tertius Aegyptio & Aſſyrio: benedictio in medio terræ,

25 cui benedixit dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Aegypti, & opus manuum mearum Aſſyrius, hæreditas autem mea Iſraël.

Vbi eſt agnitio dei ueri uera per uerbum, ibi ſequitur cum uero cultu etiam pax & charitas, cum benedictione dei. Ternarius autē ille benedictus Iudæorum, Aegyptiorum & Aſſyriorum, benedictus eſt à domino benedictione cœleſtium donorum per Chriſtum: ut poſthac non ſe iactare poſſint Iudæi, ſolos ſe populum domini & cultores, ſed benedictas in ſemine Dauid & Abrahæ omnes gentes, promiſſiones dei completas ad patres. Omnes enim gentes benedicendas promiſit, non ſolos Aegyptios: omnium populorum creator eſt, non tantum Aſſyriorum: ſic hæreditas domini ſunt omnes qui fidunt illi, & Abrahæ fidei filij ſunt, non ſoli Iſraëlitæ ſecundum carnem. Diuus Hieronymus ſic exponit: Terra Iſraël, & ipſa quoque ſub Romano imperio ac per hoc Chriſti in regno conſtituta, eiuſdem erit conditionis cuius & Aegyptus & Aſſyrij, & benedicetur in omni terra, quia ex Sion exibit lex, & uerbum domini de Ieruſalem. Tunc dicetur à domino, Benedictus populus meus Aegypti, quando infinita Chriſtianorum millia illius ſolitudines repleuerint, & opus manuum domini erit in Aßyrijs. Hæ enim uel maximæ gentes monachorum florent examinibus, Aegyptus & Meſopotamia. Hæreditas autem Chriſti Iſraël, hoc eſt, natiuitatis, crucis & reſurrectionis, aſcēſionisq; eius loca, ad quæ de toto orbe concurritur: quæ non ſine affectu uir ſanctus ſcripſiße uidetur.

Ternarius benedictus.

D. Hieronymus.

Benedicti Aegyptij.

¶ CAPVT XX.

1 IN anno quo ingreſſus eſt Thartan in Azotum, quum miſiſſet eum Sargon rex Aſſyriorum, & pugnaſſet contra Azotum, & cepiſſet eam:

Eiuſdem fermè argumenti prophetia eſt, cuius & ſuperiores & quaſi auctarium, niſi quod luculentior & ſignificantior. Indicat captiuitates Aegypti & Aethiopiæ à rege Aſſyriorū, propter hoc quod fœdus inierāt contra Aſſyrios. Thartan autē dux exercitus Sennherib, qui hic nominatur Sargon (habuit enim ſecundum Iudæos octo nomina) aliquot annis ante ſtragem angelicam Aſdotum inſignem Palæſtinorum urbem cepit. Quo tempore metu Aſſyriorū, Aethiopes ac Aegyptij fœdus inierant contra eum, quo ſeſe tueri poſſent ab illius tyrannide, ſicut & Achas habuerat contra Syrum & Samariam. Sed inaniter utrobiq;, quia domino aliud uiſum erat, propter regnorum impietates.

2 in tempore illo locutus eſt dominus in manu Iſaiæ filij Amoz, dicens: Vade & ſolue ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit ſic uadēs nudus & diſcalceatus.

Eſaiæ prophetæ præcipitur per uiſionem à domino, ut ſoluat & exuat prophetale indumentū ſuū, cilicium ſcilicet ad lumbos, & calciamentum ſuum de pedibus, quod & fecit propheta ſanctus, incedens quidē diſcalceatus & nudus, non ab omni ueſtitu, ſed à cilicio uel pphetali habitu aliquo. Quod non ſit ueriſimile uno ſolo indumēto uſum, ſicut nec Chriſtus uel Helias. Vt iniuiter hic diſputent de uiſione prophetica, non opere uero, ne nudus in totū longo tempore iuiſſe putetur. Nam nudus hic non dicitur omnibus ueſtimentis exutus, ſed communi, & ab omnibus noto. Quanquā omnia facta & dicta fuiſſe in uiſione non ſit omnino irrationabile, ſed id non ob friuolas cauſas docendum.

Nudus ut fuerit Eſaias.

3 ¶ Et dixit dominus: Sicut ambulauit ſeruus meus Iſaias nudus et diſcalceatus, trium annorum ſignum & portentum (erit) ſuper Aegyptum & ſuper Aethiopiam:

Facto debebat oſtendere futuram captiuitatem duorū regnorum, quorum populi nudi: hoc eſt omnibus bonis & diuitijs nudati & ueſtibus ad honorem ſpectantibus ſpoliati, in Aſſyrios ducendi eſſent. Erat autē portentum trium annorum, quia fortaßis ter ſic inceſſerat, uel poſt triennium hoc futurum prædixerat.

4 ſic minabit rex Aſſyriorū captiuitatem Aegypti, & tranſmigrationē Aethiopiæ, iuuenes & ſenes, nudum & diſcalceatum diſcoopertis natibus ad ignominiam Aegypti.

Sic cum magna ignominia nudati, & cum opprobrio indigno abigentur, tam iuuenes quàm ſenes, in captiuitatem ab Aſſyrijs, ut nec uerenda quidem, quibus peccauerant, contegere poßint. Eiſdem enim modis dominus punire ſolet impios, quibus peccant. Ideoq; de ſpur

citijs notati sæpe Aegyptij, hic quoque natibus detecti abducendi in exilium prædicuntur.

5 Et timebũt, & confundentur ab Aethiopia spe sua, & ab Aegypto gloria sua.

Refertur secundum Iudæos ad Israëlitas iam captos, qui sperabãt se redituros ad sua, si Assyrij uicti fuissent ab Aegyptijs & Aethiopibus. Potest fortassis dici de regno Iuda, pro eo tempore quo fœdus inierat Achas cum Assyrio, ut citius hæc prophetia facta sit quàm scribatur ex ordine, ut sic exponatur: Timebunt igitur residui in terra Israël, & cõfundentur ab Aethiopibus, ad quos respiciebant, habebantq; fiduciã prostrandorũ Assyriorum. Et ab Aegypto, in quibus obmisso deo suo fidutiã habebãt tanquam finitimis & uicinis, à quibus aliquando iuuandi essent. Quibus ambobus captis, spe sua exciderunt, & formidauerunt magis.

6 Et dicet habitator insulæ huius in die illa: Ecce, hæc erat spes nostra, ad quos confugimus in auxiliũ, ut liberarent nos à facie regis Assyriorũ: Et quomodo effugere poterimus nos?

Insula quæ dicatur.

Habitator insulæ, secundum Hebræos terra Iuda dicitur, quia sita inter mare magnum & mortuum, quæ fraudata sit spe sua, qua ab Assyrio eripienda se credebat, opera & auxilio Aegyptij regis & Aethiopiæ. Quanquam & de Aegypto & Aethiopia dici possit, quod insulæ sint ob Nilum & mare rubrum. Quasi dicant: Ecce quomodo habeat spes nostra, Aegyptij sperauerant in Aethiopes, & contra: sed utrique capti sumus, quia non in dominum deum sperauimus, sed posuimus carnem brachium nostrum. In Aethiopiam uel Aegyptum respiciunt, qui creatis uiribus quibuscunq; suam tribuunt salutẽ. Et insula dici potest ecclesia, ualata impijs undique hostibus.

¶ CAPVT XXI.

1 ONus deserti maris. Sicut turbines ab Aphrico ueniũt: de deserto uenit, de terra horribili.

Desertum mare.

Ex fine huius prophetiæ intelligitur desertum mare Babylonem significare, quod regnum illud uastauerit multos populos, & ipsum uehementer fuerit uastatum, uel quod tumultuosum fuerit semper, & inquietum, omnia deuastãdo: uel secundũ Hebræos, ad occidentem sita sit respectu Persarũ & Medorum, à quibus deletum est illius imperium. Et quia Ierusalem quoque uastanda erat per Babyloniam, ideo non semel, sed sæpius prophetauit contra eam. Subitò autem, & cum uehementi tumultu, uelut ab australi turbine qui solet esse impetuosior, uastanda dicitur, à populo uenturo de terra horribili, uasta & longinqua, de Persia scilicet & Media. Inde enim uenit Cyrus & Darius, qui eam ceperunt.

2 Visio dura nuntiata est mihi. Qui incredulus est, infideliter agit, & qui depopulator est, uastat. Ascende Aelam, obside Mede: omnem gemitum eius cessare feci.

Parenthesis loco hic scribitur, quod ab initio fuerat ponendum: Visio dura & prophetia grauissima significata mihi est contra Babylonem. Hanc uocem æditam Propheta se audisse narrat, dicentem: Qui insidiatur uel fidem frangit, is insidietur: & qui uastare incepit, uastet: quasi dicat, Qui in animum posuit abijcere iugum Babyloniorum, is audacter abijciat, & qui uastare Babylonem cupit, non obmittat, sed aggrediatur & tentet: iam enim fata illius urgent, iam tempus uastandi uastatricẽ aduenit. Ascende ergo ô Elam gens omnus Persarum: obside Babylonem tota Medorum gens, iam enim compescam gemitus illius, uel quos expressit miserè oppressis gentibus, uel quos nunc oppressa digne exprimit. Iustum enim est, ut ingemiscat calamitatum autor, & miserias proprias indoleat, qui intulit alienas: & misericordiam nullam inueniant, qui nullam præbuerunt.

Vicissitudo rerum.

3 Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustiæ possederũt me sicut angustiæ parturientis. Corrui cum audierem, conturbatus sum cum uiderem.

Verba prophetæ sunt, irridentis impium & truculentum regem Babel, in eius persona, more prophetarũ sic dicendo: Impleti sunt lumbi mei defectione uehementi, & consternatione horribili: totus imbecillis factus sum, & infirmus ad resistendũ aduersario, uidens tantam rerum mutationem, ut qui imperabam omnibus, nunc succumbã omnibus. Amarissima uentris tormina apprehenderunt me ueluti parturientem, incuruatus præ doloribus ut puerpera, à rumore & fama tot hostium, ut uisum amiserim præ pauore & stupore uehementissimo. Talia sunt iudicia dei contra tyrannos, hæc pœna manet crudeles pauperum oppressores, sic rependit dominus potenter prementibus pauperes.

Iudicia cõtra tyrannos.

4 emarcuit (uel errauit) cor meum, tremores stupefecerũt me. Crepusculum cupidinis meæ, posita est mihi in miraculum.

5 Pone mensam, contemplare in speculat comedentes & bibẽtes surgite principes, arripite (uel inungite) clypeum.

Palpitat intra me cor meum, cum manum scribentem cernerem ad parietem, Danielis 5. Tremor perterruit & inuasit me, caligo uertebat mihi omnem sensum meum in stuporem: cum ad noctis crepusculum oblectationi meæ incumbere destinassem cum principibus & seruis meis, subitò ad miraculosam manum corripuit me stupor. Dixeram enim subitò ut mensa ponerentur, ut intenti essent excubitores in speculis & custodes. Comedendum iam erat & bibendum, dum statim clamatur, Ad arma ô Principes, ungite uel polite clypeos, uel abstergite puluerem de scutis, qui nunc ebrij estis, iam uobis pugnandum est, ideo gladios adaptate & euaginate. Vel, ut alij exponũt, Vngite regẽ alium, qui præsit melius: hic enim Balthasar ob ignauiam & malitiam proximus est exterminio, hac nocte ab aulicis occidendus.

6 ¶ Hæc enim dixit mihi dominus, Vade, &

& pone speculatorem: & quodcunq; uiderit annuntiet.

Propheta in persona principum Babylonis mutuum sese exhortantium, dicit iussus à domino per uisionem, Perge & constitue speculatorẽ, qui quæ uisurus est annũtiet, ut sciamus quo loco stent nostra negotia. Nimiũ autẽ tardè instituuntur excubitores, cum iam malũ in ianuis est, dum crepusculum attigit, dum urget hostis præsens. Tempestiuè occurrendum est malo. De remotis considerandi euentus, & uigilandum, non in commessationibus & impudicitijs, sed in oratione.

7 Et uidit currum duorũ equitũ, currum asini, & currum cameli, & cõtemplatus est diligenter multo intuitu.

Speculator uidere iussus contemplatur multa, ac diligenti attẽtione, & uidet par equitũ, quorũ alter asino, alter camelo uehebatur: exercitũ duplicem Medorum & Persarum significantes, qui Babylonem uastaturi uenebant in uisione. Is nimirũ speculator Esaias erat, qui à domino illustratus præuidit mala Babyloni euentura, non in impedimentũ futuri mali, sed in aggrauationem peccati Babylonis, quæ tam maturè præmonita resipiscere, & præcauere malis non uoluit.

8 Et clamauit leo, Super speculã, domine ego sum stans iugiter per diem, & super custodiam meam, ego sum stans totis noctibus.

Indocti Iudæi.

Iudæi hunc uigilem faciunt prophetam Abakuc per suam stultã supputationẽ literarũ, quam uocant geometriam, homines indoctissimi, & uertiginis spiritu obruti. Clamauit certè propheta, si non Daniel, saltem hic Esaias, uelut leo, horribili uoce, sed sine fructu impiorũ. Ego, inquit, sto iugiter super custodiam, & speculam meam, die noctuq; non cesso admonere spiritu domini instigatus, ad mala prohibenda pro officio uigilũ: quales nobis sunt prophetæ & prædicatores, qui alijs crapula & libidine occupatis, ipsi sobrij, uigiles, orantes, & fideles prospiciant plebi piè educandæ.

9 Ecce, iste uenit ascensor uir bigæ equitũ, & respõdit, & dixit: Cecidit cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum eius contrita sunt ad terram.

Nuntiatur ad sensum uenturus Darius rex Persarum & Medorũ, cum duobus maximis exercitibus, qui regi tanquam iumẽta obsequebãtur. Respõdet insuper uigil quærentibus quid uideret, certissimè casurã Babylonẽ, cum omnibus idolis & dijs suis, qui iam tunc ostensuri essent se nihil posse, qui cum suis pariter cultoribus concidissent, essentq; contriti, quibus nec tot Chaldæi & omnũ superstitionũ magistri succurrere poterant, cum id futurum iam à prophetis Israëlis dudũ prædictũ esset & redactũ in literas. Sed prouidentia dei à meritis & conatibus humanis nõ pendet, & impij sua sponte contemnunt prophetias dei, ut pereant.

10 Tritura mea & filius areæ meæ, quæ audiui à domino exercituum deo Israël, annuntiaui uobis.

Babylon cum illud regnum pessimũ, ait dominus, hoc pacto erit tritura mea, sic cõculcabo & feriam, ut in totum contritũ nunquã resurgat, uel reparetur. Filius est areæ meæ. Dignissima Babylon est, quam digna contritione feriam, sicut & ipsa instrumentũ fuit regna alia confringẽdi. Vobis autẽ Israëlitis meis, prophetis meis, populo meo, à Babylonijs captiuãdo, hæc omnia dudum prædixi ad consolationem, si quo modo cõuertamini ad meliorem mentẽ, uidentes non parcendũ impijs, etiã si diu ferantur ipsorum peccata. Babylonis contritio.

11 ¶Onus Duma: ad me clamat ex Seir, Custos quid de nocte? custos qd de nocte?

12 Dixit custos: Venit mane & etiã nox. Si quæretis, quærite: conuertimini, uenite.

Breuis est prophetia, sed difficilis, quomodo docti & pij uiri illam exposuerint uidendum est. Mihi non displicet sensus interpretis Chaldaici, qui satis simpliciter exponit, Altissimus, hoc est, dominus deus, de cœlis clamat, O propheta, prædica eis sermonem propheticum, declara eis quid sit uenturũ. Dixit propheta: Est merces iustis, & est pœna impijs. Si conuertitis uos, curate, ut id citò faciatis, donec scilicet id fieri liceat, non enim semper ualebitis. Hæc Ionathas, Rabi Mayr de Roma exponit, alij aliter: Sunt enim in diuinis quædam quæ magis exercent quàm instruant. Suo tempore potuit esse manifesta hæc prophetia. Duma autem Idumea est, cui proximi sunt montes Seir. Prophetia autem uidetur de uastandis Edomitis. Videtur sibi propheta esse uigil nocturnus, ut dicat, Mane quidem propinquat sed uobis nox erit & periculum: id semper respondeo, donec resipueritis.

13 ¶Onus in Arabia. In saltu ad uesperam dormietis, in semitis Dedanim.

14 Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti.

Arabes quidem tam Moabitæ sunt quàm Ammonitæ, secundum literas sacras, licet & aliæ sint Arabiæ, secundũ Geographos. Quia tamen de Moabitis prophetia est habita, uidetur præsens onus de Ammonitis exponendum, qui & ipsi excidium Babylonici tyranni non euaserunt, ne quis putet eos ut reliquis meliores gentibus euasisse cõmune excidium. Quia autem Arabia & Vespera ijsdem literis, & per metathesim etiã Saltus scribitur, uel in saltu, ideo erudite Hebraico more Esaias ludit in uerbis, sic dicens: Cum in captiuitatem ducemini ab Assyrijs, nimirũ uel Chaldæis, in saltu ad uesperam pernoctabitis, in itinere ad urbem Dedanim, quo in Assyrios ducemini. Et uos quoque ô Themanitæ proferte obuiã Arabis aquam sitientibus in itinere & fugientibus de sua terra in exteras regiones panes producite. Qui enim Israëlitis cibum negauerant, eisdem iam uos nunc captiuis non negetis, si quo modo agnoscant peccatum suum. Arabes multi.

15 A facie enim gladiorum fugerunt, à facie gladij imminẽtis, & à facie arcus extẽti, & à facie grauis prælij.

Iam enim de terra sua fugere coguntur Chaldæos, gladijs instantes & arcubus, belloq; cruentissimo, ideoq; præoccupati in procinctu uiaticum accipere non poterant: uos ergo miseris succurrite exulantibus & uestra ope indigentibus, illis inquam, nec religione, nec sanguine iunctis, cum legem non habeat necessitas. Fuerant quidem hi Nomades optimi milites, sed nunc toti animo & rebus conciderunt uagi & fugitiui.

16 ¶ Quoniam hæc dicit dominus ad me, Adhuc in uno anno quasi in anno mercenarij & auferetur omnis gloria Cedar,

17 & reliquiæ numeri sagittariorũ fortium de filijs Cedar imminuẽtur, dominꝰ enim deus Israël locutus est.

Infra paucos annos hæc de uobis prophetia mea complebitur, non tardabit merces operis uestri, in promptu præmium impietatum uestrarũ retribuetur uobis. Deficient enim fortes uestri, quo minus ut solebant arcu potentes essent & expediti Cedareni Arabes. Relinquentur enim eorũ pauci numero, ab hostibus intercepti, & occisi partim, alijs abactis in exiliũ, residuis uerò fuga lapsis. Sic enim de uobis dñs pronuntiauit deus Israël. Multis Arabes nominibus describũtur pro latissima regione sua, ut uarijs in locis dicatur Arabia felix, petræa, deserta, Ismaëlitæ, Agareni, Cedareni, Saraceni, Tracontidis portio, urbs Aser, Nomades quoq; & pascua sectantes, latrocinia quoq;, Cedar Aquilonaris, Thema australis & Gebalitica. Hæc iuxta Hieronymum.

Arabia multiplex.

¶ CAPVT XXII.

1 ONus uallis uisionis. Quidnam quoque tibi est, quia ascendisti tu omnis in tecta?

Hierosolymã hic significari per uallem uisionis satis discitur ex prophetiæ processu, quam locutus est propheta, de destructione illius, & captiuitate facta per Nabuchodnezer: licet & de perpessa angustia exponi, posit à Sennherib, cum tamen non omnia conuenire uideãtur, propter quod & Hebræi omnes de obsessa Hierosolyma à Babylonio exponunt. Vallis autem uisionis Ierusalem dicitur, cum mons Moria dici posit: sicut & filia Zion mõtis, quia nunquã defuit ei prophetalis doctrina, nunquam nõ persecuti sunt prophetas. Excelso quidem loco & honore posita, malitia autem depressa est, & ex monte detracta in uallem, ex uisione in cæcitatẽ & tenebras, ex regno in seruitutem. Notatur Hierosolymæ populus, præ curiositate & horrore hostiũ aduentantiũ, conscendisse in tecta, quæ plana sunt Palæstinis, & apta concursionibus publicis, unde & in longinquum aspiciatur, unde castra Babyloniorum conspicerent, obsidentium in gyro urbem.

Ierusalẽ uallis uisionis.

2 clamoris plena, urbs frequens, ciuitas exultans: interfecti tui, non interfecti gladio, nec mortui tui, in bello.

O urbem, propheta dicit cum admiratione & dolore, plenam tumultu, clamoribus, & calamitate, urbs hactenus semper deo dicata, lætabunda, uoluptuosa, populosa & tumultuosa, ciuitas exultationis, & sine timore domini. Ciues quidem tui occisi erunt, non prælio & armis hostium: non enim exire audebunt, nec conserere manum pauore cõterriti, sed intra urbis mœnia famis inedia morituri sunt.

3 Cuncti principes tui fugerunt simul, du reçp (ab arcu) ligati sunt. Omnes inuẽti tui, uincti sunt pariter, procul fugerunt.

Omnes, id est, maxima pars principum tuorum uincti sunt, extra arcum, sine prælio capti. Omnes qui inuenuendi in te fuerant, qui te tueri debuerant, qui cladis tuæ causa fuerant, pariter uel uincti sunt, uel fuga lapsi, imò fugiendo inciderunt in manus hostiũ, & uincti ducti sunt in Babylonem, ut de Zedekia testatur historia. Non enim pastores erant, non gregis, sed sui rationem habebant: surgere magis quàm propugnare populum statuerunt, ut mercenarij.

4 Propterea dixi: Recedite à me, amarè flebo. Nolite incumbere, ut consolemini me super uastitate filiæ populi mei:

Verba prophetæ sunt, destructionem urbis deflentis inconsolabiliter & amarissimè, nolentis audire quoscunq; meliora afferentes, præ tristitia iam tunc Hieremiæ lamentationum argumenta concipiens pius Esaias, sicut & Christus ob uastationẽ urbis, quæ dicitur filia populi sui, id est congregatio.

5 dies enim tumultus & conculcationis, & fletuum domino deo exercituũ in ualle uisionis, diripiens murum, & clamans super montem.

Instat enim dies & iudicium domini exercituum, cuius uoluntate & opera uallis ista uisionis tradita est in conturbationem compugnantium, in conculcationem cadauerum, & cõtaminationem platearum ac ædium, & in perplexitatem & confusionem, ut consilio careant, cernẽtes euerti murum urbis, & funditus dirui, audientes quoq; fragorem fugientium & conclamantium in montibus. Talis enim futura erat facies belli illius, & captionis urbis, quia prophetas domini omnes audituri non essent.

6 Et Aelam sumpsit pharetram, cum curru hominis equitis, & parietem nudauit clypeus.

Milites & equites Aelamitarum, hoc est Persarum, in exercitu Babylonio aderunt plenis pharetris, onusti mortiferis sagittis & expeditissimi ad sagittandum contra defensores murorum urbis: & Cyrei scutiferi insistent, ut & subrucre murum possint, & lapidibus de muro non offendi à iacientibus desuper, sed fine impedimento incumbere ad euersionem muri. Nec scutum protexit quempiam in prælio, sed nudauit, quia robore militum omnes opes erutæ sunt, & peltarij milites expediti insteterunt.

7 Et erunt electæ ualles tuæ plenæ quadrigarum, & equites ponent sedes suas ad portam.

Amœnissimæ ualles tuæ, in quibus idolis seruiebas, & filios sacrificabas, & libidinabaris, iam plenæ erunt cur-

curribus & equitibus hostiũ: pro portis tuis instabunt fortißimè, aggeres ponendo, & agmine stipato uim inferendo ad capiendum urbem, quia in portis tuis iudices iudicium iniquum dicebant, pauperes opprimebãt, iustitiam excluserant.

8 **Et reuelabit operimẽtũ Iudæ, & uidebis in die illa armamentariũ domus saltus:**

Soluetur & auferetur à Iuda & Ierusalẽ diuina protectio, & tentorium quasi super lectũ oppansum, quod mordicus tuebuntur tanquã habitationẽ dei & peccatorum suorũ palliũ. Illud autẽ reuelabitur, quia templũ destruetur, cultus dei, & sacrificia, orationesq; sacerdotum, in quibus omnibus fidere, & sese tueri illis sperabant, cessabunt. Intuebũtur enim nõ tam ad templũ dei, quàm ad armamentariũ in domo saltus. Defecerat enim fides in deum suum, cõtra doctrinã omniũ prophetarũ, & tota illorũ spes erat in brachio carneo, in armis, clypeis, arcubus, & tormẽtis bellicis, nõ in auxilio diuino.

9 **& scissuras ciuitatis Dauid uidebitis, qa multiplicatæ sunt. Et cõgregabitis aquas piscinæ inferioris,**

Studium maius erit rupturas muri reparãdi in ciuitate Dauid, in monte Zion, quàm deum precibus conuertendi. Colligetis autem summa diligentia aquas cisternarum ad necessarios usus uestros, cum potius è cœlo auxiliũ dominu postulare & impetrare oportebat: non tantũ cisternarum aquis urbem defendere, sed ad deum toto corde iuxta prophetarum exhortationes cõuerti, uitam emendando ac mores.

10 **& domos Ierusalẽ numeraſtis, & destruxistis domos ad muniendum murum.**

Tanta necessitate urgebitur urbis excidium, & miri uastatio, ut domus non paucas uel sorte numerandas destruitis, ut earum materia scissuras muri resarciatis, ad hostem prohibendum.

11 **Et lacum fecistis inter duos muros, ad aquam piscinæ ueteris, & non suspexistis ad eum qui fecerat eam, & operatorẽ eius delongè non uidistis.**

Aquarum collectionem facietis insolitam, inter duos muros deriuãdo aquas in fossas, uel ut parãdo cemento seruiat ad resarciendũ collapsa. In summa, nihil obmittent ad urbis munitionẽ, præter id quod imprimis obmittendum non erat, dominũ inuocare, ei commendare causam, & clementiam implorare, emendare uitam: scilicet aspicere tota fidutia in illum qui urbem dederat, aquas largitus fuerat, pacẽ cõcesserat, & tamdiu defensauerat, non sine miraculis stupendis, nunquam illis immentem ueniente illud Dauidis documentum, Nisi dominus custodierit ciuitatem, &c.

Verbs quaratione tuenda ab hostibus.

12 **Et uocabit dominus deus exercituũ in die illa ad fletum, & ad planctum, ad caluitium, & ad cingulum saccit**

13 **& ecce, gaudium & lætitia occidere uitulos & iugulare oues, comedere carnes & bibere uinum, Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.**

Non deerunt illo angustiarũ tempore prophetæ domini, per quos tam rex quàm plebs uocarentur ad pœnitentiam, iustitiam, fidem, fiduciã, morũ emendationẽ, ad ieiunium & lachrymas. Vt patet ex Hieremiæ prophetijs & actionibus. Sed nequicquam, magis enim ex hoc insolescebant, tam uerbum domini quàm prophetam abijciendo, & usque ad grauißimam captiuitatem adfligendo, nihil eorũ credendo, quæ illico futura prædicabant tunc, & hîc ab Esaia dudũ fuerant uaticinata. Gaudium potius sectabantur, comessationes & ebrietates, cum desperatione, quasi eligentes delicatè uiuere, corpus fouere, & sic mori tandem magis quàm domino supplicare, obedire, reconciliari & seruire: ueluti data opera, & ex malitia mera uerbum domini spernentes, & dominum irritantes.

14 **Et reuelata est in auribus meis domini exercituũ, Si dimittetur iniquitas hæc uobis donec moriamini: dicit dominus dominus exercituum.**

Hoc tale ac tantũ peccatũ coram domino factum cui omnia patent, nunquã propitiabitur, nec morte nec gladio. Est enim finalis incredulitatis et impœnitẽtiæ irrelaxabile crimen, contẽpsisse prophetarũ uerba, spiritui sancto restitisse, deũ blasphemasse: propter quod & in reprobum sensum dati, in quo & perseuerant, & meritò damnantur ad mortem etiam secundam. Crimen irrelaxabile.

15 **¶ Hæc dicit dominus dominus exercituum: Vade, ingredere ad thesaurariũ illũ (eum qui habitat in tabernaculo) ad Sobnam qui super domum, & dices ad eum:**

16 **Quid tu hic? & quid tu hic? quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti in excelso monumentũ, diligenter sculpens in petra tabernaculum sibi.**

17 **Ecce dominus proiiciet te proiectione uiri, & quasi amictum sic operiet te.**

Alia pars prophetiæ est, nominatim dicta contra Sobnam præfectum domus regis Ezechiæ, uel quæstorem. Homo enim erat factiosus, secundum Hebræos, & fautor regis Assyriorum occultus, aduersarius prophetæ, qui de strage illius iam multa prædixerat, qui Sobna ut inuidiam declinaret, & se Hierosolymis perpetuò perseueraturum ostenderet, sepulchrum extruebat sibi gloriosum. Contra quem propheta loqui iubetur, quasi ad alienigenam, qui Hierosolymis ut natus non esset, ita fidelis ciuis nõ esset, secundum Hebræos: sed de loco Sochen aduenerat secundũ Rabi Salomon. Quæ dictio tamen etiã thesaurarium significat. Quid, inquies, tu hic agis? & quid hic tibi sepulchrum excindis in excelsis, & gloriosum in petra exornans illud picturis & sculpturis magnificis & superbis? cum iudicio diuino non hic sis moriturus, sed uiolenta ac ualida auulsione hinc uelut gallus gallinatius in forũ facilè portãdus es, uel ualido robore amouendus, dispellendus, & maxima cõfusione operiendus sis pro ambitione tanta gloriæ tuæ, etiam post mortem duraturæ, plenam contumeliam, & ignominiam perpetuã experturus, exemplarq; futurus

Cõtra Sobnam Scribam.

omnibus perfidis, ambitiosis, & rebellibus uerbo dei.

18 Coronans coronabit te tribulatione (rotando rotabit te rotatione:) quasi pilam (mittet te) in terram latam manibus. Ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus domini tui.

Rotando rotabit te dominus, rotatione ueluti pilæ, perfundet angustia, coronabit te & ignominia, ad remotam ualde regionẽ exul duceris, hostibus tuis rapina eris: ibi quoq;, non Hierosolymis morieris, aliter atque statueras tecum euenuet. Vanè tibi extruis sepulchrum, qui nescis ubi moriturus. Ibi rependetur tibi summa confusio pro curru gloriæ tuæ, quo hic ueheris, & fastu nimio superbis. Sperasti gloriã adiecturum te domui tuæ, sed ignominiam patieris, & ad posteros transmittes.

Cura sepulturæ.

19 Et expellã te de episcopatu (uel speculatione) tuo, & de statione tua præcipitabit te.

Ego enim dominus superbis resistens, prouidẽtia meæ cuncta guberno, solus præscius futurorũ, qui solus mortuorum curam suscepi, cui soli omnia uiuunt, propellam te de administratione & episcopatu tuo, de officio quo superbisti, & in quo te infideliter habuisti, sine charitate & fide in tuam gentem, deditionem consultãdo contra uerbum domini ad impium regem. Amouebo te, & subuertam perdendo, non sine contumelia personæ tuæ & nominis. Satis hic locus ædificat, contra perfidos impium, iniquos in rempublicam, dolosos in administratione officiorũ, & contra malos prælatos, ut Iudæorum figmentis, hic, ut & aliâs sæpe, minimè indigeamus.

20 ¶ Et erit in die illa: uocabo seruũ meum Eliacim filium Helciæ,

Vt propheta prædixit abiectionem mali præpositi & infidelis: sic nunc suffectionem prædicit, ac etiam docet bonum prælati in ecclesia fidelium, & in aula sancti regis præfecti, & curiæ magistri, imò etiam episcopi. Primo enim uocatur à domino, non sese ingerit propria temeritate. Hic uerò Eliakim alio nomine dictus est Azarias, quem principem domus domini legimus tempore Ezechiæ regis. Secũdo existimat nõ se alium, quàm seruum domini dei esse, nõ populi dominum, idq; iugiter cogitabit.

Prælatus bonus.

21 & induam illum tunica tua, & cingulo tuo cõfortabo eum, & potestatẽ tuã dabo in manus eius, & erit quasi pater habitantibus Ierusalem, & domui Iuda.

Spectabilem facit eum deus coram hominibus, honesta ac uirtuosa conuersatione, & irreprehensibili uita, quod est indui stola gloriæ, & balteo: senatoria ueste strenuum facit, ne facilè diffluat, sed strenuè officio incumbat. Potestatem quoq; accipit à domino, cui & se subesse credat & recogitet, quem & ut iudicẽ reuereatur & obediat in ædificationem & profectũ, non in destructionem, uel oppressionem imbecillium: ut se patrem nouerit esse hominũ fidelium, & fidum curatorem atq; pastorem, non tyrannum.

22 Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & nõ erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat.

Describendo tam diligenter prælatum bonum certo credatur in spiritu etiã Christi prælaturam ac regimen nouisse, ueluti per typum. Super humerum enim clauem ponere, nihil aliud est, quàm solicitudinem fidelem totius domus dei prælato sancto cõmittere, ut non passim omnes quicquid uelint possint, ac tentent docere uel agere in domo domini, sed illius iudicio & autoritate, uel aperiatur, uel claudatur aditus ad ecclesiam curandam atque gubernandam, ut illius officio nemo obstrepat, nemo contradicat, neque etiam impediat: si tamen, ut præscribitur legitimè secundũ uerbum domini præsit ac doceat.

Christus bonus prælatus solus.

23 Et figam illum paxillũ in loco fideli, & erit in solium gloriæ domui patris suit

Conseruabo illi honorem suum. Eo loco illum reponam, ubi fides insignis requiritur. Ex ipsius patrocinio pendebunt tuto omnes illius opera indigentes. Omnibus enim omnia fiet. Et erit solium gloriæ domui suæ. Tota illius familia & posteritas eius, probitate, fide & gloria poterit gloriari. Fama bona sui nominis per secula durabit.

24 & suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius, uasorũ diuersa genera (posteros & nepotes) omne uas paruulũ à uasis craterarũ usque ad omne uas musicorum.

Dignum pronuntiabunt, qui de nobilitate suorum maiorum se iactare possit, uerè nobilis & gloriosus, illustrator suæ familiæ, honor maiorũ suorum. Quid enim gloriosius in hoc mundo apud homines, quàm delato honore probè usum? à progenitorum uirtutibus nihilo degenerasse? auxisse parentũ gloriam? Omnia sibi commendata tam officia quàm thesaurorum custodiendorum bona diligẽter, dextrè ac sanctè administrauit & tutatus est: usque ad minima quæq; à maximis curauit prouidè. In summa omnium rerum bene gestarum laudem perpetuò assequetur ab omnibus: hoc enim Hebræi uelle suo idiotismo uidentur.

Nobilitatis honos.

25 In die illa dicit dominus exercituum, auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fideli, & frangetur, & cadet, & peribit quod pependerat in eo, quia dominus locutus est.

Epilogus est de Sobna eiecto ob suam perfidiam, cui substituetur à domino tanto fidelior & probatior: clauus à clauo meliore pelletur: cadetq; coniuratio nebulonum, & expulsis Catilinarijs urbs conquiescet. Contrarium ei quod usu hominũ dici solet, ut deteriora semper substituantur melioribus. Et indicatur non solum Sobnam abijciendum, sed omnes pendentes ex ipso, illiusq; authoritate suffultos. Hinc autem summatim discimus, magistratum uocari à deo, patrem esse non tyrannum, prospicere filijs, claues esse symbolum potestatis, etiam in apostolis. Christus talis hic præfiguratur & describitur, cui omnes nitantur & non fallentur, cuius sacerdotium succedet Iudaico, qui solus habet potestatem

Notatu digna.

testatem omnem Dauid, in cuius arbitrio tutela ac usu sunt omnia uasa sacra, fideles in templo dei, propter quem omnes sancti erunt in gloria. Pendet urbs quoque à senatu probo, sicut regnum à fideli cõsiliario. Allegoria quoque propheta utitur sine nota similitudinis, quæ pro consuetudine obmittitur Hebræis non raro.

¶CAPVT XXIII.

1 ONus Tyri. Vlulate naues Tarsis, quia uastata est ne sit domus, unde uenire consueuerant: de terra Cethim reuelatum est eis.

Tyri laus & situs.

Calamitas superuentura Phœniciæ, Tyro nobilissimæ urbi & ditissimæ ob insigne emporium. Proxima autẽ erat Iudææ ad aquilonem, insula septingentis passibus distans olim à continente, ambitu decem & nouem miliarium, purpura clara & conchilio, libera à regibus, aduersa Iudæis, capta à Babylone, Alexandro & Romanis. Quæ & ipsa à Babylonio uastanda prædicitur, non sine causa: cum ob diuitias nimias, non sine nimia auaritia & multorum iniuria collectas fastuosamq; & libidinosam putare possumus & delitijs corruptã. Vlulate, inquit, propheta ô uicinæ urbes & insulæ, ô naues celeberrimæ de Cilicia (quæ Tarsis dicitur uel Cartago) quæ solebatis frequentare Tyrum, quæ nunc destituta est domibus: sic uastata scilicet, ut ne una quidem domus supersit, ne posthac illuc negotiatores ueniant de terra Cithim, quam aliqui Macedoniam, alij Græciam, alij Italiã exponunt, aliqui Cyprum. Ab istis enim locis superuenerunt ei uastatores, qui Babylonium inciCithim uastrię dicitur. tarunt & adiuuerunt ad Tyrum perdendũ. Solet enim simultas intercidere urbibus ob frequentiora emporia & auctas diuitias.

2 Tacete qui habitatis in insula: negotiatores Sidõnis transfretantes mare, repleuerunt te.

3 In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges eius: & facta es negotiatio gentium.

O habitatores Cypri & insularũ aliarum, iam cessandum uobis est & silendum à laudibus Tyri & iubilis accedentium & abscedentium nauigiorum. Hactenus negotiator Sidonius & reliqui mare transeuntes te Tyrum impleuerant mercibus, & per maria magna fru-
Nili semen. mentum Aegyptiorũ, quod semen Nili dicitur, quia irrigatione ipsius sine pluuijs nutritur, ad Tyrum deferebatur, & fœcũdissimi Nili prouẽtus aduehebatur tibi, ut esses totius orbis emporiũ celeberrimũ, & mater multarum coloniarũ per totum mare Mediterraneũ usque ad Gades, mater Cartaginis, filia Sidonis: quibus nunc uelut mater filijs destituetur atq; nudabitur.

4 Erubesce Sidon, ait enim mare, fortitudo maris, dicens, Non parturiui, & nõ peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi uirgines.

Posteaquã insignissima Tyrus, quæ & mare dicitur, in quo & sita est, & fortissima omnium maritimarum urbium, sic est uastata, præter omnium expectationem: tu quoq; Sidon eximia illius, ut aiunt, mater, erubesce, & tibi non parum time. Sic enim querulatur: Vtinam non parturiuissem, nõ genuissem, & non educassem tot adolescẽtes, nõ adornauissem & excoluissem tot uirgines: quasi dicat, Vtinam non tam populosa fuissem Tyrus, ut non tot filiorum strages uidenda fuisset, uel non tot urbium colonias destinassem, quo leuior nunc mihi confusio ferenda esset. Sidon mater Tyri.

5 Cum auditũ fuerit in Aegypto, dolebũt cum audierint de Tyro.

Aegyptij mercatores hac fama Tyri perditæ nõ secus atq; Tyrij ipsi indolebunt, tum ob mutuum cõmertium ambarũ, propter quod & portus illic dicebatur Aegyptius, tum quia sibi quoq; timebunt de Babyloniorum aduentu & uastatione exemplo Tyriæ urbis. Fortassis & Aegyptiorum diuitiæ non paucæ in Tyro perierũt, ut fit in emporijs captis & dissipatis.

6 Transite maria, ululate qui habitatis in insula.

7 Nunquid non uestra hæc est, quæ gloriabatur à diebus pristinis in antiquitate sua? Ducent eam pedes sui longè ad peregrinandum.

Iam uobis aliud inueniendum emporium est, & accedendum ô mercatores, per longinquiora maria. Vlulate iactura uestrã ô maris insulæ, habitatores maritimarũ urbium: iam uobis Tarsis adeunda, Cilicia uel Cyprus. Emporium Tyriorum. Nõne hæc uestra Tyrus exultatio uestra fuit, corona, delitiæ & lætitia? ubi auxistis diuitias, ad quam cum gaudio peruenebatis suis tẽporibus negotiationis gratia. Idq; à multis temporibus: est enim antiquissima urbium, ad quam de remotissimis regnis perueniebatur, & cuius ciues in exteras quoq; nationes abibant, pro more negotiatorum. Vel, qui nunc destructa Tyro exules relegati sunt in remotas terras.

8 Quis cogitauit hoc super Tyrũ (quondam) coronatã? cuius negotiatores principes, institores eius inclyti terræ.

Nemo existimasset unquam futurum, ut tam nobilis urbs & potens, quæ fuerat decus, corona, & mater urbium: cuius senatores & consules uelut principes habebantur ac reges ob gloriam diuitiarum & sapientiam: & negotiatores diuitijs suis regibus æquabãtur aliarũ terrarum. Nõ ergo talibus fidendum est, nec superbiendum de profectu opũ & gloriæ, quæ momẽtanea sunt, & nutu dei tolluntur.

9 Dominus exercituum cogitauit (hoc) ut detraheret superbiã omnis gloriæ, & ad ignominiam deduceret uniuersos inclytos terræ.

Consilio domini uniuersa reguntur, prouidentiæ dei subsunt omnia, qua quæ eximia sunt & illustria euacuat & confundit, gloriosos terræ humiliat & uilificat, dum non agnoscunt magnitudinis suæ authorem. Id non de Tyro tantum dicitur, sed generalis est senten-

tia & exemplum, quasi similes in peccato, similiter puientur. Timor dei tutiores pios reddit, qui deprimit ubiq; superbos sicut in Tyro.

10 Transi terram tuam, quasi flumen filia Tarsis, non est cingulum ultrà.

Effluesundiq;, uelut aqua excurrēs quaqua uersum, uelut aqua Nili peruagando totā terram: quandoquidē cingulum murorum tuorū ruptum est, ut cohiberi non posit qui in te fuit populus, quo minus deportetur in exilium toto orbe ô filia maris & domina insularum. Quæ enim omnīū gentiū diuitias corraseras, in omnes nunc gentes misera exulabis & seruies: non succurret tibi quæcunq; cinctura, amicitia, robur & defensio, seruili conditione deijcieris.

11 Manum suam extendit super mare, concturbauit regna. Dominus mādauit aduersus Chanaan, ut cōtereret fortes eius,

Hactenus dominus omnīū terrarū gentes alias compescuit, & cædibus mutuis puniuit earū insolentiā, nunc maritimas quoque & insulares aggreditur forti manu & potētia sua. Cōturbabat olim regna multa, Syriacū, Regna dis sperdita. Israēliticum, Iudaicum, Aegyptiacū, Moabiticum, Arabicum, Babylonicum, Aethiopicum, & reliqua, sicut & olim Chananaicum cum suis munitionibus & gigantibus uastauit, propter ipsorum peccata, abominationes & uiolētias, triginta & amplius reges fortes & ferociſſimos. Non ergo mireris si tibi quoq; similia accidant, quæ omnīū auxisti libidinem & excessum.

12 & dixit, Non adijcies ultrà ut glorieris: calumniā sustinens uirgo filia Sidônis in Cethim, Cōsurgens trans freta, ibi quoq; non erit requies tibi.

Sic uastaberis ô Tyre, ut nunquam reditura sis in felicitatē pristinā, longo tempore non exultabis restituēda in statum tuum. Calumniata eris & oppressa ô uirgo filia Sidon, quæ semper hactenus inuicta manebas, etiam ab Israēlitis non capta unquam, quanquam hæreditatis sors supra te ceciderit pro tribu Aser, & à Sidonijs olim extructa, ac reliquarū insularum multarum mater effecta, iam ad insulas ipsas capienda deportaberis, ad Chittæorum gentes, Græcorum scilicet uel Cyprorum uerius, omnes occidentales mediterranei maris insulas, etiam in Italiam & ulteriores. Illac enim translata, ibidem quoq; requiem non inuenies, sed ubiq; misera exulabis. Sic in mundo rerū uicissitudines contingunt, quo minus superbiatur à mūdanis, & quæ sursum sunt desyderentur, deusq; timeatur.

13 Ecce, terra Chaldæorum talis populus non fuit, Assur fundauit eam pro erronibus, erexerūt robusta eius, suffoderūt domos eius, posuerunt eam in ruinam.

Hæc autem perditio tua à Chaldæis fiet antiquissimo populo, & regno Assyriorū, à populo qui olim te quoque fundauerat, nunc subuertit: & qui dudū Babylonē quoq; extruxerat amplissimā urbem, ipsa quoq; erit habitaculum eorū animaliū quæ non nisi in solitudine residēt & morātur, Satyrorū scilicet & ericiorum, &c. Ipsi Chaldæi erexerant fortalitia propugnacula q; eius, excitauerunt q; magnifica palatia illius, quæ & ipsa posuit dominus iusto suo iudicio in ruinas, id q; ab eisdem à quibus condita fuerant. Id tibi quoq; continget, ut ab eisdem uicinis tuis & remotis gētibus dissiperis, à quibus extructa fueras & magnificata.

14 Vlulate naues Tarsis, quia deuastata est fortitudo uestra.

Nautæ marini, Cilices & reliqui, plangite uastatam Tyrum, quæ fuerat omnium maritimarum urbium mutior & fortissima. Quæ si non potuit se tueri ab hostibus & tanto infortunio, multò minus uos quoque poteritis, si quando tempus uisitationis uestræ aduenerit. Felices eritis si Tyriorum exemplo uos cōuerteritis ad probatiores mores & ad timorem dei, in cuius manu hæc omnia consistunt.

15 Et erit in die illa: in obliuione eris ô Tyre septuaginta annis, ficut dies regis unius. Post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis.

16 Sume citharam, circumi ciuitatem meretrix obliuioni tradita. Bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.

Notatur tempus uastationis Tyri septuaginta annorum, quantum scilicet uita perseuerat ut plurimum humana, quando Ierusalem quoque desolanda erat. Tanto enim tempore negligenda prædicitur, & minimè frequentanda: deinde iterum sic paulatim extruenda, & negotiationibus suis reuocata pristinos mercatores & amicos, donec crescat & reparetur celebritas illius. Id uerò non fiet sine multo illius studio & labore.

17 Et erit post septuaginta annos, uisitabit dominus Tyrū, & reducet eam ad merces suas: & rursum fornicabitur cum uniuersis regnis terræ super faciem terræ.

In bonū hic accipitur uisitatio, ut discamus felicē sta- Visitatio in bonum. tum urbiū & augmentū diuitiarū & gloriæ prouenire etiā ex gratia & beneficijs dei: mercedē quoq; dari domino huiusmodi pro seruata iustitia & emēdatis moribus. Quibus tamen si abutātur bonis, ingrati & libidinosi facti, à domino fornicariorum lege iudicabūtur. Sic itaq; Tyro quoq; usu uenet, ut nō sine peccato cōportaturi sint illius ciues multas diuitias, ut antea, et in gloriam amplissimā euehendi iterū cōmertijs suis habēdis cum regnis omnibus, interea tamen temporis cōuertenda sit ad dominū, quem & colere incipiet religiosè.

18 Et erit negotiatio eius, & merces eius sanctificatio domino: nō cōdentur, neq; reponentur: quia his qui habitauerint coram domino, erit negotiatio eius, ut māducēt in saturitatem, & uestiantur senes.

Nouo genere negotiandi utetur urbs Tyrus, cum ad Diuitiæ sanctæ. unius ueri dei cultum accesserit, uocanda ab apostolis & uiris apostolicis, digna q; deo sacrificijs seruitura: non aras extruēdo uel templū, nec Hierosolymā aditura, sed diuitijs suis opera pietatis exercebit, pauperibus succurrendo, esurientes cibando, & nudos uestiendo. Is enim

enim uerus dei cultor prædicatus est à prophetis & apostolis. His sacrificijs placatur deus. Tali usu diuitiæ sanctificantur & augentur, domino fortunante: cui seruiendum est hoc pacto, regnumq; cœlorum in primis quærendum, ut temporalia adijciantur à domino cuius sunt omnia. Quanquã & ad literã Tyrij fortassis post reditũ Iudæorũ ad templi extructionẽ non minus sedulifuerunt diuitias suas conferendo in ædificiũ, quàm tunc cum Salomon id extrueret: iam enim humiliati unum dei uirtutem & ueritatem agnouerant.

¶ CAPVT XXIIII.

1 Ecce dñs dissipabit terrã, & nudabit eam, & affliget faciẽ eius, & disperget habitatores eius.

2 Et erit sicut populus, sic sacerdos: & sicut seruus, sic dñs eius: & sicut ancilla, sic domina eius: sicut emens, sic ille qui uendit: sicut fœnerator, sic is q mutuũ accipit: sicut qui repetit, sic qui debet.

Calamitatum causæ.

Causas calamitatum toties terris, urbibus & orbi superuenientiũ, ut sunt, fames, sitis, sterilitas, bella, & pestilentia, sanctus propheta describit hoc loco & quatuor capitibus sequẽtibus esse, dum mores deprauãtur, & lex ipsa naturæ, & charitas probitasq; humana perit, & ueritas non dicitur, nec iustitia defensatur. Non enim potest corruptelã populorũ non subsequi horrenda semper uindicta, & importabile iudicium domini. Ideoq; ubi tam clarè patet uiolentia, impietas, perfidia, falsitas, mendaciũ, otium, ingluuies, luxus, pauperũ oppressio, & iniquorũ tyrãnis, ibi certissimè expectanda est ira dei, subuersio orbis, & extrema mala omniũ miseriarum, donec iustitiæ diuinæ & humanæ satisfiat, & reformetur per ius quod deprauatum fuerat per nefas. Hebræi quidã exponunt de decẽ tribubus captis, & de Sennherib ac Messia. Verum generalior prophetia uidetur ex litera, ut dies hic dicatur omnibus impijs seculis, gentibus. Dicit igitur propheta: Certissimũ signum uastationis & destructionis maximæ populo & urbi, imò orbi imminẽtis, & à domino immittendæ, est istud, Si populus sacerdoti se æquet, nulla reuerẽtia, docilitate, obedientia sese illi subijciendo, & acquiescẽdo iustè monenti, & sancta docenti: & uicissim sacerdos, luxu, fastu, auaritia, dissolutione morum, libidine, sese cõmendet & æquet populo, ut ueritatẽ & uirtutẽ prædicare aut non audeat, aut non uelit, dum culpa doctorẽ redarguit. Si quoq; seruus uel subditus quisq; domino suo infidelis sit, immorigerus, rebellis, fur & seditiosus, officiũ detrectans, & dominũ contemnens, non nisi necessitate coactus legitimo operi & ad oculũ tantũ indignabundus inseruiat. Dominus autẽ truculenter & tyrannicè urgeat subditũ, rapiat quicquid potest, supra uires onneret, durus, intractabilis, inexorabilis, plagiator, cõtumelioſus, non ut hominem uel fratrẽ agnoscens, sed ueluti iumentũ & emptitium opprimens, per iniuriã & contemptum. Si ancilla fiat negligentia crassa, immorigera dominæ suæ, infidelis, mendosa, rapax, effrons, sine timore & uerecundia, uaga & libidinosa, imperiosa & mlnax. Domina autem eidem respondeat, impatientia, duritia, fastu, iniurijs, exactionibus nimijs, parcitate, maledictionibus, uerbis ac indignis uerberibus, imperiositate tyrannica & effœminata impotentia animi, mendacijs & calumnijs. Si emendo emens urgeat pauperem, si minimo emere conetur, decipiat, non soluat, differat malitiosè, fraudet in tempore pretij, uel subdolum quidpiã cõmittat soluendo. Venditor autẽ, si quàm maximè urgeat uicissim, nimio æstimãdo dignũ, uel supponendo indignum, mentiendo, decipiendo, fraudando, mensurãdo, iurando fallaciter, usurã cõmittendo. Sic enim mutuũ se homines sine timore dei tractare aliquando solent per cõtractus impios, & multifariã cum charitate fraterna militantes, qua alteri quisq; esse iubetur quod sibi alterũ optet. Hæc inquit propheta, si quando alicubi uigere uideantur impunè & libertate maligna, iudicibus & prophetis suas partes non interponẽtibus, sed ut quisq; potest iniquè cum proximo agat, & sine metu uindictæ, certò certius est quod propheta hic ex uerbo domini prophetat & monet.

Dominarũ.

Mentiũ & uendẽtium culpa.

3 Dissipatione dissipabitur terra, & direptione prædabitur, dominus enim locutus est uerbum hoc.

4 Luxit & defluxit terra, infirmata est: defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terræ.

5 Et terra infecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutauerũt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum.

Miserè ea terra, ubi hæc impunè cõtingũt, uastabitur, aliqua occasione iusto dei iudicio inueniẽda, & diripietur quicquid iniusto titulo fuerat corrasum: sic enim iurauit dominus, Sic decreuit immutabili uoluntate sua: terra per tyrannidẽ inuincibilẽ opprimetur, & cadet in manus dominorũ crudelium, inclemẽtia cœli sterilescet, & terræ naſcentia flacceſẽt: & qui inter homines primi & meliores erant moriẽtur, substituẽtur autẽ in eorũ locũ hypocritæ, insipiẽtes, incircũspecti, ambitiosi & impij. Iustissimũ est enim, ut qui dei uotis et legibus contradicũt, & operibus aduersantur, ut his quoq; terra cœlumq; cõtra uota respõdeat, & creatura armetur in uindictã creatoris, & inobedientia humana à dño dignè puniatur. Vt qui naturæ leges præuaricãtur cõtra deũ & proximũ, eis quoq; tota naturæ machina aduersetur merito. Hoc est enim fœdus sempiternũ, ut alteri quisq; faciat quod sibi fieri uelit, & uelle debeat. Nulla est enim excusatio de legis ignorãtia, quæ naturæ indita est, non potest nesciri. Est aũt lex naturæ cognitio ueri et iusti. Etiã apud barbaros peccatũ agnoscitur, nisi praua cõsuetudo obsit in uitiosis. Semp turpe habitũ est bella sectari tantũ propter lucrũ, ebrietas, homicidiũ, &c.

Fœdus sempiternum.

6 Propter hoc maledictio uorabit terram, & peccabunt habitatores eius: ideo cõq; insanient cultores eius, & relinquentur homines pauci.

Quod ubi fœdus ut prædicitur non seruatur, peccauerintq; terræ alicuius homines, uel totus orbis, quid aliud

restare potest quàm execratio terræ tanta, ut maledicta sint omnia opera manuũ. Aër & elemeta eatenus infi-ciẽtur ut pereãt homines & iumẽta, cibus et potus, pax & lætitia. Pauci tantũ supsint, ut uel infeliciter uiuant, uel uexatione emẽdentur & uiuãt. Id fieri potest bello, fame, bestijs, pestilẽtia & diluuijs, quibus facilè pro uo-to & nutu suo iustus iudex uisitat infideles & impios.

7 Luxit uindemia, infirmata est uitis, inge-muerunt omnes qui lætabãtur corde.

Vnde tri-stis uinde-mia.

Nemo quærat unde uindemia tristis, & uitiũ plagæ. Dignè enim gemunt, qui uini superfluo potu inebriati insanuebant. Qui ad libidinẽ biberãt, dignè aquæ potu humiliãtur, tristes & anxij. Redeãt itaq; homines ad iu-stitiam, & alma terra redibit ad fœcunditatẽ. Dũ abest fomentum delitijs, deerit quoq; luxus & gaudium.

8 Cessauit gaudiũ tympanorũ, quieuit so-nitus lætantiũ, cõticuit dulcedò citharæ.

9 Cum cantico non bibent uinum, amara erit potio bibentibus illam.

10 Attrita est ciuitas uanitatis, clausa est o-mnis domus nullo introeunte.

11 Clamor erit super uino in plateis: deser-ta est omnis lætitia, translatũ est gaudium terræ.

12 Relicta est in urbe solitudo, & calamitas opprimet portas:

Gaudium honestum.

Non inuidet dominus honesto gaudio hominũ, si men-suram nõ excedãt, si cum gratiarũactione de dei benefi-cijs homines collætentur, si mutuũ cõgratulentur pij ho-mines, si musica recreentur animi, non ad insaniã inso-lescant, non ad libidinẽ incitẽtur, nõ ad prohibita desy-deria coalescãt, sed seruata disciplina adolescẽtia rega-tur & iusto moderamine, ne quid in his rebus nimiũ uel minimũ tentetur, & timor dei semp seruetur in pecto-re, etiã si gestiat animus ad gaudiũ non nociuũ. Alioqui iusto dei iudicio eueniet quod hic propheta prædicit, tanta claritate, ut uerbis nihil sit opus. Musica enim tunc inter pocula nõ aderit, cessabunt libidines cum ar-tificijs suis, urbs erit ipsissima uacuitas & uanitas, ci-uibus exuta & destituta delitijs. Repetitur de uino ut sermo illustretur & ueritas inculcetur. At uisu & expe-rientia crebro sentimus fieri, ut postquã exhortationes non suscipimus, uindictam domini experiamur.

13 quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorũ, quo modo si paucæ oliuæ quæ remanserũt, excutiãtur ex olea & racemi, cum fuerit finita uindemia.

14 Hi leuabũt uocẽ suã, laudabũt: cum glo-rificatus fuerit dominus, hinniẽt de mari.

15 Propter hoc in doctrinis (uallibus) glorifi-cate dominũ: in insulis maris nomen do-mini dei Israël.

Consolatio piorũ per-petua.

Quum semper triticũ zizaniæ misceatur, & pauci electi inueniantur inter multos uocatos, & pij sint ue-lut flos inter spinas: ideo ipsis quoq; à domino semper sua defertur cõsolatio, semper in domino gaudẽt, etiã in medijs constituti ærumnis. Nouit suos semper & ubiq;

deus, cuius oculi contemplantur bonos & malos: quan-tumlibet enim pauci supersint, sua tamen felicitate & gaudio spiritus non fraudantur. Qui didicerũt laudare dominũ in omni tempore, abundare, & penuriã pati, per ignominiã & bonã famã, ut mortui, & ecce uiuũt, omnia possidẽtes, qui deũ amant, inueniũt, agnoscuntq; in omnibus. Nec tam generalis in orbe calamitas cõtin-git, quin dominus suos eximat à malo, qbus omnia pro-sunt, quorũ etiã mors est pretiosa in cõspectu domini, ut patet de Christo & apostolis, martyribusq;, tã priscis, quàm nostri seculi. Eleuata enim uoce ualles, id est humi-les, & in hoc toto mũdo cõtempti, laudant magnificen-tiam & bontatẽ domini, siue moriendũ sit, siue exiliũ sustinendũ, siue in cæceribus, siue in honoribus: semper enim dominũ præsentem habent & sentiunt.

16 ¶ A finibus terræ laudes audiuimus, glo-riam iusti. Et dixi, O meam tenuitatem, ô meam tenuitatem, uæ mihi: præuaricãtes præuaricati sunt, & præuaricatione præ-uaricatorum præuaricati sunt.

17 Formido, & fouea, & laqueus super te qui habitator es terræ.

18 Et erit: qui fugerit à facie formidinis, ca-det in foueã: & q se explicauerit de fouea, tenebitur laqueo: quia cataractæ de excel-sis apertæ sunt, & cõcutientur fundamen-ta terræ.

19 ¶ Confractione confringetur terra: con-tritione conteretur terra: cõmotione com-mouebitur terra.

Noua in Hebraicis distinctio nouam prophetiam no-tare potest, cohærentem tamen priori: quasi dicat, Auditur quidem passim quàm dominus diligat iustos, quàm celebrentur in scripturis pij, & timentes domi-num, quàm sint semper & ubique deo suo commenda-tissimi obseruatores mandatorum dei. Sed, ô meam, in-quit propheta, macilentiã, ô meam tenuitatem: hoc est, ô miseriam, ô meas angustias, ô paucitatem electorum, & prauitates huius mũdi, quàm difficilè est ire per ar-ctam uiam, quàm multi ambulant latã, qua & perdun-tur. Heu malignitates huius mundi, & prauitates huius uitæ. Omnia proh dolor uideo esse plena præuaricato-ribus, totus mũdus positus est in maligno. Maxima pars eorum est qui data opera præuaricantur, qui gaudent in rebus pessimis, qui iudiciũ domini nõ pertimescunt, quia non credunt deum, nec eius iustitiam: quos necessa-riò manent fouea, laqueus, & dura sententia iudicis, qui nihil inquinatum admittit solio gloriæ suæ, qui con-temptum sui non fert impunitum, qui potenter aduer-satur & persequitur impios, qui non patitur euadere eos, qui prophetas suos adeoq; scipsum spernere non ue-rentur. Sunt quidẽ aliquãdo euadere impios mala huius uitæ, unum post aliud, ut sibi felices uideantur, & gra-tis domini contemptores, quasi supra cardines cœli am-bulans non illorum adinuentiones consyderet: sed fit infallibiliter, ut qui unum & alterũ euaserit, aliquãdo capiatur, si non patenter in hoc mundo, saltem occulto

Propheta Querela.

conſcientiæ morſu perennẽ, quem & ſi cum alijs malis euaſerit quiſpiã in hac uita, ſine dubio incidet in malũ, & ſupplicijũ uitæ futuræ. Aperiẽtur enim ſuper impios & abiectos à domino cataractæ iudiciorũ dei, uenietq; tempus quo concutietur totus orbis, fundamenta terræ contremiſcent. Terra ipſa domino ad iudiciũ ueniente confractione confringetur, & atrociſſimè agitabitur, ueluti non potens cõſiſtere à facie tremendi iudicis.

20 Agitatione agitabitur terra ſicut ebrius: & auferetur quaſi tabernaculũ unius noctis. Et grauabit eam iniquitas ſua, & corruet: & non adijciet ut reſurgat.

Caſus mundi. Imminente enim generali iudicio impiorum cõmouebitur eatenus mundus totus, ut ſicut ebrius conſiſtere non poſſit, ſed ſicut tabernaculũ quod ad noctes mutatur & transfertur: ſic mundus conſumabitur & impij perturbabuntur, & ſolitos fructus & mores non profẽret, ſed immutabitur ad electorum felicitatem: ſicut & propter peccata hominũ mutatus eſt in miſeriæ uallem, & lachrymarũ domiciliũ. Sic enim mundus grauabitur impiorum contemptu, præuaricatione & perfidia, ut malo ſuo uelut importabili onere preſſus, diutius ſubſiſtere non poſſit. Sic enim cadet, ut ultra reſurgere non poſſit. Sic punietur, ut denuò malignari non permittatur, etiamſi, ut ſemper uoluit, diutius non poſſit. Et qui ad dominum cõuerti noluit, dum uocabatur & potuit, redire nequeat, quia non uoluit dum licuit.

21 ¶ Et erit in die illa: uiſitabit dominus ſuper militiam excelſi in excelſo: & ſuper reges terræ (qui ſunt) ſuper terram.

22 Et cõgregabũtur in cõgregatione unius faſcis in lacum, & claudẽtur in carcere: & poſt multos dies uiſitabuntur.

Iudicium generale. In die generalis iudicij diuini punientur tam diaboli rectores tenebrarum, & uerſutiæ in cœleſtibus, quàm etiam tyranni huius mundi, pariter abijciendi in ſupplicium æternũ, quod præparatũ eſt diabolo & angelis illius, hoc eſt cõmilitonibus. Proijcientur enim colligati ueluti in faſciculos in ignem æternũ, & à multitudine dierũ uiſitabuntur, hoc eſt, punientur per tempus longiſſimũ. Hebræi exponunt de hoſtibus Meſſiæ, quidam de captiuitate Iudaica, in qua nũc ſunt: ſed certius exponitur pro infinitis & omnibus diebus quibus impij deo ſuccumbent & in carcerem deijcientur, donec ad iudiciũ ſiſtantur, in corpore & anima damnandi: propter quod ſequitur,

23 Et erubeſcet luna, & confundetur ſol, cum regnauerit dominus exercituum in monte Sion, & in Ieruſalem, & in conſpectu ſenum ſuorum gloria.

Terrebitur impius tunc iudicãdus ab omni creatura, qui creatorem omnium cõtempſerat, tantis creaturarũ beneficijs deo obnoxius factus. Luna enim opprobrio afficietur, & ſol, quem dominus interim etiã ſuper impios ſplendere fecerat, pudefiet & confundetur horribiliter. Tunc enim dominus exercituũ regnum nouum incipiet in monte ſancto ſuo, & in excelſo cœlorũ habitaculo, quem cœli capere uix uel non poſſunt, multò minus monticulus Zion, qui tamen Hieroſolymæ cœleſtis ſacroſanctus thronus dicitur & habetur. Præſens autem ſenatus omnipotẽtis huius regis regũ, omnes ſancti ſunt, patriarchæ, prophetæ, apoſtoli, qui omnes teſtimonium perhibuerunt regno Chriſti domini noſtri, in quo glorificandus eſt cum electis omnibus.

Regnũ dei nouum.

¶ CAPVT XXV.

1 DOmine deus meus es tu, exaltabo te, cõfitebor nomini tuo: quoniam feciſti mirabilia, cogitationes de longè fides amen.

Iudiciũ generale & ſpeciale. Canticum ad idem gratulatoriũ ſancti prophetæ, pro iuſtitia dei, qua impios, dei & rerum diuinarum contemptores finaliter punit, tam generali & extremo iudicio ſuo, quàm ſpeciali & pro gentium perſonarumq; deprauatione puniendo, in hoc mundo ad interitum uel carnis uel ſpiritus: qua deniq; iuſtos & electos ſuos glorificat in hoc mundo in ſpiritu & corpore dum illis prodeſt, & in generali iudicio benedictos patris ſui Chriſtus ad regnum dei promouet & tranſmittit. Sunt enim uerba fidelium liberatorum ab anguſtijs impiorũ, & præſentibus miſerijs: O domine deus omnipotẽs & clemens, tu ſolus nunc appares qualis & ſemper fuiſti, deus meus, qui mei & noſtrorũ omnium ſemper curam habuiſti, etiam dum uehementer arctaremur ab impijs, iam nunc tempus eſt quo te eueham, & immenſam bonitatem tuam corde & ore confitear, & celebrem magnificentiam tuam. Tu enim ſolus es omniũ mirabilium patrator, qui mirabilem te præbes fidelibus tuis, qui mirabiliter ſuccurris in rebus deſperatis, pios fouendo & redimendo ab impijs, multis & mirabilibus modis, ſecundum perpetuam bonitatem, & æterna conſilia tua, quibus prædeſtinatos tuos per omnia gubernando tueris fideliſſimè, promiſſiones ſeruando, & uerbum tuum firmiſſimum oſtendendo, ut nullius creaturæ uel etiam ſimul nutentium uiribus inſtitutũ tuum aliquod ualeat impediri.

2 Quia poſuiſti ciuitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domũ alienorum: ut non ſit ciuitas, & in ſempiternum non ædificetur.

Rerumpublicarum occaſus. Tu es enim qui impiorum populorum urbes iratus redigis in tumulum, excindis & uaſtas, ciuitates munitiſſimas ſubuertis, & in ruinas ponis propter iniquitatem eorum qui ſubuertunt iuſtitiam, perſonas ſuſpiciendo, munera capiendo, rem ſuam non publicã promouendo, uitia permittẽdo. Tu quoq; palatia impiorũ, qui à timore dei alieni neminem uerentur, ex urbe exijcis, & nota publica perpetuaq; cõfundis. Solus es enim qui tyrannos traducis & iudicas, dum pios tuos opprimere non ceſſant, dum fideles tuos perſequuntur in rebus & corporibus.

3 Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robuſtarum timebit te.

Quo fit, ut qui hactenus in ſua feritate & tyrannide fidebant, iuſto & patente iudicio tuo excindantur, ad

gaudium piorum, te propterea toto corde glorificantium & gratias agentiũ: ad timorem uerò & stuporem reliquorum improborum, ut non tanta audeant quanta mala uellent: quo tandem refrigerium iustis pateat, & impij arceantur conterriti iudicijs dei.

4 Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, umbraculũ ab æstu. Spiritus enim robustorum quasi turbo in parietem.

Tibi enim derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor, pater orphanorũ & uindex uiduarũ. Tu eos defendis & corroboras, & in angustijs succurris desertis ab omnibus. Tu à turbine calamitatum defensas sperãtes in te. Refugium es à tempestate, umbraculum ab æstu. Violentis autem & fidelium oppressoribus te opponens turbinem, & uentũ horribilem, & fortia quæcunque subuertentem, cui resistere non possint.

5 Sicut æstus in siti, tumultum alienorum humiliabis: calor sub umbra nubis propaginem fortium marcescere faciet.

Tu impijs uehementer sitientibus & laborantibus æstus es in loco inaquoso. Tu nosti comprehendere eos qui te oderunt, durissimè affligere qui tibi resistunt, uicem dignam rependere eis qui sanctos tuos angustiauerunt. Tu humilias fastum & tumultum tyrannorũ, compescis audaciam incorrigibilium. Pijs & fidelibus tuis umbratilis nubes es, dum æstu tentãtur. Violentos autem cum omni sua posteritate rescindet & adfliget iusto iudicio.

6 ¶ Et faciet dominus exercituũ omnibus populis in monte hoc, conuiuiũ pinguiũ, conuiuiũ defecatorum, pinguium medullatorum, fecium defecatarum.

Sanctorum consolatio. Finis hic carminis est, sequiturq; prophetia de consolatione maxima fideliũ & ecclesiæ sanctorum, quam & in triumphante ecclesia cum Christo habent in regno patris sui, super mensam suam edentes in æternum omnes pij, & in militante percipiunt de mensa domini, incarnationis mysterium, passionis Christi fructum & gratiam percipiẽdo, charitatemq; dei patris ad electos perpendendo, renouandoq; inter membra Christi mutuam in Christo charitatem, non fictam, exemplo Christi pro omnibus sponte mortui. Qua consyderatione uehementi, fideles reficiantur animo, & uiuificentur conscientiæ, pro criminum memoria periclitantes usque ad
Conuiuiũ Christi. desperationem, quæ mors est animæ. Hoc sacrosanctum conuiuiũ Christus in monte Zion instituit, & toto orbe diffusæ ecclesiæ præparauit, corpus suũ in cruce confossum & mortuum, fidelibus exhibendo in cibum animæ, & sanguinem suum pro peccatis effusum in poculum: eo modo scilicet quo & ea anima capere & refici possit, & desyderare audeat, in fide scilicet & sacramentali esu. De utroq; cõuiuio hic propheta loquitur, dicens: Dominus exercituum in monte isto ecclesiæ conuiuium delicatissimum exhibebit omnibus pijs & fidelibus suis cultoribus, ubi mundissimæ & salutares epulæ exhibebũtur, ad refectionem non tam corporum quàm animorum. Recreabuntur enim animæ ex suauissimo manna uerbi dei, quod per Euangelium in ecclesia prædicabitur in remissionem peccatorum, qua fideli animæ sua peccata agnoscenti & iustitiam dei consyderãti nihil offerri potest in cœlo & terra, uel proponi dulcius & desyderabilius, Christum dominum mediatorem filium dei, sui corporis crucifixione, & innocentissimi sanguinis effusione sic satisfecisse pro totius mundi peccatis, ut plenè dominum deum reconciliauerit omnibus per Christũ in ipsum credentes, ut posthac de clementia dei nihil addubitet, sed de immensa tantæ dignationis gratia semper gratias dicat, & nunquam obliuiscatur. Hoc ineffabile epulum & conuiuium saluta re propheta consequi uerbis alijs non plenè potuit, quàm ut pinguia, defecata, medullata diceret, quibus homines ut plurimũ delectantur. Is interim sensus uidetur literæ non indignus. Verum non obluctor, si quis hic intelligat iram dei effundendã super impios pios occidere cupientes, ut sese deuorare cogantur, & mutuis cædibus occidi, & fieri esca ferarum. Cibus animæ.

7 Et præcipitabit in mõte isto faciẽ cuiuslibet uelaminis super omnes populos, et singula operimenta super omnes nationes.

Abijciet, dissipabit, & auferet quoque per Christi mysteriũ in monte Zion completum dominus facierum uelamen, quo omnium gentium conscientiæ obuelatæ fuerunt, tam crassum & carnalem intellectum sacræ scripturæ, & legis diuinæ in populo Iudaico, quàm abominabilium errorum tenebras, & idololatriæ superstitiones ab oculis omnium gentium, ut per Christi Euangelium, uoluntas dei clarè cognoscatur, & cesset sacrilegus cultus falsorũ deorum, & unus uerus deus unica fide unicè ueneretur. Velamen faciei.

8 Præcipitabit mortem in sempiternum. Et absterget dominus deus lachrymã ab omni facie, & opprobriũ populi sui auferet de uniuersa terra: quia dñs locutus est.

Christus denique sua spontanea & innocentissima morte crucis, præcipitabit & absorbebit mortem animarum, & uiuificabit per fidem & gratiam animas, per conscientiarum agoniam proximas desperationi, dando remissionem plenariam omnibus per Christum deo credentibus, qui moriendo destruxit mortem, & resurgendo contulit immortalitatem. Tunc absterget deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, ablato timore damnationis in Christum credentibus, & tantæ idololatriæ blasphemijs eradicatis, & in unius dei cultum omnibus gentibus uocatis, pij omnes maximè lætabuntur, sicut blasphemijs in dei gloriam iactatis maximè offendebantur. Sicut enim nihil pijs durius cõtingit blasphemia & contemptu dei: sic nihil iucundius & desyderatius sentitur sanctificatione illius nominis, pro qua deuotissimè semper orant, Sãctificetur nomen tuũ: Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Et cum mundus nihil oderit magis quàm ueri dei fidem & cultum, eiusq; cultores, ut patet de Pharaone, Sennherib, & Romanis, maximis persecutoribus fidelium: sic per Euangelium Infidelis placatur.

gelium propagatum in orbem, obprobrium fideliũ ceſſauit in totũ, ut in toto orbe honoratiores nõ ſint quàm ſancti illi utriuſq; teſtamenti, qui pro ueri dei ſui cultu incommoda maxima in rebus corporibus & uita paſſi ſunt, & obprobroſiſſimam mortem. Hæc autem futura aliquando dominus locutus eſt, & iam dudum perfecta mundus totus uidet, præter Iudæos: quorum uelamen auferat dominus, ut nihil poſſuletur odioſius.

9 ¶Et dicet in die illa, Ecce deus noſter iſte, expectauimus eũ, & ſaluabit nos: iſte dominus, ſuſtinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in ſalutari eius:

Euangelij fructus.

Gratiarumactio & confeßio populi fidelis, in præſenti uita conſolati per Euangeliũ, & poſt hanc in gloria Chriſti apud patrem in ſtatu beatorũ. Ecce inquient fideles liberati à uclamine & idololatria & à peccatorum timore pio, Vana eſt totius mundi ſuperſtitio, uana idola, uana ſpes omnis in creaturas quaſcunq;. Hic deus omnipotens cœli conditor, & mundi gubernator, deus Abrahã, Iſaac, Iacob, & Moſis, is deus eſt ſolus & unicus, in quẽ quia ſperare cœpimus, ideo per eum ſaluati ſumus. In hunc ſolũ deum poſthac fiduciã omnem collocabimus, ei ſoli innitemur in proſperis & aduerſis, & in ſalutari ſuo quod parauit hominibus per unicũ filium ſuum Chriſtum lætabimur, in quo & beatificabimur.

10 quia requieſcet manus domini in monte iſto. Et triturabitur Moab ſub eo, ſicuti teruntur paleæ in ſterquilinium.

Veritas erorem oppreſſit.

Gloriam enim ſuam & omnipotentem manum ſuam clarificauit et celebrauit in monte ſancto ſuo, in gloriоſa illa Hieroſolyma, toto orbe dominante in fidelibus, cuius fines pacẽ dominus poſuit, et ab omniũ Moabitarum, hoc eſt, infideliũ, & idolorũ poteſtate eripuit atq; dæmoniorũ. Oppreßit enim uis Euangelij errores cunctos: et abominationes gentiliũ ſacrilegiorũ, ueluti ſterquiliniũ conculcauit ueritas uerbi dei, & ſicut paleam profligauit, ut ſubſiſtere non poßit, niſi in luto calcata.

11 Et extendet manus ſuas (ſub eo) intra ſe, ſicut extendit natans ad natandũ: et humiliabit gloriã eius cũ artubus manuũ eius.

Dilatabitur poteſtas ac manus ueritatis, ipſius claritas & uis omnipotens ad omnem locum, ſemper proficiendo, nunquam retrocedendo, ueluti natãtis manus & brachia, paſſim utrinq; à dextris & ſiniſtris impios opprimendo, & faſtum huius mundi humiliando potentia ac robore ipſius, cui nemo reſiſtere poßit.

12 Et munimenta ſublimium murorum tuorum concidet, & humiliabit, detrahet in terram uſq; ad puluerem.

Argumenta prudentiæ carnalis.

Muntiones Moabitarum argumenta ſunt prudentiæ naturalis, & ſenſus carnalis, quibus ſe impij hoſtes fidelium tueri conantur, & brachium quoq; carneũ, in quo confidunt: quæ omnia deijcientur uerbo dei, doctrina pietatis, & Euangelio Chriſti. A dextris enim & à ſiniſtris omnis calcabitur fortitudo, diruentur urbes & fortalitia omniũ eorum qui illis abuſi ſunt in oppreßionem pietatis & piorum. Fortiter comprimet dominus

omnes impios, & mundum uincet, & ſub Chriſti pedibus ſcabellum pedum ponet, ut humilietur omnis ſuperbia & perfidia, error & iniquitas. Omnia autem hæc non meritis uel uiribus hominũ, ſed dei gratia, cuius in protectione commorantes tuti conſiſtũt ab omni malo, qua de gratia & ſpe fidelium conſequenter tractat.

¶ CAPVT XXVI.

1 IN die illa cantabit canticũ iſtud in terra Iuda, Vrbs fortitudinis noſtræ (Sion) ſalus, ponetur murus & antemurale.

Carmen uidetur eſſe, quo eccleſia fideliũ, iam ſecura de protectione diuina, inuitat ad ſe reliquas gentes ad gloriam dei latius propagandam ſemper. Quid enim terra Iuda aliud eſſe poteſt quàm congregatio fidelium, qui dominum creatorem ſuum ueraciter cognoſcunt, reuerentur & colunt, nihil charius amplectentes, nec ardentius deſyderantes, quàm profectũ eccleſiæ ad gloriam dei? Gaudium itaq; diſſimulare non poteſt, ſi procedere dei gloriã, & ueræ uirtutis ac pietatis ſtudium perſpexerit. Sic ergo ſancti canunt, Vrbs fortitudinis nobis eſt, habemus inuincibilem protectorem, ſecuriſſimo loco ſtamus, ueluti Dauid iactat aſylum ſuũ tutiſſimum dominũ deum ſuum. In nullam enim fortitudinem ſancti ſperant, niſi in ſolum deum, qui fortitudo eſt pauperi, & murus igneus pijs. Cuius urbis noſtræ mœnia & antemurale aliud non eſt, quàm ipſa ſalus à domino.

Terra Iuda quæ ſit.

2 Aperite portas, & ingrediatur gens iuſta, cuſtodiens ueritates.

Hanc urbem fortitudinis, hunc deum protectorem non ſoli poßideatis fideles de Iſraël, & Iuda: aperite potius portas, uiam offerte & aditum omnibus gentibus, nolite inuidere uel prohibere gratiã dei propagari in gentes, imò apoſtolos ueſtros mittite, ut ad nuptias uocent quos inuenerint omnes. Veruntamen nõ ingredientur niſi iuſtificati per fidẽ, obſeruatores et admiratores uerbi dei, credẽtes ſacris teſtimonijs utriuſq; teſtamenti, quæ non ſunt proijcienda porcis, ſed pijs & iuſtis.

Vocatiõ Gentium.

3 Inſtitutũ cõfirmatũ eſt: ſeruabis pacem (perpetuam) pacem, quia in te ſperatum eſt.

4 Sperate in domino in ſæculis æternis, in domino deo forti in perpetuum.

Confectione firma ac ſolida conficies pacem fidelibus tuis, ô urbs fortitudinis. In te enim ſolum ſperando, tibiq; fidendo pacem habebimus. Alioqui ſi in noſtra opera & iuſticiam ſperauerimus, deſperandũ erit, & nunquã non trepidandũ, cum ſint ut pannus menſtruatæ. Nolite ergo ô fideles, fidere in aliud quiddam, quàm in dominum, idq; ſine intermißione, etiã ſi dubia cernantur omnia quæ occurrunt, & militia nobis ſemper dura incumbat, donec in terra uixerimus. Ipſe autẽ dominus firmißima ſuis petra eſt, per omnia ſæcula ſtabilis & firmißima, ut cõfundi nõ poßit qui ad eã cõfugerit unquã.

Spes fidelium.

5 Quia incurauit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit. Humiliabit eam uſq; ad terram: detrahet eam uſq; ad puluerem.

6 Conculcabit eam pes, pedes pauperis, greſſus egenorum.

Gloria mũdi calcanda

Petra eſt enim dominus, allidens ſuperbos & præcipitans, pios aũt defendẽs. Ipſe ſuperbis reſiſtit, aduerſarias deijcit poteſtates, urbes quantumlibet ſuperbas, & ipſum quoq; totum mundũ pro uoto ſuo & ad fidelium ſalutem humiliat & deijcit, trahitq; in puluerẽ, ut euaneſcat tota gloria illius, ſoloq; æquetur, & cõtemnatur magnifice à pijs paratis propter deum negligere & pro ſtercore arbitrari quicquid clarũ habetur in orbe. Qui enim uerè in Chriſto ſunt, mundũ uicerunt, et carnẽ crucifigunt, omnibus reſignant ut Chriſtũ lucrifaciant, humiles ſpiritu et de ſe nihil præſumẽtes nec alta cupiẽtes.

7 Semita iuſti æquitates, rectum callem iuſti librabis.

Hebræi quidã ſic exponunt: Tu domine deus proponis iuſto uiã rectitudinis, qui rectus es, & regula æquitatis, illam ſi qui fuerint ingreſſi probabuntur tibi, ſi nõ pro ſuis inſtitutis, ſed tuis uixerint. Tu expendis calles

Vnde bonitas operum.

iuſtorum. Nemo hominum iudicari poteſt ſecundum iuſticiam operum: ex te pendet omnis illorũ ualor et acceptatio. Si enim probas et acceptas, bona ſunt: ſin minus, uana & mala. Non ergo plaudendum de operibus iuſticiæ, ſed de fide potius operãtis, quæ domino placet.

8 Et in ſemita iudiciorum tuorũ domine ſuſtinuimus te: nomen tuũ, & memoriale tuum in deſyderio animæ.

Iudicia dei non ſcrutanda.

Noſtrum eſt ſuſpicere ad ſemitam iudiciorum dei, ne temere hominum facta iudicemus, ſed domino relinquamus iudiciũ, qui corda ſcrutatur & renes: ſemperq; formidemus iuſtũ iudiciũ ſuum, quo ſæpe quod nobis probum uidebatur inuenitur toruum. Fallax eſt humanum iudicium, diuinum infallibile. Proinde fideles dicunt, Omnia tua iudicia reueremur, ſuſpicimus, & expectamus cum timore iuſto: nihilq; ardentius cupimus et toto corde optamus, quàm gloriam nominis tui et memoriale tui, ut ſit ſemper in affectibus noſtris. Paſcitur enim continuo anima noſtra memoria tuæ bonitatis.

9 Anima mea deſyderauit te in nocte: ſed & ſpiritu meo in præcordijs meis de mane uigilabo ad te: cum enim (ſunt) iudicia tua in terra, iuſticiã diſcent habitatores orbis.

Fidelium cogitatio.

Fidelium omnis cogitatio eſt de promouenda gloria dei in hominibus, ut etiam ſanctiora ſint ipſorum inſomnia: nihilq; diligentius curant, quàm ut proſint multis ad reformationẽ orbis. Idq; orationibus agũt, dum aliud non poſſunt, etiam præueniendo diem, quoties ſcilicet etiam noctu euigilant, primam hanc ſuam curam eſſe ſuſpirijs teſtantur. Iuſticiã diſcent habitatores terræ, incipientq; timere deum, & innocentiam colere, ſi iudicia dei dura et iuſta paſſim ad homines attenderint, ex uiſis enim flagellis mundi erudiuntur et redduntur meliores.

10 Miſericordia præſtetur impio, nõ diſcet iuſticiã, in terra correptionis (uel æquitatum) iniqua geſſit: & nõ uidebit gloriã domini.

Contra uerò, ſi impijs indulgeatur, et præſtetur clementia, non diſcent iuſticiam, minimè emendabuntur, etiam ſi oportunè corripiantur non proficient. Nemo enim corriget quem deus contempſit. Maieſtatẽ domini impij non uerentur neq; etiam aſpicient unquam.

11 ¶ Domine exaltata eſt manus tua ut nõ uideant: uideant, & confundantur zelo populi, & iam ignis hoſtium tuorum deuorabit eos.

Impij, ô deus, excelſam manũ tuam & iuſtum iudicium, iræq; tuæ ſeueritatem non aduertunt quòd impij ſint. Videbunt autem & ſentient malo ſuo aliquando, tunc ſcilicet cum deuorauerit & abſumpſerit eos perſecutio hoſtilis, & inuidia populorũ, dum prouidentia dei hominibus quoq; fient intolerabiles. Neceſſariũ eſt

Timor de neceſſitate.

ergo uerbũ domini quo diſcant timere deum, & ſi non amore iuſticiæ, ſaltem formidine pœnæ, donec aliquando timor promoueatur in charitatem, & auditio in fidem.

12 Domine dabis pacẽ nobis: omnia enim opera noſtra operatus es nobis.

Ex te pendet ſalus noſtra, tu proſperitatis noſtræ fata regis et ordinas, ex te toti pendemus: ſi quid bonu uolumus uel operamur, tuũ eſt: ſi quid mali occurrit, non fit ſine tua prouidentia: in te uiuimus, mouemur & ſumus.

13 Domine deus noſter, poſſederunt nos domini abſq; te, tantum in te recordemur nominis tui.

Soliloquia quædam ſunt præcedentes & ſequentes ſententiæ, fidelium ad deum. In hac uita calamitoſa op-

Solatium piorum.

primimur tyrannis, & uiolentis hominibus, contra ius & fas, mundus nos odit, & caro imperat ſpiritui. Nihil autem reliquum nobis ſit, quàm ut ad te afflictorũ aſylum concurramus, omnem ſpei noſtræ fiduciam in te collocemus, memoria bonitatis cõſolemur: dum omnia aduerſantur, tu nõ deſeres de tua clementia præſumentes.

14 Morientes non uiuant, gigantes nõ reſurgant: propterea uiſitaſti & contriuiſti eos, & perdidiſti omnem memoriã eorũ.

Impij, feroces, & tyrannici homines, dum moriuntur iuxta corpus, non uiuent, nec in gratia coram deo, quia damnati, nec memoria honeſta apud homines, nec

Impij ex terra riantur.

ad uitam reſurgent, & in ſorte electorum non ſtabunt. Tu enim ſeuero iuſtoq; iudicio uiſitaſti eos abijciendo & excindendo prorſusq; uaſtando. Delebuntur enim de libro uitæ, ut omnis illorũ memoria pereat apud bonos, quos perpetuò fuerant perſecuti, quorum cauſa domino ſunt inuiſi, & damnationis facti mancipia.

15 Auxiſti gentẽ dñe, auxiſti gentẽ: glorificatus es, elongaſti omnes terminos terræ.

Fideles à prophetarum temporibus ſemper magis ac magis numero, merito, locisq; creuerũt, dum error paulatim agnitus ceſſit ueritati, et ſuperſtitio pietati, donec in plenitudine tẽporis totũ terrarũ orbẽ peragante Euangelio piorũ eccleſia augeretur, & glorificaretur deus.

16 ¶ Domine in anguſtia requiſierunt te, tribulatio querimoniæ diſciplina tua eis.

17 Sicut quæ concipit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis: ſic facti ſumus à facie tua domine.

Impiorum

Disciplina impiorum.

Impiorum qui nos persequuntur hæc est conditio, ut uideantur nonnunquam meliores fieri, sed nihil ex animo, omnia ad hypocrisim, ut paulo posterius peiores patiamur eos, prætextúq; zeli nos denuo aggrediantur, et persequantur. Visitant te, hoc est, tuam in angoribus positi implorant clementiam. Angustiam & querimoniam exprimit illis disciplina & correctio tua, ut nobis uideantur humiliandi sub potenti brachio tuo: sed sicut prægnans & uterum ferens, donec pariat, cum semper ad partum properat humiliatur, timet, anxiatur, dolet & clamat, detestaturq; omnes præteritas libidines & abiurat. Sic nos miseri homines sumus corã te ô domine, dum tribulamur humiliamur, dum redit prosperitas insolescimus iterum, deteriores q; reddimur.

18 Concepimus, et quasi parturiuimus, et peperimus uentũ: salutes non fecimus in terra: & non ceciderũt habitatores orbis.

Sperauimus iamdiu feliciores casus, tempora tolerabiliora, auxiliũ tuum: parturiuimus, multa interim grauia perpessi sumus, rebus continuo in hoc mundo redactis in peius: spiritum quasi genuimus, inuanum cecidit spes nostra, natus est ridiculus mus. Salus enim nõ facta est in terra, nihilo melius quàm antea sensimus. Nõ ceciderũt habitatores orbis, nihil remiserunt de sua tyrannide, mundus non se exonerauit à tantis miserijs: uigent consequenter inter homines omnes iniuriæ.

19 Viuẽt mortui tui (cum) cadauere meo resurgent: expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere: quia ros pratorum ros tuus, & terram gigantũ detrahes in ruinã.

Resurrectio mortuorũ.

Ad consolationẽ piorũ subiungit propheta, loquens ad dominũ: Viuent mortui tui, fideles tui in hoc mundo grauissima semper passi, cum tibi charissimi fuerint semper & sint, quos impij habuerũt in derisum, & in similitudinẽ improperij, quorũ uitam æstimabant insaniam, & sine honore: ecce iterũ uiuent, & ueluti ipsum meũ corpus iterũ resurgent in corpore sancti ad gloriam & beatitudinẽ, euocandi per domini dei omnipotentiã, per Messiam etiã Iudæis id sentientibus, electos scilicet resuscitari ad uitã, in diebus salutis, hoc est Messiæ. Vocabuntur aũt per uocẽ de cœlis resonantẽ, et dicentẽ: Expergiscimini, qui scilicet secundũ corpora uestra in terræ pulueribus hactenus habitastis & dormiuistis, post hac dominũ deũ uestrũ inæternũ laudabitis. Si enim ros de aëre cadens germinare facit prata, & olera, multo magis id poterit ros tuus ô deus, hoc est, ordo oĩpotentiæ, prudentiæ, iusticiæq; tuæ. Violẽtos aũt tyrannos, et impios in hoc mũdo, qui terrã oppresserãt, tu deus abijcies à cospectu tuo in suppliciũ dignũ quod cõmerucrũt.

20 ¶ Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.

Paradisus sanctorum.

Nolite ergo ô fideles in hoc mundo impiorum persecutionibus perpetuò obnoxij contristari, conqueri, & desperare. Ite potius in cubicula uestra, in sortem & locum animarũ sanctarum, quem ego dominus ordinaui in

paradisum, ubi Christus & latronis sancti anima deliciantur, ueluti sponsæ cum sponso in thalamo suo. Claude ianuas tuas post te, corpus interim & quicquid externum in hoc mũdo hactenus te impediuit ab hac fruitione sponsi, terrena omnia exclude ab animo tuo et curis. Ad paruum enim et modicũ tempus expecta, donec omnis in terra malitia impleatur, & probentur omnes electi dei, numerus quoq; cõpleatur confratrũ uestrorũ.

21 Ecce enim dominus egredietur de loco suo, ut uisitet iniquitatẽ habitatoris terræ contra eum, & reuelabit terra sanguinem suum, & nõ operiet ultrà interfectos suos.

Iudicium mundi generale.

Sine dubio enim tempus aliquãdo ueniet, diesq; iudicij, quo egredietur dñs & conspicietur ab oĩbus, iudex iustus et seuerus cõtra impios et infideles. Qui duro iudicio suo uisitabit, & puniet omnes qui in terrã posuerant spem suã, qui si licuisset de sæculo futuro nihil curassent, quorũ deus terra erat, uenter & terrena oblectamenta, nihil unquã de cœlestibus solliciti, deũ et uerbum dei nihili habentes. Tunc aũt accusabit ipsa terra, mater omniũ, flagitia improborũ filiorũ, prodet sanguinem per uiolentiã occisorũ, non in aliũ usum q̃ ut uindicetur à deo. Quæ enim terra ipsa ad mandatum dñi nutrierat, et oĩbus necessarijs prouiderat homines, sibi ad tempus cõmendatos, ut iusticiã colendo creatorẽ sanctificarent, ea armabitur cum oĩbus creaturis in ultionem creatoris, accusabit ingratos & inobedientes, nõ cælabit uiolẽtias tyrannorũ, sed iudicio dei iusto reos statuet.

¶ CAPVT XXVII.

1 IN die illa uisitabit Dñs in gladio suo duro, et grandi et forti super leuiathan serpentẽ uectem, & super leuiathan serpẽtem tortuosum, & occidet draconem qui in mari est.

Argumentum prophetarum.

Christi domini mysteriũ esse maximum argumentum omnium prophetarum nemo ignorat: & passione illius triumphatũ satanam et errores idololatriæ, perq; Euangelium filios dei dispersos, congregatos in unam ecclesiam, & sanctificatos Christi sanguine, æquè non potest negari. Ideoq; hic etiam locus plane id indicat, ut nulla rationabilior expositio uideatur. Illa enim dies, tempus intelligitur cõplendi mysterij Christi et noui testamenti, quo sic iudicium mundi factum est, ut princeps mundi eiectus sit foris, gladio uerbi dei & potentia Christi, quæ satanæ durissima sunt, & summæ illius potestati, qua nõ sit potestas maior in terra, summe cõtraria et inuincibilia. Hunc enim leuiathan, longum, insuperabilem tortuosumq; serpentẽ, qui statim à mundi exordio humano generi mortem indidit, & erroribus multis uelut tortuosa sua cauda inuoluit, à quibus explicari non potuit nisi uerbo dñi & Euangelio Christi, qui semen mulieris prædictus est ab exordio mũdi caput huius serpentis calcaturus, et morte mortẽ cum suo aculeo & morsu superaturus. Idẽ quoq; intelligitur per cetũ qui in mari est: ne quid stultius cũ Iudæis dicamus de ceti carnibus salitis pro esu Iudæorũ in paradiso sua. Interim membra huius leuiathan fuisse Pharaonem, Sennherib, & Ne-

Leuiathan tortuosus quomodo uictus.

buchadnezer, cum omnibus fideliũ oppreſſoribus, à domino occidendi in gratiam ſalutemq; piorũ, certum eſt.

2 In die illa uinea Hemer alternis cãtabit ei.

3 Ego dominus qui ſeruo eã, repente propinabo ei, ne forte uiſitetur contra eã: nocte & die ſeruo eam.

Vinea duplex.

Poſt ſuperatum antiquum ſerpentem, & eradicatũ omne additamentũ humanæ temeritatis, et animalis prudentiæ, nõ ſapiẽtis quæ dei ſunt, et erigentis ſe aduerſus doctrinam pietatis, deſcribit propheta ex uerbo domini prærogatiuas alterius uineæ, quã plantauit cœleſtis agricola, non iam uineam meri, & uites Sorek proferentem labruſcas, ſed uineam Hemer, uini optimi & rubicundi feracis, eccleſiam noui & fidelis populi dei, facientis uoluntatẽ dei, quem in delicijs habeat & deſyderabile dominus. Malim enim ueterem ſcripturæ literam ſequi Septuaginta interpretũ, qui legerunt, Hemed quàm Hemer, licet utrunq; coincidat. Illa inquit uinea gratioſa reſpondebit ei, priori ſcilicet eccleſiæ non deo: alternis enim canetur priori et poſteriori uineæ. Hanc enim uineam noui populi ego dominus cuſtodiã eam, quod optimos fidei fructus proferat, & à fide ueri dei nunquam reciderit. Priorem aũt uineam ſepi priuatam ob labruſcas, et maceria, conculcandã proſtituit feris. Hanc per ſingula momenta gratia diuini ſpiritus ex alto irrigat & fœcundat: illam uero perpetua ariditate & ſterilitate pluuijs & rore negatis damnauit. Summopere ſtudet ne iſti uineæ inimicus homo ſuperueniẽs, uulpeculas immittat demoliturus eam. Alteram aũt ſinit ſpinis & uepribus ſuperindui, quo fiat ſqualidior. Hanc die noctuq; ſeruat: aliã non ſinit fodi uel putari, ſed beſtijs irrumpi præcipit. Nónne hoc eſt alternis canere duabus iſtis uineis?

4 Indignatio non eſt mihi, Quis dabit me ſpinam et ueprem in prælio: gradiar ſuper eam, ſuccendam eam pariter?

Nulla indignatio mihi eſt ad hanc uineã. Nulla damnatio his qui ſunt in Chriſto. Mundis omnia munda. Quos Chriſto pater dedit minimè perdũtur. Quis adiget me ut ueprium & ſpinarũ aculeis impugnem fideles meos? Quis accuſabit aduerſus electos dei? Qui ficret ut tranſgrederer fidem promiſſam in ſeſe mihi totos credentes? Quomodo ſinerem incendi meam hanc tam dilectam uineam?

5 Aut (quis) tenebit fortitudinem meam? faciet pacem mihi, pacem faciet mihi.

Aut quis fortitudini meæ uim faciat, ut nolens cogar perſequi fideles meos, uel pacem inire cum impijs, qui toties cõtemſerunt gratiam meam? Quomodo pacem mecum faciet, qui blaſphemare ueritatẽ & bonitatem non ceſſat? An' non Iudæi perpetuò cauſantur non ſeruatas ſibi à domino promiſſiones in præſens uſq;, qui Meſſiæ gloriam non niſi ad ſuam gloriam cupiunt & expectãt? Quomodo cum illis pacem iniet uerbum dei?

6 Veniunt (dies) quando radices iaciet Iacob, florebit & germinabit Iſraël, & implebunt faciem orbis germine.

Venient autem dies ſalutis Meſſiæ temporibus, ait propheta, in quibus radices fidei & ſalutis aget, Iacob ille uerus, qui Iacobi fidei filij erunt, longe ipſi chariores filijs ſecundum carnem, nothis autem iuxta ſpiritũ. Hi toto orbe radices ponent, unde germinabit & floreſcet gens ſancta, populus acquiſitionis, peculiaris dei hæreditas, filij Iſraël, qui deum patriarcharum unice colent, amabunt, & prædicabunt poſteris, quorum fides & doctrina orbem implebit totum. Dies ſalutis.

7 ¶ Nunquid iuxta plagam percutientis ſe percuſſit eum? aut ſicut occîdit interfectos eius, ſic occiſus eſt?

Verba prophetæ: Nónne ij qui fideles in orbe perſecuti ſunt, à domino quoq; ſunt uehemẽter repercuſſi? Nónne unius dei cultores aliquando toto in orbe Romano & Babylonico perſecutiones paſſi ſunt, & miſerrimas ſtrages? Nónne propter unius dei fidem, & idolorũ derogationem multæ myriades ſanctorum martyrum à tyrannis occiſi ſunt? Sed minimè impunè graſſati ſunt impij in electos dei. Quandoquidem & homicidæ illi occiſi ſunt duplici morte, & impietatis poſt ſe famam omnibus ſæculis propagarunt. Quando uidetur obtinuiſſe ueritas, quæ manet in æternum, quæ ut maximè prematur, tamen opprimi non poteſt. Pij uindicati de impijs.

8 In menſura cum immiſſione iudicabit eam: abſtulit (uel afflixit) in ſpiritu ſuo duro per diem urente uento.

In quali quantáue menſura impij iſti tractauerunt pios, tali tantaq; repenſum eſt eis à iuſto compenſatore. Qualia de ſe germina emiſerunt, tales repoſuerunt fructus, eiuſmodi emiſſionum ſuarum germina neceſſe erat auferri à ſpiritu urente graui & penicioſo. Non tales ædiderant fructus qui in aream domini et theſauros reponi potuerint.

9 Idcirco ſuper hoc dimittetur iniquitas Iacob, & iſte omnis fructus ut auferatur peccatũ eius, cum poſuerit omnes lapides altaris ſicut lapides calcis allíſos, non ſtabunt luci & delubra.

In hunc finem dominus tandiu ſemper tolerauit iniquitates omnes & maximas Iacob, id eſt Iudæorum, ut tandem benedictum ſemẽ promiſſum patribus naſceretur ex eis, Chriſtus domini. Cuius Euangelio per reliquias Iacob in omnes terras prædicato, auferretur fructus peccati, error, idololatria, humana prudentia & animalis: ueritas autem et iuſticia dei ac charitas mundo commendata in Chriſto, agnoſceretur toto orbe, & tota ſuperſtitio idolorum, ararum, ſtatuarum, lucorum, delubrorum, ariolorum, & magorum, ubiq; concideret & ſubuerteretur, totusq; mundus domino ſubderetur, cuius dudum ſeruos & filios expugnauerat pro uirili. Fructus Euangelij.

10 Ciuitas eñ munita deſolata erit, ſpecioſa, relinquetur et dimittetur quaſi deſertũ: ibi paſcetur uitulus, et ibi accubabit, et conſumet palmitum ſummitates eius.

Sicut congregationes fidelium eccleſiæ ſunt & dicuntur: ſic idololatrarũ collegia, urbes, pagi, delubra, et monaſteria,

Gentilitas delenda.

monasteria, qualia multa ualde etiã in gẽtilitate legũtur. Hæc inqt cuncta prophana sacrilegia cũ suis cultoribus, sicut & Ierusalẽ & cerimonialis dei cultus per Christũ anciquatus, pariter, sed non eadẽ ratione peribunt, desolata erũt, derelicta, uastata, & horrida, ut eremus, ut eo loci pascua uitulorũ sint futura, ut nec reliquiæ gentilitatis sint remãsuræ. Id aũt si studiosius curassent quidam sancti patres, nõ tot interim abominandas ceremonias habuisset ecclesia, sed intẽtione bona, q̃ uidebantur mala mutabãt in melius, q̃ cum tempore degenerauerũt in intolerabiles abusus & sacrilegia, ut docet hæc dies.

11 In ficcitate flagella illius cõterentur mulieres uenientes, illuminantes eam: nõ est enim populus sapiens, propterea non miserebitur eius qui fecit eum: & qui formauit eum, non gratiam largietur ei.

Ceremoniæ Idololatrarum.

Sicut in maxima ficcitate flagella, surculi & culmi arborum & frutetorũ arescunt, & conteruntur ne aliquo sint usui, uel fructum propagare possint, sed fiunt prorsus inutilia: sic quicquid elegans, speciosum, & religiosum uidebatur apud hos superstitiosos idololatras, inter quos & fœminæ suas quoq; partes afferebant pro cultu reginæ cœli, & pro cœlibatu uestali, & multa huiusmodi plausibilia in stulto populo. Omnia pariter collapsa erũt, quia sine scientia dei instituta, sine solida pietate, & absq; uerbo dei præsumpta fuerunt. Traditionibus enim humanis deũ contra illius legẽ & contra rationem ueri boni bonum optimum colere uoluerunt, cũ essent pessimi & flagitiosi. Non ergo illorum miserebitur deus, qui non tam ignorantia dei, quàm malitia humanu sensus dati sunt in reprobum sensum, ut dominum non timerent, non colerent, nec ius naturæ à deo cõditũ obseruarẽt, creatorẽ minimè perquisierũt ut reuererentur. Ideoq; illius gratiã tanto tẽpore nõ senserũt, donec uerbũ dñi de Ierusalẽ pdiret, et peregrina sacra eliminaret, doceturq; uerus dei cultus in spiritu & ueritate.

12 ¶ Et erit in die illa: excutiet Dñs ab alueo fluminis usq; ad torrentẽ Aegypti, & uos cõgregabimini unus et unus filij Israël.

13 ¶ Et erit in die illa: clangetur in tuba magna, & uenient qui perditi fuerãt in terra Assyriorum, & qui electi erant in terra Aegypti, & adorabunt dominũ in monte sancto in Ierusalem.

Veri Israëlis recollectio.

Si sequentes duæ sententiæ pro Iudæis aliquãdo congregandis ipsi exponant, leuis & modica eis ꝓmittitur salus & redemptio, ueluti si excutiantur oleæ et arbores, & ut ueniat unus & unus, id est pauci, de Assyria quoq; tantũ & de Aegypto. Vbi ergo manebũt reliqui dispersi toto orbe? Sed nos intelligimus filios fidei Israël & electos dei de oĩbus gentibus orbis totius colligendos per Euangelicam tubam in unitatẽ fidei catholicæ, & ecclesiasticæ charitatis aliquos de omnibus, nõ subito uniuersos. Venient aũt non tam pedibus quàm affectibus, de terris omnibus, quæ Assyriorũ et Aegyptiorũ noĩe Iudæis proponuntur, cum tẽpore prophetæ gentes alias interim facile negligerent. Nec ad tẽporale regnũ,

& ad imperium erigendũ uenient Hierosolymã, sed ad adorandũ in monte sancto. Quod manifesta nota sit ecclesiasticæ pietatis, qua creator omnũ rerum ubiq; adorandus scitur ex uerbo domini in spiritu & ueritate.

¶ CAPVT XXVIII.

1 VAe coronæ superbiæ ebrijs Ephrãim, et flori decidenti, gloriæ exultatiõis ei⁹, q̃ in uertice uallis pinguissimæ percussi sunt à uino.

Regnum Israel Luxuriosum.

Prophetia satis intellectu difficilis est. Primò contra regnũ Israël: deinde cõtra Iudam. Erat regnũ Israël ob fertilitatẽ, diuitias, & hominũ multitudinẽ superbũ, luxui deditũ, & gulæ, cum suis sequelis, maximè aũt in urbe regia Samariæ, quæ in monte sita, in tribu Ephraim: ualles habebat iucundissimas ac pinguissimas, ad luxum & libidinẽ, ad ebrietates, & cõmessationes propẽsissimos, non solum ciues, & principes, sed etiam sacerdotes & prophetas, sine timore dei, & obseruãtia legis: quin & idola colebant, & Baalim, sacerdotes multos in hoc alebat. Contra quos omnes hic propheta loqtur: Væ regno superbo ebriosorũ hominũ in Samaria: Væ floridæ urbi, quæ in uertice mõtis, propediem deijciendæ, quòd præ luxu nimio & ebrietate diutius stare non potest.

2 Ecce ualidus & fortis dominus, sicut impetus grandinis turbo confringens, sicut impetus aquarum multarũ inundantium & emissarum super terrã ingruet fortiter.

Superueniet enim huic urbi, ex regno Assyriorum rex fortis & ualidus, à domino instigatus & missus, cuius & opus perficiet. Veniet inquam cum maxima tempestate, quæ & arbores grandes deijciat, cum grandine & pernicioso ualde impetu, quam effugere nõ poterit. Sicut diluuium uiolentissimarum aquarũ inundantium in totam terram, & omnia obruentium & præfocantium: sic subito & insperato terram occupabit truculẽtus hostis, cuius inhabitatores dominum deum suũ non audiunt, prophetis sanctis obstrepunt semper.

3 Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephráim,

4 & erit flos decidens gloriæ exultationis eius, qui est super uerticem uallis pinguiũ, quasi temporaneum ante maturitatem autumni: quod cum aspexerit, uidens statim ut manu tenuerit, deuorabit illud.

Hæc tam gloriosa regina, sed præ nimia abundantia rerũ ebria, & nõ compos animi, pedibus hostium ferocissimorũ conculcabitur, deijcieturq; omnis ornatus illius, et superbia humiliabitur, et in captiuitatẽ ducetur, tanto inimicorũ suorum desyderio spoliabitur, & diripietur illius tota & ingens substãtia, quanto solet præcoqua uua aliqua, et fructus delicatus ab esuriẽte decerpi in principio maturationis, dum pro nouitate auidius deglutitur, et subito perit. Quãto enim opulentior est, tanto impatientius & atrotius inuestabitur ab auaris.

5 ¶ In die illa erit dominus exercituũ corona gloriæ, & sertũ pulchritudinis residuo populi sui,

Cum pro peccatis suis regnũ israël destruetur, & ad Assyrios transportabitur in exiliũ, & terra truculenter uastabitur, quæ fuerat opulentissima, idq; propter peccata in dominum deum suum: tunc sextus annus agetur Ezechiæ sancto regi in regno Iuda et Beniamin, sub quo dñs exercituũ illustrabit, et corona decoris glorificabit residuũ populi sui, in regno Iuda, dominũ & prophetas audientem, uicissimq; à suo populo glorificabitur, nouo fœdere inito, et cultu diuino restituto, glorioso miraculo Assyrijs cæsis ab angelo. Hæc quidẽ Hierosolymis tunc fient, cum Samaria ruinis suis squalebit & solitudine.

6 & spiritus iudicij sedẽti super iudiciũ, & fortitudo reuertentibus de bello ad portã.

Regi autem Ezechiæ spiritus aderit domi sapientissime iustissimeq; iudicandi: foris autẽ strenue superandi hostes, et amplificandi iterum pomeria regni sui, ab impio suo patre Achas deperdita & amissa.

7 Verum hi quoq; præ uino nescierũt, & præ ebrietate errauerũt. Sacerdos & propheta nescierũt præ ebrietate, absorpti sunt à uino, errauerunt in ebrietate, nescierunt uidentem, præcipitaueruntiudicium.

Nec tamen regni Iudæ prosperitas et gloria diu durabit, quandoquidẽ Manasses & Amon temporibus. subq; Iosiæ filijs, regnum quoq; Iuda inebriatum est malitia, libidine, idololatria, & contemptu dei. Non solum enim reges, principes et ciues numia petulantia sua pietatem & iusticiam abiecerunt: sed etiam sacerdotes & prophetæ falsi, luxuria & uino maduerunt, peccaueruntq; turpiter, tam uiuendo quàm docendo, corrupti fide & moribus, ad regum & populi placita & libidines instituendo mores et doctrinas. Non enim tanta malitia reges laborassent, si prophetæ et sacerdotes constanter se illorum impietati & corruptelæ opposuissent, sed tales erant quales hic describuntur. Errabant etiam ipsi per ebrietatem, uacantes libidini, & luxui omnis generis, inconsyderati ad ea quæ dominũ & ueram religionem attinebant: prophetarum ueratium uisiones despiciebant, irriserunt prophetias, muerterunt & corruperũt iudicium, praue et iniquiter docendo & iudicando.

Pranitas sacerdotũ & prophetarum.

8 Omnes enim mensæ repletæ sunt uomitu sordium q;, ita ut non esset locus.

Tantum abest ut bene præfuerint sacerdotes & reges, ut præ ebrietate omnes eorũ mensæ repletæ fuerint sordibus & uomitu. Omnia plena spurcitijs erant, & abominandis sceleribus, ipsi quoq; infecti sunt. Quomodo ergo populum regerent, uel docerent fideliter, qui populo sunt exemplum insolentiæ & criminum?

9 Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulsos ab uberibus,

In tam corruptissimo rerum statu, & populo, cum sal infatuatum inuentur, quomodo populus salietur? Quis inter illos inueniri poterit qui uel eruditionem iustam uel scientiã pietatis docere posit? et quis ea audita intelligeret? cum pariter omnes insaniant & stulti sint, non maioris capacitatis & docilitatis, quàm iam nuper ablactati pueri, sine scilicet omni intellectu ac iudicio existẽtes: discrimen nullũ recipiunt, inter iustũ & impiũ, sed ut infantes, longe sunt procliuiores ad ea quæ obsunt, nocent, & periculo proxima, quàm ad bona,

10 quia Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.

11 Profecto in loquela labij, & lingua altera loquetur ad populum istum:

Tales etiã nunc sunt, ut si more paruulorũ illos instituere perrexeris, præceptiunculã unam post aliam proponendo, unam & alterã regulam præscribendo, ut solent pueris magistri incumbere, aut quibusdam modicis & paucis admonitionibus ductitare, et infantiã formare subinde in moribus et disciplinis: sic et dominus huic populo hactenus uisus est instetisse, elementa ipsis prima leuia ac simplicia paucaq; præscribendo, & per seduli-tatem prophetarũ inculcando: sed omnia inaniter fient, tota ludetur opera, nihilq; ,pficietur, sicut nec hactenus profectũ cernitur. Quantumlibet dominus deus illis balbis balbus factus sit, ut posset intelligi, & lingua puerili & idiotismis popularibus omnia illis factus uideatur, ut lucraretur eos, sed nihil profecisse cernitur apud eos: nõ secus ac si infantem & hebetem aliquẽ natura insipientem instituendũ suscepissẽt. Sic domino contigit cũ hoc populo, tandiu sine profectu edoctũ, continuo stultiorẽ.

Doctor spiritualis populi dura.

12 cui dixit, Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigeriũ, et noluerunt audire.

Breuissimis enim et leuibus præceptiunculis usus est dominus ad illum Iudaicum populum, ne fatigarentur discendo, sed expeditius proficerẽt, & moribus pijs informarentur: ut sunt illa, Recreate et refocillate lassum: non occidite: nõ furemini: sabbathũ sanctificate: parentes colite, & simile. Quid enim breuius & leuius præcipi poterat, ad ipsorũ bonũ statum & tranquillitatem, in quibus refrigeriũ sentirent & felicitatẽ? Sed omnia uanè tentata sunt, disciplinam nõ receperunt continuo facti peiores, nolentes etiã audire prophetas, sed persequendo potius abijcere et occidere. Talis status Iudaicæ gentis in posterioribus annis ante Babylonicã captiuitatẽ, ut nec bonis aliquot regibus, nec sanctis prophetis, nec dei beneficijs potuerint in officio pietatis cõtineri-

Præceptio dominica facilia.

13 Et erit eis uerbum domini, Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicũ ibi, modicũ ibi: ut uadant, & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur.

Quanto ergo fidelius, syncerius, & patientius, ac diligentiori opera eos ad meliora trahere & sollicitari conatus sum & ueluti infantulum lacte nutrire, multis medijs ad profectum aliquem promouere frustra conatus sum, dum nihil intentatũ reliqui, nullum nõ lapidem moui: tanto austerius aggrediar contumacem, tanto seuerius adhibebo, non iam ferulam, sed securim. Ibunt enim maxima illorum pars, in exilium et captiuitatem, corruent multi gladio hostium, & conterentur supini iacentes

tacẽtes, surgereq; nolentes. In summa capiẽtur reti meo, & quod in lege malum rebellibus prædixi et intentaui, hoc propediem eis inferre cogor, nisi de ueritate uerborum meorum periclitari uelim.

14 ¶ Propter hoc audite uerbum domini uiri illusores, qui dominamini super populum istum qui est in Ierusalem.

15 Dixistis enim, Percussimus fœdus cũ morte, & cum inferno fecimus pactũ. Flagellũ inundans cum transierit, nõ ueniet super nos: quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.

Contumacia impiorum.

Pro hac tanta & perpetua contumacia uestra, ô uiri illusores uerborũ dei, qui pergitis contemnere quod iustum est, & non uultis uideri sentire quod nostis. O uos principes populi illius, qui impijs regibus autores estis impietatis & populi subiecti deprauatores. Vos cogitastis, dixistis, & operibus cõprobastis: fœdus cum morte iniuimus: iudicium domini non timemus: infernũ nobis sentiemus propitium: nõ nos inuadet: non capiet, à parte nostra stabit: non timemus manum domini: nõ apprehendent nos angustiæ: excusatio in promptu nobis est, & prædictiones prophetarũ non tangent nos: falsa ipsorum commenta non extimescimus: eos audimus qui nobis prophetant felicia, qui placentia promittunt & loquuntur: securi in utranq; aurem dormimus.

16 ¶ Idcirco hæc dicit dominus deus: Ecce ego mittam in fundamẽtis Sion lapidem, lapidem probatũ, angularem, pretiosum in fundamento fundatũ. Qui crediderit, non festinet.

Exigunt quidẽ peccata uestra ô Iudæi, in deũ & legem uestram contumacia & contemptus merentur, ut Hierosolymã & Iudam perdam in uniuersum, ueluti regnum Israëlis cessauit totum. Veruntamen hoc non faciam: habebit enim Zion & Ierusalem æternã gloriam suam, et retinebit, ut promisi solio Dauidis, cum sole & ante lunam splendorẽ dignũ sibi. Mergam enim in fundamenta Zion ecclesiæ fideliũ ingentem lapidem, sine manibus de monte excusum, Christum dominum: qui ut angularis faciei utraq; unum, preciosum ualde, & ecclesiasticæ firmitatis unicum fundamentum, quo subsistere possit contra potestatẽ & impulsum omnium fluctuum & tentationum. In quem lapidem, si quis fortiter fidat, non labetur, nec obruetur infortuniorum incommodis ad iacturam, sed inuictus per omnia stabit, si tamen longanimiter persistat & nihil ambigat.

Solium Dauid perpetuum.

17 Et ponam iudiciũ in regulam, & iustitiam in librã. Et expurgabit grando spem mendacij, & latibulum aquæ inundabũt.

In ea ecclesia firmiter ædificata super Christum, iustitiæ rectissima regula conseruabitur, & rectum iudicium ad amussim exigetur: quæ nihil aliud sunt, quàm uerbũ domini Euangelicaq; bilanx, expiabiturq; in ea grandine uindictæ diuinæ & scopa disciplinæ salutaris omne mendaciũ, in quod impij falsiq; prophetæ uel apostoli cõfidebant. Error enim omnis, claritate uerbi dei, si applicetur euanescet, et abluetur, et aquæ furtiuæ hærsum, et munimentũ humana sapiẽtia extructũ concidet.

18 Et delebitur fœdus uestrũ cum morte, & pactum uestrum cum inferno non stabit. Flagellum inundans quum transierit, eritis ei in conculcationem.

Pactum fœderatitarum cum morte.

Perseuerabit quidem Christi regnũ in monte Zion, & concidere ecclesiastica ueritas & iustitia nõ potest, quibus uelut cingulo Messias accingitur, quantumlibet uos impijssimi esse pergatis ô Iudæi. Vos autem in totum peribitis & pactum uestrum quod cum morte contraxistis, abolebitur, ne uobis dominaretur, ne iudicio dei obrueremini, ne in manus hostiũ traderemini, ne captiui de terra duceremini, quemadmodum iactabatis, non stabit, sed expirabit, eatenusq; cessabit, ut extremas calamitates sitis experturi: sed inundans uastatio pertransibit uos, urbe, regno, & populo in uniuersum perituris: primum quidem per Nabuchodnezer, deinde propter maius uestrum flagitium terribilius dispergendi per Romanos. Calcabunt enim uos inimici uestri, & ueluti rapidissimum flumen obruent uos undiq;, ne quis euadat.

19 Quandocunq; pertransierit, tollet uos: quoniã mane diluculo pertransiuit in die & in nocte, tantummodo uexatio intellectum dabit auditui.

Præ exundantia tantorũ malorum super uos, ô impij Iudæi, rapiemini subito & insperato, tempore quo minime putabitis, quod anteuertere nõ poteritis, in extremas angustias. Continuo enim hostes ingruent, et indies fortius instabunt undiq; uallo & tormentis, & tantorum malorum uel sola fama & rumor totum animum perturbabunt, locoq; mouebunt terrore non ferendo.

20 Coangustatum est enim stratum, ita ut sese extendere non possit, & pallium angustum ad sese insinuandum.

In magna terræ uestræ latitudine uel unum angulum nõ inuenietis latitandi: effugij copia nulla permittetur, nec latibulum aliquod succurret. Multo plures erũt fugitiui, quàm ut sese possint eripere de pernicie subsequente eos, & specus sufficere.

21 Sicut enim in monte diuisionum, stabit dominus: sicut in ualle quę est in Gabaon irascetur: ut faciat opus suum, alienũ opus suum, ut operetur opus suum, peregrinũ opus suum.

Dominus contra Iudæos pugnat.

Sicut enim pro dilectis filijs suis, quales eratis sub Iosue & Dauid, dominus de cœlo pugnauit, contra hostes uestros, et pro populo suo, in ualle scilicet Gabaon, & in monte Perazim: sic nunc, contra hostes suos, contra rebelles, uerbi sui contemptores, contra prophetarum occisores, & blasphematores sancti nominis sui accingetur, pugnabit, & triumphabit, non minori gloria iustitiæ suæ, quàm olim contra Philistæos, Madianitas, Amorrhæos, & Aegyptios. Sic enim consuluit dominus, sic per prophetas prædixit, sic in lege sua, quam spernitis, comminatus est. Rarum quidem consiliũ hoc

Punit dominus quasi inuitus.

est, & quod ueluti inuitus aggrediatur, contra electum sibi populum belligerandi, pro quibus olim omnipotentiæ suæ signa toties exeruit & ostentauit. Sed sic exigunt uestra peccata: ingratitudo intolerabilis uestra me cogit, ut alienũ à bonitate mea opus perdendi Israëlem uidear instituisse. Videbor forsan seuerior in filios, sed uos me coëgistis, degeneres & illegitimi nothi, qui quicquid iussero, ex animo abominamini.

22 Et nũc nolite illudere, ne fortè constringantur uincula uestra. Consummationẽ enim & abbreuiationem audiui à domino deo exercituum super uniuersam terram.

Prophetæ uerba sunt ad suum populũ, ut resipiscant, & sibi prospiciãt, ne tanta aduersa incidant, ne blasphemare & irritare dominum pergentes, damnationis suæ iudicium grauius reddant, & adijciant ad uincula tam horrenda. Fatetur enim certo se audisse consilium domini de tota Israëlitarum terra disperdenda, quod ipsos latere nolit, si quo modo pœnitentiam agendo mitiorem reddant sententiam, & gratiam aliquam assequantur, quo iudiciũ tam graue reddatur tolerabilius. Sic omnia prophetis sunt amanter condienda, ut in medio improperiorum suorum ad ecclesiam, charitatis lenimenta & fidem non obmittant, sed patres se gerant, & fidissimos præceptores in filios ac discipulos, non tyrannos & exacerbatores uulnerum, peccatis obnoxiorum.

Stylus prædicantium.

23 Auribus percipite, et audite uocẽ meam, attendite & audite eloquium meum.

24 Nunquid tota die arabit arans ut serat, proscindet & sarriet humum suam?

25 Nónne cum adæquauerit faciem eius, seret gith, & cyminum sparget, & ponet triticum per ordinem, & hordeum, & milium, & uitiam in finibus suis?

Dispensatio dei circa electos.

Comparat deus iudicia sua circa electos suos, studijs atq; laboribus aranti ũ, serenti ũ et triturantiũ. Diuersa enĩ ratione ac ordine semina sparguntur in terrã, quam tamen rationẽ dominus suggerit agricolis. Cum autem quod natum est excutitur, iterum alia ratione cyminũ, alia triticũ è gluma elicitur, illud leni baculo, istud ferro munitis plaustris, ut est earum gentiũ mos, aut etiã tribulis dentatis. Postremo cũ panis coquendus est, tam et tribuli & plaustra cessant, nõ enim potest eis triticũ in farinã comminui. Sic prouidentia dei nõ omni tempore arat, exercendo afflictionibus, nõ semper seminat instituta sacratiora cordibus imbuendo, nec omni tẽpore glebas impedimentorũ, et otiosas cogitationes conterendo: sed post humiliationem & contritionẽ cordis à domino datam: uaria sanctorum studiorum semina inijcit, pro cuiusq; capacitate & natura. Singula enim suo loco semunat, nõ omnibus dat omnia posse, qui dator est omniũ donorum, à quo desuper suis decidunt omnia bona.

26 Et erudiet illum in iudicio, deus suus docebit illum.

Cœlestis agricola nouit quos plaustris infirmitatum & persecutionum, quos uero ferulis & baculis probet paupertatis & afflictionum.

27 Nõ enim in serris triturabitur gith, nec rota plaustri super cyminum circumibit: sed in uirga excutietur gith, & cyminum in baculo.

28 Panis autẽ comminuetur: uerum non in perpetuum triturans triturabit illum, neq; uexabit eum rota plaustri, neq; ungulis suis comminuet eum.

Triticum commolitur ut fiat panis: sic iusti tunsionibus & pressuris expoliuntur, ut fiant lapides idonei statuendi in cœleste ædificium. Et frumentum dei congregatur in horreum, & persecutionum molis commolitur, ut panis mundus efficiatur, Christo, quo uescatur in delitijs. Id autem fit non studio operum humanorum difficilium, sed gratia & acceptatione diuina.

29 Et hoc à domino deo exercituum exiuit, ut mirabile faceret consiliũ, & magnificaret iustitiam.

Mysteria prouidentiæ dei nõ omnes capiunt, sed qui prophetico spiritu imbuuntur, qui uerbum domini attente legunt uel audiunt, & opera dei cum sanctis suis exactius discutiũt, cum fide et humilitate, hi enim ubiq; inueniunt iustitiam dñi & admirabile consilium suum.

¶ CAPVT XXIX.

1 VAe Ariel: Ariel ciuitas (quam) expugnauit Dauid. Addite annũ ad annũ, solennitates euolutæ erunt.

Duplex de tempore interpretatio.

Potest quidẽ uideri hoc caput ab initio exponendum de tempore Assyrij Sennherib, qui non quidẽ cepit, sed in desperationem salutis perduxit, toto regno Iudæ destructo, usq; ad solam Ierusalem, quæ extabat propter templũ & sacrificia mane & sero oblata, propter quæ et Ariel, leo dei dicitur. Quam post breue tempus prædicit hic affligendã ante & post reditum tyranni illius ab Aegyptijs, quando summe angustiata est Ierusalem cum rege. Qui tamen Assyrius cum exercitu cæsus est subito, & nullo negotio. Verum & de Romana captiuitate exponi potest secundum Hieronymum, & alios, quando cessauerũt solennitates Iudaicæ, primo per Babylonios, deinde per Romanos, qui obsidione eam ceperunt, & maximè humiliauerunt: sicut & quæ sequuntur quadrant ad statum nouissimum Iudæorum.

2 Et affligã Ariel, & erit tristis & mœrens, & erit mihi quasi Ariel.

Dominus est qui angustias infert populis et urbibus, impijs ad exitium, pijs ad exercitium & profectum. Et erit mœstissima & lugens, ueluti si illi leænæ catuli rapiantur, fremens scilicet, irata, tanto crudelior, quanto minus se uindicare potest, & impotentior. Impij enim irascuntur dum à domino puniuntur: pij uero humiliantur, & dominum orant.

3 Et circundabo quasi speram in circuitu tuo, & iaciam contra te aggerẽ, & munimenta excitabo in obsidionem tuam.

Castris hostilibus fallabo te in gyrum, ut & Christus dixit: Angustiabo te undiq; & munitionibus oppri-

mam

mam, excitabo aggeres, obsidiones, et bellica tormenta. Vt uideamus hostiũ furorem succendi à domino, etiam si impie uelint, bonum tamen uolunt, quod scilicet domino placet, & quod ipse prosequitur.

4 Humiliaberis, de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum. Et erit quasi pythonis de terra uox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit.

Ad ultimam desperationem peruenies, agnosces impotentiam te defensandi, & criminum tuorũ conscientia te deijciet, quæ tantopere dominum exasperasti, & sanctorum monita irrisisti. Tempus uisitationis non cognouisti, Christum dominũ ob ueritatis prædicationem & apostolos occidisti. De terra ergo loqueris, mussitabis, & tecum anxia fateri cogeris tuam culpam, & à nemine audiri uoles, ne duplo graueris. Eloquium tuum mussitando ædes, & ad dominum orationem cum fiducia neq; poteris neq; uoles leuare, nec audebis. Non enim orationes sinit dominus profundi quum non uult exaudire. Et quæ Pythones præ me et contra me colueras, iam ad superstitiosos tuos inuestigatura uanè accedes, qui tibi omnia aduersa respondebunt. Vel, præ angore spiritus ueluti anxiæ auiculæ garries, dum pullos rapi cõspexerint, quos asseruare redimereq; nõ ualent.

5 Et erit sicut puluis tenuis multitudo uentilantium te: & sicut fauilla pertranfiens multitudo eorum qui contra te prævaluerunt: eritq; repente confestim.

6 A domino exercituũ uisitabitur in tonitruo, & cõmotione, & uoce magna turbinis & tẽpestatis, & flãma ignis deuorãtis.

Hostium tuorum multitudo ueluti puluis erit, sed non uelut puluis flatu oris uel uenti deijcietur. Et sicut uestuca uel stipula transit, sine labore, hostes ferociſsimi, qui ad momentum & subito aderunt, uel etiam à domino quidem possent subito trucidari, ut contigit Sennherib: sed non sic tunc fiet, sed modo quem dicam, A domino exercituum uisitaberis & punieris, ueluti dum tonitrua cuncta cõtremiscunt, quem nemo queat declinare, & terræmotus horribili sono quatit omnia: absq; præsidio fugæ, procella & tempestas te opprimet, & flamma ignis deuoraberis.

7 Et erit sicut somnium uisionis nocturnæ multitudo omnium gentium quæ dimicauerũt contra Ariel, & omnes qui militauerunt, & obsederunt eam, & prævaluerunt aduersus eam.

8 Et sicut somniat esuriens & ecce comedit, cum aũt fuerit expergefactus, uacua est anima eius, & sicut somniat sitiens & ecce bibit, & postquã fuerit expergefactus lassus adhuc sitit, & anima eius uacua est: sic erit multitudo omnium gentium quæ dimicauerunt contra montem Sion.

Generalis prophetia uidetur, cõtra omnes hostes piorum: quod scilicet nihil sint uel possint sine domini arbitrio, quorũ omnis facultas & robur uisio sit somnij uani, de cibo & potu esurienti & sitienti aparente, cum phantasma tantum sit, & stomacho nihil prosit. Non enim in multitudine militum, armorum, & roboris, sed ex uoluntate dei pendet uictoria. Dum propitiabatur Israëlitis deus, Sennherib occubuit: ubi dñs irascitur, uincit hostis, etiam imbecillis. Quando aũt hostes uicerint Hierosolymam, norunt Iudæi, & hodie sentiunt, ut non nisi irato eo id fieri potuisse fateantur, etiam nolentes.

9 ¶ Obstupescite, & admiramini, circumspicite, & aspicite: inebriamini, & non uino: mouemini, & non ebrietate:

Prophetia contra excæcationẽ Iudaicam. Post Hierosolymam subuersam talis uobis conditio erit, ô Iudæi. Obstupescite, id est terrebimini & admirabimini. Diligentißime omnia circumspicietis attoniti, nusquam locum tutum inuenietis. Ebrij eritis, ut quid agendum sit ignoretis, omni consilio destituti, non à uino quod biberitis, cum extrema siti laboraturi sitis, & uinum hilaritatis non gustaturi. Vacillabitis gressu, et uagi eritis ex confusione, formidine, & omnium hominum odio & persecutione, non ab ebrietate uel sicera, qua carebitis. Contra Iudaicam excæcationẽ.

10 quoniam miscuit uobis dominus spiritum soporis. Clausit oculos uestros: prophetas & principes uestros qui uident uisiones operuit.

Obruet uos Iudæos obstinatos et abiectos spiritu alti soporis, quo omnes uestri sensus opprimentur, ne cogitetis de causa, propter quam tanta ira in uos dominus desæuijt, cum idololatræ non fueritis ante hanc uestram Romanam captiuitatem. Oculos uestros comprimet & concludet, ne ueritatem promißionum dei uideatis, ne, quæ ad gloriam dei & patrum uestrorum pertinent, liquido iudicetis. Prophetas uestros nõ intelligetis, nec audire dignabimini, sed potius occidetis uestro more. Principes uestros cæcitate inuoluet quo minus agnoscant iustum & uerum, sed crucifigant saluatorem: uestrosq; primores, à quibus cæteri doceri regi & consolari debebant, pariter uobiscum ignorantia desperationeq; percutiet. Id Iudæis accidisse nemo ignorat.

11 Et erit uobis uisio omnium sicut uerba libri signati: quem quum dederint scienti literas, dicendo: Lege istum: & respondebit, Non possum, signatus est enim.

Ignorantia ueri sensus scripturæ percußi sunt Iudæi, ut prophetarum uisiones non intelligant, legem & prophetas in multis locis se non intelligere fateri coguntur, dum uaria et contraria docent illorum rabini, dum tam clarißime perfecta & completa mysteria, carnali sensu suo, & desiderio carnalium capti nõ capiunt, ut librum sibi signatũ esse fateri cogantur, tam docti Iudæi quàm indocti. Siue enim sacrum codicem proponas docto Iudæo, ut exponat aliquem prophetarum, alicubi de gratia dei prophetantem, respondebit se nescire, doctiorem se inquirendum esse: nõ se uidere quomodo Iudæis deus promissa reddiderit, quomodo Meßias aliquis uenturus sit, obstantibus eorum peccatis, quasi maior sit humana malitia quàm ueritas diuina. Ignorantia Iudæorum.

12 Et dabitur liber nescienti literas, dicetúrq; Lege quæso hunc: & respondebit, Nescio literas.

Iudæi ignorãt Hebrçã.

Multo minus indoctior respondere poterit de intellectu legis & prophetarum. Videtur enim mihi Iudæos olim circa tempora apostolorum incidisse in ignorantiam Hebraici sermonis: quando quidam Græce uel Syriace & scripserunt, et locuti sunt, ut patet de Iosepho, Philone, apostolis. Crescente autem Christiana religione per orbem, productisq; contra se testimonijs ex interpretationibus Septuaginta et aliorum interpretum, coacti fuerunt redire ad Hebræa, quæ & postliminio dicerunt ex Græcis, sicut & nos nunc nuper didicimus ex Latinis & Græcis: de qua re multa dicenda erant.

13 ¶ Et dixit dominus: Eò ꝙd appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor aũt eius longe est à me, & timuerunt me mandato hominum edocto:

Superstitio Iudaica.

Prosequitur alio capitulo idem de Iudæorum excæcatione, & superstitione in doctrinis & moribus. Prædicit enim Esaias futurum Iudæis, ut cultum dei uerborum & orationũ multitudine, & prolixitate metiri uelint, quod ex eorum infinitis orationibus cernitur, quas in synagogis suis domino exhibẽt. Et scriptura legis diligentißima, in philacterijs uestium & membranis, cum maxima reuerentia adorantes uolumina, quod & Christiani ab illis didicerũt: interim tamen iuxta Christi domini increpationem, fidem & iustitiam detestantur & negligunt, quibus deus uult coli. Corde uult timeri & amari dominus, filiali fiducia & reuerentia spiritus, ut de illo in bonitate sentiatur, ut iudicium & iustitia seruiatur, ut mutuum se sui filij diligant & benefaciant. Iudæorum aũt timor, quo dominum colunt, carnalis est, & mandata domini negligendo, proprias sibi traditiones conscripserunt, & doctrinas superstitiosißimas, humana ratione, imò contra humanam conuersationẽ docendo multa ridicula, stulta, & Rabinorum suorum impietatem resipientia: ut liquet tam ex Euangelio quàm suis Talmudicis traditionibus, quas & insignes eorum Rabini producere in suis commentarijs non uerentur.

14 ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo, peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur.

Peccatum puniri peccato.

Peccatũ peccato puniri etiã hoc loco discimus, ignorantiam cæcitate. Maxima aũt uindicta plectã eam gentem, de qua uehementer admiraturæ sint omnes gentes, & ipsi quoq; Iudæi nõ modicũ cunctaturi. Quid enim mirabilius electũ populũ quondã, & præ cunctis gentibus lege diuina donatum, honoratũ, et edoctũ, totq; miraculis glorificatũ deq; sanctißimis patribus prognatũ, sic contemptibiliter abiectũ, pro suis criminibus et perfidijs, ingratitudine ac seuitijs in prophetas omnes, & prophetarũ principem Christum, ut omnium calamitatum exemplar exhibeant omnibus populis, uagi, spreti, exosi, oppreßi, inuidi, maligni, socordes, & tanta ignorantia laborãtes, ut suas ipsorũ quoq; proprias res ignorent, & summã diuinæ sapientiæ prorsus non capiant: prouidentiã dei, Meßiæ mysteriũ, regnum fideliũ, expectationem patriarcharũ, scopum omnium prophetarũ, & finem legis, uerum dei cultũ, & religionis ueræ institutã? Quæ omnia ignorant, atq; detestantur, somnia sua interim & fabulas inculcantes simplicioribus. Verum non sine Christianorum culpa, qui suis superstitionibus & abusibus in doctrinis et moribus maximo scandalo fuerunt miserrimo huic populo, de quo aliâs. Sed & Iudæorum doctiores ignorantiã multarũ rerum illis auferendam sperant et promittunt Meßiæ temporibus, quem ut semper futurum expectãt, sic semper præsenti cæcitate sunt miseri & indocti. Contingit autem simile his quoq; Christianis, qui neglecta lege & uerbo dei, humanas traditiones & opiniones proponũt fidelibus.

Iudæorum infelicitas.

15 ¶ Væ qui profundi estis corde à domino ut abscondatis cõsilium quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, Quis uidet nos, & quis nouit nos?

Hypocrisis Iudæorum.

Prophetia cõtra Iudæos et eorũ hypocrisim, qui indigne se talia passuros querebantur, qui dei cultores, et sanctorũ patrũ filij essent: & contra omnes qui prouidentiã dei in hoc mundo reprehendũt, quasi nõ æquam. Væ inquit illis, qui sic subterfugere dei prouidentiam uniuersalem conantur, ut apud se cogitare, præsumere, iudicareq; quippiã præsumant, quod uel à domino ignoretur, uel dißimuletur: quiq; contra consiliũ domini & uerba prophetarũ aliquid se posse credunt, qui sic cogitatus & opera sua secreta teneant, & contegere conantur, ut etiã deo ignota uelint, uel credãt falso, quasi cordis hypocrisim non aspiciat, & decipi poßit ab hominibus cautis & malignis. Væ ergo omnibus diuinam prouidentiã non credentibus circa omnia, hi enim procliuiores sunt ad hypocrisim, nõ nisi manifesta, et hominibus nota ferentes, intus & in cute perfidi ac impuri.

16 Peruersa est (hæc) uestra cogitatio: quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, Non fecit me: et figmentum dicat fictori suo, Non intelligit.

Reuera peruersa est hæc uestra cogitatio, non aliter quàm si se erigat lutũ contra figulũ, exigens ab eo, quo se modo confingat, & cui usui præparet, corrigatq; figuli operationẽ: Sic impij calumniantur dei operationes, iudicia, & prophetarum oracula, à deo reuelata, & Iudæi minime futurum arbitrabantur se deseri à domino, urbem terrasq; eorum excindi, qui populus dei essent, quibus dominus iurasset, Dauidis quoq; regnum perpetuum ac infinibile aliter interpretabantur quàm res erat. Siquidẽ omnium gentium dominum sibi pollicebantur, tam aberat, ut se duci in captiuitatẽ crederẽt.

17 Nónne adhuc in modico, & in breui, & conuertetur Libanus in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur?

Temporis breuitas.

Modicũ domino est omne tempus, et tamen nõ tanta æstimanda est intercapedo temporis inter Esaiã et Christum. Cum etiã modicum tempus Haggæus dixerit usq;

ad

ad Christum. Tunc autem gentilitas infrugifera et syl-
uosa, quæ per Libanũ intelligitur, conuertetur in eccle-
siasticam religionem, & ueri dei cultũ uerum, qui Car-
melus dicitur frugifer & cultissimus ager. Contra uero
Iudaica præsumptio et duriceruicositas uertetur in per-
fidiam & summam impietatem. Gentes fide cultissimi
erunt. Iudæi nunc florentissimi tunc abijcientur.

18 Et audiẽt in die illa surdi uerba libri, et de
tenebris & caligine oculi cæcorũ uidebũt.

Qui ad uerbum domini surdi fuerant, prophetarum
oracula nunquam audierant gentium populi: hi domini
dei gratiam agnoscent, deuotissime illi credent, sacrarũ
literarũ autoritatem suscipient, uerbum domini discent
ac prædicabunt, in unius dei cultu semper persistent, &
cæcorum oculi inspiratione spiritus sancti illustrabun-
tur, cum prædicatione Euangelij gentilitas conuertetur
ad deum Israël.

19 Et addent mites in dño lætitiam, & pau
peres homines in sancto Israël exultabũt.

Veniet tempus, cum humiles spiritu & peccatorum
suorum causa contriti & afflicti, de seipsis nihil præsu-
mentes, sed de sola dei gratia confidentes, nulla bonorũ
operum merita allegare potentes: hi gaudebũt in domi-
no per Christi Euangeliũ, & in domino deo Israël agni-
to, & illis propitio exultabunt, tantáq; uigebit iustitia
per uerbum domini susceptũ & seruatum, ut tyrannis
omnis finiatur, & qui piè & humiliter uixerint, præ
pacis multitudine colletentur. Hæc omnia tamen tenui
similitudine sub Ezechiæ regno ueluti in typo contige-
runt ad eam felicitatem quæ paranda erat per Christũ.

Gaudium piorum.

20 quoniam defecit qui prævalebat, con-
summatus est illusor, & succisi sunt omnes
qui uigilabant super iniquitatem,

Tyrannis enim contra fideles, et qui ueritatis præ-
dicationem & Christi Euangelium persequuti fuerant,
cessabunt: & illusor pietatis, qualis erat Sennherib, re-
rumq; diuinarum peribit, excidenturq; omnes menda
ciorum patroni. Id autem factum in ecclesia primitiua,
& quoties prædicatum est Euangelium, testantur histo
riæ: cum idololatria deiecta est, & præuaricatores le-
gum ab ecclesijs puniuntur, etiamsi nonnunquã excin-
di possint. Bene autẽ cum fidelibus agitur, si ab impijs,
quo minus quicquid mali uelint peragant, defensantur.

21 qui peccare faciebant homines in uer-
bo, & arguentem in porta supplantabant,
& declinauerunt frustra à iusto.

Deprauatores autem hominum, qui suadelis malis et
falsa prophetia & hæresibus seducunt gentes, & qui
peruertunt iudicia, noluntq; corrigi à magistratu, pro
nihiloq; ducunt iustum persequi & opprimere: illi sine
dubio pariter excidentur & peribunt, sub iustitiæ illo
regno, quod in Christo renouabitur, si non ut prorsus
cessent impij, saltem ut non obsint electis.

22 ¶ Propter hoc, hæc dicit dominus ad
domũ Iacob, qui redemit Abraham, Non
modo confundetur Iacob nec modo uul-
tus eius erubescet:

23 sed quum uiderit filios suos, opera ma-
nuum mearũ in medio sui sanctificantes
nomen meum, & sanctificabunt sanctum
Iacob, & deum Israël metuent,

Prophetia clarissima de uocatione gentium, & de gloria uera sanctorum patriarcharum. Quanquã enim Iudæa & templum cum arca cessatura sint, & Iudæi impij in exilium relegandi: non propterea tamen Iacob confundetur, imò tunc magis glorificabitur, & illius apud deum merita clarius elucescent toto orbe. Videbit enim tunc filios suos arenam maris in multitudine superaturos, quos illi nouo partu, & per regenerationẽ baptismatis nouas dei creaturas sanctificandos, et filios fidei legitimos. Accensebit uero Israëlitico populo, tamq; patriarcharum charissimos filios, pro eo quod sanctificabunt nomen meum, & deum Iacob unum & solum deum uenerabuntur, & colent, illiusq; tam clementiam & beneficia agnoscent, quàm iudicia iustitiæ suæ expauescent, & studiose declinare conabuntur, per fidem in Christum.

Israelis uera gloria.

24 & scient errantes spiritu intellectum, &
barbari discent legem.

Gentes quæ per innumerabiles idololatriæ errores peccabant dudum spiritu sancto illustrandi, discent intelligentiam, à deo docti erunt, & discrimen scient inter ueram pietatem ac falsam. Et qui increduli semper fuerant religionis et cœlestis disciplinæ ignari, hi legem dei discent, archanas literas & sacras amplectentur, intelligent, credent, docebunt, & in omnes gentes propagabunt.

Gentes legem dei discent.

¶ CAPVT XXX.

1 VAe filij desertores, dicit domi-
nus, ut faceretis consiliũ, & non ex me: & ordiremini telam, &
non per spiritum meum, ut ad-
deretis peccatum super peccatum,

Contra desperantes de auxilio diuino, confugientes ad humanũ, contra uerbum prophetarũ. Vult dominus fideles suos, quos et filios habet, totos ex se pendere, sibi fidere, ad se recurrere. Apostatas desertores & degeneres uocat, qui confidunt in homines, qui societatem ineunt cum infidelibus, qui uerbis prophetarũ obsequi nolunt. Domini consilio fieri dicitur, quod ad prophetarum exhortationem fit: à quibus domini cõsilium requirendum, quos qui spernit dominum spernit. Peccatũ peccato accumulat, qui uerbum domini non audit, prophetas spernit, & auxilium impiorum implorat. Conflare conflaturam, fundere fusuram, est consultare consilium, ordiri telam, incipere opus domino nõ consulto.

Non confidendũ in homines.

2 qui ambulatis ut descendatis in Aegy-
ptum, & os meum non interrogarunt (spe
rantes) auxilium in fortitudine Pharaonis,
& habentes fiduciam in umbra Aegypti.

Oseas filius Ela, misit nuntios ad Sua regẽ Aegypti. Simile quoq; fecisse conijcitur Achas, & filius Iosiæ: nec hoc rarũ erat regibus Iuda infidelioribus, quod uerbo domini per prophetas reprehendebatur & uetebã-

tur. Nõ ergo expectato responso domini, ad Pharaonẽ legatos cum muneribus mittebãt pro auxilio cõtra Assyrios, quod est sub umbrã fidere Aegyptiorum, cum sub umbra alarum domini potius sperandum sit fidelibus.

3 Et erit uobis fortitudo Pharonis in confusionem, & fiducia umbræ Aegypti in ignominiam.

Digne confunduntur qui omnipotentiæ & bonitati diuinæ non fidunt, à qua omne robur & auxilium proficiscitur, sine qua nihil est omnis creatura: nec aliquid deo magis displicet, quàm si honor sibi debitus alteri deferatur, si in creatura quæratur quod suum est. Tantum autem abfuit, ut Aegyptij Iudæis succurrere potuerint, id quod sæpe mendaciter pollicebantur, ut etiã sibi ipsis nõ sufficerint cõtra Assyrios, sed turpiter oppressi fuerint, tam à Sennherib, quàm Nabuchodnezer.

4 Erant enĩ in Tani principes sui, & nuntij sui usq; ad Hanes peruenerunt.

5 Omnes confusi sunt super populo qui eis prodesse non poterat: non (*fuerunt*) in auxilium, & in aliquam utilitatem, sed in confusionem & in opprobrium.

Ridentur à uerbo domini legati perfidorũ ad perfidos, humana prudẽtia profundẽtes diuitias regni, qui si prophetis acquieuissent, labores uitassent, periculaq; itineris & impensas seruassent suis, saluiq; mansissent, & ignominiã declinassent, hostisq; suos partius irritassent.

6 ¶ Sarcina iumentorũ austri. In terra tribulationis & angustiæ, leæna & leo ex eis, uipera & regulus uolans, portantes super humeros pullorum diuitias suas, & super gibbum camelorum thesauros suos ad populum qui eis prodesse non poterit.

Ad idem pertinet argumentum, nisi quod sermonem dirigit ad stultos legatos, magno labore cum uiarum discrimine et animalium, exhaurientiũ prouintiam uane. Idq; facit eleganti exaggeratione laborum & stultitiæ & periculi tanti itineris.

7 Aegyptus enim frustra, & uanè auxiliabitur: ideo clamaui super hoc, Superbia sunt, cessandum.

Non uult dominus fideles suos alieno niti auxilio. Vanus est & fallax omnis homo ad saluandũ. Aegyptij plura pollicebantur quàm præstare possent. Fortes quidem & bellicosi erant, sed hæc nihil ad consiliũ domini remorandum. Fauor domini est robur fidelium, & obedientia mandatorũ conciliat pijs gratiam domini. Vtilior fidelibus est uerbi dei audientia, & prophetarum consilium, quàm uires & munera, humanumq; iudiciũ, quæ omnia fallunt infideles. Clamandum est igitur prophetis assiduè & prædicanda fiducia in deum, etiam contradicentibus et refragantibus principibus, protrahenda est illorũ temeritas, et opportune importune illorum pertinacia coarguenda.

Robur fidelium.

8 Nunc ergo ingressus scribe hoc super tabulam cum eis in libro diligenter exara illud, & erit in die nouissimo in testimonium usq; inæternum.

Apparet prophetiam esse ad tempus longum, in quo propter huiusmodi Iudæorum diffidentiam puniendi essent, quod & Hieremiæ temporibus completum est. Cum interim perpetuæ ueritatis regula sit, neminem impune unquam abiecisse uerbum domini, traditionibusq; humanis ac auxilijs adiutum uel liberatum à periculis uel hostibus.

9 Populus enim ad iracundiam prouocans est, filij mendaces, filij nolentes audire legem dei.

Improperat propheta crimen illud Iudæis, in quo & perituri essent, quo & dominum maximè offendebant, quod & fidei maximè aduersatur, quã unice præcipit. Semper enim populus contumax fuit, uerbisq; prophetarum rebellis, nolens agnoscere patrem suum fidelissimum, cuius legem impatienter ferebat semper, & nuntios prophetas persequebatur audireq; nolebat, à temporibus etiam Mosis & Samuelis usq; ad Hieremiam.

10 Qui dicunt uidentibus: Nolite uidere, & aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, uidete errores:

Signum certum est imminentis calamitatis & corruptionis extremæ, si uerbum domini & illius prædicatores populus uel maiores audire recusent. Si ueritas libere dici nõ possit, si uitia nemo corrigere audeat prophetarum, Iudæorum saltem exemplum merito omnes monere deberet, et deterrere à contemptu prædicationis ueræ. Dicebant enim prophetis: Nolumus ut nobis quicquam uideatis: prophetias uestras uobisipsis seruetis, audire uos nolumus: correctiones uestras abominamur: nõ quæ uultis, sed quæ nobis placent prædicabitis, quæ & saluis nostris moribus audiri possint: palpari uolumus, non uapulare: errare potius uolumus, quàm carere libidine & placidis: decipere potestis, arguere non debetis.

Signum imminentis ruinæ.

11 auferte à me uiam, declinate à me semitã, cessare facite à facie nostra sanctum Israël.

Verba populi ad prophetas, Hunc uestrum modum nos corrigendi & alloquendi omnino nolumus, non sustinebimus huiuscemodi uestras correptiones, omittite, hunc modum docendi & arguendi odimus, nihil curamus de sancto Israël cuius uos nobis uoluntatem inculcatis, nescimus eum, & uerba illius nõ audiemus, moribus utemur nostris, patrũ uestigijs inhærebimus, libere agemus quæ libent. Non sunt raræ huiusmodi blasphemiæ impiorũ, audiuntur nimiũ sæpe proch dolor etiam nostris temporibus.

Blasphemiæ impiorum.

12 ¶ Propterea hæc dicit sanctus Israël: Pro eo quod reprobastis uerbum hoc, & speraſtis in calumnia & illusionem, & innixi estis super eo:

13 propterea erit uobis iniquitas hæc sicut interruptio cadens, & tumor in muro excelso: quoniam subito dum non speratur, ueniet contritio eius.

Qui

Pœna impiorum.

Quia abominabimini eos qui uos ad bonũ hortantur, qui uerbũ domini prædicant, & crimimibus uestris resistunt, & in hunc modum dominũ & suos seruulos blasphematis, & speratis in diuitias, quas ex rapina corrasistis, & illuditis eis qui consulere uobis pergũt, & in studia uestra ppenditis inuito domino, ex mera malitia, gratiamq; dei ridetis: ideo necessaria ruina & irreparabili casu cõcidetis, nõ aliter obruemini quàm oppressi casu turris in Siloe propter peccata uestra. Tanta est enim ea uestra iniquitas, qua agnitã ueritatẽ abijcitis, & spiritus sancti adflatũ recusatis, & data opera maließe eligitis, ut uehementem, subitaneũ, perniciosum & mortalem hunc casum subterfugere nõ positis, nemoq; uestri miserebitur, nec succurrere ualebit.

14 & comminuetur ficut conteritur lagena figuli contritione perualida: & non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incẽdio, aut hauriatur parum aquæ de fouea.

Tam irreparabile exitiũ manet hos impios & uastatio tam horrẽda, ut prorsus nihil remansurũ sit de tota illa fece, & uilißimis figulinis uasis illis, quo uel testa ex eis inueniatur, tantæ magnitudinis, qua transferatur ignis de foco, uel aqua modica hauriatur de puteo. Tota enim simul conteretur impia natio ista, ut orbis discat, quantũ domino dißpliceat prophetiæ odiũ, & prophetarum irrisio uel cõtemptus. Quũ enim salus non sit nisi per uerbũ domini, & per iustos sapiẽtesq; disciplinæ sacræ magistros, quomodo non certißimũ iudiciũ intueritus erit, ubi hæc ferri non poterunt?

Odiũ cõtra prophetas.

15 quia hæc dicit dominus deus sanctus Israël: Si reuertamini & quiescatis, salui eritis. In silẽtio, & in spe erit fortitudo uestra. Et noluistis.

Si firma fide innitemini deo uestro, in illius bonitatem & promissa sperando, non necesse erit tantis laboribus & sumptibus fatigari usq; in Aegyptum, sed sedere poteritis & quiescere domi, & sine uestra solicitudine periculisq; saluabit uos dominus, ut patres nostros. Fortitudo uestra maior nõ erit, quàm fiducia uestra in dominum. Quam si habere poteritis, auxilio exterorum non indigebitis: si illa caueritis, frustra tẽtabitis omnia. Sed noluistis illam & spreuistis tam dominũ quàm promissiones eius, ideo nihil prosperum sentietis.

Fortitudo piorum dominus.

16 & dixistis: Nequaquam, sed ad equos fugiemus, ideo fugietis. Et super ueloces ascendemus, ideo uelociores erunt, qui persequentur uos.

Quod si per contumaciam perrexeritis nihilifacere gratiam dei & auxiliũ suum, dicatisq; nolle uos acquiescere uerbo domini, sed equis uestris cõfidere, quibus in extremis etiam periculis aufugere positis: scitote quod reuera fugere cogemini, & fugietis, sed celeriores erũt hostes uestri, celerioribus enim & ipsi equis subsequentur, ut fugere quidem positis, sed non effugere. Nullum enim cõsilium robur & subsidiũ contra dominũ ualet, cuius solo nutu geruntur omnia.

17 Mille homines à facie terroris unius, & à facie terroris quinq; fugietis, donec relin quamini quasi malus in uertice montis, & quasi signum super collem.

Tanto terrore percutiet uos dominus, & impia conscientia uestra, ut ad solum terrorẽ increpationis unius hostis uestrum simul mille fugient, & aliquantulam hostium multitudinem, hoc est quatuor uel quinq;, omnes fugietis, & occidemini maximo numero. Tam pauci autem de plurimis relinquemini, ut uelut solitarij stantes, & unici, uelut arbores maximæ in montibus pro malis nauium plantatæ, & signũ excelsum in collibus, facilẽ obuersati oculis numerari positis. Dum enim totum nemus excinditur, inceduæ manent magnæ arbores, magnis usibus destinatæ, facileq; conspicuæ relinquuntur ad facilem numerationem.

18 Propterea expectat dominus ut miserea tur uestri, & ideo exaltabitur parcens uobis: quia deus iudicij dominus. Beati omnes qui expectant eum.

Vtcunq; peßimi sitis, & durißima ceruice, semper tamen expectauit uos dominus, & expectabit, ut cõuersis ad se misereatur, & misericordiã suã uobis seruat, si quando cõuertamini ut saluet. Id enim sæpe sensistis, quàm scilicet misericors dominus sit, sed tamen non minus etiã iustus: qui ut durißimè flagellat impios, sic beneficijs suis opprimit & accumulat, & beatos reddit omnes qui illum expectant, obseruãt ac fidunt bonitati illius, & timent ipsius iudicium & iram.

Misericors dominus & iustus.

19 Populus enim Sion habitabit in Ierusalem. Plorans nequaquam plorabis, miserens miserebitur tui. Ad uocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.

Post prædictam Iudæorum malitiam, & durum iudicium infidelitatis & contumaciæ eorum, nunc consequenter fidelium in ecclesia iustitia & fides promittitur, cum beneficijs domini affatim eis obuenturis. In hac etiam uita perfruentur pace, sanitate, abundantia, qui domino fideliter seruiunt, gaudioq; in spiritu sancto, magis autem post hanc mortalitatis sortem gratia consummatiore perficientur. Id est quod dicitur, Si, ô populę Zion & Ierusalem, fideles quiq; domino deo uestro, ipsum obseruaueritis, & ad ipsius beneplacitum instituerit is uitam, longè aliter omnia uobis accident quàm perfidis, de quibus iam diximus. Minimè enim materiam sentietis causamq; flendi, domino semper propitio, & nihil mali immittente, quod nõ æquissimo animo ferre ualeatis, ut in omnibus semper omnem habeatis sufficientiam, & gaudeatis de experta clementia creatoris: si quando in aduersitate dominum imploraueris subitò exaudiet, & benignuter respondebit pro uoto.

Fidelium iustitia & merces.

20 Et dabit uobis dominus panem arctum, & aquam breuem, & nõ faciet auolare à te ultra doctorem tuum, & erunt oculi tui uidentes præceptorem tuum,

21 & aures tuæ audient uerbũ post tergum monentis, Hæc est uia, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad siniſtram.

22 Et contaminabis laminas ſculptilium argenti tui, & ueſtimentum conflatilis auri tui, diſperges ſicut immunditiam menſtruatæ. Egredere, dices ei,

Signum diuini fauoris,

Etiam ſi det tibi dominus modicã annonã cibi & potus, & egeſtate aliqua nonnunquã corripiat & exercẽat, idipſum cedet bono tuo. Non enim deſtituet te opportuno refrigerio, cõſolatione, ſacro irriguo diuini ſpiritus, imò & conſolatore tuo ac præceptore, qui de fauore dei te moneat, qui uerbo ſalutis conſoletur, cuius beneficentiam experimento ſenſibili diſces, deq; ipſius inſtruet beneplacito, & audies prophetas illius, qui uerbo ſuo te inſtruant, ab errore & uitijs reuocent, ad fidẽ & deuotionem adducant, uiamq; ueritatis & iuſtitiæ oſtendant, dicendo, Hæc uia iuſtitiæ eſt, hoc pacto deo probabimini: ſic uobis uiuendum eſt, & neque ad ſiniſtram neq; ad dexterã declinandũ à uerbo & lege dei. Clarius enim & certius beneficiũ dei nullũ eſt, quàm ſi monitores & doctores fideles mittat populo ſuo, & ſi illi audiantur: nihil enim tunc formidandũ, quantũlibet aduerſa multa magnaq; urgeãt, ruinasq; minentur. Hoc unum ſignũ eſt fauoris diuini: aliud autẽ eſt indicium, ſi ſoli domino deo ſic ſeruire cœperint, ut quicquid contra illius cultũ erectum eſt, & quam nouerint deo abominabilẽ idololatriã, idola argẽtea ac aurea, & quicqd præter eũ hominibus uenerabile & colendũ proſtitutũ erat, ex fide in illius bonitatẽ abiecerint, tanquam immunditiam & abominandas ſpurcitias. Hæc inquam, ſigna indubitata ſunt gratiæ diuinæ, & feliciſſimi ſtatus. Quandoquidẽ etiã morũ reformatio ſine dubio ſubſequetur, ſi ſemel uerbũ ſuũ amplecti cœperint, & cultũ idolorũ reſpuerint. Facilè quidẽ ſubuertuntur ſtatuæ, ſed dum in his, quæ faciliter tentãtur ad gloriã domini, ſtudioſi fuerimus, etiã in his quæ pluris habẽt momẽti, reformãdis ſcilicet moribus, dei auxiliũ & gratiã adfuturam ſine dubio ſentiemus. Qui enim leuia propter deum non arripit, quomodo grauiora tentabit?

Idola abijcienda.

23 & dabit pluuiã ſemini tuo ubicunq; ſemi naueris in terra, & panis frugũ terræ erit uberrimus & pinguis, paſcetur in poſſeſſione tua in die illo agnus ſpacioſe:

24 & tauri, & pulli aſinorũ qui operantur terram, commiſtũ migma comedent ſicut in area uentilabro uentilatum eſt.

25 Et erunt ſuper omnẽ montẽ excelſum, & ſuper omnẽ collem eleuatũ riui currentiũ aquarum in die interfectionis multorum quum ceciderint turres.

Vbi uerbum domini auditur & ſuſcipitur, & ſolus deus agnoſcitur, idolaq; abijciuntur, ibi abſq; dubio ſtatim omnium abundantia bonorũ ſubſequetur, tam corporalium quàm ſpiritualiũ, quæ per ſequentes quatuor ſententias prophetica quadam amplificatione ſignificantur. Quæ quanto Iudæis optabiliora erant, tanto latius ipſa promittuntur, ſi quo modo uel beneficijs allecti deſinãt idola colere, & prophetas domini auerſari. Pluuia ſementi neceſſaria, donum eſt dei, & neceſſarium uitæ humanæ. Cibus ex terræ prouentibus, pinguedo paſcuorum & latitudo pro armentis: tauri quoque, pulli gregum, cum ſufficientibus pabulis atque ſanis, minimè fœdatis uel faſcinatis, promittuntur fidelibus, non aurum, gemmæ, ſericum, & cætera quæ ad libidinem & luxum potius faciunt, ſine quibus uita fideliũ facilius exigitur. Riui quoque aquarum ex montibus & collibus beneficium ſunt feliciſſimarum terrarum, quibus dominus commẽdat ſuam bonitatẽ ſapientiamq; hominibus. Quarum omnium rerum abuſum, non ſint eſſe inultum. Fidelibus autem hæc omnia ſunt adimenta uirtutum, cõſolatio egenorum, & gratiæ diuinæ monimentum & index. Addit quoq; propheta, feliciſſimè habituros fideles, dum interim impiorum tam exercitus quàm urbes, & quicquid magnificum arbitrantur, perierint. Sanctorũ hoc loco allegorias non ſpernimus, ſed literalem ſenſum ad ædificationẽ tam priſci populi quàm noſtri prophetam ſine dubio intendiſſe non dubitamus. Non enim rarum eſt ſcripturam loqui multiplici ſenſu, quos author æque ignorare non potuit, uideturq; intendiſſe.

Promiſſiones temporales fidelium.

26 Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptẽ dierum, in die qua alligauerit dominus uulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit.

Fidelibus domino ſeruituris non mirum ſi omnia ſeruiant, cœlum & aſtra applaudeant, & inſolita aliqua felicitate influant, populo emendato atque conuerſo ad dominum, qui omnia in uſum electorum condidit. Luna illis utilior erit, quàm ſol alijs non cõuerſis: & ſol ipſe multipliciter fauorabilior eis ſplendebit & influet clementioribus radijs, quàm antea. Quod ſine dubio poſt mundi renouationem electis cõtinget perfectius, quando mors & peccatũ ceſſabunt, & iuſti in domino beati erunt, & omniũ bonorum aggregatione felices. Iudæi exponũt hæc de felicitate ſua ſub rege Ezechia. Aliqui ipſorum de temporibus Meſſiæ: uerius de utriuſq; temporis fidelibus accipitur.

Seruitutis omnia ſeruiunt.

27 Ecce nomẽ domini uenit de lõginquo, ardens furor eius, & grauis ad portandũ. Labia eius repleta ſunt indignatione, & lingua eius quaſi ignis deuorans.

Prophetia contra impios, iudicio diuino duriſſimè puniendos, quoties in hoc ſeculo fideles crudeliter & ablegato omni timore dei & clementia perſequuntur, & opprimere tentãt. Tunc enim dominus cum gloria iuſtitiæ ſuæ ſuccurrit, & mirabiliter ſaluando pios, graueſſimo iudicio impios aggreditur & uaſtat. Idipſum apparuit in mari rubro, in Madianitis, Philiſtæis, Aſſyrijs, in exercitu Sennherib, Iudæis, & interim ſæpe & hodie. Maximè autem apparebit in fine mundi, in extremo uniuerſali iudicio. Vnde ad omnia hæc expo-

Vltio dei contra impios pro fidelibus

pendo

uendo referri debet, tanquam prophetia dura contra impios, quam sibi semper imminere ex uerbo domini sciant, qua & se ad pœnitentiam commoneri intelligant, quo minus excusationis inueniãt, iudicandi à domino, & iustitia diuina clarius in impiorũ damnatione eluceſcat. Veniet enim maiestas iusti iudicis, potentia dei, cum in remotissimis agere putabitur ab impijs, supra scilicet cardines cœli, nec nostra considerare creditur: tunc enim subitò aderit contemptoribus suis, horribili & seuero, iusto autẽ iudicio suo. Ceu iratus dominus, cuius grauissima sit indignatio in incredulos uerbi sui: ut solent apparere uehementer irati, ardenti facie, rutabundis labijs, lingua ac loquela minacissima. Nihil enim designari potest tam durũ, ut sufficiat exprimere grauitatẽ iudicij, quod sentient damnati à domino, & supplicijs destinati.

28 Spiritus eius uelut torrens inundãs usq; ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum, & frenũ erroris quod erat in maxillis populorum.

Calamitas impiorum.

Inuoluentur impij tanta calamitatum mole & pondere, ut usque ad collum immersos se sint uisuri, ut nulla uia emergere possint, nec enauigare diluuium, longè lateq; ambiens & inuoluens omnia. Arripiet autem iudicio suo omnes gentes, & ueluti cribro commouebit, uento angustiarum abijciet tanquam uanissimos: frenoq; errorum & sacrilegiorum arreptos, quasi per maxillas ducet ad supplicium, mortis tam primæ quàm secundæ. Sua enim seipsos sententia damnabunt, & intelligent suam qua laborauerant insaniam, præ angustia spiritus gementes, sed sera pœnitentia desperationeq; correpti.

29 Canticum erit uobis sicut nox sanctificatæ solennitatis, & lætitia cordis sicut qui pergit cum tibia ut intret in montem domini ad fortem Israël.

Solẽnitates fidelium.

Impijs autem sic miserè affectis & addictis supplicio, uos pij & fideles, iucundissimam ueluti solennitatem agentes cantabitis, & toto corde exultabitis de iustitia dei & iudicio. Sicut olim in initijs festiuitatum, ad primas uesperas, cum gaudio inter cœnandum & domino canendum lætabamini, & sicut cum maxima alacritate ter in anno Hierosolymam accedebatis, inter ambulandum canentes domino laudes & gratiarũactiones: sic Sennherib & alijs impijs iudicatis à domino, iustitiæ diuinæ congratulabimini. Non ergo domino displicet, si in solennitatum gaudijs, psalmis, canticis, tibijs & musicis pij utantur. Cantilenas autẽ libidinosas & turpes nunquã canunt homines pij, multominus in diebus diuino cultui deputatis.

30 Et auditam faciet dominus gloriam uocis suæ, & terrorem brachij sui ostendet in cõminatione furoris, & flamma ignis deuorantis: allisione & turbine, & lapide grandinis.

31 A uoce enim domini pauebit Assur uirga percussus,

Declaratio latior furoris diuini contra impios, quia uocem ædet plenam horroris, uocãdo homines impios ad iudicium tremendũ & durum, minax brachium exerendo, quasi ad internetionẽ percussurus, ultũ iratum inflammando seueriter, flammam uoracissimam succendendo, cũ terræmotu, procella horribili, lapidibus grandinum. Hoc est, grauissimam suam iram omnibus modis sentient impij, & pauebunt exemplo Assyriorũ, quos unius angeli strage una nocte deleuit Esaiæ tẽporibus, usque ad centum millia & octogintaquinque millia, qui dominum blasphemando fideles quoq; omnes cum suo rege trucidare uoluissent. Hos Assyrios posuit dominus in exemplum omnibus impijs, cum dicit. Iudiciũ impiorum.

32 & erit transitus uirgæ fundatus, quam requiescere faciet dominus super eum in tympanis & citharis, & in bellis prœcipuis expugnabit eos.

Huiusmodi uirga percutiam, & hoc pacto iudicabo omnes impios, nunc autem Assyrium cum suo impio exercitu, fundamenta illorum subuersurus, uel usq; ad nouissimum quadrantem flagitia puniturus, tanto supplicio, quanto illud statuit & decreuit summa æquitas dei, cum illustrissima pompa, qua solent procedere reges ad triumphos suos agendos contra hostes truculentissimos. Quos cum ingenti gaudio amicorum producet ad supplicium æternum, confusos, turbatos, desperabundos, anxios, & metu morte ipsa acerbiore, donec conijciãtur ad supplicia damnationis æternæ, ad ignem quem præparauit diabolo & angelis suis, tyrannis populorum, pauperum oppressoribus, fidelium hostibus & blasphematoribus dei.

33 Præparata est enim ab heri Tophet, à rege præparata, profundata & dilatata, penetrale eius ignis & ligna multa, flatus domini ficut torrens sulphuris succendens eam.

A creatione mundi præparatus est locus, & decreta pœna impijs iudicandis, sicut & ante mundi constitutionem electos suos dominus prædestinauit ad gloriã. Cognomen autem Tophet & gehennæ sortitus est infernus, à loco qui prope Ierusalem extra muros proijciendis abominationibus omnibus decretus erat. Altum igitur & amplum infernum propheta dicit præparatũ à domino, in quo ignis non extinguẽdus succẽditur sine intermissione, ueluti ordine locatis lignis, ut quàm uehementi conflagratione ardeat, sulphureo torrente & flatu diuini furoris semper promotus, ut horribilissimè excruciet impios. Quo modo loquendi significatur grauissimum iudicium dei æque iustissimi, sicut & clementissimi, quo damnationis mancipia impios incessabili cruciatu puniet, qui dum uiuerent tam clemẽter monuti & multipliciter ad timorem & amorem dei allecti, peruicaci malitia sua in finem uitæ suæ hostes fuerunt pietatis, & omnium mandatorũ dei, ipsius iustitiæ & bonitatis contemptores, nunquam uerbo domini fidem adhibituri, nec ab instituto criminosè uiuendi, piosq; diuexandi destituri, etiam si diutissimè uiuere licuisset: Tophet & gehenna impiorum.

ſed dominum deum creatorem ſuum nihili ducentes, ex certa malitia malucrunt peccare ſemper, quàm potenti manu dei ſubijci & obedire mandatis.

¶ CAPVT XXXI.

1 VAe qui deſcendunt in Aegyptũ ad auxilium, in equis ſperãtes, & habentes fiduciã ſuper quadrigis quia multæ ſunt, & ſuper equitibus quia præualidi nimis, & nõ aſpexerunt ſuper ſanctum Iſraël, & dominum non requiſierunt.

Contra fiduciam in homines.

Hortatur hac prophetia iterum, ut tota fidutia, non externorum regum fauori uel fœderi, ſed domino adhæreant, qui eos ab omni aduerſitate poſſit & uelit liberare, & in regem Aegypti ac exercitum eius non ſperent, nec eius auxiliũ ambiant, qui nec illis, nec ſibijpſi ſufficiat. Generalis ergo doctrina eſt de ponenda fiducia in ſolũ deum fidelibus. Væ qui miſsis legatis & muneribus ad regem Aegypti pro auxilio capiendo, & equeſtri exercitu curribuſq; obtinẽdis, cum domini dei manum iam ſæpe fortiſsimam experti ſint, pro populo Iſraël, ut aliud auxiliũ ſibi efflagitare perfidiæ inſignus ſignum ſit, quam deus maximè odiat, qui fidutia in ſe ſibi ſeruiri uelit.

2 Ipſe autem ſapiens adduxit malũ, & uerba ſua non abſtulit. Et cõſurget contra domum peſſimorum, & contra auxiliũ operantium iniquitatem.

Prouidentiã ueſtram carnalem, & perfidiæ coniunctam, dominus ſua ſapientia cõfundit & fide, ſuperinducendo malum illis, qui toties admoniti confidere eius bonitati non diſcunt, & ueritatem promiſſorum non credunt, cum tamen nunquam non impleantur quæ promittit uel minatur. Nutare enim uerba ſua non poſſunt, cum toties durum iudicium ſuum effuderit in malignos: perdideritq; frequenter eos, qui auxilium alijs promiſerant, qui ob iniquitates ſuas diſperdi meruerant. Exitij præſentiſsimum ſignum eſt, auxilio peſſimorum niti: hoc eſt exaggerare propria peccata ſocietate impiorum.

Societas mala.

3 Aegyptus, homo, & non deus, & equi eorum, caro, & non ſpiritus. Et dominus inclinabit manum ſuam, & corruet auxiliator, & cadet cui præſtatur auxilium, ſimulq; omnes conſumentur.

Iamdudum didiciſſe debueras, ô Iſraël, quid Aegyptus eſſet, poſſet, & apud deum quanti meriti. Homines ſunt enim & fragiles, in manu dei cõſtituti, ideoq; tam dei ueſtri gratia quàm illorum duritia dudum utraque aguita cogitanda uobis erant: deos quoque ſuos, quid potuerint & quid à me paſsi ſint ſcire debuiſtis: equi eorum cum illis aquis ſubmerſi ſunt olim. Omnia hæc in manu dei ſunt, qui ad nutum imperat omnibus, uaſtat & exterminat poteſtate ſua, ſimul adiutorem extinguit & auxiliatum. Qui cum ueſter ſit deus, eum

reuereri & colere unicè debuiſtis, & ſub illius tantũ alis ſperare exemplo ſanctorum.

4 ¶ Quia hæc dicit dominus ad me: Quomodo ſi rugiat leo, & catulus leonis ſuper prædam ſuam, quum occurrerit ei plenitudo paſtorum, à uoce eorũ nõ formidabit, & à multitudine eorum non humiliabitur: ſic deſcendet dominus exercituũ ut prælietur ſuper montem Sion, & ſuper collem eius.

Prædixerat Aegyptiorũ perfidiam & impotentiam. Subiungit domini dei fortitudinem & ueritatem, ut fidant quàm certiſsimè. Nulla fortitudo creata comparanda eſt omnipotentiæ dei, cum etiam animalium uis maxima leonum, dum urget etiam fames, & pro ſuis nutriendis catulis zelus, neminem ueretur, nec ad occurſum quorumcunq; expaueſcit, ſed fortiter inſtat & animoſe, ſibi & ſuis adeſt: multò maior eſt & uirtus & pietas dei pro ſuis tuendis, paſcẽdis & uindicandis fidelibus. Idq; toties circa populum Iſraël oſtenſum eſt, & in regno fidelium, ut inexpiabili perfidia nõ careat, qui dubitare de eo non ceſſet. Virtus dei pro ſuis.

5 Sicut aues uolãtes, ſic proteget dominus exercituũ Ieruſalem, protegens & liberãs, tranſiens & ſaluans.

Summæ fidei & charitatis exemplum affert gallinarum, & aliorum uolucrium, quomodo inſultant in eos qui pullos auferre nituntur, ſeſeq; obijciunt periculis pro ſuis. Talem ſe dominum exhibuiſſe ſemper pro fidelibus ignorari non poteſt, quoties Ieruſalem, hoc eſt, fidelium eccleſiam tegit, defenſat, liberat ac uindicat, parcit etiam & diſsimulat peccata, & ueluti præterit eos, dum pœna aliqua populos alios ferire decernit. Id ut olim ſic ſemper facit omnibus illi fidentibus.

6 Conuertimini ſicut in profundũ receſſeratis filij Iſraël.

7 In die enim illa abijciet uir idola argenti ſui, & idola auri ſui, quæ fecerũt uobis manus ueſtræ in peccatum.

Qui igitur per incredulitatẽ & ingratitudinem receſſeratis à ſaluatore ueſtro clementiſsimo, de illius gratia & uirtute deſperantes, reuertimini per fidem & opera, quibus illi probari poſsitis, firmiſsimè ipſi uos credendo, & per fiduciam accedendo, qui per deſperationem deceſſeratis: & ſignum fidei in eum perhibete abiectione idolorũ, quæ ſibi omniũ maximè exoſa ſcitis, & uobis pernicioſa ſtultitiaq; ueſtræ clara teſtimonia, qui tamen uerbo dei & legis exhortatione doctores & ſenſatiores eſſe debueratis, quàm ut operã manuum ueſtrarum adoraretis. Redeant ad dominum.

8 & cadet Aſſur in gladio non uiri, & gladius non hominis uorabit eum, & fugiet non à facie gladij, & iuuenes eius uectigales erunt.

De clade maxima Sennherib uidetur propheta ſæpius prophetaſſe, quia uehementer timebatur aduen-

tus

Sancti regis impij consiliarij.

tus illius, & populus ægre domino adhærebat, modicæ fidei, quantumlibet regem Zedechiam sanctum habebat, cuius tam pater quàm filius impij erãt, propter impietatem populi, principum & falsorum prophetarũ, qui Assyriorum regem asserebant uenturum, & persuadebant mutuum, ut illi sese dederent, ne contingeret eis quod Samariæ. Contra quos sedulo propheta clamat ut idola abijciant, nihil homines timeant, si dominũ propitium sint habituri. Cadet enim Assur gladio angeli, et omnis exercitus eius deuorabitur, ut pauci reliqui sint futuri, & hi deniq; fugituri sint, & à suis hostibus sub tributum redigendi.

9 & fortitudo eius à terrore transibit, & pauebunt fugientes principes eius. Dixit dominus, cuius lux est in Sion, & caminus ei in Ierusalem.

Præ magnitudine terroris quo afficietur Sennherib ex cæde exercitus sui fugiet ultra fortalitia sua, non ausus se credere hominibus suis, qui & à filijs quoq; proprijs occidendus sit, & principes regni sui signa exercitus deserent, & aufugient præ pauore. Hæc autem certissime futura is mihi dominus dicenda concredidit, qui colitur in Zion, & cui sacrificia offeruntur in templo, ignisq; nunquam cessans, in illius honorem succenditur. Vehemens est assueratio de uirtute et ueritate dei, qui paratam habet uindictam pro fidelibus suis contra omnes impios in præsenti sæculo & futuro.

¶ CAPVT XXXII.

1 Ecce ad iustitiam regnabit rex, & principes in iudicio præerũt.

Exemplar iusti regis.

Regis iusti merita describuntur, qualis Ezechias fuit, & Iosias, omnesq; qui in regno Christi domini secundum exemplar & doctrinã Christi regnant & principantur. Deinde & stultorum regum tyrannis, & populi subiecti miseria. Rex enim non est, nec dici meretur, nisi qui iustitiam seruat in regno: ut quæ dei sunt, domino reddantur, fides & obedientia: & quæ humana hominibus, charitas, pax & profectus subditorum. Hoc est in iusticia regnare regem, bonos tueri, malos corrigere & punire. Principes regni sub rege iudicium dicant & conseruent dictata, nihil ad gratiam & ob munera uel ex affectibus iudicent, sed ad æquitatem imperent, ut publica conseruetur tranquillitas, & iniuria non crescat.

2 Et erit uir sicut qui absconditur à uento, & celat se à tempestate, sicut riui aquarum in siti, ut umbra petræ prominentis in terra deserta.

Iusti regis felices subditi.

Sub iusto rege seruatoq; iudicio, boni homines ueluti ab austero & importuno uento absconduntur, & à turbine pluuiaq;, communi scilicet tyrannide, iniquitate, & innocentium oppressione mununtur, optato subter fugio protecti ac suscepti. Recreantur quoq; & consolabuntur pij homines à iusto magistratu, ueluti auidissima terra ex ubertate inundantium aquarum, et ut æstuum calorem fugiens sub umbrã latissimæ petræ in ter-

ra sitis & lassitudinis. Nihil enim dulcius & beatius in hac uita, quàm pax & charitas, quæ constant iustitia, eorum qui sapienter & fideliter præsunt, non priuatum commodum suum, sed reipublicæ profectum intendentium. Tales non sunt, nisi qui Christi domini spiritu imbuuntur, & lege sua breuissima charitatis præsunt, in regno scilicet fidelium, per quos Christus regnat, in quorum & cordibus requiescit per spiritũ, qui datur electis.

Pax & charitas.

3 Non caligabunt oculi uidentium, & aures audientium diligenter auscultabunt,

In regno Christi & fidelium prælatorum clare docebitur ueritas. Aspicient omnes sine uelamẽto affectuum priuatorum iustitias causarum, secundum legem dei & naturæ: cæci & surdi non erunt ad uerbum dei, sed attente illud audient & percipient unde perspicue iudicare possint quid liquido sit in causis, & domino deo non minus obedire contendent, quàm sibi à subditis poscant obediri.

4 & cor stultorum intelliget scientiam, & lingua balborũ uelociter loquetur & plane.

Et hi qui inconsulte præcipitanter & stupido corde omnia agunt, non aderunt istis rectoribus, sed potius ab insipientia sua per uerbum dei conuertentur ad prudentiam spiritus, & scientiam iustorum. Lingua quoq; balborum expedite loquetur & clare. Reuera enim iustis, æquis regibus & prælatis, per Christi doctrinam spiritus suppeditatur, quo sufficiant suis officijs, & in rebus consultandis ac agendis dirigãtur rectissime, & si quid deniq; per ignorantiam uel fragilitatem negligitur, benignè in eis toleratur à domino: sicut & Dauidis iniusticiæ à domino donabãtur, qui iusticiam diliegbat. Quo modo autem linguas infantium disertas fecerit in apostolis, & piscatores creauerit in doctores populorum, commemoratione non indiget: nec cessat in ecclesia erudire fideles & inspirare, quæ uera sint & iusta.

Regibus iustis adest dei gratia.

5 Non uocabitur ultra is qui insipiens est princeps: neque parcus appellabitur liberalis.

Sub regno Christi & in regnum iustorum non præficientur magistratibus stulti, rerumq; suarum studiosi magis quàm reipublicæ, quorum omne studium sit accipere munera, & diuitias corradere: sed liberales, clementes, iusti, & uirtute nobiles. Qui enim auari, rapaces, mendosi, & iniqui sunt, ad regnum iustitiæ non pertinent. In huiusmodi regno is erit honoratior atque nobilior, qui fuerit uirtute & beneficentia notior & commendatior.

Mali magistratus.

6 Stultus enim fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, & loquatur ad dominum errorem, ut uacuam faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat.

Tyrannus uero, & qui pro nihilo habet si impietate omnibus traducatur, si exosus per iniurias suas fiat

Impij magistratus mores.

probis sensatisq; hominibus, si rapina pauperũ & piorum oppressione ditetur: is stultitiam, hoc est, iniquitatem & crimina non solum iactabit, sed etiam perficiet absq; uerecundia uel timore. Finget tamen quũ poterit hypocrisim ad iniurias palliandas, et crimen crimine defensare uel per mendatia conabitur, ut etiam uerbũ domini, & leges sanctissimas pro suo commodo & libidine subuertere studeat, & de dei prouidentia nihil credat, sed iustum esse quod uelit omne contendet, timore dei prorsus abiecto. Quo fiet, ut subinde pauperes spoliare non cunctetur, famelicos cibo fraudare pro nihilo ducat, & sitientem, potu, nulla illi de subditis nisi pro suo commodo solicitudo relinquitur, cui omnes uult obsequi & inseruire: non tam regnu se patrem & pastorẽ cogitabit quàm dominum, & imperatorem, cui liceant quæ uelit nulla habita ratione subditorum.

7 Parci uel auari uasa pessima sunt: ipse eñ cogitationes concinnauit ad perdendos mites in sermone mendacij, etiam quum loqueretur pauper iudicium.

Tyrannorum finis.

Tyrannorum & auarorum prædonum uasa scelerata sunt, malis artibus, dolosis cogitationibus & uerbis imbuta, donec ad improba facta promoueant: sine intermissione studẽt pernitiosis consilijs suis, ut pauperes expilent, exhauriant mendacibus uerbis et iniquis iudicijs etiam in loco iudicij uim faciendo pijs & mansuetis hominibus. Quorum tamen finis exitium est, desperabunda conscientia, & æterna damnatio, cum diffamia & odio omnium sæculorum & hominum.

8 Princeps uero, ea quæ digna sunt principe cogitabit, & ipse super duces stabit.

Principum mores piorum.

Benefici autem & fideles principes prosperantur in omnibus, iusta semper meditantur et utilia multis, quorũ tota uoluntas est in lege domini, & in charitate proximi, ut quàm multis prosint, onerent nullos, omnibus omnia fiant, ut omnes lucrentur, nõ alta cogitantes, sed humilibus consentientes: qui quanto minus laudes, & gloriam ambiunt inter homines, tanto apud deum & pios altius prouehuntur, & inclarescunt in sæculo tam præsenti quàm futuro.

9 ¶Mulieres opulẽtæ surgite, audite uocẽ meam: filiæ confidentes percipite auribus eloquium meum.

Ciuium in urbibus insolentia.

Post admonitos reges tam pios quàm impios, hic etiã urbes & urbanos dehortatur ab otio luxurioso, quod sequitur opulentiam, dum auctis opibus, ciues urbium magis quàm in agro degentes insolescunt. Omnia uitia & crimina magis in urbibus & arcibus quàm in agro uigent omnis generis, ut bonos uiros raro inuenias non aliqua ex parte ciuium malorũ cohabitatione depravatos: quales nunirum erant Esaiæ temporibus propter securitatem & pacem, qua solitus erat populus insolescere, corrumpi luxu, & otio. Quibus promittit calamitates multas, magnas, et ineuincibiles, donec per spiritum domini emendati resipiscant. Vrbibus autem magna cõstantia & diligentia prædicanda est pœnitentia, & à terrore imminentium malorum inchoanda prædicatio, quod uulgi maxima pars non tam charitate trahatur ad pietatis studium, quàm pœnarum metu absterreatur à noxijs. Surgendum est à consuetudine otiandi, à luxu libidinum, & uox uerbi domini ex ore prophetarum iusta monentium suscipienda cum mansuetudine.

10 Post dies & annum conturbabimini confidentes: consummata est enim uindemia, collectio ultra non ueniet.

Signa futuræ ultionis dei.

Quandocunq; uidetur ex diuinis muneribus nasci lasciuia in urbibus, nunquam dubitetur subsecuturã uim dictum domini in ingratos: contingit enim tunc pauperes onerari & clamare ad dominum scandalizatos ex superfluo usu rerum, quibus ipsi fraudantur. Talis enim fuit iniquitas Sodomæ. Ideo prophetatur post aliquot paucos annos uel dies omnium rerum superuentura egestas: uindemia enim fallet uinitores & cellaria, frugum collectores in luctu erunt, stupor apprehendet ciues, quibus prouentus modicus inferetur, ut minus posthac liceat libidinari.

11 Obstupescite opulentæ, conturbamini confidentes: exuite uos, & nudamini, accingite lumbos.

12 Super ubera plangite, super regione desiderabili, super uinea fertili.

Quæ nunc insolescitis, ô urbes, & nihil non uobis permittitis, preciosis uestibus luxuriatæ, propediem stupebitis ad expoliationem uestram, ad nuditatem, ad ciclitia uestra, ad planctum super filios uestros occisos & filias, propter annonæ raritatem, quantumlibet fertilissimos agros & uineta delicatissima iactetis, quasi illa non susceperitis à domino, cui nullam pro tot bonis gratiam debeatis.

13 Super humum populi mei spinæ & uepres ascendent: quanto magis super omnes domos gaudij ciuitatis exultantis?

14 Domus enim dimissa est, multitudo urbis relicta est, tenebræ & palpatio (turris & arx) factæ sunt super speluncas usq; in æternũ. Gaudium onagrorum pascua gregũ,

Vrbium desertio.

Tanta uastitas & hominum solitudo erit in populo meo, & terra ista, ubi sic uiget luxuria, ut præ agricolarum uinitorumq; paucitate, uepres & spineta redditura sit terra, circum urbes, intra uero muros urbium palatia dissipabuntur, et frequentia populorum redigetur in desertũ. Et ubi gaudebatur in delitijs per lasciuiam, ibi tunc horror & mortis imago terribilis apparebit. Vbi multitudinis nimiæ strepitus & fastus fuerat, ibi nunc solitudines derelictæ & uastatæ urbis uisuntur. Turres altissimæ prolixissimas producentes umbras & fortalitia solidissima redigentur in cauernas & speluncas in sempiternum non inhabitabiles. Vbi tunc pauperum oppressores in delitijs uiuebant, ibi nunc pro desertitudine locorum onagri pascua sua inuenient, in loco scilicet summæ solitudinis & horroris.

15 donec effundatur super nos spiritus de excelso. Et erit desertum in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur:

Tandiu

Pœnitentiã status felicior.

Tandiu opulenta ac lasciua terra uastata & desolata erit, donec per spiritum domini excitabitur ad melioris uitæ institutum, donec emendauerit mores, & conuersi fuerint ad dominum, uexatione dante intellectũ. Tunc enim denuò feliciores erunt, & tempora illis lætiora euenient. Quemadmodum & capti in Babylonem cum egissent pœnitentiã, & prophetas audire inciperent, cum gaudio reuersi sunt. Post fidem restitutam in dominum, & uitam reformatã in melius, dominus quoq; irã remittit, & beneficijs recreat: hoc est quod dicitur,

Solitudo, & desertus propter peccata locus post receptam dei gratiã Charmelus erit, locus fertilis, iucundus & frugifer, sicut Charmelus in syluam fuerat redactus ob peccata. Et certè gentilitas per spiritum ueritatis delapsum in corda piorũ facta est Charmelus, quæ fuerat syluæ: Iudæi autem incredulí redacti sunt in syluam, cum fuissent Charmelus.

16 & habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in Charmel sedebit.

17 Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum.

Gentilitas cõuertẽda,

In gentilitate conuersa ad dominum æquitas & iudicium exercebũtur, per Euangelium prædicata & plantata, ubi prius impietas & error in usu erant. In Charmelo quoq; nouæ plãtationis ecclesia habitabit iustitia, omnia felicius & sanctus quàm antea habebunt. Cœlestem iustitiam sectabũtur gentes, pax cõscientiæ & spiritus cõsolatio in ecclesia habitabunt. Quæ enim synce rior pax est quàm fidutia in deum? Et nullus religiosior

Cultus dei.

dei cultus est, quàm tota fide pendere à domino, sabbathum celebrare continuum, ut audiamus quid in nobis loquatur dominus, de proprijs uiribus nil præsumere, ad domini uoluntatẽ omnia tam agere quàm pati uelle. Qui huiusmodi est per gratiã dei, is cõtinua securitate gaudet, beatitudinem ueram hic auspicatur, quæ ipsum consequitur in uitam aliam.

18 Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fidutiæ, & in requie opulenta.

Repetitio est quasi eiusdem sententiæ. Qui uerè populus domini est, cuius dominus deus eius, innixa spõsa super dilectũ suum, ablegato creaturarũ nimio amore, bonitateq; dei probè agnita per Christum donata: is in oblectamento pacis perpetuæ sedet, & in tabernaculis fidutiæ, firma scilicet tentione suæ gratiæ, de qua non potest diffidere, qui semel gustauit delitias spiritus, & in requie opulenta. Facilè enim fidelis cuncta spernere

Iucundior uita.

potest & negligere, qui diuitias bonitatis diuinæ fide syncera aliquando senserit. Et qui reiecta criminum seruitute honestatis & innocentiæ fructus perceperit populus, ciuitas, uel pius quicunque, is quietius, dultius et iucundius uitam deget, & pace amœnore gaudebit.

19 Grando autẽ in descensione saltus, & humilitate humiliabitur ciuitas.

Si quid mundum oppresserit calamitatum, illud non nocebit pijs, & domino deo suo adhærentibus, quibus

omnia prosunt nihil obest, non aliter quàm si grando quidẽ ex aëre decidat, sed in syluas tantũ & arida loca. Et dum hostium insultus nullus timetur, dum tranquilla sunt omnia, nõ opus est ut cõfugiatur ad mõtes, ut urbes ædificentur in colles, & loca inaccessibilia: tutò enim habitare possunt in uallibus & locis humilioribus.

20 Beati uos qui seminatis iuxta oẽs aquas, immittentes pedem bouis & asini.

Fidelium beatitudo etiam in hac uita æstimari nõ potest satis, quandoquidem omnia quæ faciunt prosperantur, ditantur ab aliorũ malis, proficiunt ex damno aliorum. Etiã si in aquas seminauerint semen suũ, insperatũ alijs inde prouentum auferent: quocunq; in loco pecora illorum tuta erunt, & pascentur pro uoto. Omnia illis tuta erunt, ubiq; proficiendi & bene operandi opportunitatem inuenient. Nullo in loco frustra semen profundetis, ubiq; irriguum suum administrabit dominus, cui toti adhæretis & fiditis.

Fidelitũ beatitudo ĩ hac uita.

¶ CAPVT XXXIII.

1 Væ qui prædaris, nónne & ipse prædaberis? Et q spernis, nónne & ipse sperneris? Cum consummaueris deprædationem, deprędaberis. Cum fatigatus defieris contemnere, contemnêris.

Iungendum superioribus fuerat, per contrarium enim impijs prænuntiat omnia infelicia, sicut fidelibus perpetuam in domino pacem & felicitatem promiserat, dicens: Væ uobis inquietis, uiolentis, improbisq; prædonibus, siue reges sitis, populi aut urbani, rex scilicet Assyriorum & suus exercitus, uel etiã impij in Ierusalem. Deprædabuntur enim uestræ quoque possessiones: & sicut non audire uoluistis pauperum clamores, sic uos quoq; clamabitis, & nemo miserebitur. Qui infideliter agunt cum proximo, perfidiam quoq; aliorum sentire cogẽtur. Cum existimaueris te iam perfecisse uastationem tuã, & in tuto consistere corrasis improbè diuitijs cum iniuria oppressorum, tunc subitò tu quoq; uastatus eris, repentinus tibi aduenet interitus. Et cum fueris contemnendo alios fatigatus, & cõpleueris ferè omnes contemnere, nemine obstãte tibi, ut putas, ecce te quoque contemnent & insidijs aggredientur. Eadem mensura remetietur tibi, qua alijs mensus fueris: & par pari rependetur. Qui dolis & fraudibus agunt, fraudes quoq; patiẽtur. Qui carnifices aliorum sunt, ipsi quoq; suo tempore mactabuntur.

Impijs omnia infelicia.

2 Domine miserere nostri: te expectauimus: esto brachiũ eorum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis.

Oratio est prophetæ pro sancta urbe sua, contra uiolentiam hostium, & iniuriã ciuium cõtra fideles, quam tempore aduersitatũ pij orant: Domine, qui unuersorũ dominus es, sicut & creator, tuam imploramus gratiam, non nostra obtẽdimus merita, peccatores enim sumus, & ius à te nullum exigimus. Vnica nostra fidutia est in tuam clementiam, auxiliũ tuum expectamus & speramus. Esto firmamentũ, robur, & defensio speran-

Oratio piorum.

tiũ in te, idq; mane sine dilatione aliqua & tempestiue: periculũ est enim in mora. Etiam unica salus nostra in te sita est, quam tu nobis calamitatum tempore impartiaris, tunc enim eam gratius amplectumur & attentius imploramus.

3 A uoce tumultus fugerũt populi, ab exaltatione tua dispersæ sunt gentes.

Quantumlibet magno tumultu ingruant hostes nostri, fugient tamen illico, dum tu nobis brachium salutis obtenderis, cum tuam potentiã exaltaueris, uolueriscq; nos saluos, statim dispergentur omnes gentes, qui cõtra fideles tuos fuerint congregati.

4 Et congregabũtur spolia uestra sicut colligitur bruchus, uelut excursus locustarũ discurret in eo.

Spolia uestra, ô impij hostes nostri: exercitus scilicet Sennherib, & omnes impij congregabuntur, in magna copia, ueluti dum bruchus colligitur, & cum discurritur pro colligẽdis locustis à toto populo, sic corradent pij spolia impiorum.

5 Magnificatus est dñs, quoniã habitãs in excelso: impleuit Sion iudicio & iustitia.

Exaltatus est miraculosa strage Assyriorũ dominus, ostenditq; se habitatorem esse excelsorũ, dominũ cœli & superni exercitus, impleuit Zion iudicio & iustitia. Ab eius influxu & gratia emendatur ciuitas fidelium, ut in ea locum habeat iudicium & iustitia, ut & pij homines contra ius & fas nihil patiantur, & fidutia in deum perfectè imbuantur.

6 Et erit fides in temporibus tuis: diuitiæ salutis sapientia & scientia: timor domini ipse thesaurus eius.

In tempore quo Zion urbesq; fideliũ colunt iudiciũ & iustitiam, omnia firma sunt ac fidelia, syncera & tuta, diuitiarum abundantia, salus & tranquillitas, sapientia uera ac scientia. Maximus autem ciuiũ illorum thesaurus erit timor domini. Hæc quidem imprecantur Hierosolymæ, pro tempore Ezechiæ & Esaiæ, plenius autem in ecclesia Christi complentur.

7 ¶ Ecce Ariel eorũ (angeli) clamant foris, angeli pacis amarè flebunt.

Propheta frequenter meminit tam Assyriorum terrores, incursiones & obsidiones, quibus post captiuitatem decem tribuũ Hierosolymã & regnũ Iuda cõtinuò adfligebant, quàm etiã cladem & stragem illorũ quam præuidebat certissimè futuram. Erat enim Isaias eo tempore integra ætate & maxima authoritate: ideo de eis sæpe consolatus est populum cunctabundũ, aliis ac aliis uerbis. Ecce, ait, angeli eorum Assyriorũ legati clamabant foris, deum Israël & regem Ezechiam cum urbe blasphemabant, Rabsaces scilicet: denique nuntij urbiũ uastatarum in regno Iudæ, suas adnuntiantes miserias: qui pacis nũtij esse debuerãt & uoluissẽt, nunc amarè flebant calamitates tam suas perpessas, quàm Hierosolymæ nuntiantes futuras.

8 Dissipatæ sunt uiæ, cessauit trãsiens per semitam, irritauit pactum, proiecit ciuitates, non reputauit homines.

Nuntiant autẽ hostem diffusum in totam terrã, sic uastatas esse semitas & uada, ut nullus progredi audeat, uiator & peregrinus discrimini hostiũ committere se non audeãt præ timore, quia iam pactũ domini quod ad Israëlem pepigerat irritatũ est propter perfidiã populi. Ideoq; dominus urbes eorum & Iuda detestatus est, & repulisse uisus est, tanquam nõ amplius reputatas inter peculiares suos, & non æstimatos populos suos: sed ueluti iam hostiles & abiectos habitos. Dura enim in illos uindicta, illorum abiectionem indicabat.

9 Luxit, elanguit terra: scrutatus est Libanus, & cæsus. Et factus est Saron, sicut desertũ: & cõcussa est Basan, & Carmelus.

Luget propter peccata sua populus terræ, qui per uastationem hostium afflictus, & infirmatus iram domini sentire cœpit, & acerbiora formidare. Iam enim euersus est Libanus, succisi illius cedri, urbes scilicet aquilonares in regno Israël & Iuda. Vberrimus & fertilis ager, occidẽtalis & maritima regio, quæ Saron dicitur, Saron. Basan. Carmelus. in solitudinem uersa. Basan quoque orientalis duarum cum dimidia tribuũ portio tota, in Assyrios capta est: & concidit Carmelus quoque australior pars terræ Israël, quæ fructuosissima erat, modo excidit à sua pulchritudine & fertilitate: sicq; fidelibus Hierosolymitis ex omni parte infideliũ hostium imminens exitium conspicitur & timetur, domino suos exercẽte & tentãte, sed non conterente.

10 Nunc consurgam dicet dominus, nunc exaltabor, nunc subleuabor.

Dum fideles maximè se desertos timent, & in profundum mali dimersos se conspiciunt, dominumq; de profundis inclamant, tunc propior est illorum salus. Surgit enim dominus, & iudicium suum suscitat, & uelut expergiscitur de somno, inuocatus, & facto dicit: Nunc tempus miserẽdi electis meis uenit, nunc tempus est eleuandi brachiũ, percutiendi hostes meos, & glorificandi nomen meum, quod illi blasphemare non timuerunt.

11 Concipietis culmos, & parietis stipulã: spiritus uester ut ignis uorabit uos.

Hostes alloquitur: Vos cõcipietis culmos & inutiles paleas: per superbiam uestram cõtendetis ad multa, & præsumitis nunc uana, fragilia & superba: sed stipulam parietis, à spe uestra in totũ excidetis, nihil obtinebitis eorum quæ conamini: à furore spiritus uestri ueluti ab igne uestro proprio exuremini, & malitia uestra damnabit uos, audacia occidet, cogitationes uestræ uobis tantum nocebunt, non fidelibus meis.

12 Et erunt populi quasi de incẽdio calcis, spinæ excisæ igni comburentur.

Tam ingens exercitus Assyriorum ante Ierusalem, erant iudicio dei, angelico zelo & opera combusti, uelut lapides in calcem redacti, & sicut spinæ recisæ, quæ igni comburũtur. Incinerata enim fuerunt illorũ corpora, quo facilius exuuiæ raperentur, & tantæ stragis cadauerum fœtor non offenderet, & sepulturæ molestia carerent, secundum Hebræos.

13 ¶Audite qui longe eſtis, quæ fecerim, & cognoſcite uicini fortitudinem meam:

Audiant iudicium ſuum alieni: & hoſtes piorum ſecundum præſcripta, qui de longe uenerunt ad blaſphemandum deum. Conſequenter etiã qui proximi eſtis Iſraëlitæ & ciues Ieruſalem, ueſtrũ quoq; iudiciũ cognoſcite, & domini dei ueſtri fortitudinem & inſtitutum.

14 conterriti ſunt in Sion peccatores, poſſedit tremor hypocritas. Quis poterit habitare de nobis cum igne deuorãte? quis habitabit ex nobis cũ ardoribꝰ ſempiternis?

Perfidi in regno Iuda.

Etiam in Ieruſalẽ, quæ Zion dicitur, Eſaiæ temporib. multi domino non fidebant, deſperabant ſe poſſe Aſſyrio reſiſtere, cogitabant contra uerbũ domini ſeſe dedere, ne uaſtarẽtur, practicasq; habebant cum Aſſyrijs, et regem Ezechiam ad id inſtigabant contra prophetam: quos hic ut impios uocat peccatores. Hi autem pauebãt & tremebant, fide deſtituti in dominũ, hypocritæ erãt & ſimulatores, ut Sobna et complices ſui, pietatem fingentes in deum & patriam, reuera autem deſperati & proditores. Qui ſic dicebant ſuam impietatem ſpecie religioſi timoris palliando, Quomodo cohabitare nobis poterit ignis ille ſacer omnia deuorans? quomodo ſubſtemus coram domino, & eius præſentia, qui ſumus peccatores & indigni cultores? quomodo pro peccatis noſtris ferre poterimus uindictã dei? Quaſi dicant, Iuſtior eſt deus, quàm ut peccata noſtra non ulciſcatur excidio urbis: non enim meliores ſumus reliquis Iudæis, uel etiã Iſraëlitis, de regno Samariæ, qui iam uaſtati ſunt, & relegati in exilium. Huiuſmodi uerbis hypocriſim exercebant, uerbo prophetarum nihil credentes.

15 Qui ambulat in iuſticijs & loquitur ueritatem, qui abominatur auaritiã ex calumnia, & excutit manus ſuas à contrectando munere, qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos ne uideat malum.

Habitato in habitant.

Verba ſunt prophetæ reſpõdentis huiuſmodi figmentis peccatorum: Tutiſſimos licebit habitare uos Hieroſolymã, & ab excidio eripi, ſi conuerſabimini iuſte: ſi iuſticiã in urbe colueritis, innocentius uiuẽdo: ſi recta, uera, æqua loquamini, à falſis doctrinis, fallacibusq; conſilijs abſtinentes: ſi per calumnias & iniuriam acquiſitas diuitias poſthac abhorrebitis: ſi manus ſuas quiq; ueſtrũ excuſſeritis ab omni munere, quo iudiciũ & iuſticia deprauatur, & perſonarũ acceptio promouetur: ſi innocentiũ circunuentionẽ, & pauperũ oppreſſionẽ, & innocentis ſanguinis effuſionẽ poſthac emendabitis: ſi patulam ac clementem aurẽ præbueritis humilibus, orphanis, ac uiduis, ſi æquo animo uidere quancunq; iniuriam non potueritis, ſed per omnia iuſticiã colueritis. Si enim hoc modo uitam ueſtrã ac regimen inſtitueritis, ut nunc Ezechias rex facit, nihil timebitis, nec quicquam mali ſentietis ab hoſtibus.

16 Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius: panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt.

Quicunq; huic meo conſilio acquieuerit, tutiſſimè habitabit, nõ ſecus atq; ſi in excelſiſſimo monte, præſidio, uel fortalitio poſuiſſet refugiũ ſuũ. Nulla re neceſſaria egebit, ſiue cibũ ſiue potũ deſyderet: pro uoto ei omnia ſuppeditabuntur. Non deficient illi aquæ nec panis: perennes ei fõtes ſalutarium aquarum fluent, & annonæ abundantia.

17 Regem in decõre ſuo uidebunt oculi tui, cernent terram longinquorum.

Status iuſti regis & urbis.

Rex illorũ illuſtris ſemper erit, pacificus, benignus, glorioſus & liberalis, in proſperitate & iucunditate illi populus obſequetur: non ad ſanguinis effuſionẽ terribilem ſe præſtabit, ſed pacis pulchritudine & in opulentia iucundiſſimè præerit. Summa enim regnorum tranquillitas eſt, ubi reges regnant in iuſticia, ubi auaritia, libido, faſtus & tyrannis non regnant. Vbiq; tuti erũt, hoſtes non patientur, licebit lõginquas tranſire prouincias, ex remotiſſimis regionibus negotiationes tranſagere, & ab alienigenis frequentari. Nemo enim metuet accedere, ubi nulla timebitur uiolentia, ſed iuſticia perfecta locum habet, ubi omnis iniquitas damnatur ab omnibus, ubi peregrini tuti ſunt ab offenſa ciuium, & laude digna celebrari uere poſſunt ad exteras nationes.

18 Cor tuum meditabitur timorem. Vbi eſt ſcriba? ubi eſt (legis uerba) põderans? ubi eſt conſcriptor magnificarum ædium?

Contrarius ſtatus.

In regno & urbe deſtituta iuſtitia ubi tyrannis uiget: ubi impij præſunt, ibi ſemper corda ciuium meditantur timorem, formido excrutiat mentem etiam innocentiũ, quando ſcilicet ſuperueniat & urgeat conſcriptor tributorum, ponderator auri & monetarum, inquiſitor uerſutus occaſionũ cõtra pios: ubi ſcilicet iniurioſus aliquis q̃ſtor ac lictor irruat, ubi palatiorũ turriumq; magiſter in uincula conijciat, & q̃ſtionib. tentet innocentiã.

19 Populum imprudentem non uidebis, populum alti ſermonis: ita ut non poſſis intelligere diſertitudinem linguæ eius, in quo nulla eſt ſapientia.

Vbi regnat æquitas, ibi neceſſaria non erit externarũ linguarum cognitio. Simplices enim & ueritatis ſtudioſi melius habebunt quàm uerſuti & literati. Non timebitur irruptio hoſtium, quorum non intelligere poſſis eloquium. Omnibus enim reddes quod debes, nulli iniurioſus, neminem irritabis quacunq; iniquitate, in bono ſemper malum uinces, & ab impiorum crudelitate domino protegẽte ſemper immunis eris. Promptior enim dominus eſt ad innocentiam propugnandam, quàm ad periculoſe tentandum electos maleuolentia impiorum. Non enim ſinit tentari ſuos ſupra modum.

20 Reſpice Sion ciuitatem ſolennitatis noſtræ. Oculi tui uidebunt Ieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquã transferri poterit: nec auferentur claui eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur.

Vtcunq; autem ſub ſanctis regibus ſuauiter uiuant ſancti in hoc mundo, ſemper tamen deſyderant regnum

cœlorum, & esse cum sancto sanctorum, & rege regum, cum Christo in gloria dei patris, in supercœlesti Ierusalẽ, & ciuitate electorum, in regno animarum sanctarum. Ad illam ꝓpheta adhortatur fideles, ut uideant & contemplentur Zion ciuitatẽ solennitatum, & sacrosanctæ ac perpetuæ iucunditatis contuberniũ, habitationem suauissimam totius opulentiæ, ubi nihil abest quod à sanctis desyderari possit, satietas plena bonorũ omnium, tabernaculum ab omni æstu aduersitatum, inuiolabile tentoriũ, quod nunquam loco mouendum deponetur, non transferetur de loco ad locũ, cuius claui nunquã extrahentur in perpetuũ, nec funes eius unquã ueterascent nec rumpentur. Nõ enim finem habebit nec Messiæ regnum, nec beatitudo electorum. Quod uel in uitis Iudæis, de regno Ezechiæ uel quacunq; Hierosolyma terrestri intelligi & comprobari non potest.

Sion cœlestis nostra patria.

21 quia ibi magnificus est dominus noster. Locus fluuiorũ riui latissimi, & patentes: non transibit per eum nauis remigũ, neq; trieris magna transgredietur eum.

Sed in eadem urbe cœlesti Hierosolyma omnibus pijs declarabitur, cõspicuaq; erit maiestas domini, mysteriũ Emanuelis, qui nobiscũ deus dicitur & cõprobatur. Locus ibi erit torrentium omnium uoluptatum sanctarũ, ibi erumpent aquæ uiuæ per omnes urbis plateas descendentes, fontes salutis, gratiæ, et paradisi flumina circunquaq; longe lateq; diffundenda, & mare ipsum totius felicitatis, ubi nulla nauis piratica, nec periculũ aliquod naufragij locum habet, nec labor aliquis remigum, nec uigiliæ anxiæ speculatorum, nec cura nautarum, nullius nec scopuli nec Syrtis uel quorumlibet incommodorum timor: omnia illic placida, iucũda, felicia, certaq; erunt.

Status beatorum.

22 Dominus enim iudex noster, dominus legifer noster, dominus rex noster: ipse saluabit nos.

In ea enim Hierosolyma dominus imperator & iudex noster est, dominus legifer noster, sub cuius regimine, mandatis & iuribus uiuendum omnibus erit, unde nec ad latum unguem quisquam discedet. Sub ipsius regno feliciter omnes pij exultabunt, & beati erunt, salute sempiterna saluabuntur, & ab omni calamitate immunes, ibi dominus eis omnia erit in omnibus. Vt sicut in superioribus impiorum perpetua miseria descripta est: sic hic sanctorum æterna felicitas & gaudium regni in Christo, quale mundus non potest dare, nec capere carnalis sensus.

Regnum Messiæ.

23 Laxati sunt funiculi tui: sed non præualebunt. Sic erit malus tuus, ut dilatare signum non queas. Tunc diuidentur spolia prædarum multarum: claudi diripient rapinam:

Tabernaculi illius funes nulla unquam refectione indigebunt, galeatæ illius nauis quoque funes perpetuæ erunt, malus eorum sine hostilis signi uexillo semper manebit, nullum ibi dissidium ob nauium signa, nulla æmulatio ob diuersitatem meritorum & gratiarum ibi erit, omnigena lætitia abundabit, & preciosissimorum manubiorum illic sine inuidia zeloq; præda diuidetur. Nemo illic tam abiectus & humilis, quin gaudio maximo potiatur in Christi regno. Etiam qui claudi fuerant, & non semper recto tramite incesserant (omnes enim etiam electi in multis offendunt) suas tamen portiones in ea præda cum gaudio assequentur.

24 nec dicet uicinus, Elangui. Populus qui habitabit in ea, auferetur ab eo iniquitas.

Nullus illic ægrotus, qui decũbet strato, omnes illius Sionis ciues sani, læti, beatiq; erunt: nullus ibi luctus, clamor nec dolor, nullæ lachrimæ, quia nulla quoque ibi inuenietur iniquitas, sed iusticia, charitas, gaudium & beatitudo in domino, cũ certitudine perpetuitatis.

¶ CAPVT XXXIIII.

1 Accedite gentes, & audite, & populi attendite: audiat terra, & plenitudo eius, orbis, & omne germen eius.

Nota est omnibus difficultas huius capitis, quomodocunq; illud uel Iudæi exponant uel nostri, qui & ipsi uarias sectantur sententias. Si quis non certiora hic uidet, uidetur propheta Iudæorum & Sionis uastationẽ æternam descripturus: qui descenderunt de Iacob, ne uel Iudæi ægre ferrent seueritatem iudicij sui, et gentes quoque reliquæ non insultarent Iudæis suam miseriã, præmittere in eodem ferè contextu gentium omnium uastationem, quæ facta est post tempora Esaiæ, nominatim autem Edomitarum, qui de Isaac fratres Israëlitarũ descenderant ab Esau. Quasi dicat: Edomitis durum impendit iudicium, quandoquidem & filijs Israël, et adeo etiam ipsi Sioni grauissimum imminet. Vtrunq; autem iudicium seueriſsimum apparuit, & contigit tam Iudæis quàm Iudæorum osoribus, quorum omnium primi & atrotiores Edomitæ fuerunt. Ait ergo: Audite queso omnes gentes, & percipite omnes populi, grauissimum enim iudicium passuri estis, ob impietates uestras, & crudelia facta, mutuum uosipsos uastantes, & propter me, populũ quoque meum inquo animo & intentione eliminantes. Audiat terra tota & plenitudo ipsa orbis, & quicquid è terra passim progeneratur & germinat, attendite dei iustitiam in impios.

2 Quia indignatio domini sup omnes gentes, & furor super uniuersam militiã eorũ. Interfecit eos, & dedit eos in occisionem:

Iratus est enim dominus cõtra omnes gentes, quia omnes præuaricati sunt ius tam naturæ quàm diuinum, mutuis se cædibus crudeliter infestant, & dominum deum suum quem ignorare non possunt, non solũ non colunt, sed etiam cultores illius odio & uastatione semper sunt prosequutæ. Ferent igitur iustã impietatis suæ uindictã, exercitibus ipsorum percussis & sacrificatis, ueluti domino sacrificium factis, qui hostias deo uero & soli debitas, non deo sed suis idolis immolauerunt.

Contra mæos.

3 interfecti eorum proijcientur, & de cadaueribus eorum ascendet fœtor, Tabescent montes à sanguine eorum,

Occisi

Occiſi ergo ex gentium excercitibus ſic abijcientur abſq; ſepulchris, ut cadauera eorum fœtoris exalatione horribili aërem ſint infectura, & montes paßim à ſanguine occiſorum contabeſcent, & abominanda ſpurcitia polluentur. Peccatũ enim crudelitatis dignè punitur crudelitate grauiore.

4 & tabeſcet omnis militia cœlorũ, & complicabuntur ſicut liber cœli: & omnis militia eorum defluet ſicut defluit folium de uinea & de ficu:

Tanta erit ira uindictæ dei ſuper gentes, ut ſi fieri poſſet, etiam militia ipſa cœleſtis ſol & aſtra reſoluerentur, et complicarentur uoluti in uolumen quoddam, quæ nunc tanta uaſtitate expanſa cernuntur. Sic autem orbis totus concidet, gens una poſt aliam mutuis cædibus, ut nulla inuenienda ſit, quæ nõ cõcidenda ſit, ſicut folium cadit de uite & ficu, nullo remanente tandem. Flauor aũt foliorũ & caſus fructuum calamitas eſt ſegetum. Omnes enim gentes dominũ deum ſuum minoris habuerunt quàm opera manuũ ſuarũ, & omnes pariter obmiſſo creatore coluerunt creaturas: ideo tota mundi machina in iniuriam creatoris uindicandam armabitur.

5 quoniam inebriatus eſt in cœlo gladius meus. Ecce ſuper Idumæam deſcendet, & ſuper populum interfectionis meæ ad iudicium.

Gladius uindictæ meæ ſanguine etiam in cœlis madeſcet. Id uerò contra Edom perpetuos oſores populi mei, cultorũq; meorũ, & contra populũ, quem iudicio meo decreui diſperdere: hoc eſt, contra omnes impios, quos digne iuſteq; tractabo, quos ultiõ digne deuoui.

6 Gladius domini repletus eſt ſanguine, incraſſatus eſt adipe de ſanguine agnorum & hircorum, de ſanguine renum arietum. Victima enim domini in Boſra, & interfectio magna in terra Edom.

Maxima ſtrage excindam gentes, ut gladius meus ſanguine totus perfundendus ſit, & præ adipe occiſorum incraſſandus, & obducendus pinguedine cruoris humani. Nec tantum populos exercituum, ſed duces, principes, & reges quoq; eorũ cædam. Inſigne enim ſacrificium parabo mihi ſacrificandũ in urbe Edomitarum Bozra. Totum enim Babylonicum regnum quod Eſaiæ temporibus ad monarchiam obtinendam ſudabat, proſecit ex ſtrage omnium populorum, longe lateq; illud circumdantium. Hic autem Idumæos nominat, quos in prioribus, cum Aegypti, Syriæ, Moab, Amon, & reliquorum onera ſcriberet, ueluti nihil dicere audens, ſuã iußerat expectare prophetiã, quam hic in ultimis, quaſi generalem omnium uaſtationem deſcribendo commemorat. Cum tamen nuſquã legantur Iudæorũ regnum proprio ſolitarioq; exercitu inuaſiſſe, ſed tantũ tributa negaſſe, ſeſeq; defendiſſe, & ſocios adiuuiſſe.

Contra Idumæos.

7 Et deſcendẽt unicornes cum eis, & tauricũ potentibus. Inebriabitur terra eorũ ſanguine, & humus eorũ adipe ſaginabitur:

Nec ſoli id Idumæi patientur, ſed etiam alij reges & principes, ueluti unicornes ſuo cornu populos impugnantes, iudiciũ meum ſentient durũ & cruentũ, ut terra ipſorum, truculentium et ferocium tyrannorũ cruore ſit irriganda, & pulueres ab ipſorum adipe impinguandi. Vt qui terram ſua tyrannide preſſerunt, & innocentium ſanguine rigauerunt, ſuo quoq; ſanguine fuſo polluant.

8 quia dies ultionis domini, annus retributionum iudicij Sion.

Ea autem ratione id fiet, quia inſtitui non parcere etiam meo populo, quem elegeram, qui illorum quoque exemplo impietatẽ uelut aquam ebibit, ut nihilo ſit gentibus melior, ſed cõparatione ſuſceptæ gratiæ longe deterior. Veniet ſiquidem etiam iſtis ſui iudicij dies & iuſtæ ultionis, annuſq; infecilitatis ipſorum ad iudicio cõtendendum etiam cum Hieroſolyma & Iudæis. Poteſt quidem dici ſecundũ Hebræos, Edomitas puniri & mala eis retribui ad uindicandum Zion, quia ſcilicet adiuuerunt uaſtatores Zion. Sed quia hiſtoria rei geſtæ clariſſime exponit hanc prophetiam, ſiue primam Hieroſolymæ uaſtationem ſiue ultimã aſpiciamus, ideo is ſenſus etiam inuitis Iudæis cõprobabitur longe dexterius, quàm ipſi ſuum oſtendant, contra Chriſtianos exponentes, quos Idumæos uocant.

Iudicium Iſraëlitarum futurum.

9 Et conuertẽtur torrentes eius in picem, & humus eius in ſulphur: et erit terra eius in picem ardentem,

10 nocte & die non extinguetur. In ſempiternum aſcendet fumus eius: à generatione in generationem deſolabitur, in ſæcula ſæculorum non erit tranſiens per eam.

Quicquid Sioni & Iudæis ſalutẽ ac ſolatium afferre poterat, hoc eis damnoſum factum eſt & exitiale. Humus tua non cibum ſed ſulphur proferet. Fluenta ſcripturæ ſacræ, quæ uitam animæ præſtare debuerunt, uertuntur Iudæis in aconitum, & picem fœtulentam: & tãto ſulphure uindictæ diuinæ incẽdetur terra Iudaica, ut nullo unquam tempore Iudæis ſit uſui ſolatioq; futura, ſed toti terrarum orbi perfidiæ Iudaicæ famam prædicatura eſt omnibus aſpicientibus. Sicca, ſqualida, et uaſtata iacebit Iudæa, urbibusq; deſtructis, à generatione in generationes, ut nullis Iudæis unquam hæreditanda permittatur, quibus tamen deus illam pro peculio tradiderat. In ſæcula ſæculorum nemo per illam tranſibit, Iſraëlitarum nullus in ea ut propria conuerſabitur.

Iudæorum pœna inſignis.

11 Et poſſidebunt illam onocrotalus, & ericius: & noctua, & coruus habitabunt in ea. Et extendetur ſuper eam menſura, regula uanitatis, & lapides deſolationis.

Hieroſolymam illam poßidebunt animalia, loca deſerta habitantia: hoc eſt, inhabitata iacebit, & habitaculum ferarum erit. Subuertetur enim à domino, & funiculo deſolationis & annihilationis metietur, ſiue primam ſiue ſecundam eius terræ & urbis uaſtationem conſyderes.

12 Nobiles eius non erunt ibi: regnũ uocabunt, & oẽs principes eius erunt nihilũ.

13 Et orientur in domibus eius spinæ, & urticæ, & paliurus in munitionibus eius: et erit cubile draconũ & pascua struthionũ:
14 & occurrent dæmonia, onocentaurus & pilosus clamabit alter ad alterum. Ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiem:
15 ibi habuit foueam ericius, & enutriuit catulos, & circũfodit, & fouit in umbra eius: illuc congregati sunt milui, alter ad alterũ.

Solitudo Hierosolymæ.

Præfecti & nobiles eius, & regnũ non erit ibi, omni splendore & potentia carebit, in palatijs ipsius sentes urticæ & paliurus crescent, habitaculũq; draconũ erit, & speluncæ struthionum. Ibi quicquid horrorem incutere potest & terrere homines, spectra & satyri, & id genus monstra terribilia habitabunt: hoc est, in totalem & diuturnam solitudinem, ruinas, et fruteta redigetur. Et quicquid solitudines amare consueuit, ibi gratũ sortietur habitaculum. Quanquam autẽ Iudæa semper habitatores habuerit, sicut & Idumæa, sed ad prophetæ tempora & Christi domini cõparata, uastissima solitudo dici potest, & luculenter uidetur. Nomina animaliũ incerta apud Hebræos, ex Plinio, nostra translatione, et alijs commentarijs inquirantur. Nobis sensum inquirentibus hæc omnia clara sunt, intelligentibus in destructis urbibus optatissima habitacula esse omnium ferarum solitudines amantium.

16 Requirite diligenter in libro domini, & legite: unum ex eis non defuit, alter alterum non quæsiuit: quia quod ex ore meo procedit, ille mãdauit, & spiritus eius ipse congregauit ea.

Scrutamini ô uos Iudæi diligenter librum diuinæ legis, & cognoscite, si non tam horrendæ solitudines uobis prædictæ sint & promissæ, quales ego uobis nunc inculco, uobis Israëlitis inquam, si legem domini dei uestri spernatis, sicut spernitis, si fœdus initum toties præuaricabitis, si timorem domini dei uestri abiecritis. Quod certè dum incessanter & continuo agitis, quid aliud quàm in lege uobis interminatã pœnam expectabitis? Legite ergo librum, & inuenietis omnes has uindictas manere peruicatiam uestram, nulla dempta. Pariter enim uos omnia maledicta inuoluent: sic enim locutum est os domini, sic minatus est uobis multa incommoda superuentura, quæ omnia suo spiritu et uoluntate contra uos congregabit, & simul omnibus inuoluet incredulos, inobedientes, & contemptores præceptorum eius. Quæ de Edomitis dici non possunt, sed Iudæos & ciues Sion clare respiciunt.

Iudæi legis contemptores, per legẽ iudicabuntur.

17 Et ipse misit eis sortem, & manus eius diuisit eam illis in mensurã: usq; in æternum possidebũt eam, in generatione & generationem habitabunt in ea.

Quicquid dominus pœnarũ decernit improbis, quascunq; sortes, et quæcunq; fata præordinat deus impijs, & sua quasi manu dispartitur pro meritis, & infallibili prouidentia sua, quibuscunq; firmissimo ordine & certissimo euentu prouenium. Iudiciorũ enim suorum iustissima decreta euadere nullus potest: uoluntati suæ nemo resistet: prouidentiæ suæ ordinem nemo inuertet: in omnia sæcula permanet uerbũ suum: cœlum citius & terra trãsirẽt, quàm ut interrũperetur ueritatis suæ promissio quæcunq;. Fœdus uestrũ, ô Iudæi, infringere potestis & abijcere: ipse autẽ fœdus initũ nequaquã infringet: uel obedietis illi, uel prædictas in lege uindictas desertoribus sentietis. Habitabit in uobis ira domini, si uos illi per fidẽ adhærere & obedire recusaueritis.

¶ CAPVT XXXV.

1 Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.

Prophetica scriptura instituta est à deo palestra piarum mentium, ubi sese exerceant. Consolatio quidẽ uidetur sequi populi Iudaici post stragem Assyrij. Tunc enim redibunt qui fugerant, audient prophetas, uidebunt magnalia dei, laudabũt beneficia eius, proficient uirtutibus, restituentur loca desolata, Saron, Carmel, & Libanus, fertilitatis loca, in pristinam gloriam, & exaltabitur dominus. Quia aũt Iudæi de temporibus Messiæ exponunt, et Hieronymus de uocatione gentiũ, non uidetur incongrue hoc quoq; modo exponendũ, de quo iudicent pij. Bonitas diuina ex pessima Iudæorum conditione suo more promouet omnium gentium salutem & pietatem: quia ad repudium illorũ sequuta est electio ecclesiæ ex gentibus, quæ in prophetis commodè dicitur desertum & inuium, multiplicibus liuoribus in fide & enormibus criminibus uastata, in moribus, & sine omni fructu salutis tanto tempore esferata & destituta gratia & beneficijs clementiæ dei. Hæc ergo solitudo, gentes scilicet lætabũtur, et exultabit desertum illud, per Euangelicam doctrinam irrigandũ, ut floreat iucundissime ad agnitionẽ unius ueri dei peruenientes, per fidem: quæ cum non possit otiosa esse, fructus bonitatis exprimit & producit. Quomodo enim gentilitas ab apostolis uocata fructus salutis promouerit, adeò claret, ut nec Iudæi inficiari possint dei sui gloriam toto orbe magnificatam in fidelibus.

2 Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron. Ipsi uidebũt gloriam domini, decôrem dei nostri.

Arefacta & abiecta Iudaica synagoga, fidelium ecclesia amœnissimè latissimeq; fructus iustitiæ germinabit, & exultabit de assecuta per dei gratiam agnitione ueritatis & uirtutis ueræ, de gratia & beneficijs dei, de electione sua ad hæreditatem filiorũ dei, de data quoq; gloria Libani prærogatiuis Israëlitarum. Tanta donauit gentibus ad se conuersis, ut quicquid gratiæ, salutis, uirtutis, & gloriæ Iudæis ingratis cõcesserat, hoc electorũ ecclesiæ ex gentibus copiosè concesserit. Et gloria Carmeli translata est in desertum, ut iam non desertum sit, sed uberrimo prouentu felix, hortus uoluptatis spiritualis, & promissionis terræ lacte fluens & melle. Ipsi electi ex gentibus uidebunt gloriam domini, quam Iudæi uidentes reuereri & colere renuerũt. Quicquid gratiæ

gratiæ Iudæi habuerant, id nunc gentibus concedetur.

3 Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.

Consolatio gentium est, ut opera sancta posthac per fidem & gratiam dei strenue perficiant, fortiter proficiendo instent, otiosi non sint, et fiducia sancta nitantur progrediendo per uiam salutis, nõ sua uirtute sed gratia dei, Euangelica prædicatione confortati & sustentati per fidem. Nihil enim credenti difficile.

4 Dicite pusillanimis, Confortamini, nolite timere: ecce deus uester ultionẽ adducet retributionis: deus ipse ueniet, & saluabit uos.

Prædicatores Euangelij dicite omnibus electis, et ex gentibus aduenis, ut nihil desperent, & qui stupido & anxio corde sunt, fide in dominũ confirmentur, ut sciant se gratia dei susceptos in numerũ electorũ, et saluandos per merita Christi in regno Messiæ omnium saluatoris: credantq; uindictam sumptam de impijs Iudæis, retributionem quoq; dignam illorũ factis cessisse in salutẽ fidelium. Propter quos de captuitate perfidiæ & criminũ redimendos, uenit in hũc mundũ filius dei, promissus patribus, ut esset expectatio et benedictio omniũ gentium: sic, ut qui saluaturus nos est, et ad se tracturus gẽtes, alius non sit, quàm ipsemet deus, qui & uindictam sumit de impijs, et ad saluandum gentes uenturus prædicitur.

Dei aduentus ad homines.

5 Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt.

6 Tunc saliet sicut ceruus claudus, & laudabit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine,

Manifestũ signũ prædicitur saluatoris uenientis, gentium uocationis, & regni dei in fidelibus, dum oculi cæcorum aperiuntur, & surdorum aures audiunt, & claudi recta incedunt, et præ gaudio salutis insperatæ saliũt, lingua quoq; mutorum erumpit in diuinas laudes, dum pauperes Euangelizantur, dũ Euangelica doctrina prædicatur in gentibus, & aqua sapientiæ irrigantur solitudines, arida loca fluminibus exundant. Metaphoræ sunt beneficiorũ dei, & profectuum in ecclesia Christi.

Signa aduentus Christi.

7 & quæ erat arida in stagnum, & sitiens in fontes aquarũ. In cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur uiror calami & iuncit

Successerunt quidem læta Iudæis post stragem Sennherib, quæ tamen tanta nõ fuerũt ut felicitati partæ per Christum comparari possint nisi in typo. Gentilitas aũt calore ultionũ arida, et desyderijs illicitis sitibunda, per Euangeliũ Christi uersa est in stagna aquarũ cœlestiũ, et in refrigeriũ animarũ, de peccatorũ indulgentia anxiarum. Vbi prius draconũ cubilia erant, corda æstuantia odio, auaritia, libidine, ira, ante fidem in Christum, ibi uiror calami, iunci, & herbarũ omnium iucunditas apparebit, uirtutum læta seges, & fructus dei succrescent.

Gentilitatis conuersio.

8 & erit ibi semita & uia, & uia sancta uocabitur, Non transibit per eam pollutus, & hæc erit eis trita uia, ita ut stulti non errent (per eam.)

Via uitæ & felicitatis ueræ fidelibus patefiet, & uocabitur uia sancta. Quæ alia non est, quàm is qui dicit, Ego sum uia, ueritas, & uita: nullus per eam pollutus transibit. Est enim Christianus uir innocens & impollutus, reddens pro malo bonum, nulli inuidens, beneficus ad omnes, & criminum hostis, osor uitiorum in se & in alijs. Perfectissimarum uirtutum uiam Christus ipse inceßit prior, fidelibus in exemplũ, quo minus erretur. Discite, inquit, à me, quia mitis sum & humilis corde. Stulti autem proprias sibi uias statuunt, & traditionibus hominum obsequi malunt quàm Euangelicis, ideo errant, & duces fiunt errantium.

Christianus quis sit.

9 Non erit ibi leo, & mala bestia nõ ascendet per eam, nec inuenietur ibi. Et ambulabunt qui liberati fuerint,

10 & redempti à domino: conuertentur & uenient in Sion cũ laude, & lætitia sempiterna super caput eorum. Gaudiũ & lætitiam obtinebunt, & fugient dolor & gemitus.

Discipuli Christi & fideles in ecclesia clementiæ et tractabilitatis specimen præ se ferunt, ab omni ferocia, rapacitate, et sanguinolentia alieni: tuti ubiq; erunt sub alis protectionis diuinæ, charitatis legem sectabuntur, & beluarum ferocitati non succumbent, sed per uiam salutis sine omni terrore peruenient ad uitam, ad statum ecclesiæ triumphantis, in consortium electorum, quõ omnes redempti à domino tendũt, in patriam sanctorũ, in Sion sanctam, cum laudibus diuinis, cui bona omnia accepta referunt, nihil sibi tribuentes, gaudio sempiterno perfruituri. Quomodo autẽ tantarum angustiarum perpessa molestia, etiam in hoc mundo compensabitur si ad montem Zion sancti in Palestinã perueniant, quomodo ibi in æternum uiuent et gaudebunt. Sed cœlestis oportet Hierosolyma sit, et æternus mons Zion, in quo sempiterno gaudio cũ laudibus diuinis perfruantur electi, ubi in sanctorum omnium consortio iucundentur, in Christo apud deum & lætitia sine gemitu & dolore sine fine afficiantur. Voluit autem sanctus propheta spiritu diuino instructus, pariter prædicere gratiã dei imminentem suis temporibus, & ingens miraculum omnipotentiæ diuinæ in Sennherib, & simul prædicere omnibus prophetis notißimam gratiam mundo exhibendã temporibus Messiæ, omnibus scilicet fidelibus in dei glõriam et gentis Israëlitæ sanctæ exultationem. Vt omnia illa prisca oracula seruierint tũc præsentibus rebus, & typum significauerint futurorũ longe meliorũ et maiorum, ut lux est umbra melior, & significatum typo.

Discipuli Christi quales.

Hierosolyma cœlestis

¶ CAPVT XXXVI.

1 LT factum est in quartodecimo anno regis Ezechiæ, ascendit Sennacherib rex Assyriorũ contra omnes ciuitates Iuda munitas, & cepit eas.

Et factum est, quæ dudum multis prophetijs non sine interruptione descriptis futura prædixerat ꝓpheta, nũc moriturus uel senior, scilicet quadragesimo septimo anno, à uocatione prophetæ facta cõmemorat, ad per-

Historia Isaiæ temporibus.

petuam gloriam dei & populi sui, ut discant prophetis credere, et in bonitatem dei sperare periculorum tempo ribus, et tyrannorum blasphemorumq; minis à ueritate non deflecti. Etiam sub optimo rege terrores hostiũ dominus immittit, quo & gratia dei appareat, et fides confirmetur regis & populi, subditorum quoq; fauor & obedientia crescat ad regem. Interim tamen urbes Iuda capiuntur à rege Assyriorũ propter diffidentiam suam in deum, & priuata peccata illarum: & munitiones quoq; nõ iuuant ciues, quos impietas domino reddebat offensos. Capiuntur enim & subduntur Assyrio. Non tamen legitur captus Iudas in Assyrios, ut Israëlitas, post breue tempus restituendos suo regi.

2 Et misit rex Assyriorũ Rabsacen de Lachis in Ierusalem, ad regem Ezechiã cum exercitu graui, & stetit in aquæductu piscinæ superioris in uia agri fullonis.

Lachis proxima Hierosolymæ in tribu Beniamin primò capitur. Cum uerò Hierosolymã proficisci deliberat, prouidentia dei rapitur ad puniendã superbiam Aegyptiorum, qui cum seipsos defendere nõ possent, alijs tamen promittebãt auxilia. Ideoq; iudicio dei affliguntur ipsi quoq; ab Assyrio oppugnante Lobnam, quæ à Iosepho putatur Pelusium. Illuc autẽ profecturus nuntium mittit Hierosolymam, opprobraturum deo Israelis, &
Rabsaces. blasphemiã suis criminibus adiecturus. Rabsake interpretatur magister potationis, mittiturq; cũ parte exercitus maxima Hierosolymam, ut terreat, & ad deditionem inducat ciues, quorũ nonnullos sciebat propensiore animo esse ad regem Assyriũ, quo pericula euaderẽt, & propter deum timores non ferrent. Non proponitur causa belli, sed uoluit deus emendare suũ populũ qui bonitatẽ dei nõ agnoscebant, idq; per Assyriũ, qui propagare tantũ uolebat suum imperiũ. Impius seruit iusticiæ dei, quã et experitur ad dei gloriã. De situ aquæductus à piscina superiore in infimã, non est ut multa disputentur: & de agro fullonum qui proximus est fonti Rogel.

3 Et egressus est ad eũ Eliacim filius Helciæ, qui erat super domum, & Sobna scriba, & Ioahe filius Asaph à commentarijs.

Sobna. Ex prædictis collatis cum præsentibus uidetur Sobna exauthoratus fuisse de præfectura domus regiæ, factusq;
Eliakim. scriba regis. Eliakim autẽ filius Helkiæ in superioribus laudatus est, & à domino prædestinatus officio præfecturæ. Quomodo aũt scribæ officiũ illi commendari potuerit, Iudæi respondeant, qui ipsum aiunt proditionis & perfidiæ causa officio priuatum, cum fides maxima exigatur in notarijs, & urbium scribis, qui peßimè nocent, si maleuoli sint: utilißimi autẽ reipublicæ, si fidem præstent. Ioahe autem à commentarijs dicitur, quales nunc principes cancellarios uocant.

4 Et dixit ad eos Rabsaces, Dicite quæso Ezechiæ, Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum, quæ est ista fiducia qua confidis?

Noluit Ezechias tradere urbẽ, ideo accusatur rebellasse. Omnia enim sua ducunt reges illi ad quæ ingrediuntur. Voluit quidem pacẽ facere Ezechias ab initio reddita pecunia, sed urbẽ tradere non uult, quod uoluit Assyrius. Secundò ergo uenit contra Ierusalem, primò nuntijs, secũdò, ut hic dicitur, copijs. Qui præerat Rabsaces tentat fidem ex omni parte regis Iudæ, primò terrendo ipsum à magnitudine regni Assyriorum, & regis ferocitate, ignarus potentiæ dei, quẽ non credẽs blasphemat. Vt nihil est deo acceptius fiducia credentiũ in se: sic diabolus ab initio & deinceps cum angelis suis omnium maximè tentare solet fidem sanctorum.

5 Dixi, Profecto uerbo labiorum consilio & fortitudine rebellare disponis: nunc (ergo) super quem habes fiduciam, quia rebellasti mihi?

Aut quia dixisti tu Ezechia, et tecũ cogitasti fortasis, Equidẽ institutũ & spem habeo uerbo labiorũ: hoc est, oratione ad dominũ me deffendendo, præsens periculum me euasurũ. Ego uerò tibi dico, non supplicationibus hanc rem geri, sed consilio & fortitudine in bello, quibus destitutus tu es. Hæc uerba sunt infideliũ. Fidelis aũt dicit, Benedictus q docet manus meas ad præliũ, Nõ in fortitudine uiri, &c. Nunc aũt ait impius: In quo fiducia habes, ut ausus fueris rebellare tãto regi Assyriorũ?

6 Ecce confidis super baculum arundineum confractũ istum super Aegyptũ: cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam: sic Pharao rex Aegypti omnibus qui confidunt in eo.

Sermo artificioßißimus Rabsacis, qui & à ueritate orditur, ut ad mendacia perueniẽs credatur uerbis suis et persuadeat. Etenim recte improperatur Iudæis confidentia habita in Aegyptios, qui arundineo fulcro aßimilantur confracto, quod obsit magis innitenti, quàm sustentet, manus perforando, dum defendere à casu putatur. Non enim spes reponenda est in hominem: & Aegyptij infideles sæpe reperti sunt. Neq; uult deus fideles suos nuti creaturæ cuicunq;, sed sibi uni.

7 Quòd si responderis mihi, In domino deo nostro confidimus: nónne ipse est cuius abstulit Ezechias excelsa & altaria, & dixit Iudæ & Ierusalem, Coram altari isto adorabitis?

Impie amputare nititur spem in deum, qua ablata totus concidat, ab hominibus scilicet et ipso deo desertus. Excelsa sanctè & secundũ dei legem Ezechias abstulerat, quod hic impius calumniator uitio uertit, quasi dei cultũ abstulerit, cum deus noluerit ceremonijs coli nisi unico in templo: temeritates quoq; superstitiosorũ abominetur, uelit aũt spiritu & ueritate adorari, & legis suæ obseruantia & obedientia, qua cauerat una tantũ ara hostias sibi immolandas, unum solum templum, uno in loco extruendum. Id cum curasset rex pius, nunc ab hoc uitio datur, ad desperationem propellere eum nititur impius, & in odium plebis pertrahere, cui hæ superstitiones placuerant, & inuiti illis carebant.

8 Et nũc contractũ fac cum dño meo rege Assyriorũ, et dabo tibi duo millia equorũ, nec poteris ex te præbere ascensores eorũ:

Etiamsi

Etiamsi pactum inieris cum domino meo rege Assyriorum, ut dem tibi duo millia equorum, non exhibere poteris de regno tuo attenuato tot ascensores equites. Cum igitur tam pauper & imbecillis sis, opponere te audes regi potentissimo? Talia sunt argumenta impiorum ut ex numero militũ pensent fortitudinem. Digne igitur uno angelo tot militũ millenarij una strage sternuntur.

9 & q̃modo sustinebis faciem ducis unius ex seruis domini mei minoribus? Quòd si confidis in Aegypto, in quadriga, & in equitibus:

Impietas abundans.

Superbia in immensum crescere debebat, et contemptus dei cum blasphemia, ut digne uindicta tam grauis subsequi uideretur. Dum enim abundat impietas, etiam certa pœna illico expectanda est. Minimum seruorum regis sui præfert maximo seruo dei. Ideo unus minister dei, omnes duces regis cum tanto exercitu sternit, una clade, una nocte. Rabsaces uerbis suis Aegyptios extenuat, non indigne, quos & interim rex Assyriorum infestat: sed utrosq; dominus exitio destinauerat, Aegyptium ab Assyrio uincendum, Assyrium autem ab Ezechia iusto rege.

10 & nunc nunquid sine domino ascendi ad terram istam, ut disperderem eam? Dominus dixit ad me, Ascende super terram istam, & disperde eam.

Rhetorica rapina

Missus à domino.

Grauissima tentatione ultimo aggreditur rhetorica calliditate, asserens se iussu domini uenisse contra Ezechiam, non quidẽ falsò, sed tamen mendaciter se iactans missum à domino. Reuera enim missus fuerat à domino, non Hierosolymam expugnaturus, sed expugnandus cum tanto exercitu. Vastauerat quidẽ terram Iuda præter Ierusalem, propter peccata populi, & id non sine domini uoluntate. Certissima est enim nota uolitionis dei, si quid fiat, sine quo factũ est nihil. Sed fiunt omnia etiam crimina impiorum ad dei gloriam & piorum salutem, impiorumq; lapsum. Prædictum quidem fuerat à prophetis uenturum illum, sed ipse iussus non fuerat: propositum dei sanctum est, sed impij regis institutum est impium. Iactatur sæpe uoluntas dei ab impijs mendose, & dei zelus allegatur, de quo tamen nihil curant.

11 ¶ Et dixit Eliacim, & Sobna, & Ioahe ad Rabsacen, Loquere quæso ad seruos tuos Syra lingua: intelligimus enim: ne loquaris ad nos Iudaice in auribus populi qui est super murum.

Linguarum peritia.

Verebantur boni uiri ex huiusmodi uerbis populum concitari contra se qui inuiti permiserant excelsorum & ararum subuersionem, & propensiores erant ad se dedendum Assyrio, quàm obsidionem sustinendum. Cupiebant ergo ea lingua legatum loqui, quam populus nõ caperet, Syriace scilicet, & non Iudaice, ipsi autem mercatores, & ad regem relaturi essent audita. Expedit reipublicæ rectores, multorum populorum linguas nosce, & externis posse nationibus in casu colloqui, probatos uiros scilicet, alioqui perfidiæ instrumentum est conuenientissimum.

12 ¶ Et dixit Rabsaces, Nunquid ad dominum tuũ & ad te, misit me dominus meus, ut loquerer uerba ista: & nõ potius ad uiros qui sedent in muro, ut comedant stercora sua, & bibant urinam pedum suorũ uobiscum?

Agit Rabsaces non segniter nec inscite regis sui negotium, uolens potius populi zelum concitare contra regem, et seditione aliqua perturbare ad impatientiam. Facile enim urbes ciuium simultate & rebellione obtinentur, etiam fortissimæ. Discordia enim regna magna collabuntur. Lupus miseretur includi ouiculas, suadet aperiri caulas ne captæ uideantur. Promittit autẽ obsidionem diuturnam, donec cogantur edere stercora sua, & urinam bibere, nõ solũ populus, sed primores quoq;. Addit enim Vobiscum.

Discordia.

13 Et stetit Rabsaces, & clamauit uoce magna Iudaice & dixit, Audite uerba regis magni, regis Assyriorum.

14 Hæc dixit rex, Non seducat uos Ezechias, quia non poterit eruere uos:

15 & nõ uobis tribuat fiduciam Ezechias super domino, dicens, Eruens liberabit nos dominus, non dabitur ciuitas ista in manu regis Assyriorum.

Perstitit fortius allaborando ad consternandũ ciues, iactando magnitudinem regis Assyriorum, & perfidiã falso accusando Ezechiæ in suum populum, quasi decipientis inanibus spebus, promittendo auxilium dei, qui id nec posit propter Assyrij regis potentiam, cui etiam alij dij obsistere non potuerint: nec etiam id uelit, indignatione irritatus contra sacrilegũ regem, ararum subuersorem & excelsorum.

16 Nolite audire Ezechiam. Hæc enim dicit rex Assyriorum, Facite mecum benedictionem, & egredimini ad me, & comedite unusquisq; uineam suam, & unusquisq; ficum suam: & bibite unusquisq; aquam cisternæ suæ,

17 donec ueniam & tollam uos ad terram, quæ est ut terra uestra, terram frumenti & uini, terram panum & uinearum.

Hostilis oratio est, qua ad defectionẽ perurget populum, contra sanctum & fidelem regẽ. Benedictio quam poscit, est gratia & obedientia populi, ut imperata faciat, dedantq; sua omnia corpora, uitã, possessiones, urbem, quæ tamen more principum mendaciter promittit simplicibus, ut alliciat ad defectionẽ. Prætexit utilitatẽ populi quem uult corrumpere & delere, quasi fides requirenda sit in hoste tam crudeli tyrannico et blasphemo, deum uerũ ignorante, imò contemnente. Promittit aũt ad tempus pacem, & indemnitatẽ in propria terra, donec uberiorem accipiant in Chaldæorũ regno. Sic diues promissionibus est mundus, sed malignus. Sic tentantur grauiter fideles: et sine dubio deficiunt, et succumbunt, si fides deficiat in deũ, si temporalia admirentur, & possessiones diuitiarũ præponãt cultui uero dei sui.

Fides hostium.

18 Nec incitet uos Ezechias, dicẽs, Dominus liberabit nos. Nunquid liberauerunt dij gentiũ unusquisq; terram suam de manu regis Assyriorum?

Seductionem existimant impij & stultitiam domino deo cõfidere, ipsius auxilio consolari, unum tantũ deum credere, cum plures non sufficiant suis cultoribus: metiendo dei uirtutem ex creaturarum potentia tenui, æquando idola deo Israëlis, uanitates gentilium summo omnium rerum opifici & gubernatori.

19 Vbi est deus Emath & Arphad? Vbi est deus Sepharuaim? Nunquid liberauerũt Samariam de manu mea?

Hemath Antiochiam Syriæ putant, ubi deus aliquis insignis colebatur, sed qui suos non redemerit. Arphad alia urbs dicitur in Syria Damascena. Sepharuaim in Assyriorũ regno urbs, ex idolo insignis, sed tamen subiugata, unde & in Samariam colonia aducta est, post regni Israëlitici desitionem. Samariam quoq; addit, ubi cum idolis gentium etiam dominus deus Israëlis colebatur, qui suam Israëliticam gentem liberare de manu Assyriorum non potuerit.

20 Quis in omnibus dijs terrarũ istarum, qui eruerint terram suam de manu mea, ut eruat dominus Ierusalẽ de manu mea?

Talia sunt argumenta impiorũ contra fideles, falsa, impia, & blasphema assumentia ad probandũ errorem, ad seducendũ pios, ex moribus, potentia, & uoluntate: cum lex, ueritas, & fides respici debeant.

21 Et siluerũt, & non responderunt ei uerbum. Mandauerat enim rex, dicẽs, Ne respondeatis ei.

Tacendum quandoq;.

In re tam luculenter stulta & improba satius erat tacuisse: non merebantur solutionem hæc argumenta: disputandum non erat contra blasphemum, allegabatur falsum, obmittebatur uerum: sophistice omnia proponebantur: homines in muro tacuerunt, periculum erat si uulgus respondisset. Certior erat rex Ezechias de clementia dei in suum populum, quàm ut stulto respondi uoluerit iuxta stultiam suam. tam sæpe audierat Esaiæ prophetias contra Assyrium & pro regno Iuda, quantumlibet prostrato. Credebat tamen uerbo prophetæ, & maledictionibus Rabsacis nõ mouebatur, qui sibi in conscientia bene constabat. Nihil tamen negligebat rex quæ ad pacem & urbis redemptionem humano consilio prodesse credebat, reliquum diuinæ bonitati committens. Tacuisse satius erat quàm hostem impium ad blasphemias ulterius prouocasse.

22 Et ingressus est Eliacim filius Helciæ qui erat super domum, et Sobna scriba, & Ioahe filius Asaph à commentarijs, ad Ezechiam scissis uestibus, & nuntiauerunt ei uerba Rabsacis.

Scissio uestium.

Scissio uestium summam testabatur indignationem, & dolorem de contempta gloria diuini nominis. Sed cum id etiam hypocritæ posint, & Caiphas impius, satius est cordibus scindi, & ex animo dolere, & facto

impedire indigna, & occurrere malo. Nos audimus blasphemiam in uerbum dei, in Euangeliũ, ad perniciem ecclesiæ et ueritatis, sed parum mouemur: sic uana, falsa, turpia, criminosa audimus, sed floccifacimus, nullam propterea uestem scinderemus.

CAPVT XXXVII.

1 ET factum est: cum audisset rex Ezechias, scidit uestimenta sua, & obuolutus est sacco, & intrauit in domum domini.

Religioso præditus pectore rex Ezechias, blasphemias dei audiens, prorupit in signa tristitiæ absq; hypocrisi, uestes scindendo, & mœroris uestes induendo. Qui uerò æquanimiter impia uerba audire potest, signũ ædit tepentis zeli, & frigidi cordis in gloriam dei. Ingreditur tristitiarum tempore in domum domini, conquesturus iusto iudici tam indignam contumeliam, uindictamq; oraturus ad gloriam dei & consolationem fidelium. Sciebat enim iuste se idololatriam subuertisse, complacuisse domino officium suum in excelsorum dissipatione, ideoq; fideliter domini clementiã obtestatur. Audiatur pia.

2 Et misit Eliacim, qui erat super domũ, & Sobnam scribam, & seniores de sacerdotibus opertos saccis ad Isaiam filiũ Amos prophetam.

Vtcunq; gratissimus deo esset rex pius, tamen ad prophetam mittit, domini responsa expetiturus, legationem honestam, seriosam, & humiliter se gerentem: quanquam intelligeret se orantem exaudiendum, tamẽ nihilominus orationes exigit sancti uiri, quem spiritu domini præditum non ambigebat prospera responsurũ. Plena in deum fiducia non impedit à sanctis studijs & assiduis. Oratio continet, fouet, & seruat pietatem. Intelligunt orantes quàm nihil sint coram deo. Magistratus solicitus sit pro generalibus orationibus, & exemplo suo persuadeat subditis. Humilis autem orantis habitus domino nõ displicet, si cor ipsum eandem attestetur, & absit hypocrisis. Nam & Christus in facie procidens orauit nobis in exemplum. Oratio sanctorũ.

3 ¶ Et dixerũt ad eũ, Hæc dicit Ezechias, Dies tribulationis, & correptionis, & blasphemiæ dies hęc: quia uenerunt filij usq; ad partum, & uirtus non est pariendi.

Queritur rex humiliter & anxie calamitatem maximam, qua ciuitas adfligebatur propter peccata: aduersitates maiores prædicebantur, & blasphemabatur nomen domini. Id certe quod à pio rege grauissimum omnium iudicabatur, comparando illud dolori maximo puerperæ: non quidẽ cuiuscunq;, sed eius quæ uim entendi fœtum amisit, & cogitur nouo angore distringi, cum maximo periculo, et acerbitate inestimabili. Tanti faciunt pij homines blasphemiam dei, tantopere dolent si uindicare iniuriam dei non possunt.

4 Si quo modo audiat dominus deus tuus uerba Rabsacis, quem misit rex Assyriorũ dominus suus ad blasphemandũ deum uiuentem, & exprobrandũ sermonibs quos audiuit

audiuit dñs deus tuus. Leua ergo oratio-
nem pro reliquijs, quæ repertæ sunt.

5 Et uenerũt serui regis Ezechiæ ad Isaiã,

Optat uindictam blasphemiæ in caput rependi im-
pijssimi regis et legati, uno ore deum blasphemantium,
Fidemq; profitetur prouidentiæ dei, qua omnia uidet,
& ordinat & potest omnia. Orationẽ prophetæ efflagitat, ut discamus sanctorũ hominum orationes optare,
& deum exaudire amicos suos, pro alijs orantes, charitatis lege dum uiuunt, & charitatis opera agere obligantur. De interceßione mortuorum pro uiuis nihil usquam docetur: sed prophetas domini orare pro populo, & uenerari à regibus, docet hic locus.

Intercessio mortuorũ.

6 & dixit ad eos Isaias, Hęc dicetis domino uestro, Hęc dicit dominus, Ne timeas à facie uerborũ quæ audisti, quibus blasphemauerunt pueri regis Assyriorum me.

Dominũ uestrum dicit propheta, quia in officio prophetali nõ agnoscebat dominũ nisi deum, siquidẽ paratus esset pro ueritate negligere quoscũq; reges et præsides, interim tamen non recusabat obedientiam. Et uidetur loquutio amantis, et prospera nuntiantis, affectũ quendã exprimẽs, & erigens mentem anxij regis. Non propriam iactat sententiã, sed domini sermonẽ narrat, statim sibi reuelatam, dudumq; cognitã & prædictam, de quo fide certior erat quàm rex, quantumlibet crederet prædictis. Est enim graduũ profectus in fide piorũ.

Prophetica fides.

7 Ecce ego dabo ei spiritũ, & audiet nuntium, & reuertetur ad terram suam, et corruere eum faciam gladio in terra sua.

Nullo negotio & leuißima opera obsidionem hanc soluam, hac uice illudendo impio regi ad horam fama hostium irruentium, quibus cogetur occurrere, rediturus quidem, sed tunc quoq; re infecta abiturus in suam terram. Breuibus enim multa pollicetur & certa: iam abibit, redibit, cadet gladio in terra sua.

8 Reuersus est autem Rabsaces, & inuenit regem Assyriorum præliantem aduersus Lobnam. Audierat enim quia profectus esset de Lachis,

9 & audiuit de Tharaca rege Aethiopiæ, dicendo, Egressus est ut pugnet contra te. Quod cum audisset, misit nuntios ad Ezechiam, dicens,

10 Hæc dicetis Ezechiæ regi Iudæ, dicentes: Non te decipiat deus tuus, in quo tu confidis, dicens, Non dabitur Ierusalem in manu regis Assyriorum.

Profecturus contra regem Aethiopum proximum Aegyptijs, et Lobnam interim finitimam Iudææ urbem oppugnaturus, nuntios mittit Ezechiæ, uerbis et epistolis terrendo, et dominũ denuo blasphemando, quasi dominus decipere quenq; consueuerit, qui iusticiæ et ueritatis fons est. Et tamen decipere solet dominus, nõ pios, sed impios, & Satanam, qui ubi se contra dominũ omnia adornasse crediderint, subito inuertit consilia, & inde exitium illis parat unde sibi pollicebantur omnia felicia.

Decipit dominus impios.

11 Ecce tu audisti quæ fecerunt reges Assyriorum omnibus terris quas subuerterũt, & tu poteris liberari?

Eò malitiæ & insaniæ deuenerat Assur, ut gloriaretur in populorum innocentium occisione et uastatione, cum multis profuisse populis, iuuisse cõsilijs & auxilijs, regem cõmendare debuerat: sed tyranni erant non consules, lupi non pastores, propediem uiolentiæ suæ præmia iusta accepturi. Impius enim uastandus erat, & fidelis eximendus à pernicie cum gloria.

Gloriatiõ regum.

12 Nunquid eruerũt eos dij gentiũ, quos subuerterunt patres mei Gozan et Haran: & Reseph, & filios Eden, qui erant in Thalassar?

13 Vbi est rex Emath, & rex Arphad, et rex urbis Sepharuaim, Ana & Aua?

Tyrannorum gloria est nullum timuisse deum, populos plurimos oppreßisse, auaritiæ et libidini satisfecisse. Gosen aliâs Gausam, prope Chaboram flumẽ in Euphraten fluentem, ex Casio monte. Aran patria Abrahæ in Mesopotamia. Reseph, petram Arabiæ dixerunt. Filij Eden, orientales aliqui populi dicuntur, nõ à paradiso, sed à terrarũ nobilitate & delicijs. Thalassar, fortaßis Thalatæ metropolis, regio apud Tigrim.

14 Et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, & legit eos, & ascendit in domum domini, & expandit eos Ezechias coram domino.

Epistolam intelligit librorum nomine, in qua blasphemiæ nõ ferendæ contra deum continebantur, qua lecta, ascendit iterum suo more ad templum domino deo suo conquesturus contumeliam qui poterat uindicare. Solum expandisse sufficiebat domino, quem nouerat nil latere, qui gloriam suam non dat alteri, qui in multas generationes uindictam agit hostium suorum.

15 Et orauit Ezechias ad dominũ dicens:

16 Domine exercituum deus Israël, qui sedes super cherubim: tu es deus solus omnium regnorum terræ, tu fecisti cœlum & terram.

Dominum exercituum inuocat, quem credit angelorum & hominum uires manu sua complecti, & dare uictorias. Is quoq; deus Israelis est, & patriarcharum amicus, qui speciali fauore præsens semper erat templo, apud propitiatorium, inter cherubim, responsa clara reddens fidelibus, in mysterio aderat, solus deus & unicus, omnipotens, & clemens cultoribus, dominus dominantium, à cuius uoluntate omnia pendent, qui condidit omnia. Hæc uera epitheta omnipotentis & ueri dei sunt, quibus se amat ex fide nominibus adpellari.

17 Inclina domine aurem tuam & audi: aperi domine oculos tuos & uide, & audi omnia uerba Sennacherib, quæ misit ad blasphemandum deum uiuentem.

Oratio hic incipit, Vt de excelso solio gloriæ suæ de cœlo inclinet fauorabiliter aures suas: hoc est, clementer exaudiat, & quæ orantur exhibeat. Aperire oculos nõ

poteſt, qui nunquam dormit uel claudit, omnia ſemper præſens aſpicit: ſed quia pios ſinit uexari, quaſi diſſimulando oculos claudere uidetur. Orat igitur, ut clementer intuẽdo ſuccurrat fidelibus, et impios tyrannos impediat, quo minus poſſint mala quæ uelint, blaſphemos cõpeſcat, & confundat faſtuoſos, & exprobratores uiuẽtis dei publico ſeueroq; iudicio ſic trucidet, ut reliqui diſcant timere dominum, & reuereri maieſtatem potentiamq; illius, qui ſolus uiuit & dat omnibus uitam.

Oratio prophetæ.

18 Verè enim domine deſertas fecerũt reges Aſſyriorum omnes terras, & regiones earum.

Magni reges.

Magni reges quid aliud ſunt quàm truculentiores multorum hominum oppreſſores & latrones, qui multis imperare uolunt, non ut multis proſint, ſed diripiant quàm plurima, totaq; libido & deliciarum ingluuies ad ſe redeat, ut ab omnibus timeantur? Omnes terras oppreſſerant Aſſyrij, uetuſto ſuo imperio monarchiam parantes, quam obtentam ſub tribus regibus, Medis tradiderunt & Perſis, deinde alijs ad breue tempus contigit.

19 Et dederunt deos eorũ igni: Non enim erant dij, ſed opera manuum hominum, lignum & lapis, & diſperdiderunt eos.

Superſtitio cauſa belorum.

Religionũ uarietas & multitudo deorũ multorum, bellorũ ſemper cauſas præbuit gentibus, dum quælibet ſui idoli laudes & gloriam uindicando reliquos omnes ſupprimere conati ſunt. Et Iudæorũ odiũ peruaſit reliquas gentes, quæ unum deũ credere nolentes, ſuos deos aſſerere ſtulta religione conati ſunt. Et hodie ob ceremonias diſſentitur, cum deus unus ab omnibus credatur. Deos combuſſiſſe dicuntur Aſſyriorũ reges, cum nõ niſi lapideas ligneasq; ſtatuas ignis abſumpſerit. Sic enĩ idola dij dicuntur, cũ nihil minus ſint, ſed ſtultitiæ humanæ adinuentiones, & artificiorũ quæſtus & gloria. Ideoq; ſecundum tempus gliſcente unius dei notitia, paulatim idola amoliebantur, etiam idolorum cultores ceſſabant.

20 Et nunc domine deus noſter ſalua nos de manu eius: & cognoſcãt omnia regna terræ quia tu es dominus ſolus.

Verum deum precatur, ut ad ipſius gloriam propagandam in omnes gẽtes pios ſuos ſaluare dignetur: quæ ſola à ſanctis intenditur, ut illius nomen ſanctificetur, et conuertatur mundus ad ſuum conditorem & gubernatorem colendũ digne, utq; tollatur tota ſuperſtitio falſorum diuorũ, innocentia & tranquillitas reformetur.

21 ¶ Et Miſit Iſaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit dominus deus Iſraël, pro quibus rogaſti me de Sennacherib rege Aſſyriorum,

22 hoc eſt uerbum quod locutus eſt dominus ſuper eum, Deſpexit te, ſubſannauit te uirgo filia Sion: poſt te caput mouit filia Ieruſalem.

Orationes fidelium.

Certiſſime exauduntur preces fideliũ, quia non niſi ad dei gloriam poſtulant, & à deo, contraq; tyrannos. Huiuſmodi enim orationes non fiunt niſi ſpiritu dei adflante, & pulſante ad oſtium cordis domino, multis modis ad digne orandũ. Conſolatio plena gratia, qua aſſecuratur rex pius, de clementia certa dei adfutura, qui electos ſuos ueluti dulciſſimam filiolam ſuam amplectitur & conſolatur in anguſtias graues impulſam, iubetq; animæquiorẽ eſſe, cito uiſuram beneficia paterna, amolitionemq; omnium quæ aduerſabantur, contemptumq; piorum ſuum reputat, et uindicat, qui ſit capitis motione, eaq; ſignificatur.

23 Cui exprobraſti, et quẽ blaſphemaſti, et ſuper quẽ exaltaſti uocẽ, & leuaſti altitudinem oculorum tuorũ? Ad ſanctum Iſraël,

24 in manu ſeruorũ tuorũ exprobraſti domino, & dixiſti, In multitudine quadrigarum mearũ ego aſcendi altitudinẽ montiũ iuga Libani: & ſuccidam excelſa cedrorũ eius, & electas abietes illius, et introibo altitudinẽ ſummitatis eius, ſaltũ Carmeli eius.

Iactantes ruinæ.

Vertit ſermonem ad Aſſyrium. Parum tibi uidetur obprobraſſe & maledixiſſe tam populo dei, quàm ipſi deo: aſuetus es enim oĩbus malefacere, ideo nihili pendis etiã maledicere. Superbire audes iactatione uitriũ et triumphorũ, etiam multorũ deorũ uictorias: exercituũ maximam copiã iactas, & inuictiſſimũ te prædicas, etiã cõtra deum Iſraëlis blaſphemias euomere nõ times: terram Iſraëlis totã te uaſtaſſe, à Libano & Charmelo, abſtuliſſe quicquid inſigne & altũ inueniſti gloriaris: cedros & cupreſſos & oĩa pulchra exterminaſſe. Et non eſt finis iactantiæ tuæ, quia nihil euaſerit gladiũ tuum.

25 Ego fodi, & bibi aquam, & exiccaui ueſtigio pedis mei omnes riuos aggerum.

Exercitus magnitudinem iactat quo ciſternas & aquas parare poſſit in omnibus locis, fodiendo & reperiendo aquas neceſſarias, ſimiliter & flumina quantum libet copioſa tranſuadare poſſit, infiniti exercitus labore & ſingulis operis. Quaſi dicat, Si tot millia hominũ ſingulos abſtulerint urceos aquarum, ſine impedimento tranſibunt, quò uolent, riuis ſiccatis planis pedum.

26 Nunquid non audiſti olim huiuſmodi quæ feci ex diebus antiquis? & plaſmaui illud, nũc adduxi illud, & factũ eſt ad uaſtandos aceruos, & ruinas ciuitatũ munitarũ.

Prouidentia diuina.

Nónne fama ad te perucnit rerum à me iam olim geſtarum, in terra iſta, quam nũc te uaſtaſſe gloriaris? Nihil arbitrio tuo nunc actũ eſt, ſed prouidentia mea nunc ſtatui, quæ iam dudũ futura prædixi: ſcilicet uaſtandam terram propter peccata populi mei, quam olim propter bonitatem meam et merita patrum plantaui, electis impijs Chananæis. Nihil fit uſpiam etiam à te ſine mea ordinatione, ſiue dum erigo populos, & terram ædifico, ſiue dum euello & diſijcio. Vrbes meo opere ſtatuuntur, & ſine me non euertuntur.

27 Habitatores earũ breuiata manu contremuerũt & confuſi ſunt: facti ſunt ſicut fœnum agri, & gramen paſcuæ, herba tectorũ quæ exaruit antequã matureſceret.

Dum uolo ego totam ciuium potentiam euacuo, & ueluti manibus mancos reddo, ne ſe tueri poſſint ab hoſtibus

stibus quibuscunq; , formidolosos & confusos reddam dum libet. Vt dum se crescere florere & matures cere putant, ut gramina agri & herba uiridis, subito reseco omnia, et redigo in fœnum & messoris instar rescindo, dispergo, & in manipulos redacta aufero & contero.

28 Habitationem tuam, et egressum tuum, & introitum tuum ego cognoui, & insaniam tuam contra me.

29 ¶ Quum fureres aduersum me, superbia tua ascendit in aures meas: ponam ergo circulum meum in naribus tuis, & frenum meum in labijs tuis, & reducam te in uiam per quam uenisti.

Impijs quoque in gloriam dei.

Non aliter quoq; ego noui & præordinaui omnem conuersationem tuam & studia, fastus tui operas, et flagella per te populorum ordinaui, furorem quoq; tuum contra me pessimum, in gloriam mei nominis, et electorum commodum uerti, in tuam autem perditionem & damnum. Iam enim furiam tuam qua contra me insanis & gloriationē tuam audiui, statuiq; sic punire, ut longe secus ac decreueras uota tua fiant: capistrum enim imponam naribus tuis, & lupatum labijs, uertamq; te pro meo arbitrio quo nolis. Reducam enim te per uiam qua uenisti, infectis omnibus institutis tuis, cum exercitus tui strage totius, et confusissima mente tua à filijs occidendum. Licet enim uoluntati meæ ministraueris, sine tamen uoluntate tua bona, sed iniquissimo animo. Mihi enim seruire cogeris, quem blasphemas, impietatis mercedem iustissimam reportaturus.

30 Tibi autem hoc erit signum, Comede hoc anno quæ reposita sunt, & in anno secundo quæ sponte nascuntur: in anno autem tertio seminate & metite, & plantate uineas, & comedite fructum earum.

31 Et addet id quod saluatum fuerit de domo Iuda, quod reliquum est, mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum:

Signum salutis.

Ezechiæ regi loquitur, signum liberationis à tanto hoste promittēdo, ut utilissimū sic minimè expectatum. Hoc anno sufficient quidē tibi decidua messis post conculcationē regionis à Sennherib, quātumlibet ea pauca superfuerint, meo tamen munere augebuntur, si non ad luxum, tamen ad sufficientiā. Secundo aūt anno sponte nascentibus, et sine agricultura obuenuet tibi cibus sufficiens, ex illis scilicet seminibus, quæ Assyriorū conculcatione exciderant. Tertio uero anno seminabis et metes, indeq; copiose pasceris, ex uineis quoq; & hortis uberem fructum percipies. Neq; id solum, sed regnum quoq; tuum augebitur ab Assyrio uastatū, iterum confluentibus eis, qui in toto regno euaserant, & florebit regnū & radices aget, spem ulterioris profectus & florit ionis. Floruit enim posterioribus annis regnum Ezechiæ, & dilatatū est plurimū, & glorificatū usq; ad obitum Iosiæ, etiam sub impio Manasse, qui tamen bonitate dei correptus est, emendauit mores & pietatē restituit.

32 quia de Ierusalem exibunt reliquiæ, & saluatio de monte Sion: zelus domini exercituum faciet istud.

Quia enim typus Christi erat Ezechias, ideo regnū suum plurima patitur, nunquam tamen extirpatur, sed repululascit, & continuo fortius resurgit, fitq; inuictū. Multi enim in ecclesia seruantur inter plurimos pereuntes, & nauicula Petri fluctuat et periclitatur, sed domino dormiente ad probationē fidei, ex qua oratio proficiscens, excitat saluatorē. Semper enim in Hierosolyma & Sion inueniuntur reliquiæ, & usq; ad Christi natiuitatem, semen quoq; Dauidis desinere nō poterat, per quem subinde electi ex omnibus gentibus facti sunt filij tam Dauidis quàm Abrahæ. Zelus domini exercituum hæc faciet. Tam ira dei in blasphemos, quàm amor in fideles suos, regē & prophetam, hanc perfecit gloriosam uictoriam, de qua consequenter clare gesta narrantur.

Ezechias typus Christi.

33 ¶ Propterea hæc dicit dominus de rege Assyriorum, Nō intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, & non effundet in circumitu eius aggerem.

34 In uia qua uenit, per eam reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur, dicit dñs.

35 Et protegam ciuitatem istam, ut saluem eam propter me & propter Dauid seruum meum.

Propheta clare disserit regē Assyriorū nō ingressurū Hierosolymam, non habiturū potestatē nocendi Iudæis, nec se defendendi ab angelo percutiente. Non tamdiu obsessurū urbem, ut aggerē suscitare queat. Prima enim nocte aduentus cæsus est exercitus, & rex confusus ad dei gloriā aufugere permissus est, ut à filijs ppijs contumelioſius occideretur, indignus q ab angelo cæderetur.

36 ¶ Egressus est autē angelus domini, & percussit in castris Assyriorū centū octogintaquinq; millia. Et surrexerunt mane, & ecce omnes cadauera mortuorum.

37 Et profectus est, & abijt, & reuersus est Sennacherib rex Assyriorum, et habitauit in Niniue.

Miraculum illustre.

Missus à deo angelus, noctu percussit diuina uirtute subito infinitum exercitum, ut pauciſsimi superfuerint cum rege, qui & confusi abcesserint. Mane autē surrexisse quosdam & uidisse omnes esse cadauera mortuorum, de ciuibus Hierosolymæ intelligi potest, & de ipso rege Sennherib cum paucis, diuina prouidentia ad tempus seruatis, ut potentiam dei uiuentes uiderent & admirarentur, et obstupescerent quam blasphemauerant.

38 Et factum est quum adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech, & Sarasar filij eius percusserūt eum gladio, fugeruntq; in terrā Ararat, et regnauit Asarhaddon filius eius pro eo.

Digna uindicta dei contra impijssimum, ut qui omni potentē deum obprobrijs affecerat & deum suū prætulerat ei, in eiusdem dei templo idolum suum adorans, à filijs occideretur. Terra Ararat, ut ex Genesi patet, Armenia dicitur maior, ad Septentrionem Assyrijs sita.

Ararat.

Similia expectent omnes grassatores superbi cõtra deũ & populũ dei. Is exitus manet illos, tanta potentia angeli. Sic nihil est uirtus quæcunq; humana comparata angelicæ & uoluntati diuinæ. Exemplum regibus sit, ut se homines & caducos meminerint, & timeant deũ.

¶ CAPVT XXXVIII.

1 IN diebus illis ægrotauit Ezechias ad mortem, et introiuit ad eum Isaias filius Amos propheta, & dixit ei: Hæc dicit dominus: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non uiues.

Gesta reconualescentiæ, utilem historiam, describit propheta Esaias, & prophetijs suis inserit. Quo autem tempore infirmitatem inciderit Ezechias rex sanctus, dubium est: uidetur factum ante stragem regis Assyriorum. Promittitur enim hic futurum, ut quindecim annis superuicturus sit. Quartodecimo autem anno regni sui legitur Sennherib regem Assyriorum ascendisse super omnes ciuitates Iudæ munitas, & cepisse eas, postea autem obsedisse Lachis & cætera. Quanquam Hebræi ideo Ezechiam ægrotasse dicant, quia post auditam tam tam uictoriam, & Assyrij regis interitum, nõ cecinerit laudes domino, quas cecinit Moses et Debbora. Ex quibus relationibus obscuratur temporis præcisa assignatio, ut solet & aliás non raro fieri, propter Iudæorum fabulas, & mutationes numerorũ ab antiquarijs. Quod autem ægrotauerit Ezechias ad mortem, ratio principalis uidetur, ut glorificaretur tot miraculis nomen domini, & in gentes diuulgaretur omnipotentia domini dei Israël. Ad mortem autem ægrotauit, quæ fuerat prædicta à propheta, & secundum uiam naturæ adfutura, nisi domino naturæ aliud ordinandum placuisset, immobili uoluntate circa res omnes mobiles & sua manu dirigendas. Esaias spiritu instigante uenit, & loquitur nõ alia ratione, quàm & olim Nathan de templi ædificatione pronuntiabat primo & secundo, quod domino placuit utrisq; uicibus dicendum. Præcipere domui, est conficere testamentum de sæcularibus negotijs, quo minus post obitum lites emergant ob relictas diuitias & possessionum iura: hoc enim domino iubente debent homines etiam pij. Non enim hæredem habebat Ezechias. Manasses enim filius sibi natus est tertio anno post conualescentiam regis. Quod autem dicitur, Morieris tu & non uiues: asseueratio est, uoluit enim certo credi Ezechiam se moriturum isto tempore, ut tanto oraret feruentius: id quod domino placiturum esset, & remunerandum insignibus beneficijs posteritatis, unde nasceretur Christus, & tam illustri miraculo gloriæ diuinæ.

Ezechias quare ægrotus.

Oratio Isaiæ & Nathan.

2 Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad dominum.

Quamlibet sanctus esset Ezechias, animo tamẽ perturbatur, cum se moriturum audit. Sic enim fert humana conditio, ut uita diligatur, mors ipsa ut stipendium peccati amara sit omnibus. Quicquid fingatur, exuere corpus anima sine angoribus nõ potest, quod et in Christo post triduum resurrecturo resplenduit: minor est autem anguſtia, si minor urgeat culpa conscientiam, pro qua quis se mori timet. Christus non pro suis sed nostris criminibus mortem tulit, ideo & pro nobis doluit. Erat autem imprimis anxius Ezechias propter Sion, de qua sperabat glorificandam eam quam uidere cupiebat: de posteritate negata, quum esset de semine Dauid, unde Christus nasci sperabatur, quem ex suo semine dolebat non propagandum. Improbos uidebat gauisuros, & redituros in idololatriam, quam multis curis & periculis abstulerat, quã impij statim restituturi erant, si obijsset mortem, & pœnam interpretaturi mortem illam eius sacrilegij, qui tulisset è medio aras, lucos, idola & serpentem æneum. Scandalizandos quoq; pios in populo, si tam sedulum legis obseruatorem dominus abstulisset integra ætate. Ideo conuertit faciem suam ad parietem, ut oraret, quia ad templũ ire nõ poterat, & ne lachrymas suas aßidẽtibus proderet, uel ut secretius tota mente dominum deprecaretur.

Mors à sanctis quoq; timetur.

3 & dixit: Obsecro domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in ueritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et fleuit Ezechias fletu magno.

Non arrogantia est in oratione sancti regis: agnoscunt omnes sancti se esse peccatores: sed fiduciam profitetur, uel ea potißimum ratione, quod idola destruxisset, & regnum purgasset, cultum dei à suo patre oblitteratũ reparasset, perfecto corde conuersatus esset cum deo, qui si nunc desereretur, multi deũ blasphemassent. Orauit autem ad dominum, non inuocauit sanctißimi Dauidis & Israëlis & Abrahæ patrocinium, more nostrorum, sed dominum deum solum orauit. Allegat non tam opera quàm fidem, ex qua contigit cũ fortiter agere, & conuersari coram deo in ueritate, sine hypocrisi, corde syncero & perfecto, per omnia domino cupiens cõplacere, & facere nõ quod absolute bonum esset, sed quod dominus bonũ consuleret: quod in oculis, hoc est iudicio clementiæ diuinæ ad electos bonum haberetur & susciperetur: alioqui non præsumebat intrare in iudicium dei, sicut nec Dauid. Fleuit autem magno fletu, largiter ex corde pio, & pro gloria dei, quam anxius anhelabat ante omnia.

Non confidit causa Dauidis.

4 ¶ Et factũ est uerbũ domini ad Isaiam, dicens:

Aliud nũc deus prophetæ ostendit, quod illum prius uoluit usq; ad hunc temporis articulum latere. Nondum è regia exierat Esaias, & contrariũ dicti prioris dicere non inuitus iubetur. Omnia agunt sancti prophetæ peculiari actu diuini instinctus, nihil tentant absq; deo.

5 Vade, & dic Ezechiæ: Hæc dicit dominus deus Dauid patris tui, Audiui orationem tuã, & uidi lachrymas tuas, ecce, ego adĵciã super dies tuos quindecim annos,

Amat se nominare dominus deum Dauidis, et patris Dauidis. Ezechiæ, cum quo clementiæ & iustitiæ suæ opera memoranda peregisset multiphariã: cui obstrinxerat sese dominus iuramento de fructu uenturis sui posturũ se regem

gem ſuum Meſſiam, quod et omnes ſancti credentes expectabant. Audiuit orationem, id eſt exaudiuit clementer, quia auſum & inſtinctum præbuerat orandi. Placet deo oratio, fletus, deſiderium pium ad ſe. Non fatigatur deus orationibus hominũ, nec opere gubernandi mundum. Nihil diſcit per miniſtros uel internuntios, omnia oculis intuetur. Gaudet exorari, uult eſſe collator omnium beneficiorum ſuorum. Lachrymas non tantum uidet, ſed approbat, & agnoſcit ſyncerum deſiderium, & ſpem ſuam in deum, ſine qua non oraſſet. Promittit uitam prolixiorem, ut ante quintumdecimum annum futurum non timeat mori, ſed fiducialiter poſthac agat ut antea, quicquid manus inuenerit peragendum ad gloriam dei & regni profectum.

Orari uult deus.

6 & de manu regis Aſſyriorum eruam te & ciuitatem iſtam, & protegam eam.

Semper plura & maiora dominus dare conſueuit, & gaudet, quàm à fidelibus oretur, uel ipſi audeant postulare. Continuo diuexabatur Ezechias timore regis Aſſyriorum uenturi, qui & tunc regno imminebat, inuincibili exercitu, & de cæteris regibus omnibus gloriosos ſemper reportabat triumphos. Is nunc quoq; ſuperandus promittitur ſancto regi, ut et antea ſæpe idipſum prophetæ reuelauerat. Nunc autem ad gaudium promouendum latius addit permiſſioni uitæ, pacem regno, & hoſtis atrociſſimi excidium. Præpoſtero ordine recenſentur in prophetijs, quæ in Regum uolumine conſequentius leguntur.

Plura dat deus quàm oretur.

7 Hoc aũt tibi erit ſignum à domino quia faciet dominus uerbũ hoc q̃d locutus eſt:

Signũ promittitur futuræ ſanitatis, quod ſine peccato ad ſolatium ſuum & aſtantium lugentiumq; poſtulauerat, ut legitur in libris Regũ: hic uero abſolute, quaſi non rogatus deus ingeſſerit pio regi, deſcribitur, dandum à domino, qui poſſit et uelit. Ipſe faciet uerbũ hoc, non propheta, non cœlum, non natura, non angeli, ſed qui unica uoluntate creauit omnia, uno iuſſionis ſuæ uoto ordinat uniuerſa. Poſſibilius eſt enim cœlũ et terram tranſire, quàm quæ dominus promittit non impleri.

8 Ecce ego reuerti faciam umbram horologij, per quos deſcenderat in horologio Achaz in ſole retrorſum decem gradibus. Et reuerſus eſt ſol decem gradibus per gradus quos deſcenderat.

Horologia & umbræ.

Horologia in parietibus uel etiã in plano tunc quoq; fiebant in locis inſignioribus, qualis erat locus prope templum et regiã, ubi motus ſolis oſtendebatur per umbram, & temporis lapſus, incertum quantis ſpacijs gradus diſtabant: de quo in libris Regum uide. Hic dicitur umbram quæ per ſolem fit retroceſſiſſe decem gradibus uel aſcenſionibus, non dicitur horis, uel decem duodecimis dici, uel duplis duodecimis, ſed aſcenſionibus uel gradibus. Facilè quidem domino unuerſorum eſt, ſi uelit, retrogradum facere ſolem, ſicut et planetas ſentimus ſtationarios retrogrados & directos. Et ſi id feciſſe ſcriptura dicat, falſum eſſe non poteſt, nec difficile: id uero ſine totius machinæ cœleſtis mutatione maxima nõ contingeret. Vmbram aũt ſolis retrocedere miraculum eſt, nulli creaturæ poſsibile, ſed facilimum deo, et ſine quacunq; naturarũ immutatione, ſicut ignẽ carere ſuo actu combuſtionis, & aquam fieri uinum, uel erigi in ſublime, & ſimilia multa magna dei miracula. Quod uero בשמש in ſole dicitur, intelligi poteſt, iuxta ſolẽ, per ſolem, cum ſole. Et quod ſequitur, reuerſum eſſe ſolem decem lineis, intelligitur iuxta morem loquendi communem, quia umbra retrogradi non poteſt naturaliter ſine ſole, & aliud ſenſus hominis comprehendere non poteſt. Nec eſt articulus fidei clarus, ipſum iubar ſolis retroceſſiſſe, licet credi poſſit, & fortaſsis ſic factũ eſt, ſed conuinci neceſſario ex litera non poteſt: hoc modo factum de umbra retrogradiente negari non poteſt, & ingens miraculum dei fuiſſe neceſſario confitemur. Sed de hac re liberum pijs iudicium derelinquo.

Solem retrocedere.

9 ¶ Scriptura Ezechiæ regis Iuda cum ægrotaſſet, & cõualuiſſet de infirmitate ſua.

Titulus eſt carminis ſequentis admodum docti, ſed pijſſimi. Poetica autem delectati ſunt etiã ſancti dei homines, Moſes, Dauid, Salomon, Iob, & Eſaias, cum reliquis multis, nõ quod multam habuerint ſyllabarum rationem, ſed ardentiſſimorũ affectuum, ſacrarumq; ſententiarum breuium pondera, et locutionum elegantium tropos & figuras multiplices. Habent iuniores Hebræi ſua carmina, nõ maioris laudis & artis quàm Germani in ſuis. De quibus nihil ſimile uidemus in propheticis ſacris carminibus. Summa huius carminis eſt, gratiarũ actio, ubi primũ exaggerat morbi grauitatem, multisq; uerbis queritur ſe morti proximum, dum in media uita conſtitui ſe putaſſet.

Carmina prophetarũ qualia.

10 Ego dixi in dimidio (ſecuritate) dierum meorum, Vadam ad portas inferi: quæſiui (cariturus) reſiduo annorum meorum.

Videbam eo ſtatu me eſſe dum ægrotarem, ut omnino immineret mihi uaſtatio et exciſio: omnino mihi moriendum putabam (hoc eſt enim ire ad portas inferi) dum mihi integra ætas eſſet, ſcilicet triginta nouem annorum, dimidiũ ſcilicet communis uitæ & ætatis: quod ut plurimum ſancti implent qui in ſcripturis pleni dierum notantur. Impij in medio uitæ curſu & in errorum tenebris ducuntur ad tartarum. Quæſiui, inquit, reſiduum annorũ meorũ, non me putans ultra eſſe uicturũ.

11 Dixi: Non uidebo dominum deum in terra uiuentium, non aſpiciam hominem ultra cum habitatoribus ſæculi.

Cogitaui mecum: Non uidebo in hac uita diutius templum domini: non comparebo poſthac in ſolennitatibus domini in eccleſia fidelium, ut corde & animo laudem deum: non conuerſabor diutius cum hominibus, in æuo huius ſæculi habitantibus. Eò enim redactus fuerat infirmitatis, ut crederet ſe ex hominum uita auferendum.

12 Generatio mea ablata eſt: & conuoluta eſt à me, quaſi tabernaculũ paſtorale. Præſcidi uelut textor uitam meã: per attenuationem ſuccidit me. De manu uſq; ad noctem finies me.

Aetas mea iam profecta est, & ad finem usq; peruenisse uidetur. Relegata est à me, & ablata, implicataq; sicut solet tabernaculum pastorum componi et complicari transferriq; de uno loco in alium. Præcisa est uita mea, perinde ac tela de fimbria staminis præciditur à textore. Dum pararem ascendere et conarer proficere ad tranquillitatem & pacem, succidit me. Dum uiuere parat Ezechias, succiditur. A die usq; ad noctem, ab aurora ad uesperã, una tantum die consumabis tempus uitæ meæ, id est, breuissime uiuam.

13 Sperabã usq; ad mane, quasi leo sic contriuit omnia ossa mea. De mane usq; ad noctem finies me.

Spes mihi erat diutius uiuendi, & uix auroram uitæ meæ confecisse putabam: & ecce sicut leo subito me deus corripit, & confringit omnia ossa mea, doloribus infestando corpus, ut uno me die absumpturus uideatur morbus per naturam incurabilis, et uehementior quàm ut diutius sustinere queam, uel ad sequentem diem.

14 Sicut hirundo & grus sic garriebã, meditabar ut columba. Attenuati sunt oculi mei (*suspicientes*) in excelsum. Domine uim patiar, sponde pro me.

Adactus magnitudine morbi ad desperationem ulterius uiuendi, conuertit se totum suo more ad dominum exorandum. Confert autem orationem suam mußitationi gruis & hirundinis: creberrime etenim & ardenter instabat orationibus. Et sicut columba, ait, meditabar, gemebam, & ad dei gratiam suspiria assidua emittebã, oculis arrectis & suspicientibus ad deũ, & manibus in cœlum expansis: inuictũ ab oratione spiritum nõ relaxabam, dicens: O domine, uiolentia fit mihi, uim patior, sponde pro me, non sum enim soluendo, ideo pertrahor ad iudicium, ut de peccatis meis pœna mortis sumatur.

15 Quid dicam, quum dixerit mihi, & ipse faciet. Promouebo omnibus annis meis super amaritudine animæ meæ.

Quid ego tribunali iustitiæ tuæ præsentatus loqui pro me possum? & quid mecum cogitabo excusationũ, ut ipse faciat, clemẽtia permotus pro me sanando? Promouebo per omnes annos meos, totum uitæ meæ residuum cuperẽ transigere in amaritudinibus animæ meæ, humiliter conuersando coram te, & pœnitentiã agendo, potius quàm in hac mea ætate, dum populum domini uideo periclitari de tot hostibus, qui post meum obitum filio regnum non relinquo, qui regnum administret & liberet fideles.

16 Domine super eis uiuitur, & in omnibus talibus uita spiritus mei: somnio obruisti me & uiuificas me.

Scio equidem non sine illis amaritudmibus transigi posse hanc uitam, & uita spiritus mei continuo commoratur. Est enim uita humana, maxime autem bonorum regũ, plena molestiarũ. Tu aũt me confortabis et ueluti per somniũ recreabis uitam meam, & de multis angoribus mortibus refrigerabis, cuigilare facies & resuscitabis me, ut molestias huius uitæ auxilio tuo ferre queam.

17 Ecce ad pacẽ amaritudo mea amara: tu autem complexasti animam meam ut non periret, proiecisti enim post tergum tuum omnia peccata mea.

Ecce res grata mihi est, saluumq; me putabo, si diutius huiusmodi molestijs grauer: non recuso laborem, si populo tuo & regno fidelium fuero necessarius: sponte amaritudines feram, quas tu gratia lenire potes: cupio amaritudinẽ experiri amaram pro salute meorum, tantum ut saluus sim uita, etiam si sentire cogar pro populo tuo difficiles conditiones huius uitæ. Tu itaq; ad preces meas & uota non indigna complexus es me, & suscepisti animam meam, quo minus in foueam iam nunc computrescat, distulisti mortem, et remisisti mihi omnia peccata mea. Non hanc gratiã meruerãt iustitiæ meæ cũ essem peccator: sed tu eorũ recordari hac uice noluisti.

18 Quia nõ infernus cõfitebitur tibi (*neq;*) mors laudabit te: nõ expectabunt qui descendunt in lacum ueritatem tuam.

Si nunc moriar, non te laudare potero in templo tuo. Mortui enim & sepulti laudes tuas confiteri & canere non possunt: neq; sepulchrum, neq; mors mea, cedet iam nunc ad tuam gloriam. Omnes enim pij terrebuntur hoc tuo iudicio: impij autem reijcient eam in causam abiectæ idololatriæ, & contriti serpentis æneæ. Et qui in foueam descendunt, non sperabunt ueritatem promissorum tuorum, non gaudebunt de præsentia salutis, quam nunc sperant ex promißis.

19 Viuens uiuens ipse confitebitur tibi, sicut ego hodie: pater filijs notam faciet ueritatem tuam.

Si cui uitam præstare post morbos uolueris, si quis conualescat de infirmitate ut uiuat, is confitebitur tibi bonitatem tuam sicut & ego nunc tibi confiteor beneficium sanitatis restitutæ. Nec solum ego, sed etiam qui post me patres erunt, hanc tuã ad me gratiã filijs narrabunt, ut totus aliquando mundus agnoscat ueritatẽ tuã.

20 Dominus ad saluandum me (*affuit*) & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus uitæ nostræ in domo domini.

O domine, continuo nobis saluator adsis, qui undiq; ab hostibus opprimimur, ut materiam nouam semper habeamus canendi mirabilia tua, quoad uixerimus in domo domini.

21 Et dixerat Isaias ut tollerent massam de ficis, & cataplasmarent super uulnus, & sanaretur.

Res clamat non uero ordine hæc scripta, quæ pertinent ad anteriora.

22 Et dixit Ezechias: Quod (*quantum*) signũ quia ascendam in domum domini?

Nnn abutitur deus creaturis suis, ut primo secundum Iudæos contraria pesti adhibeat, tandem sanet. Natura Medici fici saniem trahit ad summam cutem. Non contemnendam medicinam docemur. Medicus à deo fit ad bonum hominum, Vult nos uti rebus creatis à se, et gratos esse, sed non fatum sequi.

CAP.

¶ CAPVT XXXIX.

1 IN tempore illo misit Merodach Baladan filius Baladan rex Babylonis, libros et munera ad Ezechiam: audierat enim quòd ægrotasset, & conualuisset.

Inserit aliam historiam de Ezechia. Discimus facile peccari in prosperis: non habendam consuetudinẽ cum impijs à pijs: sancti homines etiam superbia tentantur.

Reges facile peccant.

Insolentior non nihil factus uidetur Ezechias ex conualescentia. Vtcunq; sanctissimus et innocentissimus princeps fuerit, homo tamen fuit, & peccator. Maximè aũt reges occasiones incidunt uarias peccandi, & multis modis, propter quod & monendi sunt à prophetis, sed non contemnendi nec obedientia neganda à populo, propter cuius peccata sæpe reges peccatis permittuntur. De regno Assyriaco nihil posthac dicitur: prævaluerunt enim Babylonij Assyrijs ex eo tempore. Quisquis is tandẽ fuerit, societatẽ tentant Babylonij cũ Ezechia, prætendunt unum, & agunt aliud more aulicorum.

2 Lætatus est autem super eis Ezechias, & ostendit eis domũ opum suarum, argentum, aurum et aromata, & oleum optimũ, & omnes apothecas supellectilis suæ, & uniuersa quę inuẽta sunt in thesauris eius. Non fuit uerbum quod nõ ostenderet eis Ezechias in domo sua, & in omni potestate sua.

Elatus non nihil nimis humaniter tractat impios, delimitus eorum laudibus: in templi appendices introduxit contra legem, & thesauros ostendit regios, ad fastũ, & periculum.

3 Introiuit autem Isaias propheta ad Ezechiam regem, & dixit ei: Quid dixerunt uiri isti, & unde uenerunt ad te? Et dixit Ezechias: De terra longinqua uenerunt ad me de Babylone.

4 Et dixit: Quid uiderunt in domo tua? Et dixit Ezechias: Omnia quæ in domo mea sunt, uiderunt: nõ fuit res quam non ostenderim eis in thesauris meis.

Esaias ut Nathan emendare uult regem, cui non nihil eliciendo loquitur, ex uerbis superbiæ notã protrahẽs. Exaggerat enim rex uerbis honorem susceptum à tanto rege Babylonico.

5 Et dixit Isaias ad Ezechiam: Audi uerbum domini exercituum.

Profert Esaias sententiam dei, non tam de facto suo quàm de statu regni futuro, nõ post adeo longũ tempus. Multum distant iudicia dei ab hominibus, uoluit humaniter tractare hospites, sed interceßit quiddã superbiæ,

Securitas.

sicut & Mosi circa petram: Pro ignorantia etiam sancti dominum orant. Non est nobis in conscientijs perfecta securitas. Præstat esse pauidos de nostris operibus, non de dei clementia: quid de manifeste malis operibus iudicandum?

6 Ecce dies uenient, & auferentur oĩa quę

in domo tua sunt, & quæ thesaurizauerũt patres tui usq; ad diem hanc, in Babylonẽ, non relinquetur quicquã, dicit dominus.

7 Et de filijs tuis qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.

Intelligunt quod dicitur de filijs regis, id est, posteris Ezechiæ, Iudæi, de tribus socijs & Daniele: sed et Manasses translatus est, & filij Iosiæ in Babylonem. Puniti sunt quiq; pro sua iniquitate non parentum.

8 Et dixit Ezechias ad Isaiam: Bonũ uerbum domini quod locutus es. Et dixit: Fiat tantum pax & ueritas in diebus meis.

Ezechiam reprehendunt.

Iudæi reprehendũt Ezechiã, quia non rogauerit deũ pro populo, sicut Moses, qui gloriæ dei prospiciebat. Hic aũt sese prouidentiæ diuinæ cõmendat, nõ ignorans legem dei, in qua certo promittuntur pœnæ tales transgressoribus legis, et dominũ irritantibus, in operibus manuum suarum. Fungitur officio boni uiri, nõ se excusat, subijcit uoluntati dei tergum, non increpat iudiciũ dei.

¶ CAPVT XL.

1 CONsolamini consolamini populę meus, dicit deus uester.

Multis iam ac claris prophetijs prædixerat Esaias Iudæorum captiuitatem in Babylonem, & Babylonici imperij suo tempore cessationem. Hic iam incipit prædicere liberationem à Babylone per Cyrum suo quoq; tempore futurã. Quæ quidem sub Zorobabel, Esdra, & Neemia facta est, sub Cyro et Dario aliqua ex parte, quando & templum & ciuitas reædificata est, multo autem perfectior redemptio facta est per Meßiam ab erroribus & peccatis fidelium, & electorum in toto orbe. Et reædificata est ecclesia catholica in unitatẽ fidei, & ueri dei cultum. Quæ posterior & completior figurata fuit, per priorem & minorem, propter quod & omnes consolationes sequentes ab Hebræis referuntur ad tempora Meßiæ, quem et ipsi intelligunt significatum per Cyrum. Dicit itaq; propheta in persona domini, Consolamini & suscipite consolationem, ô fideles Israëlitæ, populę meus: sic enim dominus deus uester iubet, ut credatis affuturam uobis illius gratiam, qua post tot mala perpessa melius habituri estis.

Redemptio duplex.

2 Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam: quoniam completa est malitia eius, quia dimissa est iniquitas illius. Suscepit eñ de manu domini duplicia pro omnibus peccatis suis.

Et uos ô prophetæ & prædicatores gratiæ dei consolamini, & animæquiorem reddite Hierosolymam: ad eam clamate, & ad gaudium inuitate post illius desolationem, duraturam per septuaginta annos: tunc enim impletũ erit tempus captiuitatis suæ. Continuus conflictus quem passa est cum idolorum cultura, ad quam prius semper fuerat Iudæa propensißima, propter quam et multa fuerat perpessa. Iam enim remittetur ei iniquitas sua, uindicta peccatorũ, captiuitas finietur. Et per Christum dominum totius ecclesiæ uocandæ ex gentibus cri

mina, idololatria, et peccata humano generi agnata, sine quibus humana imbecillitas uiuere nõ potest, remissa sunt et expiata sacrificio effusi sanguinis. Accepit enim tam Iudæa quàm ecclesia catholica de manu domini duplicia, plenam scilicet castigationem, et precium redemptionis abundanter persolutum est per Christum. Sicut & Cyrus debitũ seruitutis remisit, & non solum licentiam cõcessit redeundi, sed etiã impensas ordinauit proredeuntibus, & ad extructionem templi, tributaq; prouintiæ ordinauit ad consolationem populi: & longe quoq; maior fuit gloria templi secundi, & cultus dei, sideliumq; in orbe terrarũ multiplicatio quàm antea. Ecclesia enim fidelium, quæ dudum Hierosolyma claudebatur, & Iudæa, per Christum diffusa est in totum mundũ, & harenæ maris comparata. Duplicia Hebræorũ: quidam exponunt duas captiuitates, Babylonicam, & Romanam: quidam peccata parentum & filiorum.

Ecclesia ac Hierosolyma.

3 Vox clamantis in deserto: Parate uiam domini, rectam facite in solitudine semitã dei nostri.

Audite ergo uocem domini, per suos prophetas loquentem ecclesiæ Iudaicæ & catholicæ itinera & uias omnes disponite & munite per montes, campestria & salebrosa, quo expeditius ad sua redeant Iudæi de Babylone: & per Christi aduentum disponite uos ad pœnitentiam anteactæ uitæ, ad mutandos mores, complananda difficilia & ardua in iter æquum et tritum. Circumspicite ergo ad uiam, quam dominus ostendet uobis, per quam ambulabitis, Christum dominũ intueamini, secundum opera et uerba eius uiuite, Euangeliũ suscipite, & in eo proficite, uersus Hierosolymã cœlestẽ, quæ patria est electorũ, et Christo credentiũ. Hæc quoq; de Ioanne Baptista recte accomodari possunt, sed per allegoriam.

4 Omnis uallis exaltabit, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in uias planas.

Auferetur uobis omne impedimentũ itineris. Facile iter erit ad uitam pertingentibus, non ceremonialium mandatorum difficultas, sed gratiæ dei, & fidei in deum tramite incedetis. Nõ uallium ima prohibebunt, nec montium cacumina fatigabũt pergentes. Oĩa plana erunt faciliaq; credentibus. Onus enim leue & iugum suaue Christus imponit suis discipulis, ut expediti huiusmodi fastu & dolo, facile per uiam salutis incedant, & sine hostium occursu quoq; Iudæi redibant è Babylone in Iudæam quantumlibet formidassent.

Valles exaltandæ.

5 Et reuelabitur gloria domini, et uidebit omnis caro pariter quod os domini locutum est.

Apparebit omnibus populis benignitas dei ad suum populum, quem ad se conuersum reducebat ad propria, de seruitute eripiebat, et gaudentes reuexit in Iudæam, quod ad gloriam dei faciebat in toto orbe. Sed ut umbra deficit à corpore, sic reditus iste longè dissidet à maiestate dei, quæ per Christi humanitatem & Euangelium peruasit orbem terrarum, cum reuelata est benignitas & humanitas dei omnipotentis, id est clementia & gratia ad fideles electos per Christum. Cognouerunt q; oẽs filij hominum salutare dei, quod dudum prædixerat & promiserat per prophetas suos de filio suo.

6 Vox dicẽtis: Clama. Et dixit: Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria (probitas) eius quasi flos agri.

7 Exiccatum est fœnum, cecidit flos, quia spiritus domini sufflauit in eo. Verè fœnũ est populus.

8 Exiccatum est fœnum, cecidit flos: uerbum autem dei nostri manet in æternum.

Eadem uox domini per prophetam loquitur, & clamat dicendo: Clama ô propheta. Et dixit propheta: O domine, quid nam clamabo? Et respondit: Sic clamabis, Omnes homines fœnum sunt. Leue, breue, fragile, obnoxiũ resectoribus, & bestijs prostratũ in escam, est conditio humanæ miseriæ. Vana est enim uirtus & gloriatio, iustitia quoq; humana nulla est. Omnis probitas & sanctitas non durabilior nec constantior est quàm flos agri. Aestu enim concupiscentiarum aresceit, & de natiua perfectione sua delapsa est, peccato primi hominis, & spiritu uindictæ irati dei decidit à uirore. Sed et populus quantũlibet à domino sanctificatus & electus, continuo ad leuem occasionem decidit à sanctimonia, à timore & cultu uero domini dei sui, uerbis prophetarũ abiectis. Verbum autem domini dei nostri, Euangelium Christi, radicatum in cordibus fidelium, nunquam excidet, semper florebit, & fructus afferet. Quandoquidem totum in orbem exiuit sonus eius, & autoritas sacræ scripturæ irrefragabilem ueritatẽ obtinuit in catholica ecclesia, ut sola habeatur certissimæ ueritatis, ut quorumlibet hominum decreta, & consilia eidem conferri non possint, sed obsequi debeant & conformari.

Vana omnis humana probitas.

9 Super montem excelsum ascende tibi quæ euangelizas Sion: exalta in fortitudine uocem tuam quæ euangelizas Ierusalem, exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iudæ: Ecce deus uester:

Attentionem præparat ad audiendum et ad amplectendum dicenda, quod eximia sint, & fide deuotissima percipienda, ecclesiæ scilicet mysteria, quæ primũ Hierosolymis peracta, deinde in Iudæam totam & orbem uniuersum prædicata sunt & credita. Ecclesiam ergo hortatur propheta, sub nomine Zion & Ierusalem, quæ una sunt ciuitas, ut annuntient salutẽ alijs quoq; ciuitatibus. Quæ sicut restituendæ erant post Babylonicam captiuitatem per Cyrum, & Hierosolymam redituræ: sic sub Christo post uictoriam de erroribus, peccatis, satana et morte peractam, tota illi gentium multitudo adhæsura esset, in unitate ecclesiastica et fidei Christianæ. Iubet autem prædicari per ecclesiam, ne alius usquam deus habeatur quàm deus Israël, deus Abrahæ et Danidis, qui in Ierusalem colebatur. Hunc unum solum agnoscit deum catholica ecclesia.

Dei potentia.

10 ecce dominus deus in fortitudine ueniet, & brachiũ eius dominabit sibi. Ecce, merces eius cum eo, & opus illius coram illo.

Venit

Beneficia dei.

Venit dominus quotidie in auxiliũ suorum, spectator & coronator pugnantium, cum quibus manet semper, forti manu fideles defendens ne succumbant. Brachio, id est, authoritate diuina, cõsilio, & æquitate imperabit, prompta mercede & magnifica donaturus omnes in se cõfidentes, & suam bonitatẽ confitentes, in promptu habens consilia, gratiam, opera, quibus fidelibus ipsis gratificetur, & opus suũ in illis peragat, quod & nihilominus remunerare uelit: & mercedem uocat suas quoque gratias pro gratia.

11 Sicut pastor, gregem suum pascet: in brachio suo cõgregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse minabit.

Non potest nec de Ezechia, nec Cyro perfectè uerificari quod hic dicitur de Messia Christo domino. Quum enim fideles uiderentur in mundo ueluti oues errantes, inermes, luporũ uoracitati expositæ, esurientes uitæ pabulum, Christus in hunc mundũ ueniens curam habuit suarũ ouiũ, quas & nouit & pauit, quem & sequũtur, quas colligit in unũ ouile, inq; suo sinu gestat & fouet, curã habens ne à patre sibi traditas perdi sinat, sed uitæ æternæ pabulo reficiat. Agnculos imbecilles supportat, expectat, miseretur & adiuuat, bonus pastor, non mercenarius animarũ nostrarũ, donec in caulas introducat ad patrem, cum summa mansuetudine & fide: de quo Ezechiel: Suscitabo super eos pastorem unum, & pascet eos seruus meus Dauid, &c.

Christus pastor.

12 Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo disposuit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera?

Sub regno Christi cessabit idololatria, & cõuertetur mundus ad deum suum. Cuius consequenter maiestas declaratur, cum irrisione idolorum & idololatrarum, aliorumq; errorũ stultæ gentilitatis, à quibus per Euangelium liberati sunt fideles. Omnipotentiam dei docet imprimis extendentẽ se ad omnes creaturas, qua omnia moderatur, extẽdit, ordinat, cui nemo obsistere potest. Aquas palmo metitur, quas congregauit uerbo suo: & cœlum uola concludit, & suo arbitratu mouet: terram tribus suis digitis sustentat: montes ipse cõstituit, & appendit molem, & colles in bilance mẽsurat. Omnia deus in numero, pondere, & mensura constituit, de cuius sapientia bonitate & potentia nemo desperet.

Dei omnipotentia.

13 Quis direxit spiritum domini? aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi?

14 Cum quo iniit cõsiliũ, & instruxit eum, & docuit eum semitam iudicij, & erudiuit eum scientia, & uiã prudẽtiæ ostẽdit illi?

Nullius cõsilio, sapientia uel auxilio indiget, cuius arbitrio omnia ordinata sunt, & arte condita, qui nouit omnia quæ condidit, & in pleno dominio ea seruat: quem nemo docere potest iustitiam, æquitatem, agẽda, obmittenda: qui errare nequit, ueritatis & æquitatis regula, qua quicquid uult bonum est.

15 Ecce, gẽtes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Ecce, insulas quasi exiguum abiicit,

Quicquid magnificum in creaturis est, stilla situlæ est perfectioni diuinæ comparatum, & minutissimus puluis appensus in statera respectu totius alicuius insulæ, atque molis maximæ. Atomus est quicquid grande in mundo diuinæ magnitudini comparabitur, & insensibilis quantitatis.

16 & Libanus nõ sufficiet ad succẽdendũ, & animalia eius nõ sufficiẽt ad holocaustũ.

Ei domino deo, si dignas hostias offerre uoluerit non sufficient omnes bestiæ ad sacrificiũ, & omnia ligna ad combustionem holocaustorum.

17 Omnes gentes quasi nõ sint (sic sunt) coram eo, & quasi nihilũ & inane reputatæ sunt ei.

Magna quidẽ gentiũ multitudo omniũ temporũ & locorũ, sed omnipotẽtiæ tuæ respectu plusquã nihil sunt, & nullius reputationis. Cum omniũ creaturarũ perfectiones deus in infinitũ transcẽdat, ut nihil illi assimilari possit, & nulla prorsus imagine repræsentari.

18 Cui ergo similẽ fecistis deum? aut quam imaginem ordinabitis ei?

19 Nunquid sculptile cõflauit faber? aut aurifex auro figurabit illud, & laminis argenteis argentarius?

Idololatriæ figmenta cõfutat, & nullã deo imaginem statuendam docet, de quacunq; materia, à quocunq; artifice, quacunq; diligentia, opera, & arte. Omnia enim caduca sunt, deus æternus. Omnia opera sunt manuum, deus omnium creaturarũ & artificum est artifex.

Idololatriæ confutatio.

20 Pauperis oblatio lignũ, imputribile elegit, artifex sapiens: quærit quomodo statuat simulachrũ quod non moueatur.

Ex omni thesauro preciosissimarũ rerum, in cultũ dei oblatarum, siue argentum sit, siue aurum, nihil deo dignum inuenuet stultus statuarius & illius conductor. Etiãsi de lignis imputribile sibi eligat & sapiẽter disponat, & studiosè præparet, & immutabile uel immobile faciat, totum nihil est, unde maiestatis diuinæ uel minimum quippiam designetur uel mica.

21 Nunquid non scietis? nunquid non audietis? nunquid non annuntiatum est uobis ab initio? nunquid nõ intellexistis fundamenta terræ?

22 Qui sedet super gyrũ terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ. Qui extẽdit ueluti nihilum cœlos, & expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum.

Tanta uos sapiẽtia adornauit, ut intelligere facilè debueritis, & ex lege naturæ & mea, ac à maioribus uestris narrantibus didicisse, à constitutione mundi, qui sedet super globum mundi potentissimum esse: cui inhabitatores omnes terræ comparati, nihil aliud uideri possunt, quàm locustæ ad maximũ gigantem uel montem. Ipse enim opifex est cœli & terræ, qui extendit uelut cortinam latissimè cœlos suos, ut sub eis habitent homines, sicut in tentorio.

23 Qui dat tyrannos quasi nõ sint, iudices terræ uelut inanè fecit:

24 equidem neq; plantatos, neq; satos, neque radicato in terra trunco eorũ, repente flauit in eos, & aruerunt, & turbo quasi stipulam auferet eos.

Deus dñs principũ.

In cuius plena potestate sunt omnes principes, quos ad suum nutum deleat & ad nihilum resoluat: & quoscunq; magnificos, seueros, robustosq; tyrannos, inanes, confusos, & impotẽtes reddit. Quantũlibet prorogare conentur germina sua, fructus, progeniẽ, imperia, timorem, obedientiã, uno flatu suo totos delet & exufflat, ut prorsus exarescãt, pereant, & uelut stipula auferantur à turbine. Tanta potentia dei est, tanta imbecillitas regum coram domino. Non ergo timeant fideles huius mundi potentiã: non præsumant de suis uiribus, tam fragiles creaturæ, ut dominum contemnant.

25 Et cui assimilastis me, & adæquabor, dicet sanctus?

26 Leuate in excelsum oculos uestros, & uidete quis creauit hęc. Qui eduxit in numero militiã eorũ, omnes ex nomine uocat. Præ multitudine fortitudinis & roboris, uirtutisq; eius neq; unum reliquũ fuit.

Omnia à deo pendent.

Vos ergo idololatræ, cui me dominũ omniũ assimilabitis? cui adæquabitis? qua effigie exprimere conabimini maiestatẽ meam? Cœlũ inferius mihi est, quod ut uolui finxi: astra, quamuis innumerabilia, ego ad numerũ certum constitui: & omnia ex nomine uoco, dum libet, & in tota mũdi machina nihil tam firmũ, magnũ, pulchrũ, utile, & perpetuũ est, quod nõ à me pendeat, quod non à me perfectè sit cognitũ, & ad arbitriũ meum obsequatur, per me subsistat, & dum uolo euanescat.

27 ¶Quare dicis Iacob, & loqueris Israel, Abscõdita est uia mea à domino, & à deo meo iudicium meum transibit?

28 Nũquid nescis, aut nõ audisti, Deus sempiternus dominus, qui creauit terminos terræ, nõ fatigabitur, neq; laborabit, neq; est inuestigatio sapientiæ eius?

Deus non ignoratus.

Propheta alloquitur fideles sub noïe Iacob & Israël, ut si omnes reliquæ gentes dominum ignorassent, ipsi tamen scire debuerint dei beneplacitũ & dignitatem, seq; excusare non possint, quasi neglecti & ignorati à deo fuerint, illiq; cultum dignum non obligentur. Nónne ratio naturalis indidit tibi cogitatũ? uel nõ audisti à præceptoribus & maioribus tuis, sapiẽtissimis uiris, quod dominus deus æternus est, qui creauit orbem terræ, sine cuius prouidentia nihil fit, cuius insatigabilis uirtus, & infallibilis prouidentia, qui non tam inuidus est, ut saluare suos nolit, nec tam impotens ut non possit? Rerum omnium causas exordia & fines perfectissimè nouit: cuius sapientiæ non est modus, nec inquisitio aliqua humana ad ipsam indagandã, nisi hoc solum, quod summe bonum est, quod omnia bene facit.

29 Qui dat lasso uirtutẽ, & his qui non sunt fortitudinem & robur multiplicat.

30 Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent.

Quum bonum illi uidebitur, uirtutem lasso dabit & robur, cui & quantum placuerit, & ei qui non est firmus, substantiam & firmitatem adauget. Et contrà, de sua uirtute & audacia gloriantes, & ad maxima anhelantes subitò præcipitat, & impellit ut cadant miserè & dispereant.

31 Qui autẽ sperant in domino, mutabunt fortitudinẽ, assumẽt pennas ficut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non lassabuntur.

Qui in fide & patientia expectant dominum, seseq; subijciunt prouidentiæ potentiæ & bonitati eius, istis uirtus semper prospiciendi ad optima renouabitur & crescet indies. Eleuabũtur instar aquilæ ascendẽtes suo tempore uersus solem, deplumantur & renouantur, secundum Iudæos: aliter dicit Aristoteles & Plinius. Sic fideles dei fauore proficiunt semper de bono in melius, currunt per uiam salutis & uirtutis, arduã quidem & prolixam, sed nunquã deficiunt nec fatigabũtur. Quotidie enim fideles seipsis fortiores fiunt & grandescunt in amore dei, de uirtute ad uirtutem ascendentes, donec uideant dominum uirtutum in regno iustitiæ.

Fideles proficiunt.

¶CAPVT XLI.

1 Taceant ad me insulæ, & gentes mutent fortitudinẽ. Accedant, tunc loquantur, simul ad iudicium propinquemus.

Expositio quædam est priorum, ad idem pertinens argumentum, & contra Iudæos multæ seueritatis redargutio. Dominus enim bonitatẽ suam magnificè ostendit hominibus, quam ignorare non deberent nec possunt. Vicissim tamen ipsi ingratos sese exhibent, & honorẽ sibi debitũ stultè & impiè idolis impẽdunt, ideoq; aduocat iudices ex remotissimis gentibus, qui insularũ nomine notãtur, ut causam audiant & decernãt, quæ uertitur inter tam clementissimũ deum, & ingratissimum Iudaicum populum. Silete, inquit, quiescite & auscultate, ô gentes, de remotis, & populi negotio dijudicãdo studiose adsitis, & pro uirili satagite: accedant ut audiant, hi contra quos accusationem instituam coram uobis, & pariter inter ipsos & me iudicio experiamur, si uel ego non illis omne bonum contuli, uel ipsi contrà non omnem rependerint ingratitudinẽ & contemptũ. Vos ergo qui de beneficijs meis & legibus nihil accepistis, iudicate, si non dignè irascar tam ingratissimis filijs, quibus nihil unquam fauoris non ostendi.

Ingratitudo Iudaica.

2 Quis suscitauit ab oriente iustũ (quis) uocauit eum ut sequeretur se: dabit in cõspectu eius gentes, & reges obtinebit: dabit quasi puluerem gladio eius: sicut stipulã uento raptam arcui eius?

Nónne ego sum qui iustitiam excito, & de remotis illam eligo, unicéq; amo, & ubique illam aduoco, ut me sequatur. Subdidi illi gentes, ut regnet in eas, si cupiant perfi-

Iustitia dei qua regnat.

persistere: sin minus colatur ab eis, deijcit & prosternit, & calamitatibus multis afficit. In iustitia enim regnabit rex, qua & deus colitur, & regibus dominatur, & ipsi per eam. Subdit sibi omnia, & gladius est, quo comminuũtur & disperduntur tyranni, & omnes qui illam odiũt uelut in puluerẽ attenuãtur. Et sicut stipula propellitur à facie uenti: sic dissipat iustitia omnem iniquitatem. Quod uerò de iustitia dicitur, de iustis intelligendũ uult propheta, siue Abraham intelligas, siue Cyrum & Ezechiã, siue Christum, & omnia ipsius membra: à domino enim habent ut iusti sint: Christus uerò ipsa est iustitia. Et ut sint tales uocantur à domino, qui & triũphat de mundo & regibus principãtur, & conterunt omnes peccatores terræ.

3 Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus eius non apparebit.

Iustitia iustorum persequetur gentes impias & uincet: saluaq; & incolumis per omnia huiusmodi discrimina pertransibit: in omnibus negotijs sine errore negotiabitur: prosperum faciet deus iter piorum: non cogitur diuerticula quærere, sed regia uia semper tuta procedet.

4 Quis (hæc) operatus est & fecit, uocans generationes ab exordio? Ego dominus primus, & cum nouissimis ego sum.

Quis est præter me qui omnia operetur ab exordio, qui aduocet, & iussu suo producat ætatem unam post aliam, generationes posterioris temporis post priores? cum solus ego sim principium & finis omnium, alpha & ω, fons totius boni unde profluit, & quò tendit omne bonũ. Talis ego sum, & omnes creaturæ me talem prædicant, & prophetæ mei populi id de me docuerũt, quo sint inexcusabiles hi quibus iudicia mea solis manifestare dignatus sum.

5 Viderunt insulæ & timuerunt, extrema terræ obstupuerunt, appropinquauerunt & accesserunt.

Stultitia Israelis.

Cognitio iustitiæ & potentiæ meæ peruenit etiam ad extremos angulos orbis. Omnes insulæ gentium audierunt & admirati sunt iudicia mea & omnipotentiam: accesserunt ad cultum summi dei & numen maximum adorauerunt, & reueriti sunt. Populus autem meus Israëliticus, per summam stultitiam, stultissimos quosq; gentilium sequentes, idola sibi faciunt suis manibus, quæ & adorant.

6 Vnusquisq; proximo suo auxiliabitur, & fratri suo dicet, Confortare.

Tanta stultitia insanunt, ut sese mutuũ adhortentur & adiuuent. Frater fratrem incitando, dicit: Fortiter insta idolo perficiendo, ne manu lasseris, ne negligenter instes ad parandũ tibi deum, qui à te factus & conditus non possit te non exaudire & iuuare.

7 Confortauit faber ærariũ complanans malleo cum quassatore ad incudem, dicẽs glutino, bonum est, & cõfortauit eum clauis, ut non moueatur.

Materiem quam faber quicunq; ærarius Gentilis uel

Iudæus idololatra præparat atque fundit, alter absoluit, opera sua expoliendo & exornando, quo sit admirabilius opus. Et qui rude opus grandiore malleo excutit, remittit illud ad operantem leuiore malleolo, quo diligentius & exactus adformetur ad institutam speciem. Vnusq; alterum admonet ac instruit de elegãtia aliqua noua inducenda, ut opus exeat splendidius. Denique standi & perseuerandi uirtutem idolo clauis & glutino adijciunt, ne facili lapsu confundatur opus cum suo opifice. Hæc quidem faciunt gentes stultæ & à iustitia alienæ, etiam hæ tribus Israëliticæ quas mihi ex omnibus elegeram.

Fabri idolorum.

8 ¶Et tu Israël serue meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei,

Satis patet ea quæ sequuntur de Israële secundũ carnem dici & ostẽdi non posse: ideoq; tam diligẽter propheta adnectit certissimas notas, Israëlem non absolutè nominandò, sed seruum meũ. Non Iacobum tantũ dicit, sed quem elegi: nec semen Abrahã omne, sed illud quod amaui. Dominus enim quum sit creator ex æquo omnũ hominum, nihilq; odiat eorum quæ cõdidit, seruos suos illos habet mandatorũ suorum obseruatores, qui illius per omnia uoluntatem adimpleant. Electos suos uocat, quos ad sui agnitionem & beatitudinem uocauit. Amicus autem dei Abraham propter aliud non fuit, quàm quia dominum deum credidit, totum se illi dedidit, & propter amorem & uerbum eius, quicquid in hoc mundo habuit, ad primã uocationẽ totum deseruit & abnegauit, filium quoq; suum unicũ immolare maluit quàm non obtemperare mandatis. Qui tales sunt, & ingenũ iustorum illorum sectantur, hi filij quoq; legitimi sunt domini dei, & ueri Israëlitæ, de quibuscunq; sint secundum carnem patribus geniti.

Electus Iacob quis dicatur.

9 in quo apprehendi te ab extremis terræ, & à longinquis eius uocaui te, & dixi tibi, Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te.

Ex ultimis terræ finibus deus suscipit huiusmodi filios Abrahæ, & uocat per adoptionis gratiã de longinquis regionibus, in unitatẽ fidei & charitatis. Hæc enim nec de Christo, nec Cyro, nec Iudæis carnalibus clarè dicuntur, sed de ecclesia Christi electa ex gentibus omnibus, cui dicit dominus: Tu es seruus meus, qui posthac non idolis, sed creatori tuo seruies. Nec tu me elegisti, sed ego elegi te, ea cõditione, ut & sanctificẽ te, & beatificem ad gloriam meam & felicitatem tuam.

Abrahæ filij.

10 Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego deus tuus. Confortaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepi te dextera iustitiæ meæ.

Timendus quidem deus ut pater, sed de patris indulgentia non desperandũ est filio. Fideles nõ timent à domino derelinqui: sciunt enim dominũ secũ esse, omnaq; bona consulere norunt, & perfecta fiducia præsenti domino adhærere. Non sinit dominus resolui electos suos uelut cera à facie ignis, uel retrospicere dum certò norunt sibi præsentẽ & propitiũ deum suum. Verè enim

Timor fidelium.

fideles confortat, & uirtutem præstat, auxilioq; succurrit, & sustentat per fidem in Christum, & iustitiã dei, quæ dextera dei dicitur: quin & Christus iustitia fidelium est, qua deo patri iusti habentur.

11 Ecce cõfundentur & erubescent omnes qui odio ferũtur aduersum te. Erunt quasi non sint, & peribunt uiri qui contradicunt tibi.

Certũ est hoc de fidelibus omnibus intelligi, duriceruicosis Iudæis conuenire non posse. Non enim confundũtur fideles, sed fidelium hostes erubescere cogũtur, & ignominia digna aspergũtur, pereunt, & quasi non sint: sic nihil poßunt impij contra iustitiam iustorum, etiamsi corpus ad tempus adfligant, suo quoq; tempore adfligendi, cum dominus disceptationem & litem contestatus fuerit cum impijs.

12 Quæres eos, & non inuenies eos uiros rebelles tuos: erũt quasi non sint, & ueluti nihilũ homines bellãtes aduersum te:

Impij sic delentur in animabus, personis & posteris, à domino, ut liberè pij opus suum perficiant, ab eis non impediẽdi. Vastatores innocentiũ uastabũtur, & exterminabuntur, ut nihili fiant, quia contra stimulum calcitrare præsumpserunt, omnipotentẽ & illius amicos & filios impugnando.

13 quia ego dominus deus tuus apprehendens dexteram tuam, dicensq; tibi: Ne timeas, ego adiuui te.

Fidelium tota fortitudo dominus est, qui dextera sua seruat, protegit, & ore consolatur uerbo suo, mißisq; prophetis hortatur ad bonum, & promittit auxilium, ut fidere discant, & ei adhærere.

14 Noli timere uermis Iacob, mortui ex Israël: ego auxiliator sum tui, dicit dominus, & redemptor tuus sanctus Israël.

Israel, sunt fideles oẽs.

Vermiculus Iacob tener & cõtemptus, fuerũt Israëlitæ soli, antequam abijcerentur à cultu dei secundum suas leges, quos & adiuuit dominus, & cõseruauit usq; ad regnũ Christi. Nunc uerò ingreßa plenitudine gentium in adoptionẽ filiorũ dei, gratiaq; diffusa in orbem per Euangeliũ, constat omnes fideliter credentes & seruientes domino deo Israelis dignißimè uocari & esse ueros Israelitas: qui tamen comparatione impiorum ex gentibus & Iudæis pauci sunt numero, & despecti in hoc mundo, adiuti tamen semper à deo suo, secundum ipsius promißa, qui redemptor est fidelium, & sanctus Israelis. Qui se patitur fide, charitate, oratione & patientia uinci à fidelibus suis Israelitis, ut nihil negare poßit, nec irasci in perpetuum pro peccatis credentiũ, nec sinere ut ab impijs opprimantur.

15 Ego posui te quasi plaustrum trituræ nouum, habens rostra serrantia. Triturabis montes, & cõminues, & colles quasi puluerem pones.

Siue Israelitas sanctos spectes, prophetarum, patriarcharum, Machabeorumq; temporibus, siue in Christo, benedictum Israelis semen ex gentibus, clarißimè uidebis per gratiam dei semper impios idololatras, & uerbi dei contemptores à fidelibus comminutos, & in puluerem redactos, ueluti plaustro tribulis nouis dentatis trituratos, reges & principes deuictos à fidelibus, confusos & eliminatos per uirtutem dei & sapientiam, cui nunquam possunt resistere. Quandoquidem uerbum dei malleus est conterens petras: impiorum autem uirtus palea est, contrita, & uento raptata, quantũlibet alti, potẽtes, diuites, & crudeles sint, uirtute tamen dei in fidelibus ut puluis & quisquiliæ conculcabũtur. Malleus uerbi dei. *Id quomodo impij Iudæi sibi tribuant, ipsi uiderint, qui à uero cultu dei iamdudum exciderunt, & ecclesiæ fides indies roboratur & renouatur, augescitq;, & semper augebitur.*

16 Ventilabis eos, & uẽtus tollet eos, & turbo disperget eos, & tu exultabis in domino, in sancto Israël lætaberis.

Huius prophetiæ ueritatem completam norunt fideles, per quos dominus ueluti uento turbinis uentilat, disijcit, propellit impios, ut consistere nequeant, sed ut mare feruescant, & tumultuentur inaniter: uias persequendi fideles tentant, sed omnia infeliciter ipsis. Dum interim sancti & fideles exultant in deo salutari suo, & non suas, sed domini uirtutes & magnalia iactant, qui sanctus dicitur Israelis, qui eos sanctificat, & sanctificatur ab eis.

17 ¶ Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorũ siti aruit. Ego dominus exaudiã eos, deus Israel non derelinquam eos.

Pij ex Iudæis excitãtur.

Aquas sapientiæ salutaris & refrigerij spiritualis quærent peccatores, siue ex gentibus siue Iudæis, sacræ eruditionis doctrinam: sed non inuenient, quia dereliquerunt fontẽ sapientiæ, & cisternas ueteres errorum sibi foderunt. Ideo lingua eorum siti laborat, corrumpitur, & perit omnis uigor spiritus & uirtutis. Ego autem dominus deus, si conuersi fuerint ad me, & uerba mea requisierint, respondebo precibus, & studio ipsorum. Sum enim dominus deus Israel, pius, clemens & misericors, qui non derelinquo quærentes me, conuersos ad meliorẽ mentem, & uerbo meo credentes. Quomodo id fiat & semper fuerit, clarius patet, quàm ut declaratione indigeat.

18 Aperiam in supremis collibus flumina, & in medio camporũ fontes. Ponam desertum in stagna aquarũ, & terrã inuiam in exitus aquarum.

Doctrina sanctorum multa.

Aperiam in locis excelsioribus, & ad prospectum patentibus, quo facilè peruenire poßit à sitiẽtibus, non paruos fontes, sed ingentia flumina doctrinarum sanctarum: & intra campos locorum humilium, fontium scaturigines præparabo, ut absit omnis excusatio claudorum uel pigrorum, sed accedere ad uerbũ uitæ possint omnes sitientes. Tam generalem faciam ueritatis doctrinam, tam obuiã omnibus, ut ubi prius uastæ erant solitudines, & gentilũ errores squalore suo omnia inficiebant & arida reddiderãt, per gratiã sanctiſpiritus pot-

nam

nam in stagna aquarũ. Vbi idololatria plena omnia, & abominationibus subiacebãt, et erroribus spurcissimis: ibi per Euangeliũ sapiẽtia sacra irrigua erũt electorum pectora, & fide imbuẽtur, qua sibi proficiãt & alijs.

19 Dabo in solitudinẽ cedrum, spinam & myrtum, & lignum oliuæ: ponã in deserto abietem, ulmum, & buxum simul,

Prosunt in ecclesia omnes pij.

In ipsa media gentilitate cõuertenda ad ecclesiasticã fidem, suscitabo per spiritus sancti gratiã, sapientes, fideles prophetas, doctores & prælatos, qui iuxta uarietatem gratiarũ, unus sic, alius aliter proderit ecclesiastico ædificio extruẽdo, secundũ necessitatẽ spiritualis profectus: ut nullus in ecclesia inuenendus sit, qui non aliquid prodesse possit, si fidelis fuerit, ne quis uel mini mus spernatur, sed in quo quis ministrare proximis ualeat semper diligenter cogitet & incumbat.

20 ut uideãt, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter quia manus dñi fecit hoc, & sanctus Israel creauit illud.

Ecclesia ex gentibus.

Hæc autem beneficia præstabit ecclesiæ suæ deus ex gentibus cõgregandæ, ut cognoscatur ipsius omnipotentia, prouidentia, clementia, & charitas ad homines electos, ut proficiant pariter fide in deũ & charitate, dum illius bonam manũ suam & gratiam discent, & mirabilia opera sua ad electos. Vt sanctificetur illius nomen ubiq; & semper, à quo omne bonum, qui impijs tam Iudæis quàm gentibus repudiatis, tantam gratiã ueritatis & uitæ præstat fidelibus & electis.

21 ¶ Prope facite iudicium uestrum, dicit dominus: afferte, si quæ robusta habetis, dixit rex Iacob.

Omnes pariter idololatras aduocat, tam ex Israelitis quàm Ethnicis, ut assint suæ causæ, quæ agenda sit in iudicio dei, toto orbe auscultante, & ratione naturali discutiente stultitiã idololatrarũ & uanitatẽ idolorũ, ut robustissima quæq; argumẽta pro errore suo adferant: imò si homines defecerint, ipsimet dij & idola accedãt, suã maiestatẽ defensura si possint, ut minimè poterũt.

22 Accedãt, & nũtient nobis quęcunq; uentura sunt: priora quæ fuerũt nũtiate, & apponemus cor nostrũ, & sciemꝰ nouissima eorũ, uel quæ uẽtura sunt indicate nobis.

Idola conuincuntur.

Imprimis idola cõuincuntur ignorantiæ futurorum, quæ nemini nota sunt nisi tantum deo ipso uero, & eis quibus per suum spiritũ reuelat, pijs & sanctis amicis suis. Ideoq; dij nõ sunt, nec à futuris quibusq; calamitatibus quenquam liberare ualent. Sed nec prisca norunt, quæ ante mũdi constitutionẽ fuerũt, uel ipsum mundũ constitutũ, cum etiam dæmones cum mundo cœperint, & non plura nosce possunt, quàm illis deus fauet, & dat intelligere. Sũt enim omnes serui dei, & plenè illius nutui subiecti, non minus quàm sancti angeli dei. Ideoq; nec præterita dudum, nec futura renuntiare possunt, propria uirtute, ad omnimodam certitudinem, cui inuibitato pectore incumbamus.

23 Annũtiate quæ uẽtura sunt in posterum & sciemus quia dij estis uos. Bene quoque aut male (si potestis) facite, & loquamur, & uideamus simul.

Maxima idolorũ gloria habebatur apud idololatras futurorum præcognitio: ideo hic irrisoriè requirũtur, ut si possint, signa dent futurorũ euentuum, si poscant se ueluti deos coli. Benefaciant uel malefaciant cultoribus suis dum uolũt, domino nõ uolente. Tunc enim dij habebuntur, si omnipotentiam & omniscientiã suam factis testabuntur & uerbis: id cum nunquam possunt, rectè abominationes existimabũtur, errorumq; patroni.

24 Ecce, uos estis ex nihilo, & opus uestrũ ex eo quod nõ est: abominatio eliget uos.

Quum igitur diuinitatem uobis arrogare non potestis, ego uobis ostendam quid sitis, ne posthac gentes decipiatis. Vos, inquam, nihili estis, ex eorum numero quæ non sunt, & opera uestra nihil sunt, & abominationis amici estis, hoc est ipsissima abominatio, & error turpissimus & uanissimus, ut nec nomine aliquo digni sitis. Idolum enim nihil est.

25 ¶ Suscitaui ab aquilone, & ueniet, ab ortu solis, inuocabit nomen meum, & adducet magistratus, quasi lutum, & uelut plastes conculcans humum.

Christus idola deleuit.

Perniciem idolorũ, & extirpatorẽ totius idololatriæ consequenter uenturũ propheta dei nomine prædicit: Christũ scilicet, quem dominus de longinquo uocauit, è cœlis scilicet misit, & in mundum. Cuius typus Cyrus erat quem ab aquilone uocauit, & ab Ortu solis inuocatorem nominis diuini, quem Cyrus cõfessus est, & coluit. Christus autẽ colere docuit nomen domini. Is subiugabit imperio suo omnes principes, & pro uoto suo illorum opera utetur. Sicut figulus lutum format, secundũ uoluntatẽ suam, quomodocunq; illi placet: sic tam Cyrus regibus imperabit, quàm Christus regnum possidebit, & potestate à patre data utetur in cœlo & in terra, calcabitq; omnia idola cum idolatris, sicut figulus lutum calcat & conterit.

26 Quis annũtiauit ab exordio, ut sciamus: & à principio, ut dicamus, Iustus (es?) sed non est annuntians, neq; prædicens, neq; audiens sermones uestros.

Hæc ingentia & gloriosa opera mea, quæ faciam ad uestram etiam conculcationem, ô idola muta, surda & cæca, uos præscire non potuistis, sentietis autem uos & cultores uestri meã potentiã exitio uestro. Ego autẽ tam prima quàm nouissima rerum omnũ noui, & prædixi amicis meis, iustis & pijs hominibus, patriarchis & prophetis. Nemo autẽ uestrum cum sit, qui talia noscat uel prænuntiare possit, uel prædicare, ideo uestra uerba audiri nõ debent, quia nõ nisi mendacia concinnatis, tam uos quàm idola, & aruspices uestri.

27 Primus ad Sion (dicet:) Ecce adsunt, & ad Ierusalem Euangelistam dabo.

Christus gẽtium cõgregator.

Principium qui & loquitur Christus dominus est, ad Sion erudiendum, ad instituendũ ecclesiam primus mittetur, & filios ecclesiæ de omnibus gentibus cõgregando in Hierosolymã nouam & aureã toto orbe dominan

tem. Ego euangelistã institutã atq; ponã, recõciliationis diuinæ præconem, & ueritatis doctorẽ, errorumq; & idolorũ extirpatorẽ. Hunc ego futurũ prædixi dudum & prædico, uos autem idola nihil tale nec etiã minora scitis, quæ sint futura: ideo dij nõ estis, quia de ueritate, & futuris euentibus certa respõdere non potestis.

28 Et uidi, & non erat quisquam ex istis, & non erat qui daret consilium, & interrogatus responderet uerbum.

29 Ecce omnes iniusti, & uana opera eorũ, uentus & inane simulachra eorum.

Omnia ergo idola & cultores illorum, uanitas sunt, & uanissima sunt ipsorum opera. Ventus mobilis, incertus, & pestifera sunt omnia opera uestra, omnia idola, conatus & studia uestra, suo tempore pariter eliminanda, & redigenda in nihilum.

CAPVT XLII.

1 ECce seruus meus, suscipiã eum: electus meus, complacuit (sibi in illo) anima mea. Dedi spiritum meum super eum, iudiciũ gentibus proferet.

Christus etiam seruus dicitur.

Hunc seruum Hebræorum aliqui Iacob patriarcham exponunt, alij Esaiam prophetã, alij Cyrum. Nobis dubium non sit Christũ significari, qui secundum dispensationem naturæ humanæ assumptæ uerè seruus est: quem proponit uerbum dei, & deus ipse, omnibus uenerandum gentibus, quem apprehẽdit sua manu, sustentat in fragilitate humana, & sibi cooptauit in filium, ut secundum carnem sustentatus, & electus præ omnibus filijs hominum, secundum diuinitatem sit naturalis & consubstãtialis filius ipsi patri. In quo electo meo unice complacet animæ meæ: in quo nũbi mũdus recõciliatus est: in quem contuli spiritus sancti dona, uirtutesq; non ad mensuram, sed inestimabili copia. Is meus dilectus filius, iudiciũ gentibus proferet, Euangelicam doctrinam disseminabit in totum mundũ, deuictisq; errorum portentis mundum cõciliabit, in unius dei certam agnitionem & cultum legitimum.

2 Non clamabit, neq; accipiet (personã) nec audietur uox eius foris.

Nõ erit clamosus, turbulẽtus, pro tribunalibus sedẽs, nõ horribiliter detonabit, sed placidè loquetur, mansuetus, mitis & humilis uerbo & opere. Non audiri faciet uocẽ suã foris, fugiet omnẽ ostentationẽ & iracundiã: quèmadmodũ & Apostolus monet, tolli à Christi discipulis clamorem, indignationẽ, iram & blasphemiam.

3 Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. In ueritate educet iudicium.

Clemẽtia regis nostri.

Magnum spei nostræ fomentum, quod diuina bonitas tam facilem atq; humanum nobis fore promittit filium suum, ut & si languidi simus ac fracti, instar fractæ harundinis, fumenus licet & uaporemus, uelut stuppa expirantis lucernæ, laturus tamen sit, & non ferociter nos obruiturus. Verum iudiciũ profert conscientiarum

rimator, & hypocritarum traductor. Ipse enim nouit quid sit in homine, cogitationum inspector.

4 non erit tristis, neq; turbulentus, donec ponat in terra iudicium, & legem eius insulæ expectabunt.

Non hallucinabitur iudicio, sed causam clarè intelliget, nec præcipitanter pronuntiabit sententiam. Vt iustitiam hominibus reuocet postliminio, & iudicium iustum doceat, charitatis scilicet officium & exercitium, ipse erit expectatio gentium. Legem euangelicã omnes exteræ remotissimæq; nationes & insulæ suscipiẽt atque suspicient. Per nomen Christi gentes saluabuntur, & ad illius præscriptum uiuent, fide & charitate saluandi in eum.

5 ¶ Hæc dicit dñs deus creans cœlos, & extendens eos: firmans terrã, & quæ germinãt ex ea: dans flatũ populo super eam, & spiritum calcantibus eam.

Omnipotens pater creator omniũ, qui cœlos condidit & expandit ueluti tentorium super terrarũ orbem, in quo germina quoq; producit omnis generis uiuentium, ut cœlesti influentia foueantur sapientissimè & mirabiliter. Dat quoq; uim respirandi populis terram habitantibus, & in ea conuersantibus.

6 Ego dominus uocaui te in iustitia, & apprehẽdi manũ tuã, & seruaui te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium:

Verba dei patris ad Christum filium: Ego, inquit, dominus te Christum uocaui ad iustitiam, ut & ueram iustitiam fidei doceas, qua & Abraham & omnes sancti iustificati sunt, & iustitia illorum tu es, si per te in me crediderint. Et apprehendi te manu tua, uirtutem diuinam tribuendo humanitati tuæ, qua miracula facies inter homines, ad iustitiã fidei stabiliendam, & in mortis articulo animam suscipiendo, ne detineretur uinculis mortis, sed infra triduum resurgeret, primitiæ resurgentium, spes immortalitatis credentium. Custodiui te exaudiendo ad uotum, & ab omni peccato, etiam angelico officio ministrando tibi, & ad dispensandam salutem gentium manu tenendo. Posui te fœdus populi, ut in te benedicãtur, gratificentur, saluentur omnes populi, ut sis lux & illuminatio omnium gentium, ut discant legem tuã, & ambulent in lumine tuo, qui es lux mundi, & signum fœderis.

7 ut aperires oculos cæcorum, ut educeres de cõclusione uinctum de domo carceris, sedentes in tenebris.

Prædicatione Christi cæcorũ oculi aperti sunt, cum errores pharisaici, & gentilium perfidia, per euangelicam lucem euanuerunt: & non solum corporeos oculos, sed mentis quoque ignorantiam illustrauit, uarijs criminum corruptelis & uinculis impeditos, sed & inferni claustra uictor ab inferis resurgens aperuit, & suos liberauit.

8 Ego dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meã alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.

Ego

Nomẽ dei. Ego dominus ſum, uniuerſorum conditor & gubernator, ipſiſſima ſua & omnium quæ ſunt eſſentia. Hoc & tale eſt nomen meũ, ut in ipſo omnia ſint, uiuant & moueantur, omnibus præſens & influens, quam gloriã meam alteri non permittam: ſolus adorari uolo, & ut ſummum bonum coli, quicquid boni fit & datur mihi acceptũ referri uolo, nullam uerò laudem ſculptilibus, quæ, ut prædictum eſt, nihil ſunt, & mera uanitas.

9 Quæ prima fuerunt, ecce uenerũt: noua quoq; ego annuntio: antequam oriãtur, audita uobis faciam.

Ego quæ prima euenerũt prædixi antequam uenirẽt, & antequam Sennherib proſterneretur, futurum illud prædixi meis prophetis: ideoq; & de futuris prophetanti mihi certa accõmodanda eſt fides. Hanc omnia futura prædicẽdi gloriã idolis non dabo. Solus enim qui omnia operatur prædicere poteſt omnia antequam fiant.

10 Cantate domino canticũ nouum, laus eius ab extremis terræ, qui deſcenditis in mare & plenitudo eius: inſulæ, & habitatores earum.

11 Leuetur deſertũ, & ciuitates eius, in domibus habitabit Cedar. Laudate habitatores petræ, de uertice montiũ clamabũt.

Pietas prophetarum.

Prophetis ſanctis omnibus nullum maius deſyderium fuit, quàm propagandæ gloriæ diuinæ, & idololatriæ excindendæ, & in totum abrogandæ è toto mundo. Ideo poſt reuelatum ſibi à domino myſterium, de caſu idolorum, & conuerſione omnium gentium, ad unius ueri dei cultum, propheta gratulatorium carmen canit, elegantiſſimo more, ad laudem dei aduocans omnes gentes ab extremis terræ, uidentes mirabilia opera dei, etiã maria habitantes, & inſulanos. Aridiſſima quoque loca propter interiacentia deſerta inacceſſibilia incitat, & habitatores montium, urbium, uillarum, & tabernaculorum, quales Cedareni ſunt, & Arabes in tentorijs Nomadæ uagabundi ambulantes, & in petroſis locis & altiſſimis arcibus. Omnes hos pariter inuitat ad dominum laudandum, ex fide & deuotione, hymnis & canticis ſpiritualibus.

12 Ponent domino gloriã, & laudem eius in inſulis nuntiabunt.

Ponant domino gloriam, confiteantur & tribuant omnipotentiam & bonitatem uni ſoli deo. Non ſola Iudæa, ut hactenus, ſuis deum pſalmis glorificet, ſed qui in remotiſſimis locis, ad quæ nauigijs tantum accedi poteſt, dominum agnoſcent ſuis laudibus, dominum uenerari geſtiant ac colere.

13 Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut uir præliator ſuſcitabit zelum. Vociferabitur, & clamabit: ſuper inimicos ſuos confortabitur.

Vindex ſuo rũ Chriſtus

Vindicabit aliquando dominus gloriam ſuam, & non patietur idola præ ſe coli uel ſecum. Tanquam uir fortis & ſtrenuus prodibit, ſemel omnia idola eliminaturus, & glorioſo triumpho per Euangelium Chriſti ſui iuſtiſſimo zelo uociferabitur, & uelut leo rugiet cõtra hoſtes gloriæ ſuæ, quibus et prævalebit doctrina & ſanguine, pretioſaq; multorũ fideliũ morte, apoſtolorũ ſcilicet & primitiuæ eccleſiæ ſanctorũ martyrũ. Quales & hæc noſtra tempora ſanctiſſimi zeli teſtes ueritatis & martyres innumeros habẽt, cõtra ſacrilegũ abuſum imaginum & tutelarium deorum.

14 ¶ Tacui, ſemper filui, patiens fui, ſicut parturiens loquar. Diſſipabo, & abſorbebo ſimul:

Ira Chriſti cõtra idola.

Quaſi tacuiſſe uiſus eſt, & diſſimulaſſe iacturã gloriæ ſuæ deus, tanto tempore permittẽdo idololatriã, tamq; abominanda ſacrilegia toto in orbe. Veniet aũt tempus, quãdo impatientiſſimè uidebitur perſequi tam pnitioſos errores idolorũ, neq; ſine acutiſſimis multorũ doloribus ſuã iniuriã uindicabit, uaſtando, diſſipãdo, ſubuertendo pariter prophanũſſimos gentiũ ritus, & falſos deos.

15 deſertos faciã montes, & colles, & omne gramen eorum exiccabo: & ponam flumina in inſulas, & ſtagna areſaciam.

Templa idolorũ.

Excelſa celeberrima idolorũ in montibus & collibus, cum ſuis delubris, pontificum collegijs, gentilium monachorum ædibus, & nonnarum, qualia multa paſſim in orbe habita conſtat: quibus utinam non peiora ſucceſſiſſent. Hæc, inquit, omnia diſſipabo, abſorbebo, & deſtruam, ueluti herbas & fœnum areſactum. Huiuſmodi loca & delitias finam, & in tantam ſiccitatem ponam, ut nullus ibi hominũ poſtea habitare uelit. Niſi per montes & colles, principes maiores & minores malis intelligere, quorum ſplendor & diuitiæ redigenda ſint in nihilum. Sic enim uidemus idolorũ patronos cum idolis deletos, ut uix ueſtigia remanſerint, niſi ubi gentilium collegia & ſacerdotia uel etiam monaſteria conuerſa ſunt in impurum Chriſtianiſmum.

16 Et inducã cæcos in uiam quam neſciũt: in ſemitis quas ignorauerunt, ambulare eos faciam. Ponam tenebras coram eis in lucẽ, & praua in recta. Hæc uerba feci eis, & non dereliqui eos.

Gentes conuerſæ.

Cæcam gentilitatem ignaramq; creatoris ſui, pernitioſiſq; erroribus aberrantem, in uiam ueritatis reducam per Euangeliũ Chriſti, ut poſthac ſemitas fidei, charitatis, manſuetudinis, omniumq; uirtutũ inceſſuri ſint, patiẽtiæ & humilitatis, quas antea ignorauerant. Tenebras eorum conuertam in lucem, dum ad Chriſtum dominũ peruenerint, qui eſt lux uera, apud quem omnis felicitas. Quicquid fallaciarũ, errorũ, impoſturarumq; mundo impoſuerat, Euangelica prædicatione corrigetur ſine dubio. Quæ enim promitto felicia, mundo & electis expectatiſſima fient. Non enim derelinquam electos, nec uerba mea euacuabuntur, etiam ſi totus mundus & cœlum ipſum ruat.

17 Conuerſi ſunt retrorſum. Cõfundantur confuſione, qui confidunt in ſculptili, qui dicunt conflatili, Vos dij noſtri.

Auertentur igitur gentes ſceleratæ à uia ſua mala, & pietatẽ illibatam amplectẽtur, erubeſcent de antecacta uita, & ſuperſtitione ſua. In anguſtijs quoque ſentient

se frustra sperasse in idola sua: sculptilia enim sunt, & stultitiæ opera. Fatebunturq; se homines deceptos fuisse, qui crediderint sculptile deum esse, & inuocasse errores, adorasse uanitates, dixisseq; lignis & lapidibus, Vos estis dij mei, uos omne bonum meum estis, & auxiliatores: cum sibi nihil possint tribuere boni, nec amoliri aduersa.

18 ¶ Surdi audite & cæci intuemini ad uidendum.

Surdi Iudæi ad uerbum dei.

Huc usque carmen. Nunc aliam orditur prophetiam contra Iudæos, quibus, ut multos semper deus prophetas miserit, semper tamen maxima ex parte surda aure & nulla fide respõderunt, propensi ad idola, infensi autem ueritatis prædicatoribus & prophetis. Surdos nominat & cæcos. Audire nolebant uerbum domini, & mìraculum cæsorum Assyriorum non attendebant, ut tempore Esaiæ sic quoq; & Christi apostolorumq; temporibus: semper enim restiterunt spiritui sancto, usq; in hoc tempus, cernentes ad dominum conuersas gentes, & sacras tractari scripturas cum reuerentia, quas ipsi nolunt intelligere nec appretiari, impediti suis stultis traditionibus, & patrum suorum exemplis. Hortatur ergo spiritus domini, ut non semper surdi sint & cæci, sed respiciant ad opera bonitatis diuinæ, & uerbum prophetiæ audiant, ut audituræ olim sunt reliquæ gentes, & creditura domino.

19 Quis cæcus, nisi seruus meus? & surdus, nisi (ad)quem nuntium meum misi? Quis cæcus, nisi qui uelut princeps eorum est? Et cæcus, sicut seruus domini?

20 Qui uides multa, sed nõ custodies? Qui apertas habes aures, & non audies?

Gentiles obediẽtiores Iudæis.

Correctio est: quasi dicat, Quid iubeo uidere Iudæos, cum sint omnium populorũ incredulissimi, & cætiores ac surdiores. Longè facilius conuertentur ad me gentes aliæ, & cum admiratione, reuerẽtia & fide suscipient beneficia mea quàm Iudæi, quos de domo seruitutis assero in libertatẽ, de Aegypto eductos duxi in optimam terram, ut mihi ibidẽ seruirent. Et totus mũdus, prophetarum meorũ oracula diligẽtius audiet & obsequẽtius, quàm is populus, ad quos ego eos misi, de quorũ genere nati erant. Quis cætior est, quàm hi inter eos qui maximè uidere debuerãt & perfectus, qui alios dirigere & uiã docere ut principes & magistratus ipsorũ? Et quis tam cæcus in expẽdendis uerbis domini & perficiẽdis, ut est Iudaicus populus, qui seruus domini esse obligatur ex fœdere? Eidem populo uisiones multas & documenta assidua multiplicaui & proposui, de mane cõsurgens, nihil beneficiorũ negligens unquã: sed nihil aduertunt, salutaria mea monita nõ seruãt, etiã apertis oculis ad uocẽ prophetarũ audire tamen nolũt, sed blasphemãt ac irrident, tam me quàm meos prophetas.

21 Dominus uoluit ut sanctificaret eum, & magnificaret legem, & extolleret.

Iustitia dei ad patriarcharũ filios

Non tamen desistit dominus benefacere huic populo Iudaico, etiã toties irritatus abominãda idololatria & inobediẽtia sua: non quòd melior nõ esset in hominibus à deo conditis populus alius, non quòd suis uel patrum meritis hanc dei longanimitatẽ & patientiã mereãtur: sed propter iustitiã dei, quam in totum mundũ disseminare decreuerat deus, per Christũ dominum, ex hac Iudaica gente orbi promissum & statuendũ, ut fideles inuenirẽtur patriarchæ & prophetæ, qui in uerbo domini salutem omnibus electis ex semine Abrahæ & Dauidis exhibendã prædixerũt, sancto adflati spiritu, & ut lex domini dei illustrior euaderet, quam dederat Israëlitis quidẽ in monte Sinai, quam sub interminationibus multarum aduersitatũ, & promissionibus bonorũ seruarẽt, & populus dei peculiaris haberẽtur & essent. Quatoties suscepta cũ iuramẽto, & semper cum tempore per rebellionẽ deserta à Iudæis, eadẽ gentibus uocandis ad ecclesiã filiorum dei, aliquãdo maiori gloria cõcederetur, & iustitia maiori cõseruaretur à nouo electorũ populo, nouo etiã obseruãtiæ more, in spiritu scilicet & ueritate charitateq;, quæ est totius diuinæ legis consummatio, & cultus deo acceptissimus, in totum terrarum orbẽ disseminãdus. Plena enim erit terra scientia domini, dum gentiũ plenitudo ingressa, expectatione sua frauranda nõ erit gratia & salute per Christũ dominum.

Gentis Christi.

22 ipse autẽ populus direptus & uastatus. Laqueus iuuenum omnes, & in domibus carcerũ absconditi sunt. Facti sunt in rapinam, nec est qui eruat: in direptionẽ, nec est qui dicat, Redde.

Iudaicus populus ab inimicis suis direptus, oppressus & conculcatus, totus capietur dura seruitute, uelut in foramina aspidũ, ubi de uita sua semper incerti erũt, & in carceres abscõdentur, omnibus exosi & inuisi. Erunt enim in prædam omnibus populis, sine spe liberationis de una gente proiecti in aliã, nusquam tuti, semper infelices, qui gratiã & beneficia dei non agnouerunt, cæci & surdi, nec restituentur in suum pristinũ statum. Hæc demonstratione non egent, siue ultimam Romanorũ uastationem intelligamus, siue decem tribuũ. Quin & Babylonica ipsa nõ nisi parua ex parte restituta est, si pristinum Salomonicũ regnum uel Dauidis expendamus, comparatione habita ad id temporis.

Iudæi obduratio.

23 Quis est in uobis qui audiat hoc, attendat, & auscultet futura?

24 Quis dedit in direptionẽ Iacob, & Israel uastantibus? nónne dominus ipse, cui peccauimus? Et noluerunt in uĩs eius ambulare, & non audierunt legem eius.

Hortatur propheta gentem suam, ut recogitent nocuissima sua, qualia Moses cõminatus est transgressoribus legis, & populo, deo suo tam ingrato, ut auscultent correptionibus prophetarũ, alioqui dominus illis minimè mentietur. Dabit rebellem sibi populum in conculcationem, & Israëlem illum carnalem & duræ ceruicis homines prædonibus, dominus deus ipsorũ quem colere noluerunt, in cuius legem toties professam & iuramẽto promissam præuaricati sunt, nolentes ambulare in uiis domini, nec audire & obsequi legi diuinæ. Quos enim dominus propter gloriã suam exaltauerat diuitijs, gloria

ria & sanctimonia, hos ingratißimos deo suo reiecit, conculcauit, relegauit in exteras nationes & hostiles, quod eis prædixerat frequẽter per prophetas, quibus credere noluerunt.

25 Et effudit super eum indignationem furoris sui, & forte bellum: & cõbussit eum in circumitu, & nõ cognouit: & succẽdit eum, & non intellexit.

Qualis ira dei ad impios.

Non quidem irascitur dominus, sed seuerè uindicat perfidiam: contemnentes se contemnit: & quos promouerat ex gratia iudicio suo iusto damnat ad mortem, captiuitatem, egestatem, ignominiam & errores: prælio graui & cruento illos exterminat, succendit illorum urbes & prouinciã undiq;, ut quò effugiãt, ubi saluentur ignorent. Et cum huiusmodi patiantur tam grauia, nolunt tamen resipiscere, nec recogitare causam tantæ calamitatis esse, quia tempus uisitationis nõ cognouerũt, sed gratiã dei in Christo promissam & exhibitam contempserunt: sicut & hodie contemnunt, donec per dei gratiam redeant ad Christum.

¶ CAPVT XLIII.

1 ET nunc hæc dicit dñs creans te Iacob, & formans te Israel. Noli timere, quia redemi te, uocaui nomine tuo: meus es tu.

Hebræorum quidam de Cyro, alij uerò de Messia exponunt. Cogit autem sermo ipse propheticus cursu suo hunc locum intelligere tam de liberatione Babylonica, quàm de fideli Israele. Quicquid enim propheta agit huc tendit, ut ostendat aliquando repudiandã esse suam gentem Iudaicam, gentes autem cooptandas ad cultum dei: abituros Iudæos propter peccata sua in captiuitatẽ, redituros autem per dei bonitatem: Christum dominũ uenturũ esse: unumq; dominum colendũ toto orbe terrarũ. Hæc omnia crebro prophetata iterat, dum sermonẽ habet ad populũ, eosq; perstringit stilo suo. Ex lege didicisti, ô Iacob & Israel, me tuum esse creatorẽ & formatorẽ, ideoq; & redemptor tuus ero, si quãdo fueris captiuatus. Ego hoc tibi nomen contuli, ut meus populus dicaris & sis, mihi soli seruias, obedias & credas. Hoc abs te officiũ iure beneficiorum reposco, mihiq; obligaris.

2 Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne nõ comburêris, & flamma non ardebit in te:

3 quia ego dñs deus tuus sanctus Israel saluator tuus, dedi propitiationẽ tuã Aegyptum, Aethiopiam & Saba pro te.

4 Ex quo honorabilis factus es in oculis meis & gloriosus: ego dilexi te, et dabo homines pro te, & populos pro anima tua.

Beneficia dei pro Iudæis.

Quum enim olim Aegyptum egredereris meo munere, mare rubrũ sicco pede transibas, submersis hostibus persequentibus tecum eram: & per Iordanem similiter inundantẽ te transduxi, insigni miraculo, interdiu per maximos calores incedens, nube interposita, te ne exu-

reris seruaui, noctu uerò ignis columna te præcedente duxi per uiam: nullius rei cõmoditate te destitui in solitudine, multis annis tantam multitudinem. Solus enim ego dominus deus tuus, sanctus & saluator tuus. Quotiescunq; gentes aliquæ quantumlibet atroces infestarent te, siue Aegyptij essent, siue Aethiopes uel Sabæi, pro te ego pugnaui, omnes hostes tuos percussi, tanto miraculo, ut bonitatem & potentiam meam agnoscere potueris. Hæc autem agebam, non ob merita & sanctimoniam tuã: semper enim tam Mosis temporibus quàm posterius, usque nunc quoque, populus fuisti duræ ceruicis, ingratus mihi, & prophetis meis immorigerus: sed ex mera gratia & clementia mea pretiosum te habui, & fuisti in oculis meis, glorificaui te, & amaui præ omnibus alijs populis, excellentiamq; tuam admiratæ omnes reliquæ gentes, uictoriasq; tibi tradidi de omnibus, propugnator tuus & redẽptor: ut uideri potuerim de illis minus quàm de te curare, propter te Chananæos expellens, & reliquos incursores occidens.

5 Noli timere, quia ego tecum sum. Ab oriente adducã semen tuum, & ab occidente congregabo te.

6 Dicã aquiloni, Da: & austro, Noli prohibere, affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.

7 Omnem qui inuocat nomen meum, & in gloriã meã creaui eum, formaui eum, & feci eum.

Plena fiditia mihi te credas, etiãsi propter peccata tua dispergã te in gẽtes quaqua uersum, inde tamen reuocabo te, si toto corde tuo conuersus ad me fueris. Ab ortu solis & occasu, ab aquilone & austro semen tuum congregabo. Et filios meos, omnes populos, qui syncera fide adhærebunt mihi, filios Abrahæ secundũ fidem, ab extremis terræ finibus sine delectu sexus & personarũ mihi aggregabo, & ab errorũ & superstitionũ captiuitate eripiam, introducamq; in agnitionẽ ueritatis, & pacem cõscientiæ, ut nouus ex tunc mihi populus accessisse uideatur, qui nihil anxius cupiat quàm honorẽ nominis mei, adimpletionẽ uoluntatis meæ, zelum gloriæ meæ: quem missso per Euangelium spiritu sancto regenerabo mihi in Christo saluatore, ut antiquatis erroribus & impietatibus, in spiritu pietatis & iustitiæ renouetur mundus, & in catholicã unitatẽ effusa cœlitus communi charitate coalescant in populũ dei, qui ex dei nomine appellẽtur filij dei, & populus acquisitionis, gens sancta & Israëlitica, in spiritu & ueritate.

Congregatio fidelium.

8 Educ (foras) populũ cæcum, & oculos habentem: surdos, & aures eis sunt.

9 Omnes gentes cõgregatæ sunt simul, & collectæ sunt tribus: quis in eis annuntiet istud, & quæ prima sũt, audire nos faciet? Dent testes eorum, & iustificentur, & audiant, & dicant, Verè.

Cæcus in lumine Iudæorũ populus.

Aequissimo iudicio dei necessarioq; abijciendus à domino est is populus, qui cum oculos & doctrinam acceperit, legẽ & prophetas semper habuerit, cæcus tamen

& rebellis semper fuit. In cuius dignitatẽ & acceptationem uicißim succeſſerit gentiũ plenitudo, per Chriſti Euangeliũ in unam cõuocata eccleſiã, in qua dominum deum & creatorẽ ſuũ agnoſcant, timere, colere, amare cupiant, & parêre legibus ipſius æquißimis, quas prior populus deprauatus abiecit: idolis & cupiditatibus ſen ſuiq; pprio maluit adhærere quàm uerbo domini. Hæc itaq; cum ſic ſe habeant, prædictaq; à me dudũ ſint, & ſuis futura temporibus, nullus externus deus, nec falſus propheta hæc præſcire uel prædicere potuit, quæ ex libera uoluntate mea pendent, quando & quomodo uentura, ideoq; idola nulla prænoſcunt: patet, ut non ſunt omniſcia, ſic nec omnipotẽtia, nõ itaq; pro deo colẽda, ſed redeundũ hominibus eſt ad me dominũ deũ omnium conditorem & ordinatorem. Ipſa enim idola tam nihil nouerunt, quàm nihil ſunt, nec uirtutis & prouidentiæ ſuæ aliquod teſtimonium exhibere poſſunt, nec prophetas inſpirare uel mittere, nec cauſam impiã idololatriæ, quantũlibet uetuſtã & omnibus ferè gentibus perſuaſam, iuſtificare & cõprobare poſſunt ut ueram: ſed fal ſißimam cõuincet uerbũ meum toto orbe effundendum & audiendũ credendumq; electis, prædicatione Euangelij, qua in totũ idololatria eliminabitur gentiliũ, quæ & tantopere Iudæis perſuaſa eſt, cõtra domini dei tam uerbum quàm opera.

Idolorum inſcitia.

10 Vos teſtes mei, dicit dñs, & ſeruus meus quem elegi: ut ſciatis, & credatis mihi, & intelligatis quia ego ipſe ſum. Ante me nõ eſt formatus deus, & poſt me non erit.

Vos ô Iſraëlitæ, & ſemen ueſtrum apoſtoli & apoſtolorum diſcipuli, teſtes mei eritis, non ſolum in Iudæa & Ieruſalem, ſed uſq; ad ultimum terræ, ſono ueſtræ prædicationis in omnẽ terrã exituro. Et ſeruus meus Meßias, Chriſtus dilectus filius meus, in quo mihi cõciliaui mundum, in quo ſum placatus, quem elegi ad opus reconciliationis huiuſmodi, ut ſit rex ſuper filios electionis & gratiæ: per hunc & apoſtolos ſuos cognoſcetis me, & credetis mihi, quotquot prædeſtinati eſtis ad ſalutem & gloriã filiorũ dei. Idola ipſa, quæ nũc admiramini & colitis, reijcietis & abominabimini: me uerò unicum, ſolum, primũ & ultimũ deum, intelligetis & reuerebimini, præter quem nullus eſt alius.

Chriſtus & apoſtoli teſtes.

11 ¶ Ego ſum, ego ſum dominus, & nõ eſt abſq; me ſaluator.

12 Ego annuntiaui & ſaluaui: auditũ feci, & nõ fuit in uobis alienus. Vos teſtes mei, dicit dominus, & ego deus.

13 Etiã ex die illo, & nõ eſt q de manu mea eruat. Operabor, & quis auertet illud?

Certò itaq; credetis & confitebimini, me ſolum eſſe deum, & omniũ hominũ, ueſtrum quoq; de Babylonica & omni alia captiuitate redemptorẽ, ſuo tempore & ſaluatorem: qui omnia ſcio, & quæ uolo prænuntio certißimè futura. Et non eſt in aliquo ſalus & beatitudo, ueritas & iuſtitia, niſi in me. Experimentoq; multiplici diſcetis, idola quæ nunc colere deſyderatis, & deos alienos omnium gentium nihil eſſe, eritisq; huiuſmodi ueritatis & fidei prædicatores in omnes gentes, quam fidem etiã ad mortẽ uſq; cõteſtabimini. Et per uos meam quoque potentiã infinitam credent omnes, admirabuntur & colent. Ex illo die & tempore cum abijcientur idola omnia, ego ſolus agnoſcar, & imperabo fidelibus meis, defenſabo, benefaciam. Nemo hoſtes meos fideliumq; meorum liberabit de manu mea, dum eos terrere, confundere, adfligere, diſperdere ac eradicare incepero, quantũlibet orbis totus conſpiraturus ſit in ueſtram perſecutionem per innumerabiles mortes ſanctorũ, ſemper tamen ueſter honor, præmiũ, ac ueritas mea, uoluntasq; procedendo creſcet, & inuitis portis inferorum triumphabit. Hæc ego faciam, & nemo inſtitutum mei operis impediet uel euertet.

Idola abijcienda.

14 ¶ Hæc dicit dominus redemptor ueſter ſanctus Iſraël, Propter uos emiſi in Babylonẽ, & detraxi uectes uniuerſos, & Chaldæos in nauibus ſuis gloriantes.

15 Ego dominꝰ ſanctus ueſter, creans Iſraël rex ueſter.

Prophetia eiuſdem argumenti cuius & præcedens, alijs tantũ uerbis. Sæpe enim idem inculcandũ erat populo, futura ſcilicet captiuitas Iudæorũ ob idololatriã, & uerbi dei prophetarumq; contemptũ. Redemptorẽ ſe ſanctum nominat Iſraëlis, ut & Aegyptiacæ redemptionis ſemper ſint memores, & iam captiuati Iſraëlis regni redemptionẽ ſperent, ſi uerbo domini credãt & obſequantur, & ſe poſſe euadere Babylonis exiliũ non diffidant, ſi mores emendent. Alioqui ſi, ut faciebant, pergerent præuaricari, ſine dubio imminere ſibi ſcirent mala maxima. Hebræi ſic exponunt: In gratiã ueſtram ego miſi Babyloniã Cyrum regem: hoc eſt poſt ſeptuaginta annos uaſtationis mittã qui deſtruãt Babylonios, & fugitiuos abigam inde, qui in ſuis nauibus gloriantur, omnes eos diſperdam ego dominus ueſter & deus, rex & creator ueſter, qui curam de uobis habeo. In contrariũ expone poteſt, ut ſic dicatur: Sæpe hactenus redemi uos, ô Iſraël, ſed ex Aegypto & à Sennherib, quia permanetis impij, ideo mittã ad Babylonẽ pro exercitu magno, ut quicunq; fortes ſunt & robuſtißimi, ueniant me ducente: qui exercitus ſunt inuictus terra & aquis, curribus & nauigationibus militãtes, hos ad ueſtrũ malum accerſam, qui licet ſim ſanctus ueſter, creator & rex, rebelles tamen & deſertores puniturus ſum.

16 ¶ Hæc dicit dominus, qui dedit in mari uiam, & in aquis uehemẽtibus ſemitam.

17 Qui eduxit quadrigã & equũ, agmen, roboſtumq;, ſimul obdormierunt nec reſurgent: cõtriti ſunt quaſi linũ, extincti ſunt.

Vocatio gentiũ alijs uerbis iterum prædicitur, ingratißimis Iudæis nihili facientibus tam potentiam dei ſui quàm beneficentiã. Deſcribit autẽ prophetico more dei maieſtatem & fortitudinem, qui dum uult mare ſiccat & permeabile facit, quibus & quando uult Iſraëlitis tranſituris, Aegyptijs obruẽdis. Qui exercitus fortißimos, equis, curribus, militibus & nauibus gloriantes, unius angeli ſtrage proſternit & interficit, nunquam reſur-

resurrecturos ad uitam, non grauiori opera quàm dum stuppa lichnusq; lucernæ extinguũtur. Apud deũ enim nihil est impoßibile: æquè multos uincit ac paucos, fortes & fragiles: omnibus enim dominatur, ut nihil etiã præsumant nec poßint nisi ad nutum suum.

18 Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini.

19 Ecce ego facio nouum, & nunc orietur, utiq; cognoscetis illud. Ponam in deserto uiam, & in inuio flumina.

Ingratitudo Iudaica.

Tot præteritorum beneficiorum semper estis immemores, populus Iudaicus semper ingratus & stultus, iudiciorum dei ignarus & gratiæ: ideoq; ad plenè reuincendum peruicaciam uestram, noua & magna opera faciam prope tempus, non post multos adeò annos. Mirum si non olfacitis uel præsentitis ex impietate uestra continua dignßimã abiectionem uestram, & noui populi instítutionem. Ponam certè solitudinem gentium, quæ nullũ hactenus fructum attulerũt pietatis, in uiam, ut quæ pergendũ illis sit uideant clarè & uelint. Et ubi uastitas fuerat ex gratiarũ siccitate, ibi flumina aquarum uiuentium copiosè fluent.

20 Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones ‡ quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio, ut darem potum populo meo, electo meo.

Feræ gentes & indomitæ me glorificabunt & dignè colent, animales, duri, horribiles nationes mansuescent ad Euangelicam prædicationem, non nocebunt posthac in ecclesia, sed iugo fidei dorsa supponent, & charitatis lege regẽtur. Paßim enim clementia dei diffundetur in nationes, flumina in solitudines, gratia in electos.

21 ¶ Populũ istum formaui mihi, laudem meam narrabit.

Hunc populum formaui, & de nouo elegi qui laudes meas narrabit, & uirtutes annuntiabit meas, qui de tenebris uocabo eum ad lucẽ, ab erroribus ad sapientiam salutarem, à cultura idolorum ad deum uerum.

22 Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israel.

Tu enim Iacob, populeIudaice, non inuocasti me, sed idola tua, & multo labore me semper affecisti rebellione & peruicacia tua prouocando ad iram & uindictam: quia tu quoque fastidisti me, ô Israël, inuitus obsequendo legibus sanctis.

23 Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, & uictimis tuis nõ glorificasti me. Nõ te seruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure.

24 Non emisti mihi argento calamũ, & adipe uictimarum tuarum nõ inebriasti me. Veruntamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.

Et ne dixeris te multa mihi fecisse sacrificia, tum quia non ea mihi sed uitulis tuis & Baalim cæterisq; idolis exhibuisti, tum etiam quia non ea magnopere unquam curaui, nec exegi. Fuerunt mihi semper molesta, dum fides abesset & deuotio sacrificantium. Oues holocaustorum tuorum non mihi adduxisti, non me glorificasti sacrificijs tuis, sed satisfeciſti tantum tuis superstitionibus. Non te coegi ut coleres me tuis oblationibus, sed quia talia idolis tam propẽse sacrificare solebas ad gentium morem, præcepi ea non alijs dijs, sed mihi offerenda, de cuius munere hæc tibi proueniebant. Sic nec exegi thus, uel calamum tuum, quæ multo pretio comparares. Adeps hostiarum tuarum non me irrigauit. Nullo mihi usui fuerunt hæc omnia: quandoquidem quæ maximè uolebam, iustitiam & iudicium, fidem & charitatem intermisisti, & multò magis peccatis tuis offendisti, quàm placare potueris omnibus istis ceremonijs, quæ faciẽtes nequaquam iustificant, nec mihi acceptos reddunt, nisi alioqui fide & obedientia charos. Delassasti me potius in iniquitatibus tuis, dum diutius ferre nequeo, quos tandiu ægrè tuli.

Contra sacrificia Iudæorum.

25 ¶ Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.

26 Reduc me in memoriam, & iudicemur simul: narra si quid habes ut iustificeris.

Non idola quæcunque, nec sanguis boum, ouium & hircorum sacrificia deleunt peccata tua, nec merita operum tuorum quorumcunq; : sed ego ipse sola mea bonitate & gratia misereor cui uolo, & iustifico quos elegi, propter meam gloriam, ut peccatorum tuorum non recorder ad puniendum ea: sed gratis deleo, nihil tibi obligatus, qui fœdus initum toties uiolasti, & defeciſti à fide, quam unicè uolo. Alioqui, reduc me in memoriam, ut admoneas, & pariter disceptemus, si uel tu me plus æquo irritaueris semper, uel ego nimis tibi indulserim, si non bonitatẽ meã semper excesserit malitia tua, si non propensior semper fuerim ad indulgendum, quàm tu ad emendandũ. Nihil profectò afferre poteris unquam, unde tuam contra me causam iustifices.

Deus peccata delet solus.

27 Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati sunt in me.

28 Et cõtaminaui principes sanctos, & dedi ad internecionem Iacob, & Israel in blasphemiam.

Nõ tu me elegisti, sed ego te elegi, dum patrem tuum Adam creaui, qui statim præuaricatus mandatũ meum est, & Abraham quoq; non ex operibus suis iustificari potuit, sicut nec homines quicunq;, quorum ab infantia omnis uita plena est peccato, etiam cuius est unius diei uita super terram, & nõ ex meritis sed electione Iacob prælatus est Esau, & interpretes tui Moses ac Aaron, quorum pro te orationes exaudiui, non sine præuaricatione inuenti sunt, sed peccauerunt in me. Non ergo sine causa contaminaui & occidi principes tuos, uel occidam, etiam quos sanctos uolueram esse, & tu eos audire iußus es. Non enim iustificabitur in conspectu meo omnis uiuẽs, & angeli non sunt mundi coram me: quanto minus non parcam corruptißimo huic populo duræ ceruicis & contumaci, sed dabo suis temporibus filios

Iustitiæ defectus in sanctis.

Iacob ſecundũ carnem, degeneres autem ſecundum ſpiritum & fidem in execrationem & anathema, ut ſint futuri in gentibus maledictio: ſicut contra filij Iacob ueri & legitimi erunt benedictio omniũ gentiũ per Chriſtum, in quo omnes electi beatificabuntur.

CAPVT XLIIII.

1 ET nunc audi Iacob ſerue meus, & Iſraël quem elegi.

Vocatio gentium promittitur ad unitatem eccleſiaſticam cum fidelibus electis de Iſraële ad Chriſtum conuerſis. Præfatur ſuo more propheta ad Iſraëlem, attentum reddẽdo beneficiorum rememoratione: Audi, ô Iacob, quem in hoc de Aegypto redemi, ut mihi ſeruias ſoli, & ex gentibus omnibus elegi, per quos nomen meũ glorificaretur in toto mundo, nõ meritis prouocatus, ſed gratia electionis ad opus meum perficiendum.

2 Hæc dicit dñs faciens te & formãs te, ab utero auxiliator tuus: Noli timere ſerue meus Iacob, & rectiſſimè quem elegi.

Omnes quidem homines fiunt & creãtur à domino, ab utero autem auxilio deus eſt, & in pactum benedictionis aſſumit non niſi electos, qui ad eccleſiã fidelium ex tunc & ex electione pertinent. Illis dicitur ut non timeant ſibi de damnatione æterna, ſed fide & charitate deo adhæreant, illi ſeruiant per mandatorum ſuorum obſeruantiã, non humanis traditionibus. Hi tandẽ ſunt qui ut iſraëlitæ ueri à deo aſſumuntur.

3 Effundam enim aquas ſuper ſitientẽ, & fluenta ſuper aridam. Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuũ, & benedictionem meam ſuper ſtirpem ſuam,

Iſraelitæ carnis & ſpiritus.

Non tu Iſraëlita ſecundũ carnẽ & ſpiritũ, ægreferas gratiã meã diffundi latius etiã ad gentes reliquas, quas æquè creaui & formaui ut te, quos permiſi hactenus, ut ſiticuloſum humũ & incultã uerbo dei, & propheticis irrigationibus deſtitutã, ſuper quas propediem effundã aquas uitæ & gratiæ, ſalutis & pietatis, ut fiant ô Iſraël, etiã ipſi ſemen tuũ, & benedictione ſua tandiu expectata perfruantur, ut ſint & ipſi ſemen fidei Abrahæ, electum & ſanctum per Chriſtum dominum.

4 & germinabũt inter herbas quaſi ſalices iuxta præterfluentes aquas.

Eccleſia congregata ex gentibus feliciter glorioſeq; germinabit mixtim, uelut inter herbas alias. Ex Iudæis conuerſi, non ſine lætitia & amicitia intra unũ cœtum familiariter diuina gratia potientur cum fidelibus ex gentibus, creſcenteq; pariter ſubitò, uelut ſalices iuxta fluenta aquarum ſaluberrimarum.

5 Iſte dicet, Domini ego ſum, & ille uocabit in nomine Iacob. Et hic ſcribet manu ſua domino, & in nomine Iſraël cognominabitur.

Certatim ex gentibus quoq; fideles inuocabunt dominum deum Iacob, & eum ſolum deum, relictis idolis, colendum cum gaudio ſuſcipient, ſeſeq; ſubſcribent, & nomina dabunt ſancto Iſraëlis, fide deuota ſe iactantes, nullius alterius ſe dei cultores poſthac futuros, quàm omnipotentis dei, qui cognomen ſibi aſciuit, ut dici uoluerit, Dominus deus Abraham, Iſaac, & Iſraël. Huic prophetiæ quod reſpõdeant nunc Iudæi non habent: de qua Chriſtiani ex gẽtibus cõuerſi ſibi gratulari poſſũt, inuitis licet omnibus Iudæis.

6 ¶ Hæc dicit dñs rex Iſraël, & redemptor eius dominus exercituũ, Ego primus, & ego nouiſſimus, & abſq; me nõ eſt deus.

Exhortatio & perſuaſio efficax eſt ad Iudæos & gentes idololatras, ut ſtultitiã ſuã agnoſcant, & colere deſinant deos, reuereri opus manuũ ſuarũ, lignũ et lapides, Dei et ab imaginũ ſculptura conflationeq; uerecundentur & abſtineant. Locus admodum elegans & clarus, ſeq; ipſum dominus cõmendat fidelibus, ut ſciant qualis ſit ipſorũ deus, præter quem nullus ſit ipſis utilis uel ſuſpiciendus. Ego, inquit, primus ſum & ultimus, æternus ſcilicet, & ſine uiciſſitudinis obumbratione, in me ſemper exiſtẽs, dans omnibus eſſe, uiuere & operari: præter quem quicquid eſt, creatura eſt, quicquid deus nuncupatur nihil uerius dicetur quàm non ens.

7 Quis ſimilis mei? uocet & annuntiet: & ordinẽ exponat mihi, ex quo conſtitui populum antiquum: uentura & quæ futura ſunt annuntient eis.

Nihil uſpiã eſt mihi ſimile, uel ſi quid æſtimabitur ſimile, dicat aliquis & annũtiet in quo illud mecũ compa- Deo rari & conſtitui poſſe putetur, ab exordio hominũ & populorũ uſq; in æternũ. A prima enim hominũ conſtitutione nemo fuit nec erit unquam qui mihi cõparetur, uel in hoc ſaltem quod quæ futura ſint olim & ſero, uel etiã de proximo, certò pronuntiet, eorũ quæ ſunt contingentia, & nõ de neceſſitate ordinis naturæ à me decreta, alioqui craſtinum diem quis ignoret futurũ? Eclipſes ſolis & lunæ, aliarumq; rerum euentus naturales, harum prænotiones dominus impartitur hominibus.

8 Nolite timere, neq; cõturbemini: nónne ex tunc audire te feci, & annuntiaui? & uos eſtis teſtes mei. Nunquid eſt deus abſque me, & non eſt formator quem ego non nouerim?

Non ſunt ergo timenda uel colenda idola, ſed dominus ipſe ſolus omnipotens & uerus deus. Vos autem, ô Iſraëlitæ, noſtis, quia à patribus ueſtris audiſtis, & ipſi uidiſtis opera omnipotẽtis dei, & ſtupẽda miracula totius naturæ uires excedẽtia, quæ dominũ unuerſæ naturæ teſtantur. Teſtimonium itaq; omnipotẽtiæ uos perhibebitis, & ſacræ literæ ueſtræ & lex ipſa, & totius gentis ueſtræ clariſſima geſta. Quandoquidem quæ ante multos annos ſæpe patribus futura prædixi, hæc facta ſuis quibuſq; temporibus uidiſtis & uidebitis, quæ nunc prædico futura. Solus ego deus ſum, & non alius præter me, nec ego quidem alium noſce poſſum deum, quin omnia idola gentiũ nihil ſunt, uel opera creationis meæ, homines uel animalia, quæ per errorẽ ſacrilegum dij appellantur & non ſunt.

9 Plaſtæ idoli omnes nihil ſunt, & amãtiſſima

fima eorum non proderũt. Ipſi ſunt teſtes eorum (quia) non uident neq; intelligunt, ut confundantur.

Sculptile quid dicatur.

Quicquid iactatur pro deo præter me, ſi diligentius conſyderetur, nihil aliud deprehendetur eſſe quàm ſculpturæ artificũ, uana opera, & ad nihil utilia, ipſiſſima uanitas, quæ & cultores ſuos & admiratores uanos efficiant, dum oculos habere uidentur & nihil uident, ridiculum potius quàm ſacrũ, ad confuſionẽ proſtituẽda non ad cultũ. Quomodo ergo prodeſſent adoratoribus, qui nihil omnino ſentiunt?

10 Quis formauit deum, & ſculptile conflauit ad nihil utile?

11 Ecce oẽs participes eius cõfundentur. Fabri enim ſunt ex hominibus. Cõuenient oẽs, ſtabũt, pauebũt, cõfundentur ſimul.

12 Fabre facit ferrum forcipe: & operatur in flando prunas, & in malleis formauit illud, & operatus eſt ipſum in brachio fortitudinis ſuæ: etiam eſuriet & uiribus deſtituitur, non bibet aquam, & laſſeſcet.

13 Artifex lignarius extendit normam, formauit illũ in runcina (uel creta.) Fecit illud in angularibus, & in circino tornauit illud: & fecit imaginẽ uiri quaſi ſpecioſum hominem habitantem in domo.

Sapientium idololatrarũ ſtultitia.

Non ſolum confuſioni patent idola, ſed multò magis factores & cultores, illorũ ſocij & fabri, qui dum talia formant tanta diligentia, ſtultiſſimis ſe hominibus cõparant, quam ſtultitiã multis uerbis propheta irridendo traducit. Dum ſe mutuũ adiuuãt homines ſapientes, ut deum fabricẽt, mutuũ ſibi illudũt & operi: auxilio illis ſit ferrũ, pruna, ignis, malleus, labor magnarũ uirium, eſuries, eximanitio, ſitis, uigilia, laſſitudo, regula, circinus, creta uel miniũ, tornatura: quibus omnibus tandem efficitur opus ſtultũ, ſimile homini formoſo & ridiculo, quem reponant in templũ uel ædiculam, ut deus ſit, & auxilietur ſtultis, qui nihil nouit nec poteſt.

14 Succidit ſibi cedros, tulit ilicẽ, & quercũ, fortiterq; ſe exercet inter ligna ſaltus. Plantauit pinum, quam pluuia nutriuit,

15 & facta eſt hominibus in focũ. Sumpſit ex eis, & calefactus eſt: & ſuccendit, & coxit panes (de reliquo autem) operatus eſt deũ, & adorauit: fecit ſculptile, & curuatus eſt ante illud.

16 Medium eius cõbuſſit igni, & de medio eius carnes comedit: coxit pulmentũ, & ſaturatus eſt, & calefactus eſt, & dixit, Vah, calefactus ſum, uidi focum.

17 Reliquũ autẽ eius deum fecit & ſculptile ſibi. Curuatur ante illud, & adorat illud, & obſecrat, dicens: Libera me: quia deus meus es tu.

18 Neſcierunt, neque intellexerunt. Obliti enim ſunt, ne uideant oculi eorum, & ne intelligant corde ſuo.

19 Non recogitãt in mente ſua, neq; cognoſcunt, neq; ſentiũt, ut dicant, Medietatem eius combuſſi igni, & coxi ſuper carbones eius panes: coxi carnes & comedi, & de reliquo eius abominationem faciam, ante truncum ligni prócidam.

Operarij idolorum ſtultiſſimi.

Amplificatio eſt ſtultitiæ operariorũ, qui arbores cædunt electas multa diligentia, ilicem uel quercũ, quam putent, uel facilè inſcindendam, uel diutius duraturam, quam uel ipſi plantauerũt religioſe, dignam futurã tam ſacro operi, uel ex multis deſumptã, quam imber auxit cum tempore, ad fouendũ ignem, cuius reliqua pars ſit deus, ſorte inæquali. Quomodo enim nõ cogitant homines deũ eſſe non poſſe hanc ſtatuã ligneã, eiuſdẽ generis & naturæ exiſtentem ei materiæ qua utitur ad ſuccendum ignem, ad ſe defendendũ ab hyemis frigoribus, ad coquendũ cibos, ad fornũ calefaciendũ. Quin uelut amentes & ſtulti, opus iſtud ligneũ deũ nominant, reuerentur, adorant, inuocãt, procũbunt, & dicunt: Libera me, deus enim meus es tu, &c. Ludibria digna prophetæ cõtra idololatras. Vtinã maturius cõſyderaſſent priſcorum temporũ patres noſtri, & non tantã feneſtram aperuiſſent tot ſuperſtitionibus: prohdolor, quãta ſcandala præbuimus hactenus non ſolũ Iudæis, ſed & Saracenis, imò ſimplici plebi noſtræ? Quis unquã Iudæorũ, etiã ad Chriſtianiſmũ cõuerſus, potuit æquanimiter aſpicere noſtras aras, qui uel ſemel hunc locũ legit? Indignè tulimus difficultatẽ credẽdi tot articulos fidei Chriſtianæ, extra ſymbolũ apoſtolorũ, in cõuerſis ad eccleſiam noſtrã, cum debuerimus cogitaſſe, præter & cõtra canonicas ſcripturas nihil illis credẽdũ nos imponere debuiſſe: ſed de his aliâs. Apertior hic locus eſt, quàm ut egeat explanatione. Indiget autẽ inculcatione, ut eccleſia fideliũ diſcat et perſuadeatur abolere huiuſmodi imagines, & quid cõtra ſcripturã tanto ſcandalo totius oris & ſimpliciũ, imò & ſapientũ admiſſum ſit prudenter cogitare. Taceo quod à paucis annis ſacrilege introductum uidimus circa ſacramentũ Euchariſtiæ, ſcandaloſiſſimo ſcãdalo. Legatur hæc litera, & ſeſe commonitum à ſpiritu domini ſciat pius, ut quid facto opus intelligat & agat.

Superſtitiõnũ feneſtra.

20 Paſcit cinerẽ, cor inſipiẽs adorabit illud, & nõ liberabit animam ſuam: neq; dicet, Nónne mendaciũ eſt in dextera mea?

Paſcitur puluere, laborat inuanum. Stultus eſt, qui nõ eo procedit cogitationum, ut in tam ridiculo ſtudio uel ſemel mentem ſubeat, ut reputet ſecum, Fieri poteſt, ut mendaciũ ſit in dextera tua, quomodo poſſũt hæc fieri? Talis ne religio eſt, quæ tam ſtulta credẽda uel agenda commendat aſſertoribus?

21 Memẽto horũ Iacob & Iſraël, quoniã ſeruus meus es tu. Formaui te, ſeruus meus es tu, Iſraël non obliuiſcaris mei.

Prophetia ad Iſraëlẽ cõtinuata præcedẽti. Nõ ſic inſtitutus es, ô Iacob & Iſraël, ut tanta ſtultitia ſeducaris ab amore idolorũ. Quæ etiã ſi dij eſſent, tamen nihil ad te pertinerent, qui probè noſce debes, cuius ſeruitio ſis

obnoxius: meus enim seruus es, à quo & de seruitute Aegyptiaca liberatus es: ego sum creator tuus, in hoc, ut mihi soli seruias te creaui: caue ne unquam obliuiscaris beneficij illius, quo à tam horribili fornace ærea liberatus es.

22 Deleui ut nubẽ iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. Reuertere ad me, quoniam redemi te.

Bonitas dei dibitum nostrum. Abolere semper solitus sum omnia peccata tua, quæ in Aegypto, in deserto, & in terra hac commisisti, & ueluti nubem resoluo, ut nunquã in cõspectu meo compareant amplius, & sicut nebulam iniquitates tuas dispello. Tantum ut conuertaris ad me toto corde tuo, & præter me nullum deum cognoscas, qui te redemi toties & redimam, si fidem seruaueris.

23 Laudate cœli, quoniã fecit dñs: iubilate infima terræ. Resonate mõtes laudationẽ, saltus & omne lignũ eius: quoniã redemit dominus Iacob, & Israel gloriabitur.

Promittit liberationẽ futuram post Babylonicam captiuitatẽ. Quia tamen Iacob & Israẽlẽ nominat, uidetur referendũ principaliter ad liberationem factam per Redẽptoris bonitas. Christum, à peccatis ipsorũ. Pro ea enim redemptione fidelium omniũ, tota mundi machina, cœlum, elemẽta, montes & saltus, arbores, & quicquid in terra est, laudare iubetur dominum, redemptorem humani generis, qui peccata gratis remittit, & recõciliat electos creatori suo, glorificatq;, ut appareat quanti habeantur à domino, pro quibus redimendis proprio filio suo non pepercit. Alioqui quomodo cõdecorauerit deus Iudaicum populum & glorificauerit, nõ uidemus, nisi humanitatem ex ipsis sumendo, fratres eligendo, unius dei sui cultum & religionem alijs omnibus abrogatis in orbem totum disseminando, secundũ id quod principale est, & semper fuit in lege Mosaica.

24 ¶ Hæc dicit dñs redemptor tuus, & formator tuus ex utero, Ego sum dominus faciens omnia, extẽdens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.

Potẽtia dei. Exhortatio est ad amorem dei, ipsius potentiam & beneficia tam præstita quàm præstanda proponens populo Israëlitico. Defensor enim est fideliũ suorum deus, quos de hostibus uindicat, & non patitur opprimi in se sperantes, quod est esse redemptorem, idq; ab utero & cunabulis egit, à tempore Abrahæ, Isaac, Iacob, & Mosis. Imò nunquam non adfuit filio suo primogenito Israël, pro quo aliud non petit, quàm ut dominus deus eorum habeatur, & colatur uitæ innocentia, hoc est, obseruatione Decalogi. Quid autem haberi uelit, & qualis, designat, Omnipotẽs & omnia faciens solus, cœlorumq; formator & extensor, confirmatorq; & expansor terræ, hoc est, creator cœli & terræ, & quicquid in eis continetur.

25 Irrita faciẽs signa diuinorũ, & ariolos in furorẽ uertens. Cõuertens sapiẽtes retrorsum: & scientiã eorum stultam faciens.

Sciẽtia dei eũ cõtingentia rerum. Solus prænouit omnia, in cuius plena potestate sunt posita, totius naturæ fortunæq; dispensator est, ut præter eum nemo certò noscat futura. Cuius nutui sic omnia subduntur, ut à tota natura non possit, quæcunque sua uoluntas impediri. Cuius comparatione omnia de necessitate fiunt, quantumlibet libera contingentiaq; dicantur respectu uoluntatis creatæ. Quo fit, ut superstitiosi arioli ac diuini nihil certò prædicere possint, sed ex dei ordinatione pendeant unuersa: nec se sapientes iactare audeant de sua sapiẽtia, quæ ut uoluerit dominus mutari & impediri potest.

26 Suscitãs uerbũ serui sui, & consiliũ nuntiorum suorum complens. Qui dico ad Ierusalem, Habitaberis: & ciuitatibus Iudæ, Aedificabimini, & deserta eius suscitabo.

Prædicit deo fore. Si quid futurum dixerint prophetæ domini, fideles serui illius, id domino agente completur certissimè, & consilium dominu ipsis reuelatum de re qualibet, siue de bonorum præmio, siue de uindicta malorum perficitur suo tempore: sicut & nunc Esaiæ reuelatur Hierosolymæ restitutio, & regni Iudaici: siue post uastationem factam per Sennherib, totius terræ & urbium, siue sub Cyro, quæ sine dubio complebitur sub Ezechia & Zorobabel, perfectius autẽ sub regno Messiæ, Christo domino in ueritate & spiritu.

27 Qui dico profundo, Desolare, & flumina tua arefaciam.

Ex arbitrio iussuq; domini fiunt regnorum uicissitudines, terrarum uastationes, & restaurationes gentium quarumcunq;: hoc est autẽ abyssum arescere, & flumina exiccare, terræ, maris & hominũ statum suo regimine administrare. Nihil enim omnipotentiam dei effugit, qui ut omnia nouit, sic facit omnia.

28 Qui dico Cyro, Pastor meus: & oẽm uoluntatẽ meã cõplebit. Qui dico ad Ierusalem, Aedificaberis: & tẽplo, Fundaberis.

Cyrus præfigu. Non potuit sine reuelatione certa, propheta Cyrino men adnotare, quem & uerum regem futurũ pastorem uocat, ut esse debent, non depastores, ut sunt. Per quem dominus operabitur uoluntatẽ suam, qua & redituros sit populus, licentia auxilioq; Cyri, ut templum reædificetur, cum urbe Hierosolyma cõsequenter. Vbi iterum ordinis non seruatur descriptio, cum templũ extructum fuerit ante murũ ciuitatis. Et nihilominus fundandum templum dicitur, non perficiendum sub Cyro, ut certitudo prophetiæ significetur.

¶ CAPVT XLV.

1 Hæc dicit Dominꝰ christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subiũciã ante faciẽ eius gentes: & balthea regũ discingam, ut aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur.

Christus Cyrus. Cyrum nominauerat, & futurum prædixerat pastorem suum, nunc Messiam & Christum uocat. Quem ut Iudæi nequeunt negare sui Messiæ typum esse: sic nos fuisse cognoscimus et fatemur, qui & reduxerit fideles Hierosolymam & causam præstiterit ædificando templo

plo & urbi: & Christum dominũ præformauit, electos congregaturũ in unum, & ciuitatẽ deum uerum colentium magnificentißimè extructurũ, quod mundus cernit cõpletum per Euangelium. Eius Cyri dextram dominus apprehendit, cum adiuuit & excxit tot victorijs populorum & prosperauit, faciliter illi subdendo tot gentes & regna, urbes & prouincias, pacemq; præstando, & diuinu nominis cognitione & cultu donando. Nõ igitur mirũ tot reges obediuisse Cyro, quorũ baltheũ solauit, et uires fregit, qui ipse uerbo dñi obediuit, & à quo tot bona susceperat ingenue agnouit, et est cõfessus.

2 Ego ante te ibo: & confragrosa æquabo. Portas æreas conteram, & uectes ferreos confringam.

Nutu & prouidentia mea dirigetur in omnibus, sequetur quoq; mea uestigia, sine periculo triũphabit de hostibus fortißimis. Si quid difficile tentandum illi erit, ego facilia factu efficiam, & æquabo confragrosa quæcunq;. Nihil obstabit suis uotis, etiam si portæ æreæ urbibus fuerint non obsistent, nec ingressum prohibebunt etiam ferrei uectes.

3 Et dabo tibi thesauros abscõditos, & abscondita occultorũ: ut scias quia ego dominus qui uoco nomen tuum deus Israël,

Diuitias repositas à regibus & urbibus tibi dabo, ut fias quàm ditißimus, Babyloniorum & Crœsi uictor. Denuq; me dominũ deum tuũ cognosces & credes, & uel ea ratione reuereberis, quia scies te à me destinatũ ad huiusmodi functionẽ regni, et tam diu antequam nascereris proprio nomine indicatũ, ab omnũ rerũ cognitore et ordinatore, à deo Israëlis, qui solus est deus.

4 Propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum. Et uocaui te nomine tuo: cognominaui te, & non cognouisti me.

In salutem fidelium suorum omnia quæ in hoc mundo fiunt ordinantur à deo, etiam externorum regum et populorum fortunæ. Cyrus enim à domino tanta suscepit beneficia, ignorans primò, ut inde melius haberẽt Iudæi iam pœnitentes, & prophetarum prædictiones complerentur. Dicitur autem Iacob seruus, & Israël electus dominu, fortaßis non sine indicio legis & gratiæ, discriminisq; quod est inter priscum & nouum populum. Pauci homines ante natiuitatem suã propria nomina accepisse leguntur, maximè autem tam à remotis temporibus, ut Iosias & Cyrus. Sic enim dñs ab æterno nouit futuros, quos & ad sua opera præordinauit: ut hic Cyrum nouit & ordinauit, qui se ignorabat. Vnde electionis et gratiæ mysterium discamus, nihilq; nobis tribuamus, sed simpliciter mandata perficiamus.

Nominati antequam nati.

5 Ego dñs, & nõ est amplius: absq; me non est deus. Accinxi te, & non cognouisti me:

Crebro inculcat dominus se solum dominũ & deum esse & unicum, in hoc Cyri regis capite: quandoquidem ad istud tempus longe latèq; diffundenda erat gloria dei Israëlis, & per illius imperium agnoscendus magis quàm antea, ob pietatem Cyri & fidem, quam accepturus erat ex gratia, cum ante dominum ignorasset:

accingẽdusq; esset fortitudine à deo, ad regendum illius temporis nationes.

6 ut sciant hi qui ab ortu solis, & qui ab occidente, quoniam absq; me nihil est. Ego dominus, & non est alter:

Ab illo tempore unius dei notitia peruasit mundum, sed per Christi Euangeliũ & apostolos disseminanda latius erat & cõfirmanda, idcoq; iunguntur tã hic quàm alibi sæpius prophetiæ de liberationibus ambabus, Cyro Iudæos liberante, Christo totum mundũ. Ex hoc ergo, ab ortu & occasu solis, magnum factum est nomen dei, & in omni loco, mundæ orationis & deuotionis sacrificium offerri cœpit omnipotenti deo: ficut & Malachias illius temporis ultimus propheta clare expressit contra Iudæos. Nomen dei magnificatum post Cyrum.

7 formans lucẽ, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum. Ego dominus faciens omnia hæc.

Is, inquit, deus te uocauit & elegit ad regnum, eumq; agnoscere et colere deum debes, qui lucis author est, & creauit tã diem quàm noctẽ, tam aduersa quàm prospera, pacem & bellum, cœlum et terram. Omnia illi bona sunt, & pro uoto obediunt, ad opera prouidentiæ suæ, qui est omnipotens & omnia sciens. De Christo uero quæ prædicta sunt de Cyro facile est exponere, cui deus pater subiecit mundum totũ, & regum regem cõstituit, qui et uectes inferorũ contriuit, & thesauros sapientiæ diuinæ eruit de absconditis, docuitq; dei patris gloriã et gratiam, fideliumq; ecclesiam instaurauit, & ampliauit ex populis de toto orbe uocatis, in unitatem fidei. Christo omnia subiecta

8 ¶ Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustitiã: aperiatur terra, & germinet salutẽ: et iustitia oriat simul. Ego dñs creaui eum.

Verba prophetæ desyderantis & orantis, acceleration em gloriæ diuinæ in omnẽ terram, ut promissa salus per Cyrũ et Meßiam ueniat citius: quasi dicat, Vtinam gratiã suam sic dent cœlestia, quam suscipere non detrectent terrena, ut posthac cœlũ nostrum æneum non sit, propter peccata nostra, sed per dei gratiam pluuia salutis depluat, ut iustitia distillet de cœlis ad fœcundationem cordium, ut Christus dominus qui iustitia est electorum de terra prodeat, & salutis germina producat, ac diaturq; uox angelorum canentium deo gloriam in excelsis, et in terra pacẽ & pietatẽ. Cui dominus respondet promittitq; se postulata daturum: creaturũ scilicet in terra tam iustitiam quàm salutem. Desideriã sanctorum pro Christo.

9 ¶ Væ qui cõtradicit fictori suo, testa de testis terræ. Nunquid dicet lutũ figulo suo, Quid facis, & opus tuũ absq; manibus est?

Contra calumniatores prouidentiæ dei, electos suos nunc propter peccata in exilium relegantis, et in errores protrudentis, nũc uerò redimentis, et Euangelio nouo erudientis: quasi melius existimetur à peccatis seruasse, et ignorantia caruisse semper. Quibus respondet propheta, non minus iniquos esse ac peruersos, qui sic causantur, quàm si lutũ cũ figulo litiget, indigne ferens se nõ hac sed alia formatura conflatũ: et opus opifici di- Prouidentia dei circa electos.

cat, Opus tuum sine manibus factũ est: id est, male egisti, quasi operi perficiendo manus defuerint uel errauerint

10 Væ qui dicit patri, Quid generas? & mulieri, Quid parturis?

Maledicti filij sunt, qui improperant parentibus suam quamcũq; conditionẽ, quia non hac uel illa forma, sine hoc uel illo defectu generarint, sine quorum opera nihil essent: sic qui creatori omnium obstrepere audet, & iudicia increpare, maledictus est. An non habet figulus potestatem, ut ex eadem massa, &c. Sic uisum domino est, ideo optimum esse oportet.

11 ¶Hæc dicit dominus sanctus Israël plastes eius, Ventura interrogate me: super filios meos, & super opus manuũ mearum mandate mihi.

Domino fidendum. *Doctrina est, qua fideles instruuntur domino fidere, à quo sint beneficia magna desyderatißimaq; accepturi, idola autem detestari quæ prosunt nihil. Exigit itaq; à suo populo dominus, ut à nullo alio futurorum scientiam inquirant, uel solatiũ in aduersis: quòd filij ad neminem recurrere debent uim passi, quàm ad pientißimũ patrem. Nemo consulere utilius filijs potest quàm pater, placet summopere opifici suum opus: sic domino fideles & filij obsequentes.*

12 Ego feci terram: & hominem super eam creaui: ego, manus meæ tetenderunt cœlos, & omni militiæ eorum mandaui.

A creatione mundi creator cognoscendus est, cuius factura sunt tam terra quàm homines super terram, in cuius usum tam cœlum condidit quàm terram, præceptiq; ordinem motus & influentiæ, quem obseruet, cui obediunt uniuersa, qui nihil operantur nisi domino uolente, cuius uoluntatis ratio non est requirenda, quæ errare & male agere nequaquam potest.

13 Ego suscitaui eum ad iustitiam, & omnes uias eius dirigã. Ipse ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatẽ meam dimittet, non in pretio, neq; in muneribus, dicit dominus exercituum.

Qui ergo omnium creator sum, & pater humani generis, non possum negare officiũ, quo maxime indiget, redemptoris & mediatoris missionem ad electos filios suos, qui sit iusticia eorũ, qui natura nascuntur filij iræ: cuius ego dirigam uias, ut non fallatur, errare nõ possit, siue Cyrum intelligas siue Christum suis modis. Ipse Cyrus ciuitatem meam ædificabit: hoc est, licentiam ædificandi concessit. Christus autẽ reuera gloriosam sibi fundauit ecclesiam, & Hierosolymam cœlestem, & gloriosam in cultum dei. Exilium quod fideles patiuntur à sua patria extorres ipse soluit, & captiuam ducet captiuitatem, idq; non meritis & mercede, sed ex sola charitate dei, & gratia per Christum. Longe hæc omnia augustiora sunt, quàm ut de solo Cyro dicta credantur: licet genuinus ipsorum sensus suo modo ad Cyrum respiciat, in Christo autem completus intelligatur.

Exilium piorum solutum.

14 ¶Hæc dicit dominus, Labor Aegypti & negotiatio Aethiopiæ, et Sabaim uiri sublimes ad te transibũt, & tui erunt. Post te ambulabunt, uincti manicis pergẽt, & te adorabũt, teq; deprecabuntur. Tantum in te deus, & non est ultra aliquis deus.

Vocatio gentium. *Loquitur de uocatione gentium ad ecclesiam Christi, per Aegyptios, Aethiopes & Sabæos, quos negotiatores & mercatores eximios cognominat, & uiros excellentes, intelligens omnes exteras nationes, etiã in remotis agentes. Omnes enim populi & regna ad te, ô Hierosolyma, uenient, unus ueri dei cultum & religionẽ, qua sola gloriari potes, amplectentur: et ciues tui erunt deuotißimi, tuis obtemperabunt monitis, te sequentur, dicentes: Venite ascendamus ad montem domini, &c. Vincti retibus piscatorum, sagena Euangelij, compedibus fidei & charitatis astricti, ad te uenientes, adorabunt eum, qui solus est adorandus, dominum deum, qui in te est. In te adorabunt supplices suum deum, confitebunturq; eum solũ deum esse, colendumq; qui in te est, Dominum exercituum, deum Abraham, Isaac, et Iacob, præter quem nullus alius sit deus.*

15 Verè tu es deus absconditus, deus Israël saluator.

16 Confusi sunt, et erubuerũt omnes: simul abierũt in confusionẽ fabricatores errorũ.

Israël à cognitione. *Verba prophetæ dicentis, Reuera, ô deus Israël, deus absconditus es, qui non te omnibus palàm ostendisti, non reuelasti gloriam tuam omnibus gentibus, cum omnium creator sis, nõ tamen omnibus manifestasti iudicia tua. Nec te saluatorem exhibuisti alicui populo, nec tam familiarem amicum & patrem quemadmodum Israëli, quem ut olim ab Aegyptiaca captiuitate saluasti: sic semper saluas tibi toto corde prostratos. Eos autem populos, qui idola colunt, & conficiunt sculptilia, confudisti, confusi sunt, ignominiamq; passi semper, decepti à simulachris suis, & superstitionis nefandæ authoribus.*

17 Israël saluatus est in domino salute æterna. Non confundemini & nõ erubescetis usq; in sæculum sæculi.

Verum à non fundi. *Israël autem qui uerè Israël est, saluatur per dominum salute æterna, nunquam confunditur à spe sua, uincitur ab hostibus nunquam. Christo enim saluatori nititur, in quo & per quem assequitur uitam æternam, cum quo in regno Christi semper beatus regnat. Iudæi autẽ secundum carnem Israëlitæ, quomodo se ostendent nunquam idola coluisse, nunquam confusos & affectos ignominia, æternaq; per Cyrum salute saluatos? cum sine omnium hominum infelicißimi, quia salutem à domino illis missam, quia non sufficiebat carnali cupiditati suæ, refutarunt, ideoq; & refutati sunt, donec saluatorem & dei gloriam per eum agnoscant.*

18 quia hæc dicit dominus creans cœlos, ipse deus formans terram, & faciens eam, ipse plastes eius. Non in uanũ creauit eam: ut habitetur formauit eã. Ego dominus, & non est alius.

Vt semper prona ad idololatriam fuit gens Iudaica, etiam sub pijs regibus, in cuius gratiam tam pij quidem

quàm

Afferere dei gloriã.

quàm impij multi reges idola coluerunt, extructis aris uel permißis: sic propheta nihil diligẽtius et frequẽtius agit, quàm gloriã dei asserere, & idololatriam turpiter damnare. Sic iterum nunc dominũ testatur esse creatorem cœli & terræ, omniumq; creaturarũ, & ordinatorem ac rectorem, nihilq; creatum nisi ut homini seruiat, prosit & subiectum sit, qui solus cum deus sit & creator omniũ, solus quoq; adorandus atque colendus sit, non stellæ, luna, sol, uel animalia quæcunq;.

19 Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso. Non dixi semini Iacob, Frustra quærite me. Ego dominus loquẽs iustitiam, annuntians recta.

Et quo minus hæc colerentur, apertè testatus est in monte Sinai, in cœtu maximæ gentis, coram omnibus, uoce de cœlo lapsa, ut eam audire præ magnitudine non ualerent: nec temerè uel sine promissa mercede magna, præcepta dedi decẽ uerborũ semini Iacob in solitudine, ut me quærerent, colerent & sanctificarent, me solum deum colerent, iustitiã & æquitatem seruando secundũ legem quam illis promulgaueram, non secundũ leges gentilium uel traditiones temeritatis humanæ.

20 Congregamini & uenite, accedite simul qui saluati estis ex gentibus. Nescierũt qui leuãt lignũ sculpturæ suæ, & rogãt deum non saluantem.

21 Annuntiate & uenite, & consiliamini simul. Quis auditũ fecit hoc ab initio? extũc prædixit illud. Nũquid nõ ego dominus, & nõ est ultrà deus absq; me? Deus iustus & saluans non est præter me.

Gentes reli giosiores Iudæis.

Non contentus est apud Iudæos gloriã suã adseruisse, nisi & gentes percontetur, si unquam quid horum audierint, si idolorum culturam aliqua ratione defendere, excusare, uel comprobare possint, ut lignum aliquod extollant, cum reuerentia portent, alloquantur, orent & adorent, quum seipsum liberare non possit ab igne, multò minus alios. Doceant ex priscis patribus & sapientibus, ubi primùm homines iussi uel edocti sint sculptilia adorare: si quod unquam lignum uel lapis aliquis intellexerit, uel loquutus fuerit, sesq; præceperit uenerari, futura prædixerit, iusta præceperit, mercedẽ promiserit se colẽtibus, an saluarit, & gentis uel cultorum suorum casum prænouerit atque præmonere potuerit. Hæc enim solus ego præsto, & præter me nemo, qui solus deus iustus sum, iustitiæ remunerator saluatorq; sperantium in me & colentium.

22 Cõuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ: quia ego deus & nõ est alius.

23 In memetipso iuraui, Egredietur de ore meo iustitiæ uerbum, & non reuertetur: quia mihi curuabitur omne genu, iurabit omnis lingua.

Inculcata idolorum uanitate, ne se Iudæi solos electos iactent, omnibus terræ finibus loquitur, ut relicta uanitate, aspiciant ad se deum solum omnipotentem, à quo solo saluandi sint, quos interposito iuramento promittit suscipiendos ad gratiam, & à tot erroribus, & criminibus eruendos, omnium linguarũ populos ad agnitionem ueritatis uenturos, idola reiecturos, & soli uni uero deo Israëlis genua incuruaturos, humero uno, ut suum dominũ & deum adoraturos. Hoc ergo uerbum iustitiæ est, ut unus deus colatur ab omnibus, utq; is exaudiat fideles suos, & benefaciat. Verbum iustitiæ.

24 Ergo in domino, dicet, meæ sunt iustitiæ & imperium. Ad eum uenient, & confundentur omnes qui repugnant ei.

Dicet quoque omnis electorum ecclesia: In domino mihi & per dominum contingit iustitia & fortitudo, ipse est mea iustitia, de meo nihil exhibere possum, præter iniustitias & peccata, ad bonum omne impotens & ineptus. Ad eum ergo ueniet, deũ Israëlis, propheta dicit, illius legi & uoluntati obedient gentes & omnes electi ex gratia. Omnes autem qui in dominum præuaricabuntur & irritabunt, confundentur. Omnes enim dij gentium corruunt, & confunduntur idololatræ, unico deo uero patefacto. Confessiõ piorum.

25 In domino iustificabitur & laudabitur omne semen Israel.

Qui uerò crediderint, & ueri Israëlitæ, hoc est cultores dei Israël esse incœperint, per dominũ iusti erunt, illius se bonitati totos cõmendãtes, & fide Abrahæ qua & iustificatus est, domino adhærentes, ipsum collaudabunt, & acceptæ tantæ gratiæ confessionẽ reddent, cum aliud non possunt rependere, & secundum ipsius uoluntatem, & legem pro uirili uiuere conabuntur. Iustificatiõ sanctorum.

CAPVT XLVI.

1 COnfractus (uel humi proiectus) est Bel, cõtritus est Nabo: facta sũt simulachra eorum bestijs & iumentis: onera uestra graui pondere usque ad lassitudinem

2 corruerunt, contrita sunt simul. Et non potuerunt saluare portantẽ, & anima eorum in captiuitatem ibit.

Nouum capitulũ Hebræi hoc loco non indicant, cum sit argumenti superioris completio, dicens: Sicut electi ex gentibus ad dominũ properabunt, ut colant eum, & obsequantur legibus suis, sic impij inter eos cum suis idolis pariter confundentur. Babyloniorum enim idola tam Bel quàm Nabo corruent, deijcienda ab exercitu Cyri, ut eis animalia onerentur, quibus ex delubris suis in Medos & Persas ueluti captiua auehantur, non sine graui onere iumentorum: argentũ & aurum cum sint, sesq; ferre nequeãt, pariter ergo in pauimentũ in proprijs templis suis prosternuntur, nec euadere possunt hostes ne captiua abducantur. Idolã onera iumentorũ.

3 ¶ Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea uulua.

Ad præcedens argumentũ pertinẽs oratio de omnipotentia dei & prouidentia. Clamat ad fideles cultores suos, siue ex gentibus Abrahæ filij sint, siue ex carne geniti: Non est enim personarũ acceptio apud deũ. Hos ait

Reliquiæ et filij Israelis

tem alloquitur, primò orando ut audiãt patrẽ pientissimum legitimi filij, quæ filiatio fide & charitate cõstat, nõ carne & sanguine. Reliquias adpellat eos Israëlitas, qui ex multis Iudæis & gẽtibus impijs electi sunt, ut uerorũ Israelitarũ reliquiæ corrasæ & cõseruatæ per dei gratiã, quæ tamen creuerũt in immensum, ut orbẽ terræ repleuerint. Hos deus ueluti mater in utero portasse se dicit, electos ad gratiã & gloriã antequam natos, coælitos quoq; ad regenerationem spiritualẽ, & per solam gratiam uocatos in numerũ electorũ per fœdus initum cum patribus, non sine sacramentis contestatum.

4 Vsque ad senectam ego ipse, & usq; ad canos ego portabo. Ego feci, & ego feram: ego portabo, & saluabo.

Non tantũ exordium salutis tuæ curaui diligẽter, sed ab infantia tua usq; ad iuuentutem tuam, à senectute ad decrepitã ætatẽ, paterna diligentia syncerißimaq; charitate & fide ego uos gestabo, feram, fouebo, in omnibus bonis, liberaboq; à malis, ut nihil electis meis obsit, me ueluti gallina pullos fouente, tutante & saluante. Nõ enim desistit nec fatigatur deus noster benefaciẽdo, pascẽdo, protegẽdo, prouehẽdo, quo manum aperiente omnia implẽtur bonitate. Qui igitur talem sortiti sunt patrem, ad cuius alterius opem recurrent? Quomodo uerebũtur accedere pulli gallinã, dum instat accipiter? Quomodo filius abhorrebit sinũ matris suæ? Quò filij dei fontem clementiæ patrem ut hic descriptũ refugient unquam, ut alibi tutelam quamcunq; sperare cogãtur? illis gentibus fingentibus idola, quæ portãt & tuentur, ego uos fingo, educo, prospicio, defendo, porto, non deseram, do omnia necessaria. Me ergo talem, quare confingitis, & æquabitis creaturis?

Dei patris charitas ad filios.

5 ¶ Cui assimilastis me, & adæquastis & comparastis me, & feciſtis similem?

6 qui cõfertis aurum de sacculo, & argentum in statêra põderatis: cõducẽtes aurifi cem, ut faciat deũ: prócidunt & adorant.

Contra stultos idololatras pergit, quos sæpe redargui et uellicari oportuit à prophetis, quòd istis temporibus non solum orbis totus, sed etiã plurimi Iudæorum idola colere non erubescebãt. Quibus sic loquitur: Si omnino contra prohibitionem meam, toties in lege repetitam, mihi imaginẽ statuetis, cui oro me adsimilabitis, cui me comparabitis uel æquiparabitis? O uam filij hominum, ô miseri apostatæ, num ex uestro auro deũ formabitis? uel eo artificem conducetis qui uobis saluatorem fundat ex ære aliquo? quid stultius cogitari potest? An non moneta aurea utilior est humanis usibus, quàm idolum aureum nihil utile? Quid proderit aduolui statuæ, procumbere, & adorare rem ridiculam?

Contra deo statuentes imaginem.

7 Portant illũ in humeris gestantes eum, & ponentes in loco suo, & stabit, de loco suo non mouebitur. Sed & cum clamauerint ad eum, non respondebit: de tribulatione sua non saluabit eos.

Adiuuari speratis ab eo, qui nec incedere potest, multò minus accurrere indigẽti, sed opus habet gestatore, qui illum ex humeris portet, & quò uult collocet, minimè loco se mouere potentẽ, siue ignis immineat siue latro. Quid insanius est, quàm insuper rationalẽ hominẽ clamare ad mutum & surdum idolum, nihil respõdere ualens, etiamsi interrogetur, neque de angustia te liberare, cum seipsum eximere minimè possit?

Gestantes imagines.

8 ¶ Mementote istud, & confundamini: redite præuaricatores ad cor.

Ne patiamini toties uobis inculcari & improperari tam uesana: non sitis perpetuò carentes omni intellectu & amentes, resumite quæso animum, ô præuaricatores, atq; ad bonam mentẽ redite. Confirmamini, & sitis animo fortiore: homines estote non bestiæ: uiriliter agite, ne prorsus illudatur uobis à tam friuolis laruis.

9 Recordamini prioris seculi, quoniam ego sum deus, & nõ est ultrà deus, nec est similis mei,

10 annuntians ab exordio nouissimum, & ab initio quæ necdum facta sunt, dicens: Consilium meum stabit, & omnis uoluntas mea fiet:

Siue prisca ponderetis siue nouitia, prorsus nihil sunt omnia præter me. Nullus unquam deus est, fuit, uel erit præter me, solũ omnipotentẽ, & omnia scientẽ, præterita, præsentia & futura: qui quæ placẽt tempestiuè significo futura, & perficio nemine prohibẽte dum uolo.

11 uocans ab oriente auem, de terra longinqua uirũ uoluntatis meæ. Et locutus sum, & adducam illud: creaui, & faciã illud.

Tantæ potẽtiæ sum & sapiẽtiæ ego deus uester, deus Israel, ut ad nutum meũ non solum maxima fiant in longinquis regionibus, sed etiã minima, ut nec passerculus aliquis in terram cadat sine meo arbitrio & cõsilio: sic nec folium ab arbore. Plena est enim omnis terra maiestate mea, & subdita omnis creatura uoluntati meæ, ut quicquid ubiq; uolo fieri & constitui, id illico subsistat pro uoto, etiamsi quenquam de longinquo aduocauero, subitò adest & operatur quod impero. Omnia sunt in potestate mea, ut quæ uelim fiant, sine omni impedimento, talis ego sum, et talis credi uolo, & reuereri ab omni rationali creatura, & à meis fidelibus.

Potẽtia eius.

12 ¶ Audite me duri corde, qui longè estis à iustitia.

13 Prope feci iustitiã meã, non elõgabitur: & salus mea nõ morabitur. Dabo in Sion salutem, & in Israël gloriam meam.

Consequenter loquitur contra superbos & crudeles, qui iniustè opprimunt alios, siue ij nocentes sint siue innocentes. Quales Babylonij fuerũt Iudæis, quos iusto quidem iudicio dei uindicta affectos, ipsi iniqua & crudeli uoluntate ceperunt. Audite, inquit, omnes fastuosi & immites, qui absq; moderamine iustitiæ bella geretis, quantũlibet à domino decreta peccatoribus. Meum est enim oppressis succurrere, & non diu uindictã differre crudelibus exactoribus iudiciorũ meorũ, qui quod iustum esse potest non iustè exequuntur. Conuertam enim suo tempore captiuos filios Iuda, & ciues Ierusalẽ de

Cõtra Idola.

de Babylone ad hæreditates suas, quibus miserebor post pœnitentiam, & restitui faciam templum ac urbem in gloriam & decorem nominis mei, & gentis Israëliticæ. Hoc modo omnibus similiter similia pasis pari iudicio iusto respondere consueui.

CAPVT XLVII.

1 DEscende, sede in puluere uirgo filia Babylon: sede in terra. Nõ est solium filiæ Chaldæorum, quia ultra non uocaberis mollis & tenera.

Babyloniæ typus.

Quæ nunc hic sequũtur exemplũ adferunt præmissæ sententiæ de Babylonijs, sub typo superbissimæ reginæ & in delitijs semper nutritæ, quæ ad extremã infelicitatem & paupertatẽ redigitur, & ignominiã omnibus honestis fœminis non ferendam ferre cogitur à truculentis. Cui insuper propheta illudit, dicendo: O regina potentissima Babylon, quæ fastigiũ potentiæ & gloriæ conscenderas iniuria omniũ nationũ: nunc detrahenda es & deijcienda in imum, capienda & uastanda ab hostibus, posthac in luto sedebis miserrima & cõtemptissima, solio destituta humi cõsides, Chaldæorum regina absque honore cõtempta. Desines enim delitijs uacare, tenere tractari, mollibus uestiri, & ab omnibus coli, uoluptuari, sed potius dura crudeliaq; pati.

2 Tolle molam, & mole farinam. Denuda capillitiũ tuum, discooperi tibias, reuela crura, transi flumina.

Iudicium dei æquum.

Iudicium dei æquum experieris, ut quæ pauperes per iniuriã oppressisti, ut uoluptatibus incumberes, iam ad extremam paupertatis & miseriæ sortem pertraharis, ut uelut ancilla ad molam laborare cogaris, & turpitudinem tuam ab omnibus cognosci & rideri perspicias, cum intolerabili confusione. Vt quicquid unquam præ superbia & teneritudine abhorrere solebas, nunc experiaris, & nolẽs ferre cogaris, ut fias in sibilum derisum & contumeliam omnibus à quibus honorari uolebas, dum uigeret tua tyrannis & superbia.

3 Reuelabitur ignominia tua, & uidebitur opprobrium tuum. Vltionem capiam, & non resistet homo.

Auferetur tibi quicquid appreciabaris, quo superbiebas & uacabas libidini, opprobriũ autem tuum uidebis sentiesq; & dolebis. Sic enim ego te puniam, & de impietate & crudelitate dignas pœnas sumam, nemine pro te intercedẽte, quæ non solum iustitiam meã offendisti, sed sic crudeliter & superbè egisti, ut nemo hanc tibi infelicitatem non optet, tantum abest ut pro te intercedat & adiuuet.

4 Redemptor noster, Dominus exercituũ nomen illius, sanctus Israël.

Hæc Babylon contingent propter nos, quos ut amicissimos deus noster uindicat. Interposita est breuis oratio ex affectu piorum, qui fidem adhibent uerbis dei: sic erit, ut dicitur, Deus nos redimet sanctus Israëlis & redemptor.

5 Sede tacens, intra in tenebras filia Chaldæorum: quia nõ uocaberis ultra domina regnorum.

6 Iratus fui super populũ meũ, cõtaminaui hæreditatẽ meã, & dedi eos in manũ tuã. Non posuisti eis misericordias. Super senem aggrauasti iugum tuum ualde,

Babyloniorum crudelitas & miscricordia.

Latius explicat propheta causam, cur tanta Babylon sit passura, ut præcipitata de solio humi sedeat, & præ confusione obscuro loco captiua teneatur, quæ fuerat regnorũ domina gloriosa. Iratus quidẽ fuerat dominus populo Iudaico propter peccata, sed non ita enormiter iratus, ut non simul quoq; meminerit esse eos homines, & ad peccandũ procliues, denuq; peculiariter dilectos, propter patres, promissaq; dei tenentes. Ideo punire quidem illos decreuerat uirga Babyloniorũ, ad tempus correctionis, quam sperabat. Sed tu, ô Babylon, æquè cogitare debueras bonitatẽ meã, qua orbis te dominam uictricemq; constitueram, ut nihil per fastum crudelitatem & animo maligno ageres supra modum grassando, quasi propria uirtute, sed clementer tractare & iuxta legem charitatis corrigere uerberibus debuisti, non furioso tumultu exterminare locum meo nomini consecratum, & gentem. Senibus & paruulis imbelliq; turbæ parcere, & cum timore iudicij mei scire debueras quid agendum, & supra mensuram onus nõ imponere, nec uictis illudere, & de tuis uiribus superbire.

7 & dixisti, In sempiternum ero domina: Adhuc non posuisti hæc super cor tuum, neq; recordata es nouissimi tui.

Arrogantia uictoriarũ.

Tu uerò per superbiam omnem fortunam tuam tibi ascripsisti, dominũ qui hæc dederat contempsisti, abusa omni potestate tua, numio fastu elata omnes despexisti, & non te ab aliquo uinci posse credidisti: cum potius rerum uicissitudo, potestas à domino, & hominum demerita, iustitiaq; diuina tibi fuerant cogitanda. Timendus dominus, & clementia non neganda miseris, quod tibi quoq; similis miseria obtingere posset, iudiciũ omne miscendum esse cum misericordia, & nihil cum austeritate nimia agendum, quod æqua mensura eos maneret qui crudeliter alios & animo impotenti tractassent. Id nunc quoque tibi usu ueniet, quæ felicitate seducta, futura tibi mala præuidere nolueris.

8 Et nunc audi hæc delicata, habitans confidenter, quæ dicit in corde suo, Ego sum, & non est præter me amplius: non sedebo uidua, & ignorabo sterilitatem.

Vt hic propheta alloquitur Babylonem, sic Christus Hierosolymã flendo alloquebatur. Omnia nunc tibi ad pacem sunt, delitijs enim affluens secura sedes in regno, & tempus uisitationis non cogitas, sed per insolentiam te iactas, quasi sola sis orbis domina, reginaq; regnorũ omnium inuincibilis & tuta ab omnibus, populorũ multitudine innumerabili gloriosa, & potẽtissimis regibus quasi maritata, ut alio tutore non egeas.

9 Venient tibi duo hæc subitò in die una, sterilitas & uiduitas. Vniuersa uenerũt super te, propter multitudinẽ maleficorum

tuorum, & propter duritiã incantatorum tuorum uehementem.

10 Et fiduciã habuisti in malitia tua, dixisti: Nõ est qui uideat me. Sapiẽtia tua & scientia tua, hæc peruertit te. Et dixisti in corde tuo: Ego sum, & præter me nõ est ultra.

Gloriatio Babylonis finienda.

De quibus gloriaris, marito scilicet & filijs, ecce sub idem tempus utrunq; amittes, filios & maritũ, orba & uidua, uno die adimetur tibi regnũ & rex, populus captiuabitur, & alieno domino subdetur. Rex uerò Baltasar occidetur cum sua posteritate, regnumq; transferetur ad Medos. Perfectissimè & certò obruẽt te hæc incommoda, ea quoq; ratione, quia tota fiducia innitebaris, non in dominũ deum, sed in cõsilia, & prænotiones incantatorũ & diuinorũ tuorũ, quos multo numero fouebas, quorum uersutia deterior semper facta & superbior, credebas te à nullo posse despici, quæ sapiẽtissimè omnia tractares, tot sapientũ tuorũ consilijs freta: cum eadem sapientia animalis & diabolica, superstitio & error tuorum te seduxerint, ut dominũ deum non timueris, sed fata temporũ, & idolorũ tuorũ falsa præsagia. Persuaserunt enim tibi adulatores tui, & idolorum pontifices, tantã te esse, ut præter te nemo sit potentior & inuincibilior. Facilè enim reges seducũtur ab assentatoribus, nunquã audientes ueritatẽ, sed tantũ placentia: ideoq; præmonitiones oportunas non suscipiũt, cum non sit qui liberè audeat eis loqui nisi grata.

11 Veniet super te malum, & nescies ortum eius, & irruet super te calamitas, quam nõ poteris expiare. Veniet super te repẽtè miseria, quam nescies.

Superstitio sorũ fata.

Inopinato tibi aduersa oborientur, in pœnã, quod tantopere incantatoribus auscultare consueueras. Nullis enim peiora citius incidunt, quàm eis, qui superstitiosis artibus futura præscire studiosius uoluerunt. Et tanto maior calamitas est, quanto præuisum minus potuit consilio uel auxilio præcaueri. Te autem incredulã obruet extremũ exitiũ & pernities, quam nullis sacrificijs & idolorũ cultibus ualeas expiare. Subitò autem ingruet, & imprudentem obfundet repentina uastitas.

12 Sta cum incãtatoribus tuis, & cum multitudine maleficorũ tuorũ in quibus laborasti ab adolescẽtia tua, si fortè quid profit tibi, & si possis fieri fortior.

13 Fatigata es in multitudine consiliorum tuorũ. Stent & saluẽt te augures cœli, qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, unde essent uentura tibi.

Sapientum seculi, stultitia.

Irridet propheta stultitiã tot sapientũ Babylonis, qui tot nutriti ditatiq; expensis præuidere non potuerunt consilium domini, quo Babylonem subuertendam decreuerat. Nõ enim uel dæmon ipse nosce potest, nec aguta reuelare cuiquam, nisi domino permittente: qui illusoribus illudi solet, & contra scientiam dei arrogantibus scientiã, turpiter ut labantur prouidentia sua decernit. Ab incunabulis enim regni illius, & ab ipso, ut dicitur, Nimbroto, Babylon laborauit copia necromanticorum

& augurum, quorũ toties est decepta cõsilijs, qui etiam tunc cum fata urgerent ad interitum, frustra consultabant & succurrebant rebus subitò labentibus, operas & impensas in huiusmodi sacrilegos perdendo, qui ex cœlorum astrorum & influentiarum prænotionibus præscire se iactabant consiliũ domini. Cuius nullus unquam fuit consiliarius, prophetis suis illa dominus reuelare dignatur, sed quibus impij non credunt, ut necessariò disperdantur. Iusti autem fide saluantur in uerbum domini, illiusq; clementia & bonitate.

14 Ecce facti sunt quasi stipula: ignis combussit eos. Non liberabũt animam suã de manu flammæ, nõ sunt prunæ quibus calefiant, nec focus, ut sedeant ad eum,

15 sic facta sunt tibi, in quibuscunq; laboraueras. Negotiatores tui ab adolescentia tua, unusquisq; in uia sua errauerunt: non est qui saluet te.

Tantũ abest ut alios præseruare sua prædictione possint Chaldæi illi & necromãtici, ut seipsos quoq; à recentino interitu saluare nequeãt: quin domino iubente, quem oderunt, subitò uelut stipula ab igne absumendi sunt. Seq; ipsos eruere à tanta cõflagratione nõ ualeãt. Reuera enim ut stipula sunt inutilis facillimè perdẽdi: nec solum inutiles, sed etiã pernicioſi eis qui confidunt in illos, à quibus seducũtur gentes & regna, omnes qui superstitiosas illorum artes sectantur, & mendacijs credunt. Quales Babylonij in primis semper fuerunt, donec pariter cum illis perditi sunt, & manum domini senserunt, qui semper absterruit ab hisce abominationibus, serioseq; inhibuit, ne ab alio quàm à se unico domino, & à suis prophetis pernotiones futurorum inquirerentur: sed nec sollicitiores essent homines de futuris contingentibus præsciendis, quàm de agnita uoluntate dei perficienda sedulò & instanter.

¶ CAPVT XLVIII.

1 Audite hæc dom⁹ Iacob, qui uocant nomine Israel, & de aquis Iuda exierũt, qui iurãt in nomine domini, & dei Israel recordantur non in ueritate neq; in iustitia.

Asseruit hactenus propheta omnipotentiã & prouidentiam dei, ludibrio exposuit idola cultoresq; eorum, qualis maneret pœna prædixit mandato domini: nunc populum suum domum Iacob, siue simul regnum Israel, siue tantũ Iuda alloquitur, potuit enim hæc prophetia dicta fuisse ante captam Samariam. Vocat eos, & meminit eodem fonte emanasse omnes filios Iacob regnorum tam Israël quàm Iuda. Omnes enim filij sunt Abrahæ, à quo didicerunt iurare per nomen domini, & ipsius dei uti non alium colere, summũ & omnipotentem omnium creatorem & gubernatorem. Id quidem didicerãt iam sæpe & dudum, sed non fideliter perstiterũt in fœdere patrum cum deo inito, nec fidei operumq; iustitiam seruauerũt, sed præuaricati sunt legem quam acceperant, & deos alienos non raro sibi elegerunt, propterea & sæpe puniti sunt.

De

2 De ciuitate enim sancta uocati sunt, & super deum Israel cõstabiliti sunt. Dominus exercituum nomen eius.

Gloriari quidem possetis, sicut & facitis, de urbe uestra, quam electione sua sanctificauit deus, si uos quoq; sanctiores essetis: & de summo & omnipotẽte deo uestro similiter, si illi toto corde inniteremini & consisteretis fortiter, fide & fiducia in illum, ut ipse fidelis est, & semper uobis clementiã suã impartitus est, & aduersariorum uestrorũ exercitus fudit, uestrum cõfortauit, tam supernorũ militũ dominus & dux quàm terrenorum, cui propter hoc nomen est domino exercituum.

3 ¶ Priora extũc annũtiaui, & ex ore meo exierũt, & audita feci ea: repentè operatus sum, & uenerunt.

4 Scio enim quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea.

Olim dominus deus uester, ô Israel, quædã prædicere patribus uestris cõsueuit futura, quæ et statim ut fierãt prædicta usu uenerũt: ut Abrahæ de Isaac nascituro, Mosi de populo liberãdo, populo toti de non ingrediendo, præter duos, pmissionis terrã, et cætera multa, Gedeoni, Heli, Samueli, Dauidi, Salomoni & alijs. Etiã cum tunc quoq; certo scirem duræ ceruicis te populũ, & ferrea fronte cõtumacẽ et intractabilẽ. Bñficia enim mea in te cõtuli, nõ ob iustitiã operũ tuorũ, sed ad fidẽ promissorũ ostendendã tibi, ut in bono uincerẽ malũ tuũ, & gratiã meam mundo proderem, & clementiã ad homines.

5 Prædixi tibi extunc: antequam uenirent indicaui tibi, ne fortè diceres, Idola mea fecerunt ea, & sculptile meum, & conflatile meum mandauit ea.

Volo ea prædictione mea docere te meã omnipotentiã & prudentiã, qua quæ futura sunt scio omnia, & facio sine impedimẽto, ne aliũ tibi deũ gentiũ more eligeres, qui id nõ posset, & beneficia accepta nõ alteri referres quàm mihi: cũ dij alij qui nominãtur, dij nõ sint, sed idola sculptilia & cõflatilia, id est, opera manuũ hominũ, lignũ & materia à me creata, ut alia omnia. Quæ certa experiẽtia didicisti nihil posse nec scire, meã uerò, prudentiã & potentiã maximo tuo bono crebro sensisti.

6 Quæ audisti, uidisti oĩa: uos autẽ nónne annũtiastis? Audita feci tibi noua extunc, & conseruata (in thesauros) quæ nescisti.

Audiuisti ô Israel, quæ ordinauerã uentura, & uidisti oculis tuis facta & aduenisse, uel certè nunc uide omnia completa dudum. Nónne quoq; uos nunc uidetis quædã fieri & facta, quæ non adeò dudũ prophetis meis prædixi aliquando futura cum uos id credere prophetis recusaretis? Testimoniũ ergo uos quoq; perhibebitis mihi, quum omnia quæ futura aliquãdo prædixi, cõpleta uideritis, tam uestro tempore quàm patrũ uestrorũ. Et si quædam abstrusa & occulta esse uolui, tu ea tua prouidentia perspicaciaq; rescire non poteras, donec ego indicarem, & opere perfecta uidisses.

7 Nunc creata sunt, & non extunc, & ante diem, & nõ audisti ea, ne fortè dicas: Ecce ego cognoui ea.

Denuq; nunc quoq; quædã creare & præparare soleo, ut te uidente & admirãte cõtingant, quæ iam ante aliquot tempus uel dudũ futura nõ tibi prædixerã. Non enim tibi proderat scire futura omnia, quæ facio, ne tuam scientiã iactares, & putares te deum, cuius solius est nosce & posse omnia. Præstat enim nescire calamitates superuenturas, quas euadere nequaquam possis. Futura præscire nõ prodest semper

8 Neque audisti, neque cognouisti, neque extunc aperta est auris tua. Scio enim quia præuaricãs præuaricaberis, & transgressorem ex utero uocaui te.

Multa quoq; ignoras & perpetuò nescies, quæ ego olim operatus sum, & nunc facio, sumq; facturus. Non enim reuelo tibi omnia, quia non prodesset, quod specimem præbueris iamdudũ & semper præbeas perfidiæ & infidelitatis, & in amicitia mea nõ perstare cõsueueris, toties perduellis & desertor factus, legumq; mearũ irrisor & præuaricator assiduus, ut secretorũ meorum te participem facere nõ debuerim, ne occasio tibi præstaretur contemptus maioris & superbiæ.

9 Propter nomen meum longè faciam furorem meum, & laude mea infrenabo te, ne intereas.

Nec tu maiorem rerum futurarũ scientiã merebaris, sed multiphariam criminibus tuis debebatur, ut quod promiserã me pio daturũ, impio tibi non darem. Prouocabas enim iram meã, & cõditionẽ promissis adiectam seruabas minimè, sed obmissa cõsideratione meritorum tuorum, nominis mei respectum habui, ut parcerem iræ meæ, & ad laudem & gloriã meam, non te pro demeritis excinderem iamdudum.

10 Ecce excoxi te, sed non quasi argentum: elegi te in camino afflictionis.

11 Propter me, propter me faciã, ut nõ blasphemer, & gloriã meã alteri non dabo.

Ego dominus te Israelem nõ excidi pro demeritis, sed repurgaui te ueluti aurum in fornace, illustraui & sanctificaui, peccatis tuis peperci, indulsi grauissimis præuaricationibus tuis & criminibus toties, quum excindi merereris: id autẽ non prece uel precio prouocatus, sed ex gratia. Elegi te ex omnibus gentibus peculium mihi præcharũ, cum te inuenissem in camino afflictionis & paupertatis in durissima seruitute Aegyptiaca. Id autẽ faciebã propter me tantũ, sine omnibus tuis meritis, ut diuitias bonitatis meæ ostenderem per te omnibus gentibus, & diuinitatis meæ potentiã cõmendarẽ orbi toti. Ne pollueretur gloria mea & prophanaretur, si semel electum populum refutarem, sic ut euacuaretur ueritas promissionum de Christo domino, quem ex tuo semine gentibus benedictionẽ promiseram. Hanc enim tam ueritatis meæ laudẽ, quàm benedictionis gloriã ex semine Abrahæ & Dauidis promissam, alteri genti uel populo non dabo. Salus enim mundi ex Iudæis uentura est, non aliunde. Euangeliũ salutis accipiet orbis totus, non nisi à Christo, per prædicationẽ apostolorum: quod toties promisi præstabo, ut præter me nemo in mundo deus habeatur uel etiam credatur. Electio Israelis & protectio.

12 ¶ Audi me Iacob, et Israel quẽ ego uoco. Ego ipse, ego primus, & ego nouissimus.

13 Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cœlos: ego uocabo eos, stabunt simul.

Prophetia superioris argumenti, de potẽtia & maiestate dei, deq; prudentia futurorũ, soli deo propria, qua & prænouit, & prædixit captiuitatem Iudæorum, primam per Chaldæos, ac deinde Chaldæorum uastitatem per Medos. Non enim propheta semel tantũ sed sæpius idem prædixisse uidetur. Dicit itaq;: Tempestiuè & de mane consurgens uos Israelitas præmoneo, ut mihi soli adhæreatis, qui is sum, qui solus est: initiũ ego sum, & finis omnũ rerum, creator cœli & terræ, nõ labore aliquo uel adiutore ea absolui, solus ego quum uocarẽ ea protinus constiterunt: uerbo meo cœli firmati sunt, & spiritu oris mei cõstat omnis uirtus eorum: ante omnũ rerũ creationẽ ego sum, & manu mea, hoc est, potẽtia uoluntatis meæ fundaui terram, homini expositam & propinquam: & dextera mea ueluti nobiliorem mundũ animarum scilicet receptaculũ, & electorũ cœlum metitus sum, & formaui iusta magnitudine, & mihi soli certissima. Quorum ego cum suis astris nomina noui, quorũ influxus in meo sunt arbitrio, stant & mouẽtur ad nutum meũ, parata in uniuersum meæ uoluntati ausculture & obsequi, nec alium uspiam agnoscunt uel timent deũ. Mea ergo potẽtia liberabimini & bonitate, propter quos omnia condidi & conseruo.

Deo soli adhærendum.

14 Congregamini oẽs uos, & audite: quis de eis annũtiauit hæc? Dñs dilexit eum, faciet uoluntatẽ suam in Babylone, & brachium suum in Chaldæis.

Difficilis locus ob incertas relationes affixorũ. Congregamini, quotquot præsumitis futurorũ prædictionẽ, & audite quid à uobis interrogetur. Quis in uobis uel dijs uestris annuntiabit ista, quæ eueniẽt uel Iudæis Hierosolymitis, uel Babylonijs? Quandoquidem quicquid huiusmodi est, in arbitrio dei est, & ex illius uoluntate pendet, tam Iudæorũ captiuitas per Babylonios, quàm uastatio Chaldæorũ per Cyrum. Vtrunq; enim uult dominus, & potest brachium & potentia sua: solus ipse omnia prænouit, qui & Cyrũ diligit: faciet enim uoluntatem dei apertũ instrumentũ ad populi sui liberationẽ & diuini nominis sanctificationem.

15 Ego ego locutus sum, & uocaui eum: adduxi eum, & directa est uia eius.

Solus ego prædicere hæc possum & prædixi. Vocaui in tempora eum, quem & uenientẽ adducã & prosperabo opus utriusq;, tam Nabuchodnezer cõtra Iudæos, quàm Cyri contra Babylonios.

16 Accedite ad me, & audite hæc: nõ à principio in abscõdito locutus sum: ex tẽpore antequã fieret, ibi eram, & nunc dominus deus misit me, & spiritus eius.

Ab idolis nihil quærendum.

Non ergo quæ ex mea uolũtate pendent, ab idolis uel magis inquirite si sint, & quando uentura: ad me uenite, ad prophetas & legem accedite, ac solus mei beneplacitũ ex me discite. Audite istud, quod loquor, à principio dudumq; locutus sum patribus, in monte Sinai palàm, & nequaquã in abscondito, cum ego ibidem essem cum patribus, & legẽ darem ipsis, omnemq; meam uoluntatem illis patefacerem. Nec tunc solũ dominus ipse innotuit patribus, sed etiam me Esaiam, dudum in anno mortis Osiæ me misit ad idem ad quod Moseñ miserat. Et is ipse dominus deus, & spiritus eius, Loquutusq; est mihi hoc tempore, qui & dudũ loquebatur: nec desistet loqui ad suum populũ, donec is ueniat, quem nos omnes prophetæ promittimus, Messias scilicet, qui perficiet imperfectum nostrum. Videtur uelle dicere, Olim ego uobis uera prædixi, quæ in Sennherib impleta uidistis: uera quoq; ea erunt & fient quæ nunc de Cyro prædico. Si alius hoc loco aptius uiderit aliquid, ne ei noster cogitatus præiudicet: obscurus est enim locus, etiam Hebræorum Rabinis, ut uix alius æque.

17 ¶ Hæc dicit dñs, redẽptor tuus sanctus Israel: Ego dominus deus tuus docens te utilia, gubernãs te in uia qua ambulas.

Prophetia ad idem, sed clarior de reditu Iudæorum ad propria cum salute & gloria, ut nouus tunc populus futuri sint, & deo studiosius obsequuturi. Ego, inquit, dominus deus tuus sum, qui de inimicis tuis te meũ populum & peculium redimam, sanctus Israëlis, quem Israël sanctificare debet per eundem rursus sanctificandus. Si uerbis meis & doctrinæ aurem præbueris, plurimam inde capies utilitatẽ: non sunt enim uana curiosa superuacua uel falsa, sed quibus per omnem uitã tuam ad profectus tuos dirigeris, ut scias quid sequi uel fugere conueniat. Cõtra sacrilegos hæc dicuntur, qui dicunt Verbum dei non legendũ laicis, non sine commentis, non sine ecclesia: bonitas dei proposuit sana, fructuosa, captui attemperata humano, nõ uenenum filijs, sed omnia necessaria ad salutem.

18 Vtinã attẽdisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris,

19 & fuisset quasi arena semen tuũ, & stirps uteri tui ut intestina eius: non interisset, & nõ fuisset attritũ nomen eius à facie mea.

Vtinã attendisses semper diligẽter ad præcepta mea, legem meam obseruasses, uel etiam hodie non negligeres, redundasset ut flumina pax & prosperitas tua, & iustitia fidei tuæ cum uirtutum fructibus abundasset, ut gurgites fontium & aquarum, fuisset & esset uelut harena maris multitudo seminis tui, & genimina posteritatis tuæ ueluti lapilli qui sunt in mari: non exterminaretur nomen illius coram me, etiã dum conuersus fuerit ad dominum, & iustitiam coluerit, non priuabitur clementia dei, & quæ dudũ bona promissa illis fuerant, fidelibus largientur.

20 Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis, in uoce exultationis annuntiate: auditum facite hoc, & efferte illud usque ad extrema terræ. Dicite: Redemit dominus seruum suum Iacob.

Reditus sub Cyro & Christo.

Reditus è Babylone certum signum fuit omnibus fidelibus, ut cum de peccatis suis pœnituerint, & uitam fidemq; iustè instituerint, sine dubio gratiã domini sint assequuturi, & Iudæi quoq; ipsi, si ueritatẽ promissorũ dei crediderint: gloriamq; dei sui coruscantem in mundo maioris existimauerint & prætulerint carnalibus bonis, & sua reductione in Syriã suã, & Meßiã suum regnantem in cœlo & terra agnouerint, sine dubio feliciores & beati erunt. Interim tamen reditus à Babylone lætus erat, & famatus in orbe, per totum regnum Cyri, Asueri & Darij. Glorificatusq; est dominus templo extructo toto orbe uenerabili, usq; ad tempus Christi, per quem repleuit gloria fines terræ.

21 Non sitierũt in deserto, quum educeret eos. Aquam de petra produxit eis, & scidit petram, & fluxerunt aquæ.

Fideles hic beati.

Sensus est: Fideles domino adhærẽtes nullis necessarijs rebus egebunt ubiq; locorum, omnia ipsis cooperabuntur in bonum, aqua sapientiæ spiritalis reficientur semper, tuti erunt in magnis etiam periculis, nemo impunè illis aduersabitur, citius cœlũ transibit & terra, quàm ut fideles relinquantur à domino: arida illis loca fontes propinabunt, petra illos sequetur, quæ Christus est, ut nec esuriant neque sitiant. Beatitudinem ueram hic incipiunt, quæ semper durabit.

Impiorum infelicitas.

22 Non est pax, dicit dominus, impijs.

Non est pax impijs dicit dominus, conscientia ipsorũ inquieta semper: cupidinũ æstibus distrahũtur: solatium non est illis in domino, quem non credunt: de crimine in crimen prolabuntur: odiunt sanctos, quos non sinuntur pro uoto opprimere: mutuũ sibi inuident, odio & inuidia macerantur: quanto plura assequuntur, tanto plura desiderant: nulla eis requies post mortem, sicut in uita semper dominum blasphemarunt: morte terrentur, & uitam infelicem sectantur. Huc usque consolatio dei ad Israëlitas, à capite quadragesimo usque ad quadragesimumnonũ, ne deficiant animo capiendi, credant uerbo domini per prophetas, quod ut semper uerũ compertũ est in præteritũ, sic minimè fallet in futurum. Tandem hortatur ne quis in Babylone residere olim uelit, sed amplecti malit licentiam à regibus donandam.

¶ CAPVT XLIX.

1 Audite insulæ ad me, & attendite populi de longe. Dominus ab utero uocauit me, de uentre matris meæ recordatus est nominis mei.

Officium prophetæ.

Esaias prophetias à domino sibi reuelatas de Meßia, qui scopus est omniũ prophetarũ, nunc sine cõmixtione conscripturus ad finẽ uoluminis, & uniuerso orbi saluatoris aduentum prædicaturus, & quæ per Christum completa sint omnia, humiliationẽ eius & exaltationẽ per singula. Officium suum prophetale commendatum à domino præmittit, de se scribens, quæ hic habentur secundũ Hebræorũ expositionem, quæ tamen à nostris de Christo intelliguntur. Fortaßis officium prophetæ describit, sicut & Ieremias, quomodo scilicet qui ex commißione diuina difficilimã prouintiam prophetandi populis regibus & regnis susceptur sit, & depraua tum seculũ reformaturus ad uerbum domini, & ad timorem dei ac obedientiam docturus, necessariò mutatur à domino, testimoniũ habeat suæ mißionis, gloriam mittentis, & fructum eorum ad quos mittitur in primis intendat, nõ frangatur difficultate operis & laborum, ingratitudine auditorum, & cõuersionis tarditate, & paucitate fructus. Hæc cum omnia conueniant Esaiæ prophetæ, nihilominus omnibus applicanda uidentur prophetis fidelibus, in ecclesia tam priscorum quàm noua: maximè uero & propißimè capiti conueniunt omnium prophetarum Meßiæ, domino Iesu Christo, qui ab æterno ordinatus est doctor gentiũ, & salus omnium finium terræ, in quo glorificatus est Israël, & omnes electi, qui uanè laborasse uidetur, & prædicasse impijs, quorum pars maxima est. Reuera tamen domini uoluntati satisfecit, cui & probatur officium operaq; illius, cui & robur illud exequendi strenue impartitur, ut colligat dispersos Israel, hoc est, electos ad uitam, ex omnibus gentibus, & sit salus domini per omnem terram, ut credentes in nomine illius uitam habeãt sempiternam, & ut uincti peccatis & erroribus liberentur de carcere miseriarum, & periculorum huius mundi, ut conuertatur orbis ad dominũ deum creatorem suum, & ad sanctum sanctorũ qui electos sanctificat. Tam Christus dominus quàm Esaias & omnes prophetæ mittũtur à domino, ut audiantur in toto orbe: mittuntur enim à domino orbis moderatore & conditore. Et qui longè sunt populi, non minus auditam ueritatẽ amplectãtur quàm proximi. Non enim singuli singulis mittuntur prædicatores, sed pauci multis. Parati sunt autem à domino & instituti à prouidentia dei, non sese intrudunt huic prouintiæ, sed à domino ab æterno prouidentur, & ex matris utero destinantur huic functioni, & gratiam illis satisfaciendi suscipiũt, & à domino nomen cõsequuntur, & præordinantur antequam nascantur. De Esaia ad literam non legimus, de Christo nominato antequam nato, uel etiam concepto, satis liquet.

Christus plusquam propheta.

Mũdo prophetæ mittuntur.

2 Et posuit os meũ quasi gladiũ acutum, in umbra manus suæ protexit me, & posuit me ad sagittã electam. In pharetra sua abscondit me.

Dura prophetarum prouincia.

Cogitur propheta acutè loqui ad cor populi, ad electorum corda penetranda, ueluti gladio ancipiti, & ad meliorem mentem formandum: reproborum uerò conscientiam percutiendã, ut excusationẽ non habeant, ut carbones in ipsorũ caput fundantur. Cumq; inuidiã multorum ferre ob ueritatẽ cogantur, & cõtinuis obijciantur periculis, dominus tamen protegit, & euadendi locum administrat ad gloriam suam, & ad profectum tam prophetæ quàm omniũ electorũ quomodocunq; tandẽ corpus finatur & uita corporea. Nec solũ gladius est propheta in proximos cõuertendus, sed etiã sagitta electa & pura, minumeq; rubiginosa, sed limata ac splendida. Nihil enim fuci, nihil uanitatis, nihil falsitatis uel incertitudinis habet uerbũ domini in ore prophetarum

domini: & Christus perspicuè docuit, ut nemo resistere illi potuerit, totumq; mundum euangelica claritate illustrauit. Custoditur autẽ propheta in pharetra domini, & in protectione manus suæ, dũ seruatur & custoditur à domini prouidẽtia in tempus & locũ suũ, dum persecutionis tempore eripitur, dũ opportunũ tempus expectatur, & uolẽtibus nolentibus impijs, uerbum domini promouetur & defenditur, etiã si crucifigatur & sepeliatur in lapidem, & à militibus obseruetur.

3 & dixit mihi: Seruus meus es tu Israël, quia in te glorificabor.

Summa prophetiæ. Summa prædicationis & prophetiæ est, ut electi qui Israël sunt & uocantur etiã ex gentibus fideles, seruiãt domino, solum domino credendo, colendo, & audiendo mandata eius, beneplacito illius studiose obsequendo: sic ut in omnibus glorificetur nomen eius, quod finis est tam prophetæ quàm auditorum & omniũ fidelium, qui unicè cupiunt, ut domino & illius gloriæ sint fideles, non quæ sua sunt quærant, sed quæ domini.

4 Et ego dixi: Inuacuũ laboraui sine causa, & uanè fortitudinem meam consumpsi. Ergo iudiciũ meũ cum domino, & opus meum cum deo meo.

Causa prophetarũ domini est. Quis non prophetarũ, & ipse Christus dominus gratis se Israëli locutũ conquestus est? pro ipsorũ ingratitudine cõtumacia & perfidia, qua prædicationẽ, exempla uitæ, miraculorum opera, fidelem instantiã pariter contempserũt, & ad mortem sunt semper persecuti, ut omnis labor meus inuanum uideatur esse insumptus. Sic enim apparet hominibus & humana patientibus, dum obdurãtur ex uerbo, qui emolliendi suscipiebãtur, dum Iudæi, ad quos missus est dominus, incredeli perseuerãt. Veruntamen iudicium causæ suæ propheta sanctus domino cõmendat, cui probatur eius studiũ, & qui moderatur finem prædicationis, ut dum omnia perijsse timentur, & granum mortuũ in agro putatur, tunc influẽtia cœlesti succrescat in segetem copiosam.

5 Et nunc dicit dominus, formans me ex utero seruũ sibi, ut reducã Iacob ad eum, & Israël non congregabitur. Et glorificatus sum in oculis domini, & deus meus factus est fortitudo mea.

Firmiter quoq; promisit dominus, qui mei curam suscepit ab utero, cui seruio in cultura agri ecclesiastici populi, in reducendo Iacob ad deum suum, prædicando fidem & pœnitentiã, etiã si interim audire me nolint, & reuerti ad dominum renuant ceruicemq; indurent, quod glorificãdus nihilominus sim in conspectu ipsius, quantumlibet ad mortem usque humiliatus ab eis, mercedemq; fidelis serui reportaturus, & in gloriam dei sublimandus, cuius est omnis fortitudo mea, firmamentum, refugium, & gloria.

6 Et dixit: Parũ est ut sis mihi seruus ad suscitãdas tribus Iacob, & solitudines Israël conuertẽdas. Dedi te in lucẽ gentiũ, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ.

Si leue uisum fuerit ô propheta, ait dominus, ut ingratum hunc & duræ ceruicis populum Iudaicum, tribus Israël, ad quos missus es, erigas & confirmes in timore dei, quandoquidẽ tibi nõ credent, & quæ corrupta & uastata sunt in ea gente reficere nõ uales, indignosq; se præstiterint salute & gratia quæ illis offeretur: Ecce ego te præficiã multò pluribus, maioribus ac melioribus gentibus, quas doctrina tua illustrabis, emẽdabis & conuertes ad studia meliora, ueramq; pietatẽ, ut per te saluẽtur populi totius orbis terrarũ. Salutẽ enim quam Iudæi repulerũt, gentes credulæ amplexati sunt: & prophetias prophetarum Iudæis dictas & spretas, Gentes suscipiunt uenerantur & credunt.

7 ¶ Hæc dicit dñs redẽptor Israël, sanctus eius, ad contemptibilẽ animam, ad abominatam gentem, ad seruum dominorum: Reges uidebunt, & cõsurgent principes, & adorabũt propter dominũ, quia fidelis est, sanctum Israel, qui elegit te.

Summam prophetiæ suæ de Christo domino in pri- Christ mis pauciſſimis uerbis explicat. Sanctus Israëlis, qui per mis Christum dominum ipsum Israëlem redimere & uindicare decreuerat, sic dicit ad Christum: Qui contemptu maximo laborauit apud eos qui maximè honorasse debuerant: qui ut abominatio maxima gentis suæ, à sua gente crucifixus est: qui in forma serui obediuit uelut emptitius, usq; ad suppliciũ mortis, & potestati regum mundi se subdidit, ut Pilato dicebat, Desuper illi potestatem traditã in se à patre: Eundem Christũ dominum exaltauit eatenus cœlestis pater, ut dederit sibi nomen, quod sit super omne nomen, ut in nomine eius omne genu flectatur, angelorũ, regum & dæmonũ. Omnes enim Chri reges & principes adorant Christum, & gloriam eius eandem cum deo patre agnoscũt. Id autem cedet ad gloriam & maiestatem dei, qui fidelis est & sanctus, qui elegit te, Israëlem scilicet, ut de te nasceretur, uel ut per apostolos Iudæos Euangelium propagaretur: uel ut Christum, ut restitutor fieres & redemptor omnium electorum & speculum beatorum.

8 ¶ Hæc dicit dominus: In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui. Et seruaui te, & dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas.

Verba domini ad Messiam caput & corpus ecclesiæ. Vide In tempore gratiæ & plenitudinis, dũ statuero saluare electos, & congregare filios dei dispersos in regnum tuum, cui promisi gentes in hæreditatem & possessionem tuam terminos terræ, tunc ego te semper exaudiam, & respondebo ad omnia uota tua: & dum saluatem mundo dare inceperis, filius hominis factus ex semine Dauid secundum carnem, tunc te mea diuinitate & omnipotẽtia adiuuabo, ut quæcunq; uelis miracula facias. Seruabo te cõuersantem inter impios, ne quando & quomodo uelint tibi obstrepãt hostes tui, sed ponam te nouum fœdus noui populi, ex gentibus congregande ecclesiæ, & restitutionem hominum uel humani generis, iam ab olim delectis ab innocentia sua in errorum tenebris

tenebras & uitiorum sentinã, inde illud erigam, et hæreditatem meam, humanum genus dissipatum idololatria mihi redimam, et iterum possidere uidebor, dum ut gratissimum peculiũ denuo exornare & plantare incipiam per semen euangelij.

9 ut diceres his qui uincti sunt: Exite, & his qui in tenebris, Reuelamini. Super uias pascentur, & in omnibus excelsis pascua eorum.

Tu inquam Christus meus præcipies, potestate tibi tradita in cœlis, terra, et inferis, uinctis cathenis et carceribus cõcupiscentiarum carnalium, ut exeant de tenebris errorũ & peccatis, ut reuelentur quotquot in profundum recesserant, & præstigijs dæmonorum tenebantur. Volo enim ut tua opera donentur illis pascua salutis, libertatis & securitatis, ut posthac prætereuntes hostes atq; feras non timeant, & sine labore omni in loco salutaribus pascuis nutriantur, si secus uiam, & non in desertis locis, à Christo scilicet, ueritatis cibum quæsierint, qui uia est, & potum uitæ suis administrat.

10 Non esuriẽt, neq; sitient, & nõ percutiet eos æstus & sol: quia miserator eorũ reget eos, & ad fontes aquarum deducet eos.

In regno Christi non esurient neq; sitient, si laborantes & onerati ad eum accesserint: ipse enim reficit suos & omnia eis fit, & prospicit ut se fido pastore ac uigilante saginentur. Nullus æstus aduersitatum, & tentationum procellæ nullæ electis damno erunt, solis calor ingens non eos decolorabit ad perniciem, sed irradiabit ad iucunditatem. Dux enim eorum Messias propitiator & saluator, pastorq; fidelis & bonus, minabit eos ad saluberrima pascua, & uiuos aquarum fontes aperiet, ut salutem & scientiam domini, spiritusq; sancti refrigerium capiant abundeq; potent.

11 Et ponã omnes montes meos in uiam, & semitæ meæ exaltabuntur.

Montes insuperabiles hactenus et ineuincibiles transeuntibus & imperuij, iucundum & facile iter præbebunt transeũtibus. Nullo impedimẽto electi perueniẽt ad Euangelij consolationem, & ad Hierosolymam, urbem fidelium, uerum deum colentium. Non maria, non flumina, non deserta loca, uel quæcunq; locorum intercapedo impediet sanctos à consortio ecclesiastico, sed sola perfidia, & amor sui, quibus Babylonis non Hierosolymæ ciues capti manent. Semitæ meæ cõspicuæ erunt, ut de ueritate salutaris doctrinæ & articulorũ fidei catholicæ nemo cunctetur, nemo non palàm iudicare possit. Aliorum autem semitæ extra uiam Christum propositæ, ut pernicioſæ cauebuntur à fidelibus & pijs.

12 Ecce isti delonge uenient, & ecce illi ab aquilone & mari, & isti de terra australi.

Ecclesia fidelium congregabitur ad Christũ, non tantum ex Iudæis Chananæis, sed ex omnibus gentibus, toto orbe dispersis, ab Aquilone & Austro, Oriente & Occasu, ab extremis mundi regionibus, ex omnibus regnis. Omnes enim uenient ut in sinu Abrahæ recũbant, & ut eiusdem filij de patris tanti honore lætentur: filij autem regni, qui suum tantum cõmodum & honorem quærunt non dei, Iudæi scilicet, foras eijcientur.

13 Laudate cœli & exulta terra, iubilate montes laude: quia consolatus est dominus populum suũ, & pauperum suorum miserebitur.

Exclamatio fidei et certitudinis, quasi iam tũc Esaias cupiat exultare gentes, omnesq; creaturas, de gratia & salute domini, quia uenit. Consolabitur enim dominus salute perfecta, & Euangelio gratiæ & remissionis, omnes electos, qui soli & omnes sunt populus eius, & pauperum spiritu, de seipsis humiliter sentientium, & non propria sed Christi iustitia fidentium, miserebitur.

14 ¶ Et dixit Sion: Dereliquit me dominus, & dominus oblitus est mei.

15 Nunquid obliuiscitur mulier infantem suum, ut nõ misereatur filio uteri sui? Et si oblita fuerit illorum, ego tamen non obliuiscar tui.

Quod si Iudæi, gentium accessionem uidentes, cœperint æstimare id fieri in suam perniciem, metuentes se repelli à regno Christi domini, cum quo fœdus sempiternum pepigerant, dixerint: Ergóne me dominus delebit? num me dereliquit & mei oblitus est dominus? Respondet per prophetam dominus electis ex Israële, ac uerbi dei amatoribus, quales semper in populo extiterunt, tam Heliæ tẽporibus, quàm Petri apostoli, ad cuius prædicationem æque septem milia & amplius Christo accesserunt. Ad hos inquam Israëlitas dicit dominus: Num fieri potest ut obliuioni tradat mater infantem, quem genuit ipsa? de utero suo natum filiũ? Quod si ista per obliuionem filium negligere posit, at ego tui nunquam obliuiscar. Charitate enim perpetua dilexi te, & tandiu tuli, donec ad perfectam tam salutem quàm gloriam in me pertingeres, & promissa benedictio per omnes gentes haberetis & agnoscereris. Electi ex Israele.

16 Ecce, in manibus meis descripsi te: muri tui coram me semper.

De lege sumptum est hoc, in qua præcipiebatur, ut legis præcepta in manibus et fimbrijs præsentia cernerentur, hoc est, ubiq; & in omnibus actionibus prostarent, & intuerẽtur consilijs rebusq; gerendis. Sic ad ungues te scripsi meas, ô Ierusalem, urbs sancta, ciuesq; sancto rum, & domestici dei. Muri tui coram semper cernuntur. Christus est murus et antemurale, protectio & fidutia tua, qui semper astat dexteræ, summus sacerdos seipsum sacrificans, ut nihil timeas. Alioqui ubi sunt muri Ierusalem Palæstinæ, & num tibi Messias murus Iudææ sufficiet? Num omne semen tuum, opidulum illud, si Venetijs compares uel Chayro concludet aliquando? poteris ne pro tot Israëlitis uiuis, taceo resurrecturis iterum urbem extruere coloniæ tantæ? Quid cogitas stolida gens & cæca? Ecclesia deo dilecta.

17 Festinauerunt structores tui destruentes te, & dissipantes à te exibunt.

Festinabunt sine dubio ædificare te illæ extraneæ gentes, et ædes tuas & murũ amplissima reddent, qui te

Ierusalem in toto mũdo.

toties propter deũ tuũ discesserãt & uastauerũt. Vides enim Iudææ nunc intra Hierosolymã celeberrimam urbem, in qua solus deus Abraham colitur, usq; in Indiam & Hispaniã, ab Aethiopia Aegypti usq; ad Norwegiã protensam habitare, & tecũ deum Israël in spiritu & ueritate colere, perfecta fide & deuotione, Romanos & Chaldæos, Græcos & Aegyptios, Tabrabanos & Anglos, eamq; omnes amplexos religionem, quam olim in te uno animo detestabantur & persequebantur.

18 Leua in circumitu oculos tuos & uide, omnes isti congregati sunt, uenerunt tibi. Viuo ego, dicit dominus: quia omnibus his, uelut ornamento uestieris, & circundabis tibi eos quasi sponsa,

Gloria magna patriarcharum.

Ne semper cæca maneas, tuum tantum cõmodum aspiciens, & nescio quale tuum terrestre regnum. Leua potius, attolle & circumfer oculos tuos, & uide, quot hodie Abrahã filios habeat domus Israël, ecclesia dei, qui se illius fidei hæredes, & Christi Messiæ domini cohæredes iactent & gaudeant. Deũ tuũ, ut sacra illa Ruth, ut suum deum habeant & uenerentur: benedictionem seminis tui, ipsis dudum promissam, nunc olim in Christo exhibitam grati suscipiant & gratulentur: interim tuam cæcitatem, contumaciam, perfidiam indolentes, donec illumineris expectant. Vt uerè uiuo, & uitam do omnibus: sic tota illa fidelium & ampla ecclesia tibi cedet in maximũ ornamentũ et decus, illis indueris ueluti sponsa mundo suo. Quæ enim patriarchis, prophetis & apostolis maior gloria accidere potuit, quàm deum suum & fidem suscepta esse ab orbe toto, posthabitis omnibus suis tam dijs quàm ritibus? Quorum memoria sit in benedictionibus, quorum sanctimonia & rerum gestarum gloria per omnium seculorum & terrarum ora uolat iugiter. Hoc si gloriam Iudæi non æstimant, confusione æterna digni erunt.

19 quia deserta tua, & solitudines tuæ & terra ruinæ tuæ nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longè fugabuntur qui absorbebant te.

Pro terra ista tua desolata uastata & perdita, amplissimam totius orbis latitudinẽ complecteris. Longè enim angustior est Iudæa, quàm ut millesimam filiorum tuorum copiam capere sufficiat, inter quos nullus erit eorum qui te deuorauerant. Omnes enim fideliũ tyranni excindentur, & proijciẽtur in tenebras exteriores, & ecclesiæ membris minimè sociabuntur, nisi conuersi ad mentem meliorem.

20 Adhuc dicent in auribus tuis filij sterilitatis tuæ, Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem.

Soboles apostolica.

Veniet tempus, quũ in maxima sterilitate tua, quum pauciβimi fideles in te erũt, apostoli scilicet duodecim, & aliquot pauci apostolorum discipuli, Iudæi nati, clamorem audies propediem, istos in tantam succreuisse sobolem, ut omnis illis locus angustus fiat. Equidem cum gloria & laude augebitur usq; ad fines terræ imperium Messiæ & principũ illius: quotidieq; nascũtur ecclesiæ dei filij, non ex uoluntate carnis, sed puritate fidei, ut nouæ subinde domicilia pro nouis in Christo filijs, quasi nouæ coloniæ prorogari necesse sit.

21 Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? Et ego sterilis, & nõ pariẽs, transmigrata & dimissa, & istos qs enutriuit? Ecce ego destituta & sola: isti unde nam sunt?

Admirabunda dices, ecclesia Israëlis, Quis me donauit tot filijs, cum in extremam orbitatem ceciderim, relegata in exilium, & à domino ueluti repudiata? Quis tot mihi filios aluit & adduxit? Vnde tanta in gentes gratia dei nostri cecidit, ut filij dei per Christum nominentur & existant?

22 Hæc dicit dominus deus: Ecce, leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt.

Responsio admiranti synagogæ à domino: Non tuis meritis, sed gratia uocationis & electionis meæ gentes conuocabo ad signũ quod erigam. Illud signum uerbum prædicationis gratiæ & gloriæ dei, hoc est Euangelij, quod ut fuerit auditũ, & crucifixi trophæum erectum in mundo, nemo tardus accedet ecclesiæ dei, nemo non diligenter incumbet ad filios dei in ecclesiam colligendos, & quibuscunq; modis operam nauabit, quo numero & merito ecclesia augeatur.

23 Et erũt reges nutritij tui, & dominæ eorum lactatrices tuæ. Vultu in terrã demisso adorabũt te, & puluerẽ pedũ tuorũ lingent. Et scies quia ego dñs, super quo non confundentur qui expectant (eum.)

Non parcent sumptibus potentißimi reges, quibus ecclesiæ doctrinã fidei sacræq; canonicæ scripturæ, catholicæq; ueritatis escas parent ecclesiasticis ministris, quo plantetur in fideliũ cordibus amor dei, & religio mundã, errores eliminẽtur, & dei ecclesia doctrina & operibus sanctis imbuatur ad gloriam dei, & sacram memoriam patrum antiquorũ ueteris testamenti, qui in gloria maiori hodie sunt apud gentes quàm Iudæos. Vultu prono in terrã, id est, humilimè adorabunt gratiam dei: ex Iudæis promanatam ad gentes per Euangeliũ dei, & quibuscunq; modis & ritibus testari cupient gratitudinẽ, pro agnitione ueritatis donatam à domino. Hæc cum fieri olim cõspexeris, certò intelliges, me cum deum & solum esse qui futura prænoscit, & summum esse bonum, quod non à paucis sed multis uelit participari & frui. In quod qui sperauerit tota fide minimè confundetur, utcunq; obuoluatur miserijs spiritualibus uel temporalibus. Vult enim dominus fidem, & dat gratiam.

24 ¶ Nunquid tolletur à forti, præda? aut quod captum fuerit à iusto, saluum esse poterit?

25 Quia hæc dicit dñs: Equidem captiuitas à forti tolletur, & quod ablatũ fuerit robusto, saluabit. Eos uerò qui iudicauerũt te, ego iudicabo, & filios tuos ego saluabo.

Ego

Deo fideli credendū.

Ego dominus robuſtus ſum, & uidebor hominibus, dum electos filios meos mihi ſyncera fide adhærētes ſic eximam ab omnibus malis, ut eripere mihi meos nemo audeat uel poſſit, nec retinere, ſi quos mihi rapere & ſociare uoluero meæ familiæ. Ego tuebor fideliū meorū cauſas contra aduerſarios. Meam putabo cauſam tuam, ut uindicem te ab iniuriatoribus omnibus & hoſtibus tuis, filiorumq; tuorū, quos meos putabo ut ſunt, & per me ſaluabuntur. Sic loquitur deus fidelibus, præſtatq; continuò quod promiſit, tantū ut illius bonitati & ueritati fidatur per omnia, quo & maximè colitur, & promeretur ipſius beneficentia.

26 Et cibabo hoſtes tuos carnibus ſuis, & quaſi muſto, ſanguine ſuo inebriabūtur. Et ſciet omnis caro quia ego dñs ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.

Iuſtitia dei pro fidelib.

Non ſolum te tuosq; protegam & fouebo clementer, ſed etiam ſeuerè animaduertam in perſequutores tuos, impios fidelium oppreſſores, filiorū meorū homicidas, ut uindictā acerbiore puniri non poſſint, & ad extremas angustias & horribilia fata prolabātur: ut omnibus clara fiat portētoſa ipſorum impietas, cum uiſi fuerint duriſſima morte finiri. Veluti ſi quis ob famem proprijs ueſci cogatur carnibus, & ſanguine ſuo ſitim extinguere. Tale erit iudicium eorum qui filios & fideles eccleſiæ, electos meos improbè tractauerunt, & crudeliter, propter nomen meū & ueritatis profeßionem. Publicum erit hoc iudicium, ut omnis caro uidcat me dominum eſſe uniuerſorū, qui pios tucor, impios occido, qui redimo fideles, & perſequutores ipſorum tracto pro meritis, potentesq; potēter proſterno, & conculco horribiliter, ut cæteri timeant.

¶ CAPVT L.

1 HAec dicit dominus: Quis eſt hic liber repudij matris ueſtræ, quo dimiſi eam? Aut quis eſt creditor meus, cui uendidi uos? Ecce in iniquitatibus ueſtris uenditi eſtis, & in ſceleribus ueſtris dimiſſa eſt mater ueſtra.

Christus uerus homo.

Simplicius iſta explicari & intelligi non poſſe uidetur, quàm ſi Meſſiam Chriſtum dominum, uerum hominem, ut dolere poſſit & percuti, & uerum deum, cuius diuina uirtute miracula fecit, excedētia omnē creatam uirtutem, hic loquentem audiamus ad Iudæos ſuos, ſibi Chriſto euangelizanti, & patri ſuo omnipotenti, tot beneficia iſtis impendenti, perpetuò obſtrepentes, abijcientes, negantes, blaſphemantes, non tamen ueriti calumniari dei bonitatem, quæ eos abiecit uiciſſim & repudiauit, quaſi id indignè patiantur à domino. Dicit igitur Chriſtus dominus: Vbi eſt is libellus repudij quo conquerimini uos olim dilectam gentem & uelut ſponſam domino charam, nunc indignè dato repudij libello abiectam & repudiatam & perpetua captiuitate exulem, quaſi ego gentem illam meam abiecerim? Aut quis eſt fœnerator ille cui uos in ſeruos uendidi? Cui ego præcepi ut tam miſerè tractāret gentem iſtam meam? Quaſi dicat: Non ego cauſam dedi repudij illius, non

uoluntate mea uenditi eſtis gentibus, & diſperſi in Medos, Perſas, Babylonios, Græcos, Romanos. Ecce, ſi ſcire uultis repudij & ſeruitutis cauſas, peccata ipſa ueſtra grauia & perpetua uendiderunt uos hoſtibus ueſtris, & propter frequentes & abominandas ſcortationes ueſtras cum dijs alienis repudiati eſtis, & dimiſſi in exilium.

2 Quare ueni, & nō erat uir: uocaui & non erat qui reſpōderet. Nunqd abbreuiata & paruula facta eſt manus mea, ut nō poſſim redimere? aut non eſt in me uirtus ad liberandum? Ecce, in increpatione mea deſertum faciā mare, ponā flumina in ficcum. Computreſcent piſces eorum ſine aqua, & morientur in ſiti.

3 Induam cœlos tenebris, & ſaccū ponam operimentum eorum.

Chriſtū ſuā dæi contemnentes.

Cur enim commiſiſtis uos ô Iudæi, ut ueniente me & pœnitentiam prædicante, reditumq; ad legem dei ueſtri, & ueram pietatem, qua deus colitur, nemo fuerit qui accederet, qui quicquam emendaret, reuerteretur ab iniquitate & hypocriſi. Vocabam enim uos ad dominum, ad meliorem uitam: ſed nequicquam, nemo reſpondit, acquieuit Euangelizanti mihi nemo ex uobis. Num non oſtendebam factis ueritatem doctrinæ meæ quam exponebam uerbis? Nónne faciebam ſigna, quæ nemo alius unquam fecit? Num abbreuiatam uidiſtis manum meam, ut laborantes quacunq; infirmitate & miſeria uel peccatis, imò & mortuos redimere & ſanare non potuerim? Num abijt quiſquam infirmus, qui patrociniū meū implorauerit uanè? Cum ipſi uideritis ad increpationem & iuſſum meum mare conquieuiſſe & cōſtitiſſe, eandem uirtutem expertū, qua olim Moſis uirga percuſſum ſiccatum fuit mare rubrum, & Iordanis fluenta. Similia ſiquidem & maiora miracula uidiſtis: aquam uerſam in uinum, mortuos ſuſcitatos, leproſos mundatos ſubitò, cæcos à natiuitate illuminatos, ſolem in morte mea obfuſcatū, uentis imperatum, terram ſciſſam, ſpiritum ſanctum miſſum, gratiam ſanitatum diſcipulis quoq; donatam: & huiuſmodi multa. Sed idem exhibuiſtis mihi quod & patri meo. Cuius magnalia quæ per me uerbū ſuum patribus ueſtris perfecit, omnia irriſiſtis & nihili pendidiſtis: mare ſiccando, ad quod conſequi poterat piſcium occaſus, & exitiū aqua deſtitutorum: & aërem quoque nebulis & caligine obducendo. Hæc ut tum faciebam ut angelus, nunc maiora facientem ut hominem blaſphematis, & ut dæmoniacū & arreptitium accuſaſtis.

4 ¶ Dominus deus dedit mihi linguā eruditam, ut ſciā ſuſtentare eum qui laſſus eſt, uerbo. Eriget mane, mane eriget mihi aurem, ut audiam quaſi magiſtrum.

Competunt hæc uerba prophetæ aliquouſq;: ſed clarius & magis propriè Chriſto domino. Dominus deus: mihi iuxta humanitatem ſeruo, qui ſecundum diuinam naturam ſum filius à patre natus, ſemper dedit, ut eruditè, clarè, ut ante me nemo ſic loqui potuerit, teſtibus

Prædicatio Christi.

etiam uestris, qui me comprehendendum obseruabant uestra machinatione, in tempore & tempestiuè loquebar cum lasso, desiderante audire uerbum domini, ut quotquot audirent me, allicerẽtur me sequi per regiones, conuallia & maria, usque etiam ad cruces & mortem. Ipse dominus mane, & mane aurem suscitauit mihi, id est admodũ familiariter reuelauit mihi pater, quæ uobis prædicarem audita à patre, nota facerem uobis: ut solent præceptores docere discipulos, sic audita à patre eloquutus sum.

5 Dominus deus aperuit mihi aurem, ego autẽ non cõtradico, retrorsum non abij.

6 Corpus meũ dedi percutientibus, & genas meas uellentibus. Faciem meam non abscondi à contumeliantibus sputo.

Passio Christi.

Docuit itaque me dominus Christum hominem, pater cœlestis, quid loquar & operer cum populo Iudaico. Ego autem patri factus sum obediens usque ad flagella, crucem & mortem, nihil cunctatus, non contradicens, non retrocedens, sed sponte hostibus obuius factus & comprehensoribus. Nõ subtraxi tergũ meum percutientibus, & dirè flagellantibus, non restiti ut potuissem facillimè, non abscessi per medium illorum, ut prius, non auerti genas meas à uellicantibus barbam, alapis percutientibus & conspuentibus in faciem cum insigni crudelitate iniuria.

7 Dominus deus auxiliator meus erit, ideo non sum confusus: ideo posui faciẽ meam ut petram durissimam, & scio quoniam non confundar.

Christi resurrectio.

Dominus deus pater auxilio mihi fuit, è mortis faucibus eripiendo, & resuscitãdo triduanum mortuum, ut non confunderetur doctrina & opus quod egeram: ne semper dicerẽt, Alios saluos fecit, seipsum saluare nõ potest: mortuos suscitauit, ipse uerò uinculis mortis constringitur, ut Helisæus. Posui itaque faciem meam, ut silicem indurãdo, quo minus uincar horrore mortis, uerborum tunsione, & crucifigentium clauis. Scio enim me minimè confundendum, non derelinquendam animam meam in inferno, nec corpus meum uisurum corruptionem, sed die tertio, ut alterũ Ionam resurrecturum à mortuis, etiam si ad modicũ tempus dereliquerit me dominus cruci affixum.

8 Iuxta est qui iustificat me, quis contradicet mihi? stemus simul, qs est aduersarius meus? accedat ad me.

Innocentia Christi

Adest mihi, mecum & in me est pater, cuius ego uoluntatem facio semper, qui me non reliquit solum, qui iustificat causam meam, & iustitiam meam amplectitur pro iustitia generis humani, quam obligatur quidem, sed non potest reddere. Qui ergo ea iustitia donabitur, quomodo poterit condemnari? Pro quo deus pater filium suum in mortem tradidit, quid illi negare potest? Nemo cõuincet me de peccato, nemo corrixabitur, qui pius sum & humilis corde, docens in bono uincere malum. Stemus simul, si quis arguere me uelit aliquo pro peccato crucifixum, uel me offendisse in uerbo. Si quid malè locutum me dixerit quispiam, testimonium perhibeat de malo. Si traxerint ad iudices, si accusauerint ad pontifices, conuenientia non erunt testimonia eorum. Etiam si in cruce occiderint, testabuntur me iustum fuisse. Si sub testibus mortuum & sepultum custodierint, sentient me resurrexisse. Suo ergo malo damnatum me uolent impij: iudicium iustum sentient disperdendi, qui iustum disperdere curauerunt: & sanguinem super se ferre, & filios, qui innoxium ac sacrosanctum sanguinem effundere decreuerunt.

9 Ecce dñs deus, auxiliator meus: quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi uestimentũ cõterentur, tinea comedet eos.

Clarè ergo patuit dominus auxilator meus, ideo nemo me damnare audebit: sed quicunque id tentauerint, & morte mea sibi consultum uoluerint, turpiter cõfundentur, & ut uestimentum uetescent, ac tinea corrodentur. Confusio illorũ in dies & annos, non tantũ quadraginta duos, sed deinde per mille quingẽtos, & nondum apparet finis, augebitur, miseria semper crescet, & conscientiæ eorum uermis minimè morietur.

10 Quis ex uobis timens dominũ, audiens uocẽ serui sui, qui ambulauit in tenebris, & non est lumen ei? speret in nomine domini, & innitatur super deum suum.

Si quis ergo in uobis etiam exulibus Iudæis timet dominum, & ab idololatria & crimimibus alijs abhorruerit, deum suum reueritus, audiat uocẽ euangelij domini Iesu Christi, uerè secundũ humanitatem serui seruorum dei, pro quibus extremum seruiuit seruitium, usque ad ignominiosissimũ crucis supplicium: eius uocem audiat, & illuminabitur statim, & cæcitatem discutiet, qui fuerat in tenebris ignorantiæ & nebula carnalis sensus miserè oculis captus, ut Moses splendorẽ ex facie uidere non potuerit, audiens autẽ & obediẽs euangelio, lucei lucebit fidei, & doctrinæ sacræ. In nomine domini fiduciam inuenet qui cõscientiæ suæ peccata uerebatur. Nitetur domino, quem propria iustitia non suffulcit.

11 Ecce uos omnes accendentes ignem accincti flammis: ambulate in lumine ignis uestri, & in flammis quas succendistis, de manu mea factum est hoc uobis, in doloribus dormietis.

Non ergo perditionis exilij, & repudij uestri causam ego præbui, qui pactum semper seruaui: sed uestra improbitas, rebellio, cõtumacia, & impietas eò uos abduxit, ut ignem tantæ ultionis accẽderitis, ideoq; iustè per manum meam factum est ut ardeatis. Vos fidem toties fregistis, fide mea indigni, iniquitate uestra beneficium blasphemastis, tempus uisitationis uestræ toties admonuti contempsistis, sanguinem uobis impositum, iustum scienter occidistis, nec dum pœnitet, nec displicet: ideo uos perditionis uestræ causa estis, non ego. Ego iustè improbos abieci. Vos tantæ impietatis uestræ excusationẽ nullam unquã inuenietis. Salui autẽ eritis, si cõuersi fueritis ad pastorẽ animarũ uestrarũ, si agnoueritis in pœnitentia, quem abiecistis in culpa, si Messiæ gloriam illi dignam

dignam in spiritu & ueritate adoraueritis, non corporale & corruptibile regnum illius quæsieritis

¶ CAPVT LI.

1 AVdite me qui sequimini quod iustũ est, & quæritis dominũ: attendite ad petram unde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis.

2 Attendite ad Abrahã patrẽ uestrũ, & ad Saram quæ peperit uos: quia unũ uocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum.

Pergit obiurgare Iudæorum perfidiam, reducere eq; ad unum deum. Si itaq; ex tãtis uos malis explicare uolueritis, & populus domini perseuerare, sectamini iustitiã, legẽ domini obseruate, inquirite de illius uoluntate conseruandã, & fiduciã habete in ipsius bonitatẽ, totos uos deo uestro cõmittite, ad exemplũ pijssimi patris uestri Abrahæ, qui fide & obedientia deo placuit, qui pro deo quicquid precio sum habebat, parentes, patriã, fratres, filium, & omnia dimittere potuit: solidissima petra fidei, & lacus aquæ uiuæ cognitionis dei: ex ea petra fidei excisos uos meminisse oportet, ut simili fide domino probemini: & puteos aquarũ pietatis opera exhibete, ut legitimi filij Abrahæ & Saræ sitis. Quum ipsum uocarem, unus erat, sine filijs, senex, & nihil possidens in terra, nec ad passum pedis. Quia uerò totum se mihi credidit, & omnia temporalia mihi posthabuit, uerbo meo statim obsecutus est, alienos deos reiecit: uni mihi adhæsit: ideo benedixi ei in omnibus, in filijs, seruis, familia, diuitijs, honore, & longæuitate, & multiplicaui semen eius ut harenam maris, diuitijs & possessione locupletaui uiuentem & posteros. Sic tracto amicos.

Abrahæ iustitia.

3 Consolabitur enim dominus Sion, consolabitur oẽs ruinas eius, & ponet desertũ eius quasi delitias, & solitudinẽ eius quasi hortũ domini. Gaudiũ & lætitia inuenietur in ea: gratiarum actio, & uox laudis.

Sic consolabitur dominus ciuitatem fidelium, benedicet & augebit, ut qui nunc estis pauci & pauperes, si domino ut Abraham adhæseritis fide & obedientia, augebit uos numero et merito, ruinas instaurabit, penuriã locupletabit, gloria & uirtute condecorabit. Quum enim nunc uideatur deserta & humilis, fauore dei amplissimam reddet, & omnium bonorum affluentia felicem. Et quæ nunc spernitur & ridetur conculcata & oppressa, propediem conuersa ad dominum, gloriosior erit, & fidei uirtutisq; speculũ & exemplar. Gaudium synceræ conscientiæ, & lætitia bonorum operum habitabunt in ecclesia, gratiarum actio de beneficiorũ abundantia, & uox laudis concordantium in laude domini, & pariter confitentiũ domino, & cum securitate domino adhærentium.

Ecclesiæ cõsolatio.

4 Attendite ad me populo meus, & tribus mea me audite: quia lex à me exiet, & iudicium meũ in lucem populorũ requiescet.

Ecclesiam fidelium alloquitur, modumq; salutis futuræ exponit, datione nouæ legis, non iam in monte Sinai, sed Sion, unde exibit lex, & uerbũ domini de Ierusalẽ, in gentes. Ad me igitur respice, & populus nouus, & gentes uniuersæ auscultate cordibus, ad spiritualem legem fidei & charitatis. Lex enim exibit in futurũ, lex Christi, Messiæ Euangeliũ, & iudicia, moresq; noui diuini cultus, non hic & alibi in templis, sed in spiritu & ueritate colendi: ad illuminãdas omnes gentes festinare faciam, ut subitò in angulos mundi dißeminetur.

Lex Christi Ecclesiæ

5 Prope est iustitia mea, egressa est salus mea, & brachia mea populos iudicabunt. Me insulæ expectabunt, & brachiũ meum sustinebunt.

Non in multa secula, non post duo millia annorum, ut Iudæi hodie expectant à tempore Esaiæ: sed secundum Haggeum adhuc unũ modicũ. Iustitia mea & salus mea exibit, quæ nihil aliud significare potest, quàm Messiã Iesum Christum, qui est electorum omnium iustitia, qua saluantur. Et brachio fortitudinis meæ idola omniũ gentium iudicabuntur, & impij tyranni oppressores Euangelij. Tunc insulæ & remotissimæ quæq; gentes, sperata salutem assequentur, & in fortitudinem meam non suum robur, sperabũt: non proprijs meritis, sed Christi iustitia se saluandas sperabunt.

Christus nõ procul erat Iudæis.

6 Leuate in cœlũ oculos uestros, & uidete ad terram deorsum: quia cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut uestimentum antiquabitur, & habitatores eius sicut hæc interibunt. Salus autẽ mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet.

Siue cœlum aspiciatis, siue terram despiciatis, omnia citius & facilius deficient uel deterẽtur, quàm uerbum meum & ueritas: Et nihilominus renouabũtur omnia, in cœlis gloria canetur ascẽdenti cum corpore Christo, & nouo spectro beatis animis apparente, & in terra pax conscientiæ & claritas ueritatis & pietatis augebitur & splendescet. Salus domini, uirtus, potentia, gratia, Christus, & iustitia domini nunquam interibunt. Regnum enim Christi fine carebit. Salus fidelium non cessabit, quantumlibet multis aduersitatibus continuò in hoc seculo perturbetur.

Regnum Christi.

7 ¶ Audite me qui scitis iustitiã, populus meus lex mea in corde eorũ. Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis.

Iudæi opera magnificãt, & carnales ceremonias æmulantur. Populus hic nouus agnitores & approbatores iustitiæ dicuntur, & erunt, eius qua Abraham domino credendo, non ex operibus iustificatus est, licet sanctis operibus semper insteterit, ut sancti omnes. Lex deniq; noua, lex mea, non in lapidibus exarata, quæ dudum perierunt, nõ tamen lex perdita est, pro quanto spiritualis est, sed in corde per spiritũ sanctum scribenda est charitate diffusa in cordibus. Hic nouus populus, & lex ista spiritualis, multas patietur calumnias à gentibus, pro idolis suis militantibus, & grassantibus in mortes piorum, à Iudæis quoq; pertinaciter resistentibus ueritati, & spirituali æternoq; Christi domini regno sine cessa-

Populus nouus, lex noua.

tione hactenus detrahẽtibus, uolentes temporaliter re-
gnare in hoc mũdo. A talibus opprobrijs & cõtumelijs
fideles minimè pauent uel mouentur.

8 Sicut enim uestimentũ, sic comedet eos uermis, & sicut lanã deuorabit eos tinea: Iustitia autem mea in sempiternũ erit, & salus mea in generationẽ generationum.

Tam gentium abominatio quàm Iudæorũ superstitio
cessabunt, & ueluti uestis antiqua & lignũ putridum
absumẽtur facillimè destituti omni robore ueritatis, ut
Iustitia dei sempiterna. *lana. Iustitia aũt mea, quæ Christus est, & fides in unũ*
deum, & lex charitatis subsistet semper & antiquabi-
tur nunquã, & salus mea Christus permanet coram me
sine fine, propitiator & placator fidelium.

9 ¶Cõsurge, cõsurge, induere fortitudinẽ brachium domini: consurge ficut in diebus antiquis, in generationibus seculorũ. Nunquid non tu percussisti superbũ, uulnerasti draconem?

10 Nũquid non tu siccasti mare aquã abyssi uehementis? qui posuisti profundũ maris uiam, ut transirent liberati?

11 Et (*nunc*) qui redempti sunt à domino, reuertentur, & uenient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus.

Oratio fidelium pro Christo uenturo. *Noua oratio est, qua propheta & omnes iusti domi-*
num orant, ut mũdi redemptionẽ promissam per Euan-
gelium, & errorum eliminationẽ non differat, sed bra-
chio uirtutis diuinæ, & uerbo suo quo omnia modera-
tur succurrat fidelibus in mũdo, propter pietatẽ grauia
semper patientibus, & contra spirituales nequitias, &
principes tenebrarũ harum continua bella gerentibus.
Excitare dicit citò & potenter, ô brachiũ domini, &
robur tuum magnificũ pro nouo tuo populo excita, ut
olim consueuisti pro primo, cum de Aegypto eximeres
eum ante multa secula: tunc cum excinderes & cum-
ceres superbiam Aegyptiorum, & draconis Pharaonis
illi præsidentis: quando exiccabas mare rubrũ & illius
abyssos & profunda permeabiles faciebas transeunti-
bus & redemptis Hebræis, ut redempti per dominum
redirent ad promissam terram hæreditatis suæ ad Zion
cum exultatione & lætitia sempiterna, in qua perpetuò
habitarent cum gaudio & pace. Vel ut aliquãdo eccle-
sia dei à persecutionibus liberata, ut olim, in pace &
tranquillitate domino seruiat, cultum illi dignum cum
serena cõscientia deferat in hac uita & in futura, cum
omnis aberit infelicitas, sed gaudiũ perfectum in summis
bonis. Tale desiderium est electis perpetuũ, & depre-
catio ad honorem dei amplificandũ, ut fugiat dolor con-
scientiæ, & gemitus calamitatum huius uitæ.

12 ¶Ego egoipse cõsolabor uos, quis tu ut timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui in fœnum traduntur?

Orationi responsio. *Orationi fidelium respondet dominus, promittens se*
consolaturum per seipsum & præsentia sua propria, fi-

deles in omnibus aduersis de hostium tyrannide & pec-
catis. Dicit itaque: Quid tu, ô fidelis anima, uel eccle-
sia tota Christi, timeas à tyrannis, qui homines mortales
cum sint à me immortali nullo labore uel negotio oppri-
muntur, uti fœnum subitò resecatur & aresci?

13 & oblitus es domini factoris tui, qui tetendit cœlos, & fundauit terram, & formidasti iugiter tota die à facie furoris eius qui te tribulabat, & parauerat ad perdendum. Vbi nunc est furor tribulantis?

Num obliuisci debuisti domini dei tui, qui nõ ut idola
prisca quæ nihil possunt boni uel mali, sed mundi totius
machinam condidit, cõseruat & regit. Illum timere de-
bes semper, ab illius offensa summopere cauere qui po-
testatem habet quũ occiderit etiã abijcere in gehennã.
Quod si dixeris, Vbi nunc est furor domini in eos qui
tantopere pios opprimunt, & diuexare non desinunt,
quandiu differtur iustum iudiciũ tuum in illos? Respon-
det dominus per prophetam.

14 Citò ueniet discurrens ad aperiendũ, & non interficiet usque ad internecionẽ, nec deficiet panis eius.

Citò aderit iudicium impiorũ: festinat enim & acce-
lerat dominus, ut aperiat & ostendat qui sint eius. Non
deficiet cõtra suos hostes, cõtra tyrannos præliũ iniens,
non offendetur, non occidetur, non ei nec robur deerit,
nec comeatus, nullo negotio uel labore hostes opprimet
fidelium suorum: quin liberabit & consolabitur citò
dominus seruos suos.

15 Ego autem sum dominus deus tuus, qui cõturbo mare, & intumescũt fluctus eius, Dominus exercituum nomen eius.

16 Posui uerba mea in ore tuo, & in umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos, & fundes terram, & dicas ad Sion: Populus meus es tu.

Aduersitates huius mundi permitto electis meis, non
ea ratione quod prævenire nequeam, uel odiam filios
meos, cum ego dominus deus tuus sim omnipotens, qui
pro uoto mare perturbo, fluctibus ipsius domuor, &
dominus exercituum uerè dicor. Nec deesse possum fi-
lijs meis, quos, ut aquila filios suos, protego & paſco,
doceo & uindico. Posui enim uerba mea in os tuum, ut
patientia & cõsolatione eorum spem habeas, noueris q;
quomodo aduersis utaris in tribulatione gaudendo. Et
potentiæ meæ umbra protego, ne succumbant pij, un-
cantur, pereãt: ut nouos mihi cœlos condam, in quibus
habitem, & templa formem spiritui meo: ut fundetur
terra noua, nouum creetur seculum, noui homines, noui
cœlorũ ciues, et terræ promissæ hæredes, filij gratiæ &
salutis, ecclesia noua, quæ dicatur & sit populus meus,
ciues Hierosolymæ spiritualis. Quæ omnia Iudæi pro se
capere non possunt.

17 ¶Expergiscere, expergiscere, consurge Ierusalem, quæ bibisti de manu domini calicem iræ eius: usq; ad fundũ calicis soporis bibisti, & potasti usq; ad feces.

Ad

Ad Hierosolymam Iudaicam loquitur propheta, quæ Christum crucifixit, apostolos occidit, & prophetas audire renuit, spreuit legem domini. Iubetur enim expergiscere, & cõuerti ad meliora, surgere à perfidia & crudelitate, odio & ira in sanctos domini. Alioqui sic illi usu ueniet, quod & Christus prædixit: Bibisti enim, hoc est, bibes, calicem timoris domini, ultionẽ diuinam feres horribili uastatione finienda, ut maiore nõ possis: totum enim furorem meũ ebibes & amarissimũ potum, quo sopore obruaris, ut nescias quid agas, captis oĩbus sensibus, ut nõ nisi ab alijs duci admoneri & cõsolari possis.

18 Nõ est qui dirigat eam ex omnibus filijs quos genuit: & nõ est qui apprehẽdat manum eius ex omnibus filijs ꝗs enutriuit.

Nemo tamen aderit tibi nec accurret qui te soporiferam & ebriã à furore, quasi apprehensam manu deducat ex omnibus filijs tuis, quos educasti. Nemo iuuabit, sustentabit miserrimã illam gentẽ, nec in tantis suis calamitatibus succurret ei: gaudebunt potius omnes de illius exterminio, mutuũ iuuabunt ad uastãdum Iudæos, Christi crucifixores, etiam qui Christo non credent.

19 Duo sunt quæ occurrerũt tibi: quis contristabitur super te? uastitas & cõtritio, & fames, & gladius, quis consolabitur te?

Duo Iudæo rum mala.

Ista duo sunt, excæcatio sensus, & destitutio omnis auxilij & cõmiserationis, quibus usq; modo laborant infideles domino, & exosi hominibus. Et cum hæc illis occurrerint, nemo tamẽ cõtristatur, nemo deflet, nemo succurrit. Experti sunt enim ultimo omnia mala, eaq; non parua sed maxima, ut nulla unquã gens alia, si Iosepho credimus. Vastitas urbis, templi, & hominum pestis, fames & gladius, singula sufficissent, sed omnia pariter irruerũt in Ierusalem: & interea nemo propheta, nemo sanctus, saluator nullus cõsolatur, nulla gens condolet, & nemo non irridet hactenus Iudæos irreuocabiles.

20 Filij tui defecerunt, dormierunt in capite omniũ uiarũ, sicut oryx illaqueatus: pleni indignatione dñi, increpatione dei tui.

Ciues Iudæi & Hierosolymæ conculcati sunt, occisi, & uehemẽter territi. Defecerũt præ magnitudine mali. Dormierũt somnum mortis & sempiternũ, prostrati in capitibus omniũ platearũ: non secus ac dũ feralis aliqua bestia & crudelis illaqueata, occisa cecidit, omniũ plausu & gaudio. Saturati sunt enim & impleti furore dñi, quo iratus est dominus deus tuus, quem offendisti, blasphemando uerbũ dei, quod ad te missum est, filium dei crucifigendo inter latrones, quem iustũ & uerũ nescire non poteras, apostolos occidendo, quorum miracula & doctrinas æquè non poteras inficiari.

21 Iccirco audi hoc paupcula, & ebria non à uino.

22 ¶ Hæc dicit dominator tuus, dominus & deus tuus q̃ pugnabit pro populo suo, Ecce tuli de manu tua calicẽ soporis, fundum calicis indignationis meæ: non adijcies ut bibas illum ultrà.

23 Et ponã illũ in manu eorũ qui te humiliauerũt, & dixerũt animę tuæ, Incuruare, ut transeamus: & posuisti ut terrã corpus tuum, & quasi plateam transeuntibus.

Tu itaq; miserrima Iudæa audi si uis saluari à tantis malis, & post stragem tuam ultimã. Audi, ô ebria odio, liuore, superbia, ignorãtia, perfidia, non uino: siti enim & fame morieris, & omni consolatione & uini lætitia expers eris. Sic loquitur dominus tuus, & deus tuus qui uindicat populũ suum sibi toto corde credentẽ & adhærentem, qualis tu præter pauca tempora nunquã fuisti: Ecce accipiã calicem perditionis tuæ, quo inebriata es, & feces reliquas post potũ tuũ, graue & durũ iudiciũ meum cõtra impios, quale tu postea nullum senties neq; bibes similẽ calicẽ: ponamq; uindictas impiorũ, qui cum idola colant, pios quos possunt atroci mente opprimũt & uastant, in manũ ipsorũ, qui te afflixerũt, in Romanos, & in hostes fideliũ, qui ad tyrannidẽ crudelissimã exercendũ omnes sibi prosternũt, dominiũ uindicãt, & imperiose persequũtur sanctos & occidũt: non cõtenti adorari & coli ab oppressis, nisi etiã terræ prosternantur, & pedibus tyrannorũ se calcari præbeãt transeuntibus. Hi ergo tales & tam superbi, crudelesq; sanctorũ interfectores, iudiciũ meum sentient, & similẽ quam tu calicẽ furoris ebibent. Potest & referri ad ecclesiæ consolationẽ, quæ ob fidẽ & iustitiã multa passa est ab infidelibus tyrannis semper, cuius tandem causa à deo assumitur cõtra hostes ecclesiæ & pietatis, cõtra tyrãnos, qui putãt sibi licere omnia cõtra sanctos. Illis calix calamitatum ebibendus à domino proponetur.

Iudiciũ dei in impios.

¶ CAPVT LII.

1 Consurge, cõsurge, induere fortitudine tua Sion, induere uestimentis gloriæ tuæ Ierusalem ciuitas sancti, quia non adijciet ultrà ut pertranseat per te incircuncisus & immundus.

Hebræis quoq; hic aliud capitulũ annotatur, cum uideri possit nouum argumentũ, ut post synagogam tam turpiter tractatã promeritis, & idololatria damnata, Christi ecclesia lætum Euangeliũ audiat, & de glorioso statu fidei, charitatis, ueritatis et gratiæ in præsenti & futuro seculo sibi gratuletur. Ad eam dominus per prophetam loqtur: Exurge, exurge, ô speciosa ècclesia dei ex gentibus & Iudæis fideliũ, animæquior esto, & optimè spera, quantumlibet in tuo exordio multis subiecta oppressaq; angustijs, ut ubiq; cõculcaretur, et obsequiũ se deo præstare putarenttur, qui fideles occiderent: nihilominus cõsurge, & prosperè procede, & regna, induere uestes honorificas, cõtinuò decor tuus magis splendescat, & uirtus probata crescat. Vt qui te ab initio, ut Paulus & Cõstantinus persequebãtur, successu honestatis tuæ adaucto propugnent, glorificent & deament. Ierusalem autẽ dicitur, ubi cultus ueri dei, ubi fideles & filij dei ciues sunt, desyderatissima patria piorũ, perpetuò exosa impijs, ædito loco uirtutum constituta, uisio pacis, ex uiuis & pretiosis lapidibus constructa, ciuitas sancti, quæ & sanctificatur per gratiam, & dominum

Consolatio ecclesiæ.

Hierosolyma duplex.

fide & obedientia sanctificat. Per eam Ierusalem, non ut antea in Syriaca Hierosolyma transibunt immundi, perfidi, incircuncisi corde, terrena amantes, idola colentes, prophetas occidentes, uerbũ domini blasphemantes. Non eam inhabitabunt hostes sanctorũ Iebusæi, contra præceptum dei. Idololatra nullus, fornicator & immundus, regnum dei nõ possident. De ecclesia dei, etiã si uideantur, non sunt, nec impunè patiuntur intra eam publicè criminosi, sed docentur pœnitentiã, ut iam non sint impij, sed deum timentes, & iustitiam amantes: tales sunt ciues ecclesiæ, etiamsi peccent, non amissa fide, quæ purificat accedentes Christo.

2 Excutere de puluere, consurge, sede Ierusalem. Solue uincula colli tui captiua filia Sion.

Si quid puluerũ humanæ conuersationis affectuumq; te asperserit (sine peccato enim in hac uita fideles non uiuunt) & si gentiliũ errorũ ac rituũ adhuc excrementis fœdaris, excute te ab illis per uerbũ domini, per eruditionem sacram, per amorẽ gratificandi deo, colendiq; eum, nõ humanis traditionibus, sed ad instituta diuina, sine quæstu, fastu, luxu, & similibus, quibus domino minimè seruitur, sed in spiritu & ueritate. Surge de pristina cõuersatione & ritibus idolorũ, sede ut quiescas, & contempleris bonitatẽ dei, qui te uocauit in admirabile lumen suũ, Ierusalem noua & sancta. Explica de uinculis collum tuũ, ut non trahas iugũ ultra cum impijs, non tibi placeant quæ domino non placent. Egredere captiuitatem pristinã uitiorũ, & dæmonũ sacrilegia, ne tibi ultra illudant, & dicant, Incuruare, ut trãseamus, &c. Non seruias peccatis & carni, sed deo & spiritui.

3 ¶Quia hæc dicit dñs, Gratis uenundati estis, & sine argento redimemini.

4 Quia hæc dicit dominus deus, In Aegyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi: & Assur absq; ulla causa calumniatus est eum.

5 Et nunc quid mihi est hic, dicit dominꝰ: quoniã ablatus est populus meus gratis? Dominatores eius ad eiulandũ prouocãt, dicit Dominus: & iugiter tota die nomen meum blasphematur.

Gratis & sine demeritis, non propter peccata quæ fecissent primi Israëlitæ sustinuerũt captiuitatem & seruitutem Aegyptiacã. Licet enim Ioseph uẽdidissent, id illis indulserat, antequã se reuelaret fratribus, nec aliud peccatũ legitur ob quod subiugarẽtur ab Aegyptijs, sed quia augerẽtur prole gratia domini. Ideo & gratis redempti sunt à domino, nihil reddito illis Aegyptijs, sed perditis illis in rebus pretiosis primũm, ad mandatum domini ablatis, deinde etiã corporibus ademptis, & uita in mari Rubro. Sic ergo sine argento redempti sunt. Deinde etiã Assur causam nõ habuit calumniandi, cum æqualibus criminibus Assyrij tenerentur, propter quæ Israëlitæ & Iudæi adducti sunt in captiuitatẽ Assyriorum ac Chaldæorũ. Cum itaq; populus meus improborũ contumacia & malignitate captiuus haberetur, & crudelius quàm ut mihi placeret tenerẽtur oppressi, nõ tam ob ipsorum demerita quàm ob blasphemiam mei nominis, quod oderunt idololatræ.

Seruitus Israelitarum.

6 Propter hoc sciet populus meus nomen meũ: ideo in die illa ego ipse qui loquebar, Ecce adsum.

Ostendam ergo ipse, quis uerè sit populus meus, & Nomen in quo mihi dignè seruiatur, quibus modis nomini meo cultus legitimus exhibeatur cultus. In Aegypto luto et latere, in Iudæa sacrificijs & ferijs seruiebãt: nunc illis ostendam gloriã nominis mei quomodo celebrandã. Et qui electi mei sunt, in Aegypto, Syria, & toto orbe, istis indicabo nomen meũ, ut sciant. Et q olim patribus loquebar multifariã in uisionibus & spectris, rubo, colũna, igne, nubibus, in somnijs, apparitionibus angelicis: ecce tempus appetet, & post captiuitates Israëlis memoratas duas, egoipse loquar, & dicã: Adsum. Post hæc enim in terra uidebor, & cum hominibus cõuersabor. Propter quod uerbũ, suspicio est Baruch prophetã resecatũ sortassis à perfidis Iudæis, cum sit sacrosanctus.

7 ¶Quàm pulchri super mõtes pedes annuntiantis & prædicantis pacem: annuntiantis bonũ, prædicãtis salutem, dicentis ad Sion, Regnat deus tuus.

Quanta omnũ iucũditate excipiẽtur in toto mundo Apostoli, & nuntij eius salutis, quam dominus parabit in toto mũdo, cum uocabitur orbis in agnitionẽ & cultum dignũ dei ueri & omnipotẽtis: dum in celeberrimis cœtibus electorũ quasi de excelso ut peregre auditãtur clamabũt Euangelistæ, & adnuntiabũt pacẽ & salutẽ uniuersalẽ fidelibus, cum dicent, O noua ecclesia deum uidentiũ, & credentiũ uerbo domini, pax uera erit hominibus bonæ uoluntatis, uel beneuolentibus. Salus & saluator aduenit, iam nunc regnat deus tuus Sion, in ecclesia magna, in uniuersa terra, omnibus gentibus, cuius hactenus sedes in Sion habebatur, posthac hæreditas eius erit tota gẽtilitas, & poßeßio eius terminꝰ terræ.

8 Vox speculatorũ tuorũ leuauerũt uocẽ, simul laudabũt: quia oculo ad oculum uidebunt cum cõuerterit dominus Sion.

O felicia tempora, dum speculatores & prophetæ simul ut uocẽ attollent nuntiaturi bona, etiã præsentem demonstrabũt saluatorẽ, oculo ad oculũ uidentes redemptorem & redemptionẽ Zion, hoc est fideliũ: quando dicetur: Ecce agnus dei, qui tollit peccata mũdi, quomodo Baptista: Adest regnũ cœlorũ, inuenunus Messiam, quomodo apostoli: Viderũt oculi mei salutare tuũ, quod parasti ante faciem omnũ populorũ, Lumen ad reuelationem gentium, quomodo Simeon iustus, Hillelis filius, in Talmudicis libris Hebr. eis notus: Natus est nobis hodie saluator mundi in Bethleem ciuitate Dauid, quomodo angeli pacis nuntij: Quid nobis tecũ est Iesu fili dei? quomodo dæmones quoq; Euangelizarunt.

9 Gaudete & laudate simul deserta Ierusalem: quia consolatus est dominus populũ suum, redemit Ierusalem.

Plaudite manibus, & uocis exaltatione cante, ô deserta

ſerta urbis Hieroſolymæ: eritis enim occaſio conſolatio
nis electorum, & extructionis nouæ Hieroſolymæ, ut
muris quidem ruptis iaceas in Palæſtina, reuera uerò
glorioſa prædicetis, habearis & ſis in uniuerſa terra,
quam & redimet ab omnibus peccatis ſuis, & inſtau-
rabit illius antiquiſſimas ruinas.

10 Reuelauit dominus brachium ſanctum
ſuum in oculis omnium gentium: & uide
bũt omnes fines terræ ſalutare dei noſtri.

Reuelabit dñs uirtutẽ et bonitatẽ ſuã cunctis populis,
& credent uerbo dei omnes fines terræ, et adorabunt e=
um oẽs familiæ gentiũ. Videbunt omnes fines terræ ſa=
lutare dei noſtri: non ſola Hieroſolyma, ſed oẽs gentes.

11 ¶Recedite, recedite, exite inde, pollutum
nolite tangere. Exite de medio eius, mun-
damini qui fertis uaſa domini.

Diſcedite ô Iſraëlitæ ueri, ô fideles cultores dei, à ua-
na conuerſatione priſtina, à confuſione doctrinæ & mo
rum, à pollutionibus idolorũ, à ſeruitute diaboli, in qui
bus ſeruiſtis tanto tempore, ignari ueritatis et creatoris
ueſtri. Mundamini quotquot ſacra poſthac tractabitis,
qui in eccleſia ſacra deum ſanctificabitis, qui dignas deo
hoſtias immolabitis, ſyncéritatis & ueritatis azyma
comedetis, nouus deo populus aggregabimini.

12 Quoniam non in tumultu exibitis, nec
in fuga properabitis. Præcedet enim uos
dominus, & congregabit uos deus Iſraël.

Hæc ueſtra redemptio non erit cum tumultu & belli
co appáratu, non cum confuſione, fuga, & trepidatione
ab hoſtibus inſequentibus. Videbitis enim præcedentem
uos ſaluatorem ueſtrum, ipſe ibit ante uos, exemplum
præbebit itineris & conuerſationis, primus præcedet,
& ultimus agmen colliget, ubiq; uos in tutò conſtituet.
Quos enim ſibi pater dedit, ſeruat omnes: paſtor uerus
fideliter oues paſcit, & nouit quæ ſint eius.

13 ¶Ecce prudenter aget ſeruus meus, exal
tabitur, & eleuabit, & ſublimis erit ualde.

Vtcunq; Iudæi recentiores ſcripturã hanc de populo
Iudaico exponãt, ſatis patet de alio quàm Chriſto domi
no explanari nõ poſſe. Debuit q; hic caput nouũ adſig=
naſſe Latinus, cum et Hebræi hic caput incipiãt. Seruus
iſte domini alius non eſt hoc loco, quàm Dñs Chriſtus.
De quo & ueteres Hebræorũ expoſuerunt hoc modo:
Et exaltabitur Meßias plus quàm Abraham, & eleuabi
tur plus quàm Moſes, & ſublimis erit ualde plus quàm
angeli dei. Proſperè enim geret omnia, totũ ſibi uendica
bit orbẽ, adorabitur ab omnibus regib. in fimbria ueſti
menti ſcriptũ habet: Rex regum et Dñs dominantium.

14 Sicut obſtupuerunt ſuper te multi: ſic de
formior erit inter uiros aſpectus eius, &
forma eius inter filios hominum.

Stupebunt tamen ſuper eum multi qui Chriſtum aſpi
cient in manibus Iudæorum conſputum, flagellatum, ſpi
nis coronatum & ſanguinolentum, obſtupeſcent à uul
tus ſui horrore, qui ſpecioſus erat præ filijs hominum,
nunc autem ſupra omnes mortales humiliatum & ſpre
tum, impiorum manibus inique et uiolenter tractatum.

15 Sic aſperget gentes multas, ſuper ipſum
continebunt reges os ſuum: quia quibus
non eſt narratum (de eo) uiderunt: & qui
non audierunt, intelligent.

Vtcunq; humiliatum, flagellis cæſum & crucifixum, Gloria Chriſti poſt ignominiã.
ipſum tamen gentes multæ cum reuerentia & honore
alloquentur & deprecabuntur, ſaluatorem & redem=
ptorem confitebuntur, & à regibus quoq; adorabitur
& timebitur, glorificabitur & laudabitur, ut reueren
tiæ gratia manus ori ſuo impoſituri ſint. Is enim Chri=
ſtus conſpiciendus & adorandus illis proponetur per
Euangelium, qui de eo nihil audierant, agnituri & in=
tellecturi hoc incarnationis diuinæ myſterium, qui de
arcanis antea ſcripturis nihil audierant. Contra uerò,
quibus de eo narratum fuerat, quibus promiſſus, his om
nino erit ignoratus, ſpretus, auerſatus et blaſphematus.
In ſua enim cum uenerit, ſui eum non receperunt. Alieni
autem qui eum ſuſceperunt, acceperunt uicißim hanc
gratiam, ut filij dei ſint & habeantur, qui ſcilicet credi
derunt in eum Iudæi & gentes.

CAPVT LIII.

1 QVis credidit prædicationi no-
ſtræ? & brachium Domini cui
reuelatum eſt?

Tam arduum Meßiæ myſterium, incar Meſſiæ myſterium.
natum uerbum domini, & in benedicta humanitate fi=
lium dei tam indigna paßurum, à propria ſua gente, ad
ſalutem electorum, quis crederet niſi illuſtratus per gra
tiam dei? Quis hæc prophetis nobis prophetantibus
crederet? ait Eſaias. Et tantam dei potentiam opus re=
demptionis tam eximium et gratioſum, cui dominus re
uelauit? quàm pauci ex Iſraël credent?

2 Et aſcendet ſicut uirgultum coram eo, &
ſicut radix de terra ſitienti. Non eſt ſpe-
cies ei, neq; decor. Et uidimus eum, & nõ
erat aſpectus, & deſyderauimus eum

Prodibit aũt potentia dei per crucis fragilitatem & Ortus Chriſti.
contemptũ ad ſaluandũ gentes, ad faſtigium honoris ma
ximi. Sicut ſi uirgultum uel radix in terra ſitienti, &
abſq; humore uireſcit & pullulat: ſic Chriſtus ex pecca
trice carne in ſimilitudine peccati abſq; peccato conci=
pitur, & generatus aſcẽdit. Quis ergo non de ortu &
uita Chriſti admiraretur? Et inſuper ſplendidus & cele
ber nõ apparuit, nihil ſupra cõmunẽ hominẽ in perſona
ſua oſtendit, non regis filius, nõ ſacerdotis, non prophe
tæ, ſed fabri filius, & paupere matre natus cũctis appa
ruit: ſic, ut dum etiã uideremus eum, et ſummopere uen
turũ deſyderauerimus, præſentẽ tamen humilitatis lar=
ua tectum non agnoſcemus. Loquuntur autem prophe=
tæ in præterito tempore de futuris ob certitudinẽ fidei.

3 deſpectum, & nouiſſimum hominum,
uirum dolorũ & expertum infirmitatem.
Et quaſi abſconſio uultus ab eo deſpectus,
nec reputauimus eum.

Deſpectus enim inter homines eſt, & quaſi indigniſ Chriſtus uir dolorũ.
ſimus inter homines tractatus à perfidis, myſterium dei
non credentibus: habitus ueluti uir dolorũ, plenus igno

miniæ & ærumnis, conſputus, flagellatus, cruci affixus, triſtiſſima anima, et ſitiente lingua, nõ niſi felle et aceto potanda. Tot expertus eſt infirmitates, anguſtias, et dolores, tot indigna paſſus eſt, ut facies noſtras abſcõderemus, ne ipſius opprobria, cõtumelias, ſputamina cernere cogeremur, quibus tam indigne et turpiter affectus eſt, ut eum qualis eſſet æſtimare nequaquã potuerimus. Maximam humiliationẽ Chriſti propheta his uerbis deſcribit, ut ad illius gloriam prædicandã perueniat. Non aliter membra Chriſti fideles quiq; latent mundo, humiliantur exaltandi coram domino.

4 Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Et nos reputauimus eum quaſi plaga affectũ, percuſſum à deo & humiliatum.

Pro nobis Chriſtus paſſus.

Nemo aũt hæc illum perpeſſum credat propter propria peccata ſua, qui innocentiſſimus eſt, et peccare nõ potẽs, ſed eſt peccati mors: noſtros ille languores ptulit, noſtros dolores ſenſit, peccata noſtra ptulit in corpore ſuo ſuper lignũ, pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, ut & nos quoq; peccatis mortui iuſtitiæ uiueremus, cuius liuore ſanati ſumus. Et nos exiſtimauimus eum percuſſum plaga à domino & humiliatum, ut clamauerimus, Tolle tolle, crucifige eum: audiſtis blaſphemias: deſcendat de cruce: non hunc, ſed Barrabam: crucifige: reus eſt mortis.

5 Ipſe autem uulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtrę ſuper eum, & liuore eius nos ſanati ſumus.

Plagas & uulnera ſua, ppter peccata noſtra pertulit, cõtritus eſt & occiſus propter iniqtates noſtras, pœnas peccatorum noſtrorũ ipſe luit in ſuo corpore, patri pro nobis recõciliatio factus, pacificans quæ in cœlis ſunt et in terra. Iudæi aũt non noſtra ſed ſua peccata portant. Quæ nobis aduerſa retribui debuerant, quas nos calamitates propter peccata noſtra ferre debuimus ipſe ptulit, ut ſuo nos liuore ſanaremur, mulcta noſtræ correctionis ipſe punitus eſt. Mortuus eſt enim propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationes noſtras.

6 Omnes nos quaſi oues errauimus, unuſquiſq; in uiam ſuã declinauit: & poſuit dominus in eo iniquitatẽ omnium noſtrum.

Non ſumus abſq; peccato.

Velut oues ſine paſtore errauimus omnes homines: in Adam oẽs peccauimus: nullus abſq; peccato etiã infans: omnes redemptore opus habemus, qui peccatores expiare peccata non poſſumus: quiſq; ſuas ſectatur concupiſcẽtias: quod in nobis peccatũ eſt ad peccandũ ſollicitat, ut non quæ uolumus, ſed quæ nõ licent agamus. Dñs aũt impoſuit Chriſto oẽs iniquitates noſtras, ut in humeris illius geſtaremur ad caulas, ut iuſtitiæ dei pro peccatis noſtris ſatisfieret, pretio ſui ſanguinis redimeremur.

7 Violentiam paſſus eſt, & afflictus eſt, & non aperuit os ſuum. Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus corã tondente ſe, obmutescet & non aperiet os ſuũ.

Anguſtiatus eſt ipſe, adflictus ac humiliatus, illatæ ſunt ei iniuriæ, uulneratus eſt in corpore, blaſphemijs & Pro Chri uexatus, captus et ligatus. In quibus omnibus nõ aperuit os ſuũ, ad accuſationes falſas tacuit, ut miraretur præſes uehementer, non excuſauit ſe, nec uim ui repulit, Petrũ gladio uti prohibuit, aurem amputatã ſanauit, ſicut ouis ad uictimam ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum. Idipſum & Philippus expoſuit in Actis Aethiopi in curru de Chriſto.

8 De anguſtia & de iudicio ſublatus eſt: generationẽ autem eius quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra uiuentium: propter ſcelus populi mei percuſſus eſt ipſe.

Tranſit ad Chriſti gloriam deſcribendã. Sublatus eſt Chri ex anguſtijs, de arctiſſimo ſtatu mortalitatis, & de iudicio dãnationis, & ſubſecuta eſt ipſum, illius humiliationem et ſuppliciũ, innumerabilis et glorioſa poſteritas filiorum dei, immenſus fructus omnibus ſæculis prouenit illius paſſione, innumerabilis populus credentium & electorum acceſſit Chriſto exaltato in cruce: qui iam ſublatus & exciſus putabatur ex uiuis, de terra uelut exterminatus in totũ, quæ ei plaga occurrerat propter tranſgreſſiones electorum, propter eos enim redemptos traditus eſt in mortem.

9 Et dabit cum impijs ſepulturam ſuam, & cum diuite in morte ſua: eò quòd iniquitatem nõ fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius

Sepulchrum ei dabitur cum impijs. Non aliter occiſus Chri eſt & ſepultus, quàm ſi impijſſimus exitiſſet, unde & inter latrones crucifixus eſt, tantum oſſibus ſuis nõ confractis, ut latronum, ut implerentur ſcripturæ. Et cum diuite excelſa eius. Impijs comparatus eſt in ſepulchro, ſed ſepulchrũ illius præter intentionẽ occidentiũ factũ eſt excelſum & glorioſum. Mortuus eſt ut peccator: ſed ſepultus ut honoratus. Niſi quis diuitẽ pro prædone exponat in malam partem: et diuitem pro morte eius. Hebræa enim utrumq; ſignificare poſſunt, ut in morte illius glorificatus fuerit, reuertentibus etiã Iudæis & pectus tundentibus, quia iuſtum occidiſſent glorioſis uiſis miraculis. Iam enim confitebantur eũ iniuriam paſſum, & uiolentiã nullã feciſſe, et non fuiſſe dolũ in ore eius, nec uerbo nec opere cõmeruiſſe tã confuſibilem mortẽ.

10 & dominus uoluit conterere eum infirmitate. Si poſuerit pro peccato animam ſuã, uidebit ſemen longæuũ (prolongabit dies) & uolũtas domini in manu eius dirigetur.

Non potuiſſent Iudæi Chriſtum capere uel crucifixiſſe niſi pater tradidiſſet, & pro tanto dereliquiſſet. Voluntas enim et decretum dei fuit, ut cõtereretur tot infirmitatis humanæ miſerijs & doloribus, ut ſeipſum poneret ſacrificium pro delictis, ſecundum præfigurationem legalium ſacrificiorum, & Iſaac exemplum, diuinitate ſeruata, humanitate ut hœdus occiſa. Ideoq; & pro obedientia tanta, uelut Iſaac uoluntate patris oblatus & occiſus, uidit ſemen longæuum, poſteritatem innumerabilem per omnia ſæcula credentium in eccleſia. Et ſicut Iſaac per huiuſmodi obedientiam promeruit ſibi & ſuo ſemini, et proſperitatem ſummam licitatem ſibi & ſuo ſemini, et proſperitatem ſummam-

ſic

sic Christus sua morte spontanea multam gloriam sobolis beatæ, & regnum promeruit electorum. Oportebat enim pati Christum, & ita gloriam suam ingredi.

11 Pro eo quòd laborauit anima eius, uidebit (&) saturabitur. In scientia sua iustificabit iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.

Periculoso labore animæ suæ, propter afflictionem quam passus est, omnium bonorum secundum hominem copia ditatus est, qui secundum diuinitatem omnia est in omnibus. Ditauit electos periculo animæ suæ. Doctrina illius uera fides in ecclesiam propagatur, qua iustificantur credentes: & legis scientia & gratia per Christum serui dei multiplicantur, quorum iniquitates in cruce diluit & deleuit.

12 Ideo dispertiam ei plurimos, & fortiũ diuidet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogabit.

Christi uictoria pro electis.

Quia seipsum humiliauit ad crucis supplicium, tanquam infimus & fragilis, ideo dominus exaltauit eum, ut de multis & fortibus tam dæmonibus quàm tyrannis gloriose triumphet, ut spolia animarum sibi rapiat, ut omnem idolorum fortitudinem opprimat, & captiuam ducat captiuitatẽ, & dona distribuat hominibus. Quia enim animam suam emisit, sponteq; tradidit spiritum, exaltatus in cruce, ideo omnia ad seipsum traxit, ut ubi sit ille omnes sui illum sequantur, & secum in paradiso sint, qui à satana tenebantur in inferno. Et qui peccatoribus adnumeratus est, is peccatores iustificatos sibi societ, & secum gaudere in paradiso sua potestate à patre acceptà iubeat. Ne quis post hæc peccator desperet, cum pro suis quoq; crucifixoribus orat, & latronis seram pœnitentiam & ex fide orationem suscipit: principem tenebrarum exarmauit in cruce, collegit ecclesiam ex omnibus gentibus, gloriã maximam consequutus est. Intercedit semper pro omnibus credentibus in eum, & sese pro omnibus satisfactionem offert, solus innocens, sanctus, & gratiã sine mensura consequutus pro nobis.

CAPVT LIIII.

1 Lauda sterilis quæ non paris: decanta laudem & hinni, quæ nõ pariebas: quoniam multi filij desertæ magis quàm eius quæ habebat uirum, dicit dominus.

Sterilis synagoga uel ecclesia.

Hodie se Iudæi sterilem uocant synagogam, ut sunt: sed non ea cui hic propheta promittit tanta gaudia. Satis constat quæ sterilis dici consueuerit prophetæ, patriarchis, Israëlitis omnibus. Quandiu templũ stetit, & lex Mosi uigebat, tunc sterilis à filijs gratiæ erat et infœcunda gentilitas, regno cœlorum ciues & nobiles nõ fouebat, carebat enim uerbo domini, iudicia sua maritus dominus nondum illi manifestauerat: & si enim ex illis erant electi multi, nondum tamen se illis domini fauor explicauerat missis apostolis, prædicato Euangelio uel lege: signatum tantum super eos erat lumen uultus domini, sed iustificationis fidem certã nullam acceperãt, sed per misericordiam non ex promissionibus saluabantur. Eidem sterili ecclesiæ ex gentibus congregandæ hic uerbũ domini consolationem summam promittit, quam nemo crederet futurã, nisi tam clarissimè uideretur completa. Certe sterilis gentilitas prophetarum tempore nihil peperisse uidebatur, sed tamen iubetur plaudere, canere, gratias domino reddere, quia longe plures gratiæ & fidei filios habitura sit quàm synagoga. Idipsum, si tanti temporis & orbis magnitudo Christiani perpenditur, probatione non eget etiã ad Iudæos. Ideo sequitur.

2 Dilata locum tentoriorum tuorum, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida.

Ecclesia nouí populi dilatata.

Tabernaculum tuum, ô ecclesia, noui populi maximum erit, cortinæ tuæ expãdentur in fines orbis terrarum: ne unquam cesses prorogare pomeria iurisdictionis tuæ, iam nunc istam, iam aliam gentem occupabit uerbum domini, nunc hanc, nunc aliam insulam dei fauor uisitabit, donec in omnem terram exeat sonus Euangelij, & uis eius. Fidei & charitatis neruos fortissimè infigas, spiritus diuini illustratione & canonicorum librorum authoritate, et clauis firmissimis prophetiæ certæ ac diuinæ, non traditionis humanæ, qui citius computrescãt, ne resoluatur tabernaculũ uentis tentationũ.

3 Ad dexteram enim, & ad leuam penetrabis: & semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabunt.

Gratia dei in locũ idolorum.

Erumpes & perrumpes fortiter impiorum hostium tuorum castra, ad omnes terræ plagas diffunderis: quantumlibet tyrannorum crudelia mandata uerbum fidei euincet & oprimet. Semen tuum, filij ecclesiæ per uerbum domini generandi possidebunt gentes omnium nationum. Et eas urbes, ubi idola colebantur, ubi gratiæ diuinæ nullus uiror et cultus apparebat, ubi unius ueri dei ignorantia squalebant omnia, nullus timor uel amor dei locum habebat, inhabitabunt filij Abrahæ, Israëlis, Dauidis, & ipsius Christi domini, filij quos per Euangeliũ genitos sibi ecclesia mater gratulatur, ut in sinu Abrahæ quiescant, filijs regni foras eiectis.

4 Noli timere, quia non confundêris, neq; erubescas. Non enim te pudebit: quia confusionis adolescentiæ tuæ obliuiscêris, & opprobriũ uiduitatis tuæ nõ recordaberis amplius.

Ecclesia uiãtrix.

Ecclesiæ profectui obstrepent multa tyrannorum imperia, sed non illi timendũ, nunquam confundetur, confundentur autẽ omnes qui illam persequentur: perrumpes enim uirtute sponsi tui. Ignominiam & opprobriũ nullũ experieris, si uerbo dei tenaciter adhærebis. Omnino enim pristini erroris stultitiam & insolentiam abijcies: mores gentilitatis quibus asuefacta es, dum uidua & sterilis esses, ueluti tuam ignominiam & oprobriũ abijcies & obliuiscêris.

5 Quia dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius: & redem-

ptor tuus sanctus Israël, Deus omnis terræ uocabitur.

Casus idolatorum per Christi ecclesiam.

Mariti tui, uel potius adulteri tui, non erunt posthac Iupiter, Mars, Venus, & cætera idolorũ portenta, Baalim & dij tutelares ac diui: sed dominus et maritus tuus erit, qui te creauit, solus omnipotens conditor cœli & terræ, deus Abraham, Isaac, & Iacob, dominus deus exercituum, is uniuersæ ecclesiæ unicus herus erit. Et qui illum in spiritu & ueritate colent populi, una ipsi sponsa erunt, catholica ecclesia, quantumlibet ritibus diuersis utantur, qui à puritate ueræ fidei non abducunt, qui gratia dei per Christũ se crediderint reconciliatos, deq; suis meritis nihil præsumpserint. Notũ autem, ô Iudææ, tunc completam esse consolationem huius sterilis, tunc dilatatum tentorium, tunc semen sanctum possessurum gentes, quando sanctus Israëlis fidelium uindex & amator, deus totius terræ uocabitur. Tu ergo si potes nomina, quis hanc fidem in orbem totum disseminauerit, & quando gentilitas ad unũ deum colendum concordauerit, & desine expectare futurum, quod cernis ante mille quingentos annos præteritum & perfectum.

6 Quia ut mulierem derelictam, & mœrentem spiritu uocauit te dominus, & uxorem adolescentiæ, sed abiectam, Dixit deus tuus.

Gratia dei in ecclesiam.

Cum esses, ô sterilis, derelicta, & ueluti repudiata à domino, dum misera nullum tibi syncerum amicum & fidelem maritum in coniugium asciuisses, dum uelut iuuencula & procax, impatiens libidinis, nũc hunc nunc alium tibi deum eligeres, & meretricareris cum ligno & lapide, sole & luna, nulli fidem seruans, nec ab aliquo fideliter tractata, dominus ipse deus Sabbaoth uocauit te, apparuit tibi, sponsam elegit, & lauacro salutis & fidei mundauit, & sanguis illius genas tuas exornauit, formosam reddidit, & totam pulchram: dixitq; tibi.

7 Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.

Præ nimio amore suo ad te, ô ecclesia Christi, quasi obliuiscitur diuturnæ meretricationis tuæ. Et cum tãto tempore deum tuum nescieris, momentum & breuissimum tempus nuncupat. Et uerè sibi magis errorem imputare uidetur quã tibi: fatetur enim se te dereliquisse, & non uocasse per prophetas, patriarchas ac legem, ut synagogam, toties ingratã uocauerat, & contumacem tulerat. Nunc autem in intimis & maximis miserationibus te collecturum se spondet, cum inimica esses, & meretrix, te sibi despõsat, & ad se cõplectitur amãtissimè.

8 In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui: dixit redemptor tuus dominus.

Misericordia dei ad fideles.

Modicam iram suam deus fuisse testatur in homines, quàm cito ad meliorem se mentũ cõuerterint. Stat enim semper ad ostium & pulsat, & præteritorum etiã ipse obliuiscitur, si nos quoq; ad ulteriora nos per fidem & charitatem extenderimus. Longe propensior est dei misericordia ad conuersos, quàm sæuiebat ira in impios: in sempiternũ amat, qui ad horã præuaricatoribus irascebatur: ut auersio faciei potius sollicitatio desyderij & amoris fuisse uideri possit, quàm seriosa abominatio. Sinenit enim electos aliquousq; peccare, ut postea conuersi amantius feruentiusq; inhæreant. Electis omnia cooperantur in bonum.

9 ¶ Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui iuraui ne inducerem aquas Noë ultrà supra terram: sic iuraui ut non irascar tibi, & non increpem te.

Testatur clementissimus ecclesiæ sponsus & maritus non ultra ecclesiam suam à misericordia sua se repudiaturum, sed ratam, & firmam seruaturũ, quemadmodum olim diluuij fœdus inierit cum Noë, quod hactenus seruauerit semper, ut pro quibuscunq; criminibus ultra mũdum aquis non sit totaliter obruiturus.

10 Montes enim cõmouebuntur, & colles contremiscent: misericordia autẽ mea nõ recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur: dixit miserator tuus dominus.

Citius montes sinam loco moueri, ante propelli finibus tam Ararim quàm Tigrim, quàm meo ipsius labatur pectore uultus, quàm bonitas mea te deserat, & fœdus pacis meæ infringatur: ait dominus miserator tuus.

11 ¶ Paupercula tempestate cõuulsa absq; ulla consolatione, Ecce ego sternam per ordinem (ueluti margaritas) lapides tuos, & fundabo te in sapphiris,

12 & ponam iaspidem fenestras tuas: & portas tuas in lapides scintillantes, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles:

Consolatio amplior ecclesiæ. Paupercula quidem es, ô ecclesia Christi, sine omnib. meritis, qbus te insinuare posis sponso, et uarijs tentationibus agitata ab aduersarijs ueritatis & pietatis, tanquam turbinibus & tempestate cõcussa, tam rationibus philosophicis quàm traditionibus humanis, unde nulla tibi prouenire possit cõsolatio spiritualis, & conscientiæ pax aut certitudo iustitiæ. At polliceor tibi maxima bona, & paupertate magnificentiam, ut scias quæ tibi Christus donarit, pro inimicitia pacẽ conscientiæ, uictoriamq; carnis, pro miseria, felicitatem in Christo, & consolationẽ à domino. Ecclesia autẽ talis est regia, quæ constituitur uerbo dei. Nã ubi uerbũ dei purũ inuenies, ibi & ecclesiã, et in medio eius Christũ: ubi uerò prævalent traditiones humanæ, et quæstus fit pietas, & fastus authoritas, ibi Babylon est. Hoc uerbũ dei margaritum est, quo nihil pretiosius: sapphirus, cœlestia commendans: crystallus, claritas ueritatis: carbunculus autem ardens ac lucens, charitas & fides. Nihil igitur illustrius, iucundius, sanctius et beatius est sacrosancta ecclesia dei, uerbo dei fundata.

13 & uniuersos filios tuos doctos à domino: & multitudinem pacis filijs tuis:

Filij ueri ecclesiæ sunt, qui uerbo dei generantur, qui spiritu imbuuntur pietatis, nõ curiosi, non uani, non superstitiosi, non iactatores, quorum magister in cœlis est Christus, quos unctio docet, qui à deo inspirantur de scientia

scientia salutari, qua fides crescit & charitas, qua intellectus eruditur, & inflammatur affectus, qui humilitatem docent & pacem.

14 in iustitia fundaberis. Remota eris procul à calumnia, quia non timebis: & à pauore, quia non appropinquabit tibi.

Iustitia & fides.

Per iustitiam stabilieris. Fides enim fundamentum est pietatis & æquitatis, quæ ubi locum habuerint, procul aberit omnis uiolentia & iniquitas. Vbi uero iustitia colitur, ibi nihil timetur: plaga nulla appropinquabit tabernaculo iusti, omnia sua salua semp custodiũtur à Dño.

15 Ecce accola ueniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi.

Qui olim alienus erat à timore dei, à fide & charitate, qui de ecclesia satanæ erat uagus & profugus ut Cain: is nunc incolet ecclesiam dei, erudietur de uerbo domini: & gentes remotæ, & qui de deo Israëlis nihil audierant, hunc obmißis tot idolis agnoscent et colent: qui aduersabantur fidelibus, & ad mortẽ usq; persequebantur, fideles erunt, & ad te concedent, tibi subijcientur, & manus dabunt.

16 Ecce ego creaui fabrum sufflantẽ in igne prunas, & proferentẽ uas in opus suũ, & ego creaui interfectorẽ ad disperdendum.

Quantumlibet multi & fortes inimici ecclesiam sint impugnaturi, & infestißimis armis fidem & iustitiam aggressuri electorũ: quia tamen mea sunt oĩa, et artifex et arma absq; me nihil sunt, meũ quoq; erit perdere uastatorẽ, et inimicũ esse eorũ qui fideles meos psequũtur.

17 Omne uas quod fictum est, contra te nõ dirigetur: & omnem linguam resistentem tibi, in iudicio condemnabis. Hæc est hæreditas seruorum domini, & iustitia eorum à me, dicit dominus.

Hæreditas fidelium.

Omnia impiorũ machinamenta contra pios, & Christi uerã ecclesiã, uana erunt, cõterentur, cõfundentur, utcunq; crudeliter instent, fallentur cõsilijs, laqueis suis irretientur, contra se loquentur: unde pios uoluerint oprimi, inde exaltabunt: ueritate superabuntur & damnabuntur. Talis est hæreditas credentiũ domino, ut semper uincant, nunquam superentur, gaudium cõscientiæ & tutã salutem à domino posideant, apud quem reposita est illis merces iustitiæ, quam tamen ipse largitur, ut gratia sit, non præmium uel merces, licet utrunq; dici possit ad synceram sententiam.

¶ CAPVT LV.

1 VOs omnes sitientes, uenite ad aquas: & qui nõ habetis argentum, properate, emite & comedite. Venite, emite absq; argento, & absq; commutatione uinum & lac.

Vocatio gentium & reiectorum.

Ne se Iudæi putarent in totum abiectos ad gentiũ susceptionẽ (utrunq; enim clare admodũ prædicatum est à propheta) ideo hoc capite dominus omnes in cõmune ad se uocat, tam Iudæos quàm gentes, sine omni personarũ respectu, sese & beneficia, salutemq; offerens omnibus, non meritorũ consyderatione prouocatus, sed gratia & fauore ad genus humanũ: ita tamen ut uerbũ domini audiant, et credant domino, illius gratiã sitiant & esuriant iustitiã. O omnes homines cuiuscunq; conditionis, sine delectu, quicunq; salutẽ gratiam & iustiam sititis, qui ecclesiæ meæ membra uiua esse desyderatis, & fastidiosi non estis, pergite ad aquas, quas ego do uobis, suscipite institũ uobis uerbum domini, quod reficere, recreare, et saluare possit animas uestras. Ignorantiã enim uestrã & malitiam carnis si sentitis, et scientiã salutarẽ si sititis & gratiã, ad Euangelium gratiæ et benignitatis diuinæ accedite. Non indigetis operum uestrorum pretia, quæ in expensione iustitiæ meæ inueniuntur minus habentia, & nihil habere puritatis & omnimodæ synceritatis. Non est enim argentum uestrum igne examinatum & purgatum sufficienter: sed sine fiducia operum & monetæ uestræ uenite ad me, comparate ut comedatis, uinum, lætitiam in spiritu sancto per fidẽ perfectam in gratiam dei per Christum: & lac dulcedinem gratiæ, nutrimentum infantium. Hoc autem nihil aliud est quàm uerbi dei cibus & uitæ potus.

Operũ pretia non emunt.

2 Quare appenditis argentum non in panibus, & laborẽ uestrũ non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonũ, & delectabitur in crassitudine anima uestra.

Cur omnem operã uestram insumitis in doctrinis humanis, hauriendo aquas de cisternis dissipatis, & nõ potius de fontibus saluatoris bibitis? Cur subcinericios uestros panes, scientiã animalẽ, philosophicam, et uanam edctis, & non potius manna cœleste suauißimum? Nihil enim uerè cibat ac solide animã esurientem, nisi uerbum domini, et creditum Euangeliũ gratiæ et salutis. Omnia alia alimenta laboris plurimũ adferũt, sed nihil saticta-tis. Quare operam uestrã impenditis prophanis & inutilibus disciplinis, neglectis interim sacris literis, uerbis uitæ, doctrinis cœlestibus? Audite potius me, ut uescamini optimis, & crassitudine delectetur anima uestra. Si opera dei, beneficia, iudicia iusta, miserationes, cõsolationes dei didiceritis ex sacris literis spiritu magistro interpretãte, fordescent philosophorũ nugamenta, rhetorum argumenta. Audite eum qui uia est, ueritas et uita, de cuius uentre promanant aquæ scientiæ salutaris.

Traditiões hominium inanes.

3 Inclinate aurem uestram, & uenite ad me: audite, & uiuet anima uestra, & feriam uobiscum pactum sempiternũ, misericordias Dauid fideles.

Vos inquam omnes Iudæi et gentes inclinate cor uestrum ad gratiam meam, et ad ueram iustitiã agnoscendum. Nihil ad perfectũ perduxit lex Mosis: ratio naturalis fallit: circumcisio nihil ualet, neq; præputiũ: sed audire & credere uerbũ domini, fidem in deum exercere, charitatem in proximum, quæ summa legis sunt, & totius iustitiæ etiam naturalis. Ad me ergo uenite & reficietur anima uestra, oblectabitur certa fiducia gratiæ dei cõscientia uestra. Nouum uobiscũ pactum feriam, quod non in temporario tabernaculo uel Salomonico templo, non in arca fœderis aurea defertur, quæ dudum abierunt: noua erunt omnia, uel potius antiquata uera

Pactum nouum.

religio renouanda. Sempiternum fœdus pangam cum fidelibus, & Dauidi infallibili ueritate promissum: de cuius semine nasciturũ filium, qui saluaturus sit suum populum in regno fidelium sine fine regnaturum dominus promisit: & ut cernimus, nisi cæci simus, clarissimè.

4 Ecce, testem populis dedi eum, ducẽ ac præceptorem gentibus.

5 Ecce, gentẽ quam nesciebas, uocabis: & gentes quæ te non cognouerũt, ad te current propter dominũ deum tuum, & sanctum Israel: quia glorificauit te.

Monarchia ueri Dauidis Messiæ.

Cum filiũ Dauidis, qui & Dauid sæpe dicitur in scripturis, Dabo Euãgelij mei cbuccinatorem, cõtestabitur omnibus gentibus ipsissimam ueritatem, cui & credent sponte, longè prõptius, quàm olim uos ô Iudæi. Et quem uos respuistis ne regnaret in uos, ecce principẽ eum constitui & ducem gentibus. Quid clarius de regno Christi & Dauidis, de monarchia Messiæ dici potest, quàm quòd testem, monitorẽ, prædicatorẽ, & magistrũ omnibus populis pater illum dederit ac principẽ, mandataq; dantem populis? Nec solũ Israëli & Iudæis, si qui illum susçipere uoluerint, sed eis quoq; gentibus & nationibus legẽ gratiæ daturus sit, & ad suũ ouile cõuocaturus sit, quæ illum minimè antea cognouerũt, ad quas corporali præsentia & oculis corporeis nunquam uenerat, quæ uicissim prius de eo nihil audierãt. Isti igitur populi prompta uolũtate tracti à domino, & apostolica sagena capti, currẽt ad seruiendũ ei, ad Euangeliũ susçipiendũ, & ad colendũ unum deũ Israël, qui te Messiam sic glorificari uoluit, ut terra tota hæreditas tua esset. Vel te Israëlem sic glorificat, ut de semine tuo natus, & promissus dudũ tuis patribus tibi non leuem gloriã nominis comparauerit, si obsequi Euangelio uoluisses.

6 ¶ Quærite dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est.

Pœnitentia prædicatur

Cõuersus ad Christũ dominũ ex gẽtibus & Iudæis peccatores intra ecclesiã hortatur primùm ad pœnitentiã, id quod Baptista & Christus inter prædicationis initia prædicarũt, ueteris uitæ emẽdationẽ et resipiscentiã: ut posthac innocẽtius uiuere, & saluatori dño syncerius adhærere & obsequi uelint, et ab omnibus abominationibus idolorũ tam corporaliũ quàm spiritualiũ abstinere, solũ dominũ quærere, & dum licet per suã gratiã ac uocationẽ inuocare, dũ se proximũ illis fecerit, uisitauerit oriens ex alto, & luce Euãgelica illustrauerit, & de uana cõuersatione et erroribus tam benignè uocauerit.

7 Derelinquat impius uiam suã, & uir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad dñm, & miserebitur eius, & ad deũ nostrũ, quoniam multus est ad ignoscendum.

Quæ uera pœnitẽtia.

Pœnitẽtiã docet, ut scilicet uia iniqtatis relinquatur, & fiat ad deũ cõuersio, relinquẽdo impias de deo cogitationes, diffidentiã, perfidiã, blasphemiã bonitatis suæ, cõsilia quoq; peccãdi & propositũ iniquũ, redeaturq; ad dñm per agnitionẽ culpæ, et emendationẽ uitæ pristinæ, et nõ dubitet de clemẽtia dei, qua propẽ fissimus est ad ignoscẽdũ, ut intercessoribus sanctis nõ indigeamus.

8 Non enim cogitationes meæ cogitationes uestræ: neque uiæ uestræ, uiæ meæ, dicit Dominus.

9 Quia (sicut) exaltãtur cœli à terra, sic exaltatæ sunt uiæ meæ à uijs uestris, & cogitationes meæ à cogitationibus uestris.

Longè excellentior est misericordia mea ad homines, quàm inter eos inueniatur, secũdũ altitudinẽ cœli super terrã corroborata est misericordia dei sup timentes eũ. Non est tam terribilis, ut miser & humilis ipsum precibus accedere nõ audeat: nec tam crudelis, ut uenia data pro peccatis in hac uita, postea rigidè sit uindicaturus, ut pœnam seruet dimissa culpa.

10 Quia quomodo descendit imber, & nix de cœlo, & illuc ultrà non reuertitur, sed inebriat terrã & fœcundat eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti:

De promissionibus meis nemo dubitet, quicquid promiserò certò euenet, quicquid iussero impediri non potest. Nihil sine causa etiam in rerum natura conficio, omnia mihi obediunt, ego sum ad cuius nutum imber & nix descendunt, agunt opus suum pro quo mittuntur. Inferiora gubernãtur ad lationem & motum superiorum cœlestiumq; corporum, omnia tamen ad ordinem diuinæ prouidentiæ, cui omnia subsunt. Terra non solum profert ad edendum, sed etiam ad serendum: sic non sufficit bona agere, nisi & quos possumus ad bonum sollicitemus.

11 sic erit uerbum meũ quod egredietur de ore meo. Non reuertetur ad me uacuũ, sed faciet quæcunque uolui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.

Sic quicquid dominus iusserit & promiserit sine dubio fiet. Verbum quoq; domini prædicatũ nemo opprimet, quo minus fructum à domino destinatũ promoueat perficiatq;. Prosperabitur enim sine impedimento ad omnia quæ intendit. Verbum autem hominum, traditiones humanæ, & instituta crebro fallunt & falluntur, in uacuum exit, & absq; fructu redit.

12 Quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini. Montes & colles cantabunt coram uobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu.

In regno Messiæ & iustitiæ fidei, semper uiuitur in lætitia spiritus, etiãsi cuncta temporalia aduersentur. Pax enim & gaudium spiritus, fructus sunt fidei & charitatis, ex Euangelio gratiæ & ueritatis procedentiũ. Totus orbis congratulatur pijs & famulatur, non pertimbantur quãtiscunq; mũdi huius aduersitatibus. Vt semper lætentur, & in domino quieti sint, & omnis creatura dei cooperatur felicitati fidelium: omnia quæcunq; facient prosperabuntur, etiamsi nihil habeant, omnia tamen possident, & ex omnibus norunt ascẽdere in cognitionem & amorem sui creatoris.

13 Pro saliuncula ascendet abies, & pro urtica crescet myrtus. Et erit dñs nominatus in

Prouidentia dei circa pios.

in signum æternum (quod) non auferetur.

Multo plura & maiora pijs dei prouidentia obuenunt, quàm ausi fuerant desyderare. Et ubi metuebant damnum, ibi experientur cõmodum: unde uehementer trepidabant, inde uehementius cõsolabuntur: pro malis illatis rependent beneficia, edocti maledici, & benedicere, uincere malum in bono, nulli malum pro malo reddentes. Vbi tales fuerint filij ecclesiæ, tantamq; perfectionẽ attigerint credentes uerbo domini, tunc exaltabitur dominus in seruis suis, glorificabitur ex ecclesiæ fructibus. Non quòd unquam usu uenturum sit, ut omnes pijssimè uicturi sint: semper enim pauperes nobiscum erunt, semper sui amatores, semper fide et charitate imperfecti, semper peccatis nostris uenia orare cogemur: sed gloria domini semper augebitur, uerbum suum amabitur in ecclesia, & proficiet in electis, admonebit cunctatores, solabitur & diriget fideles, ut glorificent deũ in prosperis & aduersis, per ignominiam & bonam famam. Non finietur uel deficiet fides ecclesiæ.

¶ CAPVT LVI.

1 HAec dicit dominus, Custodite iudiciũ & facite iustitiam: quia iuxta est salus mea ut ueniat, & iustitia mea ut reueletur.

Cultus dei uerus.

Si ecclesia dei ex Iudæis & gentibus congreganda quæsierit modum quo legitime dominum deum suum colat, cum Hierosolymam urbem, templum, aram, arcam, lapideas tabulas pariter uastata conspexerit, & toto in orbe sese fideles conspexerint, deumq; colere desyderauerint possibili more, nõ Leuiticis ceremonijs, quas certò abrogatas conspicient: respondetur omnibus illis per uerbum domini, quod & à principio Esaias dixerat, Nõ addetis ultra offerre oblationes frustra &c. Auferte mala studia uestra, temperate à ui, æquitati studete, iustitiam colite, liberate oppressum, uindicate pupillum, & uenite & arguite me, si non uobis benefecero ut ab initio, si non ab hostibus saluabo, si nõ annonam copiosam reddidero, & in iudicio redimam, ut captiuitas per iustitiam redimatur. Idem hoc loco dicit: Si uerè me colere uolueritis, seruate æquitatem, facite iustitiam, & tunc ad manum semper habebitis salutẽ de hostibus, & digna factis compensatio clarissime uobis innotescet.

2 Beatus uir qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendet istud. Custodiẽs sabbathũ ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum.

Sabbathi custodia.

Vnum id exigo ab hominibus, hunc cultum præfero omnibus sacrificijs, qui hac parte mihi morem gerere studuerit, uere beatus erit. Amicum habebo, accumulabo bonis præsentis uitæ & futuræ. Hunc filijs hominum scopũ præfigo, Exhibete proximis uestris charitatem, ipsis faciendo quod uobis fieri uultis, quod est æquitas & iustitia. Mihi uerò sabbathum diligentissimè custodieritis, non ut ab omni opere cessetis, sed tempus quietis à seruilibus operibus sic uobis deligatis, ut me uestrũ & mundi totius conditorem recogitetis, qui omnia uobis ad obsequium & utilitatẽ creauit: de uoluntate mea implẽda tunc animũ sancto proposito renouetis: legem meam, uerbũ fidei et exempla prouidentiæ meæ, propheticas scripturas, audite, discite, & ruminate: pauperes uisitate beneficijs, et mœstos cõsolationibus. Hoc pacto sabbathũ seruatũ placebit, & si totos uos prouidentiæ & bonitati meæ cõmendaueritis, & de meritis uestris desperaueritis. Otiari aũt, libidinari, insolescere, debita repetere, pauperes contristare & opprimere, hoc est sabbathum prophanare, & me summopere irritare.

3 Et nõ dicat filius aduenæ, Qui adhæret domino? dicens, Separatione diuidet me dominus à populo suo. Et non dicat eunuchus, Ecce ego lignum aridum.

Ecclesia nõ habebit schisma.

In hac mea noua ampliss imaq; ecclesia nemo pro quacunq; carnis naturali cõditione uel defectu alijs despectui erit uel repudiandus, nec eunuchus ob maledictionẽ sterilis naturæ, nec alienigena, ex quibuscũq; exteris nationibus peregrinus. Nulla hic personarum erit acceptatio, ubi æqua fides in dominum, & charitas ad proximum locum inuenuet. Non enim posthac separatio erit & schisma in populo dei, ob quamcunq; gentiũ differentiã. Ostendit enim dominus Petro neminem communem aut immundum dicendum hominem, sed in ueritate compertum accepit, quòd in omni gente qui timent deum & operantur iustitiam accepti sunt illi.

4 Quia hæc dicit dominus eunuchis, Qui custodierint sabbatha mea, & elegerint quæ ego uolui, & tenuerint fœdus meum.

5 Dabo eis in domo mea, et in muris meis locũ, et nomẽ melius à filijs et filiabus: nomen sempiternũ dabo eis, q̃d non peribit.

Propagatio fidelium.

Posthac non necessaria nec admodum laudabilis erit carnis propagatio, ad fideliũ in ecclesia augmentũ, ut in lege maledictus habebatur sterilis in Israël. In hac enim noua ecclesia satis erit filiorum, ut si qui se propter regnum cœlorũ castrauerint, suum tamen locum honoris inueniant si tamen sabbatha domini custodiant, & uoluntati domini implendæ toti insistant, si firmiter tenuerint fœdus meum, ut me dominũ deum agnoscant ac colant, & ego illorũ pater pastor & dominus ero semper, non obstante quacunq; corporis sterilitate, si tantũ spiritualibus in ecclesia filijs pro uiribus insistãt generandis. Tunc enim eunuchorum opprobriũ non timebunt, sed gloriam suam in ecclesia magnificam obtinebunt, multo maiorem quàm si fœcundi fuissent filijs carnis.

6 Et filios aduenæ qui adhærent domino ut colant eum, et diligant nomen domini, ut sint ei in seruos: omnem custodientem sabbathum ne polluat illud, & tenentem fœdus meum.

Sacerdotes omnes fideles.

Aduenæ etiam ex gentibus non minus apponentur huic meæ ecclesiæ quàm Leuitæ adiectitij olim. Ministrabunt enim mihi omnes, & regale sacerdotiũ erunt, qui amplexuri sunt nomen meum, & futuri serui mei. Omnes hi ex quacunq; natione progeniti, qui studiosè sibi cauebant à pollutione mei nominis, qui initum pactum meum seruauerint, ut me solum diligant patrem, ut

ego ipsos filiorum loco suscipiam & habeam. Nihil hic dicitur de templo, sacrificijs, aris, & peregrinationibus ad Hierosolymam, ter in anno, uel semel in uita.

7 Adducam eos in montē sanctū meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ. Holocausta eorum, & uictimæ eorū placebunt super altari meo: quia domus mea, domus orationis uocabit cunctis populis.

Leuitæ noui in ecclesia. Huiusmodi nouos seruos & Leuitas meos introducam in ecclesiam nouam, aureā Hierosolymam, in montem sanctitatis meæ, patiar me ab illis adorari & coli, non minore cum fructu exauditionis, & repropitiationis, inspirationis, reuelationis, & indulgentiæ, quàm si nunc in Salomonico hoc templo ad aram sacram in ipso sancto sanctorum coram propitiatorio mediante Vrim & Thummim ab ipsis inuocarer, adorarer & colerer. Tunc enim his omnibus cessantibus, pater omnipotens cum spiritus sit, in spiritu & ueritate adorari uolet, & sine personarum acceptione à Græcis & Barbaris, non tantum Iudæis. Domus enim mea quæ nunc extat Hierosolymis, Iudæis tantum frequentatur oratoribus, & Locus adorationis. ea non nisi à sacerdotibus intratur. Tunc autem adorationis meæ locus omnibus patebit gentibus: omnes me gentes uno humero adorabunt. Vbicunq; enim electi erūt, & fideles in gentibus uniuersis, ibi orationis meæ locus erit. Sunt enim templum spiritus sancti quotquot domino sunt deuoti, etiam stante Salomonico templo, exemplis Eliæ, Elisæi & similibus, Samuelis & alijs.

8 Ait dominus deus qui cōgregat dispersos Israël, Adhuc congregabo ad eum congregatos eius.

Firma extat promissio omnipotentis dei, ut non solum sit congregaturus Israëlem dispergendum in gentes per Babylonicos & Assyrios, sed longe celebriorem adhuc gentium ad se ecclesiam sit per Messiam suo tempore collecturus. Cuius tam magnificis collectionis hæc prior typus sit tenuis futurus: quandoquidem ex ipsa longe illustrior sit dei gloria promanatura quàm ex priore. Vt orbis latior est Iudæa, & cœlum templo: sic regnum Messiæ regnis regum omnium.

9 Omnes bestiæ agri uenite ad deuorandum, uniuersæ bestiæ saltus.

Cōgregatio fidelium. Aliam quoq; congregationē eisdem temporibus dominus faciet, bestiarum scilicet, quæ Israëlem carnalem, impiū, degenerem, et hoc nomine indignū deuorabunt, quas ex saltibus et regionibus aduocabit, ut disperdatur ingrata Iudæa, pro qua plantetur sacrosancta catholica ecclesia. Iam enim multis explicata est & prædicta uastatio impiorum Iudæorum, quam orbis totus iamdudum cernit peractam: & accessionem fideliū ex omnibus gentibus ad uerū deum colendū, quæ & eisdem ferè contigerūt temporibus, apostolis in orbe prædicantibus deum uerū, subsequentibus miseris Iudæis, qui orbi prædicent tēpli, urbis, et gentis ueteris excidiū atq; finem.

10 ¶ Speculatores eius cæci omnes, nescierunt uniuersi: canes muti non ualentes latrare, dormiētes, iacentes, amātes somnia.

Tantæ Iudæorū cladis causam hic prolixa narratione describit propheta, ne quis gentilis existimet deū non uehementer cōpulsum ad excindendū gentem Iudaicam cui tanta promissa erant, et toties peccata remissa, quæ & toties fuerat domino reconciliata & relapsa. Reijcitur autem tanti mali causa in cæcos illius populi principes sacerdotū, scribas, pharisæos, legis diuinæ peruersores & deprauatores: qui ob auaritiam fœdam ueri dei cultum aboleuerunt ut filij Heli. Contra populi uitia non clamare ausi sunt, quibus poterāt fœdiora imperari flagitia. Dormitauerunt per socordiam, non populi ædificationem meditantes & dei gloriā, sed priuatum commodum & uoluptates, quibus magis obnoxij tenentur. Torpent enim ad uitiorum eradicationem, uirtutumq; plantationes, & somno opprimuntur inertiæ luxus et fastus. Sic quoties prælati populi, episcopi, abbates, & religiosa professione sese uenditantes tales fiunt, ut hic describitur, toties ecclesiæ & populo toti imminet uehemens deprauatio, quam non obmittit dominus iusto suo iudicio inultam. Eius rei exemplum posuit in sacris literis, toti orbi, omnium sæculorū, Iudæorum mores & studia, ut discant homines non mitiore pœna se puniendos à domino, si æquali impietate sacerdotes & populus fuerint deprauati.

11 Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi pastores ignorauerūt intelligentiam: omnes in uiam suam declinauerunt, unusquisq; ad auaritiā suam, usq; ad nouissimum.

Impudentes canes ex anima, auidi dicuntur. Nihil autem cantatū magis quàm auaritia præsidentiū ecclesijs, maximè autem populo Iudaico Christi temporibus, quam & ubiq; taxat necessario, qui nesciunt unquam saturari, semper plura cupientes, ut et Iudæi ipsi fatentur secundū templum uastatū ob auaritiam sacerdotum. Toti igitur intenti ad lucrū, mirandū nō est si legē non didicerint, quæ auaritiā detestatur etiā in principibus, quæ multo pernicioſior est in doctoribus & episcopis.

12 Venite, sumamus uinum, et impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic & cras, & maior multo amplius.

Quid ni auaritiam & diuitiarum copiam & inertiam otium sequeretur commessationū ebrietatumq; luxus? Quibus in primis tam apud Iudæos olim quàm apud nos iam dudum toti se dediderunt uulgus clericorū: eorum scilicet qui alijs uerbo & exemplo parsimoniæ & frugalitatis, imò disciplinæ & rigiditatis, imò pœnitentiæ austeræ uias se præbere iactabant, & pietatem prædicare debuerunt. Adferatur, aiunt, uinum ut perpotemus ad ebrietatem, & ingurgitemur quotidie, ut crapula crapulam prouocet, & temulentia potationem, interim in totū neglecto opere domini, ad quod, ut sunt incepti, sic se solos unctos hæc curanda suscepisse, alijsq; non licere proclamant.

CAPVT LVII.

1 IVstus perit, & non est qui recogitet in corde suo, & uiri probi colliguntur

colliguntur, non est qui intelligat: à facie enim malitiæ collectus est iustus.

Nec sensus nec distinctio Hebræa patitur hic noui argumenti notam. Dum impij ac impiorum patroni in diuitijs regnant uoluptatibus tuti, uel temporibus Esaiæ, uel Christi, interim semper aut sæpe periclitantur iusti quibus hæc displicent, qui à diuino spiritu impelluntur redarguere criminosos, qui scandalum plebis ferre nequeunt, & cupiunt statum ecclesiæ reformari: statim ij iusti & innocentes periclitantur, & pereunt sub iniustis iudicibus. Nemo autem eos uindicat, nec pro rei indignitate irascitur. Sic fit ut probissimi quiq; uiri tollantur è medio, occidantur uel etiam à domino subtrahantur, ut Enoch, ne uel malitia immutetur animus illorum, uel quia indignus fiat mundus præsentia sanctorum: interim tamen nemo consyderat, pericula uirtutis, & diluuium criminum nemo æstimat. Aufertur enim iustus & deficit è uita, factione pessimorum, ne depranati populi sui uideat propediem dignissimam ultionem inferendam à iusto domino. Pericula iustorum.

2 Ingredietur pacem, requiescet in cubili suo qui ambulauit in directione sua.

Beneficio autem dei iustus pacem ingreditur, ad animas sanctorum deportatur, in sinum patriarcharum, ut quiescat in cubiculo sepulchri sui, domino deo suo commissus, in cuius conspectu graditur & uiuit. Non displicet continuatio ad præcedens cõtra impios, qui tollunt ideo iustum, ut ipsis liberè libidinari liceat in suis cubiculis, & ambulent secundum libidinem tutiores. Sed Hebræi primam sequuntur sententiam omnes. Pax iustorum.

3 Vos autem accedite huc filij auguratricis, semen adulteri, & fornicariæ.

Hic potius uidetur distinctio admittenda, etiam Hebræis aliquibus annotata exemplaribus. Est enim nouũ argumentum, ut repudij Iudaici malum, aliæ quoq; rationes describantur præter præsidentium quæstum, luxum, & sanguinolentiã: de quibus supra. Acri ergo & dura uoce citantur impij Iudæi ad iudiciũ domini: Vos, inquit, filij ueneficæ matris, nulla miseratione digni, nati ex infamibus parentibus, huc accedite. Non aliter hactenus uiuitis quàm si ex adultero et adultera nati essetis. Reuera autem illegitimi & degeneres estis à sanctis, eorum fortasis filij, qui semper spiritui sancto restiterunt, semper dura ceruice & indomabili corde. Reprehensio Iudaicum.

4 Super quem lusistis? super quem dilatastis os, & porrexistis linguam? nunquid non uos filij scelesti, semen mendax?

Cuius rei gratia sic delicias turpes sectamini? Vt quid sic os uestrum dilatastis non solum deum contemnendo, sed etiam prophetas sanctos irridendo & persequendo, imò occidendo, dominum blasphemando in ipsius ministris? factis uestris ostendendo uos esse filios ignobiles, adulterio natos, spurios, & inertes.

5 qui consolamini in dijs subter omne lignum frondosum, immolantes paruulos in torrentibus subter eminentes petras?

Impiorum de gente Iudaica peccata & auersiones commemorat, ut sint propensissimi & flagrantes desyderio colendi deos alienos, ad morem gentilium, qui idolatriam exercebant cum multa turpitudine Venerea, & lusibus inhonestis, sine uerecundia & honestate: sic persuasi ab impijs idolorum sacerdotibus, ut honesta & pia arbitrarentur quæ erant impura & abominabilia. Sub quercubus enim & lucis suis idola sua colebant, epulis, choræis Veneri intendentes, et in honorem deorum suorum proprios filios mactantes prope torrentes, & in præruptis petrarum, intimioribusq; locis, & pro natura locorum secretioribus, quo uenerarentur magis, & religiosior apparêret cultus in locis arduis, & difficulter accessibilibus. Omnia ad deceptionem uulgi simplicis & superstitiosi, ad luxũ sacerdotum, qui & sibi asciscebant nobilium pueros, & parentes inclinabant hoc pacto deos coli optare: non absimiliter istis monachis, qui in remotioribus olim ab hominibus locis, sub pietatis specie, diuinum cultum erigere, honestiore tamen modo cœperunt, sine uerbo domini, propter quod & tam miserè illos degenerasse in opera carnis uidimus, et à uerè sanctis operibus à domino præceptis abhorruerunt, otio, luxu & uanis rebus impediti. Tales etiam prophetarum temporibus erant sacerdotes Baalim, et uirgines uestales, uel illis similes, qui uerè liberos superstitiosorum mactare dicebantur, cum abstraherent ab honesto conuictu, & ad sua sacrilegia illis abutebantur, æquanimiter eas constuprari scientes. Idololatria Iudæorum. Falsus dei cultus.

6 In partibus torrentis pars tua, ipsi sunt sors tua: & ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium: nunquid super his non indignabor?

Impendio delectaris in uisitationibus delubrorum & capellarum quæ ad ripas fluminum dijs ædificata uenerabantur, & ad fontium scaturigines amœniores. Erunt ergo sors tua loca inhospita, deserta, & horribilia, dum hostes tuos à patria tua extorris fugere coges. Illis enim in locis tuis idolis sacrificasti libamina & oblationes, contra meam tam seriosam & assiduam dehortationem, libidini tuæ obsequentior quàm uoluntati meæ, & in tuum damnũ stultior & insanior quàm ego ferre debuerim. Num ergo ego pro tot & tantis malis tuis non te puniam? Num æquanimiter ferre possim? Delubra idolorum.

7 Super montem excelsum & sublimem posuisti cubile tuum, & illuc ascendisti, ut immolares hostias.

In montium cacuminibus ædificasti templa tua, ibi idolis cum quibus fornicabaris strauisti lectisternia tua, ibi contra legem meam stultè immolasti dæmonibus, & non deo, uictimas tuas, non sine multo & uano studio, expensis, & labore.

8 Et post ostium, & postem posuisti memoriale tuum: quia me deserto discooperuisti, & suscepisti (adulterum) dilatasti cubile tuum, & pepegisti cum eis. Dilexisti stratum eorum (ubiq;) locum uidisti,

Et pro postibus tuarũ domuum, in quibus memoria-lia legis meæ sicut & in frontalibus & philacterijs portare debuisti, & intra singulas domos tuas pro tutelaribus dijs, tu idolorum sacramenta & imagines pictas uel adpositas habuisti, quo frequentior deorum tuorum tibi memoria occurreret excunti & ingredienti templa & domos tuas: quasi in meum sponsi tui fidelißimi stratum ponẽs adulterũ tuum, cui te diligentius renudasti quàm mihi. Imò & latius feciſti & ornatius cubile deorum tuorum, cum quibus fœdera iniuisti, & ardentius adamasti eos: quocunq; in loco, quem amœnum & elegantem uidebas ibi fornicationis tuæ idola coluisti. Nõ fuisti paucorum deorum cultu contenta, & loco uno, sed multos paßim & ubiq; contra legem meam erexisti.

Tutelaria idola.

9 **& ornasti te regi unguento, & multiplicasti pigmẽta tua. Misisti legatos tuos procul, & humiliata es usq; ad inferos.**

Non tantum idolis præstitisti cultum mihi debitũ, sed & fiduciam tuam ad me saluatorem & patrem referendam detraxisti mihi, & collocasti in externos reges & remotiores confidentiam tuam, cum uni mihi fidere debueris, qui nunquam tibi & patribus tuis defui, sed adiuui fideliter. Tu uerò spreto meo fauore, auxilio & promißis, quicquid ego tibi in terra pretiosum & insigne tradidi, ut oleum, unguenta, hoc tu regibus donum misisti legatis tuis, ad cõciliandum tibi fauorem eorum, ut te iuuarent, quæ uni mihi fidere debueras et credidisse. Ideoq; nihil tibi proderit illorum gratia uel robur, quo minus maximè sis adfligenda ab eis, & humiliandа in infernũ, quam in cœlum usq; beneficijs extuleram.

Fiducia in principes mundi.

10 **In multitudine uiæ tuæ laborasti: nec dixisti, Quiescendũ est. Vitam manus tuæ inuenisti, propterea non elanguisti.**

Superstitione numia & onerosa te grauasti, & sine tædio seruisti idolis, putasti te inuenisse occasionem magni oblectamenti & gaudij, & ueluti refrigerium nouum uel salutem, si nouam aliquam superstitionem suscepisses à gentilibus, quam sine cunctatione et labore amplectabaris. Si externu regis gratiam promeruisses, non languebas amplius, nihil tibi aduersum ocursurum putabas, iam te tutam putabas, interim tamen auxilio tam meo quàm hominum destituenda.

11 **Pro quo solicita timuisti, quia mentita es, & mei non es recordata, neq; cogitasti in corde tuo: quia ego perpetuò ero tacẽs, & me reuerita non es.**

Obliuio dei.

Dum mei benefactoris tanti & potentißimi amici te ceperit obliuio, ut non timeas me, sed mentiaris uerbo et studijs, quem poteris timere? pro quo colendo solicitaberis? Si enim mihi fidem noluisti seruare, cui seruabis? & si patrẽ tuum nõ colis, quis tibi colendus uidebitur? Nũ ego tibi perpetuò mutus sum, & semper ignotus, ut me nõ timeas? Nónne apertè tibi innotui, legẽ proposui, beneficia & miracula ædidi, defensaui, excolui, qui fit ergo ut negligar à te, & non colar amore uel timore?

12 **Ego annuntiabo iustitiã tuam, & opera tua, & non proderunt tibi.**

Te igitur non agnoscente beneficia mea sed mentiente, & perfidia laborante, ego scelera & transgressiones tuas annuntiabo, & retegam quàm iusta sis, in magnum tuum incommodum & dedecus. Apparebit omnibus tua magnitudo & peruicax institutũ, si sic humiliter peccatores non fateantur, dominus palàm protrahet & diffamandos prodet: si uerò confeßi fuerimus iniquitates nostras, &c.

13 **Cum clamaueris, liberent te congregati tui, & omnes eos auferet uentus, tollet uanitas. Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terrã, & possidebit montem sanctum meum.**

Sententiæ graues sunt, super finibus impiorum & bonorum. Qui carneo brachio innititur, confundetur. Idolorum cultores destituentur auxilio dum egebunt. Qui muneribus ambiunt regum gratiam, domino neglecto, ij domino deserente, humano quoq; præsidio fraudabuntur. Quid enĩ aliud sunt incredulti domino, quàm uentus & uanitas facile abijciendi? Et qui sibi succurrere nesciunt, quibus erunt auxilio? quos tutabuntur? Qui sperant autem in me feliciter subsistent, non delebuntur in terra, tã in præsenti uita nullo deficient quàm in futura summam beatitudinis assequentur: in hac uita felices, & in futura beatorum sorte, quæ mons domini dicitur, beati erunt. Alioqui quid esset hæreditare montem domini? quoti in monte Sion uel Hierosolymis possent domicilia sua collocare? Sed mons domini sanctus, est cœlestis sanctorum patria.

14 **Et dicã, Viam facite, præbete iter, declinate de semita, auferte offendicula de uia populi mei.**

Exponit deus quid in primis exigat ab hominibus, & qualis sit ipse eis. Non ad hanc uel aliam gentem alligatus est ullo affectu, sed in omni gente qui timet deũ, & quod iustum est operatur, gratus est ei. Quo ludaicum excutit supercilium, & gentes quoq; uocat omnes, ut ad pœnitentiam se conuertant, tollant duritiam lapideam è cordibus, incredulitatem & priuatum amorem, idola & quicquid à dei cultu abducit abijciant, et uiam domini disponant, digna conuersatione sequantur pastorem animarum suarum, & obstacula pietatis amoueant, quo in uia populi dei, qui obediunt uerbo illius expedite & alacriter incedant.

15 **Quia hæc dicit excelsus, & sublimis habitans æternitatem: & sanctum nomen eius in excelso & in sancto habitãs, & cum contrito & humili spiritu, ad uiuificandũ spiritum humilium, & ad uiuificandum cor contritorum.**

Fidei insignis articulus hic fundatur, de Domini dei summa potestate, qui omnibus dominatur, cœlestia moderatur, æternus & immensus, sanctus in omnibus operibus et irreprehensibilis, qui quidem in cœlis habitat, & gloriam suam ostendit, humilia tamen aspicit, & coram intuetur corda & studia. Complacet sibi tamen in modestis

modestis hominibus, & de se parum promittentibus: contrito & humili cordi adest: consolatur & reficit humiles spiritu: superbis irascitur, resistit, ac deijcit.

16 Non enim in sempiternũ litigabo, neq; usq; ad finem irascar, quia spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam.

Non odi creaturas quas condidi: non abieci nec' Iudæos, nec gentes: non intractabilis iudex sum uel tyrannus: sed paratus sum benefacere omnibus, qui ius naturæ indidi, ut intelligant quid bonum & malum. Legem tuli ut sciant quid uelim & nolim: uocaui ad cultum meum, ut illis benefaciam, attraham uinculis amoris, procul sum ab ira meorũ, etiam si pro peccatis puniendo uidear iratus, facile resipiscentibus errata condono. Meus est enim spiritus humanus, ego illum creaui et indidi, eximo eum corpori, & iterum imbuo, pro arbitrio meo, à quo pendent omnia. Nihil sunt omnes uires humanæ sine gratia & spiritu dei.

17 Propter iniquitatẽ auaritiæ eius iratus sum, & percussi eũ: abscondendo, indignatus sum, & abijt uagus in uia cordis sui.

Ego dominus, tam mundo toti quàm unicuiq; homini irascor, & calamitates immitto, si cum uidero affectibus carnalibus deditum, non quæ ego præcepi, sed quæ illi placent sectando, cum ad arbitrium suum non ad legem meam me colere uel uitam instituere maluerit. Est enim auaritia non tantum diuitiarum, sed sensus gloriæ, scientiæ & omnũ quæ desiderari inordinatius possunt: hos ego percutio, & auersor, faciem ueluti iratus abscondendo. Maximum autem iræ meæ indicium est, si quem secundum desyderia cordis sui uagari permisero, si contemni meam legem, & ad libidinem propriam quemquam uiuere permisero.

18 Vias eius uidi, & sanaui eum, & reduxi eum, & reddidi consolationes ipsi, & lugentibus eius.

Si uero ego per gratiam meam reuero uias alicuius, & prospexero moribus, uideboq; alicuius curam resumpsisse: iam certo sanabitur à plagis, iam consolabitur post aduersa, iam saluti restituetur, & sibijpsi, ut de eo gratulaturi sint omnes, qui illum luxerant, & proprio sensu periclitantem indolebant. Sic non odi ego creaturas meas, sed per prouidentiam rego ad gloriam meam, & bonum earum, qui initium & finis sum salutis electorũ: eo ostendente faciem saluamur, auertente turbamur per omnia. Respiciente Christo Petrus resipuit, sicut amore sui et timore aduersitatum negauerat.

19 Creaui fructum labiorũ pacem, pacem, ei qui longe est & qui prope, dixit dominus, & sanaui eum.

Omnis bonus fructus labiorum quicquid homo boni loqui potest, imò et cogitare, ex deo est. Dominus creat bonum, & desursum mittit. Omnis sufficientia nostra ex deo est. Salus & pax à domino datur. Non tantum sanat, solatur, beat, uocat, & suscipit Iudæos, qui sibi proximi uidebantur, sed etiã gentes, & ex toto mundo peccatores: cui nihil reuera distat, qui omnia implet, sed abesse putatur, cum gratiæ & uocationis signa non ostendit. Nec quisquam tam in remota abcesserit, etiam si ut prodigus filius prodegerit omnia, qui non redeat ad patrem, si resipiscat uocatus à domino, & fide in ipsum instigatus.

20 Impij autem quasi mare feruens, quòd quiescere non potest, et redundant fluctus eius fimum & lutum.

Conscientia impiorum nunquam serena est, aliorum paci insidiatur, uel sæculum turbat. Vt nunquam mare quieuit, sed tumultuatur, fluctuat, & littora concutit, lutum & excrementa eijcit: sic de malo thesauro cordis mala proferũt impij, sordida immunda semper opera agunt, nunquam quieti donec moriantur.

21 Non est pax, dicit deus impijs.

Impij semper pessime habent, uel dum hic pijs molestias inferunt, uel dum alibi uindictã iustitiæ diuinæ experiuntur, ut diues epulo, & similes.

¶ CAPVT LVIII.

1 CLama in gutture, ne cesses, quasi tuba exalta uocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, et domui Iacob peccata eorum.

Verba prophetæ tam ad populum præuaricantem legem dei, & fictis à se operibus sibi iustitiam coram domino parare uolentem & iactare inaniter, quàm ad prophetas sanctos, & qui huiusmodi populum strenue & sedulo increpent, & pœnitentiam prædicent, & opera uerè bona quæ domino probentur. Simulq; indicent quamobrem Iudæi à domino sint reprobandi, & qualia à populo suo deus opera exigat. Clamandũ ergo prophetis est sedulo, & non cessandum ob ingratos auditores. Sunt enim etiam in populo dei præuaricatores, quos reuocat dominus per prophetas. Qui uerbo audire renuunt, facto ostendunt se reprobatos, et nõ ex ouibus boni pastoris. Clamandũ contra peccatores.

2 Me etenim de die in diem quærunt, & scire uias meas uolunt: quasi gens quæ iustitiam fecerit, & iudicium dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia iustitiæ, appropinquare deo uolunt.

Quæritur deus à pijs ut audiant quid loquatur in eis dominus, ut in quo placere ipsi possint, quod & cupiũt summopere. Hypocritæ uero deum quærunt, ut sciant tantum, iustitiæ nomen ambiunt coram hominibus, etiã deo ipso imponere suis figmentis cupientes, ut sancti habeantur, operibus commendantes se deo, de deo curiose loquaces, ipsi impij, quum interim iustitiam iactent, & innocentiam, quasi nihil obmiserint eorum quæ ad iudicia domini conseruanda exiguntur, audent quoq; polliceri plura, quàm domino obligentur, uota quædã supererogationis comminiscentes, cũ prima elementa timoris domini nondum attigerint, perfectionis sibi statum somniant, quẽ assequi moliantur. Cupiunt uideri multa scire, sed friuola: facere magna, sed uana. Deus quatenus quærendus.

3 Quare ieiunauimus, & nõ aspexisti: hu

miliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunij uestri inuenit uoluntas (uestra) et omnes debitores uestros urgetis.

4 Ecce, ad litem, & ad contentionem ieiunatis & percutitis pugno impie. Nolite ieiunare sicut usq; ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor uester.

Contra operum iactatores.

Dum de neglecta iustitia redarguuntur, uel ira dei illis intentatur, audent dicere: Quare cum tantopere ieiunauerimus, tu nõ aspexisti? Nosipsos & corpora nostra adfliximus, & tu non appreciaris, non magnifacis? quasi absit tibi prouidentia rerum infimarũ. Quibus respondet uerbum domini: Quid & quale iactatis ieiunium? quo non oblector, sed eo quo abstinetur à prauis affectibus, ab auaritia & austeritate. Vos autẽ contenditis, litigatis cum pauperibus, quos pugno percutitis, ad iudices trahitis, conijcitis in carceres, caput legis charitatem & misericordiam præteritis. Nolo hoc tale ieiunium, oppressioni egenorum coniunctum, ut audiatur pariter uox iniuriatorum, orphanorum, & uiduarum in auribus meis, cum uestris superbis orationibus.

5 Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominẽ animam suam? nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? nunquid istud uocabis ieiunium, & diem acceptabilem domino?

Ieiunium religiosum.

Vbi ego præcepi superstitiosum ieiunũ in tota lege mea? Timorem & charitatem præcepi mihi, & proximo. Non ut aliquot diebus, hoc uel illo corpus quisq; suũ necessario cibo negando adfligat: superfluo ut alatur nunquam licet. A crapula quacũq; et ebrietate semper cauendum est. Non delectum uolo in cibis, sed parsimoniam. Nolo capitis fragilitatem ex ieiunio, quod saluum bonis adesse operibus & exercitijs, et seruari oportet: ut etiam aquæ potus prohibitus sit, si scienter ad libidinem gulæ et corporis infirmitatẽ sumatur: uinũ aũt modicum uti malo dum corporis ualetudo requirit. Sic non carnibus abstinendũ præcipitur, sed lentes cũ auiditate deuorare in uitiũ imputatur. Nec saccus indui præcipitur, nec laudatur, sed humilis oratio, & mentis contritio uera, quem saccus puluis & circulus ostendunt quidem sed non probant nec exhibent, sed sæpe fingunt.

6 Nónne hoc est (magis) ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimittite q; eos qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpite.

Charitatis opera.

Ieiunij nomine castigationes quoque reliquæ corporis accipiuntur. Commendat autem dominus ut uerè bona opera, ne debitoribus nostris, dum soluendo nõ sumus, molesti simus, si quidem nostris fraudibus obstrinxerimus. Hi sunt enim nexus impietatis, & fasciculi conscientiã deprimẽtes et pauperes. Dum censibus, usuris, coemptionibus prædiorum diuexantur iniuste pauperes, uult potius dimitti liberos, qui in ergastrijs oberati tenentur: nemini oneroſum esse uirum iustum. Iugum quoque & nexus malarum consuetudinum dissolui decet, quæ difficile relinquuntur: serui quoque septimo anno liberi relinquendi sunt.

7 Nónne frangere esurienti panem tuum? & egenos uagos q; induc in domum. Quũ uideris nudum, operi eum, & à carne tua ne te absconderis.

Distribuendum potius famelicis cibum, tibi non necessarium. Hoc ieiuniũ placebit domino, si cibum tuum diuiseris egentibus sine respectu personarum. Etiam extraneum & uagum induc in domum tuam, pauperem & contemptũ qui nequeant reimuitare. Nudos uestias, etiam non rogatus. Ad solã uisionem charitas te permoueat ad tegendum, ipsa nuditas satis inclamat te si succurrere uales, quum sit unum ex membris corporis tui, quibus etiam non clamantibus prouides de necessarijs: sic nec frater egenus dissimulandus erit.

8 Tunc erumpet quasi mane lumen tuũ, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciẽ tuam iustitia tua, gloria domini colliget te.

Si his pietatis operibus dominum colere cœperis, & mandatis obsequi, non erit necessaria tibi cilicina uestis, fames & sitis ingens, sed orietur sicut diluculũ lux & prosperitas tua, & salus tua & prospera ualetudo animæ & corporis uelociter germinabit, proq; hypocrisi uera te præcedet iustitia, commendabitq; deo. Haec Rab. est enim uera religio, uisitare uiduas, &c. eleemosynas præmittere anteambulones nostros, patrocinaturas nobis, quæ hic uidebuntur amissæ. Gloria enim dominus bos iustos colliget & amplexabitur, & in sinum Abrahæ reponet fouendos.

9 Tunc inuocabis, & dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adsum, si abstuleris de medio tui onus (& desieris) extendere digitum, & loqui iniquitatem.

Si fueris misericors, & fratrem amaueris, & iustificaueris, certissime exaudieris à domino. Qui autem obturat aures ad preces pauperum, & ipse clamabit & non exaudietur à domino. Si desieris opprimere pauperes, auferendo iugum de collo miserorum, pro uiribus tuis, & de angoribus seruitutis & conscientiarum eripueris, digitum tuum non demiseris, quocunq; modo illudendo ipsius paupertati, uel suffragia cum fraude nõ intuleris ad gratiam, & impias confœderationes nõ inieris, & iniquitatem non dixeris, falsum comprobando meudaciter, uerbis lædendo & calumniando.

10 Quum effuderis esurienti animã tuam, & animam afflictam repleueris: orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.

Si ex animo offeras indigenti quamcunq; eleemosynam, afflictum fueris consolatus, & desideria iusta impleueris humiliter postulanti: tunc illustrabit dominus intellectum tuum, inflammabit affectum & conscientiam serenabit: nõ uulgari te luce clarificabit, sed ueluti meridies eris, per quam felicissimus uereq; gloriosus.

11 Et requiẽ tibi dabit dominus semper, & imple

implebit splendoribus (uel siccitatibus) animam tuã, & ossa tua corroborabit. Et eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.

Misericordia dei gratia.

Prouidentia peculiari diriget dominus clementes et misericordes. Misericordiam enim consequentur, & in siccitatibus aliorum ipsi abundanter potabuntur, saginabuntur præ ubertate bonorum omniũ, & ut irriguus hortus fructus omnium uirtutum progerminabunt, & perennis fons aquarum uitæ profluet ex eis meritorum & bonorum operum, nec unquam exiccandus.

12 Et ædificabuntur in te deserta sæculorum: fundamenta generationis et generationis suscitabis, et uocaberis sarctor irruptionũ restituens semitas ad habitandum.

Terra sanctis erit habitata.

Sanctis et innocentibus hominibus excolitur illustratur & inhabitatur terra, sicut impijs uastatur & perditur. Cupiũt enim boni uiri prodesse multis, id quod agriculturæ diligenti et ciuiũ promotione perficitur: quodq; diutissime deprauatũ fuerat in moribus hominum, pio-rum studio probitateq; reformatur ad meliora, posterisq; generationibus fundamenta pacis iustitiæ & eruditionis sacræ iaciuntur, deniq; pauperes iuuãdo ipsorum posteritati fulcimenta submittuntur. Sic denique fit, ut honorabile quoq; nomen transmittant sancti uiri ad posteros, ut uocentur reformatores terræ, confractarum sepium reparatores, religionis quoq; renouatores, & patres patriæ, uiarum publicarũ repurgatores: quorum studio tuta fiunt omnia, pax et felicitas regnat.

13 Si auerteris à sabbatho pedem tuum, facere uoluntatem tuam in die sancto meo, tũc uocabis sabbathũ delicatũ, ad sanctificandum dominũ glorificatũ, & glorificaueris eum, operibus uiarum tuarũ ne inueniatur uoluntas tua ut loquaris sermonẽ:

Vocatio sabbathi ad legem.

Non te credas sabbathum seruasse, si uacaueris otio corporeo, si sacrificia, psalmos, uestes, conuiuia, & inbilum peregeris, ab his enim non placebis magnopere domino: sed si teipsum abnegaueris, uoluntati carnis et proprij sensus renuntiaueris, ut suum in te opus dominus operetur, si quicquam operum tuorũ sabbatho proposueris, & tamen propter deum obmiseris, illi ut uaces, & proximo indigenti prosis et succurras, tale sabbathum deo gratum erit. Et uere uocabis illud sabbathũ sanctum & delicatum, & gratissimũ domino. Ipsumq; digne glorificatum et sanctificatum in eo. Quod si etiã in qualicunq; spirituali & ad speciem sancto operi, tuum cõmodum spectaueris, seruile erit, & sabbathum uerum domini uiolabit. Quod si etiam à malis cogitationibus, et inutilibus uerbis cohibueris te, maximæ tibi benedictiones promittuntur. Hoc enim est uere remotatione & opere uoluntatem non suam sed dei facere.

14 tunc delectaberis super domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Os enim domini locutum est.

Delectari super dominum, spirituale est gaudium, non corporale, considerare ipsius summiam bonitatem, extra quod & supra illud nihil desiderare: ut Abraham, cũi sedens mercedem promittit, non certe corporalem & temporaneam, quæ uirtutibus comparari & compensari non possunt, et Abraham ne uestigium quidem accepit terræ promissæ, quæ impijs multis postea contigit. Certum est igitur, hic uera gaudia promitti digne sabbathum agentibus, conscendere scilicet in excelsa terræ, sanctis tantum promissæ non impijs. Et edere hæreditatem Iacob, est ambrosia & nectare æternæ & cœlestis felicitatis uesci & semper frui. Hæc inquit oĩa, non de meo locutus sum, sed os domini quo creatus est mundus. Verbum dei patris, Christus in prophetis certissime loquens, hæc omnia dixit & promisit.

Gaudia uera in domino.

¶ CAPVT LIX.

1 ECce, non est abbreuiata manus domini ut saluare nequeat, neq; aggrauata est auris eius ut non exaudiat:

Populi impietas sub bonis regibus.

Ex Regum historijs constat malitia populi etiam sub paucis bonis regibus, Ezechia scilicet & Iosia, sub quibus resipiscentibus ab idololatria, populus tamen egre permisit idola & excelsa dirui, ideoq; reges alij ad gratiam populi relapsi sunt ad impietates, donec pariter caperentur. Hæc quoq; ratio fuit, ut sub Ezechia regnum destructum fuerit, sola Hierosolyma liberata, & Iosias tardius admonitus de lege domini, nõ admodum diu regnauit, occisus in prælio. Sed & ante Christi tempora, semper populus impius erat cum regibus & ducibus, etiam sub Esdra & Neemia: propter quod nihil aliud spiritus dictabat prophetis, quàm perditionem populi, tam domino deo suo ingrati & rebellis. Verumtamen promissiones de Christo factæ et de mundi redemptione ab idololatria euacuari non poterant, & prophetæ fideles reperiendi erant. Eatenusq; doctrina prophetica moderanda, ut uniuersis prodesset temporibus. Nam & nostris temporibus æque aptissime respondet, et semper docet ecclesiam, omnia sub peccato concludi, ut omnibus misereatur: aduersitatũ causas esse peccata nostra, quæ inimicitiarum murum ponit inter nos & deum, nisi à Christo diruatur: non quod deus nesciat nos uel pauperiem nostram, qui omnia intuetur, nec est uiribus destitutus, ut nõ possit succurrere omnipotens. Semper paratus est saluare, audit orationes nostras, sed obstat iustitiæ rectitudo, ut peruicacibus et rebellare pergentibus semper indulgere non debeat, tam Iudæis tunc, quàm nunc nobis. In nos culpa torquetur, non deus crudelis est, nos nubem interponimus orationi.

Promissio dei non euacuatur.

2 sed iniquitates uestræ diuiserunt inter uos & deũ uestrũ, & peccata uestra abscondunt faciem (eius) à uobis ne exaudiret.

Peccata nostra interposuerunt murum. Nos inique egimus, & iracundiam prouocauimus. Idcirco tu inexorabilis es, cecinit Ieremias: at sanguis Christi dissoluit maceriem, & conciliauit patri tam nos quàm priorem populum semper.

3 Manus enim ueſtræ pollutæ ſunt ſanguine, & digiti ueſtri iniquitate: labia ueſtra locuta ſunt mendacium, lingua ueſtra iniquitatem fatur.

Crimina Iudæorum.

Effuſio ſanguinis prophetarum et innocentium, deprædationes & oppreßiones pauperum, cum infinitis iniurijs fortiũ contra imbecilles, & inſuper blaſphemiæ in deum, quaſi uindicare non poßit uel nolit, & in legẽ dei & uerba prophetarum calumniæ, & iudiciorũ iniquorum decreta, quibus rem familiarem augent, etiam aliorum iniuria & expilationibus uarijs adinuentionibus continuando fraudes, totum improperatur Iudæis.

4 Non eſt qui prædicet iuſte, neq; eſt qui iudicet fideliter: confidunt in nihili, & loquuntur uanitates. Conceperunt laborẽ, & pepererunt iniquitatem.

Nemo iuſte arguit, conniuent omnes, adulantur mutuum, ut participes fiant peccatorum, perfidia regnat etiam in iudicijs, ob auaritiam & perſonarũ acceptionem. Spes ſuas adijciũt ad friuola, ad diuitias, mendacia, idola, et uanitatẽ meditantur uerbo et opere, ſine timore dei ut feræ uiuentes: concipiũt & proponunt ac cõminiſcuntur moleſtias & ærumnas ſuis proximis, quos iuuare oportebat, et dum facultas datur iniquitatẽ proditionibus rapinis et crudeli manu gignunt et perficiũt.

5 Oua aſpidum ruperunt, & teles araneæ texuerunt. Qui comederit de ouis eorum, morietur, & quod confotum eſt, excludet in regulum.

Peccata cordium.

Impias ac pernicioſas cogitationes uelut baſiliſci oua fouent, ſuo tempore excludenda multorũ exitio: texunt ſibi aranearum telas: prætendunt pulchra opera, ſed uana, nihil proderunt, iudicij enim tempore efflabuntur. Laborant pulchrè & ſtrenuè, ſed ſine fructu. Omnes quibus ipſorum mala opera placuerint, uel qui conſenſerint, & ex familiaritate participes facti, moriũtur. Et ſi quis conculcatione oua huiuſmodi explicauerit, et diruerit, cogitatione uenenata fœdabitur. Sunt enĩ ualde mortifera exempla impiorum, ſicut et partus uiperarũ.

6 Telæ eorum nõ erunt in ueſtimentum, neq; operientur operibus ſuis, opera eorũ opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.

Nemo ex aranearum telis ueſtes conficit: ſic fraudulenta & uiolenta opera impiorum pernicioſa ſunt, nulli utilia, ſed ut ſceleſta à domino excrucianda in die iudicij, manibus ſuis neminu ſuccurrunt, ſed rapiunt potius, & fraudant egentes charitatis exortes, & cum miniſtris ut immites iudicandi.

7 Pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant ut effundant ſanguinem innocentem. Cogitationes eorũ cogitationes inutiles: uaſtitas & contritio in uijs eorum.

Propenſi ſemper ad male agendum pleno affectu, & ad ſanguinem innocentum effundendum, affligere proximos, abhorrere à uia pacis. Conſilia ipſorum reſpiciunt ad nocendum alijs, tantum ſibijpſis fauentes: uaſtitatem et perniciem, quoquo uerſum ſe uertunt, ſecum trahunt, non ſexui parcentes nec ætati.

8 Viam pacis neſcierunt, & non eſt iudicium in greſſibus eorum. Semitæ eorum incuruatę ſunt eis: omnis qui calcat in eis, ignorat pacem.

Oderunt pacem, damna ſectantur aliorum, rixarum & iniuriarum cauſas miniſtrant paßim, æquitatem nõ ſequuntur, ſed temeritatem & libidinem. Omnis illorũ conuerſatio impia eſt, truculenta & abominabilis pijs. Sic uitam ſuam inſtituunt, ut quicunq; ſe illis ſociauerit polluatur, & deterior abeat, exempla iniquitatis reportet, & ſcandalizetur, ſentiatq; damnum ineluibile.

9 Propter hoc elongatum eſt iudicium à nobis, & nõ apprehendet nos iuſtitia. Expectauimus lucem, & ecce tenebræ: ſplendorem, in tenebris ambulauimus.

Statum ſuæ gentis propheta lamentatur corruptißimum, & qui diutius ferri à domino & ſubſiſtere non poßit, malitiæ ſuo pondere opprimendus. Vbi enim tanta uiget peruerſitas, et iuſtitiæ neglectus, uel odium ueritatis, ibi præſens imminet exitiũ, creſcit quotidie præuaricatio & impietas: eliminato timore dei, qui eſt iuſtitia, ſuccedit error, pertinacia, deſperatio, et tota peruerſitas, ac palpabiles tenebræ ignorantiæ rerum diuinarum. Verbum enim domini deſerentes quod lumen eſt, et humanæ rationis ſcintillam imitantes, erramus in omnibus docendo ac agendo.

10 Palpauimus ſicut cęci, parietem & quaſi abſq; oculis attrectauimus. Impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui.

Vbi expedite currendum erat in uia domini, ibi in tenebris hæremus, palpitamus, implicamur, quò nos uertamus ignorantes, quaquauerſum tendamus obſtacula ſentimus, & explicandi nos ab erroribus modum non inuenimus, ſed corruimus à peccato in peccatũ ſemper, ut in foribus etiam delinquamus mortuis etiam fœtulentiores et fœtores minime ferendos exalantes, quibus etiã alios inficimus, & odor ſumus mortis ad mortem, qui ut electi dei ad uitam omnibus odor eſſe debuimus.

11 Rugiemus quaſi urſi omnes, & quaſi columbæ meditantes gememus. Expectauimus iudicium, & nõ eſt: ſalutem, elongata eſt à nobis.

Manum quoq; domini ſentientes propter peccata, & iuſtis flagellis admoniti, non emendamur, ſed impatientiſſime reclamamus, ut urſi: ut columbæ gemimus, non ex humilitate, ſed querulo & impatienti corde. Cupimusq; ſemper meliora, dum nos interim nihil emendemur. Salutem fruſtra ſperamus, qui ad ſaluatorem minime conuertimur. Non enim dei gloriam, ſed noſtrum tantum commodum ſpectamus in omnibus.

12 Multiplicatæ ſunt enim iniquitates noſtræ coram te, & peccata noſtra reſponderunt nobis, quia ſcelera noſtra nobiſcum, & iniquitates noſtras cognouimus,

Multo

Multa sunt & perpetua peccata nostra, ut nulla ter-
giuersatione cælari possint, & nos quoq; flagella senti-
mus, quæ nostris debentur peccatis: & diffiteri nõ pos-
sumus iuste nos cædi, qui trangressiones nostras negare
sicut fur deprehensus in furto non possumus.

13 Peccare & mentiri contra dominum, & auersi sumus ne iremus post tergũ dei nostri, ut loqueremur calumniam & transgressionem. Concepimus, & locuti sumus de corde uerba mendacij,

Peccare in omnibus.

Aliud in nobis non inuenimus, nec aliter habent studia nostra, quàm peccare in omnibus & mentiri domino, circumferre legẽ corporis rebellantem legi metis, amare nosipsos, negligere proximos, tueri nostra uerba & facta mendacijs & friuolis excusationibus, mordere mutuũ, detrahere, adulari, decipere, prodere, conuitijs infamare: id quoq; non solum contra homines, sed in deum, iudicia et opera eius calumniando, legem eius & uerbum abijciendo, prophetarũ oracula auersando. In summa, nihil cogitare nec loqui nisi impiũ et blasphemum, & opere se testari hostem dei & iustitiæ.

14 & conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longe stetit: quia corruit in platea ueritas, & æquitas non potuit ingredi.

Contemptus ueritatis & iustitiæ.

15 Et facta est ueritas in obliuionem, & qui recessit à malo, prædæ patuit. Et uidit dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium.

Iustitia nullum apud istos locum inuenit, rídetur, exulat, nõ sinitur adesse. Veritas enim cecidit, falsitas confirmatur, et publice regnat: ut etiam si quis loqui uerũ, sancta docere, monere meliora, iudicare iusta tentet, nõ permittitur. Necesse est ergo uiolentia omnia impleri, direptione pauperum, innocentum iniurijs, dum scilicet ordo omnis destruitur, et iniquitas nõ redarguitur, etiam à malo si quis secedere cupiat, rebus spoliatur, & patet prædæ. Quomodo hæc summã iustitiam & deum optimũ non offenderẽt? uti legem spretam non ulciscetur? degeneres filios non exhæreditaret gloriæ suæ tantam iniurentes ignominiam?

16 Et uidit quia non est uir, & admiratus est quia non est qui occurat. Et saluauit è brachio suo, & iustitia eius ipsa cõfirmauit eũ.

Nemo potest resistere Deo homini.

Neminem deus in tanto populo suo innocentem inuenit, omnes peccatores. Ideoq; inter eos nemo qui occurrat iustitiæ dei, qui reconciliare possit offensum deum, qui satisfacere pro iniuria, qui precibus intercedere, et amoliri dignam uindictam audeat. Quin brachio suo se deus defendere cogitur, & uindictam sumere, succurrereq; iustitiæ suæ, ne tota succumbat et profligetur, ut quæ repellitur peccando, uincat uindicando.

17 Indutus est iustitia ut lorica, & galea salutis in capite eius. Indutus est uestimentis ultionis, & opertus est, amiciit se quasi pallio zeli.

Impiorum durum hic iudicium comminatur, siue ad Iudæos referas ante destructionẽ templi tã primi quàm secundi, siue ad quoscunq; etiam nostri temporis. Generalis est enim lex, ut contemptores iustitiæ iuste plectantur suo tempore, dum nulla conuersione emendantur, prophetas ueritatis nõ audiunt, pios persequuntur, & filios dei opprimũt. Quod enim uni fit ex minimis dei, hoc sibi relatum suscipit, siue bonum siue malum. Armatur ergo dominus pro se, hoc est pro suis, pro populo suo, quibus sit lorica, galea, et scutum, quibus protegantur ab hoste. Non enim patiur conculcari suam iustitiam, contemnu potentiam, bonitatem rideri.

18 Sicut ad uindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, uicissitudinẽ inimicis suis: insulis uicem reddet.

19 Et timebunt qui ab occidente, nomen domini, & qui ab ortu solis, gloriam eius: quũ uenerit quasi fluuius uiolẽtus, quem spiritus domini cogit,

Vindicta pro pijs à domino.

Seriose potenter & magno studio dominus uicem repẽdet omnibus impijs, & furore iusto debacchabitur in contemptores et hostes suos, quantumlibet in remotißima sese recipiant. Vbicunq; enim electi dei opprimuntur, ibi & à domino suo tempore et modo uindicantur. Nedum in Iudæa & Israële, sed ubiq; et semper iustitiã exequitur pro suis, iterum ut sæpe prædicitur impiorũ Iudæorum in locum successuros pißimos quosq; dei cultores ex toto orbe, cuius latitudo describitur per longitudinẽ ab oriente ad occidens, hoc est, longe lateq; diffundetur rationabilis ac legitimus cultus nominis mei, qui est timere & reuereri creatorem suũ, & illius pare re mandatis. Venict autem impijs dura ultio dei subito, uelut uentus turbinis, & uiolentior quàm ut superari posit uel euadi.

20 & uenerit ad Sion redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit dñs.

Redemptor Christus.

Redemptor Sionis & eorum Israëlitarum qui de Iacob domino adhærent, & scripturæ credũt, alius nõ est quàm Meßias, Christus dominus, perfectißimus redemptor electorum à peccatis, erroribus, idololatrijs, tyrannis, infirmitatibus & calamitatibus. Nihil enim damnationis est eis qui per Christum domino adhærẽt, quibus totus mundus lucro est, etiam peccata si incidant, indulgentur resipiscentibus.

21 Et ego hoc fœdus meum cum eis, dicit dominus: Spiritus meus qui est in te, & uerba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit dñs, amodo & usque in sempiternum.

Fœdus nouum.

Cum fidelibus hoc pactum feriam generale, nouum, perpetuum & inuiolabile. Spiritum meum quo te imbuam, ut mihi fidas, obedire desideres, & ex me pendeas. Verborum meorum intellectum & amorem, sic ori tuo inseram, ut nunquàm excidant, nec tibi, nec posteris tuis. Id in ecclesia catholica sic impletũ cernitur, ut à semel inito pacto cum domino & suo uerbo nunquam exciderit. Licet enim in multis offenderit ecclesia, uel potius membra plurima ecclesiæ, nunquam tamen uer-

bum domini negauit, abiecit, uel blasphemauit, Dominũ deum suum & Christum Messiam uenerata est & coluit, ut unum & uerum deum. Multis quidem passim erroribus suppullulantibus semper restitit, & gloriam dei prætulit semper impietatibus impiorum, & ubi potuit repurgauit zizanijs agrum suum, etiam si sæpe pauci domino relinquerentur hominibus noti. Deo uero & suo iudicio relicti semper sunt septem, id est ualde multa, millia cultorum dei, in omnibus gentibus & regnis, ob ceremonarum quarundam numias admirationes & episcoporum olim superbiam, & neglectam charitatem catholicam, diuisi in sectas nimium multas: cum in confessione unius dei & saluatoris mundi Christi filij dei admodum multi et ferè omnes inter eos pie eruditi consentire sperentur, & partim deprehenduntur, etiam si de primatu episcopi Romani nihil audiant.

Multitudo fidelium.

¶ CAPVT LX.

1 SVrge, illuminare (Ierusalem:) quia uenit lumen tuum, & gloria domni super te orta est.

Primitiæ catholicæ ecclesiæ fideles hi fuerunt, qui à Christo uocati ad apostolatum, plurimos de sua Israëlitica gente discipulos institutos in orbem totum emiserunt, fidem & cultum unius dei prædicauerunt ad eliminationem idololatriæ: propter quod & ecclesia ipsa ex Iudæis & gentibus congregata, à prophetis Zion dicitur, & Hierosolyma ac Israël in spiritu & ueritate. Quæ licet hic non nominentur, iam tamen proxime indicata sunt, & ad eam refertur hic totus sermo propheticus cõpleto sermone de hypocritis. Iubeturq; se congregare in toto mundo, & abundare bonis omnibus, ut quæ olim paruo erat numero, & propterea humilis despecta et obnoxia persecutionibus, ali quando surgat, inclarescat, & toto mundo celebretur, cum illi Christus uenerit, qui illuminet mundum introeuntes, lux & gloria domini, patris irã placans sua morte, & uitam sua resurrectione electis præparans.

Sion & Hierosolyma uera.

2 Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur dominus, & gloria eius super te uidebitur.

Iam supra enumerata crimina ueluti densæ nebulæ ac tenebræ operuerant totam terram, nõ solum Iudæos, sed etiam populos reliquos. Super te autem fidelium sacrosanctam ecclesiam, domini gratia, fauor ac splendor orietur, domino enim credidisti, ideo beata es. Nõ incredula gens Iudaica, nec tu Hierosolyma, quæ prophetas occidis, & in propria uenientẽ lucem non recepisti: sed quæ fidelis facta es mater credentium, parua quidem ex initijs, sed subito magnificanda per orbem, quia lucem ueram es agnitura.

Ecclesia illuminata.

3 Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.

Lumen in ecclesia aliud nõ est, nisi Christus lux mundi, & euangelica doctrina & ueritas: Lex scilicet quæ de Zion exibit, & uerbum domini de Ierusalẽ, ad quod susciendum confluent omnes gentes, & reges cũ suis regnis, orientem sibi solem iustitiæ aspicient, & amplectentur, intelligent se iustificari per Christum, pulchritudine ueritatis & gratiæ omnes capientur.

Christus lux mundi.

4 Leua in circumitu oculos tuos, & uide: omnes isti congregati sunt, uenerunt tibi. Filij tui de longe uenient, & filiæ tuę de latere surgent.

Hunc sermonem uertit ad apostolos, ex Iudæis salutẽ prædicantes, post spiritum sanctum acceptum, quando quidem tunc paruula erat ecclesia, & dicit euangelium. Tollite circumquaq; oculos uestros: undiquaq; et agmiatim adfluent populi ad euangelium gratiæ, Christum dominũ suscepturi. Nascentur passim filij fidei Abrahæ, de quibus dictum est: Scio quod filij tui custodient uias meas. Tales Abrahæ & Christo ipsius filio, filij de remotis aggregabuntur, & filiæ tuæ ad latus tibi ueluti nutriti assidebunt, mutuum se pariter amabunt, eodem lacte fouebuntur doctrinæ, ex uberibus diuinæ legis & euangelij.

5 Tunc uidebis & affluues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium uenerit tibi.

Videbis affluentiam diuinæ gratiæ per orbem diffusã, & admiraturæ, & lætaberis de glorificatione diuini nominis, ad quam propagandam propensissime laborabis, & toto corde instabis, ut tota occidentalis remotissimarum gentium multitudo conuertatur ad dominum, quæ maris nomine nuncupatur. Fortitudo gentium, & quicquid sibi magnificũ & excellens in hoc mundo uidetur, humiliabitur, & in obsequium Christi subiugabitur, etiã potentiæ inferorum ei subdentur, & minimè præualebunt.

6 ¶ Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha: omnes de Saba uenient, aurum & thus deferentes, & laudem domino annuntiantes.

Singulis regionibus addit suas diuitias, p suis dotibus, quibus ornabunt ecclesiam dei, cuius illustrabunt maiestatẽ. Ab oriente quoq; gẽtes aduenient Madianitæ, Sabæi, & quicquid usptam est populorum cum iubilo & deuotione se & sua Christi regno subijcientes. Omnes enim filij Abrahæ sese cognominabunt, & laudabunt dominum uno ore & corde, fide & charitate confirmati, adnuntiabunt gratiam sibi collatã à domino, qua & saluabuntur.

7 Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi: offerentur super placabili altari meo, & domũ maiestatis meæ glorificabo.

A pecoribus his gentibus uulgatis gentes appellat: Cedarenos, Nabatheos, Damascenos, Armenios, & Assyrios, qui omnes congregabuntur in ecclesiã, & domino sacrificabunt soli, gratã domino hostiam, fidem in Christum, charitatem ad proximum, agnoscentes Christum pro se crucifixum, propitiationem factum pro se, & satisfactionem pro omnium delictis. Glorificabitq; domum maiestatis diuinæ. Non quod domino unquam curæ fuerit de sua domo Hierosolymis extructa glorificanda,

ſcanda, ſed de ſe agnoſcendo & adorando in orbe, & de iuſtitia fidei augenda, ut uidetur uoluiſſe ex his quæ contigerunt. Alioqui domus gloriæ dei mundus eſt maior & minor, cor fidelis & electi hominis, templa ſcilicet ſpiritus ſancti.

8 Qui ſunt iſti, qui ut nubes uolabunt, & quaſi columbæ ad (nidos) feneſtras ſuas?

Irreparabilis ruina ab ecclesia. Pulchrum ſpectrũ fingit, quaſi cateruatim propheta uideat gentes ingruere, nõ aliter quàm immanes nubiũ moles auſtro protruſæ nobis aduenientes ad ſolatium: ſic uchi & properare ad eccleſiam populos dei, nõ aliter quàm colũbæ imminẽte aut tempeſtate, aut aquila, irruunt ad nidos uel feneſtras ſuas.

9 Me enim inſulæ expectabũt, & naues maris ſicut in principio, ut adducã filios tuos delongè. Argentũ eorum & aurũ eorum cum eis nomini domini dei tui, & ſancto Iſraël, quia glorificauit te.

Iudæorum expectatio. Nihil iudæis pijs deſideratius dici potuit captiuatis quàm ſe aduehi Ieruſalem, filios ſuos pariter cõuenire, murorum urbis extrui, auro & argẽto illic ditari, dominũ deum ſuũ magnificari, à nationibus ſibi alijs tributa & ſeruitutes pendi, præeſſe regibus, & imperare eis quibus ipſi uel ſeruiebãt, uel ſeruiũt, pace perpetua potiri, ab omnibus gentibus coli, inhabitare pulcherrimas domos extructas cypariſſo, pino, cedro, Hieroſolymam ab omnibus honorari, captiuos ducere qui ſe duxerãt, adorari ſe ab illis q ipſos oppreſſerant. Hæc omnia cõſequi poſſent impij, pij quoq; talibus nõ oblectantur. Omnia temporalia ſunt & caduca. Lõgeq; minutiora fidelibus et bonis hominibus, quàm ut pro tot perpeßis miſerijs ac tanto tempore tanquã dignũ & par præmium pro tot mortibus reddãtur. Veri autem ſummi dei cultores, & ſacro ſancta eccleſia, dignius hæc cuncta & intelligit & recipit, tenetq; in omnia ſecula. Conuenerunt in credentium eccleſiam omnes inſulæ, id eſt remotißimæ regiones: & quicquid toto orbe domino gratißimũ eſt, & fideles maximè cõſolari poteſt, nõ carnales iudæos, hoc aduchitur, & eccleſiæ dono datur. Filios ſuos, imò dei per orbem diſperſos, cum gaudio congregat, ueluti gallina pullos periclitatos à miluo, plenos diuitijs incorruptibilibus, ueris & æternis, fide, charitate: Omnia autem ad laudẽ omnipotẽtis, non ad delitias carnales, quas non admirantur, ſed odiunt eccleſiaſtici.

Reges piorũ

10 Et ædificabũt filij alienorũ muros tuos, & reges eorũ miniſtrabũt tibi. In indignatione enim mea percuſſi te, & in reconciliatione (uoluntate) mea miſertus ſum tui.

Eccleſiæ ædificatio. Muros extruere, eſt munire ciues urbium, & ciuitatem, quo ſit pacatißima. Reddetur autem unius dei cultoribus tanta pax, ut propter eam fidem, ab eis extruatur & tueatur, qui eam olim deſtruxerant, & fuerant odioſißimè perſecuti. Gentes enim qui eccleſiam ex iudæis cœptam maximè oderant, ipſam honorificè glorificauerunt, & ciues illius factæ ſunt & protectores: & illorum reges tibi quoq; miniſtrabunt, & humiliabunt ſe, & colla demittent ſponte iugo Chriſti & fidei ſacræ ſcripturæ legis & prophetarum, ut clarè uidetur factum. Tunc intelliges, ô uerus & electus Iſraël, omne bonum, ac etiam ſi quid mali perpeſſus es, à me tibi illatum: dum te corripui dilexi, dum honoratum reddidi, ipſum quoq; amorem oſtendi: & cum tibi iratißimus uiderer, tunc tibi gratiam maximam Chriſti incarnatione exhibui. Quæ enim maior gratia cogitari poterat Iſraeli exhibenda, quàm ut de ſemine illius ſibi uerbum dei carnem & naturam aſſumeret, ut uerus Abrahæ & Iſraëlis filius & diceretur & eſſet: idq; tunc fieret, cum minimè bonus eſſet, & dum iuxta carnem deleri uidebatur, tunc maximè glorioſus apparere incepit. Sed hoc impij & carnales Iudæi nec intelligere, nec ſentire debent: pij autem credendo & ſentiendo in conſcientijs beati ſunt, nunc & in futuro.

Gratia dei ad Iſraelem

11 Et aperiẽtur portæ tuæ iugiter: die ac nocte nõ claudẽtur, ut afferatur ad te fortitudo gentiũ, & reges earum adducantur.

Eccleſia ſemper augetur. Nemo unquam uel uſpiam excludetur ab hac eccleſia, augebitur ſemper uocatione nouorum ciuium, qui & ſine pauore ſub dei protectione fiducialiter uiuunt, & continuò de beneficijs dei nouis gratulantur: ubi copia bonorum acceßione omnium augetur, & reges fiunt omnes ciues illius, & qui reges fuerant, gaudent ſe ei cœtui aggregandos, & Meßiam tuum adorabunt, ſupplices & deuoti.

12 Gens enim & regnum quod non ſeruierit tibi, peribit, & gentes ſolitudine (uaſtando) uaſtabuntur.

Extra eccleſiam nihil boni. Extra eccleſiam hanc catholicam nemo ſaluabitur. Regna quoque ſine euangelio & eccleſiaſtica obedientia, tyrannis erunt, & latronum antra. Et qui charitatis legem, quæ ſumma eſt iuſtitiæ, non obſeruauerit, & hoc cultu dominũ non coluerit, uaſtabitur & eijcietur in tenebras exteriores.

13 Gloria Libani ad te ueniet, abies & buxus & pinus ſimul, ad ornandũ locũ ſanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo.

Quicquid inter homines magnificum mediocre & humile eſt, totũ eccleſiæ decori inſeruiet: Omnia enim dei dona ſunt, & gratiarum indicia. Vbicunque enim gloria dei eſt, ubi deus colitur & timetur, ibi omnia ſacra ſunt & beata. Excellentißimi uiri tibi apponentur, inſeruient, multum cõferent ad promotionem ædificij eccleſiaſtici.

14 ¶ Et uenient ad te curui filij eorũ qui humiliauerũt te, & adorabũt ueſtigia pedum tuorũ omnes qui detrahebant tibi, & uocabũt te Ciuitatẽ dñi, Sion ſancti Iſraël.

Eccleſiæ hoſtes eam colent. Hi qui eccleſiam anguſtiauerunt, uenient & adorabunt, ac dicent: Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum &c. nunc computantur inter filios dei, &c. Romanorũ principes primi eccleſiæ catholicæ ex gentibus congregatæ perſecutores, tandem reſipiſcentes, ſeſe totos & ſua dediderunt. Et qui eam ut ſectam peſtilentißimã blaſphemabant ubique, hi cõuerſi per dei

gratiam appellabũt te ciuitatem domini, ſacroſanctam eccleſiam domini dei, qui deus Abraham, Iſaac & Iacob nominabatur & erat.

15 Pro eo quòd fuiſti derelicta & odio habita, & nõ erat qui (per te) tranſiret, ponam te in ſuperbiã (perpetuam) ſeculorũ, gaudium in generationem & generationem,

Præconiũ eccleſiæ.

Erant Iudæorum reliquiæ à deo & hominibus derelictæ ut uidebatur, & eccleſia paſſim peſſimè audiebat, & exoſa erat, ut qui eam perſequerentur, putarent ſe beneficium præſtare deo, uel idolis. Gratia autem domini ſic eſt glorificata, ut ei certatim offerrent omnes ſtudia ſua, fragrantia eius repleret orbem, & oblectaret, perpetuiſq; præconijs & laudibus magnificaretur hæc cœleſtis Hieroſolyma.

16 & ſuges lac gentium, & mamilla regum lactaberis, & ſcies quia ego dñs ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.

Eccleſiam reges fouebunt.

Ex gentibus adoleſces, & incremẽta multitudinis ſumes, non ex Iudæis, & eris plebs ſancta, regale ſacerdotium, populus acquiſitionis. Regum quoque deuotione augeberis, ſicut Iſraëlitarũ priſca ſynagoga regũ Iſraël & Iudæ perfidia & impietate uaſtata eſt & diminuta. Et non obliuiſceris domini dei tui unquã, ut olim, ſed firmiſſima fide ſcies, quod ego dominus ſaluator ſum ſolus, nõ quæcunq; creatura: & redemptor tuus in maximis calamitatibus alius non eſt præter ſortem Iacob.

17 Pro ære afferã aurũ, & pro ferro afferam argentũ, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum. Et ponam uiſitationẽ tuã pacem, & (exactores) præpoſitos tuos iuſtitia.

Eccleſiaſtica charitas.

Fulget in hac eccleſia charitas pro auro, miſericordia pro argento, cõſtantia pro ære, patientia pro ferro, ſacratiore nimirũ ambitione, quàm dudũ templũ & uaſa. Omnia in eccleſia nobiliora futura prædicuntur, quàm fuerant in ſynagoga: alioqui non competit ſemper ærea eſſe quæ lignea ſunt, nec ferrea p lapidibus. Olim quoq; immanes & inſatiabiles erãt præfecti, quæſtores tui uel exactores, nunc uerò pacifici erunt & iuſtiſſimi.

18 Non audietur ultra (uiolentia) iniquitas in terra tua, uaſtitas & contritio in terminis tuis, & occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio.

Pij principes.

Sub pijs principibus plebs ſanctior erit & iuſtior, nulla permittetur uiolẽtia uel iniuria, nõ uaſtitas regionis, cõtritio nulla terrænaſcentium, uel ſeditiones, muri tui erũt ipſiſſima ſalus, nõ diruẽtur ab hoſte portæ tuæ & quicquid intra portas cõtinetur, urbs tota laudatio erit et incolumitas. Eccleſia enim Chriſto ſeruatore regitur per omnia, qui ut ſponſus non ſinit ſpõſam periclitari.

19 Non erit tibi amplius ſol ad lucendũ per diem, nec ſplẽdor lunæ illuminabit te: ſed erit tibi dominus in lucem ſempiternã, & deus tuus in gloriam tuam.

Ieruſalem cœleſtis.

Non terreſtris & corporea eſt hæc ciuitas aurea & terrena, ſed in ſpiritu et ueritate ſubſiſtit, lumẽ mutuatur fidei & ſanctæ certitudinis, à ſpiritu ſancto omnia

illuſtrante. Clarior erit & illuſtrior hæc ciuitas, quàm ut ſole & luna indigeat, interdiu & nocte. Spiritualia ſunt & æterna omnia, ſicut & Chriſti regnum non de hoc mundo eſt, ſed lucerna eius eſt agnus, & uerbum domini ſplendor eius, & gloria dei ſumma eſt felicitas huius urbis, ſi & dominus in ea glorificetur dignè, & fauor eam dei ſequatur & gratia.

20 Nõ occidet ultra ſol tuus, & luna tua nõ deficiet, quia erit tibi dñs in lucẽ ſempiternam, & complebuntur dies luctus tui.

Sol iuſtitiæ Chriſtus dominus non morietur ultra, nec Ecclẽ aberit eccleſiæ ſuæ, & luna eccleſiaſticæ ſanctimoniæ non deficiet, ſed ſecundũ reſpectum gratiæ dei, nunc clarior nunc uerò obſcurior apparebit. Et certè hæc ciuitas, ut prædictũ eſt, ſole & luna corporalibus, ipſorũq; motibus & ſplendore non iuuabitur, nec illuminabitur, nec egebit, ſed ſolo dei fauore & auxilio regitur, & illuſtratur ſine impedimento & defectu, ut gaudio perfecto & felici fideles in eccleſia ſemper fruantur, certi de gratia dei, & ſua beatitudine, à qua non excidere poſſunt totaliter, qui ſemel guſtauerunt uerbũ uitæ, & ſpiritus ſunt conſolatione donati.

21 Populus autẽ tuus oẽs iuſti in perpetuũ hæreditabũt terrã, uirgultũ plantationis meæ opus manus meæ ad glorificandũ.

In eccleſiam reputãtur tantũ iuſti, licet etiã iniqui in ea tolerentur, utriq; ſolius dei iudicio noti & expoſiti: reſeruata autẽ diſcuſſio eſt, & ſeparatio in diem domini. Iuſti aũt hæredes ſunt uitæ æternæ, & cohæredes Chriſti, quos ipſe plantat & rigat, flores gratiæ & ſalutis, non humana aliqua iuſtitia, ſed clemẽtia dei, & ſuſceptione gratuita, ad gloriam dei, ſanctificantis eccleſiam, & ab ea collaudandam & agnoſcendam.

22 Minimꝰ erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimã: Ego dominus in tempore eius ſubitò faciam iſtud.

Multiplicabuntur filij dei in maximum numerum, ne eccleſiæ in principio paruæ, repentè adauctæ fuerint numero & merito in multa milia. Quantoq; magis ab impijs ſanctitatis ſemina opprimuntur, tanto uberius repullulaſcũt, ut filij Iſraël in Aegypto. Hæc autẽ fient, non uiribus humanis, ſed gratia & prouidẽtia dei, cõſtituto & ſoli ſibi noto tempore, quod nobis ſemper expectandum, & pro omni uirili noſtra urgendũ, ut nemo in opere dei delaſſetur & otietur, ſed ad omnẽ opportunitatẽ iuſtus uigilet, ne quam prætereat boni operis commoditatem: quandoquidẽ & dominus non diu differt, etiam ſi tardior ab infirmioribus putetur.

¶ CAPVT LXI.

1 SPiritus domini dei ſuper me, cõ quòd unxerit dominus me: ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer cõtritis corde, & prædicarem captiuis libertatem, & clauſis apertionem carceris.

Hunc ſermonem non alterius argumẽti quàm prior, Chriſtus dñs de ſe ſcriptũ & impletũ dixit, ne de illius intel-

intellectu dubitaremus. Accepit enim homo Christus Iesus spiritum domini non secundum mensuram, sed tanta copia, ut de illius spiritu omnes electi participarẽt ad sufficientiam. Tribus autẽ nominibus utitur, spiritus, dominus, deus, notula ut quædam sit diuinæ pluralitatis, quo ad personalitatem, non naturæ. Humanã autem in Christo naturam à dño consecratam & unctam per diuinam inhabitantẽ uerbi dei personam fatetur, idq; plenitudine gratiarũ. Qui ergo euangeliũ prædicaturus est, is à dño mittatur, et gratia abundantiore ungatur oportet. Nec Euangeliũ salutis prædicandũ, nisi adflictis, humiliatis, et spiritu pauperibus, qui peccatorũ cõscientia grauantur, & contrito sunt corde. Alioqui pergentes proteruire, & dominũ irritare, euangelio & bono nuntio fauoris dĩi suscipiendo non sunt nec apti nec digni. Denicq; qui captui sunt, et se captos peccatis sciunt, & ingenuscunt, his tantũ gratus de salute nũtius mittitur, et gratia dei: & uinctis apertionẽ carceris promittit Euangeliũ, ut gaudeãt de impẽdente et promissa remissione, qua absoluuntur per Christũ à deo à peccatis.

Tria nominis dei diuinitatis.

Euangelii prædicator

2 ut prædicarem annum gratiæ domino, & diem ultionis deo nostro: ut consolarer omnes lugentes,

Christus annũ gratiæ, hoc est, tempus remissionis omnium peccatorũ prædicare exorsus est à pœnitentia, quæ tantum datur per gratiã dei, nõ arbitrio humano acquiritur, quod propensum est ad peccandũ, non ad odiendũ peccata, quod est pœnitentia, & prioris uitæ displiciẽtia. Prædicauit quoq; uindictam dei à dño suscipiendam de principe huius mũdi, positi in maligno, ut electis non obsit, sed prosit hostis illius humani generis infestatio. Cõsolatus quoq; est lugentes tam propria peccata, quã miserias huius uitæ, & casum multorum electorum.

Christi prædicatio pœnitentiæ.

3 ut ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Et uocentur in ea fortes iustitiæ, plantatio domini ad glorificandum.

Sancti inter Iudæos sine dubio plurimi erant, miserabilem synagogæ statum lugentes, cum principũ synagogæ & sacerdotum phariſæorum & scribarum impietatem aduerterent, dolentes gloriã dei blasphemari multipliciter, omni tempore. Hos Christus & propheta suis utercq; temporibus magis & minus, iubet bono esse animo, quandoquidem ipsis summũ pro hac mœstitia gaudium sit rependendũ, decore gloriæ pro cilitio & pulchritudine, unguentũ lætitiæ pro luctu, stola gratulationis pro spiritu mœroris rependenda. Quã enim lugẽt gloriã deum celebrandum deum uerum, cuius honor & cultus per hos prolatus est in omnes gentes.

Lachrymæ sanctorum.

4 Et ædificabunt deserta à sæculo, ruinas antiquas erigent, et instaurabunt ciuitates desertas, dissipatas in generationẽ et generationem.

Apostoli de spiritu Christi ædificabunt ruinas sæculorũ, eliminando uetustos errores idololatriæ, quæ mundum peruaserat totũ, solitudines priscas primorũ parentum, uitia reformando ad euangelicam iustitiã in Christo: & renouabunt ciuitates desolationis, populos à uia ueritatis errantes reducendo ad uiam, quæ ueritas est et uita. Christus merito passionis & uerbo salutis reformauit & restituit ruinas tam cœlestiũ quàm terrenorum, non solum præteritas, sed semper durantes per sæcula cuncta solitudines et ruinas, ne quis Christum non filiorum sed patrum tantum curam habuisse putet, dum crederet peccata præteritorum sæculorum Christũ diluisse in cruce, nõ sequentium. Apostoli autem non aliam prædicarunt salutem quàm eam quæ à Christo perfecta est.

Ruinæ sæculi ædificatæ per apostolos.

5 Et stabũt alieni, & pascent pecora uestra: & filij peregrinorum, agricolæ & uinitores uestri erunt.

Post hoc peractum Christi mysteriũ, & uocationem ecclesiæ ueri Israëlis ex gentibus, stabunt non solũ pastores et prophetæ ex Iudæis, sed etiã ex alienigenis & gentilibus, uocati ad uerbum dñi prædicandum mundo. Non solũ enim Iudæos uocauit spiritus dñi, et misit euãgelizare gentibus, & pascere ecclesiã, sed multo plures ex gentibus, ut ecclesiæ sanctæ gregẽ ex Iudæis progenitam, apostolis et Christo pascãt uerbo salutis, frumentũ & uinum plantantes pabulum animarum fidelium.

Gentiles ẽtiam conuersi prædicabunt euãgelium.

6 Vos autem sacerdotes domini uocabimini: Ministri dei nostri, dicetur uobis: fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum (prædicamini) superbietis.

Vos quidem ex Iudæis apostoli, & discipuli Christi, sacerdotes domini uocabimini, Petrus, Paulus, Ioannes, Iacobus, Barnabas, Apollo, et similes, ut ministri euangelij domini dei nostri uocemini & sitis. Omnẽ substantiam uim & fortitudinem depascetis omnium gentium sapientiam, fortitudinem, maiestatẽ, uictorias & religiones superstitiosas, et quicquid mundus egregiũ possidet obtinebitis, possidebitis, in usum ecclesiæ traijcietis, deuorabitis, fruemini: uester erit totus mũdus, nihil habentes oĩa possidebitis, fideles et fideliũ in ecclesia pastores.

Apostoli principes regnorum.

7 Pro confusione uestra duplici & rubore laudabunt partem eorum: propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis.

Magna quidem erit confusio uestra, ô Iudæi, qui templo, urbe, regno uastatis, quicquid insigne & honorificum possederatis, amittetis, & in captiuitatem misere distrahemini. Reliquiæ tamẽ uestræ apostoli, & ex Iudæis conuersi, cum gentibus de sua ad Christũ uocatione lætabuntur, gratias deo habebunt de agnito Christo & de dilatato cultu ueri dei, opera spiritus sancti, quo im-

Reliquiæ Israelis gaudebunt.

Nomina sanctorum.

buti sunt, & dono liguarum & gratia sanitatum. Hæc enim fuerunt pars eorum gloriosa. Et in terra duplicia possidebunt, eximij erunt, & patres celebres, episcopi, doctores, & apostoli fidelium, meritis & signis, doctrina & miraculorum gloria illustres, propter Christum. Gaudium de profectu gloriæ dei, de adaucta fide, de eliminatione idololatriæ, de cõuersione regnorum ad deũ, perpetuo comitabitur sanctos, in hac uita incipiens, & æternum durans, etiamsi interim, ut Paulus, multa pati cogantur electi, etiam mortem. Ibant tamen apostoli à conspectu concilij gaudentes, quia digni habiti fuissent pro nomine Christi contumeliam pati.

8 quia ego dominus diligens iudicium, odio habens rapinam in holocaustum. Et dabo opus eorum in ueritate, & fœdus perpetuum feriam eis.

Bona electis danda. Tanta electis meis bona largiar cum gaudio sempiterno, quia dominus sum, quia uolo & probo quicquid legitime & secundum iudicium fit: et odio habeo omnem iniuriam proximo exhibitam, etiam si de ea mihi holocausta fiant: nolo enim sacrificia de rapinis aliorũ delata mihi. Ideo dabo gratiã electis meis, ut quàm innocentissime uiuant, charitatem conseruent, & mihi toto corde eliminatis idolorum spurcitijs seruiant in euangelio Christi, quod pactum & fœdus nouum est inter me & totum mundum conuertendum ad pietatem.

9 Et scietur in gentibus semen eorum, & germen eorũ in medio populorum. Omnes qui uiderint eos, agnoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit dominus.

Apostolorũ gloria in euangelio. Scient omnes gentes magnalia dei, quæ fecit cum Iudæis, propagato uerbo domini, canonicis ucteris testamenti scripturis in omnẽ terram: & fideliũ fides, ex Hebræis conuertendorum ad Christum, & apostolorum gloria & prædicatio apud omnes gentes admirationi erunt, quæ se de erroribus gentilitatis per Euangelium edoctos & conuersos gaudebunt, & gratias deo dicẽt, confitebunturq; hanc mutationẽ esse dextræ excelsi. Et gratiã dei agnoscent obuenisse sibi de reliquijs sacrosanctis Israëliticæ gentis, ab apostolis, & ipsorũ in orbe discipulis, per uerbum domini etiam gentibus prædicatũ. Ex conuersatione piorũ scietur quod domini sint et deo grati: ex opere sancto fides, ex charitate Christianismus apparebit: prodent se filij dei uerbis & moribus.

10 ¶Gaudens gaudebo in domino, exultabit anima mea in deo meo. Quia induit me uestimentis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me, quasi sponsum (sacerdotabit decore) decoratũ corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.

Ecclesiæ felicitas. Carmen est gratulatorium pro felicitate tanta ecclesiæ ex Iudæis & gentibus amplificandæ per gratiam spiritus sancti, diffundendam etiã in gentes, præter Iudæorum spem: & quod non uideretur deus esse personarũ acceptor, sed in omni gente se timentes amplectatur: de quo fideles impense gaudent, cernẽtes se honoratos gratia et donis diuinitus, et ex gratia saluandos per Christũ

de uana conuersatione uitæ pristinæ & de idololatria. Indui ergo uestę salutis ecclesiam, est credentes deo per Christũ saluari, et amari ut charissimos filios, per gratiam adoptionis electos, et donis spiritualibus ornatos, iustificatos per sanguinem Christi, per fidem & charitatẽ sic Christo incorporatos & unitos, ut sponsa marito suo. Est enim ecclesia Christi reuera sponsa dei, pro Ecclesia quæ uindicanda proprio suo filio nõ pepercit, &c. Cui & ornamenta gratiarum omnium per spiritũ illapsum contulit, et illustrem reddidit, immaculatã & sanctam.

11 Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat: sic dominus deus germinabit iustitiam, & laudem coram uniuersis gentibus.

Sicut terra germinibus & floribus adornatur, & iucundissima redditur, & hortus semen suũ feliciter pro-Ecclesia germinat, & oblectat fruentes: sic dominus deus ecclesiã ornabit perfecta iustitia fidei & ueritatis, eradicatis errorum & idolorum zizanijs. Et gratiarum actio ac uox laudis toto terrarum orbe resonabit ad gloriam dei, et populi sui Israël: è cuius reliquijs prodijt, ut cernitur, tanta fideliũ propago, quæ se iactat & gaudet esse filios Abrahæ & patriarcharum, quorum fidem & deuotionem æmulatur & eis rebus domino commendari exoptat, quibus istos domino placuisse per uerbum domini agnitum, non ignorat.

CAPVT LXII.

1 PRopter Sion nõ tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustitia eius, & salus eius ut lampas accendatur.

Laborant Iudæi quomodo quæ de Hierosolyma hic dicuntur ostendant olim futura, cũ iam duo millia annorum expectarint complenda. Nos uero clarissime cernimus per Christũ oĩa completa, multo augustiore gloria & maiestate quàm fieri posit etiamsi somnia sua omnia usui uenirent tam urbi quàm genti. Quid est enim urbẽ extrui, augeri hominibus, ædificijs, auro, argẽto, pace, etiam optimo rege ornari? Caduca sunt omnia, quæ corpore subsistunt, diuitiæ onera sunt, & multitudo tanta non sine molestia sustinetur uno loco, & naturæ miracula non concedunt, nec mundi machinam alterari suo sperant tempore. Sunt itaq; ut uidetur hæc uerba domini, pro Israële uero & gloriosa Hierosolyma, quæ totũ sibi orbem uindicauit, ut ei imperet. Vel etiã prophetæ oratio esse potest, in idem enim redibit. Non quiescam ait, non desinã prophetas mittere, doctores ueritatis et uoluntatis meæ, pro reædificanda & exornanda ecclesia fideliũ, quæ unice mihi cordi est, quam sponsam suscepi & maritaui, charitate perpetua eam mihi deuici, & teneo donec illud aliquando plenitudinis tempus aduenat, in quo Christus dominus rex & Messias electorum & ipsius iustitiæ prodeat cum gloria in mundũ, et splendor sacrosancti euangelij sui cum salute fidelium ueluti lampas exardescat, & illustret totũ orbem, ab omnibus cernatur & admiretur, omniumq; lætificet cõscientias.

Et

2 Et uidebunt gentes iustum tuũ, & cuncti reges inclytum tuum: & uocabitur tibi nomen nouum, quod os domini exarauit.

Sic inquam is splendor prodibit, ut eum omnes gentes uisuræ sint, & gratiam ac iustitiam dominu agnituræ, quam parabo ante faciem omnium populorũ, & omnes in terra magnifici et reges gentium gloriam ecclesiæ & sui sponsi admirabũtur cum gaudio, & uenerabũtur deuotissime. Habebitq; Hierosolyma hæc nomen & honorem nouum à domino imponendum, ut mater dicatur omnium sanctorũ & electorum, ut etiam honorabilius nomen habere non posset, de quo fidelium nemo ambigit. De Sion enim exibit lex domini, qua concipiuntur fideles, nutriuntur, augescunt, & fructum salutis proferunt, ut mater dici posit, & ciuitas dei, sponsa omnipotentis, & urbs sancta.

Honor nouus Hierosolymæ.

3 Et eris corona gloriæ in manu domini, & diadema regni in manu dei tui.

Gloria & honore celebrabitur nomen illud tuum per omnium ora, quo & dominus ipse deus glorificabitur, quod & seruabitur, et illustrabit quotidie potentia & bonitate sua, ut duret semper. Ecclesiæ enim decor semper augetur, & dum non nihil labascere uidetur hæresum maculis, semper seipsa solet gloriosior reformari per manũ domini. Nouit enim dominus & tuetur suos, glorificatq; gratia & meritis coram eo, etiamsi neglectior in mundanorum cordibus habeatur.

Ecclesiæ decus.

4 Nõ uocaberis ultra derelicta, et terra tua non uocabitur amplius Desolata: sed uocaberis Voluntas mea in ea, & terra tua habita (uel maritata,) quia conplacuit domino in te, & terra tua habebitur,

Non uocabit te quispiam derelictã, hoc est, à sponso & rege tuo nunquam derelinqueris. Electos suos nemo eripit de manu domini, tutatur & fouet semper: & stimulum præparat eam contra impulsores, quo dure saucientur quotquot illam impetierint. Terra quoq; fideliũ nunquam ciuibus infinitis egebit, numerus fideliũ longe est augustior quàm pro hominum opinione. Nec unquã destituetur ecclesia dei, sed ut amatissima sponsa diligetur & defendetur: à qua nec ipse quoq; dominus derelinquetur, ut olim à Iudæis recidiuantibus toties ad idola uana. Pro eo quod olim dixisse uidebatur, Pœnitet me fecisse hominẽ: nunc dicitur, Cõplacuit mihi in ea: quæ fueras uastata, nunc feliciter inhabitaberis. Terra aũt ecclesiæ, est ipsa cõgregatio fidelium, quæ maritata est domino: hoc est gratia & fauore illius assecurata per fidẽ, ut deficere nõ posit, nec adulteriũ cum idolis repetere.

Fidelium munitio.

5 Habebit enim iuuenis uirginem, & habebunt te filij tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te deus tuus.

Syncerissimus amor est iuuenis ad uirginem desponsatã sibi, & uicissim: qualis est, si maximis minima comparari licet, amor dei ad ecclesiam uere fidelium & electorum, & gaudium quod in domino habent conscientiæ firmiter credentium, nulla aduersitate perturbabile, etiam mors ipsa nõ illud infringit. Odit socer nurum adulteram, amat autem amatricem fidelem filij sui, sponsi illius: ita ecclesiam castam & uirginem deus, filij sui sponsam, eatenus, ut pro ea filium tradiderit.

Amor dei ad ecclesiã.

6 ¶ Super muros tuos Ierusalẽ constitui custodes: tota die et tota nocte perpetuo non tacebũt. Qui reminiscimini dñi, ne taceatis,

Ecclesia fidelium protectionis diuinæ beneficio communitur, angelorum ministerio dirigitur & frequentatur: partim inspirationibus & subsidijs, non sua sed uirtute diuina, qua omnia perficiũtur: partim præconibus uerbi dei, spiritu sancto eruditis, ut erroribus & peccatis careat, fide & iustitia operum sustentetur. Sine intermissione tam in die prosperitatis, quàm nocte aduersitatum, semper sua gratia tutatur ecclesia. Cuius prædicatores, apostoli, doctores sancti, & uere pij, tam uerbis quàm scripturis nunquã tacent, semper quæ ad dei gloriam & ecclesiæ profectum pertinent promouent pro omni uirili, nec unquam cessant orando, legendo, docendo, exhortando, corrigendo quos possunt.

Ecclesiæ gubernatio & doctores

7 & ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Ierusalem laudem in terra.

Non cessandum unquam ab oratione & doctrina uerbi dei, quibus sustentatur ecclesia, & uindicatur ueritas fidei & operum, quibus ecclesia commendatur, in hoc mundo militans et laborans. Semper enim ex corde dominus adorandus, inuocandus, prædicanda quoque ipsius beneficia per Christum, & corripiendi mores mali, donec reformetur ecclesia ad exemplar Christi, quod in monte perfectionis ostensum est.

Quæ in ecclesia nõ cessent.

8 Iurauit dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ, Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis, & si biberint filij alieni uinũ tuum in quo laborasti.

Labor fidelium manis nunquam erit. Ab hostibus non uincetur, quantumlibet impugnetur ecclesia. Cibus scripturæ & uerbi dei non deerit: semper erunt qui ueritatem cernant & profiteantur etiam cum periculo, & qui hostes fuerant, & alieni ecclesiæ, gustato hoc uitæ pabulo & musto spiritus, amici erunt & propugnatores eius, quam adflixerant & damnauerant ante.

9 Quia qui cõgregabunt illud, comedẽt illud, & laudabunt dominũ, et qui comportant illud, bibẽt illud in atrijs sanctis meis.

Qui laborant in agro dominico, hi fructus quoq; fidei & charitatis in præsenti statu & futuro reponent & fruentur. Nec sine labore & studio ager colitur, sed congregandũ in horrea est, unde in tempore detur tritici mensura à fidelibus seruis. Omnia autẽ ad laudem, non hominum quorumcunq;, sed dei, à quo solo omne bonum. Comportabitur autem is prouentus spiritus & laborũ, non in priuatas quascunq; domunculas, de perfidia suspectas, sed in atria domus domini, in frequentẽ fidelium cœtum, ut discerni posit quid manducandum uel bibendum proponatur gregibus Christi domini.

Laboris in ecclesia fructus.

10 Transite, transite per portas, præparate uiam populo, planum facite iter, & eligite lapides, & eleuate signum ad populos.

Scandala ab ecclesia auferenda.

Neminẽ prohibete ecclesiam ingredi cupientem, quantumlibet peccator sit & alienigena, qui in portis statis, qui uerbũ domini prædicatis, nulli sitis offendiculo falsa doctrina, uel exemplo uitæ infamis. Quin potius scandala quæcunq; fidei & morum, quibus fideles simplicio res impediri uideritis, studiose auferatis uerbo sanæ doctrinæ, & operum strennuitate. Sine cunctatione hæreses, superstitiones, improbos ritus gentiliũ, fomenta idolatriæ, charitatis uenena, et litiũ seminaria procul abijcite, ne ecclesiam intraturi scandalizentur. Signũ autem exaltate, non ligneum aut lapideum, sed ipsum Christum pro mundo crucifixũ, brachijs expansum, quibus ad se electos trahat. Hunc scopum salutis, et Euangelium uerbi dei, regulam fidei catholicæ proponite, quicunq; populos à dño electos & redemptos ducitis & docetis.

11 Ecce dñs auditum fecit in extremis terrę, dicite filiæ Sion: Ecce salus tua uenit, ecce merces eius cum eo, & opus eius corã illo.

Euangeliũ in Siona.

Filiæ Sion, filij fidei toto orbe disseminati, electi ex Iudæis & gentibus, omnibus istis renuciat dominus salutem uenientem, ut redimantur à captiuitate humanarum temeritatum & superstitionũ, ab idololatria & laqueis infinitis satanæ. Merces autem qua redempti sunt omnes, ab ea captiuitate & seruitute, qua & adserti sunt in filios dei, alia non est, nisi Christi domini passio & obedientia, cuius uirtus & gratia per Euangelium Christi apostolis et apostolicis uiris prædicantibus agnitum est, & opus domini maximum ac stupendum protestatibus, quo uerbũ incarnatum est, & sese pro mundi uita ad mortem crucis obtulit.

12 Et uocabũt eos, Populus sanctus, redempti à domino. Tu autem uocaberis Quæsita ciuitas, & non Derelicta.

Ecclesia liberata.

Vocabitur ecclesia populus sanctus, quia à domino redemptus à uana sua conuersatione, ab erroribus & prophanis dæmoniorũ cultibus, & sacrilegis superstitionibus: qualis seruitus longe grauior est & durior quacũq; oppressione corporum & bonorum temporalium, dum contra conscientiã et rationẽ, creatoris neglecto cultu, creaturas iuuare non potentes, auxiliatorũ loco inuocare, sine spe & solatio coginur instantia impiorũ. Ecclesia autẽ dei Quæsita dicetur, et minimè Relicta. Venit enim filius hominis quærere quod perierat, & saluare.

¶ CAPVT LXIII.

1 QVis est iste qui uenit de Edom, tinctis (rubris) uestibus de Bosrat iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor iustitiam, eximius ad saluandum.

Messiæ triumphus.

Messiæ triumphus describitur contra regni sui hostes. Quod regnum Christi quum sit iustitiæ, ueritatis, salutis & uirtutis, non possunt intelligi hostes eius alij, quàm error, impietas, perditio, & peccata, dæmon, & pharisaicus ordo, quos mysterio incarnationis et passionis Christus uicit, corpus & animam diris deuouendo supplicijs, sine peccato pro peccatorũ remissione. Edom

autem perpetui hostes Israëlitarum, rubrum ex nomine significant. In qua prouincia Bozra est metropolis, quæ uindemia interpretatur. Ludit ergo propheta Esaias, de Christo triumphante ex hostibus regni sui impijs tam hominibus quàm dæmonibus, quos deuicit rubro suo sanguine effuso in cruce & flagellis, ueluti uestę humanitatis suæ rubricatus incedens, cum sacra pompa. Et de hostibus triumphatorem inducit uenientem de ea uindemia, ubi solus torcular calcare coactus est, nemine adiuuante, sic dicendo: Quàm magnificus incedit rex in fortitiæ Christus, triumphũ agens de Edom hostibus suis, abiectus usque ad sanguinis effusionem, qua & rubricatus est, ipsos trucidando, & ab illis secundum hominem trucidatus, imò crucifixus, uestę humanitatis qua indutus erat in totũ rubedine infecta. Et respondet propheta: Iste qui sic incedit, decore indutus ex alto est, et non solum elegans, sed & omnipotens in multitudine uirtutis suæ, qua sola uinci potest regnũ satanæ, in quo solo sancti omnes uincunt & triumphant. Ego, inquit, sum prædicator iustitiæ, qua animæ piorum saluantur in ipsum sperantes, & qui solus sufficio saluare mundum, à quo pendet omnium salus, qui neminem perire uolo, qui uici mundum, & mundi principem eieci foras, illius arma diripiendo.

2 Quare (ergo) rubrum est indumentũ tuũ, et uestimẽta tua sicut calcantis in torculari?

Quærit propheta & fidelis quisq;, si diues, magnus, fortis & magnificus es, unde tibi tantæ passionis indicia? quis tam male tractauit filiũ principis? quis uestidum fecit sanguine uestimentum tuum, perinde ac si torcular calcasses musti rubicundissimi? cruor iste cuius est? tui ne corporis, an occisi à te inimici?

3 Torcular calcaui solus, & de gentibus nõ est uir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super uestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.

Respondet prophetæ Christus: Non mireris tam neglectum & sordidum ex uestę, torcular enim calcaui, & ego deniq; solus, crucis humiliationẽ, pondus passionis & mortis pro peccato mundi solus ego sustinui. Ex omnibus populis de toto humano genere non est quisquam qui ferre peccata, & satisfacere transgressioni primi parentis potuerit: omnes enim peccauerunt, & gloria dei indigent, ut eorum omnium misereatur. Qui nullius indiget, omnibus succurrere potest. Calcaui per iustissimum zelum mundum, diabolum, peccatũ, idola, & quicquid deo aduersatur & iustitiæ, strenue decertaui pro electis meis cõtra impietatis regnũ, ut sanguis eorum meas aspersit uestes, & omnem amictum meũ, nec tantum cruor effusus sit, sed carni quoq; meæ nõ pepercerit: humiliatus enim sum sponte usq; ad mortẽ. Sanguis enim eorum aspersit uestem meã: pro peccatis eorum, qui hostes erant mei, decertaui, sanguinẽ fundẽs, et animã tradens, nihilq; retinui quod nõ impenderem pro salute meorũ, & ad hostis internetionem, hoc est, ad uincendum peccatũ et mortem, errorem et satanam.

Dicit

4 Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ uenit.

Tempus Messiæ.

Venit enim tẽpus à patre decretũ, quod & ego corde conceperam, & annus in quo redimere humanũ genus & caput serpentis antiqui cõterere statueram, ut mortis mors ueniat, et inferni morsus mordeatur, & à scientia timoris domini, quam dudum promiseram, impletu-ram aliquando totam terrã: error & superstitio omnis eliminetur, & subiugetur totus mũdus patri, & detur mihi potestas omnis & regnum in cœlo & terra.

5 Circunspexi, & non erat auxiliator: uastabar, & nõ fuit qui adiuuaret. Et saluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.

Ex humani generis amore quo animabar cogitaui mi-serijs illius succurrere, & cum neminẽ qui id posset circunspiciendo inuenirem, qui auxiliũ ferret, uehemẽter indolui illorũ uicem, & admiratus molis pondus, quod nemo sustineret, proprias ego uires adhibui, quas uehemens zelus & amor auxit, ut sustinere potuerim opus redemptionis humanæ. Vtitur autẽ loquendi more quo homines consueuerunt, anthropopathos.

Modus loquendi hominum.

6 Et cõculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea, & detraxi in terram uirtutem eorum.

Victoria Christi.

Volui itaq; cœpi & perfeci opus redemptionis, stragem hostium, mundi renouationẽ, zelo iustitiæ diuinæ & salutis humanæ. Confregiq; ueluti uas figuli, & ferrea uirga deuici quicquid aduersatur saluti hominis. Nulla misericordia permotus sum erga mundi deprauatores, angelos satanæ, ministros antichristi, idola, illorumq; defensores, prostraui pariter: omnes uici ueritatis euersores, & semper uinco, quoties resumpserint uires, et electos infestare denuò cœperint, ut est continuũ certamen deo cum diabolo, uitijs cũ uirtutibus, piorum cum impijs, religionis ueræ cum superstitionibus.

7 Misericordiarum domini recordabor, laudem domini super omnibus quę reddidit nobis dñs, & super multitudinẽ bonorũ domui Israël, quæ largitus est eis secundũ misericordias suas & secundũ multitudinem beneficentiarum suarum.

Fidelis pris mi fideles Malices.

Intelligens propheta Iudæos aliquando maxima parte excæcandos, orationem pro eis suo more interponit, non sine gratiarumactione pro beneficijs præstitis, & imploratione clemẽtiæ diuinæ pro reliquijs suæ gentis, in qua & exauditus est. Sunt enim omniũ hominum apud deum & homines felicissimi, qui ex Iudæis primi crediderunt euangelio, & per spiritũ sanctum susceptũ authores facti sunt tantæ conuersionis gentiliũ ad suum deum, quem ignorauerant. Non quidem ipsi, sicut nec Moses suorũ operum author dici meretur, sed gratia dei in sanctis, & Christus ipse rex & dominus electorũ in omnibus retrò seculis & futuris. Dicit igitur: Cum gratiarumactione recordabor, & ut alij fideles perpetuò recordentur commonefacio hoc meo cantico, beneficia memoranda domini dei nostri, cum laudibus & lætitia spirituali, pro omnibus quæ nobis Israëlitis electo populo suo sine meritis nostris affluenter & clementer exhibuit. Hoc est enim Hebræis suũ retribuere, nõ pro dignis quicquã retribuere meritis. Nihil enim pro meritis, sed ex miserationibus multis deus Iudæis contulit.

8 Et dixit, Veruntamen populꝰ meus sunt filij nõ mentiẽtes: & factus est eis saluator.

Elegit eos in populũ suum peculiarem, & charissimos filios habuit, qui illi synceriss̃imè ac sine omni perfidia ceu pijssimo patri adhærere deberent semper, ut minimè degeneres filij, quos saluaret de omnibus aduersitatibus. Omnes quidẽ gentes ut solus creauerit, & odisse non potest: hunc tamen populũ propter Christũ suum unigenitum filium, speculum elegit prouidentiæ suæ ad totum humanum genus.

9 In omni tribulatione eorum non est (uel, ipse quoq;) tribulatus, & angelus faciei eius saluauit eos: in dilectione sua, & in indulgẽtia sua ipse redemit eos, & portauit eos, & gestauit eos cunctis diebus seculi.

Vt pijssimus pater eorũ, non est passus filios diuexari ab impijs & anxiari, sed ut primùm calamitas incidit, angelum misit magni cõsilij, angelũ testamenti, qui illis loquebatur, & miracula faciebat, uerbum domini, uarijs modis apparendo, & liberãdo magnificè. Non propter opera eorũ, quæ ferè semper mala erant, sed propter amorem suum, quo ipsos elegerat, & peccantibus indulgebat. Redemit suos tunc ut semper, & baiulauit uelut auicula pullos, & extulit ut aquila, semper sese opponens ipsorum hostibus.

Angelus magni consilij missus.

10 Ipsi autẽ ad iracundiã prouocauerũt, & afflixerunt spiritũ sanctũ eius: & cõuersus est eis in inimicum, ipse debellauit eos.

Hactenus beneficia, nunc increpatio digna. Ipsi uerò semper amari fuerunt in eum, rebellarunt factis ac uerbis molestarunt, & irritauerunt spiritũ, non solũ Mosis uiri sancti, sed dominũ ipsum. Quid igitur mirum si hostem experti sunt, qui amicũ contempserant? Et ab ipso quoq; debellati sunt, qui à manibus hostium eos toties ingratos quoq; redemerat?

11 Et recordatus est dierum seculi Mosi, populi sui: Vbi est qui eduxit eos de mari cum pastore gregis sui? ubi est qui posuit in medio eius spiritum sancti sui?

12 Qui duxit ad dexterã Mosen brachio maiestatis suæ: qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum:

Gratia dei ad Israelẽ.

Vtcunq; peccarẽt Israëlitæ ab initio, & priscis temporibus, & deinde, semper tamen illorũ misertus est, propter promissiones quas Mosi seruo suo fecerat, & quia ipsos elegerat præ alijs, quos & per mare Rubrũ perduxerat, ut pastor gregem: & spiritũ illis sanctũ dederat, quo dño se subdiderãt, & fœdus seruandæ legis susceperant, per mare diuisum sicco pede transierant, quasi patris manu apprehensi ne periclitarẽtur ad casum. Hæc autẽ omnia pro gloria nominis agens, etiã peccantibus pepercit, ne blasphemaretur nomen suum.

13 qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem.

14 Quasi animal in campo descendẽs, spiritus dñi ductor eius fuit: sic adduxisti populum tuũ, ut faceres tibi nomen gloriæ.

Deduxit Israëlitas spiritus domini per aquas maris Rubri & Iordanis, illius non secus curã agendo, quàm pastor fidus iumenti in solitudine, ne quo modo offenderentur uel etiã pede aut ueste. Sicut enim iumentũ, cuius iter deus uel spiritus eius defendit, in planicie absq; propria cura graditur: sic populũ tuum dirigebas ô deus, propter bonitatẽ tuam, & ad gloriam sancti nominis tui ne blasphemaretur à gentibus.

15 Atẽde de cœlo, & uide de habitaculo sancto tuo & gloriæ tuæ. Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua, commotio uiscerũ tuorum, & miserationum tuarum? Super me continuerunt se.

Oratio prophetæ.

Orat igitur propheta pro populo suo, & exauditur, multò gratiora accipiens quàm orare audebat. Vnũ populum cupit deo gratũ fieri, impetrat autẽ non solũ ex Iudæis electos multos, non omnes, sed infinitos populos domino aggregandos. Orat autẽ dominũ, ut de cœlo audiat orationẽ, & de cœlo cœlorum, sacrosancto templo suo, cuius Salomonicũ templum figura quædã erat & memoriale tantũ. Adpellat autẽ zelum piissimũ pro populo suo olim & semper exhibitũ, fortitudinẽ, qua eripuit de fortissimis hostibus: uiscerũ & misericordiarũ multitudinem, ne se sibi inexorabilem reddat.

16 Tu enim pater noster, quia Abrahã nesciuit nos, & Israël ignorauit nos: tu domine pater noster, redẽptor noster, à seculo nomen tuum.

Durus non sis filijs pater clementissimus. Nihil confidimus de patrũ nostrorũ meritis, quicunq; tandem & qualescunq; fuerint, cum paternã tuã fidem & clementiam cogitamus, qua te nobis patrẽ semper futurũ promiseris, & à seculis nos semper redemeris, & gloriam tibi nobis benefaciendo praueneris.

17 Quare errare nos fecisti domine de uijs tuis: induraſti cor nostrũ, ne timeremus te? Cõuertere propter seruos tuos, tribus hæreditatis tuæ.

Sancta quadam audacia diuinam prouidentiã allegat qua omnia dirigũtur, cui etiam acceptos refert errores Iudaici populi, quos sine uoluntate diuina nunquã incidisse. Non autẽ reũ peccati dominũ arguit, sed operis authorem quo peccatur iniqua hominũ uoluntate, & inexcusabili, quia cõtra conscientiã & agnitã dei legẽ.

Induratio cordis unde.

Induratio cordiũ etiã à dño est dum gratiã nõ largitur, quam cui uult donat, nõ ex meritis, ne nõ sit gratia, sed occulto iusto autẽ iudicio suo: cuius regula & causa est inobliquabilis uoluntas diuina, cuius nõ est inquirenda ratio, dñs est enim, & figulus in cuius manu nos lutum sumus. Timor dei donũ est dei, & induratio opus dei. Redi nobis cũ in gratiã, nõ ob merita nostra, sed propter patres nostros seruos tuos, quibus promisisti bona, sibi

& filijs ipsorum nobis qui sumus hæreditas tua à te electa, ex gratia tua, quos relinquere nolis.

18 Ad modicum possederunt populus sanctum tuum: hostes nostri cõculcauerunt sanctificationem tuam.

Potest per interrogationẽ legi: quasi dicat, Num breui tempore promissam à te terrã filij tui inhabitabunt? num permittes illã occupari ab hostibus nostris, & sanctuarium quod tuũ est dirui temeritate impiorũ, quasi non possis impedire malũ tuum & filiorum? Vel ut sub orationis forma præsagiũ sit, Israëlitas in totum de sua hæreditate expellendos, qui & iam pro maxima parte in Assyrios electi fuerant per Salmanasar, & Iudas uastatus per Sennherib. Et comparatione mali diuturni, quod Iudæi pertulerunt ab initio, pauci anni dicuntur, quibus terrã promissam possederũt, & templũ domini utrunq; paulò diutius quàm octingẽtis annis stetit, dum mino uolente sibi totam terrã cultoribus implere, repulso tam rebelli populo & ingratissimo.

1 Facti sumus quasi in principio, cum non dominareris in eos, neq; inuocaretur nomen tuum super eos.

Veretur & lamẽtatur propheta perpetuã repulsionẽ suæ gẽtis, quam dño semp contrariã præuidebat futurã, ut erat suo tẽpore & fuerat. Nõ aliter habemus, ô dñe nos Iudæi, quàm si populus tuus nõ essemus, si nunquã nos elegisses, si nostri nõ dominareris, si nomen tuũ nobiles à nobis inuocari, & nõ dicti fuissemus unq̃ populus tuus, cultores tui, sic enĩ cõtẽpti sumus, eiecti ex regno & terra, alijs ipsam nostrã hæreditatẽ occupantibus.

CAPVT LXIIII.

VTinam dirumperes cœlos, descenderes: à facie tua montes defluerent,

Iudæi hic nedum non caput nouum faciunt, sed ne uersum quidem hic incipiunt. Continuant enim sententiã hanc prioribus, ut dicant: Vtinã ut olim accingereris ad nos redimẽdos cœlo descendẽs, etiamsi rumpẽdi essent cœli ipsi & mõtes diffluituri. Quid enĩ nos mõtes iuuãt & cœlũ, qui perpetuò tantis malis cumulamur & pœnæ obijcimur, ut una liberati captiuitate alij capiamur in aliam, peccatis peccata quoq; succedẽtibus?

2 sicut exustio ignis tabescerẽt, aquæ ebullirent igni, ut notũ fieret nomen tuũ inimicis tuis: à facie tua gentes turbarentur.

O si te de cœlis, magnificè ad nobis succurrendũ descendente, colliquescant cœli ueluti incendium ingens ignis omnia absumẽtis uiolẽtia sua. Et sicut aquas ebullire faciens ignis, ut suo loco nequeant consistere, sed effluant & dispereant quantumlibet igni aduersentur: sic tu quoq; potentiã tuam ostenderes cõtra hostes tui nominis, ut uel oppressi tuis horrẽdis iudicijs discerent omnipotentiã tuam quam contemnunt, & gloriam nominis tui quod odiunt, uel nolentes & inuiti experiri cogãtur, desinantq; te blasphemare, sed à facie potẽtiæ tuæ conturbentur & cõtremiscant. Hanc orationẽ completam nemo ignorat fidelũ, credens Euangelio dominũ descen-

descendisse in uterũ uirginis, genitum & in medio terræ salutem operatũ, morte sua uicisse mundũ & aduersarias potestates, humiliasse regna & potestatem tenebrarum eliminasse: ut Iudaici populi iacturam tanto bono commutatam uocatione gentium & resipiscentia impiorum, nec ipsa Iudæorum sancta prosperitas conqueri debeat, sed gratulari.

3 Cum feceris mirabilia, non sustinebamus. Descendisti, & à facie tua mõtes defluxerunt.

Duræ cervicis Iudæi

Queritur domino propheta Iudaici populi sui contumaciam & perfidiam. Cum perpetuò feceris admiranda multa & magna in gratiam Israëlis, nos duræ cervicis homines non attendebamus, non expectabamus tanta bona quanta cõtinuò promittebas, & quanta tandem suscepimus, non sumus admirati tuã potentiã, cum descẽderes pro nobis tibi asserẽdis in montẽ Sinai, cum à facie tua quicquid altum, forte, perpetuũ & superbũ erat deiectum est & humiliatum.

4 A seculo non audierunt, neque auribus perceperũt, oculus nõ uidit deus absq; te, quæ faciet expectantibus se.

Gentium peccata.

Non solũ autẽ Iudæi, sed & gentes reliquæ, retro temporibus nõ attenderũt ad mirabilia dei opera. Non audierunt ut obedirent legibus diuinis, non auscultauerũt uerbo domini, siue prophetæ mitterẽtur eis siue minus: nec oculus hominis uidere uoluit, uel etiã potuit absque te reuelante, quæ tu ô domine præparas bona, & reponis expectãtibus bonitatis tuæ beneficia, & futurã gloriam, quam tuis fidelibus & te timẽtibus promisisti & præparasti. Quantũuis enim afficiãtur dei donis quotidie, non tamen attendũt ad patrem suum, beneficia non perpendunt, nec memores sunt: nec tamen dominus clemens cessat largiri ueniam, ingratis etiam.

5 Occurristi lætanti, & facienti iustitiam: in uijs tuis recordabũtur tui. Ecce, tu iratus es, & peccauimus: in ipsis (fuimus) semper, & saluabimur.

Occurris ô domine per gratiã tuã, ut feras auxiliũ eis, qui cum gaudio iustitiã faciũt, qui lætãtur in bonis operibus, & cultu dei uero, domino per fidem adhærent, & qui memores semper sunt iudiciorũ tuorum, & beneplacito tuo studẽt, tibi per omnia probari cupiẽtes, etãsi id minus posint, suspiciũt tamen et uerẽtur te suũ dominũ. Ecce tu nobis non indigné irasceris, peccamus enim perpetuò, & sine cessatione transgredimur mandata tua, nihilominus tamen tu nos saluare nõ cessas.

6 Et facti sumus ut immundũ omnes nos, & quasi uestis pollutorũ uniuersæ iustitiæ nostræ. Et cecidimus quasi foliũ uniuersi, & iniquitates nostræ quasi uentus abstulerunt nos.

Peccatores sunt omnes homines.

Saluamur autẽ non nostris meritis, quæ prorsus sunt nullæ, quandoquidẽ omnes immundi sumus, & peccatores in cõspectu tuo, etiam infans cuius est unius diei uita super terrã. In Adam enim peccauimus omnes, & carnis iniqua desyderia patimur, sic ut iustitiæ quoque

nostræ, & si quid bene agere uideamur, nõ sint puriores quàm pannus mẽstruatæ: plena enim sunt opera nostra amore suijpsius, & perfidia, plurimũ à uia æquitatis abhorrẽtia. Caduci quoq; sumus ut folium ab arbore oẽs nos, dũ subsistimus cõtinuò affectuũ prauorũ uentis mouemur, lapsu breui temporis ex arbore cadimus, putrescimus, redimusq; in terrã unde succreueramus.

7 ¶ Non est qui inuocet nomen tuũ: qui sese excitet, & teneat te. Abscõdisti enim faciem tuam à nobis, & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ.

Peccata sua semper agnoscunt fideles.

Semper agnoscũt fideles peccata sua, & sibi displicẽt ipsis, ampliorem circa se dei gratiã sentientes quàm ut gratiã referre liceat dignam: dolent nomen domini non sanctificari quammaximè & ab omnibus: cupiunt plures esse optimos quàm inueniantur: queruntur negligi honorẽ dei, ad quem oẽs quos possunt incitant semper, & inducunt uerbis & exemplo: si id minus succedat, gratiam dei implorant, & suam miseriam lamentãtur. Si quid aduersitatis ingruit, non remurmurant deo, sed suis peccatis imputant, indignationẽ dei grauius ferunt quàm damnum corporeũ quod incũbit. Vultum domini auersum queruntur, peccatis suis irascuntur, & resipiscere meditantur ac orant.

8 Et nunc domine, pater noster es tu, nos uerò lutum: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.

9 Ne irascaris domine usque satis, & ne ultrà memineris iniquitatis: ecce, respice, populus tuus omnes nos.

Oratio sanctorum pro populo.

Oratio est uehemens & efficax sanctorũ pro populo dei, Patrem te nostrum scimus & confitemur, qui filijs tuis propitiaberis ad te toto corde conuersis. Tu enim nosti figmentũ nostrum, qui figulus es, & nos opus manuum tuarũ sumus: tu fecisti nos, non ipsi nos. Prom ab adolescentia sumus tantũ ad malum. Bene autẽ sine tua gratia nihil agere possumus. Ideo ne nobis irascaris supra modum, nec secundũ iniquitates nostras nobis retribuas. Si enim iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit? Quòd si nos pro cõmissis punire decreueris, ut meremur, saltẽ nõ in æternũ nos abijcias à conspecto tuo, ne semper iniquitatũ nostrarum memineris, sed clemẽter respice nos populũ tuũ, quem assumpsisti, docuisti, redemisti pretioso cõmertio unigeniti tui.

10 Ciuitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est.

11 Domus sanctificationis nostræ & gloriæ nostræ, ubi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desyderabilia nostra uersa sunt in uastitatem.

Oratio generalis semper præmittenda à specialibus.

Post generalem deprecationẽ, quæ semper est præmittenda orantibus, pro toto scilicet populo, pro peccatorum expiatione, specialius lamentatur miserias suæ patriæ & gentis Iudaicæ. Ciuitates Israëlis quarũ populus quotannis ter multa iucũditate spiritus & deuotione ad templũ uenire cõsueuerat, et dominũ adorare,

ſacrificare, laudare & cõgratulari, pariter omnes, præter Hieroſolymã, in eremũ uerſæ ſunt: & tandem deſolandæ etiã cum Hieroſolyma & Sione præuidẽtur. Aedes quoq; ſacra, & templũ ſanctificationis, ubi te laudare cõſueuerant noſtri patres, igne conflagrabunt. Et ubi ſumma iucũditate in domino collætabamur, ibi nũc eſt ſpectaculũ confuſionis extremæ, ruinæ horribiles, cauernæ ferarũ, & ſolitudines ſempiternæ. Etiã ſi illic homines habitẽt impij, deſtituta tamen eſt ſuis amãtiſſimis filijs, & decore diuinæ oſtẽſionis & cultus ſacri, ut uideatur nihil eſſe, dũ non eſt Hieroſolyma habitaculum piorum, & deum uerum dignè colentium.

12 **Nũquid ſuper his cõtinebis te domine, tacebis & affliges nos uehementer?**

Et ut omnia peßimè habeãt & miſerrimè, num perpetuò ſic durabis inexorabilis genti Iudaicæ? num ſemper diſſimulabis orationes fidelium? num ſemper adfliges miſeros? & uultum tuum placabilem nunquam ipſis præbebis? nullá ne prorſus ſpes reliqua eſt Iudæis? Alijs enim gentibus ſe propitium reddit, etiã dum punierit, iſtos iam tanto tempore ſinit infeliciſſimos, & toto orbe exules & exoſos?

¶ CAPVT LXV.

1 **Quæſierunt me qui (antè) non interrogabãt, inuenerũt qui non quæſierunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non inuocabat nomen meum.**

Sub calcem libri totius ſcopus occurrit, uocatio gentium, & reiectio Iudæorum, quaſi prophetæ dominus oranti reſpõdeat: Nõ ſum ego auſterior in Iudæos quàm in gentes alias, ſed ipſi mihi minus ſemper crediderunt, prophetis meis offenſiores, & me nunquã niſi pro ſuo bono quærentes: imò etiam dum miſerrimi ſunt, non me quærunt, fide & opere, quantumlibet ficto corde clament, uindictã potius hoſtium quàm meam gloriam deſyderantes, quam in gentes omnes permeaſſe dolent, ſe ſolos haberi uellent omnibus meliores & iactant, & ſolos ſolius dei ueri cultores, cum de me nihil ſoliciti ſint, tempus uiſitationis cõtempſerint, ſalutẽ quoq; toti orbi illatam ſoli non agnoſcunt, pluris exiſtimantes ſuam proſperitatẽ, quàm gloriæ meæ maieſtatem in omnibus gentibus. Quæ gentes, ait dominus, ſuo me tẽpore quærent, cupient gratificari mihi digno & acceptabili cultu, qui hactenus idola colunt, & uanitates huius mundi ſectantur, quibus iudicia mea non manifeſtaui priuatim, quos non elegeram in peculiũ, ijs me inueniendum præbebo, poſt odorẽ meæ gratiæ & bonitatis current, & aſſequentur gratiã, ueritatem, & gloriam filiorum dei, & electorum eccleſiæ aggregabuntur. Hos ego alloquar per Euangelium filij mei, cum illis conuerſabor per claram uocationẽ, ut poſthac non alium deum adoraturi ſint, nec culturi, quàm me, nec tam me neglecturum ipſorum ſalutem ut antea uideri poteram. Et qui nomen meum olim Moſi & Iſraëlitico populo tantũ notificaui, iam nunc omnibus gentibus reuelari uolo, propitiari, & ſaluator exiſtere.

Iudæorũ reiectio qualis.

Gentium uocatio.

2 **Expandi manũ meas tota die ad populũ incredulum, qui graditur in uia nõ bona poſt cogitationes ſuas.**

3 **Populus qui ad iracundiã prouocat me ante faciem meã ſemper: qui immolant in hortis, & ſacrificant ſuper lateres:**

Conqueritur dominus contumaciã, ingratitudinẽ, & ceruicem duriſſimã Iudaici populi, ex aduerſo ſemper domino incedentem, poſt cõſilia proprij ſenſus & libidines carnis, legem domini ſpernentẽ, uerbum prophetarum ridentem, & peßimis moribus deprauatũ. Qui ſuis deũ idolis exaſperant, & quaſi data opera illudũt, quicquid domino peßimè placet, hoc diligẽtiſſimè contendentes: ut ſunt, ſacrificare in hortis ad libidinẽ exquiſitis, in ara coctili contra legem ſuffitũ reddendo idolis, quæ ſibi proſtituerant, inde ſibi auſpicia parabant, & iuxta gentiũ traditiones, & propriũ ſenſum, cõtra legem dei ritus ſequebantur idololatrarum.

4 **qui habitant in ſepulchris, & in delubris idolorũ pernoctant: qui comedũt carnem ſuillam, & ius prophanũ (in) uaſis eorum.**

Qui uel necromanticis ſacrilegijs inſiſtebant, in mortuorum ſepulchris, uel gentilitũ more parentalia ad mea iorum buſta, & dies anniuerſarios peragebant: qui ad gulam uel deorum cultum ſuillam edebant, cõtra legem quam uouerant, licitis ex lege cibis minimè egentes, ſed ad ſolam concupiſcentiam uetita appetentes, nullo reſpectu dei habito, omnia lege prohibita committendo, tam in cibis quàm ſacrificijs, nullam puritatis & mundiciæ rationem habentes, ſed abominandis deo ſeſe ſpurcitijs commaculantes.

5 **Qui dicũt, Sis tibi proximus, non appropinques mihi, quia ſanctificaui te (uel ſanctior te ſum.) Iſti fumus (erunt) in furore meo, ignis ardens tota die.**

Si quis propheta uel uir bonus & pius iſtos impios corrigere uerbis uel factis familiariter uel palàm tentauerit, ſi uitia & impietates reprehẽderit, repellũt à ſe, maledicũt, excludũt à cœtu ſuo, diris deuouent, & grauioribus incõmodis etiã ad mortẽ afficiunt, nolentes meneri nec reſipiſcere, ſed placitis proprijs inſeneſcere, & uerbũ domini cõculcare, nihili ducere, & deum contemnere. Tales ueritatis & pietatis oſores, ait dominus per prophetam, ſic perſequar & conculcabo iuſta ira uindictæ grauiſſimæ, qui & ſpiritui ſancto reſiſtũt, & agnitam ueritatem impugnant, ut æternis ſupplicijs puniam, fumus ut ſint mihi, & ignis inextinguibilis, iræ & furoris mei digna materies & cauſa.

6 **Ecce ſcriptũ eſt corã me: non tacebo, ſed reddam & retribuam in ſinu eorum:**

7 **iniquitates ueſtras, & iniquitates patrũ ueſtrorũ ſimul, dicit dominus: qui ſacrificauerũt ſuper mõtes, & ſuper colles exprobrauerũt mihi, & remetiar opus eorũ primum in ſinu eorum.**

Peccata illorum grandia ſic inſcripta ſunt, & memoriæ commendata, ut nulla unquam ſint obliuione de-

lenda. Punire non desistam, quia irritare non desinunt.
Pœna consimina pro peccatis cõmissis.
Sentient contrà qualem stimulum tam audacter calcitraverint. Retribuam digna compensatione ut mereantur, in sinum illorum, nedum iniquitates uestras quas in diebus committitis & semper augetis, sed & patrum uestrorum denuo mihi renouatis & exaggeratis offensas, ut iam de uobis, consentientibus illis in malo, easdẽ pœnas sumam, quas illi meruerant, quasq; remiseram, si impietati cessissent, & non continuo peruersiores euasissent, quasi clementiam meam irritando malefactis & offensionibus diffusis in filios, quos docuerunt sacrificare in excelsis & in collibus exprobrare mihi, toties deteriti. istis, inquam, rebellibus, perpetuô, & incredulis secundum opera tam sua quàm patrum retribuam & remetiar digna mensura.

8 ¶ Hæc dicit dñs, Quomodo si inueniatur mustũ in botro, & dicatur, Ne dissipes illud, quoniã benedictio est: sic faciam propter seruos meos, ut non disperdã totum.

Primitiarũ ritus.
Apud Hebræos agri, uineæ, & arbores deuota domino erant, ut nemo de illis quicquã sumere posset uel edere, antequam domino primitiæ ex eis essent oblatæ, postea enim permittebatur ex illis cibus populo dei. Hic uerò propheta dicit, ex populo Iudaico multos quidẽ et partem ipsorum maximam abijciendos propter abominationes ipsorum, aliquos tamen ex eis paucos domino offerendos, conuertendos scilicet apostolos & discipulos ad Christum, qui tamen lætissimam domino segetem toto in orbe sint importaturi. Mustũ inueniri in botro, locutio est, pro contingere botrum in uite, & mandi maturum botrum, unde iam mustum produci queat. Id non licebat nisi prius uinea sanctificata, oblatis primitijs, quibus prouentus totus benedicebatur utentibus, cum antea non nisi benedictio domini diceretur. Sic ex multis impijs eligit suos dominus, ut per gratiam sui fiant.

Iudæi conuertendi ad Christum.

9 Et educam de Iacob semen, et de Iuda possidentem montes meos: & hæreditabunt eam electi mei, & serui mei habitabunt ibi.

Declaratio est prioris similitudinis. Christus apostolos suos cum discipulis ex Iacob assumpsit, secundũ carnem etiam Israëlitarum reliquias, & de tribu Iuda quos dam seruabo & eligã, ut Hierosolymæ ciues maneant, ecclesiam dei constituant, ipsamq; illustrent, & ædificent per orbem, qui & electi domini dicuntur, ad fidem & charitatem dei uocati, & qui domino seruiant in spiritu & ueritate, ij habitatores ueri sunt ciuitatis dei: non ut omnes Christiani uel Meßiæ cultores Hierosolymis habitare possent, urbe ea in qua Christus crucifixus est, sed ecclesiæ catholicæ ciues sunt, & domestici dei omnes, qui in Christum credunt. Terra enim sancta est propter habitatores eius, non homines propter terram.

Ciues Ierusalem.

10 Et erit Saron in caulas gregum, & uallis Achor in cubile armentorũ populo meo qui requisierunt me.

Caulæ gregum multarum erunt in campestribus Saron, & in ualle Achor boues quoq; accumbent & pascentur: hoc est, tam occidens quàm Oriens terræ promissionis refertissima erunt populo dei. Omnis terra replebitur sanctis: ubiq; populum meum agnoscam, non quidem eum qui de fœmore Iacob natus est, sed qui me fide & deuotione requiret, qui nihil antiquius ducunt gloria domini, qui illi adhærẽt credendo & obediendo.

11 Et uos qui dereliquistis dominum, qui obliti estis montẽ sanctum meum, qui ponitis Ioui (uel Gad) mensam, & consecratis Plutoni (uel Meni) libamen,

Proditores Iudæi.
Alloquitur propheta in persona domini Iudæos, legis desertores, idolorum cultores, & promissorum diuinorum ac Christi domini contemptores. Dominum enim prodidisse dicuntur, quia fœdus initum irritarunt toties, & cultus diuini, quem in monte Sion dominus instituerat, iuxta legem Mosis nullam rationem habuerunt. Gentilium autem superstitiones & sacrilegos ritus, in cultu astrorum contra legem assumpsistis, colendo uarios deos pro ratione quæstuum uestrorum, ut etiam Plutonis & diuitiarum sacra numerando exigeretis, decreto diuis numero sacrificando, uel singulis planetis suis offerendo diebus singula libamina.

12 numerabo uos in gladio, & omnes uos in cæde corruetis: pro eo quòd uocaui, & non respondistis: loquutus sum, & non audistis, & faciebatis malũ in oculis meis: & quæ nolui, elegistis.

Vicissitudo in pœnis.
Quia igitur me deserto sacrificiorum & idolorum numerum tam curiose numerastis, ideo ego uos gladio numerabo, ut omnes occidamini. Et sicut ad sacrificia deorum uos incuruastis, & creaturas pro creatore adorastis, ideo iusto iudicio occisoribus iugulum porrigetis, & prosternemini hostibus. Semper enim duræ ceruicis populus extitistis, immorigeri, et inobedientes filij, nihil attendendo uerbis meis, et cum loquerer per prophetas minimè obtemperastis, sed continuo facti estis peiores, ueluti de industria illa præcise eligendo, quæ mihi omnium maximè displicere cognoscebatis.

13 ¶ Propter hoc hæc dicit dominus deus, Ecce, serui mei comedent, & uos esurietis: Ecce, serui mei bibent, & uos sitietis: Ecce, serui mei lætabũtur, & uos cõfundemini.

Fidelium cibus ac potus.
Cum non sit regnum dei esca et potus, nec syncerum gaudiũ aliud est, quàm in spiritu sancto, in conscientia fideliũ, et operibus uirtutum, deq; glorificatione diuini nominis, quam electi maximè appretiantur & optant: ideo hic locus de ueris fidelibus intelligendus est, qui in ecclesia Christi successerũt Iudæis, propter peccata repulsis, et de spiritualibus bonis, quæ hic promittũtur electis, incõplete quidẽ possidendis in hac uita, plenè autẽ in cœlesti patria perfruẽdis. Hi enim serui dei in Christo electi, omnibus bonis in hoc mũdo catenus fruuntur, ut ex omnibus in aduersis & prosperis proficiant, et in domino semper gaudeant. Quibus dñs affatim impartitur gaudiũ in spiritu sancto, & abundantiam temporaliũ & spiritualium donorum. Impij autem & Iudæi ipsi contumaces opprimuntur per omnia, miseri tam rebus quàm spiritu, confusi in conscientijs & coram mundo.

14 Ecce, serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & uos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis,

Fidutia sanctorum. Fideles sciũt sibi propitiũ dñm, peccatorũ remissionẽ per Christũ nõ dubitãt, de austeritate iudiciorũ dei non metuunt, sed etiã si incidãt aduersa uel peccata, de gaudio spiritus non excidunt, & de spe sua in dominũ. Semper autẽ sæua præsumit perturbata cõsciẽtia, impij semper distrahuntur cupiditatibus, & perfidia insolescunt quousq; peccatorũ magnitudine desperare cogũtur, & infernales sentire incipiũt pœnas nunquam finiendas.

15 & dimittetis nomen uestrum in iuramentum electis meis. Et interficiet te dominus deus, & seruos suos uocabit nomine alio.

Iuramentũ electorum. Non amplius iurabitur in nomine dei Abrahæ, Isaac, & Iacob, sed in nomine domini nostri Iesu Christi, & in nomine patris Iesu Christi omnipotentis dei. Sic enim electi mei iurabunt, ad gloriam meam, quæ toto orbe ab omnibus gentibus cognoscetur & uenerabitur, non tantum in Iudæa à Iudæis. Occidet te dominus deus ciuili morte, toto orbe seruituti, quæ grauior sit morte, supponendo, ut odio sis omnibus gentibus & peregrinus nusquam tutò consistens. Seruos autem suos dominus nouo nomine appellabit, ut à Christo domino Christiani dicantur omnes fideles, à Messia & unctione, uncti oleo exultationis in spiritu sancto, & fiducia in deũ, cum impij Iudæi perpetua desperatione arescant.

Christiani unde dicti.

16 In quo qui benedictus est super terram, benedicetur in deo uero. Et qui iurat in terra, iurabit in deo uero: quia obliuioni traditæ sunt angustiæ priores, & quia absconditæ sunt ab oculis meis.

Benedictio gentium in domino. Veniet illud tempus gratiæ, plenitudinis, Messiæ, ut in tota terra quicunq; sibi benedici cupiet uel benedicetur, non alio nomine benedicatur, quàm in domino deo uero, creatore omnium, ut qui gloriatur in solo domino glorietur, cui omnia bona accepta referentur, cum in omni terra una fides, unus deus, uiuus & uerus coletur: post reuelatas falsitates idolorum ueritas adorabitur: & qui iurare uoluerit & confirmare uerũ, non in alio quàm in deo uero iurabit: eo tẽpore obliuione delebuntur omnes priorum temporum tam angustiæ, calamitates & tribulationes, quàm gratiarumactiones ueteres. Noua enim salus, ueritas, benedictio, quibus homines fruentur cum noua gratiarumactione, de dei beneficijs per Christum dominum occasio erunt obmittendi pro tanto memoriæ ueterum gestorũ dei, cum Abraham, Iacob, Mose, Dauide, Zorobabel.

17 Ecce enim ego creo cœlos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora, & non ascẽdent super cor.

Testamentum nouũ. Omnia renouabuntur per Christum. Testamentum nouum dei cum hominibus, noua religio pietatis & diuinu cultus, noua morum iustitia, nouæ promissiones, nouæ beatitudines, noui homines, nouæ leges: hoc est, cœlũ & terra noua, sic ut priscorum deorum, regnorum, legum, errorum, stultitiarum intermoriatur recordatio, & nouis superuenientibus diuinis beneficijs priorũ obliuiscantur homines, nunirum regnaturi in Christo in spem uiuam, & fidem indubitatam, charitatemq; perfectam. Quæ ubi successu temporis collabi uidebuntur, ut nihil est in hac uita mortali perpetuum, cõtinuo per dei gratiam hominibus non negandam restauratione opus erit, & reformatione in melius quæ non decerit.

18 ¶ Sed gaudebitis & exultabitis usque in sempiternum in his quæ ego creo: quia ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium:

Quæ maior esse potest homini lætitia quàm persuasum esse de fauore diuino, de peccatis remissis, & immortalitate animæ, de resurrectione mortuorũ, de uita æterna ac beata, de charitate Christiana, pace & concordia, de exauditione orationum iustarum à domino, de libertate spiritus, ut qui hactenus sub lege mæsti, nũc sub gratia alacres exultẽt. Dominum creare nouam Hierosolymã, quid aliud esse potest quàm electiorem condere nouam & gloriosiorẽ ecclesiam? Quandoquidem & Iudæi non negant, Messiæ temporibus totũ mundum replendum nouo gaudio, cuius initium & radix, sicut & lex proditura sunt ex Zion & Ierusalem. Vocabitur autem ipsa Hierosolyma aurea, ista exultatio & populus eius uocabitur gaudiũ, hoc est, omnia plena erunt beneficijs & gratia dei, fide certa in deum, charitate autem iucunda ad proximos.

19 & exultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo: & non audietur in ea ultrà uox fletus & uox clamoris.

Cum hac ecclesia electorum exultabit dominus, toto orbe disseminata glorificabit sanctificabitq; nomen illius, dum idola omnia prosternẽtur, & omnes gẽtes populus dei non solũ erunt sed & dicẽtur, & gratulabuntur se susceptas in amicitiam dei. In ista ecclesia nihil erit tristitiarum, non lamentabuntur occisi bello, pestis, bestia, fame. Gaudebunt enim semper in domino, tam prospera quàm aduersa domino donante cum gaudio & gratiarumactione suscipient. Rapinas etiam bonorum cum gaudio patientur, persecutiones, mortes, egestates propter deum non inuiti perferent, quibus deus omnia erit in omnibus, peccata quoq; si inciderent, scientes clementia domini se resipiscentes neutiquam abisciendos, sed Christo digno & indubitato intercessore saluãdos.

20 Non erit ibi amplius infans dierum, & senex qui nõ impleat dies suos: quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.

Nemo uana spe uitæ mortalis tenebitur. Satis grande [illegible] uos se arbitrabuntur etiam per ætatem iuuenes, qui sancte & sanctis operibus profecerunt, qui præsentem uitam non diligunt, contemplatione desyderioq; futuræ quam feliciorem non ignorant, & huius uitæ molestias sentiũt iuxta carnẽ deprimentẽ animũ. Scelerati uero, etiam si ad monstrosam ætatẽ peruenerint, non satis diu uixerunt, quo maior fiat eorum damnatio. Et

21 Et ædificabunt domos, & inhabitabũt: & plantabunt uineas, & comedent fructũ earum.

22 Non ædificabũt, & alius habitabit: nõ plantabũt, et alius comedet: secundũ enim dies ligni (erunt) dies populi mei, & opera manuum eorum inueterabũt electis meis.

Charitatis officia.

Per legem Christi nouam, charitatis & Christianæ amicitiæ, si ut à Christo et apostolis instituta seruabitur, omnia iucundiora erũt & feliciora, quod minimè ignorant qui in Christo sunt. Ædificabunt enim domos, familias fidelium promouebunt, emendabunt, instruent, & ad meliora cõuertent, quin & temporalia sua secundum deum ordinabunt, ut pacifica sint & salutaria, sine egestate & penuria tam eorum quæ corpus spectant, quàm quæ ad animam. Regno enim cœlorum in primis quæsito omnia reliqua credentibus adijcientur, domos extruent & feliciter inhabitabunt, si iuxta Euangeliũ piè uiuent & iustè. Plantabunt uineas, & beneficio dei cœli elementorum influxus lætissimos experientur. In summa, omnes maledictiones comminatas impijs non incident, non eijcientur à proprijs possessionibus, à paternis hæreditatibus, nõ fraudabuntur fructu laborum suorum: sed si in lege domini fuerit uoluntas eorum, ut in ea meditentur seruanda, erunt certè tanquam arbor plantata secus decursus aquarum, quæ fructum suum dabit in tempore suo: legitimam naturæ suæ ætatem uiuent, uel eousq; prorogabunt annos, ut uitam suam felicissimè & cum gloria sint finituri, ut fructus elegantissimi & optimi in usum optimũ assumendi, nõ ut per ætatẽ putridi, & abominabiles abijciendi. Hæc est enim beata uita in hoc mundo, quæ optima est, & feliciter absoluitur, quacunq; tandem morte non inhonesta defungatur.

Mala euadent pij.

23 Non laborabunt frustra, neq; generabunt in conturbatione: quia semen benedictorum domini sunt, & nepotes eorum cum eis.

Stultis, uanis, & impijs occupationibus non incumbent, sed dei gloriam & proximi profectum in primis semper cogitabunt, & promouere contendent. Filios generabunt bonos, honestos, & non ignobiles, de quorum studijs & conuersatione non confundentur uel perturbabuntur, sed in domino & corã hominibus exultabunt sibi. Sunt enim semen benedictũ electi dei, honor & gloria tam dei quàm parentum suorum, ad ædificationem multorum, ut ipsi parentes filijs gloriam adferant, quæ à filijs propagetur cum laude ad posteros.

Semen bene dictum.

24 Eritq; antequã clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam.

Huiusmodi sanctis & electis fidelibus, deum uerè colentibus fide deuota, & uitæ innocentia, præsentissimũ se deus exhibebit & gratiosum, ut precibus suis apud eum omnia possint et impetrent: nihil enim iniquũ orabunt, & plena fide credent se exaudiendos, quibus longe propensior est dominus benefacere, quàm ipsi audeant exorare. Nouit enim pater cœlestis quibus filij indigeant, quos negligere non ualet, quorum curam maximè habet, cui & ipsi quoq; sese totos commendant, à quo & pendent toti.

Deus pijs præsens.

25 Lupus & agnus pascentur simul, & leo sicut bos comedet paleas, et serpenti puluis panis eius. Non nocebunt neq; uastabunt in omni mõte sancto meo, dixit dominus.

Pax summa in regno Christi.

Qui fuerat lupino feraliq; affectu, crudelitate sua nulli parcens tyrannus, audito Euangelio, & Christi dominum mansuetudinem & mititatem edoctus, ueluti agnus erit ad proximum, ut pariter cohabitare possint, & iucunde conuersari. Et gentes feræ & intractabiles, per legem domini auditam depositа crudelitate mansuefactæ sunt, & fidelibus in unitatem ecclesiasticam coniunctæ. Quasi unum armentum erunt leo & bos, ut eodem dei pabulo reficiantur & consentiant. Serpens uerò suo utetur cibo, terra scilicet, sibi destinata à domino, non mordebit, non inficiet ueneno. Superabunt fideles per fidem in Christum omnia uenena, serpentes tollent, ut si quid mortiferũ comedant nihil illis noceat. Non est enim perditio his qui in Christo sunt. Non denuq; adflictio quæcunq; credentes auertet ab instituto pietatis, in tota ecclesia sancta dei: quod si qui exeunt ab illa, significant ipso facto non se fuisse ex ecclesia. In summa regnũ Christi erit pacatissimum, & omni benedictione plenum.

¶ CAPVT LXVI.

1 HAec dicit dominus, Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quæ est ista domus quam ædificabitis mihi? & quis est iste locus requietionis meæ?

Cultus dei spiritualis.

Sicut à principio Esaias docuit dominum colendum, non sacrificijs & ceremonijs alijs in templo, sed iustitia, fide & spiritu: sic in fine quoq; sermonum suorum idem inculcat, abolendas scilicet ceremonias et templum, substituendum spiritum & fidem toto orbe terrarum: quasi dicere uelit, Ad quid mihi templum manufactum, qui machinæ uniuersæ præsideo, dominus cœli & terræ, qui hactenus propter uos Iudæos in officio retinendos templum tuli, & locum unum uestri cultus elegi, ne dilaberemini ad idola gentium? Nunc uerò eliminatis idolis, totum mihi pro Iudæa orbem uendicabo, & pro uno populo omnes habitatores orbis suscipiam, cultores meos in spiritu & ueritate.

2 Oia hæc manus mea fecit, & facta sunt uniuersa ista dicit dominus. Ad quem autem respiciam (nisi) ad pauperculũ, & contritũ spiritu, et trementem sermonẽ meum?

Offerenda deo quæ.

Quomodo mihi sacrificabitis dona, non uestra sed meas? oues & boues mea sunt, etiamsi non obtuleritis, qui creator sum terræ et plenitudinis eius. A me ista recipitis, non ego eorum indigeo, ne magnum æstimetis si mihi mea retuleritis. Non enim tam hæc uestra uel potius mea exigo et probo offerenda mihi, quàm uosipsos, carnalem sensum uestrum, concupiscentias, fastum, obedientiam humilem uolo, agnitionem peccatorum, spiritus uestri tremorem, reuerentiam quæ filios deceat ad patrem, timorem offensæ cuiuscunq;, & plenam fidu-

ciam in paternum amorem. Qui sese domino offert & plene illi resignat, etiamsi pecudes non offerat, is illum colit dignè.

3 Qui immolat bouem (*quasi*) qui interficiat uirũ. Qui mactat pecus (*quasi*) qui excerebret canem. Qui offert oblationem sanguinẽ suillum. Qui recordatur thuris (*quasi qui*) benedicat idolo. Hęc certè omnia elegerunt in uijs suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est.

Sacrificare sine fide.

Qui sine fide, humilitate, & obedientia sacrificat mihi bouem, non gratior mihi fit, quàm si quis hominem percutiat, quod uehementer displicet: præstat enim pauperibus carnes offerre esurientibus, quàm aræ meæ superponi. Sic qui pecus immolat pro peccato suo sine humiliato et contrito corde, eandem apud me gratiam merebitur, quam is qui iugulat abominandum canem. Offerre enim munus domino sine fide, ut Iudæi faciunt, irrisio est, non religio: non aliter grata, quàm si suillum sanguinem obtulisset gentili superstitione. Habent hæc animalia puritatis quædam signa cum immunda sint: sic sunt isti sacrificijs pij cum animo sint impijssimi, hypocrisim gerunt, non timorem domini sanctum. Nec magis placet domino suffitus thuris quàm blasphemia & commendatio rei uanæ & scelerum laus, quam execratur maximè dominus, ut magnopere placet deuotio cordis cum odio uitiorũ. Eiusmodi autem est cultus quẽ mihi gens hæc ceruicosa hypocriticaq; defert, tales oblationes sunt quibus mihi seruire se iactant, suam potius quærentes quàm meam gloriam: quæ ego magis ad libidinem illorum instituere coactus sum, ne defluerent ad idola, quàm ut grata officia elegissem. Non enim hæc sunt nec talia quibus oblector, sed obedientia, timor, innocentia, & humilitas cordis ex fide.

4 Vnde & ego eligam illusiones eorum: & quæ timebant, adducã eis: quia uocaui, & non erat qui responderet: locutus sum, & non audierunt. Feceruntq; malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt.

Ceremoniæ sine fide.

Propensi sunt isti ad suas ceremonias, cũ abesset deuota fides in deum, manus suas non animũ uel cor ipsum præbendo, ludendo me potius quàm laudando. Ideo ipsis quoq; illudam, traducamq; hypocrisim ipsorum in orbem: & qui ex animo diligere noluerunt patrem iniqui filij, ij corpore & rebus sentient iusti iudicis talionem, dum quæ metuunt ipsis obuenient, ut niuem incidãt qui pruinam timuerunt: quia neq; me uocantem per prophetas audire, neque respondere uoluerunt, sed spiritui sancto obstiterunt semper, proficiendo semper de malo in peius, idq; me aspiciente data opera, irridendo bonitatem & mandata mea, ut quanto iniquius ferrem quædam, tanto ea diligentius sunt prosequuti.

5 ¶ Audite uerbum domini, qui tremitis ad uerbũ eius: dixerũt fratres uestri odientes uos, abijcientes uos propter nomen meũ: glorificetur dominus, & uidebimus in lætitia uestra: ipsi autem confundentur,

Noua consolatione erigit dominus humiles cultores suos, qui timent dominum, & uerbum suum cum reuerentia suscipiunt. Hos rident impij homines, semper infesti fidelibus amicis dei, quos & pro uirili sua persequuntur, etiam profligantes è locis suis, & excommunicantes omnes quotquot non sunt consortes impietatis suæ, propter nomen domini. Sic inquam irridendo sanctos dicunt: Glorificetur dominus uester, & glorioſus pro uobis appareat, si uerè deus est, & si uos amici filijq; ipsius. Appareat, inquiunt, uobis, & ueniat gaudium uestrũ, quod in domino uobis promittitis, pro quo tanta sustinetis. Quasi dicãt, Nec poterit, nec uolet deus uester succurrere uobis, & eximere de manu nostra, quominus pro omni uoluntate nostra uos persequamur, donec deficiatis à deo uestro, & nobiscum idola colatis. Ipsi uerò impij sic blasphemantes dominum & sanctos suos, statim confundentur, uel imminet illis digna ultio.

6 Vox populi de ciuitate, uox de templo, uox domini reddentis retributionem inimicis suis.

Iam de urbe impiorum auditur hostilis conclamatio, iam templum illud in quod fidebant, & quod pollutis hostijs dehonestarunt, in quo Christum domini blasphemarunt, concidere oportet, retribuente domino dignam sanctis improbis ultionem. Non enim differt dominus iudicium suum iustum in tyrannos, fidelium oppressores, non solum conscientias terrendo metu ac desperatione, sed etiã externis sæpe malis obruendo, tam in uita præsenti morituros angustiando, quàm in extremo iudicio horribili sententia condemnando.

7 Antequam parturiret, peperit: antequã ueniret partus eius, peperit masculum.

Quemadmodum prægnans fœmina priusquam parturiat, masculum si generet, subito & sine prouisione maximos dolores experitur: sic antequam Iudaica natio destrueretur, horribili Romanorũ inuestatione nata est & in orbem propagata ecclesia Christi per apostolos & spiritum sanctum in gentes & populos multos. Hic sibi tamen fingunt Iudæi fabulam de Messia nato, quem præterea.

8 Quis audiuit unquam talẽ? & quis uidit huic simile? nunquid parturiet terra in die una? aut parietur gens uice una, quia parturiuit & peperit Sion filios suos?

Quis audiens credidisset tam subito dominum sibi ecclesiam ex gentibus per paucos apostolos ædificare potuisse fidelem, quæ pro se tanta pati uellet & posset, tam perpetua charitate illum complexurã, cum tot præcedentibus annorũ millibus duræ ceruicis Israëliticus populus in officio diuini cultus tam ægre perseuerare potuerit, sed toties relapsa à fœdere imito, deum suum tam crebro abiecisset, et idola coluisset, cũ nunc gentes persuadentur ut relictis tantæ uetustatis erroribus, nouam sibi omnipotentis dei religionẽ assumunt. Sic enim Sion fidei suæ filios, subito genuit in orbe terrarũ, nataq; est gens sancta, et acquisitionis populus domino aggregatus est, intra breue tẽpus, ut admirari de hoc nemo sufficiat.

Nunquid

9 Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicet dominus? si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait deus tuus?

Num ego dominus omnium & creator, repudiato meo populo ingrato, perpetuò esse sine filijs possem? quin potius pro paruis nationis illius reliquijs totum meo cultui applicabo mundum. Qui enim præbeo rebus omnibus generationis uirtutem, non ero sine filijs, qui me patrem agnoscant ac uenerentur. Num ingenium meum tantum est ad corrumpendum, & non magis ad generandum populum acceptabilem ac bonorum operum ex fide?

10 Lætamini cum Ierusalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio uniuersi qui lugetis super eam,

Ecclesiæ in deo exultatio.

O uos omnes gentes, electi ex toto orbe fideles, post reprobatam impiam Iudaicam synagogam, uos iam nunc accedite, & cum Hierosolyma ista glorioſa, cœlesti, spirituali, uera, aurea, et deo gratissima, exultate per Euangelium, conuocate, omnes qui ecclesiam istam sacrosanctam diligitis, qui profectum gloriæ dei desyderatis, qui pro ipsa instauranda operas uestras collocatis, corpus & uitam expendendo pro ea excolenda, uiri magni & parui, uiri & fœminæ. Gaudete de illius profectu admirabili & subitaneo, omnes qui priscam illam synagogam cultricem dei ab infidelibus capi, uastari & deleri indoluistis. Deniq; infamari tot olim perfidijs filiorum suorum illegitimorum, qui carne quidem Israëlitæ, spiritu autem nihil minus quàm ueri dei sui cultores fuerant, id semper pios homines male habuit, ij desyderabant semper gloriã dei propagari felicius, & prouehi in omnem terram: qui nunc bono ut sint animo iubentur, & cum instaurata Hierosolyma gaudeant toto corde.

11 ut sugatis, & saturemini ab uberibus cõsolationis eius: ut mulgeatis, et oblectemini à splendore gloriæ eius.

Consolatio pijs à gloria dei.

Vehementer enim gaudebitis, & reficiemini ob auditam famam, & uisam gloriam ecclesiæ dei, qua ipsam clarificaturus est sponsus illius, rex Messias, & ex preciosissimis lapidibus extructurus, longissimè latissimeq; diffundendam in orbem terræ. Plenè enim consolati eritis de splendore magnificæ gloriæ suæ, quam & redundabit in filios suos ad gloriam sponsi, qui tot sibi filios contulit & educauit, qui & in præsenti uita gratiarum donis abundabitis, & in futura ineffabili amœnitate paradisi cœlestis, quæ patria est fidelium filiorum, ucrorum scilicet Christianorum.

12 ¶Quia hæc dicit dominus, Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacem, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini, & super genua blandientur uobis.

Securitas in regno Christi.

De regno Christi in cordibus fidelium intra catholicam ecclesiam, tam militantem quàm triumphantem, exponitur hæc prophetia: cui dominus promittit iustitiam fidei, & pacem ucram, qua irrigatur & refrigeratur ecclesia ueluti affluentissimo aliquo flumine regio aliqua populosa, et felix, ut maxima securitate gaudeant conscientiæ, & non desint etiam necessaria uitæ & omnium bonorum sufficientia, qua & in domino suauiter fruantur, quasi pueri materna sugentes ubera, & super genua fouentur infantes.

13 Quo modo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor uos, & in Ierusalem consolabimini.

Consolatur dominus omnes qui toto illi pectore fidunt, etiam in tentatione prouentum facit, ut facile sustineant. Nec potuit aut debuit fauor domini ad electos comparari dulciori affectui, quàm sit matris ad filium, quæ lætari non potest, filio uiso in angustijs, & auxilium implorante, si succurrere non possit. Sic dominus fideles consolatur, & ecclesiam suam toto sibi corde prostratam: non eos qui extra ecclesiam uerbum domini non audiunt, quod solum consolatur credentes per spiritum sanctum, sine quo nulla consolatio spiritus est. Non ergo requirendi sunt sancti in cœlis pro consolatione conscientiarum, qui non tantopere nos amare possunt, ut uel sponsus ecclesiæ suam sponsam, uel mater filium.

Ecclesia deo dilecta ut matri filius.

14 Et uidebitis, & gaudebit cor uestrum, & ossa uestra quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus domini seruis eius, et indignabitur inimicis suis:

Cum mens hominis fidelis salua est, salua sunt omnia, dum scilicet intuetur & credit bonitatem dei, synceriſsimè gaudet, & uiuaciter agit quicquid boni potest ad illi complacendum, horretq; ab omni iniquitate quæ displiceat domino. Ossa autem hominis ut arefieri dicuntur mœrore (Spiritus enim tristis exiccat ossa) Sic hilaritate succum assumunt, ut animus gaudens ætatem floridam facit: sic enim anima consyderatione peccatorum desperat & deficit: sic fiducia in deum patrem per Christi domini merita & passionem uiuificatur & reficitur. Non alio enim cibo uti potest quàm pane hoc uitæ æternæ, qui Christus est, pro nobis oblatus in cruce, & repropitiatio facta electis. Experimentum itaq; clementiæ dei percipiunt, qui illum legitimè colunt, non externus ceremonijs, sed fide, spe, & charitate. Hi enim sciunt nunquam illius gratiam se frustra uel inanter inuocasse. Impij uerò contra sentient manum domini & indignationem grauissimam uicissim, quam illis comminatur & reddet.

Animæ aridas & succulentia.

15 quia ecce dominus in igne ueniet, et quasi turbo quadrigæ eius: reddere in indignatione furorem suum, & increpationẽ suam in flamma ignis:

Complectitur totius libri summam. Dominum aduenturum esse, ut per filium suum saluet pios, et damnet impios, idq; per ignem, durissimo scilicet supplicio, qui maximam suam gratiam irriserunt. Et sicut turbo quadrigæ eius horribilis apparebit damnandis, gratiosus autem et benignus fidelibus, secundum Euangelium Christi, qui se uenturum promisit iudicem uiuorum ac mortuorum, destinaturumq; benedictos in regnum, maledictos autem

Iudicium domini futurum.

in supplicium æternum. Quæ certè increpatio quouis fulmine erit intolerabilior.

16 quia in igne dominus dijudicabit, & in gladio suo omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à domino.

Damnatio infidelium.

Generali iudicio seuero & durißimo dominus in die suo impios & incredulos damnabit ad ignem sempiternum, qui paratus est diabolo & angelis suis. Ignis uerò & gladius significant horribile & durum supplicium quo afficiet incredulos & fidelium persequutores. Omnis autem caro dicitur omnis homo: et multiplicati erũt occisi à domino morte non solum corporum, sed etiam animarum, quæ mors est illorum infernalis damnatio, ignis scilicet & gladij.

17 Qui sanctificabant se & mundabant se iuxta hortos post unam (piscinam) in medio, qui comedebant carnem suillam, et abominationem & murem: simul consumentur, dicit dominus.

Non tantũ impij ex gentibus damnabuntur, & manifesti peccatores, sed etiam Iudæi ex infidelitate præuaricatores legis, hypocritæ qui curant munditiam & sancti uideri uolunt, tamen dominum deum uel non credentes, uel leges ipsius contemnentes. Simul enim unicoq; iudicio subiacebunt, ut damnentur pariter: uerum secundum mensuram delicti erit & plagarum modus. Omnes enim ad tribunal Christi comparebunt, iudicandi secundum perfidiam suam, uel absoluendi, si per gratiam dei in fide innocenter uixerint uel pœnituerint dum uiuerent. Sanctificabant enim se, & purificabant in hortis Iudæi ad fontes uel piscinas, quas in hortis habebant ad cultum idolorum, ad quem propensi erant, domini dei sui contemptores, & totius legis suæ. Et gentiles se abominabiles deo exhibebant per omnes abominationes, quæ uno exemplo glirium designantur, utriq; propter sua opera iudicandi impia: quorum hic leuißima describuntur, ut atrotiora crimina seuerius iudicanda sciantur, simul congregandi in sortem damnandorũ intelliguntur. Eodem iudicio pariter damnabuntur, infernorum mancipia, igne & gladio puniendi, supplicio scilicet infernali secundum sententiam domini, quam hic propheta describit, quæ tam generalis quàm specialis aliqua impiorum uastitas intelligi potest, secundum scripturæ modum.

Opera damnationis digna.

18 Ego autem opera eorum (scio) & cogitationes eorum uenio ut congregem cum omnibus gentibus & linguis: & ueniẽt, & uidebunt gloriam meam.

Cogitationes iudicandæ.

Non solum opera impia sed & cogitationes & consilia ad malum usurpata, etiamsi non successerint, dominus in iudicio accusabit & punuet: eo scilicet, cum in fine dierum congregabit omnes gentes, tam uiuos quàm mortuos resuscitandos ad tubas angelorum & uoce dominica. Venient enim in locum iudicij, et tribunali æterni iudicis sistentur, ut pariter uideant gloriam domini dei sui: pij quidem ad suam beatitudinem, & cum summa iucunditate & gaudio in sortem electorum suscipiendi in regnum patris à Christo, impij uerò ad supplicium cum summo horrore & angore, conscientiarumq; confusione in sortem damnatorum conijcientur, cum diabolo & suis angelis perpetuò puniendi.

19 Et ponam in eis signũ, & mittam ex eis qui saluati fuerint, ad gentes in mare, in Aphricam, et Lydiam, tenentes sagittam: in Italiam et Græciam ad insulas longe (ad eos) qui non audierunt famam de me, & nõ uiderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus,

Quæ sequuntur pertinent ad mißionem apostolorũ, & profectum Euangelij & uocationem gentiũ, in hunc locum ultimum ueluti principale institutũ prophetæ ordinata, non sine legitima consequentia. Si quis enim dicat: Quomodo mũdus iudicabitur, & gentes qui legem domini non susceperunt, quibus & iudicia sua deus non ut Iudæis manifestauit? Respondebitur ei, Vocabo ad agnitionem ueritatis per prædicationem Euangelij totius orbis gentes, & ponam eis signum Christum crucifixum, doctrina & miraculis glorificandum, quem & prædicabunt ubiq; pauci apostoli residui & superstites ex Iudæis, mittendi in omnem terram, ut exeat sonus eorum, & regula uiuendi Euangelica ad omnes gentes: quas intelligit per populos hic nominatos, Hebræis ex sacris literis notiores. Tharsis enim Cilicia dicitur, ad Septentrionem. Pul, Aphrica & Mauritania ad Meridiem. Lud, Lydia est. Arcum trahentes, perphrasis est Capadocum & Tracum. Tubal Italiam uel Hesperiam dicunt. Iauan Græciam. Iim autem omnes remotiores terræ, maximè ad Occasum sitæ, ad quas mißi sunt apostoli, Euangelium fidei & salutis per Christum prædicaturi, qui famam domini dei Israël & miraculorum portenta non audierant, qui ueritatis scripturæ usque tunc ignari erant, quantumlibet signatum esset super omnes homines lumen uultus domini, hoc est, sensus naturæ & rationis dictamen, conscientia iusti & æqui summiq; conditoris omnium rerum argumenta. Non tamen uiderunt hæ gentes gloriam dei, ut Israëliticus populus ingratus. Hanc bonitatis & clementiæ, salutisq; per Christum gloriam, per Euangelium apostoli prædicaturi erant omnibus gentibus, ut nemo exors fuerit tam gratiæ dei, quàm iudicij, si gratiam recusaret amplecti.

20 & adducẽt omnes fratres uestros de cunctis gentibus donum domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem sanctum meum Ierusalem, dicit dominus: quomodo si inferãt filij Israël munus in uase mundo in domũ domini.

Aduocabunt apostoli ad cultum unius & ueri dei omnes gentes, & ex Iudæis in orbe multos dispersos, ad quos Petrus epistolam scribit, Paulus & alij personaliter uisitant, & de Euangelio docent. Sic autem domino offerunt nouam sponsam, nouum populum, nouum in orbe regnum, oblationem nouam, acceptabilem deo patri per Christum. Non quidem ut loco moueantur, equis, curribus,

curribus, carrucis, ad literam de loco transferantur ad locum, cum ubiq; diffundatur & potestas & gloria Christi: sed ut prius Hierosolymam perducebantur uiri, Gentes ut uenturæ ad dominum. senes, pueri, fœminæ, uirgines ad solennitatem, & pecora omnis generis ad solennitatem domino celebrandam, sic longe glorioſiore pompa fideles accedent ad dominum, ex omnibus regionibus, gentibus, linguis, fide scilicet & charitate sacrificaturi, sesēq; totos domino dedicaturi ad illius cultum & obsequium, in monte sancto Ierusalem, quæ Christianorum ecclesia est, collecta ex omnibus populis. Non erunt domino ingratiores ex gentibus conuersi, dominū accedentes, quàm olim erant filij Israël, dum quottannis ter Hierosolymam adirent cum hostijs & oblationibus domino sacrificaturi in domo domini, cum multa diligentia studioq; puritatis & sanctimoniæ.

21 Et etiam assumam ex eis in sacerdotes, Leuitas, dicit dominus.

Sacerdotiū Christianorum. Non iam pauci Leuitæ & soli sacrificabunt gratas oblationes mihi, ut in templo Salomonis, & Mosaico tabernaculo: sed ex omni gente & populo assumam mihi regale sacerdotium, gentem sanctam, deuotos cultores mei nominis, qui non sanguine pecuino sacrificabunt mihi, uel boues aut hircos, sed propria sua corpora in mortem tradent, & animas & mentem deuotissimam in odorem suauitatis mihi offerent, spiritualesq; hostias & libamina, incensum quoque orationis & deuotionis, non semel in anno, uel ter, nec uno in loco, sed sine intermissione sacrificabunt mihi seipsos animas & corpora.

22 quia sicut cœli noui & terra noua, quæ ego facio stare coram me, dicit dominus deus: sic stabit semen uestrum, & nomen uestrum.

Ecclesia nouū. Hæc noua ecclesia sacrosancta, non ut Iudaica olim uetera scet, relegabitur, & abijcietur, sed ut cœlum & terra sine corruptione persistunt coram domino ad illius imperium & uoluntatem qui illa condidit: sic ecclesia fidelium nunquam deficiet, & semen sanctum tam Christus dominus, in quo omnes benedicuntur, quàm membra Christi uiua & sanctificata, perseuerabit semper coram domino, etiamsi non semper omnibus clare aspiciatur, & non raro nauicula concutiatur. Semper enim suos nouit & seruat dominus: nomen quoque tam Israēlis in spiritu, quàm Christianorum, quod idem est, nunquam delebitur uel cessabit.

23 Et erit à mense ad mensem, & à sabbatho in sabbathum: ueniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit dominus.

Sabbathum fidelium. Celebrabitur autem sabbathum non post septem dies laborum otio corporeo, sed continuo quodam conscientiæ sanctæ gaudio pijs ipsis durabit semper: ad nihil aliud intentis, quàm ut domino placeant digne colendo fidem certa, & ad illi complacendum, proximorum quoq; curam suscipiendo ex charitate, ex deo totaliter pendentium, & ad unius dei uoluntatem attentorum semper. Id quod perpetuus sabbathismus erit fidelium, donec tandem perueniatur ad sabbathum ecclesiæ triumphantis in cœlo, & ad neomenias sine successione perpetuo celebrandas, ubi nulla diminutio cœlestis gaudij locum habebit. Veniet quoq; omnis caro ad adorandū coram me. Cultus dei spiritualis. Electi omnes & ueri Christiani in spiritu & ueritate dominum adorabunt, laudabunt in prosperis & aduersis, non ad idola confugient, sed solum dominum colent iugiter, et quotidie ferias domino seruantes, otiosi à seruilibus operibus & peccatis, sed semper in templo erūt, & deus in eis per fidem.

24 Et egredientur & uidebunt cadauera uirorum, qui præuaricati sunt in me: uermis enim eorū non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt ad fastidiū (uel abominationem) omni carni.

Iudicium impiorum. Tracta est allegoria à uictoribus, qui strage peracta, quum resederit furor, cæsos contemplantur: Sic post piorum triumphos cum rege suo Christo, prodibunt ad uidendum & admirandum à quantis malis per dei gratiam liberati sint, cum uiderint impios & rebelles iusto supplicio destinatos, æternæ morti addictos: quod est cadauera illorum exposita cerni, qui in dominum præuaricati sunt, & non paruerunt sanctis præceptis ipsius: quorum desperatio & infructuosa pœnitentia perpetuo uelut uermis in pectore mordebit & adfliget, sine ulla intermissione, & supplicium impiorum, quod ignis crudelissimi doloris nominatur, non finem habebit, nec extinguetur. Et sicut in nauseam uertitur fœtor & putor cadauerum aspicientibus: sic quoq; pijs omnibus fastidio erunt & despectui impij damnati, à quibus olim abhorrebant impij, dicentes: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum &c. nunc autem computantur inter filios dei, &c. Vt consolentur ij pij, isti autem nunc crucientur, & duplici contritione corporis & animæ conterentur, culpæ & pœnæ: de quibus sancti pro charitate qua feruntur in iustitiam dei dolere non possint, nec cōpati hostibus dei, qui in summa felicitate constituti, mœstitia nulla afficientur, sed in domino iucunditate perfruentur æterna. Sera pœnitentia.

FINIS.

SVM. VERSVVM M. CC. XCV.

COMMENTARIA IN IEREMIAM PROPHETAM,

Hebræis Irmeiahu dictum.

CAPVT PRIMVM.

1 
Erba Ieremiæ filij Helciæ, de sacerdotibus q (fuerunt) in Anathoth, in terra Bẽiamin.

Sermones sunt ad reges, principes, sacerdotes et populos, quos de mandato Dñi ppheta pius, fidelis, uehemens & constantißimus Ieremias, secundũ tempora prædicauit & scripsit, non solũ hominibus suæ ætatis, sed omnibus sæculis profuturos, quando similibus morbis similia medicamenta prouidit pietas diuina, & spiritus rector ecclesiæ. Vt enim suo tempore tam populus quàm reges impij erant, præter unum Iosiam, cuius temporibus prophetauit annis decẽ & octo, sic ut propediem exterminandi forent, nullam suscipientes admonitionem dei, sed uerbi domini prædicatores ad mortem persequentes & carceres: corruptusq; tunc fuit status omnis. Sic nunc quoq; dum in maligno ponitur mundus, ut ferè semper est, prouidentia dei prophetarũ ora aperiuntur, ut audiantur ipsorum prophetiæ ad populum, quæ iam aliquot sæculis ut non fuerunt synceriter intellectæ, sic nec utiliter prædicatæ. Certum signum est futuræ uastitatis eorum qui uitam emendare contemnunt, uel uerbum domini audire per prophetas recusant. Fuit autẽ Ieremias, qui interpretatur exaltatio domini, filius Hilkiæ, qui dicitur portio domini. Quẽ Hebræi tradunt filiũ Saphan sacerdotis, eius qui librũ legis inuent tempore Iosiæ ex sacerdotibus de filijs Aaron, qui Anathoth & suburbana eius in hæreditatẽ acceperant, Iosue 21. in tribu Beniamin, tertio miliario distans à Hierosolyma.

Prophetiarũ occasio.

2 Quod factum est uerbũ domini ad eum in diebus Iosiæ filij Amon regis Iuda, in tertiodecimo anno regni eius.

Prædicator non afferat in ecclesiam nisi uerbum domini, quod non solum sacræ literæ continent, sed omnis utilis, religiosa, certa ueritas, quæ à sacris literis non discordat, sed ex ipsis clara consequentia fluit. Iosias sanctus filius tam patris quàm aui impij, Amon scilicet & Manasses, regum Iuda, post translationem in Assyrios Israëlitici regni sub Ezechia, floruit. Ieremiæ autẽ prophetæ prima uocatio facta est tertiodecimo anno regni Iosiæ postquam iam anno præterito, duodecimo scilicet regni anno, & decimooctauo ætatis Iosiæ anno, legem domini in templo repertam audierat, & seruandam rex susceperat, populoq; proposuerat. Tunc enim illi regi & populo Ieremias primò propheta mittitur.

Verbum domini prædicandum.

3 Et fuit in diebus Ioacim filij Iosiæ regis Iuda, usq; ad consummationem undecimi anni Sedechiæ filij Iosiæ regis Iuda, usq; ad transmigrationẽ Ierusalẽ, in mense quinto.

Verius dicitur, & fuit, hoc est, perstitit et perdurauit per regni Ioiakim tempora, filij Iosiæ, et fratris Ioachas, cui regnanti tribus tantũ mensibus, succeßit annis undecim. Post quẽ Ioiakim Babylonẽ ductũ, regnauit Iehoiachin, eiusdẽ Ioiakim filius, tribus tantummodo mensibus et decẽ diebus: cui translato Babylonũ succeßit Zedekias filius Iosiæ tertius, patruus Iehoiachin, undecim annis, qui & ipse miserè captus Babylonã ducitur, filijs occisis, & postea exoculatus. Durauit igitur in officio graui prophetali omnibus istis annis, quadraginta septem et uno, usq; ad captiuitatẽ gentis Iudaicæ ultimã, & Hierosolymã cum templo exustam à Nabusardan, mense quinto. Hactenus nihil nisi titulus totius libri, sicut & in Esaia præmittitur: nunc sequitur uocatio prophetæ.

4 ¶ Et factũ est uerbum dñi ad me, dicens:

5 Priusquam te formarem in utero, noui te: & antequam exires de uulua, sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te.

Proprie quæ sequuntur Ieremiæ quidem cõueniunt, sed conditionem, uocationẽ, & officiũ indicant omnium uerorum prophetarũ, qui populo emendando uel etiam puniendo mittuntur, suis à deo temporibus. Omnia in hoc mundo geruntur prouidentia dei, & ab æterno ordinata sunt, ut sic fiant. Ideo dicuntur sanctificari, id est, præeligi & præparari à domino, id autem per dei æternam prouidentiam. Animæ tamen & corpora prophetarum speciali aliqua gratia præparantur, ut commoda reddantur uascula charismatũ spiritus sancti. Non enim ex natura, sed gratiæ est donum prophetiæ. Præmittitur tamen hæc præparatio prophetiæ reuelandæ, quia detrectaturus erat Ieremias officium prophetæ arduum, et uiribus humanis importabile onus, ut anteuertat eũ seruo mo diuinus, ne causetur impertiã & ætatẽ. Prophetæ autem iubetur & gentibus, non solũ Iudæis, qui & ipsi gentes sunt & dicuntur, quin et tunc gentiliter uiuebãt.

6 Et dixi, A, a, a, domine deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum.

7 Et dixit dñs ad me, noli dicere, Puer sum, quoniã ad oĩa quæ mittam te, ibis: & uniuersa quæcunq; mandauero tibi, loquêris.

Sciebat quidem loqui Ieremias, sed taxare reges, monere magnates, populi obsistere studijs, impiorum furiæ contrauenire, criminosos arguere, uiolentis obstare, non iuuenile erat opus, sed prouectioris ætatis et authoritatis insigne, quod sibi usurpare sanctus et humilis propheta non audebat, nisi à domino submissus & iussus. Et dixit: Ne consyderes in te naturæ uires, & canos sensus necessarios sapientiæ: fiducia tantũ opus est, qua incunctanter obtemperes mittenti mihi, et fideliter eloquaris uerba, quæ ori tuo imponam: nõ enim tu eris qui loquêris, sed spiritus meus in te cuncta perficiet. Cuicunq; dominus officium quamlibet graue iniungit, ex ecclesiæ

stica scilicet electione, eidem & gratiam confert digne illud administrandi. Quò nos dominus mittit, non nostra ambitio ducit, illò eius auxilio peruenimus. Prædicatores ea loquantur quæ mandat & committit dominus.

Fortitudo propheta.

8 Ne timeas à facie eorũ: quia tecum ego sum ut eruam te, dicit dominus.

Non sunt ueri prophetæ qui criminosorum facies reuerentur & magnorum, quo minus admoneant. Fortior credendus est dominus qui mittit, quàm ut ab officio malorum timore absterreatur propheta. Adest dominus fideliter laborantibus in uinea sua, & redimit à malis, etiam si sit moriendum: preciosa est enim mors sanctorum eius. Quemadmodum autem nihil est obmittendum quod dominus adnuntiare iussit, ita suo quoq; tempore proponenda sunt quædam ut prosint, & lacte Paulus Corinthios alit, non solido cibo, nondum capere ualentes maiora. Repetitio eius quod apud Ieremiam toties inculcatur, Ait dominus, sedulitas est, non oscitantia, ut ostendat solicite, dominu esse non sua quæ dicit.

9 Et misit dominus manum suam, & tetigit os meũ, & dixit dominus ad me: Ecce, dedi uerba mea in ore tuo:

Verba dei quæ.

Per uisionem dominus manu extenta cõtingit os prophetæ, & oraculis diuinis prædicandis linguam conserat, gratiam loquendi administrat, spiritum cordi imprimit, & ori uerba ueritatis inserit. Verba autem domini sunt reuelationes diuinæ, correptio uitiorum, exhortatio meliorum, legis diuinæ inculcatio frequẽs, promissiones & comminationes.

10 ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, ut euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.

Reges prophetas audiant.

Non principes gentium fiunt, & regum domini qui mittũtur ad prophetandũ, qđ de Nathan & Esaia notatur, sed monitores & doctores, quos qui non susceperint minimè subsistent. Accomodandæ aures principum sunt prophetis, nõ contẽnenda consilia, nõ odiendi: qui istos spreuerit, deum spernit, & pupillam dei tangit qui hos contigerit. Ardua prouintia prophetis iniungitur, ut nõ timeant à regibus & regnis, quo minus agnitam domini uoluntatem proponant gentibus & regnis. Primo autẽ dissipanda sunt praue ædificata, deinde meliora plantanda: demolienda sunt et diruenda quæ perperam sunt ædificata, euellenda & extirpanda uane plantata. Quæ enim contra scientiam dei & non à patre plantata sunt dogmata peruersa, eradicanda sunt, & qui super stipulam uel fœnum ædificauerit, nõ super aurũ uel argentũ, aut petram, facile illius opus collabetur & demolietur.

11 ¶ Et factum est uerbum domini ad me, dicens: Quid tu uides Ieremia? Et dixit: Virgam uigilantem ego uideo.

12 Et dixit dominus ad me: Bene uidisti, quia uigilabo ego (accelerabo) super uerbo meo, ut faciam illud.

13 Et factum est uerbum domini secundo ad me, dicens: Quid tu uides? Et dixi: Ollam succensam (ebullientem) ego uideo, &

faciem eius à facie aquilonis.

Apparebat per spectrum prophetæ baculus extentus ad illico feriendum, uirga imminens & minax, non diu cessatura, sed mature percussura, sicut amigdalus prior in arboribus floret. Et uigilare ad opus, est festinare & diligenter incumbere. Omnia autem hæc iuxta Hebræos dici possunt, & incidunt in eundẽ sensum. Volens ostendere dominus citius se facturum ẽsse quod intendat, non diu differendam Iudæorum abiectionem, iam toties à prophetis cominatam. Quid autem immineat propediem adfuturum, continuo addit, secunda uisione, qua ollam demonstrat, cuius id latus quà liquor effunditur per ebullitionem ad aquilonem respicit, & feruore nimio ebullit & effluit quod inerat aquarum uel iuris. Vigilare dei.

14 Et dixit dominus ad me: Ab aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ,

Explicatur uisio prophetæ generali quidem sententia, quam & in specie intelligat, ab aquilonari plaga urbi & genti imminere propediem exitium, dum à Babylonæ, quæ ad plagam aquilonarem prope orientem æstiualem Hierosolymæ opponitur, exercitus uastator uenturus prædicitur: non solum autem super Iudæos, sed etiam contra gentes alias malum hoc irruet.

15 quia ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum aquilonis, ait dominus, & uenient, & ponent unusquisq; solium suum in introitu portarum Ierusalem, & super omnes muros eius in circumitu, & super uniuersas urbes Iuda.

Impius populus cum rege.

Continuo clarius quid futurum aperitur, & excidiũ urbis certius prædicatur à populis aquilonaribus Babylonio obedientibus inferendum. Iam enim tanta Iudæorum malitia excreuerat sub Manasse, cui populus impio magis applaudebat quàm conuerso, in cuius gratiã etiam Amon impietates sectabatur, à patre non subuersas, & post Iosiæ mortẽ semper propensissimus ad impia erant, tam reges quàm populus & principes, ut ultio diuina diutius tardare non posset: sed prædicerentur ingressuri urbem et totum regnum uastaturi, sic ut uictorum more in portis sessuri essent, ius & iudicium contra ciues in urbe diuino nomini consecratam dicturi, et pleno dominio possessuri principes Babylonij.

16 Et loquar iudicia mea cum eis super omnem malitiam eorũ qui dereliquerunt me, & libauerunt dĩs alienis, & adorauerunt opera manuum suarum.

Continuo peiores.

Tunc sentient Iudæi iudicia mea iusta, dũ protulero in ipsos austeram sententiã pro tot suis criminibus, quibus toties admonuti dereliquerũt ius & fas, legẽ & ceremonias, deũ & pphetas abominati sunt, idolis sacrificantes cõtra legem et omnũ prophetarũ tot & tam frequẽtes minas & exhortationes: qui ut nihil obmiserunt, quo emendarẽtur, sic illi nihil obmiserũt quo continuo peiores oĩbus appararẽt, reijciendo cultum uero suo deo & patri debitum, assumendo aũt ritus gentium, & idolorũ culturam, omnium malorũ interminatione prohibitam.

Superstitio difficile deponitur.

Difficulter emendantur superstitiones, si quãdo populo irrepant, & nihil falsa religione inhæret pertinatius, ut scilicet ab auita superstitione cessetur: etiam dum omnia sensu ipso iudicantur uana & falsa, ut dum adorat sculptor idolum quod parauit, & deum inuocat quem confecit. Quid stultius idolis, & tamen tanta quorundam amentia etiam hodie uindicantur & adorantur?

17 Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia quę ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum: ne forte timere te faciam uultum eorum.

Accingere lumbos.

Prophetam accingi lumbos, est fortiter & audacter impijs resistere, uerbum ueritatis quod parit odium, uel inuitis inculcare, non semel sed donec uel emendentur uel irascantur: pluris habere iussum domini quàm fortitudinem & tyrannidem huius mundi: minas nõ extimescere magnatorũ, qui nihil possunt contra deum, ideo à seruo domini obediente & fideli minimè sunt metuendi, imò tunc paueant magis, si ut Ionas aufugiant, uel ut Ahias cedere cuiquam alia suadenti pergant.

18 Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram, regibus Iuda, principibus eius & sacerdotibus eius, & populo terræ.

19 Et bellabunt aduersum te, & non præualebunt tibi: quia ego tecum sum, ait dominus, ut liberem te.

Deus prophetarum adiutor.

Adiutor et comes tibi ero, quo duce tutus eris: inuincibilem te illis parabo, et æream columnã immobilẽ: murum æneũ, si fiducia tota mihi adhærẽs feceris loquarisq; quæ te iubeo. Quem etiã potentissimi reges, quibus sum ego potentior, et principes mũdi huius, cuius ego sum dominus, sacerdotes etiã impij, qui prædicatoribus ueritatis solent pertinatius obstrepere, et iniuriã suam credere quicqd pro lege domini conseruanda docetur, uiuas se leges arbitrantes: et populus uehemẽs & stultus, facileq; ad iniurias permouendus: Omnia hæc te non uincent, incommodabunt nihil, si ex meo arbitrio loquaris quæ uera sunt & sancta. Etiã si pariter contra te pugnarint, artibus, potentia, malignitate, ego liberabo seruũ meum, inuitis omniũ inferorũ portis. Nõ ergo extimescas impetus præliantiũ contra te, certus de tua uictoria, ipsi confundentur, nõ tu: ueritas uincet, quantũlibet periclitata. Exempla plurima nostris quoq; cernuntur temporibus.

¶ CAPVT II.

1 ET factum est uerbum domini ad me, dicẽs: Vade, & clama in auribus Ierusalem, dicẽs: Hæc dicit dominus: Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur.

Sermo propheticus generalem correptionẽ ad Israëlem unuersum complectẽs, propter ingratitudinem, perfidiam et contemptum, partim iam in Assyrios captum, partim in Babylonios & Aegyptum pertrahendum: ut

uideatur dictum à propheta post mortem Iosiæ. Semper dominus prophetas mittit suo populo, ut credẽtes emendet, uel obstinatos puniat, ut sint inexcusabiles. Dura interim prophetarum conditio, qui præcipiente domino, & periculum plebis & magnatorum cernentes, coguntur pro ueritate certare cum impijs, & obstinatis etiam prædicare pœnitentiã. Ferendi sunt ergo & audiendi, cum non suo nomine, nec temere prædicant, sed missi à domino, ex fide & obedientia, qua uel inuiti coguntur ab eo quem effugere non possunt, cuius uerba dicunt, non de suo aliquid comminiscuntur. Gratia autem dei ad electos ostenditur, cum probitatem & amorem sponsæ commendat, sua dona, & paratiorem sese insinuat ad præmia decernenda pro sanctis affectibus & operibus, quàm uindictã pro multo pluribus delictis & prætuerationibus. Quàm enim impij fuerint & contumaces Israëlitæ in deserto, cum dominũ & Mosen sequerẽtur quadraginta annis, testatur uerbum dei multipliciter. Sed quia nõ deerant semper electi multi, et ueritas promissorum dei impediri non poterat quacunq; malitia humana, & specimen clementiæ dominus mundo semper profert, ideo hic quoq; fides et amor paucorũ in populo præfertur multo pluribus impijs & contemptoribus.

2 Sanctus Israël domino primitiæ frugũ eius: omnes qui deuorant eũ, delinquunt: malum ueniet super eos, dicit dominus.

Tam sacer & inuiolabilis tunc erat Israël domino, ut quicunq; hostium offendisset eum, non impune tulisset à domino, cuius rei exempla præbent Aegyptij, Amalechitæ, Madianitæ, Amorrhæi omnes, et Palæstini, nõ aliter quàm si quis domino dicatam oblationem uorasset. Sunt enim electi pupilla oculi domini, quam non sunt tangi, quos etiam peccantes non deserit, sed iniqua uoluntate persequentes eosdem non fert inultos.

3 ¶ Audite uerbũ domini domus Iacob, & omnes cognationes domus Israël:

Alloquitur totum Israëlem, ut & iam capti iustitiam dei probare cogantur, qui peccatis suis meruerint exilium: superstites uero futurum timeant, exemplo aliorũ, utriq; autem conuertantur ad pœnitentiam.

4 hæc dicit dominus: Quid inuenerunt patres uestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerũt post uanitatem, & uani facti sunt?

Nihil minus bonitas diuina ferre potest, sicut & uir cordatus & benignus, quàm si de fide sua is trepidet & desperet, cui semper benefecit, & nunquam officio suo defuit. Cum itaq; tanta bona dominus Israëli præstiterit semper, iuste irascitur illis, & improperat perfidiam & contemptum, qui semper beneficum deserant, uanissima idola sequantur, creatorẽ negligant, et adhæreant creaturis, & ipsissimæ uanitati. Id certe quod agunt omnes qui beneficia & clementiam magis à sanctis quàm creatore expetunt, & intercessores submittunt longe inclementiores natura quàm sit deus, fons bonitatis.

5 Et non dixerunt: Vbi est dominus qui ascẽdere nos fecit de terra Aegypti: qui traduxit

duxit nos per desertum, per terram inhabitabilem & inuiam, per terrã sitis & imaginem mortis, per terram in qua non ambulauit uir, neq; habitauit ibi homo?

Beneficia dei cogitanda.

Cogitanda semper sunt præstita beneficia dei, & trahenda ad fiduciam fouendam, ut qui magna contulit, non sit negaturus minora. Ex Aegyptiaca seruitute se redemptos à domino meditari debuerant, & miracula potentissima pro patribus ostensa, quo minus trepidarent de dei potentia & fauore, qui in uasta solitudine non deseruit, sed prouidit necessarijs omnibus, contra spem, naturam, & meritum. Quos semel ex Aegypto redemerat, nolebat in Aegyptios sidere uel redire unquam.

6 Et induxi uos in terrã Carmeli, ut comederetis fructũ eius & bona illius, & ingressi contaminastis terram meam, & hæreditatem meam posuistis in abominationem.

Carmelus

Terra Canaan tota Carmelus dicitur, hoc loco, quia cultissima erat agris, uineis, pratis, et fructibus optimis, ut & dicatur terra fluens lacte & melle, ad quam induxit transmissos per uastissimas solitudines, longo tempore, quo magis exultarent ingressi tam benedictam hæreditatem terræ egregiæ præ oĩbus. Quam cum sanctificare debuerint cultu dei, & obseruantia legis, in gloriã dei & gentis electæ, et ab idololatria conspurcatã purificare: ipsi contra, eam criminibus & abominationibus idolorũ horribilius fedarũt, dominũ blasphemãdo uerbis & factis, et opprobrio eam gentiũ exponẽdo reliquarũ.

Sacerdotũ malitia.

7 Sacerdotes non dixerũt: Vbi est dominus? & tenentes legẽ nescierũt me, & pastores prævaricati sunt in me, & prophetæ prophetauerũt in Baal, & idola secuti sunt.

Causa principalis impietatis in populo fuit malitia sacerdotũ, quorum erat officium legem domini discere, docere, inculcare, ueram religionem uerbis & factis defendere & plantare, non gratis de altari uiuere uel decimas ac primitias exigere, zelare pro gloria cultu & lege dei: uerum ut ipsorum erat officium docere populum, ita primi erant in impietate, idola sibi erigentes, domino contempto. Et qui se legis doctores iactabant, primi impingebant in legem, & ludibrio illam exponebant, proprias potius traditiones confingentes ad quæstum, fastum, ac luxum magis idoneas, de beneplacito dei & uitæ innocentia, quæ summa est legis, nihil curando, se potius colendos muneribus prædicantes, quàm ut dominus timeretur, & sanctitas plantaretur. Se enim pascebant, non gregem illis commissam à domino. Etiamsi legis se doctores iactarent, me tamen ignorabãt: & qui pastores populorum positi, ipsos à legis transgressione coërcere debuerant, in me prævaricati me irritarunt. Et qui uerbum domini populo proponere debuerunt prophetando, hi superstitiosis fabulis & gentilium erroribus incitant eum ad cultum Baal, secuti cæterarum gentium ritus, sacrilegia, & prohibitas à domino prænotiones sectantur, proq; uerbo ueritatis amplectuntur uanitates curiosas, impiasq;, & inutiles doctrinas dæmoniorum, & errores sapientium huius mundi.

8 Propterea adhuc iudicio contendã uobiscum, ait dominus: & cum filijs filiorũ uestrorum disceptabo.

Iustam & necessariam disceptationis causam præbetis, pro qua tam uobiscum, quàm cum posteris uidebor non immerito conflictare & uelut hostes tractare tam improbam familiam, quam elegeram in filios, & hæredes adoptaueram.

9 Transite enim ad insulas Cethim, & uidete, & in Cedar mittite, & considerate uehemẽter, & uidete si factũ est huiuscemodi.

10 Si mutauit gens deos, & certè ipsi non sunt dij: Populus uero meus mutauit gloriam suam in idolum (*in id quod non prodest.*)

Iudæi stultissimi idolatrarum.

Non est uspiã gens stultior ac perfidior in suos deos, quàm sit gens hæc Israëlitica. Si enim insulares populos in remotissimis agentes, & Chitteos (siue Itali sint, siue Cyprij, Cedarent, siue Græci) adieris, et de sua religione fueris percunctatus diligenter, et attente ritus ipsorum & sacra didiceris, inuenies Iudæis stultiorem & perfidiorem ad suos deos nullam gentium. Nulla enim unquam semel assumpta sacra deseruit, deos suos nulla abiecit, quos colendos susceperat, sed pertinacissime ut pro focis propugnat, sic & pro aris. Cum itaq; dij non sint, sed uanitas, ego autem uerus & solus deus glorificator ipsorum & pater sim, non sine multa confusione sua me suam gloriam abijciunt, & commutant pro rebus nihili, qui conditor sum totius uniuersi: & dominus exercituũ tam cœlestium quàm omnium fidelium, & rex gloriæ, quem ipsi soli agnitum spernunt.

11 Obstupescite cœli sup hoc, & horrescite, desolamini uehementer, dicit dominus.

Iudæi non ferendi.

Tantam indignitatem Iudæorum ad dominum deum suum, tam despicabilem contemptum mundus ferre non deberet. Cœli ipsi obstupescite, formidate iudicium domini, & præ timore uehementer exarescite, ut nullam peßimis hominibus pluuiam propinetis, sed influxibus fecundis destituite ingratos creatori uestro, armamini pariter in uindicandam iniuriam conditoris.

12 Duo enim mala fecit populus meus, Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non ualent aquas?

Iudæorum duo mala.

Summa malorum in duobus complectitur: Quia dominum deum deseruerunt, ne ipsum colerent, et reuererentur, fiducia illi adhærendo, qui fons est perennis influentiæ omnium bonorum in usum fidelium, quem negligunt: Et secundo, effoderunt cisternas uetercs aquas fetidas, non uiuas continentes, & insuper tam contritas & ruinosas uel rimosas, ut etiam si quid aquarum habeant, continere ad usum oportunum nõ possint. Reges scilicet gentium socios adsumendo, qui nec sibijpsis, nec alijs succurrere possint. Verbũ quoq; domini posthabendo, & consilio proprio secundum traditiones humanas uitã instituendo uel dominũ colendo: quod inter mala maxima semper à dñi prophetis est accusatũ, scilicet infidelitas in deũ, & proprius sensus contra uerbum domini.

13 Nunquid seruus est Israël, aut uernaculus? quare ergo factus est in prædam?

14 Super eum rugierunt leones, dederunt uocem suam, & posuerunt terram eius in solitudinem. Ciuitates eius exustæ sunt, & non est qui habitet in eis.

15 Filij quoq; Mempheos et Thaphnes constuprauerunt (*afflixerũt*) te usq; ad uerticem.

16 Nunquid non istud factum est tibi (*quia*) dereliquisti dominum deum tuum, eo tempore, quo ducebat te per uiam?

Seruitus dei & hominum.

Amplificatio est, ut uel ex tot perpessis calamitatibus resipiscat, & ad deum conuertatur: quasi dicatur, unde tibi contigit tam dura seruitus, ô Israël, ut in Assyrios translatus sis, non ut feliciore colonia diteris, sed ut seruias dominis gentiũ prophanarũ, factus in prædã & direptionẽ impijs hostibus tuis. Qui in eum leonũ atrocitate irruerunt, uastauerũt benedictam à domino terrã, ciuitates populi dei uastarunt, & redegerunt in solitudines, igne absumptas. Aegyptij quoq;, quorũ tantopere ambiuisti auxiliũ & fauorem contra uerbum domini, ipsi uastatores tui sunt, ipsorum causa perijsti, ipsi constuprauerunt ceruicem tuam, & seruituti iugulum tuum subdiderunt. Corrupti enim ipsorum idololatria, consequenter etiam per omnia uitia & crimina defluxerunt, etiam à dño deo per infidelitatẽ & legis contemptum, immemores beneficiorum priscorum & modernorum, peruerso more suo, cui a sueuerũt à tempore exitus ipsorum de Aegypto & legis datione, usq; dum abijcerentur iam nuper in Assyrios, nec dum tamen finis est iniquitatis apud Iudæos residuos, & in ipsa Hierosolyma.

17 Et nunc quid tibi (*uis*) in uia Aegypti, ut bibas aquam turbidã (*Nili?*) & quid tibi cũ uia Assyriorum, ut bibas aquam fluminis?

Et unde tibi ista uel cunctatio, uel imbecillitas, ut nũc toties per legatos onustos muneribus auxilium implores Aegyptiorum, qui nec sibi prodesse possunt, nec tibi. Nõ tibi Nili aquæ necessariæ essent, si fontem aquarũ perennum dominum non respuisses: nec Euphraten captiuus transisses, si speraasses in dominum.

18 Arguet te malitia tua, & auersiones tuæ increpabunt te. Scito & uide, quia malum & amarum est reliquisse te dominũ deum tuum, & non esse timorem mei apud te: dicit dominus deus exercituum.

Excusationi locum nullum seruasti, notior est malitia tua quàm ut prætexere quid possis: propria quoq; te conscientia damnat, ut digne te pati aduersa fatearis. Iam itaq; uexatione intellectũ dante, scito & uide, quàm graue & damnosum sit dominum deseruisse, & abiecisse te illius timorem & cultum: quàm nihil ualeat carneum brachium, quàm uana sint idola, quàm nihil sit homo sine gratia dei.

19 A sæculo enim confregisti iugum tuum, rupisti uincula tua, & dixisti: Nõ seruiam. In omni enim colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.

Grauissimũ ingratitudinis crimen improperat Israeli qui post tanta beneficia dudum & sine cessatione accepta, tam procaciter tam clementissimum deum spernere potuit, & obliuisci. A multis enim sæculis Pharaonicum iugum illis magnifice abstulit, & liberatos donauit nobilissima hæreditate, & quotiescunq; oppressi dominum inuocabant, illico seruatorem & redemptorem iudices, prophetas, reges, & angelos mittebat, ne diu seruirent exteris. Eum tam propitium dominum, unice colere timere & obseruare debebant, præter eum nullum inquirere auxilium, cuius gratiam nunquam non senserant inuocatam, quoties inuiti seruiebãt. Tu uero contra quicquid ille prohibuerat id diligenter committebas. Vno te loco electo à se coli se mandauerat: tu in omnibus collibus, & sub omni arbore frondoso nõ ipsum sed idola coluisti, tuam exercuisti fornicationem, et me amicum & patrem imò sponsum abiecisti.

20 Ego autem plantaui te uineam electam, totam semine uero: quomodo ergo conuersa es mihi in prauum uinea aliena?

Quumq; ego te mihi nobilissimam uineam & nitem plantassem & excoluissem, & semen in te fidele firmũ & nobile seuissem, & expectarem fructum optimum, & uinum dilecto dignum: tu uicissim reddidisti labruscas, aceto & felle me potasti, ut sis uelut degener uinea, de qua Esaias latius.

21 Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi (*herbam*) borith: maculata es in iniquitate tua coram me, dicit dominus deus.

Non est unde quoquo modo te excuses, tam turpiter commaculata es prostitutione tua, ut etiam si nitro uel sapone te abluas, hoc est, quacunq; ratione peccatum diluas, maculata tamen eris, & inexpiabilis idololatriæ fecibus cõmaculata, quæ post tantos dei tui fauores & celebria beneficia, ingratior fuisti quàm ullam fuerit gens aliqua deo suo etiam falso, non solum ipsius propheras, sed & dominum prophetarum occidendo, dum tulerit tua peruersitas.

22 Quomodo dicis: Non sum polluta, post Baalim non ambulaui? Vide uias tuas in conualle, scito quid feceris: cursor (*dromedarius*) leuis explicans (*circumuoluens*) uias suas.

Fronte meretricia tua si negare pergas spurcitias tuas, contra te palàm clamabunt montes, colles, campi, ualles, luci, in tota terra tua, ubi conspiciuntur aræ tuæ, excelsa, delubra & imagines idolorum tuorum, & Baalim, quos præ me adultera tibi asciuisti & coluisti per omnes turpitudines. Vbiq; enim uidere est monumenta spurcitiæ, cũ non minus propensa semper fueris ad idololatriam, & prona ad libidines, ut leuis, expeditus, & tu lox est dromedarius ad iter suum, à quo non possit ulla ratione remorari uel impediri.

23 Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit uentum amoris sui: nullus auertet eam: omnes qui quærunt eam, non deficient: in menstruis eius inuenient eam.

Nec

Nec minus truculenta & ferox es contra eos qui
Prona ad idola Iudæorum natio.
emendari te cupiunt, contra prophetas domini, quàm sit
onager assuetus deserto, qui anhelat uehementi spiritu,
si quis ipsum á desiderio suo tam impotenti refrenare
tentet: sic tu idolorum amore succensa flagras, ut nulla
te ratione contrahi & amoliri sinas, nemo te auertere
potest. Quæcunq; superstitio, idololatria uel insania te
curiosam libidinũ auidissimam quæsierit, tibiq; ceu scor
to commisceri cupierit, sine difficultate te prostitutam
comperiet, & digna demq; mercede data remittet, imò
sibi adulterum seruabit cum alijs. Nullam enim gens Iu-
daica aspernata est exteram religionem, quæ uno fuerat
domino dedicata.

24 Ptohibe pedem tuum à nuditate, et gut-
tur tuũ à siti. Et dixisti: Desperaui, nequa-
quam (faciam) adamaui quippe alienos, &
post eos ambulabo.

Hortatur propheta, ut uel ob ingruentem captiui-
tatem sibi Iudas ab idololatria tam abominanda tempe-
ret: sine dubio enim nudis pedibus abducẽda sit ista me-
Procacia Iudaica.
retrix, & maxima siti conficienda, unde sibi præcauere
posset, si uerbum domini sequatur & audiat monitorem.
Cui tamen ipsa procax respondet: Nequaquam ait, sed
post amatores istos exteros pergam, maritum meum de-
seram posthac ut olim. Talis enim Israëlitarum ante Ba
bylonicam captiuitatem pertinacia erat contra pro-
phetas & dominum, pro idolis & lucis suis colendis, ut
nunc quoq; difficulter abusus ecclesiastici deponuntur,
& diuorum superstitiosus & sacrilegus cultus, ob quæ-
stum & luxum annexum.

25 Quomodo confunditur fur quãdo de-
prehenditur, sic confusi sunt domus Israël,
ipsi & reges eorum, principes & sacerdo-
tes, & prophetæ eorum:

26 dicentes ligno: Pater meus es tu, et lapi-
di, Tu me genuisti. Verterunt enim ad me
tergum, & non faciem, & in tempore affli-
ctionis suæ dicent: Surge, & libera nos.

27 Vbi sunt dij tui quos fecisti tibi? Surgãt
ut liberent te in tempore afflictionis tuæ:
secundum numerum quippe ciuitatũ tua-
rum erant dij tui Iuda.

Turpior est culpa quàm ut dissimuletur cõfusio, quæ
Turpitudo Iudaica.
delitescere non potest. Non potest non confundi fur qui
in furto deprehenditur: sic Israël palàm confunditur, tur
pissima idololatria sua, qua omnes cæteras excellit gen-
tes, quæ omnium ea minimè decet, quæ dominum omni-
potentem & deorum deum propitium semper habuit,
quo spreto audet amplecti uana surda & spurca idola.
Maximè cum id non solum plebs stulta uelit, sed illorum
reges, principes, sacerdotes, & prophetæ, quos omnes
tanta insania percitos quis non admiretur? Vt scilicet
hi prudentes iuxta sæculum, nõ uereantur dicere ligno,
Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuisti. Vt conuersi
ad sua idola, tergum domino uertant non uultũ. Hi sanè
stulti & impij, dum propediem ærumna inciderit & ca
lamitas, unde eos dij falsi eximere non poterint, tunc me

inuocabũt frustra, ut salutem: quibus respondebo, ut eos
adeant adiutores quos me deserto colere maluerũt, tan-
ta superstitione, ut tot fuerint illis idola quot oppida.
Non multum differt, si non superat, Christianorũ error, Christianorum idololatria.
quorum urbes singulis tutelaribus diuis insigniuntur,
ut non paucæ ab illorum nominibus appellentur, quos ut
patronos colunt & inuocant, si quando aduersa inci-
dunt, maiori fiducia quàm deum ipsum. Locus hic est la
tius de talibus differendi, ut aliàs quoq; de alijs errori-
bus populus fidelis solidiore doctrina est imbuendus, quo
sciat quid uerum & sanctum.

28 ¶ Quid uultis mecũ iudicio contende-
re? omnes dereliquistis me, dicit dominus.

29 Frustra percussi filios uestros, disciplinã
non receperunt. Deuorauit gladius uester
prophetas uestros: quasi leo uastator,

Iudicio contendunt cum deo, qui monita eius non re- Cum deo contendere.
cipiunt, qui bonitatem eius tentant, qui istis ei placere
uolunt, quæ ipse non amat, qui excusationes quærunt in
peccatis, qui cum leges ipsius audaciter præuaricentur,
malis coacti ipsum inuocare non timent, qui quanto ma-
gis percutit tanto pertinacius peccant, qui disciplinam
non suscipiunt ut emendentur, sed fiunt continuo atro-
ciores, sic ut monitores quoq; prophetas & ministros
dei gladio feriant truculentia leonina.

30 generatio, uos. Videte uerbum domini,
Nunquid solitudo factus sum Israëli, aut
terra serotina? quare ergo dixit populus
meus: Recessimus, nõ ueniemꝰ ultra ad te?

O uos domini dei uestri generatio, & electus ex Diuitiæ cœlestes.
omnibus populus, cuius omnino uerbũ audite & facite.
Vel simplicius intelligatur. Num uos talis generatio hoc
pacto uerbum domini consideratis? Num populus hic
Israëliticus me nunquam sensit? nunquid non in deserto
olim uidit mirabilia omnipotentiæ meæ? Num terra ego
sum in qua opes nullæ inueniuntur, in qua sunt tenebræ
& miseria? Quin potius cum inexhaustæ sint opes meæ
cum sim lux ipsa, cur ergo dicit populus meus, Descendi-
mus, discessimus, dereliquimus te, non ergo ultra uenie-
mus ad te, desperauimus de indulgentia pro peccatis, le-
gem tuam implere non uolumus, sicut nec possumus?

31 Nunquid obliuiscetur uirgo ornamenti
sui (aut) sponsa fasciæ pectoralis suæ? popu
lus uero meus oblitus est mei diebus innu
meris.

Amant uehementius uirgines ornamẽta sua, sine qui- Ornamentum fideliũ.
bus placere sponso nequeunt, nec ea sibi abesse patiun-
tur, nec obliuiscuntur si sapienter ament. Ego autem qui
ornamentum decus & gloria sum populi illius, in obli-
uionem illi sum, ut de me tot sæculis et de uero cultu meo
nihil curarit, tanto tempore idola coluerit, ut legis meæ
uolumen ignotum omnibus fuerit, ut de gratia mea soli
citudo nulla illam ceperit.

32 Quid niteris bonã ostendere uiam tuã
ad quærendam dilectionem, quæ insuper
& malitias tuas docuisti uias tuas,

33 etiã in alis tuis inuentus est sanguis ani-

marum pauperum & innocentũ? Non in foſſis inueni eos, ſed in omnibus iſtis.

Excuſatio in malis.

Excuſare ſtudebãt prauitates morum ſuorum Iudæi, non ſe tam ſceleratos eſſe quàm eos facerent prophetæ, non tam deos multos colere, quàm deum unum in multis nominibus & uirtutibus honorare: multos quidem colere, ſed unũ omnibus præferre, id egiſſe Aaronem, Ieroboam, & alios. Cur inquit impudenter excuſas conſilia tua & opera, quaſi gratia ob id tibi debeatur & amor? quæ ſic fœdaſti omnem conuerſationem tuam, ut alijs quoq; exemplũ fueris malitiæ & impietatis: nec id ſolum, ſed & ſub alis tuis in ſecreto tuo ſtudio oppreſſio inuenitur pauperum, et trucidatio imbecillũ, quin ubique cernuntur impietatis tuæ & crudelitatis indicia.

Flagitia deum non timentium.

Qui enim deum non ueretur, à quo ſibi flagitio temperabit? pro nihilo ducet uiolenter tractare egenos, humiles, uiduas & orphanos, non aliter quàm ſi de eis nullam curam dominus et prouidentiam gereret, cum hic ſe aſſerat non ſe illos inueniſſe in rimis & fiſſuris: ſed omnium ſe gerere patrem & iudicem, curatorem & uindicem, ut quod uni fiat ex minimis iſtis ſibi factum putet.

34 Et dixiſti, Abſq; peccato (& innocens) ego ſum, & propterea auertat furor eius à me. Ecce, ego iudicio cõtendam tecũ, eò quòd dixeris, Non peccaui.

Innocentiæ iactatio.

Quũ uero huiuſmodi ſis tam improba, ac turpis, cur audes adhuc iactare innocentiam tuam, qua te dignam gratia & clementia arbitraris, ut nullis te adigam flagellis, indigneq; tibi iraſcar? Hæc eſt enim impiorum cæcitas, ut ſe uidentes iactent. Idipſum ſanè impœnitentiæ malum tuum iudicio meo iuſto uindicabo, cum nemo ſit hominum ſine peccato, quanto minus tu, quæ uiliß imã te præſtitiſti ſemper in omnibus moribus & ſtudijs tuis, & tamen audes dicere, Non peccaui.

35 Quàm uilis facta es nimis, iterans uias tuas? & ab Aegypto cõfunderis, ſicut confuſa es ab Aſſur.

36 Nam & ab iſta egredieris, & manus tuæ (erunt) ſuper caput tuum: quoniam obtriuit (repulit) dominus confidentiam tuam, & nihil habebis proſperum.

Vilitas Iudaica.

Infamaſti quàm maximè uias tuas, dijs & principibus tam Aegyptijs ſeruiens quàm Aſſyrijs, à quibus tamen utriſq; confuſa es turpißime, utrorumq; præda facta & ludibrium. Quæ illis me deſerto complacere ſtuduiſti, ab ipſis calamitoſo exilio puneris, ut ſumma affecta mœſtitia manus ſupra caput collidere cogaris, quando deſperabis inter illorum exules, & tam ipſos atroces hoſtes ſenties, quàm de clementia dei nihil conſolaberis, quem ſemper patrem agnoſcere noluiſti. Cuius prophetiæ ueritas notior eſt quàm ut explicanda ſit latius.

¶ CAPVT III.

1 VIgo dicit, Si dimiſerit uir uxorem ſuam, & recedens ab eo, duxerit uirum alterum: nunquid reuertetur ad eam ultra? nunquid non polluta, & cõtaminata erit terra illa? Tu autem fornicata es (cum) amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit dominus.

Accuſata eſt gens Iſraëlitica & Iudaica de impudentia & libidine circa cultum idolorũ: nũc additur etiam de contumacia in malo. Veruntamen clementia inſolita, ac ſupra menſuram dei bonitas non tacetur, ne deſperatio ſequatur, quam unice deteſtatur. Ait autem: Omniũ ſententia eſt, & uulgo notum, ex lege comprobatum, ut repudiatam adulteram et alteri marito nuptam, prior minimè ſuſcipiat, nec illi reconcilietur unquã, quia iam contaminata eſt ob adulteriũ, & libidinis notum exemplum, ſicut terra quoq; ipſa polluta habetur & execratur, ubi habitat ſceleſtus quiſpiam: ſic uxor ſimilis eſt agro liberorum gratia colendo, qui & prophanari dicitur, dum ob adulteriũ repudiatur, uel uulgo conceptos generat marito. Tu uero Iudaica ſynagoga, fornicata es cum multis amicis, idola multarũ gentium amplectendo, domino deo tuo ſpreto, contra morem aliarũ mulierum, propter quod & repudianda es: ſed reuertere ad me, propoſito ſyncériore pœnitentiam age, et ego te iterum ſuſcipere non grauabor.

2 Leua oculos tuos in directum (ad excelſa loca) & uide ubi non meretricata ſis. In uijs ſedebas, expectans eos quaſi latro in ſolitudine, & polluiſti terram in fornicationibus tuis, & in malitijs tuis.

Redit ad contentionem ut reuocet ad emendationem, iubet quaquauerſum aſpicere, ut uideat priſtinæ ſanctitatis contumelias, et admoneatur ex locis conſpectis ſuæ impuritatis & perfidiæ, qua ſe omnibus ſceleribus contaminauit, publiceq; & ſine uerecundia proſtituit omnium externorum deorum ſacrilegijs, multo deſiderio inhians ad eos, ut latro in deſertis locis, donec tota terra Iſraëlitica repleta eſt idolis, et idololatriæ delubris, lucis aris & imaginibus, quibus ex lege terra polluitur, cum interim talibus exornare prouintiam impij ſuo ſenſu arbitrantur, contra uerbum dei.

3 Quam ob rem prohibitæ ſunt ſtillæ pluuiorum, et ſerotinus imber non fuit: frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.

Tantum abeſt ut publicis proceßionibus ad diuos fructus terræ ſeruari putentur, ſi ſcilicet ſacellum Blaſij, uel Egidij colatur oblatis muneribus: ut hic clare uerbi dei clamet, fœcundas pluuias, & ſerotinos imbres, roremq; ſalutarem ea potiſſimum ratione ceſſare, quia non domino ſoli pro talibus ſupplicetur, ſed aræ & ſtatuæ gentilium deorum paſſim in collibus & uallibus erectæ colantur. Hæc uero domino deo tam exoſa hominem non obirent, niſi contra uerbum domini præter deum quippiam colere & adorare minimè erubeſcerent, ſed obſequium ſe præſtare domino exiſtimarent, ut Iudæi & Ethnici, de quo potius confundi deberent quàm merita ſperare uel iactare.

4 Ergo ſaltẽ amodo uoca me, Pater meus, dux uirginitatis meæ tu es.

Nunquid

5 Nunquid irascetur in perpetuũ, aut perse
uerabit in finem? Ecce, locuta es, & feci sti
mala, & potuisti.

Vocatio peccatorũ benigna.

Quantũlibet peccent in deũ homines, & Iudæi idolis multis se polluerint, uocãtur tamen benignè à domino, & iubẽtur considere de paterna clementia sua ad filios resipiscẽtes, si peccatũ agnoscant, & dicant: Pater pec cauí in cœlũ & coram te, fac me ut unũ ex mercenarijs tuis. Tu enim à iuuentute mea dux fuisti omnium bo norum quibus fruor, nihil poßideo quod nõ à manu tua susceperim: nõ in perpetuũ irascaris peccatis meis, non semper repellas me miserũ, & relinquas tot expositum defectibus & peccatis. Sed hoc impij non faciunt, do mini bonitatem non implorant, nec deprecantur iram domini, sed pergũt continuò mali fieri, & crimina pec catis adijcere magis ac magis, donec ut Iudæis cõtigit in totum miserè exterminentur & pereant.

6 ¶ Et dixit dominus ad me in diebus Io
siæ regis: Nũquid uidisti quæ fecerit auer
satrix Israël? abijt ipsa super omnem mon
tem excelsum, & sub omni ligno frõdoso,
& fornicata est ibi.

7 Et dixi quum fecisset hæc omnia, Ad mẽ
reuertere, & non est reuersa. Et uidit præ
uaricatrix soror eius Iuda,

Contra idolatriam.

Consequenter peccantes redarguit, gratiam insignem offeret, suadet ad pœnitentiam. Idololatriæ autem pec catum insigniter improperat semper, quia directe fidei aduersetur, qua deus coli se mandat, & adnexum sibi aduehit pondus ingens criminum & libidinum, tam in superstitionis autoribus, quàm sectatoribus, clero & plebe. Iosiæ autẽ temporibus, dum iuueni sancto regi et zeloso multi principum & ex uulgo resistere conaren tur, auferenti idola, & aras cum sacellis euertenti, ad quæ propendebant impie & impense impiorum maxi ma pars plebis: tum animaduertere eos magis cõueniß set exemplũ decẽ tribuũ, quæ iam in Assyrios abductæ erant, uastata tota terra, & peregrinis gentibus habita ta, propter ritum idololatriæ, quæ toties reuocari nole bant prophetis mißis à dño, & gratiam dei spreuerant, propterea & iudiciũ grauißimũ pertulissent. Eo exem plo Iudæi superstites emendari debuerant, & alieno ma lo sapuisse, timuisseq; ne & ipsi abijcerentur, & uelut adultera repudio dato dimitterentur: sed non reuerita est iudicium domini perfida soror eius Iuda, quo minus & ipsa scortaretur, & dominum irritare cessaret, nihil monita exemplo domestico.

8 (& uidit) quia pro eo quòd mœchata esset
auersatrix Israel, dimisissem eam, & dedis
sem ei libellũ repudij, & non timuit præ
uaricatrix Iuda soror eius, sed abijt, & for
nicata est etiam ipsa,

9 & facilitate fornicationis suæ contami
nauit terram, & mœchata est cum lapide
& ligno.

Arduam sententiam æquißimi iudicij contra Iudæam pertinaciter impiã & adulterã, multis uerbis & repe titis uicibus inculcat uerbũ domini, eamq; tropis solis, et illis quoq; densißimis. Vidit, inquit, hæc omnia perfi da soror, & nihil reuerita est nec emendata, sed facta deterior, & execrabilior ex spurcitijs idolorum, & cæ teris iniquitatibus, ut terram totã inquinauerit adulte rijs, huiusce modi idola lapidea & lignea adorãdo, præ nimia leuitate mentis & dei contemptu, ad exemplum alijs, ad blasphemiã diuini nominis, sine spe pœnitẽtiæ uel conuersionis ad dominum.

10 Et in omnibus his non est reuersa ad mẽ
præuaricatrix soror eius Iuda in toto cor
de suo, sed in mendacio, ait dominus.

Insyncera conuersio.

Licet sub Ezechia & Iosia conuersus uideretur popu lus ad dominũ, profligatis spurcitijs idolorũ, hoc tamen non factũ est animo syncero, nec toto corde, sed per hy pocrisim, ad complacendum potius regi quàm deum ti mendo ex animo bono, ideoq; semp reuersi sunt ad uo mitum sub Manasse, Ioachas, Ioachim & Zedekia, men daciter fingendo quod non præstabant ex animo.

11 Et dixit dñs ad me, Iustificauit animã suã
auersatrix Israel, cõparatione præuarica
tricis (magis quàm præuaricatrix) Iuda.

Minus peccat qui exemplum non uidet uindicati cri minis, quàm cui exemplũ ob oculos ponitur, unde resi piscendi instinctus accomodatur, cuius cruciatibus po tuit emendari. Iustior autem dicitur comparatione am barum, quæ iniquißimæ erant.

12 Vade, & clama sermones istos contra a
quilonem, & dices: Reuertere auersatrix
Israel, ait dominus: & nõ inijciã iram meã
in uos, quia sanctus ego sum, dicit domi
nus, & non irascar in perpetuum.

13 Veruntamen scio iniquitatẽ tuã, quia in
dñm deũ tuũ præuaricata es, & disperfisti
uias tuas alienis sub omni ligno frõdoso,
& uocem meã non audisti, ait dominus.

Ad aquilonẽ clamare iubetur, contra Assyriorũ pla gam, uel regni Israëlis terram, in qua adhuc paucißimi supererant ex Israële profugi, sed idolis seruientes cum Samaritanis. Vel, si uidetur, ad exemplũ & cõmonitio nem Iudæ, potius est iussus loqui quidẽ ad Israëlem iam exulantem, audientibus tum Iudæis, ut ipsi aliorũ exem plo emendarentur. Quasi dicere uelit: Tantum abest ut uos de regno Iuda cõuersos abijciã, ut etiã Israëlem iam abiectum in captiuitatẽ & destructũ susceptur us sim, si reuertatur toto corde, & restituturus sim quantũli bet fœde peccauerit. Promittitq; clemẽter indulsurũ illi peccata, si resipiscat & redeat. Non, inquit, deijciam ultus, id est, iram meam à uobis semper, sed intuebor clemẽter uos, quia multæ misericordiæ sum, nõ semper seruabo iram, nec custodiã iniurias ad uindictã quia mi sericors sum, & nõ in perpetuum irascar: hac tamen le ge, ut humilietur & agnoscat peccatũ, & emẽdare stu deat in quo deliquit, uerbũ domini audire cõtemnens.

Promissio indulgẽtiæ.

14 Conuertimini filij reuertentes, dicit do
minus: quia ego uir uester, & assumã uos,
unum de ciuitate, & duos de cognatione,

& introducam uos in Sion.

15 Et dabo uobis pastores iuxta cor meũ, & pascent uos scientia & doctrina.

Ad cultum dei uocatio

Conuocatio est, qua propheta in uerbo domini aduocat ad legitimũ cultum dei ueri totum Israëlem, uel potius omnes gentes, à quibus Israël didicerat idololatriã, prædicens olim futurum, ut qui à creatore suo per uarias superstitiones recesserant defecerantq; à domino, hi cõuertendi essent, & uelut una sacrosancta ecclesia domino maritanda, dominum sponsum habituri essent, quod per Christum uidemus completũ conuersione orbis ad deum suum. Non quidem simul & omnes, sed eligendo tam ex Iudæis quàm gentibus reliquias quasdam. Hi autẽ fideliũ sunt ecclesia, in quam euangelij prædicatione introductæ sunt pauciores quidẽ ex Iudæis reliquiæ, multò uerò plures ex gentibus. Quibus præfecit dominus prophetas, Apostolos & doctores, piosq; cum tempore reges, qui iuxta beneplacitũ dei fideles introducãt in agnitionẽ & amorẽ ueritatis, & sacræ eruditionis, ad piè colendũ deũ, fide & charitate. Quæ licet etiam post reditũ de Babylone cõtigerint partim & imperfectè, per Christi tamen ueri Messiæ regnũ copiosius & illustrius totus mũdus cernit esse cõpleta. Veluti sæpius & alij prophetæ, gentiũ uocationẽ interserũt consolationibus fidelis populi, quæ factæ sunt tam de reditu è Babylone quàm clade Sennherib, & alijs.

16 Cumq; multiplicati fueritis, & creueritis in terra in diebus illis, ait dominus: nõ dicent ultra, Arca testamenti domini: neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec uisitabitur, nec fiet ultra.

Ecclesiæ augmentum.

Christi temporibus & apostolorũ spiritu Christi docentium & agentiũ, aucta est in immensum ecclesia fideliũ. Et ne quis de reditu è Babylone intelligat prophetiam, additur: Non iactabũt ultra arcã fœderis domini, deq; ceremonijs alijs cultus Salomonici uel Mosaici non curabũt, nec recordabũtur prisci illius cultus: sed in spiritu & ueritate patrẽ adorabũt, nõ oblationibus & sacrificijs ad numerũ temporaq; domino ferendis.

17 In tempore illo uocabunt Ierusalem Solium domini, & congregabuntur ad eum omnes gentes in nomine domini in Ierusalem, & non ambulabunt ultra post prauitatem cordis sui pessimi.

Idolorum abolitio.

Tunc erit Hierosolyma in maximo honore & fama, & solium domini uocabitur, in qua familiariter dominus sedeat & glorificetur, & congregabuntur ad eam omnes gentes. Id quod in ea semper sacrosanctum fuerat & gloriosum fides & cultus dei, hoc gentes amplectentur, ut scilicet glorificent nomen & gloriã domini, & declinabunt pariter omnes abominationes, & obstinatiam sacrilegi cultus, ut nõ ultra idola colant, sed dominũ, ab omni prauitate & legis diuinæ transgressione cauendo. Id autẽ fiet Messiæ temporibus, quod cum iam dudum perfectum cernatur, sequitur Messiam uenisse dudum contra Iudæos.

18 ¶ In diebus illis ibit domus Iuda ad domum Israel, & ueniẽt simul de terra aquilonis ad terram quam dedi in hæreditatẽ patribus uestris.

Christi prædicatione cõuersi sunt ex omnibus Israëlis tribubus multi ad meliorẽ mentẽ, & per fidem Christi & euangelij prædicationẽ de captiuitate sua reducũt ad felicitatẽ uitæ huius & cõscientiæ: dum cessat ipsorum inuidia, qua gẽtes odiũt, & exosi uiciſim fiũt, arramq; salutis agnoscũt in Christo saluatore & rege omniũ fidelium animarũ: cõsequũturq; omnia ipsa & maxima bona patriarchis promissa, ut terrã promissionis assequantur, & feliciter hæreditent ac possideant.

19 Ego autem dixi: Quomodo ponam te in filios, & tribuã tibi terram desiderabilem, hæreditatẽ præclarã exercituũ gentium? Et dixi: Patrem uocabis me, & post me ingredi non cessabis.

Tũc filios sancti Abrahæ qui fide & deuotione ipsum referunt legitimum patrem, multiplicabuntur ut stellæ cœli, & ut arena maris operient & replebũt totã terram, in qua pro uoto possideas omne bonum: quicquid iustè & rationabiliter desiderare potes, hoc affatim possidebis, & agnosces me patrem pientissimũ fidelissimumq;, cuius nomen glorificari cupies super omnia, & regnum illius propagari summa cum iucunditate uiribus, & ab ipso uero & uiuo deo patre tuo nunquã declinabis, ut antea idola uenerando.

20 Sed quò modo si cõtemnat mulier amatorem suum: sic contempsistis me domus Israël, dicit dominus,

21 Vox in uijs audita est, ploratus & ululatus filiorũ Israel: quoniã iniquam fecerũt uiam suam, obliti sunt domini dei sui.

Post insertã consolationẽ conuersorũ ad dominũ & electorũ, prosequitur imprecationẽ cõtra impios, & futuram calamitatem latius prædicit infidelibus Iudæis. Quemadmodum fidem frangit fœmina amatori suo, sic uos Israëlitæ fidẽ fregistis deo uestro, ideoq; & possidebitis uos me habetis, in exiliũ relegati cum fletu & planctu, quæ passim longè lateq; exauditur in orbe, pro eo quod legem domini dei sui abiecerunt & contaminati sunt per omnium criminũ & errorũ spurcitias, & pro domino deo suo lignum coluerunt & lapides.

22 Cõuertimini filij reuertẽtes, sanabo auersiones uestras. Ecce, nos uenimus ad te: tu enim es dominus deus noster.

23 Verè mendaces erant colles, & multitudo montium, uerè in domino deo nostro salus Israël.

Quid ergo utilius ipsis consuli potest, quàm ut sicut auersi fuerãt à dño infidelissimi serui, sic reuertãtur ad pientissimũ patrem legitimi filij? Id si fecerint, potẽs est dñs & propẽsus amore, ut sanet et indulgeat omnia peccata uestra. Tunc aũt plena deuotione & fide, dicentes: Ecce domine deus noster, iam nunc nos tui filij reuertimur à uana cõuersatione nostra, & uenimus ad te, scimus uerum & unicũ deum nostrũ, credendo & cõfitendo

Reuerã

Reuera enim nihil aliud esse nunc cernimus & sentimus, colles & mõtes, excelsa & aras, idola & delubra, quàm ipsissimas & certas falsitates, impietatẽ & stultitiam, in quæ uanè semper sperauimus, quæ stulti admirati sumus quæ & inuocare consueuimus in angustijs, cum nunc liquidò uideamus, aliã nobis salutẽ nõ sperandam, quàm in domino deo nostro, qui ab initio & semper usq; in præsens fideles seruat & saluat.

24 Cõfusio comedit laborẽ patrũ nostrorũ ab adolescẽtia nostra, greges eorum, & armenta eorũ, filios eorũ, & filias eorum.

Confusio idololatræ erum.

Confusi sunt coram te & toto mundo isti patres nostri, qui te derelicto idola colere cœperũt & nos docuerunt, in maximã quoq; contumeliã & confusionem priorum patrũ nostrorũ, quos tu elegeras, quia nos eorum filij tantũ nostrum benefactorẽ non omni studio nostro coluimus, sed postposuimus ipsum uanissimis idolis, quibus per stultitiã & malitiam obtulimus ea, quæ domino deo nostro obligabamur, à quo illa susceperamus, cui ea promiseramus, pacto fœdere quod infregimus: quin & filios quoque nostros & filias, horrenda insania dæmonibus sacrificauimus non deo: dijs quos ignorauerunt patres nostri, obtulimus eam substantiam quam hæredibus nostris debebamus, lignis & lapidibus ipsis, nimirum truncis stolidiores.

25 Dormiemus in cõfusione nostra, & operiet nos ignominia nostra: quoniam dño deo nostro peccauimus nos, & patres nostri ab adolescẽtia nostra usq; ad diẽ hanc: & nõ audiuimus uocẽ domini dei nostri.

Dignè ergo dormimus & iacemus in confusione nostra, & in tota terra cõfundimur coram & præ omnibus gentibus, quarũ nulla tam infidelis fuit idolis suis, ut nos uero deo nostro: cui peccauimus tam nos quàm patres nostri: quorũ iniquitates transgressi sumus, meritas fidẽ & sancta opera æmulari noluimus. In qua nostra impietate adoleuimus à multis seculis, continuò peiores effecti, ut testatur hoc nostrum tempus, in quo etiamnum inobedientes sumus uerbo domini, & prophetas nõ solũ nõ audimus, sed persequimur & interficimus, qui nobis in persona domini dei nostri ipsiusq; mandato loquuntur, sed surdis fabulam.

CAPVT IIII.

1 SI reuerteris Israël, ait dominus, ad me cõuertere. Et si abstuleris abominatiões tuas à facie mea, non commoueberis.

2 Et iurabis, Viuit dominus, in ueritate, in iudicio, & in iustitia, & benedicẽtur in eo gentes, & in eo laudabuntur.

Abominas no abijcien da.

Videtur sermo esse ad Iudam & Ierusalem, ad tempus Ieremiæ, ut ab impietate resipiscant, dum tempus sit, ne eos opprimat iudicium domini iam prædictum, & extremam desperationem incidant, sed feliciora suscipiant, si cõuersi fuerint ad dominũ, & idololatriæ abominationem abiecerint, & firma sic domino fide cohæreant, qua maximè colitur. Si deniq; reuerecãtur nomen

& gloriam domini, prouidentiam uniuersalem eatenus credentes firmiter, ut abhorreant quammaximè à falso iuramẽto per nomen domini, sciẽtes ne dum opera, sed uerba & cogitationes hominũ dominũ non latere, quo minus p nomen illius iurare præsumãt, nisi certò sciant uerum esse quod iurant: non mendaciũ neq; scienter falsum, nec absq; iudicio iurẽt friuolè, impræmeditatè, sine diuini nominis reuerentia, sine urgente necessitate, & absq; requisitione iusta iudicis, nec etiã sine iustitia, ad aliquid scilicet agendum quod domino nõ placet, quod est sine iustitia. Hos enim comites nisi habuerit iuratio, periurium habebitur. Nec tamen in alterius nomine iuretur unquã, nisi per deũ qui uiuit: cum idola & quicquid præter deũ est, solidæ & certæ ueritati testimoniũ præbere nõ possint. Nec prouidẽtia rerũ omniũ competit, nisi deo uero. Quam si quis iuramento in laudẽ alteri detulerit, deũ uerũ blasphemauit. Qui uerò ex prouidentiæ uniuersalis in deo fide iurauerit, cum prædictis circunstantijs, dominũ deum uerè colit. Iurare autẽ per creaturas omnino non licet, etiã si nõ iuretur sine præscripto modo à propheta. Nec idẽ est præstare iuramentum pro ueritatis assertione & honore, & iurare leuiter, & uanè nomen dñi usurpare. Si inquit, sic cõuertemini, & dominũ timueritis, cõplebitur de uobis sine dubio promissio patribus facta, ut gentes benedicãtur, per uos saluentur, conuertendæ ad dominum, quo bono maius assequi non poteritis unquã. Nihil enim nobilius Israëli cõtigit, quàm ut instrumentum fuerint gloriæ diuinæ dissemínandæ in omnes gentes, per Christum benedictum semen natum ex semine Dauid secundum carnem, in quo benedicuntur omnes gentes, & sese iactant per Christi merita saluandas.

Non falsò iurandum.

Quõ præstandum iuramentum.

3 Hæc enim dicit dominus uiro Iuda, & Ierusalem, Nouate uobis nouale, & nolite serere super spinas:

Pars alia sermonis ad Iudam & Ierusalem dicta, ut renouentur spiritu & mente, plantationes fideles & sacras, & non nisi dño dicandas producãt, & non uanis ceremonijs operam ludant, domino per externa tantũ opera sine spiritus deuotione seruire tentando, si uelint consistere domi suæ & feliciter frui laborum fructu.

4 circuncidimini domino, & auferte præputia cordium uestrorum uiri Iuda, & habitatores Ierusalẽ: ne fortè egrediatur ut ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat: propter malitiã cogitationum uestrarum.

Nec inter ceremonias, ea quæ maxima est, circuncisione carnalis præputij uobis placeatis, quasi ea domino cõmendandi. Non enim hanc probat tantopere, sed quæ interior est mentis & spiritus propensionẽ in deũ & legem dei. Hæc domino probatur circuncisio. Crassities autẽ cordis & obduratio ad legẽ, præputiũ cordis dicitur, & est auferenda & resecanda à uere fidelibus, qui ciues idonei sint in Iuda & Ierusalẽ. Alioqui inobedientia & cõcupiscentiarum procliuitas dominũ offendit, & iudicium diuinum supra se aduocat, propter ma

Circũcisio quatenus probata.

litiam studiorũ & consiliorum contra dominũ, hoc est, perfidiam quam odit & punit dominus.

5 Annũtiate in Iuda, & in Ierusalẽ auditũ facite: loquimini, & canite tuba in terra: clamate fortiter, & dicite: Cõgregamini, & ingrediamur ciuitates munitas,

6 leuate signũ in Sion. Confortamini, no lite stare, quia malũ ego adduco ab aquilone, & contritionem magnam.

7 Ascẽdit leo de cubili suo, & prędo gentiũ se leuauit: egressus est de loco suo, ut ponat terrã tuã in solitudinẽ: ciuitates tuæ uastabuntur, remanẽtes absq; habitatore.

Desperata malitia Iudæorum.

Vtcunq; Hebræi distinguant, uidetur hic propheta desperare de emẽdatione populi Iudaici, quia uerbũ dñi nõ audirẽt, nec se circũciderẽt moribus, ideo certißimã illis ultionẽ dei prædicens, quæ & suis nõ semel cõtigit temporibus, ut tã Hierosolyma quàm Iudæa obrueretur ab hostibus, reges abducerẽtur captiui, & populus spoliaretur. Ideoq; quasi hortatur ut cõcurrant ad uocem præconũ, & uexillũ leuent, signũ confluxus populi ad urbẽ muratã ex agro, ut effugiãt exercitũ, nunc Aegypti, nunc Chaldæorũ, instar leonũ prouintiã uastantiũ. Quem & iam prodijsse & ingruere prophetat, ut Iudæam totã pessundet, & excindat urbes quas potest, ut prorsus desolentur, & habitatoribus euacuentur.

8 Super hoc accingite uos cilicijs, plãgite, & ululate: quia non est auersa ira furoris domini à nobis.

Quandoquidẽ uerbo domini obsequi semper renuitis procaci ceruice, nullaq; morum & fidei reformatione emendamini, aliud non restat, quàm ut extremã pernitiẽm sentiatis, iram domini, iustumq; illius iudiciũ feratis, quod ubi declinare non poteritis, sacco & cinere sera nimis pœnitentia & infructuosa lugeatis.

9 Et erit in die illa, dicit dñs: Peribit cor regis, & cor principũ, & obstupescent sacerdotes, & prophetæ consternabuntur.

Confusum consilium.

Clamauerant semper prophetæ falsi, pax, pax, & sacerdotes iactabant templũ templũ, principes suaserant de auxilio gentiũ uicinarũ, quibus omnibus rex decipiebatur. Ideo nũc cum hostis obruit, regis perit omne consilium, & cor quod in manu domini esse noluit, sibi derelictum concidit & perit, principes cõsternantur, sacerdotes stupent, & pauore percelluntur, consiliũ concidit, eripitur mens prophetæ: omnes pariter cõfundantur. Irato domino nullum ualet consilium.

10 Et dixi: Heu heu heu dñe deus, ergó ne decepisti populũ istũ, & Ierusalem, dicens: Pax erit uobis, & ecce peruenit gladius usque ad animam?

Reijcit populari opinione errorem populi in dominũ, quasi dicat: Fidunt miseri pace & salute quod eam tu promiseris, neglecto interim eo quod pernicię comminatus es præuaricatoribus legũ, & ad deos alienos deficientibus, domino prodito & deserto. Et tamen impios

Impios deus fallit.

uerè fallit deus, falso cõsolãtibus malis prophetis, ut patet de Michæa: decipiunt seſe, fucum sibi parantes, ne domino obsequantur, sed perdant se & pereant.

11 In tempore illo dicetur populo huic, & Ierusalem, Ventus urens in uijs quæ sunt in deserto uiæ filiæ populi mei, nõ ad uentilandum, & ad purgandum.

Veniet sine dubio tempus huic urbi & populo, in quo primũ quidẽ renũtiabitur aduentus hostis Aegyptiaci, qui ut australis ab austro uentus calore suo omnia exiccabit. Rex enim Aegypti uenit, ut uẽtus à meridie, non ad usum & utilitatem, nõ ad auxiliũ quod sperabatur, sed ad capiendũ regem Ioachas, ad prædandũ populum & urbem, intrudendo regẽ alium Iehoiakim: ea scilicet uia, qua olim exierat iste populus seruitutem, eadem captiuus illorum rex abducetur.

12 Spiritus plenus ex his ueniet mihi, & nunc ego loquar iudicia cum eis.

Fortior deinde & uehemẽtior urbi uẽtus frigidus ab aquilonari plaga rex Babylonis superueniet, qui reges posteriores & populum capiet, non sine horrendo iudicio iustitiæ meæ, quam exercebo in tam rebellem gentem & urbẽ, rege excæcato & capto, prius autem occisis filijs, pãtre id ultimo intuente, in Reblata, ubi & iudicia illi dixisse legitur.

13 Ecce, quasi nubes ascẽdet, & quasi tempestas currus eius: uelociores aquilis equitibus. Væ nobis, quoniam uastati sumus.

Babyloniorũ describit exercitũ, cuius currũ acrotes rum strepitus tẽpestati sæuißimæ cõparatur, & aquilis uelocitas equorũ, qui ad nihil aliud ueniũt, quàm ad uastandũ oĩa: idq; nõ semel, sed sæpius, donec templũ, homines, urbs et regio tota corruerẽt & desolarẽtur, ut prospheta cogatur lamẽtari, Væ nobis quia uastati sumus.

14 Laua à malitia cor tuũ Ierusalẽ, ut saluafias: Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?

Non tamen desperat, sed continuò prædicat pœnitentiam & conuersionẽ ad dominũ, quibus tanta mala euitare poßint, quantũlibet serioſe prædicta & instanter. Lauandũ autẽ cor consulit & animũ, nõ manus & pedes, ut saluetur ciuitas, ut impias in eo cogitationes lamentantes excutiat, imbuatq; fideles & pias.

15 Vox enim annũtiantis à Dan, & notũ facientis idolũ (pernitiem) de mõte Ephraim.

16 Dicite gẽtibus: Ecce auditũ est in Ierusalẽ custodes uenire de terra lõginqua, & dare super ciuitates Iuda uocem suam.

17 Quasi custodes agrorum facti sunt super eam in gyro: quia me ad iracundiã prouocauit, dicit dominus.

18 Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerũt hæc tibi: ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum.

Eandem calamitatem ex aduentu hostis aquilonarĩ repetere uidetur, fortaßis ideo, quia non tantum semel, sed bis & tertio urbem uastauit & populũ Babylonis exercitus, antequã tota absolueretur miseria & desolatio.

tio. ¶ Dan quæ aquilonarior est urbs terræ Israëliticæ
Poena pec cati. rumor peruasit Iudææ australiorẽ, per montẽ Ephraim, qui interiacet, & excubiæ circũ Hierosolymã, omnia pari cõsensu excidiũ renuntiãt, non alia ratione quàm quod dominum Iudæi exasperauerint, prophetarũ monita spreuerint, iustitiã & iudiciũ declinarint, imbecilles oppresserint, idololatriam mordicus tenuerint & defensarint, uerbo dei non crediderint, impio suo corde toto deum blasphemarint, humana sua prudentia dei consiliũ inuertere præsumpserint. Eadem dicit uerbis multis, Tu tibi causa excidij.

19 ¶ Ventrẽ meũ, uentrẽ meũ doleo, parietes (sensus) cordis mei turbati sunt in me: corde meo nõ tacebo, quoniã uocẽ buccinæ audiuit anima mea, clamorẽ prælij.

Compassio prophetæ. Vel pro tanta uastatione se propheta lamentantem facit, uel ipsum populũ huiusmodi nunc patientem, quæ credere futura prophetis & deo noluit. Queritur totis se uitalium membrorum torminibus uelut puerpera distringi. Ipsa cordis latera concuti, cogiq; ad clamorem præ nimia desperatione, cum audit hostes irruentes subitò sese ad cædem Iudæorũ incitare, uocem quoq; horribilem, castrensem ex tubis, classicumq; clangorẽ, quo nihil est desperatis formidolosius.

20 Contritio super contritionẽ uocata est: quia uastata est oĩs terra. Repente uastata sunt tabernacula mea, subitò pelles meæ.

21 Vsquequo uidebo (uexillum) fugientem, audiam uocem buccinæ?

Vna contritio sequitur aliam, Iuda post Israëlem, urbs post agros, fœminæ post uiros, pueri post senes. Subitò uastata plangit tabernacula regionis, & pelles pastorum, hoc est, quicquid repertum in agro. Deinde quoq; urbem aggredi parant, mutuũ sese inhortantes classico strepitu, & signis hostilibus. Hæc autem uidere & audire nihil horribilius.

22 ¶ Quia stultus populus meus me nõ cognouit: filij insipientes sunt, & uecordes: sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.

Tantæ cladis causam breuibus explicat, quia stultus est populus domini, qui omnium sapientior ex lege esse debuerat, cui soli iudicia iustitiæ reuelauerat, ad quos iugiter prophetas ac doctores miserat: Semper tamen perfidus perstitebat, & malitiose ignorans, non quidẽ insipientes uel inepti ad flagitia patranda, sed ad iustitiam fidei & morum exercendã, non attendendo ad creatorem & benefactorem suum, quod bos & asinus non ignorat, ignorat autem Iudæus.

23 Aspexi terrã, & ecce uacua erat, & nihili, & cœlos, & non erat lux in eis.

24 Vidi montes, & ecce mouebantur, & omnes colles conturbati sunt.

Quocunq; aspicio tanta anxietate constrictus, omnia coniurasse uideo in exitium nostrum, nusquam patet effugij uel solatij locus, ita sunt omnia uanitati dedita, ut nihil uspiam sanum sit: terra uacua & inanis est cultoribus, cælorũ influentia non nisi exterminiũ administrat, & tenebris omnia inuoluit, quo sint horribiliora quæ patimur, montes tremere uidentur, qui utinã operirent nos, colles quoq; nutant & cõturbantur. In summa, uastitas cõprehendet cõtumaces. Tale iudiciũ perferent omnes impij, & uerbi dei irrisores, & blasphemi maiestatis diuinæ, prophetarumq; persecutores.

25 Intuitus sum, & nõ erat homo, & omne uolatile cœli recessit.

26 ¶ Aspexi, & ecce Carmelus desertus, & oĩs urbes eius destructæ sunt à facie domini, & à facie iræ furoris eius.

Vehementem solitudinẽ cõminatur, & quasi præsentem depingit, ut ne aues quidem tali permanere in terra possint, ubi homines non existunt. Sunt enim aues solis his tractibus terræ uiuentes, ubi homines habitant. Carmelus & omnia loca nunc cultissima deserta erunt, & urbes euersæ. Hæc autẽ omnia fiunt non tam hostiũ malignitate & uiribus, quàm iudicio ultioneq; & manu domini, qui non se fert ultra contemni. Cuius iræ & furoris dies timeri non potuit ab impijs, illius iustitia terrebuntur quum sentient & dolebunt. Solitudo animaliũ & hominum.

27 Hæc enim dicit dñs: Deserta erit oĩs terra, sed tamen consummationẽ non faciã.

Promittit hac uice non funditus perituram gentem Iudaicam, redituras olim ex Babylone paucas reliquias: quasi subindicans olim ad unum pariter omnes eijciendos, ut uidimus. Omnis autem terra hic dicitur Iudaica & Israëlitica, quæ tota suis caruit iamdudũ hæredibus. Tunc autẽ nõ omnino caritura dicitur, propter paucas & sordidas illius gentis reliquias cum Godolia, quæ remanserũt in terra, cum paucis reuersuris de Babylone. Non enim omnes Iudæi occisi sunt. Iudæi nõ funditus perituri.

28 Propter hoc lugebit terra, & mœrebunt cœli desuper, eò quòd locutus sum. Cogitaui, & non pœnituit me, nec auersus sum ab eo.

Terram lugere, est habitatore & cultura destitui. Cœlum mœrere, est obtenebrescere & tempestatibus terrere. Verbum domini manet in æternum. Decreta dei creata uirtute nõ impediũtur. Prophetis unà cum reuelatione ueritatis, etiã certitudo, firmissimusq; cõsensus datur, ut nequeant dubitare. Quàm certa autem fuerit prophetia omnium rerum probauit exitus, & clades Iudaica cantata per omnia secula, ut de prophetarum oraculis nemini sit dubitandum.

29 A uoce equitis, & mittentis sagittam fugit omnis ciuitas: ingressi sunt ardua, & ascenderunt rupes, uniuersæ urbes derelictæ sunt, & non habitat in eis homo.

Exaggerat sensus, ut inculcet diligẽter, ut tanto minus excusationis relinquatur proteruis, & iustitia dei fortior inclaresçat, quasi illi uerba & sententiæ deficiant. Sic subinde iudicium dei exaggerat, ut timeatur, si quo modo emendent flagitia, pœnasq; euadant. Hoc enim prophetarũ est officiũ, omnem mouere lapidem, oportune, importune instare, ut ecclesia curetur. Iudiciũ dei exaggeratur.

30 Tu autem uastata quid facies? Quum uestieris te coccino, quum ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio oculos tuos: frustra cõponeris, contempserunt te amatores tui, animam tuam quærent.

Fidutia in creaturas.

Improperat uerbũ dei impijs fidutiam creaturarum, quæ iuuando nõ sunt, dum maximè sit opus, utq; omnia frustra conentur ad effugiendũ iudicium domini. Dum ultio dei urget, omnia cõcurrunt ad pœnam, quæ prius assumebãtur ad auxilium & solatium. Non complacet deo in externis ornamentis uel ceremonijs, dum mens & animus perfidia laborat. Fide enim sola iustitia comparatur apud deum.

31 Vocem enim quasi parturientis audiui, angustias ut puerperæ. Vox filiæ Sion inter moriẽtes, expandentesq; manus suas: Væ mihi quia defecit anima mea propter interfectos.

Obsidionis calamitas.

Describitur amaritudo maxima quæ tum Hierosolymis dum uastaretur cõtigit impijs ciuibus, morientibus fame, peste, gladio, cum desperatione de gratia dei: qua impij tandem incipiunt moriendo adfligi, & infernales pœnas inchoare, dum extra & intra adfligũtur sine spe euadendi plagas, & iram domini. Qualis dolor comparatur puerperæ, primũ fœtum proferenti & efflanti spiritum, cõtritiones doloro sissimas perferenti, expandẽti brachia, & miserabiliter clamãti: Proh dolor mihi, quia deficio tota pro multitudine occidentiũ & occisorũ. Quicquid mulier patitur uel pariẽdo filios, uel in morte crudelissima filiorum, hoc Hierosolyma dicitur pertulisse in ciuibus suis & filijs: quia dominũ non est reuerita, tot semper beneficijs ingrata.

¶CAPVT V.

1 Circumite uicos Ierusalem, & aspicite quæso & cõsiderate, et quærite in plateis eius, an inueniatis uirũ facientẽ iudiciũ, & quærentem fidem, & propitius ero ei.

Vastationis causæ.

Causas tantæ uastationis subinde prædicat multas, in primis autem, quia nec in plebe, nec primoribus urbis quispiã bonus inueniatur, sed sint omnes iniqui & infideles. Perlustrando ambite foris & scrutamini, ait propheta, plateas omnes pertransite, & numerate homines quos etiam in foro inuenietis, diligẽter uidendo inquirite de ciuibus urbis Hierosolymæ, ubi lex docenda à sacerdotibus, ubi iustitia fuerat administranda à rege & principibus, ubi cultus diuini nominis curandus in primis, & si inuenietis uel unũ quidẽ, qui officiũ suum probè administret, qui iustè iudicet, & fideliter agat, & nõ fallat uerbo & opere, tunc urbi propter eum miserebor. Declaratur bonitas dei amplior quàm ad Abraham, ad cuius orationẽ pro decem bonis parcere decreuerat urbibus quinque: & malitia Iudæorum maior, in quibus ne unus quidem bonus inuentus sit. Sic propter bonos dei clementia malis parcit.

2 Quòd si etiam Viuit dominus, dixerint, & hoc falso iurabunt.

Simulabant nõ pauci cultum dei, & iustitiã operum, Hypocrisis iurantes non per idola sed per nomen domini, sed per mendacium & hypocrisim: ut fallerent iurabãt, ex animo iusti non erant. Facilè fingitur iustitia, difficilè exhibetur hominibus, minus deo, qui cor & renes inspicit, & nouit quid sit in homine.

3 Dñe oculi tui respiciũt fidem: percussisti eos, & non doluerũt: attriuisti eos, renuerunt accipere disciplinã, indurauerunt facies suas supra petrã, noluerunt reuerti.

Nihil æque dominus respicit, probat & exigit, ut fidem in suis, quæ nunc exulat: omnia enim dolo agũtur, eluditurq; iusiurandum, promissa non seruãtur, quæ sua sunt omnes quærunt, non quæ dei & reipublicæ, deum non credunt neque timent, etiam percussi nõ emendantur, attriti multis aduersitatibus, & usque ad paucos redacti, non efficiuntur meliores, disciplinam non recipiunt, cõtumacia sua pergũt, quæ sunt perfidiæ in deũ, non pœnitere errati, non resipiscere, quia non credunt uerbo dei, iustitiam auersantur.

4 Ego aũt dixi: Forsitan pauperes sunt, stulti, ignorãtes uiã domini, iudiciũ dei sui.

5 Ibo (igitur) ad optimates, & loquar eis: ipsi enim cognouerunt uiam domini, iudiciũ dei sui, & ecce, hi simul cõfregerũt iugum, ruperunt uincula.

Quasi tentat propheta unde tanta malitia, si forte ob paupertatẽ & labores uictui necessarios non uacet audire uerbũ domini, legẽ et iustitiã discere, ut uiã domini nescire cogantur rudes & indocti. Ideo apud magnates inquirit, si inuenire posit qui legẽ edoctus uiuat ad legem dei: sed hos diuitijs & auaritia corruptiores offendit, totos abhorrentes à legis studio & zelo, qui cæteris timoris domini & legis ruptis uinculis quicquid libet uolũt, nõ quod deceat bonos. Quanto enim est in diuitibus maior autoritas, tanto maior licẽtia peccatorũ.

6 Idcirco percussit eos leo de sylua, lupus ad uesperam uastauit eos, pardus uigilans super ciuitates eorũ. Omnis qui egressus fuerit ex eis, capietur: quia multiplicatæ sunt prævaricationes eorum, confortatæ sunt auersiones eorum.

Redit ad intentatas prius minas propheta, iussè totã urbẽ plebẽ & primores, pro tantis ipsorũ prævaricationibus puniendã per Babylonicũ tyrannũ, cum seuero crudeliq; exercitu irruiturũ: quandoquidẽ tanta impietas diutius ferri nõ posit à dño, continuo auctã sine spe resipiscentiæ, ut suo se pondere opprimat, nec possit consistere. Elegãter hostem cõparat leoni in sylua, lupo in campis, uel ad uesperum famelico & rapienti, pardo excubanti ad urbes, ut deuoret exeuntes.

7 Sup quo propitius tibi esse potero? Filij tui dereliquerũt me, & iurãt in his qui nõ sunt dij. Saturaui eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur.

Tantus est uitiorũ catalogus, ut etiã si uno & altero uellet parcere crimini, omnibus non posit. Primum est

& maximũ, ciues eius urbis quam elegerat ad nominis sui sanctificationẽ, ubi cultũ instituerat solenẽ, & legis doctores statuerat in eandẽ, ibi dominũ nec credũt, nec colunt, sed idola, quod & testãtur iuramentis suis in nominibus non dei, sed deorum, qui non sunt dij. Quanto etiam pluribus eos bonis saturaui, & in omnibus locupletes feci, tanto magis libidinati sunt cum idolis, & adulterati, & sese exẽplo meretricis infecerũt, & contubernio impiorum seducti sunt.

8 Equi amatores, & emissarij facti sunt: unusquisq; ad uxorẽ proximi sui hinniabat.

9 Nunquid super his non uisitabo, dicit dominus? & in gente tali nõ ulciscetur se anima mea?

Emissarij equi.

Perinde ac equi emissarij, qui equarũ coitu nimio furore anhelant, sic tota propensione idola sectatus est Iudas: nec id solum, sed etiã adulterijs sese cõmaculauit, ut cõtra legẽ & mores gentis quisq; ad proximi uxorẽ aduenerit, spiritu & carne adulteri, bis morte digni. Quomodo ergo tam improbæ genti parcerẽ, & tanta flagitia non uindicarẽ, ad iustitiæ & ueritatis meæ contumeliam? Nec tantũ huius populi crimina hæc, sed & quoscunq; similibus omnibus quoque temporibus uitijs insolentes non possum non punire.

10 ¶ Ascẽdite muros eius, & dissipate, consummationẽ autem nolite facere: auferte propagines eius, quia non sunt domini.

11 Præuaricatione enim præuaricata est in me domus Israël, & domus Iuda, ait dñs.

Quasi ad Chaldæos sermonẽ conuertit iratus, & differre ultra nolens uindictam, hortatur ut subitò & inexpectanter urbem aggrediantur & opprimant, demoliantur q;, non tamen ad cõsummationem totam gentis, quam usque ad Christum tolerandam decreuerat, & redituram á Babylone, donec gentium plenitudo succederet, & orbis urbi. Deniq; propagines inutiles à uite, impios ex gente amputari iubet, non totum excindi radicitus populũ, ut saluentur reliquiæ, & sint qui in gentibus annuntient gloriam dei, clementia interim seueritati commixta.

12 Negauerunt dominũ, & dixerunt: Non est ipse: neq; ueniet super nos malum: gladium, & famem non uidebimus.

Ex infidelitate processit tanta malitia. Negabãt enim dominũ deum esse, illius potentiam spernendo, ueritati uerborum suorũ non credẽdo, ut quantumlibet atrotia prædicerẽtur illis, nõ timebant, quia non prophetis credebant, ideo quoq; uastandi necessariò erant.

13 Prophetæ fuerunt in uentum locuti, & responsum non fuit in eis: hæc (ergo) euenient illis.

Falsi prophetæ pœnæ iactatores.

Falsi prophetæ perpetuò reges & populum lactabant falsis spebus, promittentes pacem, copiam, felicitatem de suo spiritu: ideoq; in uentum euanescunt, friuoli blatterones deprehenduntur, dum contraria eueniunt eorum quæ prædixerunt, & graui iudicio diuino auferuntur ueri prædicatores, famesq; ueritatis terræ immittitur, ut non supersint qui ueritatẽ usque ad mortem confiteantur, testentur aut tueantur.

14 ¶ Hæc dicit dominus deus exercituum, Quia locuti estis uerbũ istud: ecce ego do uerba mea in ore tuo in ignem, & populũ istum in ligna, & uorabit eos.

Propter blasphemiã in deum qua dixerunt: Deus non est, & non ueniet super nos gladius, &c. ideo uerborũ ueritatem suo malo sentiẽt, dum quòd me iubẽte prædixisti cõpleri uidebunt & dolebunt, dum igne cremabitur ciuitas, & populus qui in ea occidetur.

15 Ecce ego adducam super uos gentem de lõginquo domus Israël, ait dominus: gentem robustam, gentem antiquam, gentem cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur.

16 Pharetra eius quasi sepulchrum patens: uniuersi fortes.

17 Et comedet segetes tuas, & panẽ tuũ: deuorabit filios tuos, & filias tuas: comedet gregẽ tuum, & armẽta tua: comedet uineã tuã, & ficũ tuã: & conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fidutiã, gladio.

Exaggeratur malum ab hostium atrocitate, qui de longè uenturi sint, nulla familiaritate coniuncti: inexorabiles, quia linguam ipsius ignorabis: inuincibilem, quia fortis & austera. Gentem antiquam, quæ opprimi nunquam potuit. Armati lætalibus armis, præsentissimam mortem intentantibus, qui ad se defendendum sint aptissimi: isti deuorabunt te & omnia tua, prolem & substantiam omnem, urbes & prædia, sine impedimento. Hodie Turci tales timentur ut sunt, uincent quoque nisi emendemur. Armis nihil agetur. Nemo fidat munitionibus si deus iratus fuerit.

Crudelitas impiorum.

18 Verũtamen in diebus illis, ait dominus, non faciam uos in consummationem.

Ambiguus sermo est, tam ad hunc sensum, Non prorsus perdam uos Babylonica clade, quia quidam relicti sunt ad terræ culturam, & quidam post persecutionis ardorem fuga uel confessione domino fidem seruauerunt: quàm ad istum, Non cessabo adfligere etiam dum hæc cuncta perpessi eritis, quandoquidẽ semper præuaricari pergetis.

19 Quòd si dixeritis, Quare fecit nobis dominus deus noster hæc omnia? dices ad eos, Sicut dereliquistis me, & seruistis deo alieno in terra uestra, sic seruietis alienis in terra non uestra.

20 Annuntiate hæc domui Iacob, & auditum facite in Iuda, dicentes,

21 Audi quæso hoc populo stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos non uidetis: & aures, & non auditis.

22 Me ergo non timebitis, ait dominus: & à facie mea nõ dolebitis? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit: & commouebun-

tur, & non poterũt: & intumeſcẽt fluctus eius, & non tranſibunt illud:

Scopus prophetarum.

Perpetuò prophetæ ſancti inculcant unius dei creatoris cultũram, odium idololatriæ, & imaginum admirationis ſtultitiam, & gentium cõſuetudines uitandas, ut fideles ſciant qua ratione aliquando pœnas pendant, ærumnis inuoluantur, ac erroribus perniciosis & flagitijs. Diſcant quoq; timere deum, eius omnipotentiã & beneficia admirari, ex creaturis quas condidit in uſum hominum, ex quorum uſu & habitu ipſi quoq; diſcant obſequi mandatis eius, & fidere domino, ut quantumcunq; tentationũ fluctibus cõcutiantur, ſemper tamen gratiæ ſuæ nutu conſeruentur, & euadant incolumes. Ipſi itaq; rationales creaturæ ſpontè obediãt creatori, cui uident inanimata & maxima mundi corpora, & uentos pro uoto obſequi ſemper.

23 populo autẽ huic factũ eſt cor incredulũ & exaſperans: receſſerunt & abierunt.

24 Et non dixerũt in corde ſuo, Metuamus dominum deum noſtrum, qui dat nobis pluuiam temporaneã & ſerotinam in tempore ſuo: plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis.

25 Iniquitates ueſtræ declinauerunt hæc: & peccata ueſtra prohibuerũt bonũ à uobis:

Rebellio Iudaica.

Perfidiam & rebellionem Iudaicam ſemper increpauerunt prophetæ, qui poſt ſtupendæ gratiæ beneficia nunquam dominum ſyncerè timuerunt, nec fontem ſummi boni & munerum quibus utimur ſunt reueriti, ut crederent pluuias & ſerenitatem, meſſem & uindemias, arborum fructus & omnium elementorum actiones diuinitus largiri, non ab idolis qui nihil ſunt, & pro peccatis negari.

26 quia inuenti ſunt in populo meo impij, inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos uiros.

Queritur dominus impios in populo ſuo pijs ſcandalum ponere & faſcinum, ut decipiantur & perdantur dolo illorum, ſicut auis decipula, cum ij non ſint de populo ſuo, ſed hoſtes pietatis, quam exigit & largitur. Occultè enim adoriuntur pios, ut capiãt ex eis lucrum, conijciant in errores, attrahant ſuæ ſodalitati, donec irretiant & capiant ac ultimo perdant.

27 Sicut decipula plena auibus, ſic domus eorum plenæ dolo: ideo magnificati ſunt & ditati.

Auaritia, fraus, uiolentia.

Taxatur hic nominatim auaritia, deinde fraus & uiolentia. Sicut cauea uel cartallum impletur ſaginandis auibus ad gulam: ſic domus iniquorum ſpolijs, & dolo acquiſitis ad ſatiandum libidinem plenæ ſunt, unde diuites fiunt & honorati præ reliquis, cum ſint ut plurimum pauperibus iniquiores, ſecundũ adagiũ: Omnis diues aut iniquus, aut hæres iniqui.

28 Incraſſati ſunt & impinguati: & præterierunt ſermones meos peſſimè. Cauſam nõ iudicauerũt, cauſam pupilli nõ direxerũt, & iudiciũ pauperũ non iudicauerunt.

29 Nunquid ſuper his nõ uiſitabo, dicit dominus? aut ſuper gentẽ huiuſcemodi non ulciſcetur anima mea?

Aliorum inedia impinguãtur auari, & nitent cute ut lut ebur, delicatuli & molles, ſectantes libidinem, pro qua aſſequenda malum nullum horrent, pro qua & iudicium inuertunt, iuſtitiam abijciunt, odioſam ſuis ſtudijs, pupilli & imbecillium cauſam non expediunt, pauperes opprimũt. Hæc ſunt ſtudia, ait propheta, impiorum & hoſtium domini, quos non poteſt non iuſtè & rigidè uindicare, cum ſit ipſa iuſtitia & bonitas deus. Illa uerò inter mortales peſſima ſunt crimina, ordinem uniuerſi à domino inſtitutum corrumpentia, & intolerabilia etiã in cœtu impiorum quorumcunq;, quæ & à deo ipſo tolerari non poſſunt, in quacunq; gente, multò minus in peculiari.

30 ¶ Stupor & mirabilia facta ſunt in terra:

31 prophetæ prophetabãt mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis: & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in nouiſſimo eius?

Sacerdotum & prophetarum ordinem taxat: prophetas, quòd mendaciter doceant, frigidè uitia coarguant, & uirtutes prouehant: ſacerdotes, quòd turpis lucri gratia prophetis falſis obtemperent & cõſentiant, hoc enim eſt deſcẽdere ad illorũ manus, ſeſe ſubdere illorũ ſententiæ: populum quoque, quòd iſta ſibi placere permittant, ad liquidos ſatis errores cõniueant, ut & ipſis quoque lucrari & libidinari liceat, facilè alioquì illorum fraudem deprehẽdere poſſet quiſq; ſenſatior, cum à ueritate ad mendacium, à deo ad mammonam auertant doctrinæ ipſorum & inſtituta. Sed quid poſtremò fiet pariter omnibus? ut ſcilicet iure populus cum ſacerdotibus & innocentes cum ſontibus puniãtur, quibus innocentium quoq; ab his uitijs, malitia tamen & ſocordia patrocinatur & conſentit.

CAPVT VI.

1 COnfortamini filij Beniamin de medio Ieruſalem, & in Thecua clangite buccina, & ſup Bethacârem leuate uexillũ: quia malũ uiſum eſt ab aquilone & cõtritio magna.

Dignam tot tantisq; malitijs ultionẽ addit prioribus, futuram propediem calamitoſam captiuitatẽ gentis & urbis, regniq; Iudæ excidium, unde ſe Beniamitæ, quamlibet fortes ſemper uiri & ſtrenuiſſimi eximere nequeant, & Thecuitæ ſibi timere imminentẽ exercitũ iubentur, & in oppido uel turri uineárum de longè ad propinquantem exercitum dato ſigno prodere, & inuicem ciuibus debeant, Babylonium ab Aquilone contra Hieroſolymã feſtinantem ardenti feruore uaſtandi illam, à quo donec aſſequatur inſtitutum minimè ceſſaturum. Nulla enim fortitudo iuuat quicquã contra dominj manum. Et contemni non poteſt uerbum domini ſine grandi uindicta. Toties cõtemnẽtes prophetarũ monita aliquando pœnas dare neceſſe eſt. Iudicijũ Domini effugere nemo poteſt. Thecua diſtat duodecim milibus

Hieruſalē. Inter Thecuam & Ieruſalē eſt Bethachara.

2 Speciosæ & delicatæ assimilaui filiam Sion.

3 Ad eam uenient pastores, & greges eorū: fixerunt in ea tentoria in circuitu: pascet unusquisq; eos, qui sub manu sua sunt.

Quāto speciosior & gloriosior erat Hierosolyma cæteris illustribus urbibus, & delitijs assueta maioribus, tanto eam pastores populorū & reges ex omni parte ardentius adamarūt, ad omnē libidinē illam crebro insē stantes, Aegyptij scilicet, Edomitæ, Syri, Assyrij, Græci & Aethiopes. Vt solent pastores pulcherrima pascua non præterire, sed ibi greges ordinare quemlibet loco suo: sic inuadent filiam Sion regiā urbem, gloriosi quondam populi, castrisq; per gyrum uelut mapalijs circumdabunt, singuli principes suis militū turmis, ne quis euadat, & ut omni ex parte eam adoriantur, nemine succurrente, utq; suo quisq; ex loco hostis murū inuadat. Cuius rei gestæ historiā tam hic propheta uisam, quàm Christus secundo iterandam prædixit.

4 Sanctificate super eam bellum: consurgite, & ascendamus in meridie. Væ nobis, quia declinauit dies, quia longiores factæ sunt umbræ uesperi.

5 Surgite, & ascendamus in nocte, & dissipemus domos eius.

6 ¶ Quia hæc dicit dominus exercituum, Cædite lignū eius, & fundite circa Ieruſalem aggerem: hæc est ciuitas uisitationis, omnis calumnia in medio eius.

Quod per ironiam tectius iam descripsit, nunc planius eloquitur. Inchoate iam nunc certamen, bellum decernite, inquiunt hostes obsidentes urbem: sine mora irruamus, dum tempus est, ut uno die capiamus, impatientes desyderij, quibus uel ad uesperū differri uictoriā dolet. Nec tantū die sed nocte quoq; instare cupiunt, ut indicetur uehemens furor hostiū contra impios, dei instinctu cui omnia seruiant. Etiam à domino fit ardor nocendi iam damnatis à deo, cuius ministerium explent hostes instigati, etiamsi praua id uoluntate exequantur dum sunt impij. Denique media ipsa ad finem à domino suggeruntur, ut scilicet ad urbem improbam capiendā, Babylonij arbores pro uallo & machinis excindāt, ageremq; comportent & excitent contra eam. Sic enim urget iudicium domini, contra iniquos illius ciues, & uiolentos pauperum oppressores, ut & ipsi opprimantur crudeliter à Chaldæis.

7 Sicut frigidā (scaturire) facit cisterna aquā suam: sic frigidam fecit malitiam suam: iniquitas & uastitas audietur in ea, coram me semper infirmitas & plaga.

Causam euersionis iterum exponit, magnitudinē & perpetuitatē impietatis, in ciuibus ad malū omne, iniuriam, rapinā, uastationē, plagas & dolores pauperum.

8 Erudire Ieruſalem, ne forte recedat anima mea à te, ne forte ponā te desertā terram inhabitabilem.

Inculcat pœnitentiā & uitæ emendationem prophe- Pœnitētia
ta, etiam præsentissimā prædicando uindictam suorum suadetur.
criminum. Hortatur quoq; Hierosolymam, ut redeat ad dominum, propensiorem ad indulgendū quàm puniendum. Id si recuset, certissimè sit uastanda iudicio dei, ut in solitudinē redigatur. Non est enim calamitatum certius faciliusq; remedium, quàm ut ad dominū redeatur per uitæ reformationem. Alioqui à nobis recedit anima dei: hoc est, salutē adimit, quæ stat per eum solum, quo deserente labimur & perimus.

9 ¶ Hæc dicit dominus exercituū, Vsque ad racemum colligent quasi in uinea reliquias Israël: cōuerte manum tuam, quasi uindemiator ad cartallum.

Præuidens dominus Iudæorū pertinacē impœnitētiā, Pertinacia
præcipit Babylonio ut mandatū suum prosequatur, & punięda.
residuos Israëlitas ab Assyrijs, regnum Iuda destruat, & ultimum cōficiat racematum, manum sic adhibeat cartallo, ut sedulò incumbens nihil relinquat saluum, sed totum uindemiet. Sic enim impœnitētia finalis meretur clementiæ diuinæ promissæ euacuationē, quo sint inexcusabiles qui pereunt, iustitia autem diuina cum clementia prædicetur & nota sit omnibus.

10 Cui loquar? & quem contestabor, ut audiat? ecce, incircuncisæ aures eorum, & audire non possunt. Ecce uerbum domini factum est eis in opprobrium: non suscipient illud.

11 Idcirco furore domini plenus sum, laboraui sustinens: effunde super paruulum foris, & super consilium iuuenum simul: uir enim cū muliere capietur, senex cum pleno dierum.

12 Et transibūt domus eorū ad alteros, agri & uxores pariter: quia extendā manū meā super habitantes terrā, dicit dominus.

Sermo est prophetæ tandem desperantis de emenda- Nō dissimulanda blasphemia
tione suæ gentis. Quid moneo & hortor audire nolentes, qui carne quidem circuncisi mentiuntur se dei fœdus habere, cum animo & auribus auersentur uerbum domini, nullam admittēdo suadelam salutis & uirtutis? Nec solum non audiunt, sed auditum calumniantur & irrident, factis & uerbis, odiunt & damnant tam uerbum ipsum, quàm ministros uerbi prophetas domini. Quid ni ergo zelo permouear in impios, & iusto odio persequar blasphematores diuini nominis, ut uix sim pene me tam indigna uidens & audiens? Nō est enim idoneus dei seruus, qui dei blasphemias non auersatur maximopere, ut nihil difficilius ferat. Dolet quidē prophetæ sic populum peccasse ut dominus irasci illi cogatur. Interim tamen iustum iudiciū dei amat & optat omnibus inclarescere, dum pro cōsolatione piorum & confirmatione fidei, non solū patitur, sed & optat & orat iram domini effundi in rebelles diuinæ gloriæ contemptores, sine misericordia, qui dei clementiam irriserūt, & idipsum filios docuerunt patres ipsi. Et qui seniores dei magnalia audierant ac uiderant, in exemplum po-

steris & iunioribus auersantur & negligunt ingratissimi. Promissionesq; diuinas uerti cupit in contrarium, ut maledicto & egestas succedat benedictionibus & hæreditati optimæ quam acceperãt, ut pariter uiri cum mulieribus senes cũ iunioribus eijciantur è terra, quam domino miserante susceperant.

13 A minore quippe usq; ad maiorẽ omnes auaritiæ student: & à propheta usq; ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.

Cupiditas radix mali.

Radix omniũ malorum hic notatur cupiditas, turpis lucri amor, studium pecuniæ, amor sui, quo nec prophetæ quidem uacant & sacerdotes, quin neglecto uerbo dei fraude & mendacijs omnia perturbant: quæ & iuniores discunt à maioribus natu, unde & respublicæ corrumpuntur, & iustitia locum non inuenit, quin & populus conteritur & subuertitur.

14 Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax: & non erat pax.

15 Confusi sunt, quia abominationẽ fecerunt: quin potius cõfusione nõ sunt cõfusi, & erubescere nescierunt. Quam ob rem cadent inter ruentes: in tẽpore uisitationis suæ corruent, dicit dominus.

Contra falsos prophetas.

Prophetæ falsi mendaciter ad suum quæstum promouendum promittebant regibus & populo omnia salua & integra, ut metu eos liberarent contritionis, cum extrema pernicies immineret, qua ingruente non sine ignominia falsi conspiciuntur bonis. Apud sui similes autẽ non erubescunt in sceleribus & perfidia sua, quin potius peccatum augent contemptu, & uulgi simplicitate abutuntur in quæstum suum & factum: perdendi simul cum populis quos deceperunt non omnino nolentes, qui obsistere malis potuerant, si ueritatis studium amassent, & non magis placentia audire quàm uera uoluissent.

16 ¶ Hæc dicit dominus, State sup uias, & uidete, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit uia bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigeriũ animabus uestris. Et dixerunt, Non ambulabimus.

Corrigendi mores in populo.

Alia exhortatio ad reducendum Iudæos, & ex fidelium ecclesia peccatores ad meliorem mentem: ut scilicet diligenter insistant censendis moribus ac ritibus nationum, quot & qualibus scateant abominationibus quantumlibet uetustis, erroribus & stultitijs. Meam autem bonam legem & piam ubi agnoueritis præ omnibus alijs, cuius non alium inuenietis scopum quàm iustitiam fidei & charitatis, eam amplectimini & colite, in ea perseuerando, sentiendo de deo in bonitate, & de propriis uiribus nil præsumendo, diuinæ prouidentiæ totaliter inhærendo, proximo quod tibi uelis fieri studiose faciendo. In hac enim legis summa accepta à deo, fideles requiem inuenient animabus suis, & semper proficient ad maiora. Sed hoc impijs omnino displicet, hanc uiam toti auersantur & odiunt, recusantq; hoc se pacto uicturos. Non, inquiũt, hac uia pergemus.

His ergo bonitatis diuinæ hostibus tam contumacibus quid faciendum?

17 Et cõstitui sup uos speculatores, Audite uocem tubæ. Et dixerũt, Nõ audiemus.

Qui Mosis legem & ceremonias susceptas abijciunt, saltem ad se prophetas audiant missos ad pœnitentiam agendam, qui ipsorum mores speculantes instinctu meo loquantur, non raro miraculis & uitæ sanctimonia contestantes uerbum se habere ueritatis & salutis. Sed ut iamdudum patuit, nedum non audiunt tales, sed ad mortem usque persequuntur. Quem enim prophetarũ non persequuti patres Iudæorũ? Quis extra Hierosolyma sanctus propheta occisus est?

18 Ideo audite gentes, & cognosce congregatio, quanta (ego faciam) eis.

19 Audi terra, Ecce ego adducã mala super populũ istum, fructum cogitationũ eius: quia uerba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt.

Testes iterum inuocat cœlum & terram dominus, tantam se pertinaciam tam impiæ gentis posthac laturum minimè, eamq; cunctis gentibus reliquis posturũ in exemplum, ut discant timere dominum, & iustis parêre legibus diuinis, & unius ueri dei semel susceptam religionem non unquam deserere. Vobis, inquit, omnibus exteris nationibus ostendã, quid huic meo populo sim facturus, quid de eo mecũ constituerim. Reprendam enim copiose illis fructum studiorum suorum, & inobedientiæ suæ petulantiam seuerè corrigam, toto ipsius cicente & admirante mundo, ut discant attendere uocibus meis, & legibus sanctis parêre, quas illi impij abominati sunt semper.

20 Vt quid mihi thus de Saba affertis? & calamum suaue olentem de terra lõginqua? Holocaustomata uestra non sunt accepta, & uictimæ uestræ non placuerunt mihi.

Occurrit quæstioni tacitæ, iactantibus cultum solemnem Hierosolymis in sancta urbe deferebant Iudæi, respondendo simili tam spiritu quàm uerbis, ut olim Esaias: Quorsum mihi offertis thus pretiosum & suauissimum? Cinnamomum & omnia suaue olentia non tam mihi placent quàm obedientia & fides. Holocausta uestra non mihi sunt gratiosa, ea ad domandã cernicem & in officio continendis imposui, ne otio lasciuirent cum idolatris. Et peccorũ uestrorũ sacrificia dulcia nõ fuerunt, sed domuisse sensus carnales, humiliasse mentẽ in obsequia pietatis, hoc placuisset magis, hæc uolui, obedientiam scilicet humiliati & contriti spiritus.

21 Propterea hæc dicit dominus, Ecce ego dabo in populum istum ruinas, & ruent in eis patres & filij simul, uicinus & proximus, & peribunt.

Iterum prædicit impietatis Iudaicæ mercedem, excidium & ruinam perfectam, qua omnes pariter concident, patres impij cum filijs æquè prauis, paternorũ scelerum spectatoribus, quos pessimè educarũt, cumq; ipsis

quos

quos socios iniquitatis exẽplo malo sibi statuerũt, cum quibus & peribũt, quandoquidẽ sese pariter adiuuerũt uel cõsenserunt uel non cõmonuerunt à prauis studijs.

22 ¶ Hæc dicit dominus, Ecce populus ueniet de terra aquilonis, & gens magna cõsurget à finibus terræ.

23 Sagittam & scutũ arripiet: crudelis est, & nõ miserebitur: uox eius quasi mare sonabit: & sup equos ascendẽt, præparati quasi uir ad prælium, aduersum te filia Sion.

Idem quod in superioribus de Babylonijs dicitur, qui uenturi Hierosolymam omnis armaturæ copias allaturi sint, & impetu hostili præliaturi, ut terrore cõmoti ludæi pœnitentiam agant, & ueniam consequantur.

24 Audiuimus famam eius, dissolutæ sunt manus nostræ: tribulatio apprehẽdit nos, dolores ut parturientem.

25 Nolite exire ad agros, & in uia ne ambuletis: quoniam gladius inimici pauor in circuitu.

Pro tota uirili sua propheta amplificat futurũ malũ, ut nõ sibi sufficere uideãtur uerba & sententiæ, quibus ad sufficientiã exprimat magnitudinem mali sufferẽdi, atrocitatem hostiũ, si quo modo pertimescentes cõuertantur. Intra urbem erit dolor non mitior parturientis: extra autem insidiæ, & gladius, & laquei, & umbræ mortis imago miseranda, pauor hostilis gladij.

26 Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere: luctum unigeniti fac tibi planctum amarũ, quia repentè ueniet uastator super nos.

Ad pœnis omnibus horr. Noua querela hortatur ad pœnitentiã, sed in uanum omnia adhibentur, ubi perfidia & prophetarũ odium semel radices fixerit. Interim tamen à prædicatione non cessent prophetæ fideles: sed amanter, blandè, duriter & acriter instent iuxta Pauli uerbũ, Opportune ac importune, si quo modo tandem resipiscãt, & à malo reformidando peccare cessent.

27 Probatorẽ dedi te in populo meo robustum: & scies, & probabis uias eorum.

Dominus prophetæ loquitur. Strenui probatores sint prophetæ, ut improbẽt malefacta & cõprobẽt sancta, peragrandoq; diligẽter quid in populo correctione egeat, quid ferri possit: nõ negligenter pascant uerbo salutis, sed ad auditorũ profectum uertant sermonẽ, ideoq; & ipsorum mores necesse est studiosè inquirant.

28 Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs & ferrum: uniuersi corrupti sunt.

Id ubi sanctus Ieremias iussus à domino exequitur, & quiuis sedulus in ecclesia prædicator, inuenit oẽs esse uelut adulteratũ æs & ferrũ, corruptos amore sui, quo sibi prodesse satagunt cum proximorũ incõmodo, quos ubi occasio datur perdunt & opprimũt, nihil fideliter syncerè, sed fallacijs & mẽdacijs agẽtes, interim tamen probitatẽ uerbis & iurationibus cõfingentes.

29 Defecit sufflatoriũ, in igne cõsumptum est plumbũ, fruſtra cõflauit conflator: malitiæ enim eorum non sunt consumptæ.

30 Argentum reprobum uocate eos, quia dominus proiecit illos.

Quantũlibet diligẽter & eruditè ô Ieremia hunc populum cõflare, emundare, & à uitiorum scoria depurgare nitaris omnibus modis instando, uanus tamen doctor abibis, à plumbo nõ expurgabis: potius totus deficiet & peribit, quàm ut colliquescat impiũ cor ipsorũ ad emendationẽ, nimirum flagellis atrotioribus reseruati, si non pariter & gehennæ. Nihil enim certius est quàm prophetarũ contemptores, uerbum domini adsentientium, argentũ esse & dici reprobum & reiectitium deo. Qui enim uerbum dei nõ audiunt, ex deo nõ sunt, sed ex diabolo, cuius uoluntatem faciunt. Desperatur de Iudæorũ cõuersione.

¶ CAPVT VII.

1 VErbum quod factum est ad Ieremiam à domino, dicens:

Alius prophetæ sermo eiusdem argumenti ad regem & populum, iussu domini pronuntiatus. Intermißis enim iustitia & iudicio, totum diuinũ cultum forensibus ceremonijs & sacrificijs in domo magnificè oblatis magni æstimabant, pompaq; non modica templũ ingrediebãtur, iactabant egregium cultum dei sui, & celebre templum: propter quæ omnia iubebant eos sacerdotes & prophetæ falsi bene sperare de statu regni & gẽtis, quicquid interim prophetæ sancti minarentur. Pompa ceremoniarũ.

2 Sta in porta domus domini, & prædica ibi uerbum istud, & dic: Audite uerbum domini omnis Iuda, qui ingredimini per portas has ut adoretis dominum.

3 ¶ Hæc dicit dñs exercituum deus Israel, Bonas facite uias uestras, & studia uestra: & habitabo uobiscum in loco isto.

Iubetur stare loco insolito, in principali scilicet porta, quæ inter septem portas secundũ Hebræos habebatur principalior, quia orientalior, qua rex & aula soliti intrare & exire cum populo, ut piam ac necessariam admonitionem prophetæ audirent ex ore domini, seq; emendarent. Audite, inquit, non uerbum confictum de corde meo, sed domini dei uestri iussu & inspiratione uobis transmissum, omnis Iuda, rex scilicet & populus, qui tametsi frequentia corporali dominum templi honorare uideamini corporis & pectoris inclinatione, nõ iam gentium idola, sed dominum deum uestrum adoretis. Non tamen gratum hoc habebitur obsequium, nisi uitam & mores emẽdaueritis colendo iustitiã: tunc me uobis propitium habere poteritis deum, & conseruatorem loci & populi. Non fero cultores improbos: munera & oblationes non placent, sed studium innocẽtiæ & ueræ pietatis in me & proximum. Prophetia in porta.

4 Nolite cõfidere in uerbis mẽdacij, dicentes, Templum domini, templum domini, templum domini est.

Iactatio templi.

Ne iactetis templum, ſacerdotium, ſacrificia, quaſi hiſce rebus dominus impenſe delectetur, ut propter iſta impijs alioqui uobis omnia ſit parſurus ſemper, & non tam populũ pium uelit quàm locum, non magis ſanctos quàm ſancta. Iactatis magnopere templũ, ſed quod maximè deus exigit nõ profertis. Non enim populus propter templum, ſed templum propter fideles cultores in eo placere poteſt.

5 Quoniã ſi bene direxeritis uias ueſtras & ſtudia ueſtra: ſi feceritis iudicium inter uirum & proximum eius,

6 aduenæ & pupillo & uiduæ non feceritis calumniã, nec ſanguinẽ innocentẽ effuderitis in loco hoc, & poſt deos alienos nõ ambulaueritis in malum uobiſmetipſis:

7 habitabo uobiſcum in loco iſto, in terra quam dedi patribus ueſtris à ſeculo uſque in ſeculum.

Emendationis forma.

Si ex animo diligenter & non fictè conuerſationem & mores ſanctos inſtitueritis, opera uerè bona quæ toties inculcare ſoleo, tota in lege, ſtudia ſcilicet pietatis egeritis, iudiciũ & iuſtitiam cõſeruaueritis, mutuasq; offenſas uel remiſeritis uel digne uindicaueritis uel obmiſeritis, peregrinum officioſe & humaniter ſuſceperitis, memores uos quoq; fuiſſe peregrinos, ipſorũ quoq; olim experti miſerias & anguſtias, uiduas deſtitutas ſolatio neceſſario nõ oppreſſeritis, ſed in tribulatione uiſitaueritis, ab innocentiũ ſanguine effundendo ſummo ſtudio abſtinueritis, deos quoq; alienos, & gentilium ritus eliminaueritis, quos mecũ coli, adorari, & inuocari prorſus nolo, ſciens uobis peßimè ceſſurũ, ſi toties idola prohibita nõ reieceritis. Si, inquam, ad hunc modum uitam inſtitueritis, & emendaueritis, conſeruabo ego uos in hoc loco ueſtro, in patrũ hæreditate, in promißa terra optima, nemoq; regum mũdi uobis unquam præualebit, conſiſtet uobis templum & regnum, omnium quoq; admiſſorum criminum obliuiſcar.

8 Ecce, uos cõfiditis uobis in ſermonibus mendacij: qui non proderunt uobis.

9 Furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baal, & ire poſt deos alienos, quos ignoratis.

Ceremonijs non fidendum.

Nunc autem uos fiditis in templum & ceremonias, quas tanti faciunt falſi prophetæ & ſacerdotes ueſtri, nec tamen interim abſtinetis à furto, cõmunes reipublicæ diuitias priuatim ſinguli pro uirili diripitis, inſontes occiditis, etiã prophetis non parcitis, adulteria impunè committitis, iuratis mendaciter & ad fallendũ, Baalim externa quæcunq; idola colitis, poſt gentilium deorum abominationes curritis, illos præter me uel mecum adoratis, nouos ſubinde recentesq; ſuſcipitis, quos ignorauerunt patres ueſtri, tutelares deos, cum ſim ego omne bonum ueſtrum, & ſaluator ſolus.

10 Et ueniſtis, & ſtetiſtis corã me in domo hac, in qua inuocatũ eſt nomen meum, & dixiſtis, Liberati ſumus, eò quòd fecerimus omnes abominationes iſtas.

Cum, inquam, hæc omnia cõmiſeritis, & præter hæc plurima, procaci tamen fronte audetis cõparere coram me, templũ ingredi, ſacrificia offerre pollutis manibus, indulgentiã criminum quæ emendare non ſtatuiſtis uoſ donis ueſtris conſequi iactatis, dicendo: Etiã dum hæc egerimus, templi tamen dominici ſanctimonia iuſtificabimur, ſacerdotũ oblationibus reconciliabimur.

11 Nunquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua inuocatũ eſt nomen meum in oculis ueſtris? Ego ego ſum: ego uidi, dicit dominus.

Num latronũ diuerticulũ & ſpeluncã ad liberè grafſa[n]dum, patensq; aſylum exiſtimabitis templũ meum, ut fidutiã inde cõſequantur rapiendi plura uiolenti homines, dum partẽ rapinæ intulerint? Num domus mea patrocinabitur ueſtris flagitijs? quæ nõ ignoro, ſed uindicabo nihilominus, & crimine uos læſæ maieſtatis multabo, quam grauare audetis tanta ignominia, ut improborum uidear & uiolentorũ ſuſceptor & tutor.

12 Ite ad locũ meũ in Silo, ubi habitauit nomen meum à principio: & uidete quę fecerim ei propter malitiã populi mei Iſrael.

Exemplo docet loco ſalutem nõ redimi, ſed renouati uitæ innocentia. Quandoquidem in Silo tabernaculum Moſis & arca domini celebri reuerẽtia perſtitit à diebus Ioſue uſque ad Heli ſacerdotis mortem, quando capta eſt arca, & deſolatus locus & prophanatus, nunquamq; reſtitutus propter malitiam populi: ſic & templum ob ueſtra flagitia ſubuerti neceſſe erit.

13 Et nunc quia feciſtis omnia opera, hæc dicit dominus: & locutus ſum ad uos mane conſurgens, & loquens, & nõ audiſtis: & uocaui uos, & non reſpõdiſtis:

Nullus uobis excuſationis locus relinquitur, omnia hæc admiſiſtis flagitia, nec corrigitis quicquã: continuo toties q; admoniti, ſumma ſedulitate circa uos dei noſtri prophetas ſubinde multos, ſemperq; mittẽdo, uos autem indurata ceruice, dulciter uocanti nihil reſpondentis.

14 faciam domui huic, in qua inuocatũ eſt nomen meum, & in qua uos habetis fiduciam: & loco quem dedi uobis, & patribus ueſtris, ſicut feci Silo:

15 & proijciã uos à facie mea, ſicut proieci omnes fratres ueſtros uniuerſum ſemen Ephraim.

Simili præuaricationi debetur pœna ſimilis. Vt ſunt eiecti fratres ueſtri Iſraelitæ de ſua hæreditate ob contemptum mei & prophetarum: ſic uos quoq; exulabitis, templo funditus ſubruto, tamq; ſpecioſus iſte cultus ceſſabit, qui innocentiæ & fidei rationem nullam habetis, quæ unicè requiro.

16 ¶ Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem & orationẽ, & non obſiſtas mihi: quia non exaudiã te.

Ex his duo diſcimus, & prophetã ſolitũ anxiè apud dominũ intercedere pro gente ſua, utcunq; illam præcando acriter obiurgaret: & quàm miſerum ſit eoſq; irritum

iratum dominum impulisse, ut sese exauditurum neget. Pro gloria enim dei sancti orant. Dedecus autẽ est dei, si sacrilegi contemptores, feliciter & pro uoto uiuere permittantur. Orandum igitur sanctis, ut uel conuertantur impij, uel pereant, ne nomen domini per eos iugiter blasphemetur. Non tamen exaudit dominus orationes pro uotis orantiũ, sed ad sanctificationem sui nominis, pro sua iustitia & gloria.

17 Nónne uides quid isti faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ierusalem?

18 Filij colligũt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli, & libent libamina dijs alienis, ut me ad iracundiam prouocent.

Filij pueris non delegendã

Non decet publica crimina sine timore procaciterq; commissa omnium cõsensu approbata, sine uindicta publica indulgeri. Huiusmodi erat Iudæorum idololatria, in qua summi cum infimis, iuniores cum decrepitis, patres cum filijs, uiri cum mulieribus pari superstitione dominum blasphemabant, proq; cultura Solis ueluti regis cœlorum, & Lunæ quasi reginæ more gentilium sacrificia apparabant, scientes id domino uehementer contrarium, quia lege prohibitum. Tota tamen familia occupabatur circa huiusmodi culturam. Filij ligna colligebant, patres incendebant, fœminæ macerabant massas ad tortulas conficiendas, quas offerrent reginæ cœlorum: insuper non patiebantur abesse libamina omnia ad honorem & cultum idolorum externorumq; deorum, & ad concitandum dominum deum Israël ad iustissimum furorem.

19 Nunquid me ad iracundiã prouocant, dicit dominus? nónne semetipsos in confusionem uultus sui?

Deus abesq; passionibus

Non ego talis sum qui perturbari possim ira uel molestari, immunis ab omnibus passionibus, non mihi suis obesse possunt iniquitatibus, sibi potius damno sunt, se ipsi inficiunt impietate stultitia & sacrilegijs suis, pro quibus ipsos confundi oportet, qui deum uerum & patrem tam beneficum postponentes, tantis se abominationibus ac stultitijs confundunt in conscientijs coram mundo & deo.

20 ¶Ideò hæc dicit dominus deus, Ecce furor meus, et indignatio mea cõflatur super locum istum, super uiros, & super iumenta, & super lignũ regionis, & super fruges terræ, & succendetur, & non extinguetur.

Iudiciũ æquum denuntiatur cõtemptoribus pietatis.

Non tantum homines urbis huius excindentur miserabili clade, locus etiam ipse, animalia, arbores, fructus, quicquid iucundum & utile habent in terra totum luet horrendæ impietatis iustam uindictam: sic ira mea succendetur, ut donec superfit quicquam de gente illa non extinguatur, non reconcilier, sed delebo gentem, regnum, locum, templum, & cultum.

21 ¶Hæc dicit dominus exercituum deus Israël, Holocaustomata uestra addite uictimis uestris, & comedite carnes:

22 quia non sum locutus cum patribus uestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de uerbo holocausto matum & uictimarum:

Sacrificia nõ placent deo de bestijs.

Etiãsi tot holocaustis uestris oblationes reliquas multas & pretiosas addideritis ad seruiendum mihi, non in his mihi complacebitis, nihil tale præcepi uobis in catalogo præceptorum, in tabula legis meæ: sed uolui ut me solum coleretis & adoraretis, sabbatha mea sanctificaretis, ab omni offensa proximi caueretis. Hæc in primis & sola mandaui patribus uestris, reliqua de cultu & ceremonijs, nõ nisi à uobis irritatus instituì, ne pergeretis ueluti inceperatis occupare uos stultè in cultibus idolorum. Non quòd ceremonijs delectarer corporeis, qui spiritus sum, non quòd uobis hæc prodessent ad pietatẽ ueram, quam unice exigo: sed quia placebant hæc uobis, et ne substantia uestra alijs oblata uobis obesset, uindicaui ego mea dona mihi, ne mea externis abominationibus pollueretis.

23 sed hoc uerbum præcepi eis, dicens, Audite uocem meã, & ero uobis deus, & uos eritis mihi populus: et ambulate in omni uia quã mandaui uobis, ut bene sit uobis.

Pactum dei quale cum sanctis.

Pactum meum cum sanctis patribus uestris, non ex oblationibus pendebat in templo aliquo uel extra deferendis, sed si obsequerentur mandatis meis, si innocenter & piè uiuerent in hoc sæculo, iuxta beneplacitum meum & leges tabularum, si scilicet fideles essent mihi, & æqui proximis. Id si egissent, futurus illis eram pater & amicus, tutor, & custos, deus eorum & ipsi meus populus, quibus benefacerem, beatosq; & felices redderem, si in uijs meis ambularent.

24 Et non audierunt, nec inclinauerunt aurem suam: sed abierunt in uoluntatibus & in prauitate cordis sui mali: factiq; sunt retrosum & non in antè,

25 à die qua egressi sunt patres uestri de terra Aegypti, usq; ad diem hanc. Et misi ad uos oês seruos meos prophetas per diem, consurgens diluculo, & mittens.

26 Et non audierunt me, nec inclinauerunt aurẽ suam: sed indurauerũt ceruicẽ suam: & peius operati sunt, quàm patres eorum.

Multis olim præuaricationibus me uestri patres irritauerunt quidem, quorum interim uos mensuram impletis, illorũ ceruicem duram, perfidiam, contemptum, & scelera superatis, continuo peiores, prophetarũ quoq; meorum occisores, omnem meam mansuetudinem & tolerantiam diuturnam irridentes, ut de industria retrocedere malitis quàm uiam tenere, meq; timere.

27 Et loquêris ad eos omnia uerba hæc, & non audient te: & uocabis eos, & non respondebunt tibi.

Nunc quoq; etiam præsentem paternam admonitionem quam per te illis loquor non audient, sana consilia tua respuent, nulla tractabilitate respondebunt, exuffla

bunt omnia uerba mea, in omnes gentes uicißim exules exufflandi.

28 Et dices ad eos, Hæc eſt gens quæ non audiuit uocem domini dei ſui, nec recepit diſciplinã. Periit fides & ablata eſt de ore eorum.

Iudæi non emendati.

Loquere ergo nunc illis, & in perpetuam rei memoriam ſcribe: Hæc gens Iudaica tantam ingerit contumeliam deo ſuo, continuo & à ſæculis ſemper, ſpreta uoluntate legéq; ipſius, ut nunquam ſyncere obedire uoluerit deo ſuo. Non eſt facta melior ulla diſciplina, periit ex ipſis ueritas, quam odiunt, ſacrilegis erroribus delectantur magis, nec niſi uanis ſphebus & mendacijs ſeſe ſuffulciunt, ab ipſa nimirum ueritate iudicandi.

29 ¶ Tonde capillum tuum & proijce, & ſume in directum planctũ: quia proiecit dominus, & reliquit generationẽ furoris ſui,

Planctus neceſſarius Iudæis.

Ad regnum Iuda uel Hieroſolymam refertur hæc ſententia, non ad prophetam. Iubetur autem gens iſta lugere imminens malum. Nihil, inquit dominus, reliquum habes præter planctum, pro quo te lugentium more capillitio nudes, luctui præpares exitium tuum uiſura: conſcende æditiorem locum, ut audiatur ab omnibus portentoſus planctus tuus: proiecit enim dominus à facie ſua gentem iſtam, ira diuina digniſſimam, totius etiam orbis iudicio: quæ enim tam magnificam ſpreuit dei ad ſe gratiam, digno impijs furore iudicabitur.

30 quia fecerunt filij Iuda malum in oculis meis, dicit dominus. Poſuerunt offendicula ſua in domo in qua inuocatum eſt nomen meum, ut polluerent eam:

Fornicatio Iudaica.

Reſipuiſſe debuerant Iudæi maximo malo fratrum ſuorum, quos in Aſſyrios deportatos uiderant exules, eorúmq; exemplo iuſtum dei iudicium reformidaſſe: ſed addiderunt peccatis peccata, ac intra templum toto in orbe unicum, uni omnipotenti deo patrum ſuorum conſecratum ac dicatum, ſtatuerunt idolorum abominationes, ad iniuriam & irritationem dei ſui intolerabilem. Veluti ſi uxor aliqua ex infima familia uel hominũ fece ſuſcepta à ſummo monarcha, & regina conſtituta, ipſa tanti beneficij ingrata introduceret in regis ſui thalamum imperiale præſente marito ſpurcum adulterum. Quid enim indignius cogitari poſſet, ne dicam fieri à gente Iudaica, electa à domino, dominum ſic ſpernente?

31 & ædificauerunt excelſa Topheth, quæ eſt in ualle filij Ennom: ut incenderent filios ſuos, & filias ſuas igni: quæ non præcepi nec cogitaui in corde meo.

Nec his contenta, filios ſuos quos à marito tanto ſuſceperat crudeliter & ſine miſericordia iugulat ad gratificandum adultero, & ad ſatis contumeliarum rependendum nobiliſſimo marito & domino. Quid amabilius coniuges poßident pignoribus uentris? quæ tamen incendere et offerre in gratiam idolorum nõ recuſant, non ſolum non iußi, ſed etiam prohibiti à deo. Topheth

Sacrificia Topheth.

uerò locus amœnus iuxta Ieruſalẽ erat, à tympanis uel latitudine nomen ſortitus, in ualle dicta Gebin hinnom: hoc eſt, uallis uaniſſimorum & perditiſſimorum. Quid enim uanius quàm pretioſiſſima dei munera filios & filias offerre his qui nihil ſunt? De qua ualle & ſacrilegio uide Hieronymum & alios. Crudeliſſimas itaque hoſtias cum dominus minime præcepiſſet, ſed exaſperatus auerſaretur, ſua tamen libidine Iudæi ſuſceperunt, quaſi deos uel dominum colere cupientes, cum leuiora incõparabiliter facere ſemper detrectarent: clare monſtrantes cauſam ob quam illis deus graues ceremonias impoſuerit per Moſen, ne propria ſponte longe ſibi intolerabiliores ritus admuenirẽt, cum id nihilominus ab eis obmiſſum non fuerit.

32 ¶ Ideò ecce dies uenient, dicit dominus, & non dicetur amplius, Topheth & uallis filij Ennom, ſed uallis interfectionis: & ſepeliẽt in Topheth, eò quòd nõ ſit locus.

33 Et erit morticinum populi huius in cibum uolucribus cœli & beſtijs terræ, & nõ erit qui abigat.

Tanti criminis digna ultio prædicitur, ut ſacrificatores idolorum tam crudeles in ſuos, eo loci ſacrificium futuri, & abominabilis uolucribus eſca & feris agrorum, ubi contra præceptum dei, inq; ipſius iniuriam, tã crudelia admittere eos non puduit. Dicetur enim olim uallis occiſionis, hoc eſt, hominum occiſorum, quia ibidem ſepeliendus ſit ingens numerus Iudæorum occidendorum, illicq; ſepeliendorũ à Babyloniſs, quod tantæ multitudini ſepeliendæ locus alius aptior non ſit futurus.

34 Et quieſcere faciam de urbibus Iuda, & de plateis Ieruſalem uocem gaudij & uocẽ letitiæ, uocem ſponſi & uocem ſponſæ: in deſolatione enim erit terra.

Subuerſionem urbis, ciuium interfectiones, & plebis exilia prædicit, ineptum gaudiũ & diſſolutiſſimos mores, quin & honeſtas lætitias ſponſi cum ſponſa, earum quoq; qui cum ſponſis gratulantur, pro licito more gentium, citra ineptias. Pariter omnia deſitura minatur, ſtatim ferocitate conculcandi.

CAPVT VIII.

1 IN illo tempore, ait dominus, Eijciẽt oſſa regum Iuda, & oſſa principum eius, & oſſa ſacerdotum, & oſſa prophetarum, & oſſa eorum qui habitauerunt Ieruſalem, de ſepulchris ſuis:

2 & expandent ea ad ſolem, & lunam, & omnem militiam cœli quæ dilexerunt, & quibus ſeruierunt, & poſt quæ ambulauerunt, & quæ quæſierunt & adorauerunt: Non colligentur, & nõ ſepelientur: in ſtercilinium ſuper faciem terræ erunt.

Proſequitur prædicendo calamitatem Iudaicam propter idololatriam ipſorum: Cum, inquit, capta ſuerit Hieroſolyma nullum crudelitatis genus intermittet crudelis Babylonius & auarus miles, crimen effodiendi ſepulchrorum nihili ducet, oßibus dudum mortuorum

rum nõ parcet, perquiret thesauros abditißimis in locis, impiorum regum & principum, sacerdotum falsorumq; prophetarum, qui semper pacem promiserant: ossa eorum in publicũ protracta, ludibrio abominationiq; exponet crudelißimo fato: ut qui contra uerbum domini toties moniti in uita sua Soli, Lunæ, stellis & reliquis idolorũ portentis cultum prohibitum detulerunt, nunc contra odio expositi, prostrati pedibus conculcantium, eisdem seruire coguntur post mortem, quos uiuentes amauerunt supra creatorem, quibus debitũ soli deo uero cultum toto desiderio exhibuerunt, quos & auxiliatores neglecto domino inuocarũt, nũc sepulchris extracti dispersa iacebunt ossa ad indicium impietatis, & in sterquilinum conuertentur omnibus in exemplũ, ipsis ad pudorem idololatris, quod ista colant quæ à tantis malis eripere non possint.

3 Et eligent magis mortẽ quàm uitam omnes qui residui fuerint de cognatione hac pessima in uniuersis locis quę derelicta sũt, ad quæ eieci eos, dicit dominus exercituũ.

Superstites in terra tantas uisuri ærumnas, tãta quoq; clade opprimendi tædium uitæ incident, ut mortem potius rũgant quàm uitam: durißima quippe seruitute in terra hostium laborabunt, & crudeliter tractabuntur, quia in terra hæreditatis suæ deo suo seruire noluerunt. Id autem pij, qui in populo uerbo prophetico credebãt, euaserunt malum, sicut & Ieremias ipse.

4 ¶ Et dices ad eos, Hæc dicit Dominus, Nunquid qui cadent, non resurgent? & qui auersus est, non reuertetur?

Vt perseuerantia uirtutum est corona, sic pertinatia & desperatio summum malorum est, quam plangit prophetaq; Iudæis adhæsisse, ad perditionis suæ necessarium argumentum. Quomodo enim salus locum habet & indulgentia, ubi sponte eligitur rebellio et pernicies præuisa atq; prædicta? Nunquid desperare me oportet, ait dominus, de istorum emendatione? Num sic cadet infelix ista gens, ut nunquã sit à suis flagitijs recessura? mentem meliorem resumptura, & ad suum patrem digna pœnitentia reuersura?

5 Quare ergo auersus est populus iste in Ierusalẽ auersione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti.

Quid rogo factum est dilectæ urbi & populo meo, ut cum ex omnibus eos gentibus filios elegerim, sic me perpetuo odio prosequantur & neglectu, sic pertinaciter resistant uerbo meo, ut conciliari nolint neq; reuerti ad patrem ac dominum suum?

6 Attendi, & auscultaui: nemo quod bonũ est loquitur, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, Quid feci? Omnes conuersi sunt ad cursum suũ, quasi equus impetu uadens ad prælium.

Sic insanire eos intelligo, ut ne unus quidem in eis sit qui bene loquatur, qui pro peccato oret, qui erratum agnoscat, quem commissi pœniteat, resipiscentiam sponteat, post toties repetitas prophetias de ingruente illis dira calamitate. Pergunt autẽ prauitate cordis sui sine timore ad præcipitium: uelut equus laxato freno in prælium, uelut furiosus in arma ruit, sic erecto illi collo contra deum incedunt.

7 Miluus in cœlo cognouit tempus suum: turtur, & hirundo, & ciconia custodierũt tempus aduentus sui: populus autẽ meus non cognouit iudicium domini.

Iudæi bestijs rudiores.

Norunt aues & animalia multa tempus reuersionis suæ: quantumlibet procul abeant, ad tempus suum redeunt, ad nidulos suos quos agnoscunt. Ciconia meditatur salutem suam pullorumq;, ad locum suum, & ad tempora, ad præscriptum creatoris sui cui obsequitur: sic turtur, hirundo, & grues studiose obseruant profectionis suæ tempus & reditus. Populus autem meus nosce recusat iudiciũ ultionis diuinæ toties admonitus. Quam cæcitatem exigit horrendũ iudicium dei ob crudelẽ innocentium stragem, ob impletas prophetarum sanguine ciuitatis plateas. Incessabilis hoc meretur feruor colendi idola, & finalis insuper impœnitentia, ut malum impendens euadere nec possint nec uelint.

8 Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus, & lex domini nobiscum est? Verè mendaciũ operatus est stilus mendax scribarum.

9 Confusi sunt sapientes, perterriti et capti sunt: uerbum enim domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis.

Iactatiõ prudentiæ sæcularis.

Interim tamen iactatis prudentiam sæcularem, scribarum quoq; et falsorum prophetarum sapientiam quæ uos decipiunt & subuertunt, legis quidem peritiam arrogantes sibi, sed in suum quæstum deprauantes, uerba quidem legis tenentes, uirtutem autem eius ignorantes. Vane lex scribitur cum non seruatur, & qui malis ingruentibus præcauere debuerant, cum omnia secus atq; putauerant cernunt, confunduntur, ipsi quoq; capientur & crudeliter tractabuntur, qui pro professione sua consilio ea præuidisse & abegisse oportebat. Sed non erant uere sapientes, sapientiæ authorẽ dominum ignorantes & non timentes: astuti quidem dici possunt, sed qui astutia sua comprehendentur.

10 ¶ Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum hæredibus: quia à minimo usque ad maximum omnes auaritiam sequuntur: à propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium.

Sero sapiũt Iudæi.

Sentient propediẽ quàm fuerint sapientes, cum extremas calamitates sua culpa inciderint, cum longe aliter cadent ipsorum consilia quàm putabant. Pacem iactabant ac templum suum, sed ab hostibus cernent stuprari uxores suas, occidi filios, agros suos possideri, & quicquid diu & laboriose doloseq; corraserant ex pauperum spolijs & iniuria, iusto dei iudicio Babylonius uastator diripiet. Omnes enim impiæ urbis ciues à paruo usq; ad magnũ anxie incumbunt corradendis diuitijs per fas & nefas: ppheta et sacerdos, qui huiusmodi damnasse, serioseq; contradicere debuerant, facti sunt canes muti, mendaciorũ et criminũ patroni cæteris auariores.

11 Et sanabant contritionẽ filiæ populi mei ad ignominiam dicentes, Pax, pax: cum non esset pax.

Corruptißimum urbis statum prophetæ & sacerdotes iudicio diuino secundum legem dei certißime euertendum prædicere debebant: sed contrà eleuabant & excusabant omnia, placentia tantum loquebantur, impijs blandiendo, pacem promittẽdo impijs, quibus salus esse non potest.

12 Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quinimo confusione non sunt confusi, & erubescere nescierũt: idcirco cadent inter corruentes, in tempore uisitationis suæ corruent, dicit dominus.

Vani idolatræ.

Erubescant infelicißimi nebulones isti idolorum uanissimi sectatores, qui in nihili ponunt fiduciam suam, dominum aspernendo, ut in baratrũ spurcitiarum præcipitentur, ut erubescere nesciant: nullius criminis obiectu confunduntur, insolentiæ & uitijs sic inoleuerunt, ut per assuetudinem licita sibi omnia credant quæ agunt. Quis medicus infirmo prosit, qui languorem ignorat, qui odit medicamẽta, nec se patitur persuaderi quod ægrotet? Nihil igitur certius interitu illorum, qui salutem abominantur et saluatorẽ, cadunt ij gladio, fame, peste, quibus uisitat iniquos dominus.

13 ¶ Congregans congregabo eos, ait dominus. Non est uua in uitibus, & non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit: & dedi eis quæ prætergressa sunt.

14 Quare sedemus? Conuenite & ingrediamur ciuitatem munitam, & fileamus ibi: quia dominus deus noster silere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis: peccauimus enim domino.

Congregatio in malũ

Colligã Iudæos suo malo in urbem. Illuc enim ex agro de regni reliquis ciuitatibus hostem fugient, ut in regia Hierosolyma protegantur: ibi inclusos fame & omnium necessariorum egestate macerabo: non supererit in rure ficus una, fructus quicunq;, quomodo ergo durarent in uillis? Sed mutuum inuitando aiunt: Cõgregemini ut ingrediamur ciuitates munitas, ut ibi paulisper fileamus & quiescamus. Tardius manum domini sentiunt contra se, & infructuosa confessione pœnitent, dicendo: Dominus deus noster compescuit petulantiam nostram, inconditosq; clamores uane lætantium: aqua felle commixta nos potat: miserabili nos calamitate absorpsit, humiliauit contumatiam nostram dominus cui peccauimus.

15 Expectauimus pacem & non erat bonũ: tempus medelæ, & ecce formido.

Spes uana.

Iam non est ultra expectare promissam pacem à falsis prophetis. Sperauimus enim bonum, sed malis obruimur, medelæ tempus & sanitatis præstolamur tamdiu, & ecce inflatio acerbior ulceris, declinantem morbum de malo in peius: prosperata salute, desperatione ultima perimus.

16 A Dan auditus est fremitus equorũ eius,

à uoce hinnituum pugnatorum eius commota est omnis terra. Et uenerunt, & deuorauerunt terram, & plenitudinem eius: urbem & habitatores eius.

Nolite tempus uelle redimere quo minus illico mores emendetis spe differendæ ultionis, quia iamnunc fremitus equorum & armorum crudelis & magni exercitus extremas urbes regni occupat, tremor terrã totam corripit. Ab aquilone iã proximus est urbi Dan, deuorator terram, & quicquid in ea reperiet. Tanta antẽ feritudine incũbet, ut uinci nequeat, omnes urbes capiet, donec ultimo Hierosolymam quoq; belli totius terminũ uastet, unde omnium sperabatur redemptio.

17 Quia ecce ego mittam uobis serpentes regulos, quibus non est incantatio: & mordebunt uos, ait dominus.

Sagittarios mortiferorum spiculorum adducã, quibus uelut basiliscorum & serpentium ictibus occidentur homines prohibente, uenenatis morsibus illorum omnes peribunt, ait dominus.

18 Dolor meus super dolorem: in me cor meum mœrens.

Quæro miser undiq; calamitatis solatium, sed obruime angor & dolor immedicabilis, præcordia mea uorror & mœstitia torquent, totus tremo & disperco ex gentis meæ infelicitate, quam sua culpa sustinere uolui, impatientes admonitionis.

19 Ecce, uox clamoris filiæ populi mei de terra longinqua, Nunquid dominus non est in Sion: aut rex eius nõ est in ea? Quare ergo me ad iracundiã concitauerunt in sculptilibus suis, & in uanitatibus alienis?

Videor quoq; mihi audire uocem anxij clamoris filiorum Israël in remotißimis prouincijs exilij sui hoc modo lugentium: Nunquid electã deo Hierosolymam totaliter deseruit? num præsentia gratiæ suæ totã destituit? num habitaculum gloriæ suæ spreuit, ut non sit in ea rex quispiam qui illam defendere poßit, uindicare & rẽpublicam tuere? Cui tamen querimoniæ sic audio dominũ respondentem: Et quare ueriti non sunt uiri Iuda & habitatores Ierusalem, tantis blasphemijs concitare me & irritare per sua sculptilia? quæ certò sciebant displicere mihi quàm maxime, quæ toties prohibui fieri, haberi, & coli, utq; à peregrinorum sacrilegiorum uanitate sibi caueri sedulo monui, sed in uanum.

20 Transijt messis, finita est æstas: & nos saluati non sumus.

Gratis igitur pergit uox illa conqueri æruminosa: Præterijt quidem metendi & colligendi frumenti tempus, autumnus quoq;, percipiendorum fructũ tempus, finitus est, nos autem nõ redempti sed perditi sumus, in egestate perseueramus, quantũlibet fructum copiosum reposuerimus: non enim possessioni & usui nostro cedent, sed hostium, quibus seruire quoq; cogemur: non uobis illa, sed illis plantauimus et comportauimus.

21 Super cõtritione filiæ populi mei contristatus sum & cõtristatus, stupor obtinuit me.

Nunquid

22 Nunquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?

Quoties igitur cogito contritionẽ Hierosolymæ & ciuium eius, conteror toto corde, caligant præ stupore mens & uisus, omnes sensus hebetescũt, stupor obtinet omnes artus ut compos nõ sim uirium, spes omnis medelarum cessat, etiamsi omnis resina, quæ optima nascitur in Galaad adhibeatur uulneri populi mei, si medicorum omnium studia curationi illius intendant, sanari non poterit. Tam graui malitia & inueterata impietate laborat gens Iudaica & totus Israël, ut nulla possit indulgentia uel uindicta curari: grauius longè est illius ulcus, quàm ut aliquo curetur malagmate.

CAPVT IX.

1 Vis dabit capiti meo aquam: & oculis meis fontẽ lachrymarũ: & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?

Pergit plangendo propheta super populum suum, dicens: Tantã præuideo stragem populi mei, ut deplorando eo oculi non sufficiãt nec lachrymæ ad sine intermissione plangendum mortuos. Si enim totus uertar in fletum, neq; tantũ guttas deducam, sed fluminis abundantiam, dignè tamen flere non potero: tanta sunt enim mala, ut omnem dolorem sua uincant magnitudine.

2 Quis dabit me in solitudine diuersoriũ uiatorum, & derelinquã populũ meum, & recedam ab eis? quia oẽs adulteri sunt, & cœtus præuaricatorum.

Quanã mihi fratres sint quos zelo iusto cupio emendandos, quia tamen eos insolenter uideo in impietate proficere, nec spem esse redeundi ad meliora, toties uerbo dei commonitos, opto mihi in uasta aliqua solitudine diuerticuli tuguriũ esse, ubi solus habitans, tam ipsorum adulteria & idololatriã, quàm affuturã illis horribilem uindictam uidere nõ cogar: quos nõ aliter iudico quàm cateruã improbissimorũ, nihil minus quàm probitatem cogitantium, & contemnentium deum suum.

3 Et extenderunt linguã suã quasi arcum mendacij & nõ ueritatis: cõfortati sunt in terra, quia de malo ad malũ egressi sunt, & me non cognouerunt, dicit dominus.

Ad mẽdacia falsumq; suadendũ instructissimã protendunt linguã suam, ueluti mortiferũ arcum ad perniciem fidei & morum: ueritatẽ autẽ loqui nesciunt, nulla uis meliora suadendi adest, qui nihil unquam præter nequitiam meditantur, quaqua uersum diuerterint malũ malo exaggerant, in propagãda impietate semper persistũt, sine timore dei uiuentes, sed neq; deum credentes, perfidiam suam uerbis prodentes & moribus.

4 Vnusquisq; se à proximo suo custodiat, & in omni fratre (suo) nõ habeat fiduciam: quia omnis frater supplantãs supplãtabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.

Sic non solum in deũ fides cõcidit, sed etiã in fratres & proximos, ut nõ se quisquam fratri suo tutò credere audeat: omnia autẽ corrupta sint mendacijs & fraude, dum sibi quisq; prospicit, studetq; priuato suo cõmodo: quo fit, ut sicut fidem non præstat, sic nec sentit perfidus à fratre suo, cum charitas sit summa legis, et iustitiã deus præponat sacrificijs, & exigat seriosius.

5 Et uir fratrẽ suũ deridebit, & ueritatem non loquentur: docuerũt enim linguam suam loqui mendaciũ: ut iniquè agerent, laborauerunt.

Circunscribit quisq;, & turpis lucri gratia circũuenit socium, coràm promittendo grata, absens uerò moliẽdo improba: omnium scilicet præbet, & scorpione insidiatur. Non est qui candidè ueritatẽ profiteatur. Assuefecerunt linguas suas ut quàm funestè mentiãtur, & à prauitatis pondere sese sustentare laborãt, sibijpsis oneri existentes. Eò enim perducit improbitas, ut seipsam quoq; ferre diu non possit.

6 Habitatio tua in medio doli: in dolo renuerunt scire me, dicit dominus.

Obsessus es dolo & fraudulentia, quaqua uersum respicis omnia impleta uides impietate, malis artibus imbutus, nemini fidẽ seruans, nec ab aliquo tibi credis fidẽ seruari: per dolum renuis meã scire uoluntatẽ, leges, iustitiam & ueritatẽ. Hæc de Iudæis dominus dicit, qui noluit eos, nõ ea propheta suo spiritu per iram prædicat.

7 ¶ Propterea hæc dicit dominus exercituum, Ecce ego conflabo & probabo eos: quid enim aliud faciam à facie filiæ populi mei?

Cogor ergo sceleſtos aggredi iusto iudicio meo, igneq; aduersitatũ illos cõflando probabo, scoriam perfidiæ illorum depurabo & prodam mundo. Quid enim aliud me facere sinunt? Quomodo tantã ipsorũ impietatem ferrẽ perpetuò? Tot obrutos beneficijs meis & toties admonitos sine fructu prophetijs, ultrà non feram. Cogitut punire deus.

8 Sagitta uulnerans lingua eorum, dolum locuta est. In ore suo pacẽ cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias.

Sagitta mortifera & ad occidendũ limata est lingua eorum, dolum loquitur: uera, honesta, utilia, sancta ac salubria, quia non didicit, loqui non potest, pacem ore simulat, & aureos potest polliceri mõtes proximo suo, insidias autem reuera struit, ut corrumpere possit, prosternereq; bene de se sperantem.

9 Nunquid super his nõ uisitabo, dicit dominus? aut in gente huiuscemodi non ulciscetur anima mea?

Iniustitias huiusmodi iustitia dei nõ fert, tam in suo populo quàm in alijs, sed dignis traducit uindictis, perfidiæ seuerus ultor & iniuriarum uindex, patronus autem ueritatis & candoris. Sæpe autem hanc repetit ueluti intercalarem sententiam, ut enumeratis tot eorum iniquitatibus, inferat iustè se facere quod facit.

10 ¶ Super montes assumam fletum ac lamentũ, & super speciosa deserti planctũ: quoniã incensa sunt, eò quòd non sit uir pertranſiens: & non audierũt uocem pos-

fidentis: à uolucre cœli usque ad pecora transmigrauerunt & recesserunt.

Propterea in summis montium ubi uastatam undique regionem circumaspicere possum, & de remotis audiri, leuabo fletum & lamentum, & speciosissimas terras pascuarum uberrimas uidebo succensas & uastatas, ut nemo eas transire ualeat: ut nec aues nec bestiæ eas posthac sua habitatione dignẽtur, sed fugiant tanquam certam perniciem formidabilem solitudinem & cruentam prouinciam.

11 Et dabo Ierusalẽ in aceruos arenæ, cubilia draconũ: & ciuitates Iuda dabo in desolationem, eò quòd non sit habitator.

Non tantum Iudæam propter peccata uastabo, sed Hierosolymam quoque istam uestram urbem, de qua tantopere gloriari, & sanctum illud templum quod iactare soletis, hostes Babylonij redigent in aceruos, non posthac hominibus, sed bestijs immundissimis & horribilibus habitãda, cum totius regni omnibus ciuitatibus, quæ sine habitatore desolatæ relinquentur.

12 Quis est uir sapiens qui intelligat hoc, & ad quem uerbum oris domini fiat ut annuntiet istud quare perierit terra, & exusta sit quasi desertum, eò quòd non sit qui pertranseat?

13 ¶ Et dixit dominus, Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, & non audierunt uocem meam, & non ambulauerunt in ea:

14 & abierunt post prauitatem cordis sui, & post Baalim, quod didicerunt à patribus suis.

Casus urbium.

Si uel unus uir sapiẽs residuus est ex uobis, is sciet & sentiet uerè me prædicere, & nimiũ certam ex ore domini prophetiã de subuertendo regno Iudaico. Quomodo enim subsisteret ea urbs, & quæcunq; alterius gentis ciuitas huic in moribus & fide similis, unde lex domini dei cõtemnitur, idola uana pro uero deo colũtur, ius & fides subuertuntur, domini dei agnita uoluntas irridetur, prophetæ occidũtur, corda impiorũ eatenus indurantur, ut nec colere deum uelint nec credere?

15 ¶ Idcirco hæc dicit dominus exercituum deus Israël, Ecce ego cibabo populum istum absinthio, & potum dabo eis aquam fellis:

Incorrigibilium uindicta.

Hunc populũ tam diligenter multifariam sæpeq; admonitum, & nihilo meliorem redditum, sed continuò prolabentem in crimina atrotiora, ut mihi friuolè peruicaciterq; resistant: Ecce ego dominus absinthio angustiarum, & aqua fellis potabo: hoc est, implebo amaritudine tanta ærumnarum, & sic inuoluam, ut angustijs emori cogantur, & uitam deteriorem morte uiuere, imò trahere sine solatio omni, continua formidine perditionis extremæ.

16 Et dispergam eos in gentibus, quas non nouerunt ipsi & patres eorũ: & mittã post eos gladium donec consumantur.

Post obsidionis angustias, & occisionem gentis, si qui residui fuerint, dispergentur infelici exilio in remotas prouincias, inter ignotos homines in terram hostium, quorum non intelligent linguã, qui nulla precum instantia ad clementiam flecti possint: ad leuem occasionem incidentem periclitabuntur apud eos de uita & rebus, ac uelut emptitij serui crunt dominis suis, qui uitæ & necis potestatem in eos exercebunt, donec consumantur & disperdantur de terra.

17 ¶ Hæc dicit dominus exercituum, Contemplamini, & uocate lamẽtatrices, ut ueniant: & ad eas quæ sapiẽtes sunt, mittite, & properent,

Circunspicite & diligẽter perquirite lamentatrices, more uestro, ad miserias uestras plangendas, tantas scilicet ad quas plangendas uos nõ sufficiatis, imminentẽ uobis miserabilẽ stragem. Quæ ex arte norint lamentũ & luctum, eas adducite, ut præstò sint indies, ad officium reddendum: non enim differtur perditio uestra.

18 festinent, & assumãt super nos lamentũ. Deducant oculi nostri lachrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis:

Citò planctum arripiant ad ingruentẽ calamitatem commendandã lachrymis & luctu: defluant lachrymæ oculis, & palpebræ iugi fletu lassentur. Molem enim uastitatis ad sufficientiam plangere non poteritis, quia uitam emendare hactenus noluistis.

19 quia uox lamẽtationis audita est de Sion, Quomodo uastati sumus, confusi uehementer? quia dereliquimus terrã, quoniã deiecta sunt tabernacula nostra.

Nunc mihi audire uideor uocẽ pereuntiũ & perditum, tantum abest ut pacem uobis promittere possim: iam arua dulcia linquere cogimur, patria pellimur, domus ipsæ nostræ quasi abominantur nos & extrudunt, terra ipsa nos euomere uelut sanguine cõspurcatos incipit, & nostra abominari crimina.

20 ¶ Audite ergo mulieres uerbũ dñi, & capiat auris uestræ sermonẽ oris eius: & docete filias uestras lamentũ, & unaquæq; proximam suam planctum:

*Audite saltem ô uos fœminæ uerbũ domini: quæ plangere nescitis discant, & quæ peritæ estis artem emangere nesciunt discant, & quæ peritæ estis artem emangere nesciunt discant, & quæ peritæ estis artem emangere nesciunt

consc̃edit, per feneſtras palatijs et domibus irruit. Nihil tutũ & ſanum tota in terra relinquitur, ſi muri domorũ & urbiũ non ſeruãtur. Filij amantißimi in plateis ludere deſinũt, in domos mortẽ fugiunt, ſed nõ effugiũt. Qui iuuenes in delitijs nutriti ſpẽ poſteritatis præbuere ſenioribus, hi aſpicientibus parẽtibus in plateis trucidãtur.

22 Loquere: Hæc dicit dñs, Et cadet morticinum hominis quaſi ſtercus ſuper faciem regionis, & quaſi fœnum poſt tergũ metentis, & non eſt qui colligat.

Cadauera negleda.

Non habebitur ratio corporum occiſorum, reſidui enim captiui abducentur ab hoſtibus in captiuitatem, et cadauera uelut ſtercus erunt canibus eſca, & porcis. Vtq; refectum fœnum à metente negligitur poſt ſe: ſic nec occiſorum cadauera colligentur, donec redigantur in eſcam animalibus.

23 Hæc dicit dominus: Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitijs ſuis,

24 ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me quia ego ſum dñs qui facio miſericordiã iudiciũ & iuſtitiam in terra, hęc enim placent mihi, ait dominus.

Sapientiæ non fidendum ſed deo.

Sic denuq; dominus dicit: Nemo ueſtrum confidat ſapientia, quaſi quacunque circumſpectione talia ſe mala euaſurum exiſtimet. Nemo ſibi proſperiora polliceatur, nec iactet corporis & armorum fortitudinem & periciam. Diuitiæ quoque neminem redimere poterunt ab hoſte crudeli: argentum enim non quærent, ſed uitam eripere ſummo ſtudio conabũtur, et inualeſcent. Omnia hæc fallent expectationem impiorũ & ceſſabunt. Conſoletur uero ſe quiſq; in ſolo deo noſcendo, et pro ipſius uoluntate uiuendo. Hac fidei iuſtitia tutabitur à pericułis, & uincet aduerſa grandia & minora. Is fidelibus ſibi reſignatis robur opportunum præſtabit, in rebus deſperatißimis ſuccurret, auxiliabitur, potens & fidus. Is uindicat ſeruos ſuos, ſeruat iuſtitiã & æquitatem in terra. Vnũ illud exigo: ut iuſtitiæ operã detis, beneficentiã non obliuiſcamini: is fuerit legitimus cultus quem uolo.

25 ¶Ecce dies uenient, dicit dominus, & uiſitabo ſuper omnem qui circunciſum habet præputium,

26 ſuper Aegyptum, & ſuper Iudam, & ſuper Edom, & ſuper filios Ammõ, & ſuper Moab, & ſuper omnes qui attonſi ſunt in comam, habitãtes in deſerto: quia omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Iſraël incircunciſi ſunt corde.

Circunciſi puniendi.

Denique propediem uiſitabo & puniam circunciſos omnes ad carnem, ſiue is Iudæus ſit, ſiue Aegyptius, Edomita uel Saracenus, Ammonita uel Moabita. Veri ſimile eſt enim omnem poſteritatem tam Abrahæ quàm Loth in circunciſione domino cõplacere uoluiſſe, quantumlibet ſcelerate uiuerent, idola non abhorrerent. Eos cum alijs incircunciſis & præputium habentibus toto orbe puniã. Omnes enim pariter apud me pro incircunciſis habentur, quia nõ tam carnis præputium, quàm cordis obdurationem & propenſum ad flagitia cor & animum odio perſequor & uindicabo. Domus autẽ Iſraël, quantũlibet pellicula amputata libidini uacant, odioſißimæ mihi idololatriæ incumbunt & ſtudent: quos uolui caſtos, pios, æquos, et unius ueri dei cultores uſtißimos.

¶ CAPVT X.

1 AVdite uerbũ quod locutus eſt dñs ſuper uos domus Iſraël.

Contra idolatriam.

Sermo ad idem propheticus & dehortatorius ab idololatria, qua populum delectari indigniſſime ferebat, pro qua & pereundum illi non ignorabat, cuius argumentum etiam ab Eſaia tractatum eſt: unum ſcilicet eſſe deum, cuius uirtute cuncta gerantur. Dirigitur autem ſermo ad domum Iſraël, quæ tota infecta erat ſordibus idolorum, cuius iam decem tribus in gentes deportatæ iuſto iudicio dei idolis ſeruiebant, qui in terra ſancta dominum deum non coluerant, ut illis dudum fuerat prophetatum.

2 Hæc dicit dominus: Iuxta uias gentium nolite diſcere, & à ſignis cœli nolite metuere, quæ timent gentes,

3 quia leges populorum uanæ ſunt. Quia lignum de ſaltu præcidit opus manus artificis in aſcia.

Gentium ſuperſtitio & noſtra.

Viam & mores gentium prohibentur ſectari fideles: hoc eſt, imaginum ſculpturas, idolorum culturas, ſacrificiorum aras, ceremonias inutiles uel turpes, cultum hominum pro dijs, deorum pluralitates, confugia in aduerſis non ad unum deum, ſed tutelares deos, artes ſuperſtitioſas prænoſcendi futura, cultum & reuerentiam ſolis lunæ & ſtellarum, crudelia ſacrificia filiorum & filiarum, fœdus cœlibatus in præiudicium ſacri matrimonij, ignis, aquæ, & animalium culturas, per nonnos et nonnas ueſtales, & cætera, quæ omnia dominus ſuo inhibuerat populo. Nihil enim erant aliud quàm uanitas, humanæ ſcilicet traditiones deum colendi, alio aliquo modo, quàm in ſpiritu & ueritate, fide in deum, et uitæ innocentia ad proximos, quẽ deus cordibus indiderat hominum, ut ſcirent ſe proximos affectu & factis proſequi debere, quibus ipſi quoque uellent tractari, ſuſpice req; & colere eum deum, qui rector eſſet cœli & terræ, quod eos ratio naturalis commonefaciebat, & beneficentia dei aßidua. Ipſi uero quaſi rationis expertes, lignum arripiebant de ſylua, & lapidem ex monte, & imbuta forma quæ placuiſſet adorabant, inuocabant, honorabant opus quod proprijs manibus confecerant, cũ effectus ſua cauſa ignobilior ſit.

4 Argento & auro decorauit illud: clauis & malleis compegit, ut non diſſoluatur.

Deos ſuos auro decorabant & argento, quo ſimplici uulgo admirabiliores proſtituerentur, & auri ſacra fame imbuerentur corda ſtultorum. Clauis & malleis robur propriũ accipiunt ab artificibus ut ſubſiſtant quatenus nota ſit ſtultitia eorum, qui robur et uirtutem impetrare ab illis non erubeſcunt.

5 In similitudinem palmæ fabricata sunt, & non loquentur: portata tollentur: quia incedere nõ ualent. Nolite ergo timere ea, quia nec male possunt facere, nec bene.

Induratur quoque idolum, ut quàm diutissime perseueret, ut palmi, non facile frangatur, nec loco moueatur, sed solide constet. Cumq; à stultis adoretur & uerbis exoretur, idolum ipsum uerba respondere non potest: os enim formatum habet arte humana, ut loqui nesciat: & pedes quidem habere uidetur, sed incedere non

Idola Christianorum.

ualens, baiulatur tantum à stultis. Non sine magna ratione toties hæc deus sacris literis inscribi uoluit, præscius numirum stultæ superstitionis, quæ etiam huius scripturæ lectores Christianos correptura erat, ut idola uenerarentur, & illustrarent precio, quod pauperibus negaretur, et adorarentur, quod deo soli debetur: cum experimento & ratione notũ esset, illa nec benefacere posse cuiquam, nec malefacere, cum nihil sentirent, nec uim agendi haberent, stultorum opera, ideoq; minime timenda uel colenda sint, sed deus solus creator omnium & gubernator.

6 ¶ Non est similis tui domine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine.

Dei essentia & bonitas.

Hæc semper sententia cogitanda fidelibus, dominum deum unum & uerum omnipotentem esse, & bonorum omnium fontem, in cuius scientia, prouidentia, manu & robore consistant suprema & infima, cœlestia et terrena, cui soli omnis honor & gloria debetur, timor & reuerentia, cuius prouidentia & fortitudine omnia gubernantur.

7 Quis non timebit te ô rex gentium? Tuum est enim decus. Inter cunctos sapientes gentium, & in uniuersis regnis eorum nullus est similis tui.

Deus metuendus.

Vt habeant gentes suos reges, quos timeant & reuereantur, dominus tamen est rex regum, quem illi quoque timere coguntur, & cui morem gerere obligantur obediendo, si sibi gentes postulẽt obedire: sapientia quoque omnes excellit mundi sapientes, sicut potentia reges. Ei ergo obedire magis oportet quàm hominibus, aduersa dei uerbo iubentibus, cui & reges credere, & obsequi necesse est, ut eos quoque mori & iudicari à deo necessarium sit, ne sibi quicquam licere putent contra dominum uniuersorum.

8 Pariter insipientes & fatui probabuntur: doctrina uanitatis eorum lignum est.

9 Argentũ attenuatũ in laminas de Tharsis affertur, & aurum de Ophaz: opus artificis, & manus ærarij: hyacinthus & purpura indumẽtum eorum, opus artificum uniuersa hæc.

Stultitia regum circa idola.

Impotentiam suam reges uel ex eo discant, quod & stultitia tãta laborare nõ erubescunt, ea scilcet qua uanissima ipsa idola lignea adorare non uerentur, ut ubi sapientia exigitur in maximis rebus & diuinis, ibi stultissimi deprehendantur, lignum ipsum honorando, timendo, adorando, alloquendo, quod & adornare student argento attenuato & diducto manu artificis, allato laboribus periculis & impensis magnis de remotis insulis maris: auro quoq; omnium preciosissimo peregre allato, multa arte fabrorum obducunt. Nec his cõtenti, uestibus purpureis & hyacinthinis induunt lignũ, idq; agunt sapientissimi quiq; gentilium, contra mentem et eruditionem ueram, qua unicum creatorem omnium et optimum ac maximum non ignorabant, sed stultæ plebi imponebant, fingentes religionem, quam & ipsi in deteriorem iniuriam sectabãtur, ridiculum opus parantes, summa quæ in illis erat insipientia.

10 Dominus autẽ deus uerus est: ipse deus uiuens, & rex sempiternus. Ab indignatione eius commouebitur terra, & non sustinebunt gentes comminationem eius.

*Cum hi omnes falsa & mendacia æmulentur alijs & sibi illudẽdo tam stulta religione, interim dominus deus ipsa est ueritas, solus uerus et uiuus deus, à quo pendent omnia creata, solus bonus & omnipotens, in cuius arbitrio ac regimine consistit mundus totus, à cuius ira patrio ac regimine consistit mundus totus, à cuius ira putrio ac regimine consistit mundus totus, à cuius ira putrio ac regimine consistit mundus totus, à cuius ira put

tatibus terræ: fulgura in pluuiam facit, & educit uentum de thesauris suis.

Opera dei mirabilia.

Quicquid in cœlo & in terra admirabile, horribile, magnificum, & utile cernitur, opus dei est, sonitus scilicet tonitruorum & aquarum defluxus, & commotiones iussu illius concitantur. Cuius nutu uapores eleuantur passim ex terra & mari, in aëre coëunt. Fulgura ipse uertit in pluuias, & educit uentos de thesauris suis. Quorũ natura uis & origo à philosophis tractatoribus traditur, non sine multa ignorantia: quæ tamen fideles opera dei sui agnoscũt, quem ex eis admirãtur, colunt & laudant, cui accepta referunt omnia, quibus utuntur & indigent, ipsius potentiã, bonitatem, sapientiam & gratiam adorantes.

14 Stultus factus est omnis homo à sciẽtia, cõfusus est artifex omnis in sculptili: quoniam falsum est quod conflauit, & non est spiritus in eis.

15 Vana sunt, & opus risu dignum: in tempore uisitationis suæ peribunt.

Deus ex creaturis dijs fictandus.

Cum homini deus rationẽ dederit, qua conditorẽ rerũ sciret, crederet & coleret, & ex creaturis assurgeret in cõtemplationẽ creatoris, ipse cõtra euanuit per scientiam, ut creaturas magis admiratus fuerit quàm creatorem, datus subinde in reprobũ sensum, ut faciat quæ nõ conueniũt, omni repletus malitia & stultitia: sic etiã ut prudentissimi quiq; artifices ingenio præditi à deo uero, uterentur eo ad confusionẽ suam sculptilia cõficiendo, quibus ut stulti & amentes deuincerẽtur & subderentur in contumeliam creatoris. Quid enim aliud est idolũ, quàm mendax figmentũ quo homo uel deus apparet uel habetur quod lignũ est, uel lapis? Viuere uidetur & sentire, cum impostura sit & hominũ stolida impietas: ut uerè dicatur & sit ipsissima uanitas, opus erroris & dignũ ludibrio, friuolum & stultè concinnatũ, quod simul cum cultoribus suis uisitationis temporibus peribit. Hic nulla excusatione opus est, dicentium idola non coli, sed prototypum. Dominus est qui prohibuit, qui hæc prophetis inspirauit, qui nouit quid hominibus prosit, uel perniciem importet, qui solus uult coli, inuocari et adorari, sine imaginibus, quas odit, quia stultitiam humanam non ignorat creator hominis.

Reiectio regitæ.

16 Non est his similis pars Iacob: qui enim formauit omnia, ipse est, & Israël uirga hæreditatis eius: Dñs exercituũ nomen illi.

Non uult deus Iacob talibus efformari figmentis, qui portio est & hæreditas Iacob. Quia uerò creator & fictor est omniũ, talibus figmentis nõ uult coli, sed in ueritate & spiritu. Cuius peculiaris populus est Israël, & hæreditas. Cuius nomen est & dicitur dñs exercituum, omnipotens in cœlo & terra, conditor omnium.

17 Congrega de terra confusionem tuam, quæ habitas in obsidione:

Præcipitur Hierosolymæ ut forenses diuitias suas & quæ in agro extabant intra urbẽ munitã custodiendas cõportet, & lõgæ obsidioni præparet alimẽta: nõ enim intentata mala differenda fore, sed statim affutura.

18 quia hæc dicit dominus: Ecce, ego longè proiiciã habitatores terræ in hac uice, & tribulabo eos, ita ut non inueniãtur.

19 Væ mihi super contritione mea, pessima plaga mea. Ego autẽ dixi: Planè hæc infirmitas mea est, & portabo illam.

Exilium Iudæorum.

Impios hos terræ meæ habitatores tanquã funda iaculabor, & adfligendo torquebo in remotam gentem, in loca incognita illis hactenus, ut & uerba prophetarum uera inueniantur, & ipsi in sua terra non inueniantur. Iudæorũ quidam, quatenus inueniãt, duas has dictiones uersui sequenti iungunt, ut scilicet Iudæi reiecti inueniant tribulationes, quibus clamare cogãtur & dicere: Væ mihi super uel propter contritionem meã, & propter grauissimũ dolorem plagæ meæ. Iam nunc peccata fateri compellitur, quæ prophetarum admonitiones & uerbum domini audire dedignabatur, quæ sibi salua omnia promittentibus credebat pertinaciter. Iam enim uolens nolens experitur grauitatem uindictæ, & confitetur iustè se cædi pro peccato suo, optareq; ut patiẽter iram domini sustinere posit.

20 Tabernaculũ meũ uastatũ est, omnes funiculi mei dirupti sunt: filij mei exierunt à me, & nõ subsistũt: nõ est qui extendat ultra tentoriũ meum, & erigat pelles meas.

Hierosolymæ euersio facilis.

Plangit Ieruſalẽ, tam facilẽ factã subuersionẽ suam, ut non mœnia eruta, sed tabernaculũ resolutũ & ablatum putes. Templum deniq; loco tabernaculi domini extructum, combustũ est & deletum, & ueluti cõfracti sunt claui illius, ut pariter cõciderit cultus dei, nunquã iterũ tanta gloria & perfectione, uasorũ & ministeriorũ ordine restituendus ut fuerat dudum. Filij quoq; mei Ioachin, Ioakim & Zedekias cum alijs nobilibus, exierũt in captiuitatẽ, nunquam reuersuri, sed uel occidẽdi, uel in exilio morituri: nec erit quispiã ex illis q tabernaculum istud sit iterũ extensurus, & erecturus pelles eius. Longo enim tempore tam templũ quàm urbs prostrata iacuerunt, cum insigni contumelia gentis, donec pœnitentiam agentes à domino partim liberarentur.

21 Quia stultè egerũt pastores, & dñm non quæsierunt: propterea non intellexerũt, & omnis grex eorum dispersus est.

Pastorũ uitio, grex perdita.

Ob negligentiã stultitiamq; pastorum grex direptioni patet & dispergitur. Captus est enim populus, & magna parte occisus, ob impios reges & principes, quos ipse fouerat & in persecutione uerbi dei et prophetarũ consenserat, placentia sibi dici rogauerat, & dominum deum suum toties monitus quærere non studuit. Pariter ergo & pastores cum gregibus iudicium domini perferent, in orbem dissipandi, exemplum omnibus gentibus futuri, tam inobedientiæ suæ quàm iustitiæ dei.

22 Vox auditionis ecce uenit, & commotio magna de terra aquilonis, ut ponat ciuitates Iuda in solitudinem, & habitaculum draconum.

Præ nimio angore mentis uidetur sibi propheta continuò audire uocem aduentantis exercitus Babylonici,

ob certitudinẽ quam illi deus inſtillauerat futuri mali, quod et ob malitiã nimiã continuò creſcentẽ, intelligebat ſtatim imminere. Voluiſſet autẽ tam crebra exhortatione ſua & inculcatione populum reuerti ad meliora, ſed nihil obtinebat, ſurdis narrabat fabulam, obduratis in impietate, quia dei ſententiã ſuſceperant ferendam, iamdudum ob innocentis prophetarum ſanguinis effuſionẽ, propter quod & urbs ipſa cum tota prouintia uaſtanda eſſet, & horribilium animalium non niſi deſerta loca amantium hoſpitium futura.

23 Scio domine, quia non eſt hominis uia eius: nec uiri eſt ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos.

24 Corripe me domine, ueruntamen in iudicio: non in furore tuo, ne fortè ad paucitatem redigas me.

Arbitrium non liberũ homini.

Nemo hominum ſuo ſe regit arbitrio. Nõ eſt enim hominis uia eius, ſed à domino greſſus hominũ dirigũtur: ideoq; nec impij illi iuſto tuo damnati iudicio emendantur, nec rex Babylonius iter ſuum quod deus ordinauerat ad uindictam malorum intermittere poterit. Prouidentia enim ſua geruntur omnia, ut iuſtitia ſua & ueritas illuſtretur, impietas & peccata ſuo non careant præmio. Semper quidem ad pœnitentiã inhortandus eſt populus & ſerioſe monendus. Interim tamen donũ dei eſſe reſipiſcentiã docemur, quam oratione deuota à domino propheta docet impetrandam, dum ipſe orat: Da quæſo domine, ut emendatos tibi recõcilies: emendes autem cum uenia & indulgentia, ut ferre poſſimus, non in ira, quæ nos redigeret in nihilum.

25 Effunde indignationem tuam ſuper gentes quæ non cognouerũt te, & ſuper prouincias quæ nomen tuum non inuocauerunt: quia comederũt Iacob, & deuorauerunt eum, & cõſumpſerũt illum, & decus (habitaculum) eius diſſipauerunt.

Malorum uindicatores non impunes.

Gentes quæ te noſce nolunt, uel agnitum colere, quæ iniqua uolũtate nos aggrediuntur, quamuis peccatores ſimus, ipſæ tamen nõ zelo iuſtitiæ, ſed odij crudelitatis & auaritiæ nos opprimũt, in has quoq; iuſtam iræ tuæ uindictã effundere uelis, ne ſibi uideãtur innoxij, & ne nomen tuũ blaſphemetur, dum tibi obſequiũ ſe præſtare credunt, ſi poſteritatem anuciſſimorum tuorum Iacob & Abraham deleant, & promiſſiones tuas euacuare ſe putent. Quibus non hoc in uotis eſt, ut idololatriam & abominationes noſtras puniant, quum ſint æque impij & impuri, ſed tantũ comedant, deuorent, extirpent, diripiant, cõſumant populũ tuum, & ſplendorem gloriæ tuæ ſacrum templũ tuum ſubuertant, ad gloriã deorum ſuorum, & ad dedecus ſanctitatis tuæ.

CAPVT XI.

1 VErbum quod factũ eſt à domino ad Ieremiam, dicens:

2 Audite uerba pacti huius, & loquimini ad uiros Iuda, & ad habitatores Ieruſalem,

3 & dices ad eos: Hæc dicit dominus deus

Iſraël, Maledictus uir qui non audierit uerba pacti huius:

Alius ſermo generalis prophetæ ad regnũ Iuda, ut meminerint pacti dei ſui ad ſe, & obligationis qua dominuicißim conſtricti ſunt, ut præter deum Iſraël nullum ſciant uel colant, & ab omni idololatria abhorreãt, ſed uni deo ſuo pactum fidelitatis ſeruent: id quod omnes prophetæ ſemper monuerũt, & populus nunquam ſeruauit, ideoq; nunc inſtare prædicitur pœna rupti fœderis. Pertinet autem admonitio hæc ad omnes fideles, qui domino deo nomen dederunt, fœdus fidei & charitatis, quibus lex dei ſeruatur, imierũt. His dicitur à domino per prophetas, ut nunquam obliuiſcantur obligationis, alioqui maledictiones ſentient, ſi deſciſcant, & inobedientes ſint uerbis fœderis.

4 quod præcepi patribus ueſtris in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de fornace ferrea, dicens: Audite uocem meam, & facite omnia quæ præcepi uobis, & eritis mihi in populũ, & ego ero uobis in deum:

Patribus quidẽ præcepi legẽ decẽ uerborũ, in monte Sinai, poſt exitũ de Aegypto, ſed inuiolabiliter ſemper ſeruandam filijs, niſi tranſgreſſionis rei inueniri & maledictionibus ſubiacere non timeant. Ferreæ fornaci illis Aegyptus erat, ſumma ſcilicet anguſtia, de qua tamen exire nõ licebat, unde per dñm liberati iam ipſi ſerui facti & filij, quicqd illis præcepiſſet ſtudioſe ſeruare debebant ex officio gratitudinis, id quod inſuper præſtito iuramẽto ſeruare promiſerãt, & neterminatam tranſgreſſoribus pœnã ſuper ſe ſponte crebro ſuſceperãt, ut fierent multis nominibus inexcuſabiles, ſi deſciſſent à dño deo ſuo, ſeſeq; accõmodarẽt religioni externæ & idolis, quæ domino ſunt exoſa.

5 ut ſuſcitem iuramentũ, quod iuraui patribus ueſtris daturũ me eis, terrã fluentẽ lacte & melle, ſicut eſt dies hæc. Et reſpondi, & dixi: Amen domine.

Sub cõditione Iſraëlitis promiſſionẽ factam terræ, ſta lex & prophetæ clamant: ſi ſcilicet permanerent in ſermonibus legis, ſi mandatis obedirent, alioqui turpiter eijciendis. Non ſolam autẽ terræ poſſeſſionẽ, ſed pacem, ſanitatẽ uitæ, neceſſaria omnia, filios, honorẽ, gloriam, gratiam dei pariter promiſit, & uitam æternam, quam hæc omnia ſignificarẽt, benedictionẽ omniũ gentium ex eorũ ſemine promanandã: quòd ſi deficerent, omnia illis cõtraria futura prædixit & promiſit. Hinc nunc conditionis propheta admonet, conſtitutos in articulo extremo diſperſionis ipſorũ, ſi quo modo tantis malis deterreantur, & reſipiſcendo ſaluentur, ne illis contingat quod regno Iſraëlis iam accidiſſe uidebamus. Nec aliud propheta reſpondere potuit, quàm uerißimum eſſe quæ facta olim & dicta uicißim rememorabantur, lege uniuerſa atteſtante in præſens.

6 ¶Et dixit dominus ad me: Vociferare omnia uerba hæc in ciuitatibus Iuda, & foris Ieruſalem, dicens: Audite uerba pacti huius, & facite illa:

Iubetur

lubetur propheta in urbibus Iuda & Hierosolyma reuocare eos ad obseruantiam legis diuinæ, ad cultum unius dei, ad honorandum nomen domini, & legem audiendã in sabbatis, & complendã, charitatis per omnia legem seruare, ne occidant, furentur, fornicentur, &c. ad quod se astrictos nouerint, alioqui perituri & dissipandi in captiuitates.

7 quia contestans contestatus sum patres uestros in die qua eduxi eos de terra Aegypti usque ad diem hanc. Mane consurgens contestatus sum, & dixi: Audite uocem meam.

Veluti fidelis pater nunquã destitit filios admonere, missis etiã prophetis, si quando negligentiores fierent, & rerum prosperitate insolentiores: etiam obduratos non abiecit, sed omnem semper mouit lapidẽ, quo recordarentur officij, & auocarentur ab impietate: etiam si quando prophetas missos occidissent, nunquam tamen destitit, sed semper cõtestatus est se esse patrẽ, si uellẽt, & audirent uocem illius.

8 & non audierũt, nec inclinauerũt aurem suam: sed abierũt unusquisq; in prauitate cordis sui mali. Et induxi sup eos omnia uerba pacti huius, quod præcepi ut facerent, & non fecerunt.

Abijciendi Iudæi in captiuitatem accusantur id multipliciter meruisse, nihil seruãdo eorũ quæ obligabãtur: sed iuxta prauitates cordis eorum spreuerunt omnia, ut maledictiones cõminatas necessariò sibi asciuerint, & sentire debuerint perfidi & rebelles.

9 ¶ Et dixit dominus ad me: Inuenta est coniuratio in uiris Iuda, & in habitatoribus Ierusalem.

10 Reuersi sunt ad iniquitates patrum suorum priores, qui noluerunt audire uerba mea. Et hi ergo abierũt post deos alienos, ut seruirẽt eis, irritũ fecerũt domus Israël & domus Iuda pactum meũ, quod pepigi cum patribus eorum.

Sententiam ferre uolens dominus cõtra regnum Iuda præmittit accusationis totius summam, quia contra dominum deum suum coniurarint, etiam postquam Iosias fœdus renouasset cum domino, pro more suo cõtempserunt uerbum domini & illius prophetas, deos alienos coluerunt ad exemplum regni Israël.

11 ¶ Quam ob rem hæc dicit dominus: Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt, & clamabunt ad me, & non exaudiam eos.

Sententia diuina hic promulgatur à qua non sint aliqua ratione absoluendi.

12 Et ibunt ciuitates Iuda, & habitatores Ierusalem, & clamabũt ad deos quibus adolebant incensum, & saluando nõ saluabũt eos in tempore afflictionis eorum.

Quantumlibet me abiecto deos suos multos, diligenterq; coluerint impij, nemo tamen tunc illorum contra meam illis succurret sententiam, sed se tales tunc ostendent quales sunt, nihil scilicet posse ut nihil sunt.

13 ¶ Secundum numerum enim ciuitatum tuarum erant dij tui Iuda, & secundũ numerum uiarũ Ierusalem posuisti aras cõfusionis ad suffitum offerendum Baalim.

Cum unus tantum deus sit omnipotens, adorandus, colendus ex lege, & in una tantum Hierosolyma illi sacrificandum præceptum: sacrilegi Iudæi ad morem gentilium uiuere eligentes, tutelares sibi deos infinitos elegerunt, singulosq; singulis præfecerunt urbibus patronos & auxiliarios, imò in platcis quoq; urbium aras erexerunt & sacella. Non aliter proch dolor & pudor apud Christianorum urbes uidere licet, ut uehementer mirabile sit, quomodo tam apertas legis & prophetarũ scripturas non ueriti fuerint, nisi posterioribus temporibus sacrarum literarum studium, auaritiæ, luxus & quæstus studio præuocatũ esset, & excusationes in peccatis tam patentibus admissæ, in confusionẽ euangelicæ legis & totius Christianæ religionis, & in scandalum omnibus Iudæis & Saracenis, nedum simpliciter incedentibus Christianis & pijs. Cõtra deos tutelares.

14 ¶ Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne assumas pro eis laudẽ & orationẽ: quia non exaudiã in tempore clamoris eorum ad me, pro afflictione eorum.

Quandoquidẽ exaudire nõ uult dominus sententiam reuocando, ideo prophetã prohibet orare pro populo. Reuera enim sancti instinctũ orationis ardentis nõ sentiunt, dum pro re uel persona indigna preces fundere tentant. Non enim orare dignè concedit dominus, nisi cum exaudire decreuit. Assumere laudem, est exauditionis beneficiũ celebrare & gratias agere, uel priscorum beneficiorũ memoriã allegare coram domino inter orandũ, ut nunc cõtinuò Iudæi orant in synagogis suis, quia gloriã domini non desiderant, sed propriã, & de sanctificatione diuini nominis in orbe toto non solũ non gaudent, sed contristantur & detestantur, cum se solos à domino curari cupiunt, & maximum Messiæ beneficium à domino præstitum non agnoscunt. Oratio qñ à deo exaudiatur.

15 ¶ Quid (est) quòd dilectus meus in domo mea facit scelera multa? (Nunquid) & carnes sanctæ auferent à te, quia in malitijs tuis, etiam tunc gloriata es?

Breues composuit sententias propheta, non exactè cohærentes, ad unum tamen propositum dictæ, ad Iudaicæ synagogæ repulsam, quæ tot deos coluerit quot urbes habuerit, pro qua non sit orandum à propheta, quæ nimium fœdè tractauerit templum deo uero consecratum & solizin quo aras idolis erexerint Iudæi, & scelera abominanda perpetrarint: interim carnium sacrificijs impietates suas expiare præsumpserint, cum nihilominus præuaricando finem nullũ fecerint, sed exultauerint in rebus pessimis, & peccata sua sicut Sodoma prædicarint, homines dei & prophetas trucidarint, eodem cubiculo maritũ cum adultero amauerint, & expietate quæstũ fecerint, sacris omnibus abusi, ad incon Ingratitudo cõtra deum beneficum.

dita flagitia sua, sicut olim filij Heli, quibus sine dubio incomparabiliter peiores fuerunt sub tempus ultimum Ieremiæ & Babylonicæ uastationis, quum debuerint ex officio dilectissimi fuisse tribus Leuitica & Iudaica Hierosolymis.

16 ¶Oliuam uberem, pulchrã, fructiferam, speciosam uocauit dominus nomen tuũ. Ad uocẽ loquelæ, grandis exarsit ignis in eam, & combusta sunt fruteta eius.

Iudæa exaltata & humiliata.

Cum olim ô Israël & Iuda, timeres dominũ, & toto corde illũ coleres & amares, elegãtissimæ oliuæ te similem fecerat dominus, quæ uirentissimis ramis prominebas, gloriosissima tribuum, multitudine & fortitudine, fructus sanctitatis optimos proferebas, erasq; gratiosa & pulchra in oculis domini, quam & gloria & honore celebrem reddiderat præ omnibus gẽtibus. Nunc uerò ad famam contrariã pessimæ & maximæ peruersitatis tuæ, qua cũctas cæteras nationes superasti impietate sacrilegiorũ tuorũ, quid ni abscindãtur rami unus post alium, donec inutilis truncus supersit, & igne comburantur rami, frõdesq; illius? Quũ exaltareris à domino, nõ eum humiliter honorasti, ideo nunc blasphemiæ tuæ igne succenderis & redigeris in nihilum.

17 Et dominus exercituũ qui plantauit te, locutus est super te malum: pro malis domus Israël & domus Iuda, quæ fecerũt sibi ad irritandum me, incensantes Baalim.

Qui ergo te olim clemẽter plantauit, nunc pestilentẽ arborẽ seuerè excindit. Idq; nõ minus usui uenit tribui Iuda propter Baal suum quem coluit, quàm toti residuo Israëli, qui pariter me ad iracundiã prouocastis, ut ferre tantas iniurias indignũ fuerit, & tot orbẽ scandalis onerare de tua peruersitate exemplo carente.

18 Tu autẽ domine demõstrasti mihi, & cognouisti: tunc ostendisti mihi studia eorũ.

Reddit hic propheta fidei suæ quam in prædicãdo seruauerit rationem, hoc modo: Quæ ad hunc modũ, ô domine, usu uentura demonstrasti, ex fide omnia denuntiaui. At dum hæc sedulò facio, isti mihi struunt insidias, & inter eos quod indignissimè me habet, ciues mei Anathothitæ asperrimi sunt.

19 Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad uictimã, & nõ cognoui quia cogitauerunt super me consilia (dicentes:) Mittamus lignũ in panẽ eius, & eradamus eum de terra uiuentiũ, & nomen eius non memoretur amplius.

Prophetarũ pericula.

Dum tibi obediens prædico ueritatẽ, odium cõscisco mihi omniũ, non illis placentia, sed seuera prophetãdo. Cõtingit mihi ueluti agno uel boui, qui ad mactationem destinatur: inter manus enim hostium & laniorum detineor, euadere non præsumens, nec ipsorum sum in me tantas suspicatus iniurias, quãtas exercere indies deprehendo, qui de meo nihil illis denuntio, sed præcepto dñi eripere conor illos ab imminentibus malis, & persuadere pœnitentiam. Ipsi uerò contra me cogitant, ut aliqua ratione ex cibo mihi mortem conscisc ant, mortiferum aliquod miscendo uictui meo ut moriar: uel generalius, ut crucem misceant uitæ meæ, multis incessanter incõmodis afficiendo uitam meam, ut exterminem me de numero uiuentium in terra hac, & ut nomen quoq; meũ uel omnino deleãt de hæreditate paterna, uel male audire cogant me etiã post mortem. Sic fit enim sanctis prophetis, ut & hæretici appellentur, & uita priuentur ob ueritatem, nisi dominus succurrat.

20 Tu autem domine sabaoth, qui iudicas iustè, & probas renes & corda, uideam ultionem tuam ex eis: tibi enim reuelaui causam meam.

Vtcunque propter uerbum tuum uitæ insidientur & famæ impij, tu iustitiæ iudex causam quæ non tam mea est quàm tua nosti, & probas intima cordis mei, sciens dextrè me omnia dixisse & intendisse, nihil ex odio uel ira, sed fraterna charitate & zelo gloriæ tuæ. Proinde tu non solum me secundũ promissa propugnabis, sed etiam ueritatis hostes & pietatis punies, & me aspiciente ultionem sumes de eis qui te oderunt. Nam enim mea refert sed tua: si sinantur perpetuò concalcare gloriã tuam & seruos quos mittis. Tibi ergo resigno causam istam meam. Id autẽ non soli Ieremiæ contigit, sed omnibus prophetis, imò prophetarũ dominus Christo, qui ob ueritatẽ passus est lõgè atrotiora quàm hic Ieremias.

21 ¶Propterea hæc dicit dñs ad uiros Anathoth, qui quærũt animã tuam, & dicunt, Non prophetabis in nomine domini, & non morieris in manibus nostris.

Ciues Anathoth pfidiores erãt prophetæ quàm alij, utpote sacerdotes, qui minus ueritatis poterant ferre querimoniam, & oportebat extare inimicos prophetæ ex domesticis atrociores, & nullibi propheta contemptibiliorem esse quàm in patria. Contra quos dominum inuocat, quærentes ad mortẽ animã eius, nolentes eum ex uerbo domini uera loqui, sed ueluti secundũ carnis necessitudinẽ proximiores prohibere nituntur, ne bellũ & captiuitatẽ denuntiet urbi & populo, sed pacem & salutem templi & regni, alioqui ipsi illum sine ociosari tanquam hæreticum & publicum gentis hostem, quã nolint consentanei æstimari eidem apud cæteros sacerdotes, falsos prophetas & principes.

22 Propterea hæc dicit dominus exercituũ, Ecce ego uisitabo super eos: iuuenes morientur in gladio, filij eorũ & filiæ eorum morientur in fame,

23 & reliquiæ nõ erunt ex eis: inducã enim malum super uiros Anathoth, annũ uisitationis eorum.

Contra hos sacerdotes in Anathoth specialiter dominus prophetiã mittit, ut acerbius animẽtur in Ieremiã, nihil tamen illi nocere possint, ut uellẽt. Visitãdos prædicit dura uindicta perfidiæ, ut gladio morituri sint omnes illorũ fortes, electi, bellicosi, & integra ætate uiri cædendi ab hostibus. Filij autẽ & filiæ intra urbẽ fame enecandi sint in obsidione, ut nemo illorum superstes, sed pereant

pereant omnes suo tempore. Quos tamen Anathotitas Iudæi fabulantur conuersos ad meliora, quandoquidem in Neemia legantur relicti de eis centũ & uiginti octo. Verius autem intelligetur secundum morem scripturæ, ubi dum paucissimi relinquuntur de ualde multis, dicimus neminem relinqui. Non enim ueri simile est falsificatam fuisse prophetæ prædictionem, sed ex multis uel unus fauere potuit suo fratri prophetæ.

¶ CAPVT XII.

1 IVstus quidẽ tu es domine, si disputem tecum: ueruntamen iusta loquar ad te: quare uia impiorum prosperatur: bene est omnibus qui præuaricantur, et inique agunt?

Vtrum iustitia sit mutua, et conuertibilis.

Tractatur hic quasi per digressionem ea quæstio quæ & in Iob, Psalmis, Abacuc & Ecclesiaste uentilata est, Qui fiat, ut pessimis hominibus bene sit, Boni autem uiri uarijs iactentur casibus. Quam cum proponit, inuit sese indignis modis exagitari: quo fit ut & oratio uarie sit adfecta, nunc ad se, nunc ad deum directa, nonnunquam ad hostes sermone directo. Iustior quidem, ô domine, tu es, cuius uoluntas & iustitia est, & inobliquabilis, de qua nemo hominũ possit dubitare, multo minus arguere uel criminari iniustitiæ, ut nec ego contendere debeam de ordine operum tuorum iustissimo: ueruntamen non contentionis causa, sed inuestigationis loquar tecum quæ iuste dici posse uidentur. Quare, inquam, in hoc mundo, dum hic uiuimus mortales, uidemus impios prosperari in uita & actionibus, feliciter agere ferè omnes qui contemnunt iudicia tua, leges, & iustitiam?

2 Plantasti eos, etiam radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum: prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum.

Impij plãtati in locis fructi ferẽtibus.

Tua prouidentia uidentur plantati etiam qui impij sunt in felicissimum agrum, ubi crescant & proficiant feliciter, sed & radices egisse uidentur & solide subsistere in statu suo prospero, ut facile euelli non possint. Fructum quoq; propagare uidentur tam in prolis multitudine, quàm incremento rei familiaris, ut continuo sese superbiores gerant & impiores sint. Interim quoq; illius præstas protinus quicquid petunt, etiãsi tibi displiceant uota illorum, & de te nihil curent, & peßima consilia uersentur in cordibus illorum, & prouidentiæ tuæ nulla sit apud eos ratio.

3 Et tu domine nosti me, uidisti me, et probasti cor meum tecum. Congrega (exime) eos quasi gregem ad uictimam, & sanctifica eos ad diem occisionis.

Prophetarũ locutio.

Generaliter quidẽ dicta uidentur quæ præmissa sunt, de omnibus impijs Babylonicis scilicet regibus & principibus Iudæ & omnibus ubiq; impijs. Hic tamen sensus cogit intelligere referenda ad hostes impios prophetæ Ieremiæ, siue hi fuerint ciues patriæ suæ in Anathot, siue Hierosolymis: propter quos domino queritur angores suos, qui intus & in cute noscat qualis sit, & quàm pie sentiat de deo, & amice de patria & gente quantumlibet ingrata, quos tamen doleat in dei contemptum

& ueritatis prosperari, & uincere in causa prophetæ & uerbi dei, sed potius optat & precatur, eijciantur iudicio dei de prosperitatis suæ statu, & ueluti grex occisionis mactentur ut merentur, & ut ipsos sanctificet & præparet exterminio & interfectioni.

4 ¶ Vsquequo lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea? Consumptum est animal, & uolucre: quoniam dixerunt: Non uidebit nouissima nostra.

Terræ luctus.

Quandiu propter illorum perfidiam, quæ semper augetur, tota ipsa terra lugere cogitur & tam misere adfligi? ut tota squalere cernatur & arescere, incultaq; manere, ut ne herba quidem crescat, nec fructus omnis, propter malitiam habitantium in ea, sic ut nec iumenta, nec aues uictui suo pabulum inueniant, quod est extremæ uastitatis indicium, & iræ diuinæ, propterea quia perfidi illius coloni & habitatores cogitant secum atq; dicunt: Nihil deus de nobis curat, super cardines cœli perambulat, nec nostra considerat: falsa sunt & mendacia omnia quæ nobis suo nomine prophetæ ogganniunt, stulti quoque sunt qui eis credunt.

5 Si cum peditibus currẽs laborasti: quomodo cõtendere poteris cum equis? Cum autem in terra pacis securus fueris, quid facies in superbia Iordanis?

Irrisio prophetæ.

De me quoq; propheta in specie dicunt per contumeliam: Si cum peditibus currens defecisti lassus, quomodo contendes currere cum equitibus? Quasi dicant parabolicè, Cum in tenui esses oppidulo, instantiam et persecutiones tuorum ciuium & domesticorũ sustinere non potuisti, quomodo principes Iuda & magnates Hierosolymorum feres? Vel, si sententiam & conatus hominum scire non potes, quomodo prouidentiæ meæ causas inquirere præsumes? Et alia irrisione dicunt mihi: In terra pacifica tu quidem securus eras, sed quid facies in superbia Iordanis? quasi per prouerbium dicant: In patria tua quæ tranquilla est, & pacis studiosa, uerba tua & mores sustinere ciues non potuerunt, quomodo igitur urbem tot factionibus æstuantem tamq; opulentam laturus es, uel ipsa te feret, ut Anathot riuulus comparatione Hierosolymæ, quæ Iordanis fastus et superbia dicatur? Qui apud suos contemptus est, quomodo audietur ab alijs & maioribus?

6 Nam & fratres tui, & domus patris tui, etiam ipsi pugnauerunt aduersum te, & clamauerũt post te plena uoce, Ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona.

Quem fratres sui & domestici odiunt persequuntur & profligunt, & plenis uocibus accusationibusq; persequũtur, quibus alijs sese credere tutò possit? à quibus illum audire meliora continget?

7 ¶ Reliqui domum meam, dimisi hæreditatẽ meam: dedi dilectam animã meam in manus inimicorum eius.

8 Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua: dedit contra me uocẽ, ideo odiui eã.

Hebræi hos duos uersus legunt in persona dei, qui do-
Domus Israël derelicta. mum Israël dereliquerit destituendo auxilio suo contra hostes, qui & ipsi priores eum contempserint. Dimisi inquit & repuli hæreditatem meam, peculiarem olim meum populum & ex omnibus electũ, & quam ex animo dilectissimam habui, tradidi propter peccata sua in manus odientium eam Assyriorum & Babylonuorum. Rationem aũt huius derelictionis addit: Synagoga enim illa quam hæreditatis amantissimæ loco elegeram, facta est mihi uelut leo in sylua crudelis, quem accedere nemo audet sine timore iudicij, sine amore ad confratres, sine mansuetudine & fraterna charitate. Dedit contra me uocem suam: oppressorum orphanorum uiduarum & pauperum clamor ex ea ad me peruenit, ideoq; & odire eam cogor, & abijcere hostibus conculcandam: quæ & in Christi persona legi possunt, cui Iudaica plebs facta est ut leo crudelis, uociferatione crudeli in crucem attolli postulans Christum dominũ, & saluatorem beneficum omnium, qui illius imploraſſent salutem & auxilium.

9 ¶ Nunquid auis discolor hæreditas mea mihi? nunquid auis in circuitu super eam? uenite congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad deuorandum eam.

Synagoga auicula. Prophetia alia contra Israëlem & Iudam, cõparando scilicet synagogam auiculæ, quæ insidias & infestationes horribiles & continuas patiatur ab auibus ferotioribus circumuolantibus, irruentibus, dilacerantibus miseram. Nec solum aues infestãt, sed bestiæ agri omnes aduocantur, ut deuorent hæreditatem domini, Aegyptij scilicet, Assyrij, Babylonij, Græci, Romani.

10 Pastores multi demoliti sunt uineã meã, conculcauerunt partem meam: dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis.

Contra uitiatores in ecclesia. Quibus uineam meam locaueram colendam & populum regendum & docendum commendaueram principibus, sacerdotibus, prophetis, illi conculcauerunt doctrina & exemplo, pestiferis, hæreditatem meã, & occasionem dederunt tot tam flagitijs quàm etiam uindictis. Tanta populi mei calamitas accepta referri alijs nõ debet, quàm maioribus & rectoribus populi, qui omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ mea uel populi, nunc sua quoq; cum populo amissuri, dum redigetur in solitudinem populosissima omnium regionum, in desertum & uastitatem amœnissima prouintiarum & cultissima.

11 Posuerũt eam in dissipationem, luxitq; super me, desolatione desolata est omnis terra: quia nullus est qui recogitet corde.

Postquam ergo à Babylonijs & Assyrijs posita est in desolationem, propter reges & principes dominum deum renuentes, nihil superest ei, quàm ut gemat ac lugeat ad me, á quo solo pendet restitutio illius & salus. Eatenus enim uastata est & tam misere, ut in tota terra nemo sit cui doleat, qui corde percipiat, qui commiseretur, quod miseriarum summa & consummatio est.

12 Super omnes uias deserti uenerunt uastatores terræ, quia gladius domini deuorabit ab extremo terræ usq; ad extremum eius: non est pax uniuersæ carni.

13 Seminauerunt triticũ, & spinas messuerunt: hæreditatem acceperunt, & non eis proderit. Confundemini à fructibus uestris, propter iram furoris domini.

Non una tantum ex parte uastatores aduenient huic terræ, sed undiq;. Quaqua uersum prospicias gladium domini irruentem à terminis terrarũ uides, sine ullius euasione uel salute, quam ut sibi semper pollicebantur contra prædictiones prophetarum, ita experientur nusquam. Omnia illis in contrarium cedunt atq; decreuerant. Hoc est autem seminasse triticum, spinas autem messuisse: Hæreditatem prouentuum suorum esse rem nihili: & cum horrea referta sibi promiserint, confundentur ab expectatione sua, propter iram domini in præuaricatores legum suarum. Sic autem usu uenit impijs omnibus, qui ut aliquandiu salui sint & felices habeantur, sine timore dei, subito dum uult dominus extremus eorum luctus occupat & ærumna: ira scilicet domini, quam sibi thesaurizant in diem uindictæ & iusti iudicij, quæ est ipsorum digna hæreditas.

14 ¶ Hæc dicit dominus aduersum omnes uicinos meos pessimos, qui tangunt hæreditatem, quã distribui populo meo Israël: Ecce ego euellam eos de terra sua, & domũ Iuda euellam de medio eorum.

15 Et quum euulsero eos, conuertar, & miserebor eorum, & reducam eos, uirum ad hæreditatem suam, et uirum in terrã suam.

Nunc planissime expedit quæstionem, quod Israël nunc adfligatur non esse repudium uel abdicationem, sed correctionem & emendationem. Redituram enim se dominus promittit cum eis in gratiam, & gentes uniuersas quas & ipsas æque sit adflicturus, denuoq; sibi conciliaturus, dum dei agnitionem receperint, ut ita qui nunc repulsæ uideantur, suo tempore domestici fiant, ne nos mutuo siue bonos, siue malos appellemus: liberalitatis ac iustitiæ suæ esse, ut nunc istos cooptet, paulo uero post corripiat, alios autem aliquandiu abdicet, quos postea in filios familiàs referat. Futurũ est enim, ut omnes gentes qui olim propter fidem unius dei adflixerant Israëlem, iuraturæ sint per nomen domini: hoc est, eum uerum unicum & omnipotentem creditura & confessuræ sint, proq; fide tali inter populũ domini computandæ, quarum & miserebitur, & benefaciet.

16 Et erit: si eruditi didicerint uias populi mei, ut iurent in nomine meo Viuit dominus, sicut docuerunt populum meũ iurare in Baal: ædificabunt in medio populi mei.

Sicut exemplum gentes fuerunt Israëli factis & uerbis idololatriam docendo: sic olim Israëlitarum reliquiæ conuersæ ad dominum salutaribus monimentis & doctrinis inducẽt gentes, ad uniæ dei culturam, ut inserantur & ipsæ ecclesiæ filiorũ dei, & fiant filij Abrahæ secundum fidem, qua sola deo placuit & iustificatus est.

17 Quod si nõ audierint: euellam gentem illam

illam euulsione et perditione, ait dominus.

Si uero conuersi ad dominum per gratiam, iterum ut olim Iudæi abiecerint uerbum domini, & prophetas non audierint, redierintq; ad uomitum: auertar quoq; & ego, & destituam ueritate & gratia, donec etiam ipsos deleam de terra quam dederam.

¶ CAPVT XIII.

1 Haec dicit dominus ad me: Vade & posside (eme) tibi lumbare lineum, & pones illud super lumbos tuos, & in aquam nō inferes illud.

2 Et possedi lumbare iuxta uerbum domini, & posui circa lumbos meos.

3 ¶ Et factus est sermo domini ad me secundo, dicens:

Paradigma exemplū. Doctiores Hebræorum tradunt hoc paradigma uel exemplū reuelatū à domino prophetæ in somnis, ubi sibi uisus fuerit audisse et egisse quæ hic scribuntur: nō corporaliter emisse lumbare, & ad Euphratem ijsse & reddisse, ad illud abscondendum & referendum, & tamen reuera id factum iuxta scripturæ morem asseritur. Significatur autem eo exemplo Israëlitici populi familiaris electio & gratia insignis dei ad illum, qua arctior et syncerior fauor non possit intelligi, sicut nec propius corpori accedit quippiam quàm lumbare uel balteus, quem renibus ad caligas alligandum maiores nostri circundabant. Vt enim illud arcte cohæret, & non facile nolenti eripitur uel deponitur aut recidit: sic populum suū deus arctissimo amore & indissolubili charitate coniunxerat. Sed tamen ob perfidam & legis contemptum per grauia crimina abijciendum prædicit, redigendumq; in nihilum & in obprobrium, idq; per Babylonicam captiLumbare. uitatem iam tunc illis imminentem. Lumbare autem arcticctorium Hebræis est generali uocabulo: sed quod ad lumbos ponitur, uel renes, in aquam mergi non permittitur, ut diutius duret per naturam.

4 Tolle lumbare quod possedisti, quod est circa lumbos tuos, & surgens uade ad Euphraten, & absconde ibi illud in foramine petræ.

5 Et abij, et abscondi illud in Euphrate, sicut præceperat mihi dominus.

Propheta iam lumbare accinxerat, & aliquandiu gestatū extrahere præcipitur, ut Iudaici populi fœdus inictum ostendatur, & iunctæ fidei coniunctio quam ipse infregerit, propter quod et ad Euphratē exularit, ueluti in arctam cauernam captiuitatis recluſus, & in fortissimam petram à qua propria uirtute nequiret exire.

6 Et factū est post dies plurimos, dixit dominus ad me: Surge, & uade ad Euphraten, & tolle inde lumbare, quod præcepi tibi ut absconderes illud ibi.

Dies multi, anni fuerunt septuaginta, usq; ad Cyri regnum, qui licentiā concesserat redeundi, si non interim gentilitatis tabe cōputruissent, ut redire noluerint, præter paucos, comparatione remanentium.

7 Et abij ad Euphraten, et fodi, & tuli lumbare de loco ubi absconderā illud, & ecce, cōputruerat lumbare, ita ut nulli usui aptū esset.

Illud fodere quod pro assequendo lumbari adscribitur, numerum significat prouidentiam dei, qua & prophetas non paucos illic suscitauit, & claris miraculis gloriam suam ostendit, quibus reges gentium tam Babylonicos quàm Persarum & Medorum solicitauit & inclinauit ad manumittendum Israëlem, & remittendum ad erectionem cultus dei Hierosolymis, & restaurandum suum populum, qui in paucis extabat reliquijs, cum Sorobabele redeuntibus, alijs innumeris de decem tribubus et regno Iuda computrescentibus in suo stercore usq; ad præsens, quicquid de illis Iudæi fabulentur.

8 ¶ Et factū est uerbum dñi ad me, dicēs:

9 Hæc dicit dominus: Sic computrescere faciam superbiam Iuda, et superbiam Ierusalem multam,

Explicatur singillatim paradigma præscriptum. In summa, quia scilicet superbus & gloriosus populus regni Iudæ et Hierosolymæ uastabitur, transferetur in Chaldæam, & ibi computrescet.

10 populum istum pessimū, qui nolunt audire uerba mea, & ambulant in prauitate cordis sui: abieruntq; post deos alienos, ut seruirent eis & adorarēt eos, & erunt sicut lumbare istud, quod nulli usui aptum est.

Causa captiuitatis recitatur, quia malignus sit, et malitia assuetus, inobediēs præceptis diuinis à tempore da- Captiuitatis causa.
tionis legis, non contentus ceremonijs à deo concessis, sed iuxta proprias adinuentiones temere & superstitiose secundum gentium sacrilegia assumebat exteros cultus omnibus ferè temporibus. Nec id solū, sed deos ipsos gentium colendos suscepit contra legem eos adorando, donec in gentilitatem uersus computresceret in abominationibus suis, & in obliuionem & contemptum dei procederet. Ipse quoq; deo factus est abominabilis, non secus atq; lumbare putridum & fœtidum.

11 Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos uiri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israël & omnem domum Iuda, dicit dominus: ut essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam, & non audierunt,

Explicatio lumbaris clarissima de filijs Israël & Iuda: quæ tamen applicari possit, & reuera intelligi de Explicatio lumbaris.
omnibus gentibus, ad unius dei fidem & cultum uocatis, si post multa beneficia accepta Israëlitarum exempla peccando sequātur, ut sint simili quoq; iudicio dei abijciendi, & in uitijs cōputrescendi. Qui enim asciti sunt per uocationis gratiam in fœdus domini, ut adoptiui sint filij, hi quoq; si perfidia insolescant, durius à domino iudiciū sunt accepturi, et qui peculiaris populus facti sunt per fidem, fiunt quoq; damnationis mancipia per contemptum, si nolint obsequi præceptis domini iustis leuibus & utilibus.

12 Dices ergo ad eos sermonẽ istum: Hæc dicit dominus deus Israël, Omnis lagunc-
cula implebitur uino. Et dicẽt ad te: Nun-
quid ignoramus quia omnis lagũcula im-
plebitur uino?

Aliud exemplum.

Hoc paradigma aliud ad idem, acceptũ est ab ebriosis, qui gaudent plenis bono uino utribus, ut copiosius bibant et licentius meptiãt, unde in uitia multa per ebrietatem prolabuntur. Iudæis igitur corruptißimis per omnia mala ebriosorum proponit gaudium, ut dicat iubente domino sanctus propheta: Audite saltem nunc quid dicat uobis dominus, sic dicit: Omnis uter implebitur uino, per hoc intelligens uniuersos Iudæos calamitate implendos ad summũ, sicut lagena uel urna uino ab imo ad summum impleri solet, ut commodius digeratur & efferuescat. Ipsi uero de uino intelligunt solo corporeo, ignari troporum propheticorum.

13 Et dices ad eos, Hęc dicit dominus: Ecce
ego implebo omnes habitatores terræ hu-
ius, & reges qui sedent de stirpe Dauid su-
per thronũ eius, & sacerdotes, & prophe-
tas, & oẽs habitatores Ierusalem, ebrietate:

Ebrietas maiorum.

In primis habitatores terræ nominat, populum scilicet qui deum legem & prophetas odiebat, quibus reges applaudebant, sine solicitudine dirigendi populũ ad meliora. Sacerdotes quoq; quæstũ sectabantur magis quàm dei gloriam, ideo multos deos habere malebant quàm unum, & excelsa passim in montibus & syluis, quàm unum solum templum dei Hierosolymis, quod illis non sufficere uidebatur ad gloriam & auaritiam ipsorum satiandam. Prophetis quoq; falsis, populo regibus & sacerdotibus placere cupiẽtibus, terra implebatur. Omnes hi ebrij dicuntur malitia & infidelitate cõtemptúq; dei.

14 & dispergam eos uirum à fratre suo, &
patres, & filios pariter, ait dominus: non
parcam, et non concedam: neq; miserebor
ut non disperdam eos.

Alludit ad ebriosos, qui sese protrudunt, colliduntur insani à uino & impelluntur, cõsistere nõ potentes, quos uino ex calice Babylonico dñs sit potaturus, & inebriaturus. Non tantum patres qui in impietate profecerunt, & scienter uerbũ dñi reijciunt, sed etiã filios innocentiores, qui tamen à patrũ malitia non degenerant, praue instituti à parentibus: quorũ minime miserebor, nec parcam quo minus pariter obruam captiuitate omnes.

15 ¶ Audite & auribus percipite: Nolite
eleuari, quia dominus locutus est.

Non desperandum.

Vtcunq; sæua prædicat reuelata sibi à domino, non tamen de bonitate dei desperat, cupitúq; interim ex animo ut conuertantur, dum interim & illorũ crescit pertinacia, & iustitia dei clarior effulget, qui non cessat hortari, & uerbum suum non inuidere impijs, quos uult non mori sed uiuere, nihil obmittens quod ad reuocandum illos pertineat, qui tamen continuo magis inde superbiunt & contemnunt diuitias bonitatis dei.

16 Date domino deo uestro gloriam, ante-
quam contenebrescat, & antequam offen-
dant pedes uestri ad montes caliginosos:
expectabitis lucem, et ponet eam in umbrã
mortis, & in caliginem.

Gloriam deo dare peccatores, est agnoscere et fateri peccata propria, & de clementia domini fiduciã habere, reuereri illum, & quod ille monet suscipere. Ad hoc hortatur, ne præuenantur tenebris & nocte calamitatum, in quibus conuersionis occasio & potestas desit, utã iustitiæ non cernentibus præ animi tumultibus, & angustia, sed magis impingant, dũ diuerticula inquirunt quibus lateant, & lux diuinæ clementiæ quam spreuerant non luceat eis, dum qui sordent et peccant adhuc magis sordescunt & peiores redduntur. Cupit aũt fieri filios lucis et cõsolationis, si emendẽtur, et deo gloriã reddãt.

17 Quod si (hoc) nõ audieritis in abscondi-
to, plorabit anima mea à facie superbiæ.
Plorans plorabit, & deducet oculus meus
lachrymam, quia captus est grex domini.

Si ut hactenus uerbũ dñi non audieritis, & monitare spueritis, nõ restat nisi amarißimus fletus & angor conscientiæ internus & immedicabilis mœror inutilisq; poenitẽtia. Video enim ultima uos mala expectare, ob perpetuicacem superbiam, qua sub potenti manu dei humiliari non uultis, quod in grande uobis malum cedet, cuius deflendi pondus lachrymarũ uobis nulla ubertas sufficit: mihi quoq; amarißime lamentandi necessitas imponetur, dum reuera populi contritionẽ aspicere cogar, quẽ ex animo semper cupio saluũ & incolumem, et captiuũ in Babylonios q dei hæreditatẽ spernũt, et grex dñi esse nolunt, ideo uelut occisionis grex ducẽtur in Babylonẽ.

18 Dic regi & dominatrici, Humiliamini,
sedete: quoniam descẽdet de capite uestro
corona gloriæ uestræ.

De rege Ioachin & matre eius exponitur, qui in Babylonem primi ducendi erant, & tractandi contemptibiliter, nõ in solio regni consessuri, sed in paumento & carcere, absq; omni honore et splendore, quẽ tantopere amauerant & superbierant cõtra dominũ, & prophetæ admonitionem. Sic enim dominus de sede potentes iustẽ deponit, qui de sua potentia gloriantur, & dominum deo non reddunt gloriam.

19 ¶ Ciuitates austri clausæ sunt, & nõ est
qui aperiat: translata est omnis Iuda trans-
migratione perfecta.

Vrbes regni Iuda quod respectu terræ Israëliticæ euestralius est, sic claudentur, ut nemo ingredi uel exire possit, quia scilicet in totum uastabuntur, & in solitudinem redigentur ab exercitu Babylonis, qui de contrariis illis regione Aquilonari superueniet, ut in captiuitatem abducat residuos à morte. Totus Iudas dicitur exulare, quia sub Ioachin primores regni capti sunt, & tandem sub Zedekia residui omnes.

20 Leuate oculos uestros, & uidete qui ue-
nitis ab aquilone: ubi est grex qui datus est
tibi, pecus inclytum tuum?

Quasi iam aduenientes Babylonios ab Aquilone respicite & uidete ubi nunc sit grex populi Iudaici uestro

commissa regimini, ô rex & principes, quæ data est tibi ut saluares et protegeres, cui nunc pernicies uestra culpa imminet, simul quoq; splendor regni amittitur & perit, cum populo illustri, de quo superbieras, et in officio non seruaueras diuino, ut pie ac iuste uiueret, unde tibi gloria non modica accessisset, nunc autem confusio, captiuitas, & seruitus te tenent ignobilem.

21 Quid dices quũ uisitauerit te? Tu enim docuisti eos aduersum te, & erudisti in caput tuum. Nunquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem?

Regnum Iudæ alloquitur uerbũ domini: quasi dicat, Quid nunc es dicturus, quũ uideris uenientes exteras nationes Chaldæorum & Assyriorum, quos contra te dominus mittet, non ad saluandum te contra regem Syriæ uel Israël, ut olim, sed ad te uastandũ: iam tunc enim illos in auxilium aduocans cum de meo auxilio nil curares, nullq; consideres, docuisti eos uiam, qua olim te uastaturi incederent, ostendisti eis gloriam tuam quam desiderarent sibi quoq; rapere & uindicare, in caput tuum illos tunc accersisti. Nunc uenient ad perditionem tuam, quã ut parturiens fœmina uehementi cum dolore feres.

Auxilium dominũ non cõmentientibus.

22 Quod si dixeris in corde tuo: Quare uenerunt mihi hæc? Propter multitudinem iniquitatis tuæ reuelata sunt uerecundiora tua, pollutæ sunt plantæ tuæ.

Grauitatem criminum tuorum non perpendis, ideo quæris unde tanta tibi aduersa occurrant, quasi gens quæ iustitiam fecerit: cum in promptu responsio sit, & in manifesto opera tua impia, multa & grauia, propter quæ iuste dominus te confusioni exponit omnium gentiũ, auferendo protectionem suam à te, qua amota apparent maleficia tua & turpitudines crurium tuorum, quæ fœminæ diligentius retegere student. Quid enim aliud captiuitas Iudæorum agit, quàm ut gloria dei & iustitia mundo inclarescat, & simul durissima ipsorum ceruix ingratitudo & maleficia toto orbe prodantur, in contumeliam gentis & iustitiam dei?

Hypocrisis & ingratitudo.

23 Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus uarietates suas, & uos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.

Hæc autem uos tandem manet confusio, quia perpetuo mali estis, & irremediabili morbo laboratis, non secus ac Aethiops nigredinẽ carnis congenitã exuere non potest, & maculas suas pardus. Asueti enim estis à puero, & tam educatione quàm exemplo maiorum didicistis peruerse agere, ut aliud nesciatis, & pro consuetudine minime horreatis ab omni impietate & malitia.

24 Et dissipabo eos, quasi stipulam quæ uento raptatur in deserto.

25 Hæc sors tua pars mensuræ tuæ à me, dicit dominus: quia oblita es mei, & confisa es in mendacio?

Dispergam igitur uos leuissima opera, leuissimos homines in exteras remotasq; nationes: sicut stipulæ leues raptãtur à uento rapido, qualis esse solet australis à deserto incidens, ut in aquilonarem regionem adducamini in Chaldæam. Hæc tandem erit sors & portio tua, is finis nequitiæ, dissipatio in orbem uniuersum, qui semper rebelles fuistis spiritui sancto, occisores prophetarum, & uerbi dei osores, idolorum cultores, & iniqui in proximos iustitiæ & iudicij conculcatores, pauperum oppressores. Videtur enim hic locus non solum primam sed ultimam quoq; captiuitatem et abiectionem totalem indicare, ut qui semper mali & inemendabiles persueuerent, abijciantur à conspectu domini, et obedientior gentium ecclesia substituatur, quæ licet peccet, tamen deum non negat, nec abijcit uerbum domini, & domini dei sui non obliuiscitur, nec sperat in fallacijs, sed amplectitur ueritatem, & legem audit: quod si & ipsa quoq; deseratur dominum, non mirum nec indignũ, si à domino quoq; deseratur, ut supra habuimus.

Pœna rebellium Iudæorum.

26 unde & ego nudaui femora tua contra faciem tuam, & apparuit ignominia tua,

Verecundiora tua, id est improbitates, perfidiã, & turpissimos ritus tuos, quibus idolis seruiuisti, & quicquid turpitudinis occultæ habes unde uerecundari debeas, ꝑdam retegã et mundo ostendã, non aliter quàm si fimbriæ turpissimæ puellæ collectæ eleuentur super uultum, ut aspiciatur tota turpitudo, & misere cõfundatur.

27 adulteria tua, & hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ: super colles in agro uidi abominationes tuas. Væ tibi Ierusalẽ: non mundaberis post me: usquequo adhuc?

Stupebunt omnes gentes malitiam studiorum tuorũ, quæ tanti habita apud deum spernere ipsum potueris, et post tam gloriosa beneficia, postq; tot adhortationes, ausa fueris idololatriæ adulterijs te cõmaculare, tantaq; petulantia scortationes & impietates sectari in omnibus montibus & collibus, ut spurcitior fieres reliquis gentibus, quibus nõ tantam misericordiã ostendisset, nec tam familiariter sese reuelasset. Intelligent ergo nationes iustum dei iudicium circa Israëlem & Iudam, & dignam Hierosolymæ urbis uastationem, ob abominationes nimias à quibus nihil abhorruit, ut merito audiat: Væ tibi Ierusalem, quia non emendaberis unquam: citius enim tota uastaberis, quàm ut pessimos mores emendes. A qua maledictione sibi cæteræ gentes et urbes caueant, ne similiter peccantes similiter quoq; puniantur. Atroces igitur huiusmodi ac desperabiles minæ in loco, non sunt alienæ etiam ab eo propheta, qui nihil quàm salutem suorum quærit & optat: quales et in Isaia legimus, & Christus easdem non obmisit. Sic ènim nonnunquam instituisse apud ecclesias ad compunctionem conducit, ut est officium fidelium pastorum ecclesiæ discere ex sacris scripturis & ex moribus suæ ecclesiæ quomodo ueritatis doctrinam tractent, ad frugem ecclesiæ, & pro dei beneplacito & lege.

Iudæi exemplum gentibus.

Atroces minæ.

¶ CAPVT XIIII.

1 QVod factum est uerbum domini ad Ieremiam de sermonibus siccitatis.

Propheticus sermo est, de angustia annonæ, & famis inedia, quæ propter peccata acciderint

hominum, iuncta oratione ad deum, & correctione ad prophetas falsos, populum seducentes. Videtur autem hæc terræ sterilitas & pluuiarum inopia facta obsidionis tempore, ut omni ex parte tremendum illis iudicium domini occurreret, foris hostilis gladius, intra esuries & sitis, uno quippe fonte Syloë, & hoc non perpetuo utitur ciuitas, ut pluuiarum defectus sitis quoq; necessitatem induxerit.

2 Luxit Iudæa, & portæ eius corruerunt, & obscuratæ sunt in terra, & clamor Ierusalem ascendit.

Vbi aquarũ defectus est, ibi nec homines, nec iumenta uiuere possunt, & terra necessario neglecta uelut lugere uidetur, sicut exultat colonijs & cultura, hominumq; frequentia: hominesq; clamare coguntur ad dominum, & ad diuites dum fame periclitantur aut siti.

3 Maiores miserunt minores suos ad aquam: uenerunt ad foueas: non inuenerunt aquam, reportauerũt uasa sua uacua: confusi sunt, & aflicti, & operuerunt capita sua.

Qui potestate uel diuitijs præstant, mittebant minores ad afferendam aquam pro potu, & in puteis quoq; non reperiebatur, domino ultionem sumente de impijs, ut iam sæpe promiserat per prophetas: propter quod et apud se confundebantur, sed non emendabantur. Opertione quidem capitis pœnitentia fingebatur, quandiu duraret anxietas, non tamen fide & humilitate conuertebantur ad dominum.

4 Propter terræ uastitatem, quia non uenit pluuia in terram, confusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua.

5 Nam et cerua in agro peperit, et reliquit: quia non erat herba.

6 Et onagri steterunt in rupibus, traxerũt uentum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.

Exaggerationes sunt calamitatum, ut fieri solet, dum inopia rerum omnium laboratur. Humus enim pluuiarum carentia horret, agricolæ frustra sudant, animalia anxia circumcursant per agros, cum nec aqua sucurrit, nec uiridis herba.

7 Si iniquitates nostræ responderint nobis: domine fac propter nomen tuũ, quoniam multæ sunt auersiones nostræ, tibi peccauimus.

Deplorat causam tanti mali: peccata scilicet hominum, quibus uicẽ rependit deus iustam, adflictiones immittendo eis, qui gratiam conditoris nõ agnoscunt. Nec aliud allegari potest quàm bonitas dei, qua permoueatur ad ignoscendum etiam indignis. Non hic Letaniæ sanctorum inducuntur, nõ sacrificia: sed cor contritum, & humiliter culpam profitens, & gratiam implorans. Discimus quoties ingruunt sterilitates et pestes, causam nos reijcere debere in peccata nostra, pro quibus offensus dominus clades immittit, & conuersis reconciliatur.

8 Expectatio Israël, saluator eius in tempore tribulationis: quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi uiator declinans ad manendum?

9 Quare futurus es uelut uir uagus, ut fortis qui non potest saluare? Tu autem in nobis es domine, & nomen tuum inuocatum est super nos, non derelinquas nos.

Fideles qui & Israëlitæ dicuntur & sunt, nullius spem salutem expectant quàm domini, non currunt ad idola uel maleficos, eidẽ soli conqueruntur suas angustias, oramq; ut peccatis suis auersatus & alienatus, ueluti desertis, miseros & peregrinas usitans regiones ipsis desertis, iterum redeat per gratiam & beneficia, clementer afflgiendo humiliatos & emendatos, ut appareat non saluandi impotentia, sed ultionis iustitia in die puniendum contumaces adfligit, & conuersis ad meliora indulget, & quod iratus abstulerat, reddat placatus. Quum igitur planè saluare possis, ô domine, oramus ut uelis: quandoquidem non ignoras quibus filij tui indigeant, quos non deseris per præsentiã, qui nusquam abes: promisisti nobis propitiationem è sanctosanctorum, si te deuote inuocaremus in aduersitatibus: populũ tuum nondum abiecisti, sed habitas nobiscum, & nos populus tuus appellamur, & à te electi sumus ex omnibus gentibus, ne ergo in tanta angustia nos negligas & dimittas.

10 ¶ Hæc dicit dominus populo huic, qui dilexit mouere pedes suos, non quieuit, & domino non placuit: Nunc recordabitur iniquitatũ eorũ, et uisitabit peccata eorum.

Insynceram deuotionem, & coactã malis pœnam: fictam, horariamq; humiliationẽ, uerbum domini imperat impijs. Nõ enim tam amore dei & fide, quàm prouati commodi gratia dominũ requirunt. Facillime enim utrunq; in latus, prosperitatis tempore idola colunt, à quibus in angustijs destituti, coacti recurrunt ad dominum, statim emersi malis ad uomitum reuersuri. Quomodo gens talis domino non displiceret, quæ malignari non cessat nisi coacta impotentia? Quũ igitur hoc pacto oratur ab impijs, dominus reminiscitur peccatorum, & non exaudit, sed durius irascitur, & peccata uisitat puniendo, nihil enim ex fide fieri conspicit, qua sola delectatur.

11 Et dixit dominus ad me: Noli orare pro populo isto in bonum.

Non solum orantes hypocritas nõ audit dominus, sed nec pro eis prophetas & sanctos orantes exaudit, ideoq; iubet ne intercedere pro perfidis audeant, ad bonũ ipsorum. Orare aũt sinit, si uindictam à dũo impietatis & crudelitatis inclament, ut non raro apud prophetas legimus ubi contra impios orationes offerunt, ut uexationem intellectum dante, uel emendentur, uel occisi desinant malignari.

12 Quum ieiunauerint, nõ exaudiam preces eorũ, & si obtulerint holocaustomata & uictimas, nõ suscipiam ea: quoniam gladio, & fame, & peste consumam eos.

Ieiunia seruiunt orationi, sine qua domino non tam quàm topere probantur. Orationibus quoq; laudes domini cõ-

misceantur

miſcentur, cum gratia & clementia pietaſq; cœleſtis patris commemoratur, cum gratiarumactione de præteritis beneficijs, ut denuo exorata donentur. Sacrificia denique & oblationes nõ placent, niſi offerentis conſcientia & deuotio placeat. Quin magis irritatur dominus ad ulciſcendam malitiam, ſi ex diſciplina, quam adhibet ut pater, non conſpexerit fieri meliores. Ideoq; & Iudæos orantes minime exaudiebat, quia perſiſtebãt præuaricando uerbum domini, & perſequendo Ieremiam, donec muri irrumperentur ab hoſtibus Babyloncis, & omnia uaſtarentur in urbe.

13 Et dixi, A, a, a, domine deus, Prophetæ dicunt eis, Non uidebitis gladiũ, & fames non erit in uobis, ſed pacem ueram dabo uobis in loco iſto.

Excuſat ut poteſt cæcitatem populi, quam reijcit in falſos prophetas, qui inducunt populum, alioqui pronum ad mala, ut non timeant calamitates, quæ nullæ eis ſint affuturæ, ſed pacis firmitatem pollicendo ſeducunt, & in perfidia detinent. Nihil ergo perniciosius reipublicæ prophetis falſis, qui uel ſua quærunt, uel populo per omnia complacere conantur. Qui uerbum domini non ſolide, ueraciter, & ſine timore, clare prædicant, illis imputantur digne tam ſpirituales quàm temporales incommoditates.

Falſi prophetæ pluriũ perniciẽ.

14 Et dixit dominus ad me, Falsò prophetæ uaticinantur in nomine meo: non miſi eos, & non præcepi eis, neq; locutus ſum ad eos: uiſionem mendacem, & diuinationem, & fraudulentiam, & ſeductionẽ cordis ſui prophetant uobis.

Prophetæ diligẽdi.

Non temere prophetæ ſunt audiendi, ſed hi qui uerbum dei, hoc eſt, claram adferunt ueritatem, non cõmiſcuunt de proprio aliquid ad faſtum uel quæſtum, ut liquido uidere licet ex orationis ſtatu: qui quoq; à domino mittuntur, electi ſcilicet ab eccleſia, uel ſpeciali aliqua reuelatione, quæ dignoſci poſſit ab eccleſia: qui quoq; ex fructibus cernantur zelare dei gloriam, et exterminationem uitiorum, plantationem fidei, & morum bonorum: qui non ex fabulis, augurijs, ſomnijs, uiſionibus, ſui capitis prædicent, ſed ex lege domini: qui non ad prurientium auribus tantum, ſed ad formandas conſcientias ſtudeant. Hæc aũt non difficile eſt dinoſci prudentibus, et ſpiritu domini nõ omnino uacuis. Qui fuerint aũt populi deceptores, tã Iudaici quàm Chriſtiani, liquido conſtabit eis qui prophetias corũ ad ſcripturæ diuinæ amuſſim expenderint, fructus quoq; prouenientes guſtarint aliquãdo.

15 ¶ Idcirco hęc dicit dominus prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non miſi, dicentes, Gladius & fames non erit in terra hac: In gladio & fame conſumentur prophetæ illi:

Caueant pſeudoprophetæ ne qui decipiendo lactant populũ dei, & ipſi pereant cum deceptis, et iaceant inſepulti, ignominioſe traducti, coram hominibus deo odibiles & damnati cum patre mendacij. Verbum domini ubiq; clamat, impietati ſtudentes & dominũ non timentes aliquando gladio, fame, peſte, feriſq; puniendos, etiã in hac uita. Qui igitur taliter peccantibus ſalutẽ prophetant, planè conuincuntur populi ſeductores, falſiq; prophetæ, cũ populo ipſo qui illis libẽter auſcultat iudicãdi.

16 & populi quibus prophetant, erũt proiecti in uijs Ieruſalem præ fame & gladio, & non erit qui ſepeliat eos, ipſi & uxores eorum, filij & filiæ eorum, & effundam ſuper eos malum ſuum.

Populus cauſa falſi dogmatis.

Sæpe populus cauſa eſt falſæ doctrinæ, dum non uult audire niſi placentia, auribus prurientes, prædicantes ea quæ non inuite amplectantur, & lenia ſint, ne mores mutare cogantur & ferre diſciplinam. Hi proijcientur ad plateas Ieruſalem, prodentur cum ignominia nequitiæ eorum, & à ſanctorum conſortio excommunicabuntur tam prophetæ quàm diſcipuli credentes illis: ſicut & in uaſtatione Babylonica falſis prophetis contigit, ut cum populo quem deceperant uaſtarentur.

17 Et dices ad eos uerbum iſtud, Deducãt oculi mei lachrymam per noctem & diem, & non taceant: quoniam contritione magna contrita eſt uirgo filia populi mei, plaga peſſima uehementer.

18 Si egreſſus fuero ad agros, ecce occiſi gladio: & ſi introiero in ciuitatem, ecce attenuati fame. Propheta quoq; & ſacerdos abierunt in terram, quam ignorabant.

Reſumptio eſt & inculcatio prædictorum, exaggerando malum imminens, ut ad ſufficientiam deſleri non poßit, etiam ſi die noctuq; lachrymis oculi ſtillent, et ſine ceſſatione: contritionẽ ſcilicet urbis, et populi, ſic ut ob oculos uelut oĩa depingat, intra muros peſtẽ, famem, ſeditionẽ, perfidiam, iram et odiũ, in agro paßim occiſorum corpora proiecta auibus primùm deinde feris. Omnia aũt ſine perſonarũ reſpectu: propheta in primis nominatur, deinde ſacerdos, quorũ ſi qui ſuperfuerint in regiones remotas et incognitas relegantur exules et capti.

19 ¶ Nunquid proijciens abieciſti Iudam? aut Sion abominata eſt anima tua? Quare ergo percuſſiſti nos, ita ut nulla ſit ſanitas? Expectauimus pacem, & nõ eſt bonum: & tempus curationis, & ecce turbatio.

Tentat quidem orationem, ſed non ſinitur abſoluere, quia nõ exaudiendus, ut lamento ſimilior ſit quàm precatione. Nunquid tam indignanter abieciſti Iudaicum populum? num tædium te cepit templi & cultus, qui ibi delatus eſt tibi? Cur ſic percußiſti nos incurabiliter? Expectabatur ſalus & pax, & nihil boni ſuſcipitur: plaga quoq; continuo fit deſperatior atq; pernicioſior, & turbatio formidoq; amplior.

20 Cognouimus domine impietates noſtras, iniquitates patrum noſtrorum, quia peccauimus tibi.

21 Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum, neq; facias nobis cõtumeliam: ſolij gloriæ tuę recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiſcum.

22 Nunquid sunt in sculptilibus gentiũ qui pluãt? ut cœli possunt dare imbres? Nónne tu es dominus deus noster, quem expectauimus? Tu enim fecisti omnia hæc.

Affectus uarij prophetarum.

Varij affectus sancti prophetæ nũc pro dei gloria cõtra gentis suæ contumacẽ perfidiã, nunc pro emendatione eiusdem instat apud dei clementiam. Dolet illi clades Iudaica, sed iustitiam dei saluam quoq; cupit, ut nunc irascatur impijs, nunc imprecetur mala, nũc obsecretur, nunc moneat, nunc oret, nunc cõfiteatur, nunc desperet, &c. Omnes efficacissimæ orationis neruos tangit in hac supplicatione, in qua cum non potuerit exaudiri, quin procederet dei in populum ultio et sæuiret, non uidetur qua oratione sit tentanda clementia dei, nisi fide & iustitia resumptis, quibus placatur dominus. Confitetur omnium nomine peccata et impietates tam populi sui quàm maiorum, clementiam implorat, gloriam diuini nominis allegando obtendit, nullius sancti merita, solium gloriæ, templum in orbe unicum suo nomini cõsecratum reuocare nititur in memoriam: fœderis quoq; initi perseuerantiam inculcat: sanctorum in populo fidem confitetur, qui cœlorum & terræ rectorem agnoscunt, qui pluuias demittat & imbres. Spem quoq; quæ non confundat, & quam spernere non possit, qui sit uniuersorum dominus. Vt autem in sua tunc causa exauditus non fuerit, longe tamen felicissime hæc cecidit oratio prophetæ, cum gloria dei, quam unice spectabat, aucta uidetur, eo malo in omnes gentes, terras, & tempora, ut testatur totus ab illo tempore orbis, et prophetæ illi posteriores.

¶ CAPVT XV.

1 ET dixit dominus ad me, Si steterit Moses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: Eijce (illos) à facie mea, & egrediantur.

Cum sic orassem respondit mihi dominus: Quanquã te mihi amicum & seruum ex utero elegerim, non tamen tua causa uel prece mouebor ad gratiam illi populo impartiendam: quin & si te non parum sanctiores ij duo prophetæ & duces gratissimi amici Moses & Samuel suo more anxie pro hoc populo intercederent, non obtinebunt ut illis parcam, & animo reconcilier, quo minus quod contra eos decreui statuam: quandoquidem & ipsi quoq; persistunt in sua perfidia & impietate, quantumlibet nunc cuadere cupientes humiliatos se fingant. Ideoq; iterũ impero tibi, ut eijcias eos à facie mea, hoc est, denunties eis eijciendos iuxta sententiam pronuntiatam ex terra sua in exilium, ad quod egredientur, qui scilicet à strage ferri, famis & pestis restabunt.

2 Quòd si dixerint ad te, Quò egrediemur? dices ad eos, Hæc dicit dñs, Qui ad mortem, ad mortem: & qui ad gladiũ, ad gladium: & qui ad famem, ad famem: & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem.

3 Et uisitabo super eos quatuor species, dicit dominus, Gladium ad occisionẽ, & canes ad lacerandum, & uolatilia cœli & bestias terræ ad deuorandũ & dissipandum:

4 & dabo eos in feruorẽ uniuersis regnis terræ propter Manassem filium Ezechiæ regis Iuda, super omnibus quæ fecit in Ierusalem.

Audient consequenter quò sint eijciendi, aliqui eorum occidentur gladio, quidam lue pestilentia morientur, pars ipsorum alia fame deficiet, reliqui capientur & dispergentur in Babyloniorum regna, reliquis infeliciores: male enim tractabuntur à gentibus, & seruitute subijcientur infami, dubia semper uita, & uagi in regionibus, nunquam sine formidine uel mœrore. Ad ultimum non solum illis inferam ob præsentem eorum malitiam, sed ut dudum prædixi & contestatus sum, propter Manassem peßimum regem, qui tamen ex optimo patre genitus Ezechia, melior & religiosior esse debuerat. Sed tanto mihi is magis inuisus est, quanto per manus sancti patris traditam sibi restitutam pietatem seruare magis debuerit, sed ob populi malitiam et principũ suamq; impietatem magis insaniuit, ut sanguine innocentum & prophetarum meorum Hierosolymam impleuerit usq; ad summum.

5 Quis enim miserebitur tui Ierusalem? aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?

Non mereris condolentiã in malo quod eueniet, quia impio regi consensisti in impietate & sacrilegio, ut te etiam hac parte excusare nequeas, quando & filium impium ipsius Amon fouisti, & optimi Iosiæ reformationem, piißimumq; institutum minime seruasti, sed omnes filios & posteros impios tulisti, & prophetis meis pariter restitisti, & in hoc usque tempus contumaciter beneplacito meo etiam agnito non consentis.

6 Tu reliquisti me, dicit dominus: retrorsum abñstit: & extendam manum meam super te, & interficiam te: laboraui rogans.

Quia enim deseruisti me, & à fide mihi debita defecisti, retro respiciendo cum manum admouisses aratro, & post deserta idola sub Ezechia et Iosia te denuo contaculasti, & illorum te cultui consecrasti: ideo aliud nũ superest quàm ut extenta manu te feriam, non iam ad emendationem quam uanè expectaui, sed ad uastationem & exterminium quod commeruisti, sic ut nullis posthac orationibus piorum, uel hypocriticis ceremonijs impiorum retinear diutius.

7 Et dispergã eos uentilabro in portis terræ: interfeci & disperdidi populum meũ, & (tamen) à uijs suis non sunt reuersi.

Dißipabo et dispergam eos in multas passim urbes, ne pariter consistentes sese iuuare posint solatio, consilio, uel auxilio, non augebo eos prole tanta, ut dum essent pariter & in sua terra. Disperdam eam qui meus fuerat populus, ut intercidant illorum familiæ, origines, tribus, et genealogiæ, de quibus in primis gloriabantur, quia à uijs et sacrilegis suis moribus reuerti nulla ratione uoluerunt.

Multiplicatæ

8 Multiplicatæ sunt mihi uiduæ eius super arenam maris: induxi eis super matrẽ adolescentis uastatorem meridie: obruam eam repente ciuitatem, & terroribus.

Augere uis diuit.

Præteritum pro futuro, quia certò decretum infalliBiliter erat futurum. In magnum numerũ augebo uiduas eorum, maritis occisis, filijs autem huiusmodi uiduarum, & electis robustisq; militibus inducam uastatorem, sine dubio clara die interficiendis, urbemq; Hierosolymam dum nõ credunt, & prophetas prædicentes hanc cladem male tractant subito obruam, & horrore stuporeq; conficiam, ut se tueri nullo possint consilio uel robore.

9 Infirmata est quæ peperit septem, defecit anima eius, occidit ei sol, cum adhuc esset dies: cõfusa est, & erubuit. Et residuos eius in gladium dabo in conspectu inimicorũ eorum, ait dominus.

Sterilitas laudata.

Non gloriabuntur tunc matres de multitudine filiorum, sed tanto erunt infeliciores, dum omnes continuo trucidari conspicient, & exhalare spiritum ipsæ quoq; matres cupient cum filijs, exanimabuntur quoq; præ uehementia angoris: omni suo gaudio fraudabuntur, maritis, filijs, patria, possessione spoliatæ simul, ut nullo solatio illis sol splendeat, tanta calamitate enecatis: sed confusione, ignominia & obprobrijs omnia plena sint, sine omni spe uel solatio etiam propinquorũ uel necessariorum. Omnes enim gladio feriam, ait dominus, & prosternam coram hostibus uiros, ne sit qui iniuriatis misereatur uerbi dei & prophetarum iustitiæ & pietatis proditores in omni gente & tempestate.

10 ¶ Væ mihi mater mea: quare genuisti me uirum rixæ, uirũ discordiæ in uniuersa terra? Non fœneraui, nec fœnerauit mihi quisquam: omnes maledicunt mihi.

Prophetæ exclamatio.

Affectus exprimitur prophetici spiritus, qui post tot horribiles clades præuisas & prædicatas, non auditur à suo populo, sed ut freneticos furere cernit, desperabundus exclamat, cupiens in tanto rerum discrimine nõ extare, imò non se genitum à matre, præ difficultate rerum & malitia gentis, tædio uitæ tentatur, & se infelicissimum lamentatur, exemplum referens prophetis omnibus, quorum est difficillima prouincia, tantoq; grauior, quanto fuerint sanctiores, pro officio enim suo bellum gerere cum uitijs & uitiosis continuum iubentur, & hostes sentire totam gentem, etiam necessarios iuxta carnem, ut domesticis quoq; conuiuere non tutò sinatur. Et quanto innocentior sit conuersatione, & ad omnes æquior, & zelo uirtutis ardentior, quem exemplo & sermone commendat: tanto impijs, quorũ semper maior est numerus, fit intolerabilior, qui eum uelint perditũ, quem etiã quibuscunq; libet cõtumelijs degrauant & onerant, proscindũtq; iniurijs. Id Christo, apostolis, et pphetis usuenit, et nõ mutabitur, ut et functionis suæ prophetæ miseriãs æquanimius sufferãt, et pij homines illos fidelius et diligentius defendant cõtra perfidos, quandoquidem sal sunt mundi, & salus omnium piè uiuere contendentiũ.

11 Dicit dominus, Si non reliquiæ tuæ in bonum, si non occurri tibi in tempore afflictionis, & in tempore tribulationis aduersus inimicum.

Consolatio bonitatis diuinæ ad prophetã, lamentantem suas miserias, cui promittit perpetuã fidelemq; assistentiam in aduersis. Certe, inquit, dirigo ego te & docco ad omne bonũ tuum, & populi te audientis: et quoticscunq; tibi occurrunt aduersa ego succurro, ex mo, defendo ab hostibus, ut promisi sic reddo auxilium.

12 Nunquid fœderabitur (conteretur) ferrũ ferro ab aquilone, & æs?

Defendo te, inquit, cur ergo hostẽ quemcũq; timeas, etiã si ferreus sit, et ferrũ intentet? cum ego te quoq; æneum & ferreũ fecerim contra domum Iuda, & omnes hostes ueritatis & pietatis. Assistentiam deus pollicitus est, et exhibet seruis fidelibus, contra insultus peruersorum, pro uerbo suo, quo sint fidentiores & alacriores.

13 Diuitias tuas & thesauros tuos in direptionem dabo gratis in omnibus peccatis tuis, & in omnibus terminis tuis:

Refertur sine dubio hoc ad populum Iuda, ad quod etiam prior uersus referri potest, si iuxta ueterẽ translationem interpretemur, fœderare & amicitiam inire pro adfligere, cum Hebræum uerbum ambiguum uideatur. Et clarus est sensus, impios Iudæos non posse conciliari cum impijs hostibus Chaldæis uel alijs, & Iudæorum omnem substantiam & diuitias diripiendas & auferendas uiolẽter sine pretio, idq; propter peccata ipsorum, et per omnes terminos, nulla urbe uel regione euadente communem cladem, sicut et in omnibus terræ angulis idola erexistis ad me irritandum.

14 & adducam (ad) inimicos tuos ad terrã quã nescis: quia ignis ardet in furore meo (&) super uos succensus est.

Iussu & opera mea transferet te hostis tuus in ignotam tibi regionem peregre. Stat enim firmiter uindictæ meæ decretum de uobis perdendis, ignis iustitiæ meæ succensus est, & in te ardebit, & adfliget te, qui gratiæ meæ rorem spreuisti, qui monita risisti, uerbera perferes & dolebis.

15 ¶ Tu scis domine, recordare mei, & uisita me, & tuere me ab his qui persequũtur me. Noli in patiẽtia tua suscipere me: scito quoniam sustinui propter te opprobrium.

Oratio prophetæ.

Propheta ad dominum orat, Tu ô domine qui solus omnia nosti, oro in tot periculis & persecutionibus, in tam ardua functione, qua tuo nomine premor, recorderis mei, uirtutem & gratiam largiendo, ut constanter munar, & non deficiam in tribulatione: non sinas obrui me malignitate persequentium iustitiam tuam: ne longanimiter feras impios uerborum tuorum hostes, sed cito tollas me à periculis tantis, & obprobrijs, quæ pro te fero. Vtcunq; enim paratus esse debeat dei seruus ad magnanimiter omnia toleranda pro deo, potest tamen non raro dominum orare, ut humiliet & opprimat impios, & det locum pacis & salutis fidelibus.

16 Inuẽti ſunt ſermones tui, et comedi eos: et factum eſt mihi uerbum tuum in gaudiũ & in lætitiam cordis mei: quoniam inuocatum eſt nomen tuum ſuper me domine deus exercituum.

Inuenta ſunt mihi uerba tua, incidi in ea, & ueluti theſaurus mihi obuenerunt dono tuo, quæ & auide deuoraui non ſine ſumma uoluptate, complector, meditor, & rumino, ut prædicem uoluntatem tuam. Pijs enim hominibus ſumopere grata ſunt eloquia domini, ſuper quibus ſibi gratulantur tanquam pro copioſis ſpolijs & pretioſis. Nec erubeſcunt de uocatione ſua uel obſequio diuino, ſed ut nomini ſuo quo ſerui dei uocantur ſatisfacere ſtudent, quod loco ſummæ gloriæ ducunt.

17 Non ſedi in conſilio ludentium, & gloriatus ſum à facie manus tuæ: ſolus ſedebã, quoniam furore (*comminatione*) repleſti me.

Non conſenſi ſtudijs contemnentiũ uerba tua, & iuſtitiam fidei uel morum ridentium. Nec illorum conſilijs uel ſecretis interfui, ſed abominatus ſum. Exultaui autẽ & delectatus ſum de iudicijs tuis iuſtis, quibus non raro manifeſte impios damnas, & quo minus noceant opprimis, conatuſq; illorum irritas. Interim tamen dum illos ferre cogor & regnare cõſpicio, ſolus deliteſco, & mecum maneo, quia dies mali ſunt, quos quia auferre non poſſum odio, iraſcor, & tuam imploro bonitatem, donec tibi placeat ut finiantur & ceſſent.

Dolor et miſeria prophetæ.

18 Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis renuit curari? facta eſt mihi quaſi mendacium, aquarum infidelium.

Nónne ſines me dolere perpetuò, dum cogor uidere impietatem ſeſe erigentem contra uoluntatẽ tuam, contra piorum ſtudia furentem, & pro te idola quæ odiſti colentem, & plaga populi mei, qua iuſte puntur, cæcitate, perfidia, bello, fame, peſte, ſemper incurabilis eritꝰ Num ſemper mihi indignaberis, & aquas conſolationis gratiæq; prohibebis, fraudabiſq; deſyderio gloriæ tuæ, ut dum ſpero felicia, ſentire cogar aduerſa, & dum tua indigeo gratia, tram ſentiam?

19 ¶ Propter hoc hæc dicit dominus, Si conuerteris, conuertam te (*&*) ante faciem meam ſtabis: & ſi ſeparaueris pretioſum à uili, quaſi os meum eris: conuertentur ipſi ad te, & tu non conuertêris ad eos.

Ad hæc prophetæ deſyderia ſic dominus reſpondet: Si uel tu uel populus cui prædicas conuerſi fueritis ad meliora, nõ dubites quin ego uos quoq; reſtituam in priſtinam gratiam & felicitatem, ut mihi pacifice ſeruiatis in hæreditate ueſtra, & ſim uobis deus futurus, ſi uos meus populus eritis, uel eſſe uolueritis, & ſi produxeris pretioſum à uili, ſi electos meos uerbo & officio tuo in officio cõſeruaueris, ut non ab impijs uel eorum conſortio corrumpantur, uel uerum à falſo, iuſtum ab impio, mundum ab immundo diſcreueris, probatus mihi ſeruus eris, ſi propter eorum malitiam à tua iuſtitia non relabaris, ſi ad ipſorum inſtantiam & perſecutiones à uia

ueritatis quam oſtendi tibi non deflexeris, placebis mihi. Fietq; hac tua conſtantia, ut aliquando conuertantur impij ab impietate ſua, & fiant tibi ſimiles, acquieſcant prædicationi tuæ, & iuſtificentur. Tu uero locum tuum non deſeres, à iuſtitia non declines, impietati illorum non conſentias, nec ceſſes dignũ te exhibere miniſtrũ meum, ne unquam deprauceris.

20 Et dabo te populo huic in murum æreũ, fortem: & bellabunt aduerſum te, & non præualebunt tibi: quia ego tecum ſum ut ſaluem te, & eruam te, dicit dominus.

21 Et liberabo te de manu peſſimorum, & redimam te de manu (*uiolentorum*) fortium.

Conſtantia tua in bono faciet te æneum & inſuperabilem murum, qui expugnari non poßit quantumlibet impugnetur ab impijs. Fortior eſt enim ueritas mea quàm illorum malitia, ipſi uaſtabuntur, tu ſaluaberis, occidentur hoſtes tui, & tu cladem illorum tutus ſaluus uisq; aſpicies. Nec id ſoli Ieremiæ, ſed fidelibus uerbi miniſtris & pijs in hoc mundo preſſuram patientibus omnibus promittitur & ſtatuitur. Saluantur enim à deo mino, & gratiam conſtantiæ aſſequuntur, qua perrumpant incolumes aduerſa quæcunq;, & ueluti in faſciculo colligati ſeruantur à domino, & poßidentur ad gratiam & gloriam, non ſuis meritis, ſed gratia dei qua eximuntur à periculis mundi & peccatorum.

¶ CAPVT XVI.

1 ET factum eſt uerbum domini ad me, dicens:

2 Non accipies uxorem, & non erũt tibi filij & filiæ in loco iſto.

Alius ſermo eiuſdem argumenti, propter idololatriã & proditam iuſtitiam imminere captiuitatem. Non uetat tamen abſolute prohibet cœlibem eſſe, ſed in eo loco, Hieroſolymis ſcilicet, & in terra Iuda non ducere uxorem, ne calamitatis ingruentis plures eum contingat habere conſortes tantoq; ſit infelicior. Alioqui honorabile eſt ex lege connubium, & caſta generatio eſt cum claritate: tribulationes tamẽ patiuntur huiuſmodi, quas lutram hanc domum inhabitantes nuſquam non ſentiunt, quas tamen fide & charitate ſanctè tolerantur.

3 Quia hæc dicit dominus ſuper filios & filias, qui generantur in loco iſto: & ſuper matres eorum quæ genuerunt eos: & ſuper patres eorum, de quorum ſtirpe ſunt nati in terra hac.

Mala prolis educatio ſignat impietatem parentum, propter quam pariter diuino iudicio puniendi prædicuntur, in populo dei, ubi tot prophetæ ſacerdotes & ſcribæ & filij quoq; prophetarum, à quibus parentes ad ſuorũ curam adduci uerbo domini debuerant, ſed excuſſo timore dei, oĩa pariter in populo laxatis frenis uehũtur in præceps, pariter iudicanda, filij cum patribus, filiæ cum matribus.

4 Mortibus ægrotationũ morientur: non plangentur, & nõ ſepelientur, in ſterquilinium ſuper faciem terræ erunt. Et gladio & fame

& fame consumentur: & erit cadauer eorũ in escam uolatilibus cœli, & bestijs terræ.

Mors prodigiosa.

Non leui ac subitanea morte peribunt incredvli, sed post morborum difficiles prolixosq; cruciatus: in summa miseria deficient, & sine officio, tam uiuis languentibus quàm mortuorum corporibus deferendo: summa quoq; contumelia & neglectu in sterquilinium cadauera relinquentur, auibus quoq; & bestijs deuoranda: quod Hebræis, quibus mos erat honorifice sepelièdi mortuos, amarissimum & crudele habebatur.

5 ¶ Hæc enim dicit dominus, Ne ingrediaris domum conuiuij, neq; uadas ad plangendum, neq; consoleris eos: quia abstuli pacẽ meam à populo isto, dicit dominus, misericordiam & miserationes.

6 Et morientur grandes, & parui in terra ista: non sepelientur, neq; plangentur, & non se incident, neq; caluitium fiet pro eis.

Idem repetitur ad inculcationem terroris ad pœnitendum: ne scilicet immisceat se cœtui quomodocunq; gratulantiũ, sed & loca ubi mœsti consolantur & recreantur, quo minus aduersitatũ recordentur, prophetæ prohibentur ne accedat. Interdicit autem omni saluti, uolẽs miseriarũ pondere prorsus oppressos omnes ciues, sincq; misericordia & indulgentia prædicit tractandos. Nemini enim parcetur, æquè senes ac iuuenes, magnates & plebei contemptibiliter occidentur, sine exequiorũ cultu uel luctu, quibus ad morem gentiliũ contra legẽ prosequebantur mortuos, inscindendo cutem, et caluitia adsumendo. Ad cuius criminis pœnam hæc eis prædicũtur aduersa, ut etiam post hanc uitam iuxta gentilium fabulas & opinionem, quæ libentius credunt quàm dei uerbum, miseram sint apud inferos conditionem passuri.

Aduersa imprecatum.

7 Et nõ frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo: & nõ dabunt eis potum calicis ad consolandum super patre suo & matre.

Exequiarũ pompa.

Apparet exequiarum pompas à gentilitate irrepsisse ad Israẽlitas contra legẽ & mores maiorum, qui præter sepulchri locellum, & Iosephi in Aegypto polinctores, nihil legimus apud pie demortuos exhibitũ: quibus etiã gentilibus debent Christiani suas circa defunctos superstitiosas stultasq; ceremonias. Non frangent panem neq; calicem consolationis diuident intra se, qui consolari uolunt quenquam super demortuis parentibus. Facile enim adducor, ut credã codices à librarijs alteratos, ut pro לחם pane, scripserint לחם. Idq; fortassis non sine causa, quandoquidem & Septuaginta interpretes panem transtulerunt, non eis. Solenne autem erat gentilibus panem & uinum sepulchris imponere, & potu conuiuijsq; domos consolari atq; familias, quos sequuti sunt Iudæi impij, & male imitati Christiani.

Panis ad sepulchra.

8 Et domum conuiuij nõ ingrediaris, ut sedeas cum eis, & comedas & bibas:

Apparet etiam alia conuiuiorum & gaudiorum loca inhibuisse prophetæ dominum, ut serio ostenderet calamitatem magnam propediem irruituram, quam certò

crederet & testatam uellet mandato domini: non ut propterea quis honesta & modesta conuiuia prohibita putet. In tempore hæc prohibebantur prophetæ, & in signum, non lex ferebatur, ne hic & in similibus rudes labantur, alioqui nec uxor ducenda, nec filij generandi.

9 ¶ quia hæc dicit dominus exercituum deus Israël, Ecce ego auferam de loco isto in oculis uestris, & in diebus uestris uocem gaudij, & uocem lætitiæ, uocem sponsi & uocem sponsæ.

10 Et cum annuntiaueris populo huic omnia uerba hæc, & dixerint tibi, Quare locutus est dominus super nos omne malum grande istud? quæ iniquitas nostra? aut quod peccatum nostrũ quod peccauimus domino deo nostro?

11 Dices ad eos: Quia dereliquerũt me patres uestri, ait dominus: & abierunt post deos alienos, & seruierunt eis, & adorauerunt eos: & me dereliquerunt, & legem meam non custodierunt.

12 Sed & uos peius operati estis, q̃ patres uestri: ecce enim ambulat unusquisq; post prauitatẽ cordis sui mali, ut me nõ audiat.

Alia uis minarũ, ut populus conuertatur. Commanatur abolitionem omnis gaudij, quam uisuri sint oculis, et non post multos dies. Adnectit quoq; causam aduersitatis, incidenter quidem impœnitentiam, quia se non mereri existimant, & peccata ignorant, uerbis prophetarum non credunt iram domini testantibus, & iuste se agere quæ agunt putant: ideo causam tanti mali inquirunt, quasi nesciant. Principaliter autem idololatriam maiorum allegat, propter quam & prophetas occiderunt reges, consentiente populo, & sui temporis crudelitates patrarunt, & crimina non mediocria, contra legẽ dei in quibus excesserunt peccata parentũ, & concordi perfidia uerbum domini credere uel audire recusant, ritibus suis miscentes gentilium mores & superstitiones, usq; ad abominandas idololatrias omnibus modis nauseam passi, ad omnia quæ deo placere sciunt.

Impœnitentiæ pœnæ.

13 Et eijciam uos de terra hac, in terrã quã ignoratis uos, & patres uestri: & seruietis ibi dijs alienis die ac nocte, ubi non dabo uobis requiem.

Sæpe eadem comminatur, exilium, captiuitatem, mortes, & odia, hic uerò additur seruitus sacrilega, qua idolis & gentium abominandis diuis astringentur uolentes nolentes.

14 ¶ Propterea ecce dies ueniunt, dicit dominus, & non dicetur ultrà, Viuit dominus q̃ eduxit filios Israël de terra Aegypti:

15 sed, Viuit dominus qui eduxit filios Israël de terra aquilonis, & de uniuersis terris ad quas eieci eos: & reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum.

Hebræis aliud capitulum, & noui argumenti patens est ratio, sed quæ pertineat ad iam præscripta: non quòd

Israëlem soleutur, sed ut captiuitatem contestentur, hoc sensu: Tam certum est & indubitatum, ut illa mala sitis experturi, ut reditus aliquando à Babylone non sit minus celebris futurus, quàm reditus de Aegypto. Intentatur ergo tanto certior captiuitas, quanto distinctius & diligentius reditus prædicitur de terra aquilonis, & reliquis quibuscunq; , ad quos abijciendi sint per imperiũ Babylonicum uniuersum.

16 ¶ Ecce ego mittam piscatores multos, dicit dominus, & piscabuntur eos. Et post hæc mittam eis multos uenatores, & uenabuntur eos de omni monte & de omni colle, & de cauernis petrarum:

17 quia oculi mei sunt super omnes uias eorum: nõ absconditæ à facie mea, & nõ fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis.

Captiuitates Iudæorum quatuor.

Non una captura perijt tunc gens Iudaica, sed multis, quia quatuor subinde reges sui capti sunt, & cum eis semper de maioribus ditioribus & utilioribus abducti sunt in Chaldæam plurimi: qui hic pisces nominantur à piscatoribus extracti in exilium. Tandem sub Zedekia totus est abactus populus superstes, mortui multis perditionum generibus ueluti à uenatoribus discerptæ feræ. Tunc enim rex, & sui socij per secretißimos quosdam recessus elapsi, de urbe inciderunt in retia Chaldæorũ. Nemo enim impiorũ dei manus euadere potest, qui omnia nouit, moderatur & potest, ultq; ; iustitiam fieri de hostibus pietatis, quorum cogitationes & opera omnia nouit & flagitia non impunita relinquit.

18 Et reddam primum duplices iniquitates & peccata eorum: quia contaminauerunt terram meam, in morticinis idolorũ suorum, & abominationibus suis impleuerunt hæreditatem meam.

Hoc igitur sic agam, quia iuxta augmentum impietatis & rebellionis eorum, qua semper peiores euaserunt, augebo & ego pœnas crudeles sed dignas factis. Contaminauerunt enim terram meam sacrilegijs intolerabilibus, filios sacrificando dæmonibus & idolis, prophetas & iustos quosq; occidendo.

19 ¶ Domine fortitudo mea, et robur meũ, & refugium meum in die tribulationis: ad te gentes uenient ab extremis terræ, & dicent: Verè mendacium possederunt patres nostri, uanitatem quæ eis non profuit.

20 Nunquid faciet sibi homo deos, & ipsi non sunt dij?

21 Idcirco ecce ego ostendam eis per uicem hanc, ostendam eis manum meam, & uirtutem meam: & scient quia nomen mihi Dominus.

Comparatio Iudæorũ & Gentiũ.

Orat propheta dominum, hoc modo: Cum futurum sit ut gentes contemptis idolis suis ad te conuertantur: quî fit ergo ut tuam quoq; Israëliticam gentem non seruues, quo minus in hanc calamitatem propter idololatriã incidat? Et respondet dominus per conuersionem orationis: Hoc me maxime irritat, quod gentes deos suos

contemnent, qui mei notitiã non habuerũt: Populus ũõ hic meus, cui è cœlo locutus sum, cui leges tuli, me deseruit & prodidit, & ad idola conuertitur. Idcirco significabo eis iterum malitiam suam & iustitiam meam, & corrigam iam altera uice, prius in Aegyptiaca, & deinde in Assyriaca, nunc uerò in Babylonica captiuitate.

CAPVT XVII.

1  Eccatum Iuda scriptum est stilo ferreo in ungue adamantino, exaratum super tabulã cordis eorum, & in cornibus ararum uestrarum.

Cohærent præcedentibus, & uult propheta idololatriam Iudæorum sic offendisse dominum, ut obliuisci & ignoscere absq; graui mulcta non posit, malorumq; suorum ad posteros eorum peruenturam esse, quo perpetuum memorent quid sit deficere à domino. Tanta assiduitate & libidine Iudas peccare consuescit in dominum, tam ido-lolatria quàm iniquitatibus alijs grauibus, ut naturæ proprietas uideri possit, qua nesciat carere dura cervix illius: sic ut appareat sculpta impietas in cor illius, sculpi consuescit figura aliqua uel character in lapidem stilo ferreo, & ungue adamantino, ut euelli uel deleri non possit. Sculptum est autem in cornua ararũ in quibus immolauerũt idolis suis: quasi dicat summatim, Idololatria Iudæorum de cordibus ipsorum indelibilis est.

2 Cum recordati fuerint filij eorum arara suarum, & lucorum suorum, lignorumq; frondentium in collibus excelsis,

Peruasit hæc impietatis lues etiam corda filiorũ, ut certum sacrilegij hæreditas, ut impense oblectẽtur ad aras & lucos, ad arbores frondosas in altißimis collibus constitutas: quibus nihil illis est iucundius, cum nihil minus hoc eos deceat, qui dominũ deum habent omnium deorum dominum, & eundem sibi maxime propitium, & zelantem, qui talia diligentißime serioseq; prohibuit, nihil aliud magis.

3 montem meum in agrum, fortitudinem tuam & omnes thesauros tuos in direptionem dabo, excelsa tua propter peccata in uniuersis finibus tuis.

Hebræi sic explicant: O Israëlitice populi, cuius omne studium est sacrificare in montibus, audi quid pro eis inde reportaturus sis: In agrum exportabunt hostes omnem substantiam tuam, thesauros tuos quos reposuisti, tradam illis in prædam, quia peccasti in montibus, extruendo idolis, & sacrificando illis, per omnes terminos regionis tuæ, nõ est relictus locus impollutus abidololatria tua, quin & Sion uelut ager arabitur.

4 Et relinquêris sola ab hæreditate tua, quam dedi tibi, & seruire te faciam inimicis tuis in terra quam ignoras: quoniã ignem succendisti in furore meo: usque in æternum ardebit.

Eijcieris itaq; de hæreditate tua, de ea terra quã dominus patribus promiserat, tibiq; tradiderat hæreditario iure in perpetuum possidendam optimã & felicem.

Captiuos

Captiuusq; duceris illò, ubi seruituti subijcieris hostibus tuis in ignoto tibi solo. Sic enim decretũ est mihi, pro eo quod ignẽ furori meo addideris, quòd ad iracundiã me prouocaueris, quæ nunquam extinguetur.

5 ¶ Hæc dicit dñs: Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suũ, & à domino recedit cor eius.

Indel mal hoiicii.

Contra perfidiã tam atrocẽ Iudæorũ, exclamationem facit propheta: quasi dicat, Verè maledicti sunt Iudæi, qui cum tanta beneficia à deo susceperint, & promissiones tantas, tamen in illũ fidere nolunt, sed ponũt carnale robur suũ, & iam Assyrios, nunc Aegyptios, nunc vrbes suas fidutiã suam. Cum in aliud nihil sperandum sit omni homini quàm in deum, causam omnis boni clementissimã, qui & gaudeat orari, & orãtes exaudire, imò ad ostium pulsare, & antequam audiat exaudire, precesq; supplicantium bonitate sua anteuertere.

6 Erit enim quasi miricæ in deserto, & non uidebit cum uenerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis & inhabitabili.

Domino nõ fidentes.

Ex domino nõ pendens syncera fidutia homo, similis fit miricæ uel tamariſco, hoc est, uirgulto tenui, folijs parum uestito, nascenti in loco arenoso, nec florem ferẽti nec fructum. Tales sunt desertores dei, sine robore & constãtia in bono, sine usu apto ecclesiæ, ad tentationes sustinendas, & ad fructum utilem inepti, sine timoris diuini irriguo, in quibus deus non est, ideo nihil boni operãtur, nec sustinere possunt tentationes huius uitæ, pabulum tantum ignis fiunt.

7 Benedictus uir qui confidit in domino, & erit dominus fiducia eius.

8 Et erit quasi lignum quod transplãtatur super aquas, quod ad humorẽ mittit radices suas: & nõ timebit cum uenerit æstus. Et erit folium eius uiride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquãdo desinet facere fructum.

Fidelis homo.

Qui uerò contrà confidit de domino, cuius dominus fiducia eius, benedictus dicitur, comparaturq; arbori, quæ radices egit apud irrigua, nunquam succo per æstatem carens, folijs semper uirens, suo quolibet tempore fructus proferens. Sic fidelis homo firmus est in bono, solidus, fortis, inuincibilis, multis benefacit, assistit bonum agnitum non deserit, persecutionum adflatus non sentit, semper sui similis permanet, non irritatur iniusta confusione, laboribus non succumbit, in aduersis proficit, semper uiret uirtutibus omnibus, nihil illi obest, non mors nec uita auellunt à fide, non terretur malorum improbitatibus, non cessat prodesse multis, & sancta agere.

Condit in spẽdio.

9 Prauum est cor præ omnibus, & inscrutabile: quis cognoscet illud?

Cor hominis reconditum est, non quidem deo, sed hominibus, & imperscrutabile, malitia hominis gaudet latere, subdolum ad cautè proficiendum sibi, alijs autem nocendum, interim tamen uideri quale sit non patitur.

Tarde sentitur cordis malitia, sicut & morbus pestilentialis, non antea agnoscitur, quàm obsederit & infecerit totum sanguinem: subitaneæ & patẽtes passiones plus habent indulgentiæ.

10 Ego dominus scrutans cor, & probans renes: qui do unicuiq; iuxta uiam suam, & iuxta fructum adinuentionũ suarum.

Conditor cordis quomodo non opus suũ cognosceret? Omnia nuda sunt & aperta oculis domini, cõtemplãtur enim abstrusissima orbis, multò magis cor hominis, qui & unicuiq; præmium fert secundũ opera sua: sicut sibi consulunt, sic illos remunerat. Semper ergo reuerendi sunt oculi maiestatis diuinæ, ut nihil cogitetur impium uel spurcum, cum ad minimũ omnia cõspiciãtur, & iudicanda aliquando sint in conspectu solis huius.

11 ¶ Perdix fouit quæ non peperit (sic qui) fecit diuitias, & non in iudicio: in dimidio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens.

Impiorum infelicitas.

Hebræi sic continuant: Noli mirari, si impios uideris ditescere, & prosperari qui deũ non uerentur: nõ enim possidebunt diu quæ corradunt, dum illis maximè frui cuperent, uel moriũtur uel eripiũtur eis ab alijs, quibus deus fauet: sicut perdix oua supposita sibi fouet, multo labore, quæ ubi excluserint pullos, alteri educãdos concedit. Alioqui קרא uidetur coruũ ex uoce Germanis significare. רגר autẽ colligere signat Syris, ut sit sensus: Coruus uel perdix colligit, scilicet oua, uel nidum potius: sed nõ generat, hoc est, oua non excludit: sic qui iniquiter ditescet nõ diu fruetur repositis, tandemq; uanitatem studiorum suorum deprehẽdet & abominabitur, serò pœnitebit, fructu nullo fruetur.

12 Solium gloriæ altitudinis à principio, locus sanctificationis nostræ

13 expectatio Israël. Domine, omnes qui te derelinquũt, cõfundentur: recedẽtes à te, in terra scribentur: quoniã dereliquerunt uenam aquarum uiuentiũ dominum.

14 Sana me domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero: quoniã laus mea tu es.

Oratio pro Iudæis.

Regreditur propheta ad orationẽ pro Israële postquã aliquot sententijs oportunis diuagauerat. Ait autem: O domine deus noster, cuius solij maiestas & diuumũ imperium, altissima est ab exordio cõditionis rerũ omniũ, qui & locus es sanctificationis nostræ, imò ipsissima sanctitas nostra, in quem solum sperare possumus & debemus, ô domine deus Israël, iustè nobiscum agis, nos abijciendo. Omnes enim qui te derelinquunt cõfundentur, & qui te deserunt humiliantur & opprimuntur, in terra scribuntur, sicut beatorum nomina in cœlis cohonestantur, & in beatitudine perseuerant. Nomina pro personis & meritis. Tu enim solus fons es omnis bonitatis, unde profluũt aquæ uitæ æternæ, quem derelinquentes siti pereunt animæ. Tu inquam domine deus & nemo alius me & populum istum tuum sanare potest: si tu illum saluare dignaberis saluabitur, si damnare, damnabitur. In nullis enim operibus suis aliud quàm

peccatum & impietatem inueniet, & in te solo & gratia tua gloriari poterimus. Ego quoque utcunq; reprober ab impia gente ista, coram tamen clemētia tua gloriari potero quod iiunctū prophetandi opus diligēter fideliterq; perfecerim, etiam si profuerim nihil.

15 ¶ Ecce ipsi dicūt ad me, Vbi est uerbum domini? ueniat.

Continuò perstāt rebelles in impietate, uerbū domini respuentes, minimè enim credunt futura, quæ tot illis inculcaui sermonibus, te iubente. Vanū est quicquid penes eos molior, irrident potius & accersunt sibi mala, quæ timere & pœnitentia ablegare deberent.

16 Et ego nō sum turbatus, te pastorem sequens, & diem hominis non desyderaui, tu scis. Quod egressum est de labijs meis, rectum in conspectu tuo fuit.

Vtcunq; tergiuersentur miseræ oues tuæ, ego tamen non segniter instо, ad regendū eas & ducēndū, ut te pastorem uerum sequantur, non cum aliqua uiolentia uel importunitate, sed officium prophetæ demandatum impleo, intrepidus ad illorum minas & persecutiones.

Propheticū officiū non ambiendū. Nō enim ambiui propheticū illud munus molestissimū, tu me renuentem uocasti, & ego interim modestè fero tot mihi iniurias illatas propter illud, cum dextrè illud obierim, te teste. Sic agendum sanctis, in delegatis sibi officijs, ut tanta coram deo fiducia loqui audeant: & eosdem ecclesia uenerari debet, expositos propter se ministros fideles multis incommodis.

17 Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis.

Gratiam largire ô deus, ut sic officio meo adsim, ut ob nullam infidelitatem uel negligentiam formidare me oporteat iusti iudicij tui seueritatem, sed de conscientiæ synceritate & tua bonitate bene sperare possim, si quando ingruerit aduersitas, uel discussio operum & obedientiæ meæ.

18 Confundantur qui me persequuntur, & non cōfundar ego: paueāt illi, & nō paueā ego. Induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos.

Impij potius confundantur, dicentes: Veniat uerbum eius, dominū ignoramus, non misit te dominus: qui usq; ad carceres & mortem persequuntur me, ego autem testimonio bonæ conscientiæ fretus, te amicū habeam, & homines non paueam. Illis da ut agnoscant iniquitates suas, & paueant iudicium tuum. Ego enim noui gratiam tuā, & totus pendeo ad arbitriū & gratiā tuam, ut non paueam confugere ad te. Quòd si resipiscere ut hactenus nolucrint, pergantq; malignari, teq; contemnere, tu quæso uehementius aggrediaris eos, & sic conteras, ut pœnis eruditantur ad confitendum ueritatem uerborum & iustitiam operum tuorum, sentiantq; iudicium, qui gratiam spreuerunt.

19 ¶ Hæc dicit dominus ad me: Vade, & sta in porta filiorum populi per quam ingrediuntur reges Iuda, & egrediuntur: & in cunctis portis Ierusalem:

20 & dices ad eos, Audite uerbum domini reges Iuda, & omnis Iuda, cunctiq; habitatores Ierusalē qui ingredimini per portas istas.

Vtcunque Ieremias malitiam & obstinatiā populi & principum quotidie experiatur, iubetur tamen officio prophetico non deesse, prædicare contra illorū mores, augere odiū, domino obedire, in frequētia populi promulgare domini uoluntatem, & usq; ad nauseam inculcare, ciues contra se irritando & principes.

21 Hæc dicit dominus, Custodite animas uestras, & nolite portare pōdera in die sabbathi: nec inferatis per portas Ierusalem,

Fundamentum fidei est credere à deo uno & omnipotente creatum totum mundū, à quo & gubernetur, & cuius omnia æterna prouidentia noscat, & sit dijudicaturus. Hæc in sabbathi obseruantia uoluit lex uerbo & signo confiteri, legi suæ audiendæ & explanandæ insistere, cogitare de gloria dei, & pabulo reficere animā fidelem, pauperibus quoque occasionem præstare, ut similiter hæc possint, proximi fatigationibus misereri, & quietem præstare, spiritualibus exercitijs insistere ad gloriam dei & proximi consolationem: non solum à seruilibus negotijs uacare & indulgere genio, id dominus prohibuit. Sabbathi tempus in cultum legitimū dei erogandum est, non accommodandum crimimbus & inscitiæ. Sanctificandum præcipitur, non cōspurcandum flagitijs. Cum uerò causæ adsunt, quæ otium in occupationem uertunt, iam debemus meminisse sabbathum esse propter hominem, non contrà, dum interim quod præcipuum est in sabbathi mandato, timor dei & charitas proximi, non negligatur.

22 & nolite eijcere onera de domibus uestris in die sabbathi, & omne opus non facietis. Sanctificate diē sabbathi, sicut præcepi patribus uestris.

Iuxta præsentium temporum causas dirigenda est admonitio ecclesiæ. Peruenerat in abusum gestatio onerum in sabbatho, quam increpat, & inobedientes uerbo terret minis.

23 Et nō audierūt, nec inclinauerūt aurem suam: sed indurauerūt ceruicē suam ne audirent me, & ne acciperent disciplinam.

Emendari nō potest proiectus à domino, is cui imperdet iudicium dei, qui uerba dei cœperit contemnere. Perdendi erant Iudæi, ideo omnium præceptorū longo sinum, quo ad exteriorem habitum, obseruare noluerunt. Quomodo temperassent ab ira, adulterio, luxu, auaritia, mendacijs & cæteris, si à labore in sabbatho, & grauibus oneribus cessare noluerunt, tam seriosè admoniti? Sed omnis disciplinæ legalis impatientes fuerant, & ea in primis eligebant, quæ domino magis displicere cognouerant.

24 Et erit: Si audieritis me, dicit dñs, ut nō inferatis onera per portas ciuitatis huius in die sabbathi: & si sanctificaueritis diem sabbathi, ne faciatis in eo omne opus:

Omnia

Omnibus modis adnititur reformare populum, sed nequicquam. Multa uerba profundit in uentum, & gehennæ filios duplo facit, ut duplici contritione sunt conterendi, nec promissa iuuant, nec minæ.

25 ingredientur per portas ciuitatis huius reges & principes sedentes super solium Dauid, & ascendẽtes in curribus & equis, ipsi & principes eorum, uiri Iuda, & habitatores Ierusalẽ: & habitabitur ciuitas hæc in sempiternum.

Contra fastum magnatum.

Fastum regalem & aulicorum, cum sacerdotum magnificis sacrificijs is populus maximè appretiabatur, pro gloria non tam dei sui quàm sua. Et his significabatur optimus & felix status regni & populi, pax & abundantia rerum, quæ omnia promittũtur, si regnum dei in primis quæsierint, quod est sanctificare sabbathum. Facilè quoq; fert dominus excessum, etiam in his externis delitijs, & temporaliũ bonorum non immoderatis abusibus, ut dum magnificè solijs aurei principes insident, & pretiosis equis & curribus. Hæc quidẽ ut bona non sint, tamen misericorditer dominus tolerat, si timor dei non euanescat, pauperes nõ grauentur, fiatq; iudicium & iustitia in regno.

26 Et uenient de ciuitatibus Iuda, & de circuitu Ierusalẽ, & de terra Beniamin, & de campestribus, & de mõtuosis, & ab austro, portãtes holocaustũ, & uictimã, & sacrificium, & thus, & inferent (confessionem)

27 oblationem in domum domini. Si autẽ non audieritis me, ut sanctificetis diẽ sabbathi, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Ierusalem in die sabbathi: succendã ignẽ in portis eius, & deuorabit domos Ierusalem, & non extinguetur.

Eleganter indicatur situs regni Iudaici, qui & alicubi in libro Iosue passimq; deprehenditur. Esse scilicet ubertes quasdam in Iuda sitas in montanis Iudææ, esse campestrem regionem, australem quoq; partem. Beniamin autem aquilonaris erat, & mare magnum occidentale totam terram Israëlitarum alluit.

¶ CAPVT XVIII.

1 Verbum quod factum est ad Ieremiam à domino, dicens:

2 Surge & descende in domum figuli, & ibi audire te faciã uerba mea.

Variè deus loquitur.

Prophetis suis dominus uariè loquitur, & innotescere facit uoluntatẽ suã, iam certo aliquo instinctu ueritatis, iam lectione deuota legis, iam in somnis, iam spectris foris tantũ apparẽtibus, iam angelis dei, iam opere externo, non sine mentis certa illustratione, ut hic, ubi iubetur intueri opus figuli, indeq; discere quid omnium fictor & plasmator deus de uasis suis agat & decernat in gloriam uel contemptum confingendis.

3 Et descendi in domũ figuli, & ecce, ipse faciebat opus super rotam.

4 Et dissipatum est uas quod ipse faciebat

è luto, manibus suis: conuersusq; fecit illud, uas alterum, sicut placuerat in oculis figuli ut faceret.

5 ¶ Et factũ est uerbum dñi ad me, dicens:

Etiã extra specialem dei reuelationẽ pij ubiq; materiam inueniũt, & acceptant cogitandi de gloria dei, & salute proximorũ promouenda, ut hic Ieremias contemplatur figuli opus, & ascendit in contemplationem dei & operũ illius. Videbat autem figulum fecisse uas aliquod ex luto, quod aliqua ratione statim confringebatur, pro quo aliud continuò restituebat reiecto priore. Verè autem figulo deus comparatur, in cuius manu est creatura omnis, & plena potestate, ut de ea liberè agat quod placet, cui nihil placere potest nisi bonum. Bonæ ergo est etiam iam confecti uasculi contritio, restituitur enim in melius, & propheta inde docetur, & opus iustitiæ manifestatur, libertas quoque arbitrij in homine quàm nulla sit discitur. Omnia enim ut uult deus proficiunt, non incusandus est à creaturis, sicut nec figulus à uase figulino, operatur omnia in omnibus, & agnoscitur in omnibus à pijs. Omnia deo lutũ sunt, non ex auro facit homines, sed luto, ut nõ superbiãt. Vt leue est etiã sine iactura uas fieri ex luto: sic leuissimũ est uirtuti dei omnia quæ uult agere, sine iactura. Interim quoque discimus non requirendam operum dei rationem, quæ est sancta illius uoluntas, quæ errare non potest. Pij deum ubiq; glorificant.

6 Nunquid sicut figulus iste, nõ potero uobis facere domus Israël, ait dominus? Ecce, sicut lutũ in manu figuli, sic uos in manu mea, domus Israël.

Respõdetur cogitationi prophetæ qua admiratus dudum fuerat, quare impijs bene esset, & adfligerentur sæpe fideles, & qua ratione electus populus tam impiè ageret in deum suum, & multi passim gentiles semel agnitum dominum religiosè colerent & timerent: similiter de reprobatione generali Iudæorum, & electione gentium per Christũ futura, quam sciebat & admirabatur. Et hic instruit omniũ rationem ex opere figuli: quia scilicet sic placet figulo, ideo sic agit cum luto & uasculis: sic quoq; dominus cum tota domo Israël, quam elegit ex omnibus per gratiam, quam & deserit ingratam, & pro ea substituit gratiorem. Figuli opus dei tribuitur.

7 Repentè loquar aduersum gentẽ, & aduersus regnum, ut eradicem & destruam & disperdam (illud.)

8 Si pœnitentiã egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui ut facerem ei:

9 & subitò loquar de gente & de regno, ut ædificem & plantem (illud.)

10 Si fecerit malũ in oculis meis, ut non audiat uocẽ meã: pœnitentiã agam super bono quod locutus sum ut facerem ei.

Vtcunq; opera dei ordinentur prouidẽtia sua, ratione nobis ignota, qui nõ omnia scire debemus uel possumus, hoc tamen scire nos uult deus, ut si quando minetur ali Scientia dei.

cui genti propter præsentia uel præterita peccata excidium uel pœnam qualemcunq;, id illis non sic suscipiendum sit, quasi nullã sint gratiã inuenturi, si redierint ad meliora, uitam emendauerint, & prophetarũ prædictiones cum reuerẽtia & timore susceperint, & gratiã diuinã emendati implorauerint. Sicut enim promissiones diuinæ sub cõditione fiunt seruatæ legis & pietatis in deum, quibus præuaricatis cessat promissio: sic minæ quoq; dei cõtra populũ dei cessant, si uitã emendarit in melius. Hoc est, dominum pœnitere de malo cõminato, parcere cõuersis, & retractare pœnas, infallibili uoluntate unica, qua omnia operatur. Loquitur autem hominum more cum hominibus ut capere possint.

Cõditiones in promissis & minis.

11 Nunc ergo dic uiro Iuda, & habitatoribus Ierusalẽ, dicens: Hæc dicit dominus, Ecce ego fingo contra uos malum, & cogito cõtra uos cogitationem. Reuertatur unusquisq; à uia sua mala, & dirigite uias uestras & studia uestra.

12 Qui dixerunt, Desperauimus: post cogitationes enim nostras ibimus, & unusquisq; prauitatem cordis sui mali faciemus.

Hortatur ergo de nouo propheta populũ, ex ore domini, ut uel adhuc se ad meliora cõuertant, & annitãtur placere deo, fidutia, charitate, & obseruantia legis: sed nihil proficitur apud impios & obduratos, qn instituũt pergere in malitijs suis, diuina omnia contemnendo, ad propriam libidinẽ uitam agendo, ex cõtemptu nolle monitis acquiescere, de uerbo & uolũtate dei nil curare: iam enim adiudicati sunt, ut disperdi uelint & debeãt.

13 ¶ Ideo hæc dicit dominus, Interrogate gentes, Quis audiuit talia horribilia, quæ fecit nimis uirgo Israël?

14 Nunquid deficiet de petra agri nix Libani? aut euelli possunt aquæ erumpẽtes frigidæ, & defluentes?

Saturnus deus, sufficientia pijs.

Omnibus gentibus ad dominũ cõuertendis exemplum facti sunt Iudæi, ut discãt cõfidere domino, cuius beneficia semper sentiũt, & indulgentiã paternamq; bonitatem experiũtur, ut ad nullũ alium cõfugiant deum, neq; colãt idola quæcunq;, qui unus sufficit omnibus, ideoq; omnipotens & שדי dictus, ut fontem alium bonitatis quæsiuisse læsæ maiestatis crimen sit, quod & apud Ethnicos nõ mutẽtur diui semel assumpti. Sicut nõ relinquit sufficientiã suã nix Libani cõtinuò defluens, de uertice petræ suæ ad irrigandũ & fœcundandũ regionem circumpositã, & sicut deficere non possunt aquæ uiuæ fontium, quæ ad hoc etiam de remotis ingerũtur ut adfluant, irrigent & fœcundent, sine quibus regio & homines subsistere nõ poßunt: multò minus sine gratia & beneficijs dei fideles possunt subsistere.

15 Quia oblitus est mei populus meus, frustra libantes, & impingentes in uijs suis & in semitis seculi, ut ambularent per eas in itinere non trito:

Nihilominus Israël potuit me relinquere & auersari, & suas sectari uanitates, idola colendo, & legẽ meam contemnẽdo, quæ perpetua est & immutabilis, necessaria, & sacrosancta dei uoluntas: cum traditiones hominum stultæ sint, inutiles & pernitiosæ, captiunculæ potius piorum, quàm retinacula impiorum, ubi facilè est labi & inutile sectari, obedire arduum, præuaricari aßiduũ. Non est enim prætoria uia uel regia, sed semita fallax & erronea, ad mortem ducens, quæ à uita auocat & à lege mea.

16 ut fieret terra eorum in desolationẽ, & in sibilũ sempiternũ. Omnis qui præterierit eam, obstupescet, & mouebit caput suum.

Vix dominum compulisse uidentur peccatis enormibus Israëlitæ, ut terra ipsorum, quæ fuerat populosissima, in desertum uersa sit, & in stuporem aspicientibus nunc, qui prius eam uiderant florentißimam & in sibilum omni transeunti per eam, despectumq; tam regionis quàm gentis.

17 Sicut uentus urens dispergã eos coram inimico: dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.

Quia in cõtumacia sua perseuerant post tot admonitiones, preces & beneficia, ideo secundũ uerbũ meum cui credere nolucrũt, dißipabo eos in orbẽ uniuersum, uento omnium tempestuosißimo, urente, uehementi & pernitioso, hoste Babylonico illis immittendo. Cumq; anxiè me inuocauerint, idolis delusi, in die interitus illorum, ostendã ego illis tergũ nõ faciem, nõ miserebor, non audiã, sed uento mortifero disseminandos in terras hostium permittam, residuos à gladio & peste.

18 ¶ Et dixerunt, Venite, & cogitemus contra Ieremiã cogitationes: nõ enim peribit lex à sacerdote, neq; consiliũ à sapiẽte, nec sermo à propheta: uenite, & percutiamus eum lingua, & nõ attendamus ad uniuersos sermones eius.

Veritas odium parit, & prophetarum magistro Christo ipso domino similia euenerunt, cuius uerba intorquebãt & deprauabant: sic Ieremiam conspiratione impia aggrediuntur, occidere consultant, quasi cõtra legẽ, populum, urbem & gentem prophetarit, sacerdotibus uidicantibus legẽ, quam nõ seruãt, nisi fortaßis ea pars, quæ ipsis commodo est. Senes populi quoque sapientiæ quam iactant, prophetæ uerba criminãtur ut irrationabilia & impoßibilia. Prophetæ quoq; falsi uerbũ suum defendunt, quo pacem & felicitatem promiserãt. Hi pariter aduersantur Ieremiæ, ijdem quoq; Christi accusatores mendosi & crucifixores, cõmuni cõsensu percutiendum decernũt, id est, propter peccatũ linguæ quod illi imponunt. Vel ad illius perniciem testemur contra eum falsa: uel gladio occidatur, nemoq; illi credat, sed ex publica pœna mentitus credatur. Sic semper fit ueritatis profeßoribus, in seculo corrupto, ex inertia uel malignitate præsidentium sacerdotum & impiè docentium: hi enim ferre nequeũt suas prodi fallacias, & ueritatem uulgò cognosci.

19 Attende domine ad me, & audi uocem aduersariorum meorum.

Orat

Orat dominũ non tam cõtra illos, quàm pro ueritatis uictoria, & iustitiæ incremẽto, ne periclitata succũbat potẽtia improborum. Tu, inquit propheta, discerne in hac causa, quæ uertitur inter me & aduersarios meos, non mea est, sed tua: sicut populus miserè oppressus erroribus, & uiolentijs crudelium, nõ meus est, sed tuus: non ego spernor, sed ueritas tua, & tuipse.

20 Nũquid reddetur pro bono malũ: quia foderunt foueam animæ meæ? Recordare quòd steterim in conspectu tuo ut loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis.

Cum tanta illis bona fecerim, salutem eorum anxiè cupiam, ipsi contra rependunt pessima, uitæ insidiãtur meæ & mortuum cupiunt, fodiunt animæ meæ foueam: sed sit illis ut impijs omnibus, ut cadant in foueam quam fecerunt. Tu nosti domine quàm sedulò causam ipsorum tecum egerim, pro illorum bono orauerim coram te, clementiã tuam illis implorare studuerim, & auertere iustam iram tuã in illos. In typo saluatoris hæc Ieremias patitur à Iudæis, à Babylonio uastandis, plenius exterminandis per Romanos.

Malũ pro bono.

21 Propterea da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladij: fiant uxores eorũ absq; liberis, & uiduæ: & uiri earum interficiantur morte: iuuenes eorum confodiantur gladio in prælio.

22 Audiatur clamor de domibus eorũ: adduces enim super eos latronẽ repẽtè: quia foderunt foueã, ut caperẽt me, & laqueos absconderunt pedibus meis.

Querela ecclesiæ.

Denuntiantis & pernuttentis hæc uerba sunt, certus enim erat in eos complenda quæ sæpe iam prædixerat, uidens procul abesse à resipiscẽtia, continuò peiores fieri. Cogitur enim dare deo gloriam, & cedere diuinæ iustitiæ. Non enim semper peccata dissimulanda sunt, obstandum est impietatum authoribus, ne successu insolescant ad impietatem maiorem, iam à te iudicati sunt, ad famem, gladium, pestem & feras, mendacium elegerunt pro tua ueritate, punias ergo eos ut & quando uoluerís.

23 Tu autem domine scis omne consilium eorum aduersum me in mortem: ne propitieris iniquitati eorum, & peccatũ eorum à facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.

Cordium inspector est dominus, cõsilia insyncera & iniqua nouit & uindicat. Morti me adiudicauerunt & insidiantur ut tollar, in exitium meũ conspirauerũt, tu autem fortior es illorum malitia, non remittes illis tuam iniuriam, qua te in me seruo tuo afficiunt, non impunè pateris graßari illos in tuam blasphemiã. Cadent enim coram te, iram tuã sustinẽtes, damnati ad pœnas quas nõ effugient: quandoquidẽ & prohibuisti me ne pro illis intercederem, & pro oratione mea pro illis cõcinnant contra me mendacia.

¶ CAPVT XIX.

1 HAec dicit dominus, Vade, & eme lagunculam figuli testeam à senioribus populi, & senioribus sacerdotum:

Non solũ auribus uoluit dominus doceri suũ populũ, sed & oculis. Magis enim mente retinetur, quod uisu quàm quod auditu ad animum peruenit. Emere iubetur amphoram figulinam, ducereq; secum quosdam ex primoribus sacerdotũ & populi, ut uisu cõtritæ amphoræ & uerbis prophetæ admoneantur serioßius futuræ contritionis, quam sustinebũt ciues urbis & regni, ut sint inexcusabiles qui audire noluerint uel emendare.

Prædicatio exemplaris

2 & egredere ad uallẽ filij Ennom, quæ est iuxta introitũ portæ fictilis: & prædicabis ibi uerba quæ ego loquor ad te,

Vallis filij Ennom, prope Hierosolymam est, in qua erat delubrum Baal cum nemore uel luco Siloë fontibus irrigato. Ipsa autem uallis prope portam erat, quæ dicebatur figulina. Nec alia prædicare iubetur quàm quæ dominus mandat & inspirat. Difficilis sanè prouintia coram illis prophetare urbis & templi deletionem, qui ob id iam eum occidendũ decreuerant. Sacerdotes templum, populi seniores urbem saluam uolebant.

3 & dices, Audite uerbũ dñi reges Iuda, & habitatores Ierusalem: hæc dicit dñs exercituum deus Israël, Ecce ego inducã afflictionem super locum istum: ita ut omnis qui audierit illam, tinniant aures eius:

Reges Iuda alloquitur, quia & multi domino peccauerunt, & Ieremiæ temporibus oẽs subindæ capti sunt, & toties urbs obsessa et capta diris hostibus, donec tandem tota subuerteretur, quod nemo credidisset, horroremq; incußit uehementẽ omnibus & consternationẽ: quam irriserant semper prædictam, hanc aliquando sub oculis uisuri erant, & maximo malo passuri, digna uindicta, non credentium prophetarum oraculis.

4 eò quòd dereliquerunt me, & alienũ fecerunt locum istum: & libauerunt in eo dijs alienis, quos nescierũt ipsi, & patres eorũ, & reges Iuda: & repleuerunt locum istum sanguine innocentum:

Causa sæpe repetitur ut minus sint excusabiles, rebelles uerbo dñi. Dereliquerũt dñm, legẽ præuaricãdo: alienauerũt locũ, hoc est, externo cultu Baal prophanarũt: suffitum adoleuerũt dijs gentiũ, quasi deus eorũ illis uel nolit uel non possit sufficere, tantoq; diuos huiusmodi chariores amplexi sunt, quãto erãt recẽtiores, & è remotioribus allati. Vt et pleriq; Christiani nostro seculo tam antiquos diuos quàm nouitios supposuerũt superstitionibus, ne idola deeßẽt nobis. Recitatur innocẽtis sanguinis effusio, qua terra sic polluitur, ut citra sanguinẽ ciuiũ expiari nõ possit, dum illud uindicare nõ studeant.

Idololatria.

5 & ædificauerunt excelsa Baal ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baal: quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.

Lustratio filiorum.

In excelsis Baal combusserunt filios suos igne, in holocaustum idolis, exemplũ Abrahæ impiè simulando, cum essent impijssimi, uel filiorum augmentum impedire cupientes, dum quosdam in gratiã idolorum iugulant, uel per ignem lustrationis cõsecrant perpetuò obsequio dei illius, uel abominando cœlibatu exponunt ustioni carnis perpetuæ, pro ritu quorundam deorũ uel dearum, quorum quibusdam uago concubitu, alijs cœlibatu infeliciter seruiebatur ab utroq; sexu apud gentiles, qualia sacrilegia etiã irrepserunt in Israëlem. Varia est enim opinio tam apud Iudæos quàm nostros de huiusmodi holocaustis filiorum, quæ dominus abominatur omnia, nunquamq; cogitasse dicitur, quia nunquam lege hæc omnitenda caueratueluti contra omnem naturam.

6 ¶ Propterea ecce dies ueniunt, dicit dominus: & non uocabitur amplius locus iste Topheth, & Vallis filij Ennom, sed Vallis occisionis.

Vallis Hinnom.

Tympanorum locus mutandus prædicitur in locum interfectionis, eorum scilicet qui ibidem contra legem domini idolis sacrificauerunt, ut uerè dicatur uallis uanitatis & occisionis. Eum enim locum non solum Iosias prophanauit, sed etiã restitutum ab impijs filijs suis uel populo, Babylonius exercitus dei ordinatione multitudine occisorum ibi abominabiliorem reddidit.

7 Et dissipabo cõsiliũ Iuda & Ierusalẽ in loco isto: & subuertã eos gladio in cõspectu inimicorũ suorum, & in manu quærentiũ animas eorum: & dabo cadauera eorum escam uolatilibus cœli, & bestijs terræ.

Siue cõsiliũ dicatur senatus, qui à cõsilijs sunt regibus & præfectis, siue praua studia principũ, populi, & sacerdotum contra pios & dominũ, satis cõstat euacuatum utrunq;, dum illi occisi sunt & captiui ducti in Babylonẽ, & Ieremias insidias illorũ euasit, locusq; prophanatus est cadaueribus occisorũ sacerdotũ, falsorum prophetarum, & principum perfidorum.

8 Et ponã ciuitatẽ hanc in stuporẽ, & in sibilum: omnis qui præterierit per eã, obstupescet, & sibilabit sup uniuersa plaga eius.

Quis credidisset caput totius Israëliticæ gentis, cuius dominus deus erat, ubi unicè colebatur, & templũ gloriosum & arca domini erant, perdendum? Et tamen id ut prædicitur, sic factum est, propter malitiam populi

Obedientia & fides.

& inobedientiã. Vt clarè uideatur nihil æquè deo acceptum atque obedientia & fides, quibus illi caruerunt, nec est uel fuit unquã clades celebrior, quàm eius urbis ubi debitus deo cultus, iustitia & religio sancta, seruata non fuerunt: ideoq; toties est urbs ipsa subruta & prostrata, quæ & deum suum toties prodidit, ut commiserationem non inuenerit à prætereuntibus.

9 Et cibabo eos carnibus filiorũ suorum, & carnibus filiarum suarũ: & unusquisq; carnes amici sui comedet in obsidione & in angustia in qua concludent eos inimici eorum, & qui quærunt animas eorum.

Non legimus à Babylonijs obsessos carnes comedisse filiorum. In Romana quidem Iosephus cõmemorat: sed mos prophetarũ extrema & crudelissima comminari, non ut in specie omnia usu ueniant, sed ut eis omne crudelitatis & sæuitiæ genus ob oculos ponatur: quanquã non omnia facta conscribi potuerint, & æquè crudele fuit filios tot nobiles aspiciente patre rege occidi, & ilico uisu priuari exoculatum & captum.

10 Et conteres lagunculam in oculis uirorum qui ibunt tecum.

Vehemẽtius propheta mouet, cũ sermonẽ actione & gestu adiuuat, nihil tamen proficiebat: hi enĩ apud quos agit, animũ à deo desp̃derãt. Sic symbola pijs & profecua sunt & grata, impijs ludibriũ ac risum mouent.

11 Et dices ad eos: Hæc dicit Dñs exercituũ, Sic cõterã populũ istũ, & ciuitatẽ istã: sicut conteritur uas figuli, quod non poterit ultrà instaurari: & in Topheth sepelientur, eò quòd nõ sit alius locus ad sepeliendum.

12 Sic faciam loco huic, ait dominus, & habitatoribus eius: & ponam ciuitatẽ istam sicut Topheth.

Ex testis cõminutis uasis figulini nihil refici potest, sic & populum funditus periturum comminatur, uehementia sermonis rhetorica. Nam post captiuitatem Babylonicam, ad quam ille spectat, aliqua fuit instauratio populi, quamuis perfectè nunquã fuerit restitutus sed tus, de quo semper in primis gloriati fuerãt. Indicat insuper occisos in urbe maximo numero, pro expiatione eius cadauera sepulta fuisse in Topheth, ut alibi locus sepeliendi nõ occurrerit, simili fato, quod & Iosiæ temporibus in Bethel & Topheth contigerat.

13 Et erunt domus Ierusalem, & domus regum Iuda sicut locus Topheth immũdæ: omnes domus, in quarum domatibus incensarunt omni militiæ cœli, & libauerũt libamina dijs alienis.

Huc insaniæ peruenit nouarũ rerum immoderatũ stu dium, ut peregrinis ritibus in publico satiari nõ possint animi deo inanes. Hinc & apud Christianos tot myriades sacrorum non poterant implere stultorum superstitionem, nisi penetralia quoque uelut apud Iudæos idolis scaterent, quæ ad cultum adorationemq; familiariter prostarent. Vbi enim uera ueri dei cognitio nõ est, quid firmum ac solidum esse potest? Aut quæ religio est quæ ad uerum deum religata non est?

14 ¶ Venit autẽ Ieremias de Topheth, quò miserat eum dominus ad prophetandũ, & stetit in atrio domus domini, & dixit ad omnem populum:

15 Hæc dicit dñs exercituum deus Israël: Ecce, ego inducã super ciuitatem hanc, & super omnes urbes eius uniuersa mala quæ locutus sum aduersum eam: quoniã indurauerunt ceruicem suam, ut non audirent sermones meos.

Narratio historica est, reipsa contestando ueritatem & domini uoluntatẽ: facto interpretatur paradigma, idq;

idq; uulgo repetit, sed paucioribus, quasi dicat: Sicut maioribus dixi, sic ratum erit. Iudicium domini certissi me imminet cõtemptoribus uerbi dei & ceruicem contra creatorem obdurantibus.

¶ CAPVT XX.

1 ET audiuit Phassur filius Emmer sacerdos, q cõstitutus erat princeps in domo dñi, Ieremiã prophetantem sermones istos.

2 Et percussit Phassur Ieremiã prophetã, & misit eum in neruũ, quod erat in porta Beniamin superiori, in domo domini.

Phassur pontifex.

Iste Phassur erat præfectus & pontifex templi, princeps pseudoprophetarũ, cẽsor religionis, hæreticæ pravitatis inquisitor, hoc est, ueræ pietatis euersor. Data autem sibi sacerdotij dignitate in peruersum abutitur, non ut doceat & sermone corripiat, sed ut terreat pium cruciatibus, ut perfidia sua & prophetæ fides & iustitia ostendatur. Nõ est maior qui cedit, sed fortior qui ceditur. Nec solum percussit, sed & in neruũ coniecit, in locum captiuitatis, non reclamantem, sed patienter domini auxilium expectantem. Non nouum est pontifices templorũ persequi domini prophetas, ob prædicationis ueritatem & constantiam.

3 Quumq; illuxisset in crastinum, eduxit Phassur Ieremiã de neruo. Et dixit ad eũ Ieremias, Non Phassur uocauit dominus nomen tuum, sed pauorem undique,

Pauoris exitia.

Apparet metu populi Ieremiam dimissum è carcere, statim sequenti die, nec durius aliquid sanctũ prophetã egisse, quàm ut ex occasione nominis causam accepit prædicẽdi sibi iudiciũ dñi, pauorẽ maximũ olim incursurũ & exitiũ. Vtrũq; enim significare potest מגור, quod paronomasia quadã conuenit cũ משחור, quod clarum, excellentem, magnatem, uel ortum solis signat, sine pe littera. Vt si dicatur eum pro augusto dictum, futurum angustiatum, & pro nobili, mobilem.

4 quia hæc dicit dñs: Ecce ego dabo te in pauorẽ, te & omnes amicos tuos, & corruent gladio inimicorũ suorũ, & oculi tui uidebunt, & omnẽ Iudam dabo in manu regis Babylonis, & traducet eos in Babylonem, & percutiet eos gladio.

Tu quidẽ me perturbare uoluisti seruũ domini & ueritatis, te uerò perturbabit dominus in cõsciẽtia tua & propter amicos tuos, qui & gladio cadent te uidente & dolente longè acerbius quàm ego dolui: & omnem Iudam, ut sæpe & uerè dixi, tradã in manus Babylonij regis, ut partim capiãtur, partim gladio absumantur.

5 Et dabo uniuersam substantiã ciuitatis huius, & oẽm laborẽ eius, omneq; pretiũ, & cunctos thesauros regum Iuda dabo in manu inimicorũ eorum, & diripiẽt eos, & tollent, & ducent in Babylonem.

6 Tu autẽ Phassur, & omnes habitatores domus tuæ ibitis in captiuitatem, & in Babylonem uenies, & ibi morieris: ibiq; sepelieris tu, & omnes amici tui quibus prophetasti mendacium.

Vniuersas diuitias tam urbis quàm thesaurorum regiorum hostes capient: quicquid multis partũ est laboribus, usui erit impijs, & in Babylonẽ translatum uobis peribit. Tu quoque Phassur cum omni cognatione tua non quidẽ occideris, sed acerbius adfligeris: hæc omnia uidens, & in Babylonẽ abstractus, ibi mendacij tui quo decepisti pœnas laturus, inuidiam fratrum & seruitutis onus, sub quo oppressus morieris. Interim patientia prophetæ atq; prudentia discitur, quod missus in carcerem tacet, filẽtio uincit iniuriã. Nec tamen dissimulat, quod scit esse uenturũ, ut uel sic põtifex pseudoprophetа peccare desistat, & dei clementiam deprecetur.

7 ¶ Seduxisti me dñe, & seductus sum: fortior me fuisti, & inualuisti, factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me,

8 Quia iam olim loquor, uociferans iniquitatem & uastitatẽ clamito. Et factus est mihi sermo domini in opprobrium, & in derisum tota die.

Querela prophetarum.

Colloquiũ prophetæ est cum domino ex affectibus humanis, & gratia dei per fiducium bonitatis illius occurrente: ubi & fortitudinẽ docemur & perseueratiã in humana infirmitate qua circundamur semper, etiã qui sancti sunt, & prophetæ dei. Seduxisti, inquit, me & seductus sum: iussisti me ut prædicarem gentibus & populo meo euellendo, destruendo, plantando & fouẽdo, & ecce omnia fiunt deteriora, & nõ uideo nisi perditionem gentis, & maiorem indies contemptũ uerbi tui, nihil emẽdari, nec spem salutis expectari. Tu tamen confortasti me, ut pergam loquendo quæ debeo, uires suppeditas, ut sustinere possim impiorũ insultus. Deniq; non cessant præuaricatores ridere & subsannare me, quasi mentitus sim omnia, quũ uident me futura prædicere, quæ non ueniunt, uel tardius ueniunt quàm putabam. Diu est enim ex quo loqui & prædicere cœpi instans iudiciũ tuũ, iugiterq; clamo cõtra eorum impietatẽ, & de imminẽte uindicta pro puniẽda uiolẽtia & uastitate, quam interim increscere uideo, nihilq; minui de pfidia, augeri autẽ procaciã & contumaciã, ut uituperijs & sannis me quotidie obruant & opprobrijs.

9 Et dixi: Nõ recordabor eius, neq; loquar ultra in nomine illius, & factus est in corde meo quasi ignis exæstuãs, clausus q; in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinens.

Pusillitas prophetarum.

Tentat me non raro nec parum pusillanimitas, dum incassum laboro inuitus, & cogito ludi omnem operam meam, cupiens quietẽ & pectoris pacẽ, si fileã promouere, si taceã uerbũ tuum quod spernitur magis ac magis. Id cum ferè superatus uerecundè sed stultè propono, exæstuare incipit spiritus tui feruidus ignis, uelut clausus in ossibus & pectore, ut de agnita uolũtate tua tacere non possim: nec me cohibere quantumlibet periculoso in opere possum, te urgente.

10 Audiui enim cõtumelias multorũ, & terrorem in circuitu. Persequimini, & per-

sequamur eum (denuntiate, & denũtiemus eum) omnes uiri qui erant pacifici mei, & custodiẽtes latus meũ: si quo modo decipiatur, & prævaleamus aduersus eum, & consequamur ultionem ex eo.

Veritatis professores, quæ neminẽ palpat, necesse est multos sustinere aduersarios, undique obstrepentes & terrentes, mutuũ sese exhortantes ad oppressionẽ, conuitijs & malitiose cõfictis calumnijs. Inter quos comparebunt etiã quondã amici & familiares, proditores facti, ut traducti falso condemnentur ex societate consensuq; & dolis impiorũ, facilè concordantiũ contra pios, ad comprehendendũ prophetas, si fortè frangantur, & à seueriter prædicando abstineant. Aut si istud minus successerit, supplicium de eis sumant, tantum ut cesset prædicatio ueritatis, quam ut nolunt, sic nõ possunt sustinere. Id autem sancti non magnopere curant, scientes dominum astare sibi ut fortissimum bellatorem.

11 Dñs autẽ mecũ est tanquam bellator fortis: idcirco qui persequũtur me, cadent, & infirmi erunt: cõfundentur uehementer, quia non intellexerũt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur.

Studiũ inane cõtra uerbum dei.

Domino ferente auxilium contra impios nihil proficitur, quantumlibet mundo corrupto: sine effectu enim satagunt contra uerbum dei. Causa bona non perditur, si deus intendatur & iustitia: cuius persecutores impingunt & prosternuntur, non prævalent sed confunduntur ignominia sempiterna, quæ nunquã delebitur: stultè enim egerunt contra stimulum calcitrando, prouidentiæ diuinæ ordinem infringere cupientes, & uerbũ domini infirmare ut facillet.

12 Et (tu) domine exercituũ probator iusti, qui uides renes & cor: uideã quæso ultionem tuam ex eis: tibi enim reuelaui causam meam.

Probatio iustorum.

Solus est dñs qui probare nouit iustũ, ut solus cõspicit intima cordis & fidem quæ iustificat, qui licet propugnator sit fragilitatis humanæ, cõtra omnẽ impietatẽ, sinit tamen periclitari iustos, ut exerceãtur ad fidutiam maiorẽ, humiliẽtur, ut ardẽtius orent profectũ iustitiæ, & sese diligẽtius bonitati diuinæ cõmendent, à qua pendent toti, & nõ fraudãtur: ultionẽ autẽ dei optant, non odio uel impatientia, sed ad gloriã dei, cuius iustitiã & potentiam indignè ferunt contemni ab impijs.

13 ¶ Cantate dño, laudate dñm: quia liberauit animã pauperis de manu malorũ.

Gratulatoriũ carmen est pro liberatione sua à uiolentia, quam intulerat Phassur, gratias agẽs domino, cuius gratia non proprijs meritis saluatus est. Se enim credet & fatetur pauperẽ & fragilẽ, qui perpetuò sustinere malignos cogatur nisi dominus auxilietur.

14 Maledicta dies, in qua natus sum, dies in qua peperit me mater mea, nõ sit bñdicta.

Redit ad impatientiæ formam, quam ceperat ex carnis natura, cui etiam prophetæ & sancti uiri obnoxij sunt, quam ex gratia dei impugnãt, uel humiliter feren-

tes domino assiduè cõqueruntur, cupiuntq; dissolui & esse cum electis in sinu Abrahæ. Non ergo hæc dicta in exemplum trahenda impatientiæ, sed ut sunt fragilitatis humanæ confessio, sic ei qui solus succurrere potest & consolari conquerenda. Alioqui reuera melior est dies mortis corporeæ, cum anima liberatur de corpore mortis huius, quàm natiuitatis: & melius est in cœlestibus habitare, quàm in fictilibus & caducis improbisq; corporibus: & melius caro putat non esse, quàm uiuere in supplicijs, & absq; intermissione diseruciari: ut & Paulus ut sanctus & fidelis desiderarit eripi de hoc præsenti seculo nequam.

15 Maledictus uir, qui annuntiauit patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus (& quasi) gaudio lætificauit eum.

Stilus est conquerentis miserias intolerabiles, & diuturnas, detestantisq; improbitates hominũ in hoc mundo, & criminum augmenta, de quorum emendatione desperatur, cum non quid ratio & fides concupiscere debeat, sed quid zelus iustitiæ & impatientia spiritus desiderare possit, malle scilicet non esse, quàm tam pestilentem incolere mundũ. Interim tamen iuxta fidem, spem & charitatem in deum, præstat meliora sperare & petere, quàm domino, uel creaturis illius maledicere, quòd stultè tentatur, ei scilicet maledicere qui dolore obijt, qui natum puerũ nuntiauit, & nuntiauit masculum, ut lætificaret magis.

16 Sit homo ille ut sunt ciuitates quas subuertit dominus, & non pœnituit eum, audiat clamorem mane, & ululatum in tempore meridiano:

Sic homines loqui cõsueuerunt dum pessimè sunt animati, dum præ impatientia uindictæ sese continere non possunt: erumpunt enim in uerba, ut plurimum irratio[nabilia]. Id cum sanctis contingit, æque pro gloria dei & iustitiæ incremento zelantibus, ex amore æquitatis fit, humano more, quo & dominus sæpe loquitur, dum se pœnitere & irasci furoreq; arripi dicit, æque illi non competenti affectu, quo caret. Non potest homo ciuitates Sodomorum obrui, ob nuntiatũ partum filij; sed hyperbolici sermones sunt, quibus impatientia præsentium malorum exprimitur, ut quiduis aduersitatum leuius ferendum arbitretur, quàm id quod urget. Vulgi enim locutionibus scriptura utitur, & prophetæ omnes, quæ secundum loca, tempora, & gentes uariantur. Vlulatus autem meridianus, quo crimina Sodomorum clamauerũt in cœlum, & matutinus clamor, aliud non significant, quàm assiduitatem peccantiũ, qua fatigata bonitas diuina pessima fama Sodomorũ, radicitus euertere urbes eas uoluerit.

17 qui nõ me interfecit à uulua, ut fieret mihi mater mea sepulchrũ, & uulua eius conceptus æternus.

Vita hominum laboriosa est sine grato otio, cum difficultate bene operandi. Mortuus autẽ ex utero, ut nihil sentiat commodorũ huius uitæ, sic incõmoda quoq; non sentit. Mater sepulchrũ fit, cũ ante partũ fetus deficit.

Ut nemo hominum desideraret, si æterna illos maneret damnatio, quia scilicet sine circuncisione uel baptismo obijssent, quod friuolè hactenus docuerunt complures docti, pij & impij.

18 Quare de uulua egressus sum, ut uidere laborem & dolorem, & cõsumerentur in confusione dies mei?

Angoribus cõprehensus putat præstabilius esse non uiuere quàm dolere semper. Continuam fatigationem & laborem infructuosum plangit propheta, qui confitetur ignominia per totam uitam suam, irritas uidens prædicationes suas ad populũ suum, quem cernit uelle perire, & salutaribus monitis nequaquam acquiescere. Id enim fidelibus prophetis infernus est, intolerabilis meror, & calamitas maxima.

¶ CAPVT XXI.

1 Verbum quod factum est ad Ieremiam à domino, quando misit ad eum rex Sedechias Phassur filium Melchiæ, & Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, dicens:

Ordinis interruptio.

Non seruatur in prophetis regum & temporum ordo, sed præposterè factum prius refertur, & contrà. Aliud est enim historiã ordinare, aliud in uolumen colligere multis dicta temporibus, ut de hoc libro Baruch fecisse uidetur. Eo aũt tempore quum obsideretur à Babylonio urbs Ierusalem, rex Zedekias ultimus, ad Ieremiam mittit, quem prius monitorem ferre nolebat consultorem cupit, mittens nuntium, quia noluit populum & principes scire se reuereri & credere prophetæ, quem perditum uolebant. Phassur autem hic filius dicitur Melchiæ, cum is qui superius prophetã percussisse dictus est fuerit filius Emmer.

2 Interroga pro nobis ad dñm, quia Nabuchodonosor rex Babylonis prælia aduersum nos: si forte faciat dñs nobiscũ secũdũ omnia mirabilia sua, & recedat à nobis.

Calamitas fructuosa.

Inquirunt cõpulsi dominũ, qui sponte prophetas mittentem audire noluerũt. Piorum hominũ ingens fructus et necessitas est, quoties calamitates imgruũt ob peccata: & propter paucos bonos sæpe parcitur multis malis obsessi effugere se nõ posse sentiũt, tunc nõ amore dei, sed sui, domini gratiã quærunt. Optat potius quàm sperat rex exemplum diuinæ clemẽtiæ ædendũ, ut Ezechiæ temporibus fecerat contra Sennherib ad intercessionem Esaiæ: sed nõ tunc tantus erat cõtemptus Esaiæ etiã apud Achas impijssimũ, quantus nunc est apud regem & populum, ante præsentem obsidionem.

3 ¶ Et dixit Ieremias ad eos: Sic dicetis Sedechiæ.

4 Hæc dicit dñs deus Israel: Ecce ego conuertam uasa belli, quæ in manibus uestris sunt, & quibus uos pugnatis aduersum regẽ Babylonis & Chaldæos, qui obsidẽt uos in circumitu murorũ, & congregabo ea in medio ciuitatis huius.

5 Et debellabo ego uos in manu extenta, & in brachio forti, & in furore, & in indignatione, & in ira grandi.

6 Et percutiã habitatores ciuitatis huius: homines & bestiæ pestilẽtia magna morient.

Frustra repugnabitis obsidenti, & arma bellica uestra sine meo nutu non proficient cõtra hostes, intra urbem capti obsidione, me hostem sentietis: ego uos debellabo indignatione & iudicio meo, ut uos & quicquid spirat uobiscũ fame & pestilentia intra urbem sitis morituri. Biennio enim obsessa fuit, unde & pestis exercitui illorum abesse non potuit. Absq; ullo autẽ strepitu pugnantiũ urbs tanta capta est, ut non quos uincerent, sed quos tantum caperent haberent.

7 Et post hoc ait dominus, dabo Sedechiã regem Iuda, & seruos eius, & populũ eius, & qui derelicti sunt in ciuitate hac à peste, & gladio, & fame, in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manu inimicorum eorũ, & in manu quærentiũ animã eorũ: & percutiet eos in ore gladij, & non flectetur, neq; parcet, nec miserebitur.

Prophetica uirtus.

Hic perspecta sit prophetica uirtus, cum etiã ipsi regi nihil obscurè sua scelera & eorũ uindicta denuntiãtur. Miserabilis sanè conditio, ut residuos à peste, gladio, fame tyrãnus capiat, & in terrã hostilẽ seruos uẽdat, sine clemẽtia & cõmiseratione: sed iuramentũ fregerat, & fœdus periurio ruperat, in blasphemiam diuini nominis: & prophetæ monita riserat, & mendacia iudicauit.

8 Et ad populũ hunc dices: Hæc dicit dominus: Ecce ego do coram uobis uiã uitæ, & uiam mortis,

9 qui habitauerit in urbe hac, morietur gladio & fame, & peste: qui autem egressus fuerit, & transfugerit ad Chaldæos, qui obsidẽt uos, uiuet, & erit ei anima sua quasi spolium.

Consiliũ periculosum.

Consulit populo, ut qui sibi consultum uelint, transfugiant ad Chaldæum. Contra regis & principum uoluntatem, magno uitæ suæ periculo, prophetare & cõsultare per uerbum domini iubetur, quod aliud nõ uidebatur esse quàm proditio urbis & populi, sed consolatur eum, & eripit qui imperat. Sic, inquit, offensus sum, ut urbem delendã decreuerim, ideoq; melius habebit egrediens ciuis, quàm remanens. Pium quidem est defendere patriam, sed in ira domini, & contra uerbum dei, quæ meliora etiam uidebantur impia erunt.

10 Posui enim faciem meã super ciuitatem hanc in malum, & non in bonum, ait dominus: in manu regis Babylonis dabitur, & exuret eam igni.

Faciem ponere in aliquẽ, est irasci & uelle punire. Vultus pro anima capitur. Hæc dudum prædixerat, sed non credebantur, donec adiguntur nunc ad ultimũ momentum periculi. In tempore audiendũ est uerbum domini, & cõsultandum cum pijs prudentibusq; uiris, & sanis acquiescendum consilijs. Iam urbs capienda erat,

& ignibus exurenda, quam saluam seruasse poterãt, si paruissent prophetæ: sed hæc sors perpetuo deprehendetur eorum qui prophetas non audiunt.

11 Et domui regis Iuda, Audite uerbũ domini.

12 Domus Dauid, hæc dicit dominus: Iudicare mane iudicium, & eruite ui oppressum de manu calumniantis: ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat propter malitiam studiorum uestrorum.

Regum exhortatio.

Nouit propheta reges et principes de familia Dauidis primores in regno toties monitos non emendandos, iubetur tamen ut ad resipiscentiã moneat, iustitiã colant, odio uel fauore non moueantur in iudicio, eripere oppressos à calumniatoribus: id si negligatur seuerissimè uindicandũ docetur à domino, qui iustitiam diligit, & partes fouet miserorũ. Certũ indiciũ habeatur instantis calamitatis, si sic corrũpatur iustitia, ut personarũ acceptio locũ inuenerit, & munera pro iudicio largiantur, pupillis & uiduis neglectis, moribusq; corruptis.

13 Ecce ego ad te habitatricem uallis solidæ atq; campestris, ait dominus: qui dicitis: Quis percutiet nos (*terrebit nos?*) & quis ingredietur domus nostras?

14 Et uisitabo super uos iuxta fructum studiorum uestrorum, dicit dominus, & succendam ignem in saltu eius, & deuorabit omnia in circumitu eius.

Mẽsura mali impleta.

Monitor nihil proficit dum malorũ mensura impleta fuerit coram domino. Commendat quidem clementiam suam dominus tam sedulò exhortando, sed iudiciũ peruersitatis puniendæ æquè urget, & hominum malitia proditur, & dei ueritas indicatur, tolliturq; excusatio, & arbitrij humani libertas irridetur, cõmendatur autẽ gratia dei. Loquitur autẽ contra Ierusalẽ, quæ se instar durissimæ petræ inexpugnabilẽ putauerat atque robustam, pro murorũ soliditate. Saltum quoq; uocat, quia incendio præparatã & peruiam hostibus, non montem altum, qui difficulter ascendi potest: quasi dicat, Inueniam uos ubicunq; habitabitis, in montibus, uallibus, petris uel campestribus, succendam ignem per nemora uestra, lucos amenissimos exuram, & fructum rependam adinuentionibus uestris.

¶ CAPVT XXII.

1 HAec dicit dominus: Descende in domum regis Iuda, & loqueris ibi uerbum hoc,

Caput istud non uno argumento conficitur, ut sit uelut unus sermo usq; ad uigesimũquartũ caput. Primò aulicis ostendit scelera, deinde sacerdotibus, tandẽ populo corrupto. Iuxta Hebræorum sectiunculas uidetur collectaneum ex prophetijs, uarijs temporibus à Ieremia dictis. Primũ hic deterret à uitijs regum, post mortem scilicet Iosiæ, cum Ioachas succederet, & fratres sui iuniores non nihil ab auita probitate aberrare uiderentur, ob idq; regno finis & consummatio imminere uideretur, quæ & iam antè à prophetis prædicta fuerat & prophetijs. Ideo tempestiuè deus præmonet per prophetã hunc Ieremiã, quem iubet de domo orationis descendere in domum regis Iudæ.

2 & dices: Audi uerbum domini rex Iuda, qui sedes super solium Dauid: tu & serui tui, & populus tuus, qui ingredimini per portas istas.

Primum & maximũ regis officium est, & seruorum eius, quorũ ministerio imperat, ut audiãt uerbũ domini, non solum Deuteronomium legendo legis Mosaicæ, sed etiam prophetis in uerbo domini missis auscultãdo, qui nihil adferũt quàm mandatũ domini. Id autem exemplo Dauidis, cuius iugiter fides & obedientia cõmendatur, & promissio perpetui regni, ideo solij illius semper fit mentio. Qui transitis per portas istas, id est, ambitiosa arrogantiq; ornatu hic uersamini.

3 Hæc dicit dominus: Facite iudiciũ & iustitiam, & liberate ui oppressum de manu calumniatoris, & aduenam, & pupillum, & uiduam nolite contristare, neque opprimatis iniquè, & sanguinẽ innocentem ne effundatis in loco isto.

Officium aliud est iustè regere & iudicare subiectos, protegere imbelles, uindicare iniuriatos, personis miserabilibus tutelam præstare, peregrinos humaniter exulantes curare, & profligare de regno suo omnem iniquitatem, non solum non effundere innocentum sanguinem, sed uindicare effusum.

4 Si enim facientes feceritis uerbum istud: ingredientur per portas domus huius reges sedentes de genere Dauid super thronum eius, & ascendẽtes currus & equos, ipsi & serui, & populus eorum.

Promittit hæc obseruantibus tranquillitatẽ & pacẽ perpetuã, quæ sub tyrannis cõsistere non potest, & legibus non seruatis. Deniq; ubi ius statuerint, & præscripserint sedulò, non inuidebit eis dominus regiã maiestatẽ, & pompam equorũ ac curruũ: si tamen illis, ut Samuel & Moses docuerũt, modestè usi fuerint, nõ ad superfluitatem & inanem iactantiã, quæ in populo dei locum non habet, propter quæ & Salomon non cõstitit, & regnum tam superbum ad posteros non transmisit.

5 Quòd si nõ audieritis uerba hæc, in memetipso iuraui, dicit dominus, quia in solitudinem erit domus hæc.

Serioſe iurat irreuocabile iudicium, quod & compertum est usu omnium filiorum Iosiæ, qui sanctis patris sui in hoc semitas deserentes, ad unum omnes male finierunt, & regnum uastarunt, cum regia tam urbe quàm domo tota, imò & domo Dauid, ne regnum sibi promissum esset cõtinuaretur in gloria temporali, sed collaberetur turpiter, donec à Christo Dauidis filio restauratum esset & perpetuatum.

6 ¶ Quia hæc dicit dñs sup domũ regis Iuda, Galaad tu mihi caput Libani: si nõ ponẽs fuero te solitudinem, urbes inhabitabiles &

& lanctificabo super te interficientẽ uirum & arma eius, & succident electas cedros tuas, & præcipitabunt in ignem.

Alia prophetia est, sed quia de eodẽ regno Iudaico dicta, ideo cõtinuatur per Quia: quæ tamen Coniunctio non semper cõtinuationis est nota. Tu, inquit, regnũ Iuda & familia Dauidica caput factũ es totius Israëlis, qui per Galaad significatur, qui principalis est mons ultra Iordanem, sicut mons Sion citra, qui & portio quædam illustrior est montis Libani. Sed ut glorioſißimum ſis, tamen propter peccata tua eueniet tibi, quod & monti Galaad regno Israëlitico. In desertũ enim redigeris, & urbes subuertentur ab exterminatore, nunc hoc, nunc illo, donec totum euanescas: desciſis tuis magnificis cedris, hoc est, principibus tribuũ, regibus & ducibus, uastatoq; omni eo, quod eximiũ, elegãs, spectabileq; erat, quæ omnia uelut ignibus incinerata uastabuntur, ædes Hierosolymis tam sacra quàm regalis comburentur.

8 Et pertranſibũt gẽtes multæ per ciuitatẽ hanc, & dicet unuſqſq; proximo ſuo: Quare fecit dominus ſic ciuitati huic grandi?

9 Et reſpondebũt: Eò quòd dereliquerint pactũ domini dei ſui, & adorauerint deos alienos, & ſeruierint eis.

Exaggeratio miseriarũ est, dum illis nemo cõmiseretur, dum subsannãtur insuper, et tantæ cladis causæ turpißimæ diffamãtur undique, quia perduelles fuerint in fœdus domini dei sui, quo abiecto, uanis idolis inhæserint, & alienis obtulerint, quod domino deo suo obligabantur, ut irritarent omnipotentem.

10 ¶ Nolite flere mortuum, neque lugeatis ſuper eum fletu: plangite eum qui egreditur, quia non reuertetur ultra, nec uidebit terram natiuitatis ſuæ:

11 quia hæc dicit dominus ad Sellum filiũ Ioſiæ regis Iuda, qui regnauit pro Ioſia patre ſuo, qui egreſſus eſt de loco iſto, Non reuertetur huc amplius:

12 ſed in loco ad quem tranſtuli eũ, ibi morietur, & terrã iſtam nõ uidebit amplius.

Verisimile est hoc capitulũ prophetiã esse cõtra oẽs filios Ioſiæ, qui omnes fortaßis dicũtur uno nomine Sellum, quia cõsummauerint, hoc est impleuerint uel finierint, imò perdiderint regnũ Israël. Oẽs enim successiuè regnarunt, & ignominioſe capti sunt omnes, & extra Hierosolymã, imò extra terrã Israël mortui sunt, & sepulti sine honore solito exhiberi regibus. Ioachas enim qui Sellum à quibuſdã specialiter putatur: oẽs enim filij Ioſiæ fuerũt multis nominati nominibus: primus in Aegyptũ ductus est, cuius frater Eliachim substitutus in loco eius, à Babylonio captus est, cuius filius successor Iechonias, cum matre quoq; abductus est Babylonẽ. Cuius patruus Sedechias ultimus omnes totũ regnũ, ductus & ipse excæcatus Babylonẽ. Totam hanc uidetur tragœdiã Ieremias paucis notasse. Nullus enim ut mortuus lamẽtatus est in ciuitate Dauid, ſed ut nunq; reuerſuri, nõ ſine omniũ dolore defleti.

13 ¶ Væ qui ædificat domum ſuam in iniuſtitia, & cœnacula ſua non in iudicio: amicum ſuum opprimet fruſtra, & mercedem eius non reddet ei.

14 Qui dicit: Aedificabo mihi domum latam, & cœnacula ſpatioſa: qui aperit ſibi feneſtras & facit laquearia cedrina, pingitq; ſinopide.

Prophetia est alia generalior fortaßis, sed quæ uidetur causam tantæ infelicitatis regum istorum explicare, quia scilicet per fastum suum cum iniuria subditorum, nõ curarunt iustitiã & iudicium, de quibus toties cõmonebantur à propheta ad id miſso, sed curabant ambitioſa ædificia & cœnacula ampla, domus mensurarum, & perflatilia, magnificasq; ædes, quas & pingebãt, & pretioſis feneſtras poſtibus inſolita curioſitate & pretio nimio, ſudoribusq; id agebant pauperum, quibus laborum pretia non reddebant. Hoc peccatum fuiſſe uidetur omnium filiorum Ioſiæ, quaſi perpetuò uicturi & regnaturi eſſent, cum breui admodum tempore dirauerint illorum magnificentiæ.

15 Nunquid regnabis, quoniam confers te cedro? pater tuus nunquid non comedit & bibit, & fecit iudicium & iuſtitiam tunc cum bene erat ei?

Num hiſce rebus administratur regnũ, ut nulla maior ſolicitudo ſit regibus quàm ut cedrinas ſibi domos & ſuperbißimas, & ad compariũ inuidiã ædificẽt? Hæc ſine exemplo maiorũ nunc tentãtur ab his regibus. Maiores tui omnes edebãt & bibebãt ſplendidè quidẽ ſatis, ſed iudicium & iuſtitiam curabant in primis, & bene habebant. Patriarchæ gentis tuæ temperãter per omnia uiuebant, ideo proſperabantur in omnibus: nunc quanto plura deſideratis, tanto pluribus indigetis. Regum uanitas.

16 Iudicauit cauſam pauperis & egeni in bonum ſuum. Nunquid nõ ideo quia cognouit me, dicit dominus?

Tam Ioſias pater tuus quàm priores boni ſtrenuè obibant uerum munus regiũ, iudicando iudiciũ, & cauſas proſequendo egenorum & afflictorum, quod illis commendaueram perficiendũ, ideo bene illis erat. Sciebant enim me, & de implenda uoluntate mea ſoliciti erant, religioſi, clementes & iuſti.

17 Tui uerò oculi & cor ad auaritiam, & ad ſanguinem innocentẽ fundendũ, & ad calumniam, & ad contritionẽ faciendum.

Contra autẽ tu uiuis ſine timore mei, & zelo iuſtitiæ, non ſpectas munia regis & officiũ, ſed totus in hoc es, ut diuitias undecunque colligas & proſundas in uanos uſus, faſtuoſa, nimiumq; pretioſa palatia extruendo, citò euertenda & ignibus cõflagranda. Interim iniuriam & uim fieri ſinis ſanctis & impotentibus, & innocentum ſanguinem effundi non horres.

18 ¶ Propterea hæc dicit dñs ad Ioacim filium Ioſiæ regẽ Iuda, Non plangent eum, uæ frater & uæ ſoror: non plangent eum, uæ domine, & uæ inclyte.

19 Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.

Contra regē Ioiakim.

Ex nomine nunc contra Iehoiakim filium Iosiæ secundum, prophetat, quod nō sit in sepulchro regū sepelien dus, quia non in Ierusalem uel regno moriturus: hoc per exaggerationē propheta explicat more suo. Non enim exequiæ honorabiles mortuo celebratæ sunt, ut luctu publico plangeretur mors eius: sed ut exosus tam amicis quàm hostibus, sine dolore gētis suæ interiit impius. Insepultus dicitur, quia sepultus non legitur, sed à latrunculis Chaldæorum interfectus, uinctusq; catenis in Babylonem ductus, 2. Paralip. 36.

20 ¶ Ascende Libanū, & clama: & in Basan da uocem tuā, & clama ad transeūtes quia contriti sunt omnes amatores tui.

Fastus regui Iuda.

Contra fastum regis Iuda, qui & excelsas & amplas domos ædificabat ex cedris Libani, supra mensurā priorum regum, ut solent semper posteriora ædificia fieri preciosiora prioribus, cum interim pauperior fuisse uidetur prioribus ob frequentes regum attritiones propter peccata sua, & omnia propiora essent ruinæ imminenti. Tunc enim preciosius ædificari solet ut plurimū, dum urget statim futura magna clades ædificatori uano. Alloquitur autem regnum Iuda, ut in æditissimis totius Israëlitici regni montibus uocem planctuum ædat, proximū perditioni: & in extremitatibus regni, quasi frustra aduocans amicos reges, cum quibus fœdus inierat ad se defendendū contra eos, desperato auxilio dei, quem non reuerebātur. Illi enim omnes uicini reges iam Babylonico subiecti erant, Syriæ, Moab, Amon, Edom & Aegypti.

21 Locutus sum ad te in abundantia tua: dixisti, Non audiā. Hæc est uia tua ab adolescentia tua, quia nō audisti uocē meam.

Hæc tibi iam olim dominus per prophetas prædixerat, rebus tuis adhuc saluis, ut spem tuam poneres non in reges, sed in me, obaudires præceptis meis, fidem seruares deo & hominibus, iudiciū & iustitiam coleres. Tu uerò semper spernebas me & prophetas, iustum & æquum, religionem & ueritatem, contumaciter rebellando deo à pueritia tua, à regno Roboam & aliorum, imò à tempore exitus de Aegypto, semper inobediens, & dura ceruice ad uerbum domini.

22 Oēs pastores tuos pascet uentus, & amatores tui in captiuitatē ibūt, & tunc cōfunderis, & erubesces ab omni malitia tua.

23 Quæ sedes in Libano, & nidificas in cedris, quomodo cōgemuisti quū uenissent tibi dolores, quasi dolores parturientis?

Vidisti iam & uidebis omnes gentium uicinarum reges & pastores, quos semper amicos habere desiderabas contra admonitionem meam, duci captiuos, uel occidi à Chaldæorum imperio, ut & tu confundaris desperans te posse euadere, ut nec cuades, quantumlibet ad prolixam habitationem & iucundam palatia tibi extruxeris tecum uastanda. Nec solum confunderis, sed & dolebis, non uulgari languore, sed acerbissimo parturientium dolore, ut maiore non possis: tunc desines illustris & glorioſa uideri, sed ærumnosa & carbonum instar ingrata & deuastata.

24 Viuo ego, dicit dominus: quia si fuerit Chonenias filius Ioacim regis Iuda, annulus in manu dextera mea: inde euellā te.

25 Et dabo te in manu quærentiū animam tuam, & in manu quorum tu formidas faciem, & in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manu Chaldæorum.

26 Et mittam te & matrem tuā quæ genuit te, in terram alienam, in qua nati nō estis, ibiq; moriemini:

27 & in terrā ad quam ipsi leuant animam suam, ut reuertantur illuc, illuc non reuertentur.

De Ioakim prædixerat incōmoda, nunc de illius filio Chonenia, qui & Ieconias dictus est, quod & is licet innocētior, quia iunior, & breui tempore præfuit, tamen abijciendus sit in captiuitatem. Lege 4. Reg. 24.

28 ¶ Nunquid idolum contemptum atque contritum uir iste Chonenias? Nunquid uas absque omni uoluptate? quare abiecti sunt ipse & semen eius, & proiecti in terrā quam ignorauerunt?

Rex Chonenias qui & Ioachin & Ieconias, cōparatur simulacro aureo ex aliquo sacello rapto, et omnibus ornamentis nudato, quomodo hostili tempore fieri solet: sic hic regius splendor obscuratur, dum prædabitur de illustri palatio suo, exuitur paludamēto preciosо & regio, ligatusq; catenis ducitur in captiuitatem, conjiciendus in carcerem, in terra quam nunquam uiderat, sed oderat atq; horruerat. Hæc illius nunc patri prædicuntur à domino, sed semel decreta captiuitas regni impediri non potuit, & malignitas regū & populi indies declarabat iustum iudicium dei.

29 Terra, terra, terra, audi sermonem dñi.

Tertio nominata terra, secundū Iudæos intelligitur Iudæa & Galilæa, cum transiordana regione, quæ suis sedibus & Galilæa, cum transiordana regione, quæ suis sedibus rint euacuatæ habitatoribus per Chaldæos. Simplicitas dicitur increpationis terrorē significare triplicatam, ut audiat attentius quæ dicentur in eam: iam enim præter terram Iuda omnia uastata erant, & erepta Israëlitis.

30 Hæc dicit dominus: Scribite uirū istum sterilem, uirum qui in diebus suis nō prosperabitur, nec enim erit de semine eius uir qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat ultrà in Iuda.

Decerne nihil aliud de hoc Iechonia sperandū, quam quod prædixi, nulla spe uana lactetur, extorris erit à patria & regno relegandus in exiliū: in exordio regni sui infausta sentiet, nulla prosperitate gaudebit, sed sub uili cōditione tractabitur seruiturus regi Chaldæo: nec sperandus est status felicior successoris illius. Non enim ei succedet rex, ut ipse patri suo. Vltimus regū ipse erit de semine Dauid, qui regnum illud Iudaicum sine gubernaturi. Licet enim filium habuerit Salatiel, qui genuit Zoro-

Zorobabelẽ, is tamen regio ſtatu nullo refulſit, ſed ſubditus fuit Perſis & Medis. Quin & principes illi Iudæorum poſt reditum, quibus ſucceſſit Herodes Antipater, non fuerunt de ſemine Dauid, ſed Leuitico. Chriſtus uero dominus ſecundum carnem ab hoc Iechonia natus, confeſſus eſt regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, ſed æternum & incorruptibile, fundatum non in carne, ſed ſpiritu & fide Dauidis, cui promiſſus eſt.

¶ CAPVT XXIII.

1 Væ paſtoribus qui diſperdunt et dilacerant gregẽ paſcuæ meæ, dicit dominus.

Dixerat de regibus improbis, quorum exemplo tranſit ad omnes in genere paſtores, iuſtitiæ publicæ præfectos. Qui cũ ut ſapientia maiori donati à domino, & inſtituti ad ſalutem & inſtructionem populi ſunt: ſic ipſum dirigere, docere, conſolari & defendere obligantur ex officio. Duplo peiores ſunt lupis & urſis, ſi quos tuendos ut patres ſuſceperãt, ipſi depaſcant, diſperdant, diſſipent, & exuant à ſalute.

2 Ideo hæc dicit dñs deus Iſraël ad paſtores qui paſcunt populũ meum, Vos diſperſiſtis gregem meũ, & eieciſtis eos, et nõ uiſitaſtis eos: ecce ego uiſitabo ſuper uos malitiam ſtudiorum ueſtrorum, ait dominus.

Perfidia paſtorum.

Perfidia paſtorum in populum domini aliquouſq; toleratur à domino, ſed ſuo ſtatim tempore digne uindicatur. Pauperes enim & ſimplices à domino familiarius uindicantur, ſi rectores eorum impoſturis prodant quos fide curandos ſuſceperunt. Non uiſitaſſe uel negligenter expellere uel impulliſſe: cum gregis ſit nõ ſibi proſpicere, ſed ſimpliciter paſtoribus obedire. Ideoq; durius inuadẽdi paſtores à domino ſunt, ſi cæcis offendiculũ ponant, pijs et obſequẽtibus crudeli perfidia reſpondeant.

3 Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos illuc: & conuertam eos ad rura ſua, & creſcent, & multiplicabuntur.

Optimi paſtores.

Captatur occaſio loquendi de optimis paſtoribus mittendis, gregibus à domino electis & eligendis, ex ſermone habito de peſſimis paſtoribus, quo modo & Chriſtus loquitur de paſtoribus. Vt hic locus referri non poſſit, niſi ad apoſtolos domini miſſos eccleſijs electorum, quos ex omnibus terris relictos à domino, & erroribus multis ſeductos, per apoſtolos Chriſtus congregauit, ut cognitione dei ſui, eiuſq; beneplaciti et obedientia præceptorum eius paſcantur ad uitam ſpiritualem & ueram, deſerto errore idololatriæ, inſerti uero eccleſiæ fidelium, quæ ſinus ſit Abrahæ, in quo iuxta promiſſionem illi à domino factas creſcat & multiplicetur benedictum ſemen ut ſtellæ cœli & arena maris.

4 Et ſuſcitabo ſuper eos paſtores, & paſcẽt eos: & non formidabunt ultra, & non pauebunt: & nullus quæretur ex numero, dicit dominus.

Conſtituam congregationibus uere fidelium paſtores

apoſtolos & apoſtolicos uiros, ſuis quoſq; temporibus, qui non timeant animam ſuam ponere pro ouibus, ad Chriſti exemplar, qui plenum lupis mundum aggredi non formident, monſtra errorum depugnando: ſed & ſub talibus prælatis non ſibi timebunt oues, quia uitæ et ſanguinis profundendi teſtimonio comprobabitur doctrina ipſorum, & exemplo ſanctæ cõuerſationis, quã tutò ſequantur & æmulentur.

5 ¶Ecce dies ueniunt, dicit dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum: & regnabit rex, & ſapiens erit: & faciet iudicium & iuſtitiam in terra.

6 In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter: & hoc eſt nomen quod uocabunt (eum) Dominus iuſtus noſter (iuſtitia noſtra.)

Ex proſapia Dauidis naſcetur promiſſus mundo ſaluator, qui iuſtus eatenus ut iuſtitia ipſa dici poſſit & ſit, quia eam loco ſuo reſtituat Chriſtus dominus, et Iudæorum uelint nolint Meſſias, qui in mundo regnat, & fidei iuſtitiam erigit & reformat ſemper uerbo & influxu gratiæ ſuæ, quo noui homines redduntur, qui ignari fuerant dei ſui & ueræ iuſtitiæ. In cuius diebus orietur iuſtitia et abundantia pacis: etiam duæ tribus & decem pariter ſaluabũtur, ſi dei gratiã agnouerint & tempus uiſitationis ſuæ, gloriamq; domini dei ſui toto mundo celebrari gaudeant, & Emanuelẽ ſuſceperint, quem hic propheta eum indicat, cuius nomen dicatur Dominus, uel Iuſtus noſter, uel Iuſtitia noſtra: in idem enim redit ſenſus utriuſq;. Nulla eſt enim fidelium iuſtitia niſi Chriſtus, nec iuſtus quiſquam ex nobis eſt, ſed illius tantum freti iuſtitia ad dominum accedimus.

Chriſtus de familia Dauid.

7 ¶Propter hoc ecce dies ueniunt, dicit dominus: & nõ dicent ultra, Viuit dominus qui eduxit filios Iſraël de terra Aegypti:

8 ſed, Viuit dominus qui aſcendere fecit & adduxit ſemen domus Iſraël de terra aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eiecerã eos illuc: & habitabunt in terra ſua.

Magna quidem beneficia domini per totas ſcripturas & fidelium eccleſias celebrata ſunt per ſæcula, liberatio piorum ex Aegyptiaca captiuitate. Sed & à Babylone quidẽ eripuit Iudæos, ſed non magno numero, nec celebribus miraculis, nec illa generalis fuit, ideoq; non tantopere celebrata. Chriſti uero myſterium tantis comprobatũ miraculis, totius orbis conſenſu agnitũ, in omnem terrã celebratur: mundũ ſcilicet totum, hoc eſt, electos oẽs Chriſti meritis à peccatis omnibus liberatos, ut credentibus deo per ipſum nihil imputetur ad mortẽ uel damnationem. Hæc domini dei gratia generalis, & conuerſio mundi ab idolis ad deũ ſolũ, tanta eſt & tam celebris, ut priſca illa Iudaica beneficia ueluti obliterata uideantur comparatione huius tantæ ſalutis & redemptionis totius mundi per Chriſtũ. De terra Aquilonis filij Iſraël cõgregandi prædicuntur, quia de tenebris & angulo noctis electi à mundi conſtitutione, & ueri Iſraëlitæ ſecundum fidem, quæ ſola deo placet, educti

Beneficium dei maximũ

sunt per Christũ in cœlestem Hierosolymã, quæ de cœlo descendit in ecclesiam sacrosanctã sponsam agni toto orbe diffusam, & gloria dei coruscantem, in qua uelut in sua propria terra habitant ciues sanctorũ & domestici dei. Vel aliã Iudæi expositionẽ ueriorẽ producant.

9 **Ad prophetas, Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt** (*incaluerunt*) **omnia ossa mea: factus sum quasi uir ebrius, & quasi homo madidus à uino, à facie domini & à facie uerborũ sanctorum eius.**

Cõtra pseudoprophetas.

Sermo est contra pseudoprophetas Ierusalem & Samariæ, quibus suam quoq; prædicit perfidiæ mercedẽ, qui negotium faciebant semper ueris prophetis, pernuciem populi, & calamitatem non modicam ueris prophetis inferebant: ideo corpore & animo perhorrescit, dum considerat grauissima mala quæ inducuntur hominibus, errore & perfidia prophetarum, non enim soli percunt, sed populos secum in ruinã trahunt. Ideo iusti non possunt non uehementer perturbari toto animo, dum huiusmodi pestem grassari uiderint in mundo, ut quò se uertant à facie perditionis tantæ non inueniant, domino tantum supplices fiant orationibus, & quibus bonis possint uiris querãtur ad aures, uel periculo capitis protrahant illorum nequitiam in publicum.

10 **Quia adulteriis repleta est terra, quia à facie maledictionis luxit terra, arefacta sunt arua deserti: factus est cursus** (*uoluntas*) **eorũ malus, & fortitudo eorũ** (*nõ recta*) **dissimilis.**

Corruptela fidei & morum.

Non tam adulteria taxat quã idololatriam, & in omnibus corruptissimos mores, propter quæ sic dominus terræ maledicat, ut lugeat sterilitate et hominũ raritate, dum cœlestibus à deo beneficijs non iam uisitatur rore & pluuia opportuna, dum sic omnia ruũt in præceps secundum nequitias humanæ libidinis & prauæ consuetudinis impiæq; propensionis, ut omnia sentiantur corrupta: contra quam corruptelam boni uiri nihil ualeant nisi sortem lamentari uicis humanæ, & ad exemplum Ieremiæ consternari, tædiumq; uitæ incidere, dum omnia aliter geri cernunt quàm ut oportebat, contra uerbum domini & publicam iustitiam.

11 **Propheta nãq; et sacerdos polluti sunt: et in domo mea inueni malum eorũ, ait dñs.**

Doctrina & ceremoniæ corrupta.

Tam ministerium templi quàm legis explanatio à sacerdotibus & falsis prophetis ex quæstu & luxu corrupta iacebant, cum interim fingerent sanctimoniam et forenses ritus: grauiter cæteros arguebant et puniebãt, culicem liquantes & camelum glutientes, mundi & nitidi ex cute, polluti autem animo, & plena ossibus mortuorum sepulchra. Ceremonias enim legales trahebant ad auaritiam suam, exhauriendo pauperes, diuitibus applaudendo sub typo diuini cultus, nihil aliud quàm suis affectibus seruiendo non deo.

12 **Idcirco uia eorum eis erit quasi lubricũ in tenebris: impellentur** (*enim*) **& corruent in ea: afferam enim super eos mala, annum uisitationis eorum, ait dominus.**

Non audent apparere quales sunt, sed hypocritarum

more lucem fingunt cum sint meræ tenebræ, scientiam cum error sit: sed id diutius non cælabunt. Manifestabitur enim mundo impostura sacerdotum, tam primi templi uastati temporibus quàm secũdi. Imò & Christianorum tam episcopi quã doctores cum similes priscis factis cernuntur, simili quoq; iudicio subiacebũt. Qui utinam hypocritæ essent, et impostoras publicas non multo sanguine effuso defenderent, cum se pessimos sciant, & de se talia publice dici & credi uere non ignorent. Sed manet, imò ingruit annus uisitationis suæ, ut ueluti Iudaïcis sacerdotibus & prophetis obstrepat totus mundus, nec fideliores ministri ecclesiastici domino miserante succedant, si dies domini non instet.

13 **Et in prophetis Samarię uidi fatuitatem, prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Israẽl.**

14 **Et in prophetis Ierusalem uidi fœditatẽ, adulterium, & iter mendacij: & confortauerunt manus pessimorum, ut non cõuerteretur unusquisq; à malitia sua: facti sunt mihi omnes ut Sodoma, & habitatores eius quasi Gomorrha.**

Samaritani qui sint ex euangelijs patet, extraordinarij cultores dei, qui præter uerbum domini dominos se docuerunt, qui credere cogunt hominũ doctrinis, siue uerbo domini quadrent siue aliter, qui traditiones humanis grauant conscientias fidelium, ut longe tolerabilior fuerit seruitus Iudæorũ, qui arca domini, lege & ara holocausti uel incensi omnibus neglectis, uitulos aureos coli suadebãt in domo domini & iudicio forensi, hoc est, in Bethel & Dan. Vt non difficile sit iudicare quibus hodie similes sint prophetæ Samariæ, & falsi prophetæ in Ierusalem. Vtriq; populi seductores, sed adulterantes, non solum scripturam, sed & alienas opes, & mentiendi licentia omnia peruertentes. Manent pessimorũ confortant consilijs & doctrina sua, ut sanctos prophetas persequantur & iugulent, ne qua ratione, morum obuietur suis nequitijs, ut libere illi facere quod agũt & libet: quibus nihil est odiosius quàm ueritatem sciri ab hominibus, uerbũ domini persequendi in ecclesijs, qui sanctos prophetas dñi persequuntur, et inuisos cupiunt mũdo, quorum merces paucis exprimitur, & dignissima comparatio. Omnes ut Sodoma mihi sunt, utcunq; cœlibatũ iactent, & uirginitatẽ laudent: et uelut Gomorrha sunt ciues tam Samariæ quam Ierusalẽ. Sicut enim sacerdos, sic quoq; populus est.

15 **¶ Propterea hæc dicit dominus exercituum ad prophetas, Ecce ego cibabo eos absynthio, & potabo eos felle: à prophetis enim Ierusalem egressa est pollutio super omnem terram.**

Quo profecerit duplex illud prophetarum genus, et iamdudum patuit, Samariæ & Iudæ regnorum uastatione, dum absynthio & felle acerbissimæ uastationis finiti sunt, & statum perdiderunt & quæstum. Quod autem à prophetis Ierusalem exierit hypocrisis & impietas in totam terrã, quid aliud est quàm falsa doctrina contamina

contaminatam esse omnem fidelium religionem?

16 ¶ Hæc dicit dominus exercituũ, Nolite audire uerba prophetarũ qui prophetant uobis, & decipiunt uos: uisionẽ cordis sui loquuntur, non de ore domini.

17 Dicũt dicẽdo his qui blasphemãt me, Locutus est dñs, Pax erit uobis: & omnibus qui ambulant in prauitate cordis sui, dixerunt, Non ueniet super uos malum.

18 Quis enim affuit in consilio domini, & uidit & audiuit sermonẽ eius? quis cõsiderauit uerbum illius & audiuit?

Non sunt audiẽdi prophetæ qui aliud prædicãt quàm uerbũ dñi, qui prophetis ueris detrahũt, quasi mẽdacia loquãtur, dum dicũt: Hæc dicit dñs: cum consiliũ domini negent cognitũ ueris prophetis de puniẽdis impijs, & uastanda Ierusalem: promittunt autẽ pacẽ & tranquillitatem etiã eis qui blasphemant uerbum domini.

19 ¶ Ecce, turbo dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens, super caput impiorum ueniet.

20 Nõ reuertetur furor domini usquedum faciat & usquedum compleat cogitationẽ cordis sui: in nouissimis diebus intelligetis consilium eius.

Iudæorum calamitat.

Calamitas tanta Iudæorum quæ hic describitur à prophetа, uidetur nedũ referenda ad Babylonicã, sed etiam Romanã captiuitatẽ, ubi turbo durissimi iudicij diuini obruit incredulos prophetarũ dictis, & Christi apostolorumq; doctrinæ, & miraculis maximis. Nec defecit ira dñi in eũ populũ, donec totũ uastauit, & quæ prædicta fuerãt à prophetis cõpleuit: idq; in ultimis, hoc est, Messiæ tẽporibus, quæ tempora posteriora sunt Iudæis, respectu eius in quo tẽplũ stetit & sacerdotiũ. Eo enim tempore & deinceps planè intelligit orbis consiliũ dñi circa Israëlitas, & completionẽ prophetiarũ omnium, dum impleta cernũtur dudũ prædicta à sanctis prophetis, dum interim semp pseudoprophetæ deprehendũtur falsi, mendaces & impij, quos deus, qui ueritas est, mittere & inspirare nõ potuit. Liquet autem uerorũ prophetarum fides & ueritas, dum tanta claritate cõpleri cernuntur ab illis ante tot tempora prophetata.

21 Nõ mittebã prophetas, & ipsi currebãt: nõ loquebar ad eos, & ipsi prophetabãt.

22 Si stetissent in consilio meo, & nota fecissent uerba mea populo meo: auertissem utique eos à uia sua mala, & à cogitationibus suis pessimis.

Non mittit prophetas.

Falsum dicũt prophetæ qui non mittũtur, uel non mittuntur à dño, qui currunt sponte, cum sancti Esaias & Ieremias non sine terrore subierint prophetãdi munus: & qui alia dicunt quàm reuelata à domino, itidem falsi sunt, & deceptores populi, qui tam malus nõ esset, nisi ex falsorum prophetarũ promissa indemnitate, etiamsi peccet. Insignis ergo cura adhibẽda est ecclesijs, ut uerbum domini à ueris prophetis prædicetur synceriter, et à uijs pessimis abstrahatur propensio plebis.

23 ¶ Putãsne deus è uicino ego sum, dicit dominus, & non deus delonge?

24 Si occultabitur uir in absconditis: & ego non uidebo eũ, dicit dñs? Nunqd non cœlum & terrã ego impleo, dicit dominus?

Adeò licẽter mentiũtur falsi prophetæ, & impij seducti ab ipsis, quasi uideãtur credere, ut credunt, deũ non curare nostra, cœlo sedere, terrena negligere, cum ipse omnia permeet, uideat & disponat, hoc est, omnia impleat, infinitæ sit tam notitiæ quàm potẽtiæ, à quo se hypocrisis falsorum prophetarũ abscondere nequit.

25 Audiui quæ dixerũt prophetæ, prophetantes in nomine meo mendaciũ, atque dicentes, Somniaui, somniaui.

26 Vsquequo istud est in corde prophetarũ uaticinantium mendaciũ, & prophetantium seductiones cordis sui?

Cum multa prædictionũ sint genera, prophetæ quoque multi sunt. Quorũ quidã somnijs prænoscunt futura, his dicitur, ne omnia quæ cernũt putent esse reuelationes diuinas, quæ propriè sanctis seruisq; dei ut plurimum aperiuntur & certius exponuntur.

27 Qui uolunt facere ut obliuiscat populus meus nois mei propter somnia eorũ quæ narrat unusquisq; ad proximũ suũ: sicut obliti sunt patres eorũ nois mei propter Baal.

Studiũ pseudoprophetarum.

Pseudoprophetæ in hoc sunt, ad hoc conantur, ut sine cunctatione prædictionib. suis adhæreãt fideles, omnia credant, quæ etiã sine uerbo domini proponunt. Nec id solum uolũt, sed ut cõtra uerbũ dñi sanctitati ipsorum & hypocrisi credatur. Quo fit ut gloria domini decrescat, dum sibi impijs suis imposturis arrogant mentiẽdi impossibilitatẽ & errãdi, cum mendax sit omnis homo, & solum uerbũ domini in æternũ subsistat. Ea uia olim aberrarunt patres Iudæorũ, dum neglecta dei lege, traditionibus humanis proprios sibi deos cultus ac errores prostituerũt, unde & in idololatriã abominandam inciderunt, ut Baalim colerent pro deo uero.

28 Propheta qui habet somniũ, narret somnium: & qui habet sermonem meum, loquatur sermonẽ meum uerè: quid paleis ad triticum, dicit dominus?

29 Nunqd nõ uerba mea sunt quasi ignis dicit dñs: & quasi malleus cõterens petrã?

Hæretica quæ habenda.

Somniũ ut non est admirandũ nisi immissum à domino, sic nec exponitur nisi ab habente spiritũ domini, cui conscientia syncera testimoniũ exhibet, si ueritas sit & non mendaciũ. Quicquid præter uel contra uerbũ domini, ut certum docetur, hæreticũ habendũ est, in rebus fidei & morũ, & instar paleæ purgabitur per spiritũ dñi, & deprehẽdetur esse cõtra uerbũ scripturæ clarũ. Non enim medullã habent soliditatis & pietatis, ideo credentiũ fidem & mores nutrire nõ possunt, sed uelut inanes stipulæ igne discussionis & tentationis exurũtur, quem ferre non possunt sicut aurũ & gẽmæ. Meus, inquit, sermo ignis est & malleus, prænuntians peccatoribus futura supplicia: & euinci nulla humana uiolen

tia potest, qui & corda impiorum terret ac cõcutit, ut emendentur uel conterantur.

30 ¶ Propterea ecce ego ad prophetas, ait dominus, qui furantur uerba mea unusquisq; à proximo suo.

31 Ecce ego ad prophetas, ait dñs, qui assumunt linguas suas, & aiunt, Dicit dñs.

32 Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait dominus: qui narrauerunt ea, & seduxerũt populũ meum in mendacio suo & in miraculis suis: cum ego nõ misissem eos, nec mãdassem eis: qui nihil profuerunt populo huic, dicit dominus.

Repetitiones prophetícæ.

Repetitio frequens prophetis, ut fortius inculcent domini beneplacitũ, ne de necessaria doctrina ecclesijs unquam sibi prædicator erubescendũ putet, si idem sæpe repetat, donec opere perficiatur quod cõsulitur, uel clarè intelligatur quod docetur: alioqui pernicios⁹ fastus est, & serui infidelis uitium si honoris sui rationem habens, profectũ ecclesiæ negligit. Tria interim discimus genera falsorum prophetarũ. Primum eorũ qui ex alijs audita dei uerba suffurantur & dicunt, ut eis credatur etiã alia dicentibus. Secundũ qui fiducia linguæ putant posse omnia persuadere populo simplici, & utũtur uerbis uerorum prophetarũ, dicendo: Sic ait dominus deus exercituum. Tertium somnia sua iactantium tanquam uisiones dei, cum sint mera mendacia.

33 Si igitur interrogauerit te popul⁹ iste, uel propheta, aut sacerdos, dicens, Quod est onus dñi? dices ad eos, Quid onus? proiiciam quippe uos, dicit dominus.

34 Et propheta & sacerdos & populus qui dicit, Onus domini: uisitabo super uirum illum, & super domum eius.

Onus propheticum.

Quia prophetæ solebãt populo peccatori tristia nuntiare, & cõminari supplicia, & id onus uocabant dñi, deus autẽ pro clementia sua diu sæpe sententiã differebat, putabat stultus populus, & à falsis prophetis deceptus, falsa fuisse quæ sancti prophetæ prædixerãt, remq; seriã & seuerã uerterant in ludũ & iocum, deq; prophetantibus irridẽdo dicebãt: Rursus hic pondus uidet & onus domini. Præcepit itaq; dñs, ut quærentibus impijs à propheta, Quod est onus domini? respõdeat eis propheta uerus, & dicat: Vos estis onus, & uos assumptio, quia tanti oneris mihi estis, ut posthac uos ferre nec possim nec uelim: & uos assumptio estis, quia assumam uos, & proijciã allidãq; & disperdã. Deniq; si qs posthac per ludũ onus hoc nominauerit & irrisionem, eum ego & domum suam delebo in perpetuum.

35 Hæc dicetis unusquisq; ad proximum & ad fratrem suũ, Quid respõdit dominus? & quid locutus est dominus?

36 Et onus dñi ultra nõ memorabit: quia onus erit unicuiq; sermo suus: & puertistis uerba dei uiuẽtis, dñi exercituũ dei nostri.

37 Hæc dices ad prophetã, Quid respondit tibi dñs? & quid locutus est dominus?

38 Si autẽ Onus domini dixeritis: propter hoc hæc dicit dñs, Quia dixistis sermonẽ istũ, Onus domini: & misi ad uos, dicens, Nolite dicere onus domini:

39 propterea ecce ego tollã uos portans, & derelinquã (*abijciã*) uos, & ciuitatẽ quã dedi uobis, & patribus uestris à facie mea:

40 & dabo uos in opprobriũ sempiternũ, & ignominiã æternã, quæ nunquam obliuione delebitur.

Docet quomodo loquendũ de uerbo dñi, ut ad præcep-
uendum irrisionẽ uerborũ dei nemo à proximo quærat,
Quod est onus domini? sed sic loquatur, Quid respon-
dit dominus? & quid locutus est dñs? Veterem loquendi modũ uersum in ludibriũ obmittite, & cum reuerentia discite loqui de uerbis meis, nec aliquãdo peruertatis uerba dei uiuentis, domini exercituũ. Quod si perxeritis illudere uerbo meo, non solũ uos abijciã, sed etiã urbẽ hanc uestrã, quam dederã patribus uestris, uobisq; dabo in opprobriũ & ignominiã sempiternã, quæ nunquam obliuione delebitur. Sententia est autẽ talis, Omnẽ irrisorẽ uerbi domini puniã. Cum reuerẽtia & timore dei loquendũ & cogitandũ est de uerbis domini & de sacrosancta uoluntate eius, deq; prophetarũ oraculis, similiter de euangelicis & apostolicis scripturis omnibus, nõ cum leuitate & risu, multò minus cum cõtumelia & blasphemia in uerbũ dei sancti & benedicti, contra adorandã angelis & sanctis omnibus ueritatẽ dei.
Repetitio in scripturis, inculcatio est rhetorica pertinens ad affectũ mouendũ & omnino persuadendum.

¶ CAPVT XXIIII.

1 Ostendit mihi dñs: & ecce duo calathi (*pleni*) ficis, positi ante templum dñi: postq̃ transtulit Nabuchodonosor rex Babylonis Iechoniam filiũ Ioacim regẽ Iuda, & principes eius, & fabrũ, & inclusorẽ de Ierusalem, & adduxit eos in Babylonem.

Siue spectrũ uiderit in spiritu tantũ, siue reuera posse ea
tos aliquãdo inuenerit cophinos uel calathos, ad quorũ
conspectum spiritus sanctus quæ sequũtur reuelauerit,
sicut apud figulum cõmonitus fuerat de uerbo dñi: sic
certè canistra, uel sportas uidit positas ante templũ do-
mini plenas ficuũ. Tempus quoq; uisionis exponit post
transmigrationẽ regis Iechoniæ, qui ad imperiũ dei &
Ieremiæ cõsilio sponte se tradiderat regi Babylonis: cum
quo & principes & artificũ meliores abierant, & qui
pretiosiora operabantur, qui gemmarum inclusores &
æris uarij artifices erant cum matre regis de Ierusalem
translati in prouinciam Babyloniorum.

2 Calathus unus, ficus bonas habebat nimis: ut solent ficus esse primi temporis: & calathus unus, ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eo quod essent malæ.

Rustica uidetur uisio ad corticẽ, sed plena est eruditionis & gratiæ. Ficus dulcissimæ sunt maturæ, suauis-
iucunde

iucundæ: immaturæ uerò offendunt maxime. Significabant autẽ quod etsi gens Iudaica tota in captiuitatẽ abitura esset, nõ tamen paria eis usu uẽtura omnibus. Hos calathos facilè esset exponere multipliciter de bonis & malis, electis & reprobis, euãgelio & lege, synagoga et ecclesia, gehẽna & electis. Sed hæc superuacanea sunt, cum litera à domino explicatur certissimè, ut incertiora & cõmentitia non immeritò obmittantur.

Calathi boni & mali.

3 Et dixit dñs ad me, Quid tu uides Ieremia? Et dixi, Ficus: ficus bonas, bonas ualde: & malas, malas ualde, quæ comedi nõ possunt, eo quod sint malæ.

Quærit à propheta non otiosè, sed ut attentũ reddat, & responsioni coaptet: qui & modo loquẽdi Hebraico utitur, dicens se uidere ficus, ficus bonas, bonas ualde: & malas, malas ualde. Quasi dicat, ficus supra modum elegantes, pulchras & dulces. Aliæ uerò supra modum austeræ & acerbæ, ut edi non possint præ acrore & acerbitate. Dicũtur autẽ ficus præcoces primi quidem temporis, sed eo desideratiores, primitiæ scilicet & optimæ, pretiosiores & primogenitales: hoc enim spectabat ad mysterium primæ transmigrationis.

Ficus bonæ & malæ.

4 ¶ Et factum est uerbũ dñi ad me, dicens,
5 Hæc dicit dominus deus Israël, Sicut ficus hæ bonæ: sic cognoscam transmigrationẽ Iudæ, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum, in bonum.
6 Et ponam oculos meos super eos ad bonum, & reducã eos in terrã hanc, & ædificabo eos, & non destruã: & plantabo eos, & non euellam.
7 Et dabo eis cor ut sciãt me quia ego sum dominus: & erunt mihi in populũ, & ego ero eis in deum: quia reuertentur ad me in toto corde suo.

Captiuitas duplex.

Sicut tu discernere potes ficus bonas à malis, sic ego inter bonos & malos cognosco & iudico. Primam captiuitatem fausta iudico, & feliciorẽ Iechoniã cum suis primo deportatũ in exilium, in quos deus posuit oculos in bonũ, quia acquieuerũt uerbo domini, quos & reduxit in terram suam, ædificauit & plantauit, tribuendo illis cor, ut se cognoscerent, & fierent populus domini. Quorum quosdã extulit gratia, honore & miraculis, Danielem scilicet & socios, Zorobabelem & Ezdram cum Neemia, Mardochæo & cæteris, quos & reduxit post septuaginta annos in personis proprijs uel filijs, qui & iterum facti sunt populus domini, & gratiam illis deus præstitit insignem, ut templum restituerint & urbem. Ad hoc autem parauerat dominus cor illorum, ut redirent ad dominum. Deus est enim qui operatur in electis & uelle & perficere.

8 Et sicut ficus pessimæ quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ: hæc enim dicit dominus, sic dabo Sedechiã regem Iuda, & principes eius, & reliquos de Ierusalem, qui remanserunt in terra hac, & qui habitant in terra Aegypti.

9 Et dabo eos in uexationẽ afflictionemq; omnibus regnis terræ, in opprobriũ, & in parabolam, & in prouerbiũ, & in maledictionẽ in uniuersis locis ad quæ eieci eos.
10 Et mittam in eos gladiũ, & famem, & pestem, donec cõsummantur de terra quam dedi eis & patribus eorum.

Malæ autẽ ficus Sedechiã significare dicũtur, qui contradicens sentẽtiæ dei, & prophetã indignè tractãs, captus est, & in Babylonem oculis excæcatis ductus catenis, in miseria mortuus est. Eos quoq; significabant, qui contra uerbũ dñi transfugerũt in Aegyptũ, qui ibidem quoq; capti sunt, quando Nabuchodnezer solium suum posuit in Taphnus, quo & præmiserat gladium, famem & pestem, donec cõsummerentur de terra hæreditaria, ut sint futuri in opprobriũ & fabulã, & in contumeliã ubiq; locorũ, quandoquidẽ dispergentur passim, nullibi subsistere ualẽtes, omniũ odio exponẽtur & direptioni, linguarũ exacutioni deseruiẽt, per omniũ ora malè audient Iudæi illi, sub Sedechia & post eum capiẽdi & passim trucidandi, donec nullus supersit.

Desertores impij.

¶ CAPVT XXV.

1 VErbum quod factum est ad Ieremiã de omni populo Iudæ: in anno quarto Ioacim filij Iosiæ regis Iuda, ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis.
2 Quod locutus est Ieremias propheta ad omnem populũ Iuda, & ad uniuersos habitatores Ierusalem, dicens,

Sermo est eiusdẽ argumenti, quo totus ferè liber constat, desolationis scilicet & excidij tam Iudaicæ gentis, quàm in circuitu existentium regnorum. A Babylonico quidẽ regno grauia passuri nuntiantur, quod tamen & ipsum suum quoq; iudicium sit reportaturũ. Fit autẽ ad omnẽ populũ Iuda, quem emendatũ uoluit, ut mala reliquis gentibus imminẽtia euaderent. Regnauit autẽ Ioakim filius Iosiæ post fratrẽ Ioachas undecim annis, cuius regni quartus annus primus fuit regi Nabuchodnezer Babylonio, qui octauo anno regni sui occidit Ioakim, & illius filium Ioachin captum cum matre Babylonem transtulit, cum tribus tantũ mensibus sedisset.

Argumentum libri ferè totius.

3 A tertiodecimo anno Iosiæ filij Amon regis Iuda usq; ad diẽ hanc: iste tertius & uicesimus annus, factũ est uerbum dñi ad me, & locutus sum ad uos de nocte cõsurgens & loquens: & non audistis:

Iosias regnauit annis triginta & uno, cuius regni tertiodecimo cœpit prophetare Ieremias per decem & nouem annos. Fuit ergo annus prophetiæ huius uigesimustertius prophetæ à uocatione sua, quartus scilicet Ioakim regis. A tanto ergo tẽpore locutus sum, ait propheta, ad uos in nomine domini, fideliter, sedulò & incessanter, admonendo & inculcãdo, quod est mane surgere, nihil ad rem opportunũ obmittere, sed continuò insistendo omnem, ut dicitur, mouere lapidem, omnia autem uanè & sine fructu.

Iosiæ regnum.

4 Et misit dominus ad uos omnes seruos suos prophetas, consurgens diluculo, mittens: & non audistis, neq; inclinastis aures uestras ut audiretis,

5 cum diceret, Reuertimini unusquisque à uia sua mala, & à pessimis cogitationibus uestris: & habitabitis in terra quam dedit dominus uobis & patribus uestris, à seculo & usque in seculum.

6 Et nolite ire post deos alienos ut seruiatis eis, adoretisq; eos: neque me ad iracundiam prouocetis in operibus manuũ uestrarum, & non affligam uos.

7 Et nõ audistis me, dicit dominus: ut me ad iracundiã prouocaretis in operib⁹ manuum uestrarum, in malum uestrum.

Cõtemptus uerbi dei. *Nec me solum audire recusastis, sed omnes quotquot ante me uobis prophetas dominus semper & sedulò miserat abiecistis, perseuerantes in ceruice dura, male tractando occidendoq; seruos domini, per quos uos dominus reuocabat ab impietate, idololatria, & omni iniustitia, si tamen patriam diligeretis, hæreditatẽ traditam patribus semper inhabitandã, & ab idolis dijsq; alienis caueretis, quorũ cultum & adorationẽ dominus æquanimiter ferre non potest, sed durè uindicare solitus est proditam gloriam suam. Quibus omnibus non effectum est, ut domino deo uestro obediretis, sed data opera irritare non puduit uos meam bonitatem, quam operibus manuum uestrarum offendistis.*

8 Propterea hęc dicit dñs exercituum, Pro eo quod non audistis uerba mea,

9 ecce ego mittam, & assumã uniuersas cognationes aquilonis, ait dominus, & Nabuchodonosor regem Babylonis seruum meũ: & adducã eos super terrã istam, & super habitatores eius, & super oẽs nationes quæ in circumitu illius sunt: & interficiã eos, & ponã eos in stuporẽ & in sibilum, & in solitudines sempiternas.

Sententia dei contra Iudam. *Prælecta accusatione recitatur sentẽtia dei contra Iudam, Propter inobedientiã capiendi estis à regno Chaldæorum, quod sibi totius aquilonaris regionis imperiũ usurpauit, cuius monarcham dominus nominat seruum suum, quo lictore & carnifice utitur ad sumendum de sontibus supplicium, non solum Iudæis, sed omnibus in circũitu gentibus postea mœmorandis. Quas omnes funditus euellet, uastabit, derisui exponet, & in diuturnas imò perpetuas solitudines ponet.*

10 Perdamq; ex eis uocem gaudij & uocem lætitiæ, & uocẽ sponsi & uocẽ sponsæ, uocem molæ & lumen lucernæ.

11 Et erit uniuersa terra hæc in solitudinem & in stuporẽ: & seruient (omnes) gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis.

12 Cumq; impleti fuerint septuaginta anni, uisitabo super regẽ Babylonis, & super gentem illam, dicit dñs, iniquitatẽ eorum, & super terrã Chaldæorũ: & ponã illam in solitudines sempiternas.

13 Et adducam super terram illam omnia uerba mea quæ locutus sum contra eam, omne quod scriptũ est in libro isto, quæcunque prophetauit Ieremias aduersum omnes gentes.

14 Quia seruierunt eis, cum essent gentes multæ & reges magni: & reddã eis secundum opera eorum, & secundum facta manuum suarum.

Gaudent homines de pace, sanitate, filijs, sponsis, epu[lis], lis, uino, uindemijs, messe, uictorijs, panegyrijs, quæ omnia sic aberunt, ut non aliud quàm tenebræ & umbra mortis sint apparitura uel inuenienda ubique, solitudo, uastatio & desertum integris septuaginta annis. Nabuchodonosor enim regnauit quadraginta quinque annis, Euilmerodach uiginti tribus, Balthasar tribus non integre, quæ faciunt simul septuaginta annos & unũ. Postquos regẽ Babylonis uastabo & Chaldæã, subiugabo[q;] gentes illius potentioribus Cyro & Dario Persarũ & Medorum principibus, cum omnibus istis gentibus, contra quas in hoc libro Ieremias prophetauit, qũdo et Hierosolyma pristinos suos habitatores recipiet, qui felicitate pristina perfruentur. Babylonicæ autẽ urbis ruinæ tantũ & ruinæ extabunt, cuius mala posthac ser[mo] Ieremiæ describet ad longum.

15 Quia sic dicit domin⁹ deus Israël ad me: Sume calicem uini furoris huius de manu mea: & propinabis de illo cunctis gẽtibus ad quas ego mittam te.

16 Et bibent, & turbabuntur, & insanient à facie gladij quem ego mittã inter eos.

Spectrum hoc esse oportuit, quod calicem gentibus [præ]bere omnibus non potuerit, uel etiã regibus. Vidit autem sibi exhiberi calicẽ, quem gentibus quæ sequuntur propinauerit ebibendũ: quo symbolo discant cauere sibi patienda esse quæ Iudæis, ueluti societatem & solidalitatem miseriarum, ut uino furoris domini inebrientur & furiant, grassentur & pariter cadant.

17 Et accepi calicem de manu domini, & propinaui cunctis gentibus ad quas misit me dominus.

Visus fuit sibi calicem suscepisse de manu domini, ut eo potaret omnes gentes, ad quas mittebatur, eruminas & passiones illis occursuras denuntians & significans hoc symbolo calicis: sicut in cœna symbolum est charitatis & passionis Christi.

18 Ierusalem, & ciuitatibus Iuda, & regibus eius & principibus eius, ut darẽ eos in solitudinem, & in sibilũ, & in maledictionem, sicut est dies ista.

Regna terrarum omnium dominus puniturus, incipit [à] à domo sua, à peculio, à domesticis, ut nõ sibi parcendo [ex]terni existiment, si familiaribus parsum non fuit. Et quomodo Babyloni parcet impiæ urbi, qui Hierosolymæ sanctæ propter peccata nõ pepercit? timorẽ dei & peccandi

peccandi uerecundiã uolens incutere omnibus. Regibus dicit non regi, quia continuo multi illic reges cõsumpti sunt, & seuere puniti à dño. Addens aũt Secudum diem hanc, refertur uel ad tempus collectionũ huius libri, uel ad tempus Iechoniæ regis, qui iam captus tenebatur tertius, regnabatq; Zedekias capiendus quartus in ordine.

19 Pharaoni regi Aegypti, & seruis eius, & principibus eius, & omni populo eius,
20 & uniuersis generaliter (promiscue) cunctis regibus terræ Ausitidis: & cunctis regibus terræ Philisthĩm, & Ascalonis, & Gazæ, & Accaron, & reliquĩs Azoti:

Rex Aegypti promiserat regibus Iuda auxilium contra Babylonium, sed non statuit, ipse quoq; inter primos subiugatos post Ierusalem à Chaldæo, cum alijs multis etiam uulgo & promiscue genti nõ parcendo, sicut nec alios regibus Ausitidis, de qua in Iob, uel insularum secundũ alios regibus quoq; Palæstinis, per singulas urbes imperantibus, qui omnes oppressi sunt à Chaldæis.

21 & Idumeæ, & Moab, & filĩs Ammon:
22 & cunctis regibus Tyri, & uniuersis regibus Sidõnis: & regibus terræ insularum qui sunt trans mare:
23 & Dedan, & Thema, & Buz, & uniuersis
24 qui attonsi sunt in comam:
& cunctis regibus Arabiæ: & cunctis regibus (Arabiæ) occidentis qui habitant in deserto:
25 & cunctis regibus Zambri, & cunctis re-
26 gibus Elam: et cunctis regibus Medorum:
cunctis quoq; regibus aquilonis de prope et delonge unicuiq; contra fratrem suũ:
& omnibus regnis terræ, quæ super faciem eius sunt: & rex Sesach bibet post eos.

Regna circa Iudæã.

A mari & Nilo, per Austrum, Orientẽ, Aquilonem, & iterum Occidentem, Austrũ & Orientem: à dextra gyrando ad sinistram prophetat omnes uastandas regiones: usq; ad insulas quoq; remotissimas, Dedã, Theman, & Buz. Vicini sunt & mixti Ismaëlitis, quos nunc Saracenos uocant, qui dicuntur attonsi in comam. Alijs placet interpretari terminis anguli, uel finitiones in extremis finibus terræ. Videtur epithetum fuisse Ismaëlitarum quorundam ut coma attonsi dicantur. Constat multas Arabias dici, & ditissima regna. Reges Zimri forpuli sunt. Media autẽ nota est, in quam Israëlitæ transmagnæ. Omnes biberunt calicem Babylonicum. Et rex Sesach iuxta traditiones Iudaicas, quas & diuus Hieronymus sequitur, rex est Babylonius, quem si placet locum interpretantem. Videtur propheta assecutus leporem, non simulauit timorem, qui palàm scripe eadem de eo ausus est scribere.

27 Et dices ad eos, Hæc dicit dominus exercituum deus Israël, Bibite & inebriamini, & uomite: & cadite, neq; surgatis: à facie gladij quem ego mittam inter uos.

Sic multarum angustiarum calicem uos omnes bibetis, ut inebriandi sitis, et sustinere non possitis, sed mole calamitatum opprimemini & cadetis, nec in pristinum tam floridum statũ unquam restituemini, sed gladio deuorabimini Chaldæorum, qui & ipsi cadent, suo statim secuturo tempore.

28 Cumq; noluerint accipere calicẽ de manu tua ut bibant, dices ad eos: Hæc dicit dominus exercituum, Bibentes bibetis:
29 quia ecce in ciuitate in qua inuocatum est nomen meum, ego incipio affligere: & uos quasi innocentes, & immunes eritis? non eritis immunes: gladiũ enim ego uoco super omnes habitatores terrę, dicit dominus exercituum.

Sic dominus mandat, ut qui uoluntarie facere noluerint, suscepturos uel necessitate, & dei iussioni obaudituros. Velitis, inquit, nolitis, dei sententia cõplenda est. Si enim Hierosolyma bibit meracũ calicem furoris domini, in qua inuocatum fuerat nomẽ domini, quanto magis uos non eritis immunes, qui pro dei nomine idola ex professo colitis? Cum dominus aliquos per aliquos castigat & corripit, iam qui alios adfligunt non debent aut sibi uictoriam tribuere aut immoderatius sæuire, aut se his quos petunt meliores ducere. Victoria enim non hominum, sed dei est. Et qui in adfligendo crudelitati suæ modum non ponunt, à domino et ipsi tradumur, ut superentur. Et postremo, ij ferè dño grati sunt, qui ab eo corripiuntur. Corripit enim omnem filium quem amat. Dei uoluntas cõplẽda

30 Et tu prophetabis ad eos omnia uerba hæc, & dices ad illos, Dominus de excelso rugiet, & de habitaculo sancto suo dabit uocem suam: rugiens rugiet super decôrẽ suum: celeusma quasi calcantium, concinetur aduersus omnes habitatores terræ.

Iubetur prophetare contra omnes, etiam ad quos non sit unquam uenturus. Prouidentia enim dei, & ipsi nacta occasione audient uerbum domini, & sentient uera de se à domino prædicta, et domino credent, calamitate eruditi, & Iudaica gens uel inuita prophetis suis credere compelletur, & prophetarum ueritatis spiritus toti olim orbi commendabitur & notus erit, ut sacrarũ scripturarum infallibilis hoc pacto ueritas comprobetur et illucescat: quod factum hodie & à Christi temporibus concordi fide totus orbis confitetur. Domino uelut leo rugiente, quis nõ timebit? Cunctos ut terreat auditores ueniet graui iudicio suo, ut etiam electo templo & solio gloriæ suæ parcere nolit. Aduocabit enim crudelissimos hostes, qui ueluti celeusma concinent, & conclamando mutuum hortabũtur, ueluti uuas in uindemia calcantes, ad uastandum terram cum habitatoribus. Prouidẽtia dei in regna

31 Peruenit sonitus usquead extrema terræ: quia iudicium domino cũ gentibus: iudicatur ipse cum omni carne, impij tradentur gladio, dicit dominus.

Tumultus & sonitus uastantium, terram uniuersam replebit, cum dominus uisitabit iudicio suo duro iniqui

tates populorum, & omne hominum genus humiliabit, & præparabit ad agnitionem suiipsius, & stultitiæ idolorum, & ad ueri dei cultum adaptabit, non cõmodiore uia quàm egestate & angustijs. Eos quidem quos uocabit ad fidem, impios autem supplicio se digno adfliget.

32 ¶ Hæc dicit dominus exercituũ, Ecce afflictio egredietur de gente in gentem: & turbo magnus egredietur à summitatibus terræ.

33 Et erũt interfecti domini in die illa à summo terræ usque ad summum eius: nõ plangentur, et non colligentur, neque sepelientur: in sterquilinium super faciem terræ iacebunt.

Vastatio ultima.

Post figuram ueritas clarior explicari uidetur. Vastatio enim orbis à regibus Babylonis, Persarum, & Græcorum, quam secuta est unius dei cognitio & cultus, figura fuit ultimæ peruersitatis, quæ toto orbe grassabitur, quam subsequetur aduentus Christi secundus, scilicet ad iudiciũ mundi. Calamitas enim maxima cunctas orbis regiones peruadet, siue id Romanum uel Turcarum imperium sit, siue Antichristi, uel alterius: totus enim prædicitur orbis concutiendus ut tempestuosissimo turbine. Subsequetur etiam tanta consternatio hominum, ut de se solo quisq; & suis sollicitus sit, non de reliquis uel defensandis uel sepeliendis.

34 Vlulate pastores, & clamate: & aspergite uos cinere optimates gregis: quia completi sunt dies uestri, ut interficiamini: & dissipationes uestræ, & cadetis quasi uasa pretiosa.

35 Et peribit fuga à pastoribus, & saluatio ab optimatibus gregis.

Iudicium dei durum.

Durum autem iudicium tunc pastores & orbis prælatos manebit à domino in primis, quos tanta angustia macerabit omnipotens, ob infidele seruitiũ, quod maximo pastorũ uenienti ad iudicium impendisse reperientur, & accusabuntur à mundi totius clare patente corruptela: tamq; seuerum intuebuntur ultũ irati iudicis prælati omnes, ut quò se uertant à tremendo iudice & subterfugiant nõ inuenturi sint. Instabit aũt illis tempus mactationis & conculcationis ipsorum, & concident terrore conscientiarũ, & tumultu illis præparato à domino: ut fugere quidem nitantur sed nequeant, et gregis neglectæ & mactatæ pastores euadere furorem summi pastoris, cuius oues proprie sunt, neutiquam possint.

36 Vox clamoris pastorum, & ululatus optimatum gregis: quia uastauit dominus pascua eorum,

37 & conticuerunt arua pacis à facie iræ furoris domini.

Pœna pastorum ac gregum.

Nec solum pastores ob perfidiam, sed greges quoque ob ignauiam punientur, qui non ignorantes pastorum nequitiam, per scientiam & conscientiam propriam, qua beneficio dei non sunt fraudati, ad mo um reformationem, zelo sensato, & prudenti solertia, fidutiaq; in summum pastorem, tam impiorum pastorum imò depastorum iniquas semitas communi probitatis iudicio subsequi non debuerant, sed domino magis obedire, cuius sanctam uoluntatem non ignorant, quàm luporum & latronum ferotiam ferre, quam aquæ nouerant. Id qui neglexerunt, à domino puniuntur, ut pascua quoq; sua uastentur, uerbum domini adulteretur, & error pro ueritate inculcetur gregibus, qui non nisi placentia audire uolebant. Id autem indicium est iræ diuinæ, cum populus est ut sacerdos, & seruus est sicut dominus, & reges sunt tyranni.

38 Dereliquit quasi leo umbraculum suum: quia facta est terra eorum in desolationem à facie iræ hostilis, & à facie iræ furoris sui.

Tunc autẽ dominus derelinquet, hoc est, dereliquisse uidebitur caulas suas, quia propter peccata populi finit regnare hypocritas, imò lupos et tyrannos. Omnia enim uastata squalidaq; iacebunt, nulla fides, ueritas, probitas, charitas, in mundo florere poterit: sed succrescet solitudo, fames, hostis. Hoc est, crudelitas, perfidia, odium, mendacium, hypocrisis, fastus & quæstus immodicus omnia occupabunt, ut quanto quisq; iustior esse probus omnia occupabunt, ut quanto quisq; iustior esse contendat, tanto sit sub ijs pastoribus & in hac iniusti grege calamitosior. Nec potest æstimari ira domini prorotior, quàm cum in hunc statum miseriarũ orbem prolapsum non adiuuat, sinitq; impios primas tenere apud homines, agnusq; præfici lupos.

¶ CAPVT XXVI.

1 IN principio regni Ioacim filij Iosiæ regis Iuda, factum est uerbum istud à domino, dicens,

Præcessit hæc historia & prophetia eam quæ præscripta est, ut ueluti de industria temporis ordinem prophetæ in collectione prophetiarum seruare noluerint. Id enim in omnibus etiam Psalmis uidere est, ne quis in assignanda ordinis ratione curiosior sit expositor. Istud tamen principium regni non est accipiendum cum præcisione, quasi primo anno uel mense regni Ioakim factum sit, cum quod in hoc capite de Vriæ factum scribitur præcesserit sub rege eodem.

2 Hæc dicit dominus, Sta in atrio domus domini, & loquêris ad omnes ciuitates Iuda, de quibus ueniunt ut adorẽt in domo dñi, uniuersos sermones quos ego mando tibi ut loquaris ad eos: noli subtrahere uerbum.

Sta in atrio domus domini: non dicitur in atrio sacerdotum, sed eo loco quo populus ex urbibus confluens ad orationem, sacrificia circumstare, & orare consueuerat, qui locus dicitur Atrium Israëlis, cui interius illud erat, quod sacerdotum dicebatur, & exterius illud quo fœminæ stabant. Contra omnes loqui iubetur propheta, omnium saluti prospicere, ad meliora exhortari, pœnitentiam suadere, uita & fama periclitari apud improbos, interim tamen à domino pius seruus & obediens conseruatur, etiam si patiatur non modica. Iubetur tantum loqui uerba domini, non de corde proprio, si forte & nihil obmittere.

3 si forte audiant & cõuertantur, unusquisq; de uia sua mala: & pœniteat me mali quod cogito facere eis propter malitiam studiorum suorum.

Ambiguitatis sermo diuinæ prouidentiæ non conuenit, sed nostro utitur more loquendi deus, Nihil enim obstitit dominus uerbo uel facto, unde impij excusationis causam nanciscantur. Omnia patris more agit & loquitur cũ filijs, ultrõq; omnes bene agere et mandatis parere, ut benefaciat obedientibus, iuste puniat contemptores. Cõsolatur autem dominus, & pœnitet de uel super malo, quando non uindicat sed tolerat, & emendantur peccatores ad pœnitentiam.

4 Et dices ad eos, Hęc dicit dominus, Si nõ audieritis me ut ambuletis in lege mea quã dedi uobis:

5 ut audiatis sermones seruorũ meorũ prophetarum, quos ego misi ad uos de nocte consurgens, & dirigens, & non audistis:

6 dabo domum istam sicut Silo, & urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ.

7 ¶Et audierunt sacerdotes, & prophetæ, & omnis populus Ieremiam loquentem uerba hæc in domo domini.

Summa est totius prophetiæ quam Ieremias per omnem uitam suam alijs atq; alijs uerbis explicauit ad audientes, uarijsq; formis loquendi & argumentis, Vt audiant legem domini, & secundum illã uiuant, et prophetas suos peccatorum extirpatores, & idololatriæ persequutores audiãt, quos nullo tempore non mittit ad eos: necessarij enim sunt prædicatores uerbi dei ecclesijs, ne uoluntas domini ignoretur, ut sine disciplina non sit magistratus & populus, ne aboleatur timor dei. Silo autem locus propè Hierosolymã, à Philistæis olim sub Heli iudice uastatus erat dum arca caperetur & tabernaculũ destrueretur. Qui locus sic post extructũ templũ negligebatur, ut etiam in obliuionem ueniret. Idem minatur, nisi redeant ad studia pietatis, & templo & Hierosolymæ: hinc motus & turbæ sacerdotibus & populo.

8 Cumq; complesset Ieremias loquens omnia quæ præceperat ei dominus ut loqueretur ad uniuersum populum: apprehenderunt eum sacerdotes & prophetæ, et omnis populus, dicens: Morte moriatur.

Plebs ad seditiones propensa à sacerdotibus & prophetis falsis hic calcaribus excitatur. Vindicatio pietatis & ceremoniarũ satis ampla causa tumultuandi illis uidetur, qui tantopore iactabant templum & arcam, solium domini sempiternum, ut comparari loco Silo non debuerit domus sæculorum, id est, amplissimum illud Salomonicum templum.

9 Quare prophetauit in nomine domini? dicens: Sicut Silo erit domus hæc: & urbs ista desolabitur, eò quòd nõ sit habitator. Et congregatus est omnis populus aduersus Ieremiam in domo domini.

Intentatur mors prophetæ quod templum domini dixerit abolendum. Tumultu ad aulam prolato concurritur ad seditionem, mendacij arguitur propheta, qui in nomine domini prophetauerit contra gloriam domini, templum & urbem, quæ quantumuis praue uiuerent, à domino putabant semper saluanda. Concurritur autem à tota ecclesia, quæ hic etiam malorum est, & uerbum domini calumniantium, quos supstitio hic audaces facit.

10 Et audierunt principes Iuda uerba hæc: & ascenderunt de domo regis in domum domini, & sederunt in introitu portæ domus domini nouæ.

Principes Iudæ in domo regia existentes, quæ inferior loco templo erat, ascenderunt pro officio ad seditionis causam inuestigandam, & pro rebus consulendis cõmunibus. In porta noua senatus cõsultabat, si quando causa urgens oriretur in loco templi.

11 Et locuti sunt sacerdotes, & prophetæ ad principes, & ad omnem populum dicentes, Iudicium mortis est uiro huic: quia prophetauit aduersus ciuitatẽ istam, sicut audistis auribus uestris.

Sacerdotes & pseudoprophetas uidemus prophetam condemnaturos fuisse, si in illorum ut et Christus potestate fuisset, nimirũ crudeliores inuidia sanctitatis illius erant, quàm qui præerant publicis negotijs, principibus aulæ regiæ. Irati insuper, quia perituram diceret ipsorũ religionẽ, et lucra in quæ uersa fuerat pietas. Iudicium mortis est uiro huic, hoc est, reus est mortis homo ille. Iniquitas sacerdotum

12 Et ait Ieremias ad omnes principes, & ad uniuersum populum, dicens, Dominus misit me ut prophetarem ad domũ istam, & ad ciuitatem hanc omnia uerba quæ audistis.

13 Nunc ergo bonas facite uias uestras, & studia uestra, & audite uocem domini dei uestri: & pœnitebit dominum mali quod locutus est aduersum uos.

Loquitur Ieremias ad principes & populum, non ad accusatores sacerdotes: humiliter, prudenter, & constanter à domino se missum testatur intrepide, ut contra templum prophetet & urbem, datq; consilium, ut pœnitentia agenda malum effugiant, quandoquidem et dominus sententiam mutaturus sit, si se emendauerint.

14 Ego autem ecce in manibus uestris sum: facite mihi quod bonum & rectum est in oculis uestris.

Ego minas mortis nihili facio, scio enim mihi eam intentari posse à uobis, irrogari non posse si dominus non permiserit: qui ut uobis fortior est, sic me ministrum seruare potest, si uelit. Vos igitur pro uestra insania & furore agite quod potestis, me minæ uestræ loco non mouebunt.

15 Veruntamẽ scitote & cognoscite quòd si occideritis me, sanguinem innocẽtem tradetis contra uosmetipsos, & contra ciuitatem istam, & habitatores eius: in ueritate

enim misit me dominus ad uos, ut loquerer in auribus uestris omnia uerba hæc.

Satisfactio hæc recipi ab omnibus debebat, si deum agnouissent, quemadmodum uideri uolebant. Satis enim authoritatis habet qui à dño missus est ut doceat etiamsi mundus totus reclamet: & quæ dominus nuntianda iubet non sunt obticenda, etiamsi cunctis displiceat. Quòd si insuper me innocentem occideritis, non mihi sed uobis malum inferetis inexpiabile, urbi & populo, cum reuera me miserit dominus.

Authoritas prædicationis.

16 Et dixerunt principes, & omnis populus ad sacerdotes & prophetas, Non est uiro huic iudicium mortis: quia in nomine domini dei nostri locutus est ad nos.

17 Surrexerunt ergo uiri de senioribus terræ: & dixerunt ad omnem cœtum populi, loquentes,

Paulò ante uulgus ad supplicium deposcit, quem nunc sua sententia absoluunt: prius insaniebant, nunc recte sentiunt. Sacerdotũ enim instantia populus insanierat, nunc principum beneficio exuuntur à perturbatione, qui bonis pastoribus ac prophetis reguntur & acquiescunt: qui si patres sint & duces, non prædones & seductores, facile ab eis plebs ducitur ad meliora. Omnis plebis languor fluit à capite.

Principes meliores sacerdotib.

18 Micheas de Morasthi fuit propheta in diebus Ezechiæ regis Iuda: & ait ad omnẽ populum Iudæ, dicens: Hæc dicit dominus exercituum, Sion quasi ager arabitur: & Ierusalem in aceruum lapidum erit: & mons domus domini in excelsa syluarũ.

Seniores in populo nosce poterant, & debebant historias antiquiores, ideo ex illis qui meliores erant allegant pro Ieremia factum boni regis Ezechiæ, qui in simili causa absoluerit Micheam, qui grauiora prædixerit illis temporibus, nisi se emendassent: conuersis autem tunc sub Ezechia ad pœnitentiam, pepercerit dominus mutata sententia.

19 Nunquid morte condemnauit eum Ezechias rex Iuda, & omnis Iuda? nunquid non timuerunt dominũ, & deprecati sunt faciẽ dñi: & pœnituit dominũ mali, quod locutus fuerat aduersum eos? Itaq; nos facimus malũ grande cõtra animas nostras.

Reges pij audiunt uerbum domini, & prophetas etiã aduersa nuntiantes reuerentur, & nõ occidunt. Id Ezechias rex sanctus testatur: ideoq; pij in populo cõsulunt nunc quoque dimittendum Ieremiam, & uitam instituendam in melius, non polluendas conscientias suas homicidio uiri dei.

Reges pij.

20 Fuit quoq; uir prophetãs in nomine dñi Vrias filius Semei de Cariath iarim: et prophetauit aduersus ciuitatẽ istã, et aduersus terram hanc iuxta omnia uerba Ieremiæ.

21 Et audiuit rex Ioacim, & omnes potentes, & principes eius uerba eius: & quæsiuit rex interficere eum. Et audiuit Vrias, &

timuit, fugitq;, & ingressus est Aegyptum.

Hæc uidetur esse propositio impiorum sacerdotum et prophetarum, qui iam præscriptionẽ pro se arripiunt impij regis factum: ut scilicet, quod iam ante modicum tempus de Vria filio Semeæ egit, illum propter uerba sua dicta contra urbem & regem occidendo, etiam ab Aegypto allatum, hoc nunc quoq; de præsente Ieremia perficiat similia dicente, ne si hunc dimiserit, coarguatur priorem Vriam iniquiter & iniuste occisum. Vrgetur primum homicidium excusetur & iustificetur, consulunt hi adijci secundum, quod hoc regem deceat. Sic miles sacerdotes ac pseudoprophetas uidemus nostro hoc sæculo, pari malitia apud principes consultantes in necem piorum prophetarum.

22 Et misit rex Ioacim uiros in Aegyptum, Elnathan filium Achobor, & uiros cum eo in Aegyptum.

23 Et eduxerunt Vriam de Aegypto: & adduxerunt eum ad regem Ioacim, & percussit eum gladio: & proiecit cadauer eius in sepulchris uulgi ignobilis.

Extollunt impij sacerdotes zelum impium regis, quia eum qui contra urbem et terram loquutus fuerat, missis in Aegyptum nuntijs reuocatum occiderit: & nominatim ipsum Elnathã cõmendant adhuc uiuenti regi præsentẽ, qui sese strenuum executorẽ exhibuerit regi cõmissi, & suos socios, captum reducendo Vriã ut moreretur, sepultura caruriturũ honesta. Sic impietates iuuenum laudatores suos, sic excæcãtur reges, sic iudicia peruertũtur, sic prophetæ occidũtur, et ueritas opprimitur à falsis prophetis, & religio à sacerdotibus cõculcatur.

24 Igitur manus Ahicam filij Saphã fuit cũ Ieremia, ut non traderetur in manus populi, & interficerent eum.

Hic Ahikam uir optimus inter tot insanientes, prophetæ opem fert studio & oratione, audens prodire & defendere constanti & intrepido animo ueritatis proconem et seruum dei, siquidem à domino submissus contra ecclesiam malignantium.

¶ CAPVT XXVII.

1 IN principio regni Ioacim filij Iosiæ regis Iuda, factum est uerbum istud ad Ieremiam à domino, dicens:

Quod ab antiquarijs Hebræorum mendæ quædam irrepserint in orthographia etiam Hebraica, et ex Rabinorum scriptorum ostentantia, quandoquidem & Iudæorum scriptores homines sunt ut Latinorum, salua semper certitudine & ueritate sensus scripturæ, uel ex hoc loco liquet. Cum enim reuera sequens prophetia cum suo uisibili ostento uinculorum, facta sit tempore Zedechiæ ultimi regis, nõ potest, quæ hic scribitur sententia in principio regni Iehoiakim, qui fuit antepenultimus Iudææ rex, pertinere nisi ad iam præcedentem historiã. Quasi dicere uoluerit: In principio regni Ioakim, &c. factum est uerbum domini istud ad Ieremiam à domino, ut &

uacet omnino dictio, dicendo, et intercapedo textus huius

loquens

locum habeat, & indicium præstet alterius prophetiæ. Noui quid hic cõminiscatur Rabi Dauid Kimhi, sed ir rationabiliter, dũ pro concordia scripturæ laborat, cum in primo, secũdo & tertio anno Ioiakim nondũ regnauerit Nabuchodnezer. Id fortassis uidit recentioris impressuræ castigator Venetus, qui hunc uersum copulat bene superiori, ueluti epilogũ temporis, & cõsequenter subnotat nobis caput uigesimũ septimũ, ne inextricabilis nobis error obstrepet in explanatione.

2 Hæc dicit dñs ad me, Fac tibi uincula & catenas: & pones eas in collo tuo.

3 Et mittes eas ad regẽ Edom, & ad regem Moab, & ad regem filiorũ Ammon, & ad regem Tyri, & ad regem Sidônis: in manu nuntiorum qui uenerũt Ierusalem ad Sedechiam regem Iuda:

4 & præcipies eis, ut ad dominos suos loquantur. Hæc dicit dñs exercituum deus Israël: Hæc dicetis ad dominos uestros:

Tempus prophetiæ.

Videtur hæc prophetia reuelata prophetæ eo tempore cum reges Edom, Moab, Ammon, Tyri, Sidônis legatos misissent ad regem Zedekiã in principio regni sui, cum iam frater & fratris filius reges Iuda capti essent Babylone, ut cõmuni consensu & fœdere sese pariter iuuare deliberarent cõtra potentiã regis Babel, quibus ille pariter imminebat, decepti omnes à suis auguribus & sacrorum pontificibus, qui illud fœdus suadebant, si uellẽt euadere iugum Babylonij. Quibus omnibus Hierosolymis cõgregatis legatis cum rege Zedekia, dominus deus per prophetã innotescere uoluit, certò prædicens quod futurum illis erat, ut dum aliquando factum cernerent, dei Israëlis omniscientiã & omnipotentiam, & prophetarũ suorũ ueritatẽ reuererentur. Istæ enim fere primæ sunt gentes, quæ postea ueri dei cultum ab Apostolis prædicatũ susceperunt. Vtitur autẽ prophetã ostento illo catenarũ, perticarum uel furcarũ, qualia iuga sunt boum, uectes uel pali, ad uehementius permouendum reges & legatos, dum non solũ auditu, sed etiã uisu & tactu commonentur.

5 Ego feci terram, & homines, & iumẽta, quæ sunt super faciẽ terræ, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento: & dedi eam ei qui placuit in oculis meis.

Quid necessariò de se dominus credi cupiat à gẽtibus, breuibus hic illis denuntiatur à propheta, Dominum deum Israël, dominum exercituũ, cœlorum scilicet & astrorum, cõdidisse totam terrã, hominem & iumenta, quicquid uiuit & est in mundo. De cœlo à se cõdito nihilhic dicit, quia de terrenis tantũ regnis loqui uoluit, ut reges scirent eum, à quo regna suscepissẽt iustè administranda, cuius uirtutem & potentiã expauescerent, qui potentes sunt super terram, cuius nutu transferuntur regna de gente in gentem.

6 Et nunc itaq; ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis serui mei: insuper & bestias agri dedi ei, ut seruiant illi.

Vult eos credere omnia geri prouidentia dei, qui ad destinatum tempus subesse uoluit oẽs terras Chaldaicæ monarchiæ, regi Nabuchodnezer. Quem utcunq; malum, tamen seruũ suũ nominat, cuius ipse scilicet sit dominus, & dñs dominantium, & rex maximi regis, qui uelit nolit subsit imperio dei, memunerituq; se creaturam esse, & à deo regẽdis hominibus institutũ etiã feris & barbaris, qui prius seruire nulli uoluerint uel nouerint. Sũt enim boni reges pastores populorũ, quos ad disciplinã omnibus proficuã adigant, nõ ut domini seruis, sed ut patres filijs & gregibus pastores præsint.

7 Et seruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius: donec ueniat tempus terræ suę & ipsius: & seruiẽt ei gentes multæ, & reges magni.

Ne perpetuum æstimet suum regnum Nabuchodnezer, significat illud prorogandũ solum ad filium Euilmerodach, & nepotem Baltasar, donec scilicet fortior superueniat rex Medorum & Persarum. Sed & seruituras illi dicit non omnes gentes, quod nemo unquam assecutus est rex hominum mortalis, sed gentes multæ & reges magni. Regna non perpetua.

8 Gens autẽ & regnũ quod nõ seruierit Nabuchodonosor regi Babylonis, & quicunque non curuauerit collũ suũ sub iugo regis Babylonis: in gladio & in fame & in peste uisitabo super gentem illam, ait dñs: donec consumam eos in manu eius.

Regna dispensantur diuina prouidentia, perseuerantq; usque ad tempus suum. Ideo potestati quam dominum uidemus ordinare secundum tempus humiliter obediendum, donec tolerabiles sunt hominum conscientijs, & cum timore dei regnant, tolerariq; uidentur à domino, qui ubi eos reijcere decreuerit apertè ostendit, uel tyrannide incondita ipsorum, uel rationabili consensu populorum loco mouendos ut melioribus locum dent, iudicio diuino reiecti, ne semper regnent, ne superbia illorũ ascendat semper, & tam sui obliuiscantur quàm subditorum. Docent autem historiæ tam sacræ quàm gentilium magnitudinem monarchiæ Babylonicæ, quæ sine strage populorum parari non potuit, si qui obsequi noluissent. Reges impij, quatenus tolerandi.

9 Vos ergo nolite audire prophetas uestros, & diuinos, & somniatores, & augures, & maleficos uestros qui dicũt uobis, dicendo, Non seruietis regi Babylonis:

10 quia mendacium ipsi prophetant uobis: ut longè uos faciam de terra uestra, & eijciam uos, & pereatis.

11 Porrò gens quæ subiecerit ceruicẽ suam sub iugo regis Babylonis, & seruierit ei: dimittam eam in terra sua, dicit dominus: & colet eam, & habitabit in ea.

Discitur hos omnes reges non caruisse suis pseudoprophetis, magis, auguribus, genethliacis, alijsq; id genus superstitiosis monachis, ac sacrorum pontificibus, qui suis blandientes regibus, libertatem promittebant, Regum superstitio.

hortabanturq; ne se dederent Chaldæo iugiter infestati. Illis suis sapientibus, si reges obaudiant, prædicitur à propheta domini illos capiendos & relegandos in exilium, de suis regnis turpiter expellendos & disperdendos, donec in uniuersum pereant, qui uero prophetæ dei acquiescere noluerunt. Non itaque desistit clementia dei uates mittere & prophetas, dum similes causæ instant, per quos moneat clarè quid facto opus, ut populis succurratur, & procedat uoluntas domini, quæ facilè perspicitur ab his qui dei gloriã animo habent, & publicam salutem præponunt priuatæ utilitati.

Prophetæ semper mittuntur.

12 Et ad Sedechiã regem Iuda locutus sum secundũ omnia uerba hęc, dicẽs: Subiĳcite colla uestra sub iugo regis Babylonis, & seruite ei, & populo eius, & uiuetis.

13 Quare moriemini tu, & populus tuus gladio, & fame, & peste, sicut locutus est dominus ad gentem quæ seruire noluerit regi Babylonis?

Ne legati regum exterorum causentur se solos subiugandos, ut sint Iudæis miseriores, ideo suo quoque regi propheta iubetur per omnia similia prophetare, ut se Babylonio regi subdat, & seruiat cum populo suo, ne rebelles occidantur. Id enim esse à domino constitutum irreuocabiliter & certo, ut scilicet gladio, fame, peste pereant qui Babylonio subesse detrectant.

14 Nolite audire uerba prophetarũ dicentium uobis, Nõ seruietis regi Babylonis: quia mendacium ipsi loquuntur uobis.

15 Quia non misi eos, ait dominus: & ipsi prophetant in nomine meo mendaciter: ut eĳciam uos, & pereatis tam uos quàm prophetæ qui uaticinantur uobis.

Diligentißimè hortatur suos dominus, & uelut pater præmonet, sed falsi prophetæ suo semper more loquuntur placẽtia, clamant pacem, libertatem, urbem & templum cum sacerdotibus. Si prophetæ & sacerdotes populo alicui mali contigerint, uel regi, non potest pestis maior & pernicioßor cogitari, quàm scilicet ut sal infatuetur, & cæci cæcis ducãtur, & discipuli à pestilentibus magistris instituantur.

16 Et ad sacerdotes, & ad omnẽ populum istum locutus sum, dicens, Hæc dicit dñs, Nolite audire uerba prophetarũ uestrorum, qui prophetant uobis, dicentes, Ecce uasa domus domini reuertentur de Babylone nunc cito: mendacium enim prophetant uobis.

17 Nolite ergo audire eos, sed seruite regi Babylonis, ut uiuatis: quare erit hæc ciuitas in solitudinem?

Iam rex Ioachin cum matre & primoribus abducti fuerant Babylonem, cum quibusdam uasis sublatis, tam de palatio regis quàm templo Salomonis. Erant autem prophetæ & sacerdotes Hierosolymis, qui promittebant regi & populo reditũ captiuorũ, & restitutionem huiusmodi uasorũ in locũ suum, tantũ ne se dederent Babylonio, sed iuramentũ illi præstitum non obseruarent, quia esset illicitum urbem sanctam & templum domini subesse prophano regi. Contra quos loquitur Ieremias, mendacij eos arguens, simul asserens tantum abesse ut remittãtur uasa iam ablata, ut ea quoq; quæ restãt prope diem, si non audierint uerbum domini, subsecutura quoq; sint, & simul cum omnibus tam uasis quàm hominibus abigenda in Babylonẽ, esseq; longè consultius, ut seruiãt regi Babylonis, quàm ut studeãt gratis liberi tati, quam nunquã sint consecuturi. Cõtestaturq; cerò occidendos, quotquot uerbo domini & regi Babylonio non se subdiderint, urbemq; uastandam.

Prophetæ falsa promittentes.

18 Et si prophetæ sunt, & est uerbũ domini in eis, occurrãt domino exercituũ: ut non ueniãt uasa quæ derelicta fuerãt in domo domini, & in domo regis Iuda, & in Ierusalem, in Babylonem.

19 ¶ Quia hæc dicit dominus exercituum ad columnas, & ad mare, & ad bases, & ad reliqua uasorum, quæ remanserunt in ciuitate hac:

20 quæ non tulit Nabuchodonosor rex Babylonis cũ transferret Iechoniã filiũ Ioacim regem Iuda de Ierusalẽ in Babylonẽ, & omnes optimates Iuda & Ierusalem.

Qui uerè propheta est, domino precibus occurrere potest, ut Moses, Samuel & Esaias. Ipsi igitur si prophetæ sint, non quidẽ obtinebunt unquam ut uasa restituãtur ablata statim, ut de hac re domino supplicarent non tentent, sed saltem oratione impetrent à domino, ut quæ residua sunt in templo uasa, non etiã citius rapina fiant Babylonio, & auferãtur post reliqua diuũ ablata.

21 Quia hæc dicit dñs exercituũ deus Israẽl ad uasa quæ derelicta sunt in domo dñi, & in domo regis Iuda & Ierusalem:

22 in Babylonẽ transferẽtur, & ibi erũt usq; ad diẽ uisitationis meæ dicit dominus: & afferri faciam ea, & restitui in locum istum.

Sic auferentur propediem omnia, ut nec bases illæ decem pro lutribus ferendis remansuræ sint, nec columnæ illæ duæ in porticu æreæ cum capitellis, nec mare æneum, à Salomone in templo præparata, nec reliqua templi uasa relinquenda sint in urbe. Omnia enim auferret & comminuet æra rex Babylonis, quæ in primo transmigratione cum Iechonia ablata nõ fuerãt. Tanto autem tempore ibidẽ erunt, quanto captiuitas iudæorum imò Babyloniũ regnum durabit. Donec scilicet uasa Babylone, Cyrus dei instinctu liberum faciet redire populum, scilicet post annos septuaginta. Quibus clarè insinuatur cultum dei ceremonialẽ, templũ totum cum sacerdotio finienda, donec uisitabit dominus. Quod sacerdotibus ut importabile erat sic incredibile, ut nõ putarent non persequi Ieremiam, donec omnia complerentur. Sic fit omnibus prophetarum hostibus, & uerè dei contemptoribus, ut odire non cessent ueritatem & pietatem, donec pondere iudicij diuini illis impendente opprimantur. Clementiam dei non tacet propheta, nec

eam dñs uult ignorari à peccatoribus, si quando uel etiã tardius auertantur à perfidia et iniquitate, sed promittit hic eam Iudæis nõ negandã. Reuersuros enim promittit suo tempore in locum suum, ueruntamẽ de reditus illius felicitate & gaudio nõ loquitur. Humilis enim fuit, & celebriori cuidam redemptioni, quæ per Christũ futura erat, palmam & gloriam reseruaturus, de quo Esaias complurima dudum promiserat, & Ieremias non tacuit.

¶ CAPVT XXVIII.

1 IN principio regni Sedechię regis Iuda, in anno quarto, in mense quinto, dixit ad me Hananias filius Azur propheta de Gabaon, in domo dñi corã sacerdotibus et omni populo, dicens,

Nodus hic est apud Hebræos, quem ægrè explicant, quomodo principium regi Zedechiæ dicatur quartus annus, quẽ diuus Hieronymus uel dissimulauit, uel in codice suo non inuenit, sicut nec Septuaginta interpretes transtulerunt, ut & in alijs multis locis, ubi ut patet, uel mendosos codices inciderunt, uel Iudæorum nostrorum libri mendis non carent. Facilius dici potest mentem scriptoris hanc esse & planã. Quæ, inquit, præcedenti capite de non ilico referendis uasis Hierosolymã dicta sunt & facta, in principio regni Zedechiæ contigerunt: sed quarto hinc anno, quinto mense, quæ nũc scribenda sunt contigerunt. Et ex libro Paralipomenon & Regum liquido constat, rationem annorum, sicut & propriorum nominum, non parum facillare ob librariorum negligentiam, & tanti temporis prolixitatem, & toties descriptorum codicũ fidem, quæ periclitatur facile in talibus, etiam in omnibus sæcularibus scriptoribus & historijs, in sententia fidei & morum non ita. Exemplum hic describitur pseudoprophetarum strenue resistentium Ieremiæ dictis: ac fidem sibi à regibus haberi quibus potebant technis postulabant, uerorũ prophetarũ mores & filium emulando. Vetus hæreticorum exemplum, ut hic Hananias ferè contumatior fuerit in falsis adserendis, quàm uerus propheta in ueris. Audet coram sacerdotibus & plebe mentiri ad gratiã, quia plausibilia adferebat, et contra Ieremiã quẽ cupiebat falsum deprehendi.

2 Hæc dicit dominus exercituum deus Israël, Contriui iugum regis Babylonis.

3 Adhuc duo anni dierum, & ego referri faciam ad locum istum omnia uasa domus domini quę tulit Nabuchodonosor rex Babylonis de loco isto, & transtulit ea in Babylonem.

4 Et Iechoniam filium Ioacim regẽ Iuda, & omnem transmigrationẽ Iudæ, qui ingressi sunt in Babylonem, ego conuertam ad locum istum, ait dominus: conteram enim iugum regis Babylonis.

Ob prophetiæ suæ certitudinẽ prophetico more præterito utitur loco futuri. Iam nunc contriui, ait dominus, regem Babylonis, sententia scilicet prouidentiæ dei, in cuius signum infra biennium redibunt tam uasa quàm exules à Babylone ad propria, rex quoq; Iechonias cum toto Iuda. Satis commodum mendacij testimoniũ est falsorum prophetarum, si ad gratiam loqui fausta, utilia, & glorioſa non timeant. Veri prophetæ pœnitentiam inculcant, & ad dei uoluntatem, ut perficiatur, instant. Tales falsi prophetæ etiam in Babylone tunc erant, qui eadem promittebãt, et sese mutuũ solabantur uanis spebus, quibus, ut hic Ieremias, sic alibi Ezechiel obsistebat.

5 Et dixit Ieremias propheta ad Hananiã prophetã in oculis sacerdotũ, & in oculis omnis populi qui stabat in domo domini

6 & ait Ieremias propheta, Amen, sic faciat dominus: suscitet dominus uerba sua quæ prophetasti: ut referantur uasa in domum domini, & omnis transmigratio de Babylone ad locum istum.

7 Veruntamen audi uerbum hoc, quod ego loquor in auribus tuis, & in auribus uniuersi populi.

Sanctè optabat Ieremias fratrum salutẽ & reditum captiuorũ, uoluisset q; se mentitũ, ut & Micheas prophe ta, sed dolebat interim tam friuolũ ausum impij impostoris, qui sic se uenditare pro propheta audebat, subindicatq; satis, mendaciũ esse quod inculcat, contrariũ sciens sibi reuelatũ à domino, quæ simul non subsistere posśnt. Propheta uerus.

8 Prophetæ qui fuerunt ante me & ante te ab initio, & prophetauerunt super terras multas, & super regna magna, de prælio & de afflictione, & de peste.

9 Propheta qui uaticinatus est pacẽ: cum uenerit uerbum eius, scietur propheta quẽ misit dominus in ueritate.

Quod dici in hoc casu poterat Ieremias dicebat: Ego dico urbem excindendam, si non intercedat emendatio ciuium: tu omnia felicia spondes, euentus aũt probabit uerba utriusq;. Esaias diu ante prædixerat, tam Assyriorum stragem propè Hierosolymam, quàm Israëlitici regni captiuitatem, fidelisq; inuentus est, uiso utroq; euentu: is eadem quæ ego prædixit de exterminio urbis & templi, nobis ergo credendum non tibi. Similiter & de regnis multis, multi uerba prædicentes agniti sunt esse ꝓphetæ ueritatis, sic tu propediẽ falsus fuisse uideberis.

10 Et tulit Hananias propheta catenam de collo Ieremiæ prophetæ, & confregit eam.

11 Et ait Hananias in conspectu omnis populi, dicens: Hæc dicit dominus, sic confringam iugum Nabuchodonosor regis Babylonis post duos annos dierũ de collo omnium gentium. Et abiit Ieremias propheta in uiam suam.

Pseudopropheta non tantum uerbis audax, sed etiam factis, iniurioſe arreptam de collo catenam confringit, numirum ligneam, non enim ferream frangere potuisset. Ieremias autem propheta domin, humiliter, prudenter & patienter fert tacendo, doloremq; dissimulat, nondũ enim dicenda illi dominus reuelauerat. Non est præceps sanctorum loquacitas. Non arbitrio suo prophetæ lo- Audacia falsorum prophetarum.

quuntur de futuris, sed uoluntate diuina, cuius solius est certa futurorum prænotio. Non semper tempus loquendi. Domum redit, non in conscientia, sed in uulgo confusus, non dubitans aliqua ratione ueritati succurrendum, & mendacium opprimendum. Impudentiæ & furori cedit, donec per dominum sinitur, qui mox eum reuocat, nolens perpetuò regnare mendacium.

12 ¶ Et factũ est uerbum dñi ad Ieremiam, postquã confregit Hananias propheta catenam de collo Ieremiæ prophetæ, dicens,

13 Vade, & dices Hananiæ, Hæc dicit dominus, Catenas ligneas cõtriuisti: & facies pro eis catenas ferreas.

Patientia piorum.

Minorem pœnam ferre recusans, sentiet grauiorem. Pij homines patienter & amanter suscipiunt domini uoluntatem, et clementiam assequuntur: impij contra impatienter omnia ferunt, & nunquam euadunt miserias, si non corpore saltem mente & spiritu puniuntur, perq; desperationem finiunt supplicia in tempore, et inchoant sempiterna: quiq; in hoc mundo leuia abijciunt, ardua & durissima in futuro portabunt.

14 Quia hęc dicit dominus exercituũ deus Israël, Iugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum, ut seruiant Nabuchodonosor regi Babylonis, & seruient ei: insuper & bestias terræ dedi ei.

Cõtemptus hostium.

Si sponte & ex dei uoluntate agnita iugũ Babylonicum suscepissetis, poterat uobis clementior tyrannus fieri, & optasse magis fratres & amicos quàm seruos. Nũc uerò cõtemptus & illusus, crudeliore uos omnes seruitute abutetur. Id & Zedechiæ contigit, non dubium quin & reliquis fœderis prævaricatoribus itidem. Bestias agri ei tradam. Intelligi potest ut in superioribus, Barbaras gentes illi subijciendas, feralibus moribus imperaturo, uel ut ferarum loco istos sit tractaturus sine clementia & beneuolentia.

15 Et dixit Ieremias propheta ad Hananiã prophetam, Audi Hanania, Non misit te dominus, & tu confidere fecisti populum istum in mendacio.

16 Idcirco hæc dicit dñs, Ecce ego mittam te à facie terræ: hoc anno morieris: aduersum enim dominum locutus es.

Pœna falsi prophetæ.

Passus iniuriam prius antequã ad se fieret sermo domini siluit: nunc missus à domino, audacter arguit mentientem, sine cunctatione uicinam mortem improbo denuntians. Cum enim hæc mense quinto dixisset, statim ante finem mensis septimi à domino occisus: mortuus ueritati patrocinium præbuit, qui uiuens mentiri non erubuit. Vulgaris quidem res est mori, communis omnibus: prouidentia tamen dei in exemplum quidam moriuntur.

17 Et mortuus est Hananias propheta in anno illo mense septimo.

Aduersa bonorum & malorum.

Aduersa occurrunt bonis & malis, bonis ut meliores fiant & morte mutentur in melius, & huius mundi scopum uel uitæ attingant immortalitatẽ si occidantur: malis ut uel emendentur, uel exemplo sint iustitiæ dei, et

mors quoq; illorum remediũ est mali. Hæc mors fuit impio iusta pœna, sicut & Ananiæ in Actis. Documentum eorum qui resistunt ueritati. Omnes infeliciter finiunt qui bona persequuntur.

¶ CAPVT XXIX.

1 ESt hæc sunt uerba libri quæ misit Ieremias propheta de Ierusalem, ad reliquias seniorum translmigrationis, & ad sacerdotes, et ad prophetas, & ad omnem populũ quem traduxerat Nabuchodonosor de Ierusalẽ in Babylonem:

Tria deinde capita cohærẽt. Falsi pphetæ etiã inter captiuos Babyloniæ orti erant, qui reditum promittebãt intra biennĩ: docebant enim regnũ Babylonis perdendum et reuersuros Iudæos. Ab his populum dehortatur Ieremias ne credant, per epistolã de Ierusalem transmissam Babylonem, per legatos quos in causa alia rex Zedechias miserat ad regem Babylonis, cuius hic epistolæ exẽplar scribitur. Erat aũt suprascriptio, Senioribus, sacerdotibus, pphetis & populo captiuis regis Babylonis.

2 postquã egressus est Iechonias rex, et domina, & eunuchi, & principes Iuda, & Ierusalem, & faber, & inclusor de Ierusalem:

Captiuitas prior erat Iechoniæ, matris, & principũ regni Iudæ, & uasorũ quorundã cum artificibus: posterior contigit postea undecimo anno Zedechiæ successoris regis, quando omnia uastata fuerũt, & residui capti. Dicitur autem hic exitus Iechoniæ, non captiuitas, quia sponte ad uerbũ Dñi urbẽ exyt, et sese dedidit Chaldæo.

3 in manu Elasa filij Saphan, & Gamariæ filij Helciæ, quos misit Sedechias rex Iuda ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Babylonem, dicens:

Nõ parui momenti causa erat pro qua scripserat propheta epistolã, nec modica illi inde turba euenit et persecutio: ideo notantur diligenter baiuli eius epistolæ, uenerabiles scilicet legati regij, quando quidẽ de uerbo domini inscripto non formidabat, & publice legendã commiserat de republica necessariã admonitionẽ. Epistolæ ad paruos & magnos hoc pacto scribi oportet, ut nihil inseratur, qd' scriptor illius omnino uelit secretũ haberi, quod facile incidant in manus perfidorũ, et iã prostituto publico uideatur, quod fraudi multorũ uel unus exponitur. Nihil tale scribebat Ieremias, ideo nõ timebat, et tamen iniqui homines ansam inuenire nebant diuexãdi sanctũ.

4 Hæc dicit dominus exercituum deus Israël, omni transmigrationi, quã transtuli de Ierusalem in Babylonem.

Series hic incipit epistolæ, cuius argumentum breue est, ut ante septuaginta annos se nouerint minime reuersuros, quicquid illis falsi pphetæ promittant, ideo seges rant, ut tempus illud transigãt per omnia cõmode, uelut ciues tanto futuri tẽpore, non reuersuri uelut peregrini. Id cothurno prophetico eleganter exponitur & amplificatur, stilo sanè spiritus sancti & Asiatica ubertate.

5 Aedificate domos, & habitate: & plan-

tate

tate hortos, & comedite fructum eorum.

Locutiones sunt quibus diuturna habitatio insinuatur. Qui enim quotidie remigrare instituit, nihil tale tentat, sed uult minus impeditus expectare abitum. Qui autem domum extruit, & uineas plantat, proponit longæuam loci coloniam.

6 Accipite uxores et generate filios et filias: & date filijs uestris uxores, & filias uestras date uiris, & pariant filios & filias: & multiplicamini ibi, et nolite esse pauci numero.

Ex uxoribus suscipiendis & filijs & filiabus elocandis notatur annorũ multitudo, quibus in Babylone futuri sint usq; ad filios filiorũ ibidẽ propagandos in multa copia, et eũ benedictione dei, quæ & ipsos sit per omnia comitatura, non minus quam si in patria habitarent.

7 Et quærite pacẽ ciuitatis ad quam transmigrare uos feci: & orate pro ea ad dominum: quia in pace illius erit pax uobis.

Docentur nihil moliri per quascunq; insidias contra regnũ & regem Babylonis, quod stet in manu et uoluntate domini, ne se eripere posse putent, ut olim à seruitute, sed suo domino Babylonius stet uel sit casurus: qui si pacifice regat, ipsi quoq; tantisper salui sint, ideo etiam pro hoste & hostili urbe orare debeant, cuius infortunia ante tempus sibi quoq; allatura sint nõ mediocria incommoda. Optatissima res est omnibus pax regnorũ. De Babyloniorũ regibus insignis aliqua crudelitas & tyrannis non legitur, nisi ea quam ad gloriam dei ordinatã cãnũt sacræ propheticæ scripturæ circa Danielẽ et socios.

Orandum pro hostibus.

8 ¶ Hæc enim dicit dñs exercituum deus Israël, Nõ uos seducãt prophetæ uestri qui sunt in medio uestrũ, & diuini uestri: & ne attendatis ad somnia uestra quæ uos somniatis: quia falsò ipsi prophetant uobis in nomine meo: nõ misi eos dicit dominus.

Videmus etiã in Babylone Iudæos non tantũ habuisse falsos prophetas, sed & diuinos, somnuatores, ariolos, qui mendacijs suis imponebãt miseris, & lactabant falsis spebus, & ad seditiones contra statum regni incitabant, quasi indigne capti & tractati. Et hæc omnia fingebant se nomine dei prophetare, & in gratiam suæ gentis, cũ Dñs illos non solũ nõ miserit, sed contrariũ ordinauerit.

Typus certæ diuturnæ captiuitatis.

9 ¶ Quia hæc dicit dñs, Cũ cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, uisitabo uos: & suscitabo super uos uerbũ meũ bonum, & reducam uos ad locum istum.

Consolatur dominus populum suũ, certũ captiuitatis terminum reuelando, qui licet diuturnus esset, poterant tamen sperare eorum quidam se superuicturos in se uel filijs bonũ tanti adimpletionem, cum ob potentatum maximum regni Babylonici id illis uideretur impossibile, nisi domino promittente. Verbũ bonum suscitandum est beneficiũ gratiosum redemptionis promissæ iam dudum per prophetas: & insuper Cyri edictum de reditu permittẽdo ad locũ unde abiecti fuerãt propter peccata sua.

10 Ego enim scio cogitationes, quas ego cogito super uos, ait Dominus, cogitationes pacis & nõ afflictionis, ut dem uobis tandem & patientiam.

Præsentia habet deus omnia, quæ unquam facta sunt uel futura in mundo, qui & prouidentia cuncta moderatur, sciens qui sint eius, & quibus egeant sui filij, quid deniq; cogitent & proponant, quæ & ordinat in suam gloriam & electorum salutem, qui utcunq; adfligantur malis propter peccata, semper tandẽ meliora succedunt, & à domino suscipiuntur in gratiam, sperantes in illũ, ut discant longanimitatem & patientiam in aduersis.

Omnia deo præsentia.

11 Et inuocabitis me, & ibitis: & orabitis me, & ego exaudiam uos.

Prospera quidem promittuntur suo tempore, interim tamen iubentur dominum inuocare orationibus, & fiducia & in uia dũi proficisci, ut legibus suis pareant: Et orabitis ad me non ad idola, & ego uos exaudiam.

12 Quæretis me, & inuenietis: cum quæsieritis me in toto corde uestro.

Generalis est promissio, ut uerissime inuenturi sint dominum, si toto corde cum quæsierint fideles. Gaudet enim inuocari à filijs pater, & benefacere multo propensior est. Quæritur autem dominus fide, spe & charitate, obedientia & iustitia, orationeq; deuota.

13 Et inueniar à uobis, ait dominus: & reducam captiuitatem uestram: & congregabo uos de uniuersis gentibus, & de cunctis locis ad quæ expuli uos, dicit dominus: et reuerti uos faciam de loco ad quem transmigrare uos feci.

Promittit collectionẽ Iudæorum ex omnibus gentibus, ad quas per reges fuerant distracti. Cyrus enim successor in Babylonico regno maximo, indulsit omnibus facultatem redeundi qui uoluissent ad terrã Iudæ: quòd si minus illa remissione usi sunt, non domini culpa, sed illorũ impietate & contumacia factum est, qui amore filiorum & uxorum, quos contra legem de alienigenis suscepe-rant redire noluerunt, & pro nihilo habuerunt terram hæreditatis suæ, de qua electi fuerãt in Assyrios & Chaldæos tribus uicibus, temporibus Ezechiæ, Iechoniæ, & Sedechiæ. Quibus omnibus hic promittitur reditus, quia dicitur de omnibus gentibus, de omnibus locis, ad ea loca reuersuros unde translati fuerant. Non enim per dominu ueritatem & bonitatem stetit quo minus redierint, sed per malitiam gentis illius, qui semper spiritui sancto resistere consueuerunt, ut hodie quoq; resistunt.

Collectio et reditus promissus.

14 Quia dixistis, Suscitabit nobis dominus prophetas in Babylone.

Sic errantes & seducti gratulabantur sibi de prophetis, quos à domino ad se missos credebant. Ezechielem contrariam ueritatem illic prophetantem persequebantur & quotidie irridebant, ut etiam in patriam spargeretur hæc fama nouorum prophetarum. Temere enim credebatur pseudoprophetis, quia plausibilia promittebant, quibus non inuite homines credunt.

15 ¶ Quia hęc dicit dominus ad regem qui sedet super solium Dauid, & ad omnẽ populum habitatorẽ urbis huius, ad fratres

uestros qui non sunt egressi uobiscum in transmigrationem.

16 ¶ Hæc dicit dominus exercituum, Ecce ego mittam in eos gladiũ, & famem, & pestem: & ponam eos quasi ficus malas quæ comedi nõ possunt, eò quòd pessimæ sint.

17 Et persequar eos in gladio, & in fame, & in pestilentia: & dabo eos in uexationem uniuersis regnis terræ, in maledictionem, & in stuporem, & in sibilum, & in opprobriũ cunctis gẽtibus ad quas ego eieci eos:

18 eò quòd non audierint uerba mea, dicit dominus: quę misi ad eos per seruos meos prophetas de nocte consurgẽs & mittens: & non audistis, dicit dominus.

De rege Zedekia loquitur nondum captiuato, qui ultimus tunc sedebat in solio Dauid Hierosolymis, quòd post breue tempus capiendus esset et crudeliter tractandus, decq; urbe gladio, fame, peste uastanda, abominabiles & protectitios. Vt proijci solent immaturæ & pollutæ ficus, quas gustare & edere nemo cupit, sed proijciuntur: sic residui Iudæorum in urbe iactabuntur in orbem exules per omnia regna, ut ibi maledictio sint, stupor, sibilus, & opprobrium omnibus populis. Id referri debet ad rebelles uerbo domini ciues, tã ad illud Ieremiæ tempus quàm ad omnia tempora. Semper enim Iudæi perfidi in ea urbe adflicti sunt, quia dominum agnoscere & glorificare renuerunt, donec dominũ prophetarũ crucifixerunt, ut in totum et irreuocabiliter puniretur. Id sibi semper expectare debent uerbi dei & prophetarũ cõtemptores & occisores, quos nunq; nõ mittit dominus ad salutẽ electorũ, & ad iudicium impiorum, ne sint excusabiles in cõscientijs suis et corã omnibus credẽtibus.

Perfidia Iudæorum.

19 Vos ergo audite uerbum domini omnis transmigratio, quam emisi de Ierusalem in Babylonem.

20 ¶ Hæc dicit dominus exercituũ deus Israël ad Achab filium Coliæ, et ad Sedechiã filium Maasiæ, qui prophetãt uobis in nomine meo mendaciter, Ecce, ego tradam eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis: & percutiet eos in oculis uestris.

21 Et assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Iudæ quæ est in Babylone dicentium, Ponatte dominus sicut Sedechiam, & sicut Achab: quos frixit rex Babylonis in igne,

22 pro eo quòd fecerint stultitiam in Israël, & mœchati sunt in uxores amicorũ suorũ, & locuti sunt uerbũ in nomine meo mendaciter quod non mandaui eis: ego sum cognitor & testis, dicit dominus.

Nominatim cõminatur duobus istis, et Semeiæ postea, falsa prophetantibus, & uana promittentibus, quos deprehendendos prædicit prophetico spiritu, non solũ mendaces et populi peruersores doctrina falsa, sed etiã execrabilibus moribus scandalum ponentes, uulgo, quos rex ipse prophanus cõuictos de adulterijs dura pœna finiuit, ut pro insolita crudelitate non iniusti iudicij fabula facti sint, et execratio toti genti, & æuo illo, ut si quis alteri malum imprecari cuperet, horum illi opprobriosam & acerbam mortem optaturus sit. Quandoquidẽ igne illos rex Babel exusit. Hebræi dicũt, Frixit. Non cõtentos uxores proximorũ, nisi et mendaciter seduxisse, populũ ad seditionẽ instituendã cõtra Nabuchodonozor, ut citius redirẽt: quibus maleficijs, regis in se animũ exasperarũt, bis miseri, captiui, odiosi, perfidi et mendaces.

Pœna falsorum prophetarum.

23 ¶ Et ad Semeiam Nehelamitem dices,

24 Hæc dicit dominus exercituum deus Israël, Pro eo quòd misisti in nomine tuo libros ad omnem populũ qui est in Ierusalem, & ad Sophoniam filiũ Maasiæ sacerdotem, & ad uniuersos sacerdotes, dicens,

Hic Semeias, ut ex litera patet, epistolis suis de Babylone Hierosolymam missis accusauerat ad summum sacerdotem, Ieremiam prophetam, pro eo quòd prædixisset, non breui redituros è Babylone Iudæos Hierosolymam, sed post septuaginta tandem annos.

25 Dominus dedit te sacerdotẽ pro Ioiade sacerdote: ut sis dux in domo domini super omnem uirũ arreptitiũ & prophetantem, ut mittas eũ in neruũ & in carcerem.

26 Et nunc quare non increpasti Ieremiam Anathothiten, qui prophetat uobis?

27 Quia super hoc misit in Babylonem ad nos, dicens, Longũ est: ædificate domos, & habitate: & plantate hortos, & comedite fructus eorum.

Impius hic Semeias adiurat oĩbus modis Zophoniam, ut se exhibeat egregium pontificem genti suæ, qualis suo tempore fuerit Ioiadas, instaurator et conseruator regni Iudaici, quod & ille uindicare nõ obmittat, ut uel rouocetur in pristinam gloriam, uel non sinat in totũ collabi quod supereſt. Hoc aũt tunc se facere confidat, si prophetam Ieremiam punat ob scriptam epistolã, uelut inquisitor prophetarũ illorum omnũ, qui pro Babylone & contra Hierosolymitanum regem quicquam propalare audeant, quos uatidicos uocat, & furore correptos uatidico: quos et in neruum conijciat, maxime Ieremiã, cuius proferebatur epistola in testimonium proditionis.

28 Legit ergo Sophonias sacerdos librum istum in auribus Ieremiæ prophetæ.

29 ¶ Et factum est uerbum domini ad Ieremiam, dicens,

30 Mitte ad omnem transmigrationem, & dicens, Hæc dicit dominus ad Semeiam Nehelamitem, Pro eo quòd prophetauit uobis Semeias, & ego non misi eum: & fecit uos confidere in mendacio:

31 idcirco hæc dicit dominus, Ecce ego uisitabo super Semeiam Nehelamitem, & super semen eius: nõ erit ei uir sedens in medio populi huius, & non uidebit bonum quod ego faciã populo meo, ait dominus: quia

quia præuaricationem locutus est aduersus dominum.

Siue is Zophonias latenter accuset Ieremiam, & insigillationem illi recitet eam epistolam, quam in Babylonem scripserat, ueluti redarguens eum sic scripsisse pro rege Babylonis: siue is fuerit uir bonus, & Ieremiæ satisfaciens, quem & audire uoluerit quid Semeias scripsisset contra eum, quod rationabilius uidetur. Vtrunq; tamen in hoc factum est, ut Ieremias absterreretur ab instituto, ut non suadeat populo defectionem à rege Iuda, & amicitiam Babylonij, desinatq; contradicere illis, qui meliora sperarent, et promitterent reditum è Babylone. Sic ergo Ieremiæ tentato succurrit dominus, uerbũ suum reuelando, ut prædiceret malũ quod maneret Semeiam, & semen eius, quorum nullus unquam esset Hierosolymam reuersurus. Vel enim ante septuagesimum ipse cum tota familia sua mortuus est, ut in numero redeuntium esse non potuerit, uel animo sic est perfido factus cum posteris, ut redire etiam permißi noluerint. Subditur autem causa, quia defectionem locutus est à domino, Ieremiam falsitatis redarguit, contra uerbũ domini temere loqui, & prophetam sanctum persequi tentarit.

¶ CAPVT XXX.

1 Hoc uerbum quod factum est ad Ieremiam à domino, dicẽs, Hæc dicit dominus deus Israël, dicẽs,

Fusius consolatur populũ in captiuitate Babylonica, læta denũtians duplicia. Vnum est reditus à captiuitate & collectio in Iudæam iteratò, quæ figura esset alterius maioris boni, collectionis scilicet omnium fidelium per Christum dominum in unam ecclesiam electorum, cui præesset rex Iudæorum, cuius solium stat in æternũ, qui in iustitia et ueritate regnet in domo Dauid.

2 Scribe tibi omnia uerba quæ locutus sum ad te, in libro.

Non solum prophetæ locuti sunt ad homines sui temporis, sed omnibus futuri temporis fidelibus. In eruditionem sacram & consolationem seruire debuit ipsorum prædicatio, quam propterea hoc loco dominus literis commendandam præcipit, ut in perpetuam rei memoriã asseruetur, legatur & intelligatur, seruiatq; institutioni credentium & electorum: quam non ut hominum cogitata suscipi oportet, sed ut infallibile uerbum dei, qui locutus est per homines ad homines, quorum fidem & ueritatem signis & gestis multipliciter comprobauit et toto terrarum orbe credibilia esse uoluit & firma.

3 Ecce enim dies ueniunt, dicit dominus, & conuertam cõuersionem populi mei Israel & Iuda, ait dominus: & conuertã eos ad terram quam dedi patribus eorum, & possidebunt eam.

4 ¶ Et hæc uerba quæ locutus est dominus ad Israël & ad Iudam,

Etiam Iudæi hæc exponunt de Meßiæ temporibus, quia Iudam et Israelem non uident redijsse sub Cyro, sed tantum Iudæos: & cum utrumq; regnum nondum redijsse Hierosolymã conspiciũt, inferunt nondum uenisse Meßiam. Nos autem Meßiam æternum regem, de semine Dauid agnoscimus regnantem super omnes totius mundi fideles, scimusq; non homines accessisse ad gratiam dei, sed gratiam dei sese inclinasse, uenisseq; ad homines, nõ omnes, sed electos, quos nos felicis ecclesiæ & aureæ Hierosolymæ ciues, quibus Christus rex et imperator præsidet, minime ignoramus. Nomine autem Israëlis & Iuda, uerè eos dici, qui fiducia & amore in deum sic sibi deum deuicerunt, ut nihil neget his, qui nihil nisi ad gloriam dei pertinens precantur, ut sanctificetur nomen suum, quem solum dominũ uniuersorũ confitentur, ut merito filij Iuda & Israëlis sint & dicantur. Qui uerò quæ sua sunt quærunt temporalia, gloriã, laudes, & uerbo dominu non credũt, nec nisi temporalia sectantur, carnem & sanguinem uiuunt, ut sunt hodierni Iudæi, nequaquam filios Israël uel Iuda dicendos esse, ut nec sunt in spiritu & ueritate, nec ostendere possunt secundum carnem se nisi à peßimis hominibus generatos, qui nec locũ nec tempus nec personas ostendere possunt testimonia salutis suæ. Vel ergo reductio captiuitatis de qua hic dicitur Babylonica fuit, & aliquorũ de omnibus tribubus, quibus uolentibus cõcessa est licentia redeũdi, uel uerorũ Israëlitarũ in unitatem fidei, qua colitur uerè deus, de omnibus mundi partibus, de quibus non dubium est æquè & magis curare dominũ, quàm de solis secundum præputium resciſum Israëlitis. Qualis congregatio longe illustrior est, quàm Iudaica ulla unquam fuerit in Aegypto à Mose, uel in Palæstina à Iosue, uel sub Samuele & Dauide, taceo de ea quæ sub Zorobabel, aliam ipsi non adsignabunt unquam, etiamsi ad unum hodie omnes pergerent in suam Syriam, eamq; totam, ut aliàs nunquam, poßiderent. Patres aũt fideliũ omniũ sunt Abraham & Israël, Dauid & Ezechias, et similes, qbus promisit dominus hæreditatem pacis, & omnis sufficientiæ.

Aduentus Meßiæ.

Israëlitæ sunt fideles.

Congregatio fidelium illustris.

5 Quoniã hæc dicit dominus, Vocem terroris audiuimus: formido, & non est pax.

Videtur propheta grauius hic aliqd prædicere quàm mala Babylonicæ captiuitatis, reuera tamen, urbis, templi, regis, & regni totalis uastatio, & totius Israëlitici status excidium paruum æstimari non potest, pro quo horror, pauor & perturbatio rerum omnium necessario concußit omniũ corda Iudæorũ. Et excidiũ idolorum in toto orbe, patet quantis constiterit sanctorũ martyrijs, quantis dæmonum machinationibus ueritas fuerit impugnata, & potentium monarcharũ tyrannide oppressa.

Excidium idolorum.

6 Interrogate & uidete si generat masculus: quare ergo uidi omnis uiri manũ super lumbum suum quasi parturientis, & conuersæ sunt uniuersæ facies in auruginem.

Nemo tam robore forti & animo uir est, qui non à magnitudine mali ingruentis doluerit & timuerit, ut fœmina parturiẽs, cuius maximus dolor est: & uultus omnium pallent, & mortis præ se ferunt imaginem, ob sanguinis fugam concursumq; ad pectus, facie destituta.

7 Væ, quia magna dies illa, nec est similis eius: tempusq; tribulationis est Iacob, & ex ipsa saluabitur.

Dies crudelior hic.

Non fuerat ante eum diem acerbior et crudelior uastatio eius populi & urbis, quàm cum templum & sacra omnia prophanarentur, & sublatus est cultus unius & ueri dei, eo loci ubi unice hactenus seruatus fuerat, oēsq; patrum fiduciæ & promissa semel collapsa et annullata uidebantur, finisq; impositus totius Israēliticæ gentis et gloriæ patrum, sine spe aliqua restaurationis. Id quoq; æquè contigit in secunda destructione, Romana. Vtraq; tamen uastatio carnalis, habuit subsequentem gloriam dei, & electorum in mundo gaudium et felicitatem: maxime autem secunda, quando in locum Iudaicæ cæcitatis & confusionis successit salutis in gentibus plenitudo.

8 Et erit in die illa, ait dominus exercituū: conteram iugum eius de collo tuo, & uincula tua dirumpam: & non dominabuntur ei amplius alieni:

9 sed seruient domino deo suo, & Dauid regi suo quem suscitabo eis.

Et Babylonicū iugū suo tempore cessauit à Iudæis, sed felicius erroris peccati & damnationis iugum ablatum per Christum est ab humeris electorum, & uincula rupta sunt superstitionū impiarum, quibus gentes constrictæ tenebantur. Quod uero postea alienis nō seruierint, de fidelibus intelligitur, tam ex gentibus conuersis ad deum, quàm de Iudæis, qui post reditum à Babylone idola non coluisse leguntur: sed ab utroq; populo seruitum deinceps est domino deo uiuo & uero, in agnitione regni Christi domini, qui uere filius Dauid secundum carnē, dominus dominantiū factus est et in cœlo et terra omnē potestatē ut homo accepit, qua ut deus nunquam caruit à mundi constitutione. Is Christus dominus rex à deo constitutus est uiuorum & mortuorum, iudex in æternum, imperans electis, cui uicissim seruiunt pleno affectu mentis & in spiritu, etiam si caro reclamet, quam crucifigunt sancti cum uitijs, ut spiritui subijciatur.

Iugum ablatū grauius.

10 Tu ergo noli timere serue meus Iacob, ait dominus, neq; paueas Israël: quia ecce ego saluabo te de (terra) longinqua, & semē tuum de terra captiuitatis eorum: & reuertetur Iacob, & requiescet, & cunctis affluet bonis, & non erit qui formidet:

Vtcunq; de captiuitate Babylonica conuersi feliciter redierint plures, & multa pertulerint incommoda Samaritarum & uicinarū gentiū, semper tamen perstiterunt & profecerunt, tam in templi quàm urbis restitutione: longe tamen perfectius id cōpletum uidetur in profectu ecclesiæ à Christi temporibus et deinceps, ut qui in domino fixi sunt fide firma, hi nullis possint uinculis, clādibus, mortibus superari. Eos enim de longinquo ad se Dñs uocatos seruat & ptegit, redditq; beatos, ut neq; peccati, mortis, mundi et dæmonū machinis terreantur.

Profectus ecclesiæ.

11 quoniam tecum ego sum ait dñs, ut saluem te: faciā enim consummationē in cunctis gentibus, in quibus dispersi te: te autē nō faciā in consummationē: sed castigabo te in iudicio, ut nō uidearis tibi innoxius.

Quomodo dispersos Iudæos dominus uel in Iudæa uel

in gentibus ad quos sunt dispersi castigauerit, & non ut cæteras gentes in nihilū redegerit, hoc est consumpserit, ipsi iactent & persuadeant sibijpsis, si possunt, nos eos uidemus omnium hominum miserrimos esse. Quomodo autem fideles Christi discipuli et ecclesiæ filij creuerint, & fide sua uirtuteq; regis sui Christi mundum uicerint, & cultum idolorū omnē deleuerint, & unius dei gloriā propagauerint, potentissimos mundi principes uerorum Israēlitarum pedibus subdiderint, ut nihil magis optent quàm Christo filio Dauid probari, & per illū creatori suo unico cōmendari, id nos quotquot fideles sumus iactare, ostendere, gratulari, & confiteri ualemus, inuitis Iudæis. Etiā si nō paruæ superstitiones irrepserint in ecclesiam, quales in synagoga Iudaica sub Mose & prophetis oībus semper repertæ sunt, nunquā tamen dominum dei nostri cultū & agnitionem perdidimus. Excessimus quidē in ceremoniarū nouationibus, & aliquantisper in neglectu uerbi dei, traditionibus humanis implicati mansimus, sed salutē nostram à domino per Christū obtinemus, sed semper sperauimus atq; credidimus, et in mortis usq; articulum semper ingenue testati sumus, quo minus nobis lapsum aliquē ecclesiæ improperare audeāt, qui dominum dei sui uerbū sæpe in totū reiecerant & idola coluerāt. Piorum quoq; ecclesiā corrigere solet dñs, sed clementer et gratiosè, nō ut Iudæos, quod ipsi quoq; negare nō possunt. Nemo enim innocēs est à peccato, et in iudicio illius nemo tutò ingredietur, etiā si Abraham & Elias fuerint.

12 ¶ Quia hæc dicit dominus, Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.

13 Non est qui iudicet iudicium tuum ad alligandum: curationum utilitas non est tibi.

Sermo uidetur alius ad Ierusalem et Iudæos. Hæc ubi loquitur dominus, Conteram quidem te & uastabo, non tamen irreparabiliter: condoleo enim contritioni tuæ, eatenus ut spem non omnino reiecerim emendationis, spes enim est plagæ tuæ sanandæ. Non est autem alius qui causam tuam uindicet uel iudicet, & qui uulneri tuo emplastrum adhibeat, & sanitatem restituat, nemo ad uiam pœnitentiæ te reducat præter me.

14 Omnes amatores tui obliti sunt tui, neq; non quærent: plaga eīm inimici percussi te castigatione crudeli: propter multitudinē iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata tua.

Quos uel coluisti deos, uel prò auxilio tibi fosteraste reges, nunc inuenis nihil auxilij tibi posse præstare, sed sunt ueluti obliti tui, non curauerunt de te ut succurrerent patienti. Sic enim percutere te uolui, ut horrerent omnes, nemo auderet intercedere: tam seuera disciplina te correxi, ut desperarent de salute tua omnes uicini tui. Tantā aūt crudelitatē exercui, in te uel exercebo, propter iniquitates tuas numias. Inualuerunt enim catenus peccata tua, ut diutius dissimulare flagitia tua non possem.

15 Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuæ, & dura peccata tua (feci hæc tibi.)

Non ab re uel sine causa clamabis sub cōtritione tua, grauitā

grauior est enim quàm ut sine dolore & pauore ferátur à quouis. Nam & ego condoleo dolori tuo, & inuitus uenio ad te tam miserè tractandum: sed cogunt ad hoc me iniquitates tuæ, & euicerunt patientiam & clementiam meã grandia & perpetua peccata tua, ut aliter tecum agere nequaq̃ potuerim, neq; debuerim, sed sic te nunc feriam, ut Israële in Assyrios relegato, & Iechonia cum nobiliori portione regni & populi translato in Babylonem, quoq; statim residui sint sequuturi.

16 Propterea omnes qui comedunt te, deuorabuntur: & uniuersi hostes tui in captiuitatem ducentur: & omnes qui te uastant uastabuntur, cunctosq; prædatores tuos dabo in prædam.

Reditum in ter. uolunt.

Aeque tamen meam impellit iustitiam ferocitas hostium tuorum Babylonicorum, qui inqua uoluntate te uastant, ut deuoratores tuos eosdem similiter faciam deuorari à suis quoq; uenturis hostibus: ut ipsi quoq; capiendi sint qui te capere præsumpserunt, diripienturq; hij quibus præda fuisti.

17 Obducam enim cicatricem tibi, & à uulneribus tuis sanabo te, dicit dñs. Quia eiectam uocauerũt te Sion, Hæc est quæ non habebat requirentem.

Vexatio erudiens.

Interim enim uexatione Babyloncæ captiuitatis emendata, fide & moribus proficies melioribus, & ad me conuerteris humiliata, ut restituatur tibi ualetudo, & digna habearis mihi, cuius denuo uulnera contritionis tantæ sanem. Idq; propter gloriam nominis mei, qui te elegeram in populum, quem cupio meliorem alijs, sed semper inuenio iniquiorem, ideo uocauerunt te reliquæ gentes desolatam destitutamq; auxilio, & repudiatã, quia te desertã uident et sentiunt fauore & auxilio meo, nec esse qui pereuntem et exulantem requirat.

18 ¶ Hæc dicit dominus, Ecce ego conuertam cõuersionem tabernaculorum Iacob, & tectis eius miserebor: & ædificabitur ciuitas in excelso suo, & templum iuxta ordinem suum fundabitur.

Redemptio duplex.

Promissio est redemptionis fidelium, quæ ut facta sit sub Cyro, minor tamen fuit quàm ut hic scripta ei per omnia competere inueniantur. Facilior autẽ sensus est, si de mundi redemptione & ecclesia omnium sanctorum in Christo hæc completa uideantur. Iacob enim & Israël amicos dei significant, & ex hominibus electos à domino. Hos captos erroribus fidei & morum reuocauit per euangelium deus, & ecclesias diu neglectas requisiuit gratia sua per apostolos & apostolicos uiros. Quæ ecclesia ædificabitur toto mundo dilatanda, et ruinæ restituentur & erigentur locis suis, ut quicquid genus malus uastauerat, hoc gratia dei reformetur, & excludatur error à ueritate, & idola cædantt dei ueri cultui. Licet & Hierosolyma sub Neemia reædificata sit, & paulatim creuerit ad magnam gloriam, longe tamen illustrior est reparatio ecclesiæ electorum dei.

19 Et egredietur de eis laus, uoxq; ludentiũ: & multiplicabo eos, & non minuentur: & glorificabo eos, & non attenuabuntur.

A Hierosolyma lex & euangelium

De Hierosolyma restituta egressa est lex euangelica, de monte Sion exiuit torrens ueritatis et fidei in orbem, & uox gratulantium sibi de remissione peccatorum, & reconciliatione humani generis cum deo. Aucta quoq; est & glorificata eatenus, ut auctior fieri uix posßit, diffusa in angulos mundi, sic ut continuo ueri dei agnitio increuerit, etiam si per ceremonias & humanas traditiones non parum confusionis inciderit & detrimenti, propter inimicum hominem qui dormiente patrefamiliâs, id est, negligentibus prælatis, episcopis & doctoribus ecclesiasticis superseminauit semen malum.

20 Et erunt filij eius sicut à principio, & cœtus eius coram me permanebit. Et uisitabo aduersum omnes qui tribulant eum.

Fideles ex gentibus.

Filij ecclesiæ sanctorum non minus domino placebunt, quàm olim patriarcharũ filij, nec ecclesiam Christi minoris habebit, uel dotabit gratijs minoribus & charismatibus, quàm priscam illam patriarcharum prophetarumq; synagogam. Nec segnius defensabit eam, tuebiturq; & uindicabit deus posteriorem adhærentium sibi populũ quàm Iudaicũ priorẽ, sed glorificabit magis fide et operibus, tẽporeq; longiore, et latiore terra uel loco.

21 Et erit dux eius ex eo: et princeps de medio eius producet: & applicabo eum, & accedet ad me. Quis enim iste est qui applicet cor suum, ut appropinquet mihi, ait dñs?

Christus dux ecclesiæ.

Princeps & dux ecclesiæ Christus, uelut ecclesiæ caput & principale membrum eam non deseret, sed prodibit ex ea. De semine enim Dauid egredietur secũdum corporalem substantiam, & ad me accedet ut pontifex & mediator, seipsum sacrificans uoluntate mea propter ecclesiam: cuius ego faciem auertere nõ possum, nec refutare preces, cum sim illi ego in patrem, & ipse mihi filius, cui gentes hæreditatem dedi. Nemo enim hominũ unquam fuit, qui ita cor suum desponderit mihi, & sine peccato apparuerit uultui meo, ut digne intercederet, uel proprijs meritis promereretur beneficia salutis felicitatisq; æternæ, præter eum solum Christum domini, Dauidis filium, cuius solium durat coram sole & ante lunam, gloria scilicet nominis & gratia.

22 Et eritis mihi in populum, et ego ero uobis in deum.

Hæc ergo ecclesia cum rege suo & sponso pariter mihi populus erit acceptabilis, & ego sic eam beneficijs obruam, ut liquido me ostendam illorum deum, quem & solum uenerabuntur & colent, idolis in uniuersum contemptis.

23 Ecce turbo domini furor egrediẽs, procella ruens: in capite impiorũ conquiescet.

Quæ de gratia dei dicta sunt, ad piorum spectant ecclesiam: impijs autem pater non erit, nec ipsi ei filij, sed ut tempestuosissimus turbo & rapidus uentus arripiet eos dominus, & in exteras aliquando tenebras eijciet, capitaq; ipsorum conteret, qui filium dei blasphemant & uerbum. Contra tales non cessabit furor iræ, sed supplicio æterno damnabuntur.

24 Nõ auertet irã indignationis dominus, donec faciat & cõpleat cogitationem cordis sui, In nouissimo dierũ intelligetis ea.

Ira domini non cessabit posthac, nec in Iudaicũ populum, nec in residuas omnes gentes, donec id quod à sæculis se facturum prædixit Messiæ mysterium omne in hoc mundo complebit, quod & statuet, & orbi toto manifestabit, se scilicet reconciliatum humano generi per Christi domini sacramentũ, benedicta incarnatione, uita, morte, resurrectione completũ. Hæ sunt cogitationes pacis, quas cogitauit dominus, quas homines quidem sancti patriarchæ & prophetæ cognouerunt et crediderunt, ueluti cũ per umbrã lux uidetur. In fine autem temporum, uel posterioribus Messiæ temporibus intelligent clarius & manifestius fideles & sancti, cum sensus quoq; ipse testabitur uenisse, quem sancti fide tantum futurũ prænouerant. Nisi fortassis hoc ad Iudæos referri debeat, quos credimus in fine mundi excussuros nebulas errorũ, inuidiæ, gloriæ carnalis, & agnituros dominum Iesum Christum promissum ipsis & nobis, susceptum à gentibus in salutem, reprobatum autem à Iudæis, illis lapidem factum offensionis, nobis autem petram soliditatis, ad omne bonum omnibus fide fundatis in illum.

Cogitationes pacis quales.

¶ CAPVT XXXI.

1 IN tempore illo, dicit dominus, Ero deus uniuersis cognationibus Israel, & ipsi erunt mihi in populum.

Ad præcedens refertur, ut sensus clarus sit, futurum esse Christi temporibus. Totius Israëlis omnium electorum alius deus non erit, quàm dominus deus creator omnium, cessante omnium idolorum cultura, reuersis omnibus gentibus ad unius dei agnitionem. Et ipsi Israëlitæ in spiritu ex toto orbe erunt mihi in populum, ut omnium deorum nomina cessent, præter unius dei, qui est dominus deus Israël. Nec hic audiendi sunt Iudæi, ut non nisi Israeliticarum familiarum, hoc est, duodecim tribuum dominus deus futurus sit, quod & prophetis & sensui repugnat, & orbis totius statui. Certe si uno in loco falsificatio irrepsit Iudaica, arbitror hic cerni, ut pro familijs gentium legant Hebræi familias Israelis, & tamen constat Israelem uere dici filios fidei Iacob et Abrahæ, non carnis, quæ nihil prodest.

Deus omnium gentium.

2 ¶ Hæc dicit dominus, Inuenit gratiam in deserto populus qui remanserat gladio: uadet ad requiem suam Israel.

Hic Hebræi distinctionem faciunt, cũ uideatur continuandum præcedenti sententiæ: quasi uelit dicere, Non aliter deus unus coletur ab omnibus cognationibus Israelis, quàm tunc cum illum educeret dominus de Aegypto post afflictiones, & requiem daret sub Mose, & unus dei cultum institueret, in tabernaculo primum, deinde in Salomonis templo. Plebs enim Iudaica post reditum è Babylone deos non coluit, nec tamen syncere deo seruiuit, sed multipliciter desciuit à legis obseruantijs, ex traditionibus humanis & pharisaicis, usq; ad Christi tempus et Romanam uastationem, quando desijt magna pars Iudæorum esse dei populus. Residui autẽ Christi discipuli totum terrarum orbem conuerterunt ad creatorem suum idolis eliminatis ex omnibus gentibus, cum quibus ueram dei ecclesiam fundauerunt & auxerunt. De qua Iudæorum sanctimonia & felicitate, quã consecuti sunt in Christo per dominum, in orbe toto prædicauerunt prophetæ olim complenda, ut contigit per apostolos & apostolicos uiros. Prophetæ autem dei aliquando de Iudæis loquuntur à Babylone parua quidem multitudine redeuntibus, sed ad Christi tempora non parũ auctis in terra Israel & Iuda, ut patet ex euangelijs & Actis, et Iosepho. Aliquãdo de eis Iudæis, quos Christum, prædicante Petro, octo milia cõuersi sunt ad Christum, à Paulo et reliquis apostolis multo plures, qui postea sim in orbe Christi fidem plantauerunt, & ex gentibus ubiq; conuersis catholicam ecclesiam fundauerunt, incomparabiliter deo ipso optimo & maximo gloriosiorem, & sanctis patriarchis Abrahæ, Isaac, Iacob, Mose, Iosue, Samueli, Dauidi, Ezechiæ, Iosaphat, Iosiæ, Esaiæ, Ieremiæ & cæteris his in illo populo fide & moribus sis miliorem, q̃ unquam fuerit gens Iudaica, extra iam enumeratorum sanctorum tempora & ætates. Iudæi autem qui hodie mundum, ut sunt, occupant, tantum absit ut Israelitæ sint uel dicãtur, ut propter peccata quibus semper & usq; hodie polluti sunt, populus dei dici non possint, sed pecora occisionis, & onus terræ: etiã sacrarũ suarũ scripturarũ hodie non satis fidi & solidi propugnatores, qui dei ueritatẽ nõ credũt nec Messiã futurũ, quia non sperant, quod unice cupiunt, gloriam mundi.

Pharisaicæ traditiones Iudæorum.

3 Longe dñs apparuit mihi, Et in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserãs.

Fidelibus patribus olim & à multis temporibus dominus apparuit, et prophetis innotuit, per quos electum populum ab æuo prosequutus est beneficijs, & multa clementia, de nocte consurgens pater pro filijs, ipsos attrahendo ad sui amorem & cultum.

4 Rursumq; ædificabo te, & ædificaberis uirgo Israel: adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium.

Sicut fideles meos semper hactenus foui, protexi, & promoui, sic posthac & semper pios & credentes mihi ædificabo & gubernabo, ut à nemine me nolente confundantur uel opprimantur, sed gaudeant in domino, & publica pace perfruantur, temporalibus non destituantur gaudijs, & charitate mutua felices sint in hoc seculo, domino accepti, quibus non imputat terrena oblectamenta sensuum, si mente et cõscientia domino seruiant. Non enim chori ludentium, saltantium & gaudentium per se mali sunt uel à deo prohibiti, alioqui non eos uitutis præmium dominus fidelibus promisisset, sed si contingat illis scurrilitas, libido prohibita, & irritatio misceatur illis scurrilitas, libido prohibita, & irritatio spurca sensuum, & concupiscentiæ adulterinæ uel fornicariæ: quæ omnia etiam sine choreis illicita sunt, & propria prohibitione damnata.

5 Adhuc plantabis uineas in montibus Samariæ: plantabunt plantantes, et donec tempus ueniat non uindemiabunt.

Vtcunq; Ieremias dura prædiceret regno Iuda, totalem scilicet desolationem urbis, templi, & gentis, iubet tamen bene sperare ad tempus præordinatũ septuaginta annorum, post quod iterum florere incipient, crescere & proficere in prosperitate rerum temporalium, ut iterum plantaturi sint uineas, hortos, agros, in terra tam Israël quæ Samaria dicitur, quàm Iuda, & cũ gaudio fructus sint percepturi, illisq; cũ tranquillitate perfruituri.

6 quia erit dies in qua clamabũt custodes in monte Ephraim, Surgite, & ascẽdamus in Sion ad dominum deum nostrum.

Etiam proficient religione & cultu pietatis, Hierosolymis primitias oblaturi secundum legem, quo significatur restitutio in integrum diuini cultus sub Ezra, Neemia, & Iesu filio Iosedech, ut ter in anno quotannis solennia sint in templo secundo celebraturi: quod ex euangelijs completum legitur.

7 Quia hæc dicit dominus, Exultate in lætitia Iacob, et hinnite contra caput gentiũ: personate, & canite, & dicite, Salua domine populum tuum reliquias Israël.

Promittit benignitatem dei ad populum Israël, pro qua ei gratias dicere & canere debeant iam tunc, nondum abducti in exilium, quo æquanimius futura mala tolerent, ne se filij Iacob omnino deserendos timeant, quin & caput gentiũ erunt, dum Christus de tribu Iuda mundi totius rex & saluator agnoscetur & suscipietur, omnesq; gentes humiliter se dei uerbo propheticis apostolicisq; doctrinis subijcient, & se in lege domini discendas discipulos ponẽ exhibebũt. Hæc tanta gloria Israëliticæ gentis prædicari debebat & collaudari in orbe: quia scilicet toties repulsum populum dominus restituere decreuerit, & spectabilem orbi proponere reliquias Israël ex iudaismo conuertendas ad Christum, & conuersas orbem totum ad dominum.

8 Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ, inter quos erunt cæcus & claudus, prægnans & pariens simul, cœtus magnus reuertentium huc.

Promittit reditum illorũ qui iam cum Iechonia exulabant, & aliorum quoq; in multas regiones proiectorum, quia iterũ colligendi sunt quotquot redire uolent ad hæreditates suas sine graui molestia, etiã si qui ipsorũ cæci futuri sint uel claudi, prægnantes uel puerperæ, & in non parua multitudine, de qua in Ezra & Neemia.

9 In fletu uenient, & in misericordia reducam eos: Et adducã eos per torrentes aquarum in uia recta, & non impingent in ea: quia factus sum Israëli pater, & Ephraim primogenitus meus est.

Tristes & cum lachrymis abducti sunt exules et captiui cum Iechonia, uel etiam cum Zedechia abibunt: sed cum solatio reducam & gaudio misertus illorum, quos sine periculo hostium & impedimento fluminum deducam recto itinere, sanos, incolumes, ueluti pastor gregem, & pater filios amantissimos. Ephraim autem primogenitus dei dicitur, Israëliticus populus. Non raro enim Israël dicitur Ephraim, propter regnum decem tribuum, aliquando ad distinctionem regni Iudæ, aliquando propter germinationem maximam & multiplicationem filiorum dei. Vtcunq; enim multitudo gentium ad ueri dei cultũ peruenerit, salus tamen ex Iudæis est, à quibus Christus & apostoli, euangelistæ et primitiuæ ecclesiæ plantatores exierunt, ut merito cæteris, ut dicitur paribus, Israëliticum genus in Christi ecclesia primas sibi præripuerit.

10 ¶ Audite uerbum domini gentes, & annunciate in insulis quæ procul sunt, & dicite, Qui dispersit Israël congregabit eum: & custodiet eũ sicut pastor gregem suum.

11 Redemit enim dominus Iacob, & liberabit eum de manu potentioris.

12 Et ueniẽt, & laudabunt in monte Sion: & confluẽt ad bona domini super frumento, & uino & oleo, & fœtu pecorum & armentorum: eritq; anima eorum quasi hortus irriguus, & ultra non esurient.

Gloriam suam disseminari uoluit in omnes gentes, & ubiq; se coli uero, hoc est, spirituali cultu. Ideo beneficia sua Israëli impensa iubet prædicari toto in orbe: quomodo scilicet congregauerit denuo suam gentem ab Aquilone in Iudæam remittendo, quæ typus essent congregationis omniũ fidelium in ecclesiam Christi, cuius utriusq; congregationis custos, pastor et rex futurus sit, quas et redempturus sit de manu omnium aduersariorũ, ambasq; ecclesias coituras in unã catholicã, quæ Sionis mons est à prophetis appellata. In qua ecclesia dominus præstabit omnium bonorum affluentiam, tam corporalium quàm spiritualiũ donorũ, præparabitq; sibi ecclesiam collectam ex multis hominũ generibus, ut sint in ea oues, hœdi, boues secundum uaria dona spiritus sancti. Qui omnes diuini flatus refrigerio fouebuntur et consolabuntur sine doloribus & tristitia. Prophetico stilo hic in summa describitur felicitas uera ecclesiæ ex Iudæis & gentibus domino congregandæ, quæ maior est & iucundior, quàm ut eam prophetæ quibuslibet sermonibus potuerint assequi, uel paradigmatis figurare. Alioqui quid magni est populum pariter habitare in Syria, frumentũ, uinum, oleum, oues, boues habere in copia, cum id terris & gentibus multis conueniat, & dives sit qui parum cupiat, felix autem qui habitis fruitur cum lætitia, quod ipsis commune est cum sanctis?

Euangeliũ prædicandum ubiq;.

Felicitas ecclesiæ uera.

13 Tunc lætabitur uirgo in choro, iuuenes & senes simul: & conuertam luctum eorũ in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo eos à dolore suo.

Vbi deus agnoscitur & colitur, ibi omnia plena sunt gaudio: pax & tranquillitas communis est omnibus: uirgines gaudent mundo suo, castæ, uerecundæ & obedientes maioribus: adolescẽtes, iucũdi, honesti, liberales, et maturis amoribus contenti sunt: coniuges cõcordes, fideles, cura illis rei familiaris mediocris, sed diligens: senes maturi, prudentes, alacres, non morosi nec auari,

Gaudium in ecclesia.

Benignitas dei ad Israelem.

Reductio Israëlitarum.

ſed filiorum amantes. Talis facies rerum eſt hominum deum colentiũ. Apud quos perpetuũ gaudiũ eſt in ſerena cõſcientia fiduciaq; in deũ firma, hos deus cõſolatur et lætificat, et ab omni dolore mẽtis et anguſtia liberos facit.

14 Et inebriabo animam ſacerdotum pinguedine, & populus meus bonis meis adimplebitur, ait dominus.

Sacerdotũ animos pinguedine imbui, quid magni eſt ſi ueſcantur pinguibus, ſi delicate paſcantur, ſi indulgeant genio? Quid uero aliud Iudæis in mentem uenit? Fideles aũt ſpiritus ſancti oleo perfundendos eccleſiæ doctores intelligũt, et refectione panis cœleſtis cibari, gaudere de gloria dñi, ſi ſerui dei fideles ſint, & de profectu gregis eccleſiaſtici gratias agere. Bonis aũt dei populũ dei ſaturari, eſt ſpiritualibus ſpiritualia comparari, mentẽ uiri-tutibus & zelo pietatis impleri, ut nihil dulcius ſapiat beneplacito dei, & eloquijs legis diuinæ. Intellectũ Iudaicũ huius loci indignũ ſpiritui ſancto deprehendimus, & ut plane carnalem ſpiritus fidelium non amplectitur.

Refectio fidelium.

15 ¶ Hæc dicit dominus, Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus & fletus Rachel plorantis filios ſuos: & nolentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt.

Alia prophetia eiuſdem tamen argumenti. Quanq̃ autẽ Rachel mater Ephraim per Ioſeph regnũ Iſraël deplorare introducatur, iam in Aſſyrios abductum, ueluti nunquam rediturũ, æque tamen poteſt totius Iſraëliticæ gentis mater intelligi, cum fuerit principalis uxor prima & ſemper prædilecta Iacobo, in quã primo conſenſerat, quæ totius gentis calamitatem futurã ualido clamore lamentari dicitur. Sic enim decem tribus dudũ, nunc uero Iudam & Beniamin captas uidere uidetur, ut nunquam redituras metuat, & deploret amariſſimo fletu & luctu. Cõmode autẽ hoc loco Matthæus abuſus eſt, & ad ſuum inſtitutum accomodat præter genuinum ſenſum, propter crudelitatem Herodis & aliorum hoſtium pietatis.

Rachel plorans.

16 ¶ Hæc dicit dominus, Quieſcat uox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis: quia eſt merces operi tuo, ait dominus, & reuertentur de terra inimici.

17 Et eſt ſpes in nouiſſimis tuis, ait dominus: & reuertent filij tui ad terminos ſuos.

Conſolatur dominus ſanctam Rachelem matrem Iſraelitarum, ſuper calamitatem filiorũ carnalium, qui de exilio ſuo reuerſuri ſint aliquãdo, pro magna parte: pars autem reſidua quæ nõ reuertetur, compenſabitur ei innumera multitudine filiorum, qui non minoris gratiæ & meriti apud eam habendi ſint ob fidei & pietatis prærogatiuam, quam ſancta mulier ſolam ſpectabat deſiderio prolis, quàm cæteræ tribus, quas partim ab æmula ſorore, partim ab ancillarum obſequio ſuſtulit filios. Quaſi dicat dominus, Pro tuis filijs Ioſeph & Beniamin, & ſororis ac ancillarum filijs ſublatis, reſtituam tibi benedictionem omnium gentiũ, quæ ſeſe tuæ fidei filios affectu ſanctiore iactare poterunt, quàm decem tribus filiorum mariti tui Iacobi. Læta enim tibi reddẽtur pro triſtibus, uidebis numeroſiſſimam prolem reuerſuram ad cultum

Benedictio filierum Rachel.

domini dei tui, quo tibi nihil gratius contigit unquam. Redibunt quidẽ ad terram ſuam nunc capti in Aſſyrios & Chaldæos, ſed ex terris hoſtium tuorum uidebis filios Iſraël multo meliores & plures uenturos, ut dominum deum tuum digne uenerentur & colant.

18 Audiẽs audiui Ephraim tranſmigrantẽ, Caſtigaſti me domine et eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus. Conuerte me, & conuertar: quia tu dominus deus meus.

Adfingit prophetа Iſraëlitis captis paſſim planctum & luctum, quo queruntur pertinaciam ſuam, qua contra dominum contendendo exilium meruerunt, & ſeſe offerunt ad poſthac ſedulo obtemperandum uerbo domini & prophetis. Correxiſti me, inquit, & correctus ſum, & emendatus uirga rigoris tui, & cum ut inſolens uitulus nondum aſuetus ad iugum, uitulos adorarim, & inſoleuter contempſerim leges tuas, obſecro nunc per gratiam tuam & flagella eruditus in melius, ut conuertas me, & redire facias ad obedientiam ſanctiorem, ut tibi ſoli deo meo poſthac totus ſeruiam.

19 Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam: & poſtquã oſtendiſti mihi, percuſſi femur (*meum.*) Confuſus ſum, & eruboui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ.

Non poteſt quiſquam redire ad dominum, niſi attrac-tus gratia uocationis illius, & tunc quoq; ſpiritus conſolationem ſentit, & quod cœperat ex timore, perficit dilectione, ut incipiat dolere ueterem conuerſationem, pœnitere comiſſorum, & meliora proponere. Iuuenis cum eſſem ſub Ieroboã & ſequentibus, non pauca commiſi eorum quorum nunc opprobroſam mulctam ſero. Nõ enim pauca per ignorantiam peccare ſolẽt iuuenes.

20 Si filius honorabilis mihi Ephraim, puer delicatus: quia ex quo locutus ſum de eo, adhuc recordabor eius: idcirco conturbata ſunt uiſcera mea ſuper eum: miſerans miſerebor eius, ait dominus.

Verba dei ſunt ſecundum Hebræos quoq;, Iſraëlitæ inter gentes licet captiui, filij tamen mei ſunt non ingrati. Agnoſcunt enim me iam in aduerſis, quem negligebant in proſperis, uerbis & factis prædicant in gentibus nomen meum, & augent in nationibus extraneis numerum filiorum dei, non minus quàm Daniel & ſocij in Babylone gloriam dei apud reges & principes prædicarunt exemplis & ſermonibus. Non enim tam in illorum pœnam quàm mei nominis gloriam diſperſi Iſraëlem in gentes plurimas. Ad hoc enim elegi eum ab initio gentis Iſraëliticæ, dum eos in Aegypto eremo & Chananaica plantarem & regerem. Malitia enim ſua peccauerunt, bonitate autem & prouidentia mea colli-lius peccatũ ad iuſtitiã totius orbis, id quod & Chriſti myſterio perfectum eſt & diuulgatum. Miſerebor rego eius, & primis ad prædicationem euangelicæ ſalutis mittendis apoſtolis inſtituam, ad gratiam dei gentibus prædicandam per Chriſtum. Quomodo enim apoſtolorum uox & prædicatio tam cito angulos orbis peruaſiſſet,

peruasisset, nisi in toto orbe Israeliticam gentem de lege Mosis & prophetarum oraculis primos inuasisset? qui ut in Thessalonicensi ecclesia faciebant, Christum ex lege & prophetis agnitum, mox apostolici uiri facti approbando rigauerint, quod apostoli plantassent.

21 ¶ Statue tibi speculã, pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in uiam rectam, in qua ambulasti: reuertere uirgo Israël, reuerteread ciuitates tuas istas.

Alia, sed cohærens prophetia ad populum Israël, ut in terra etiam inimicorum exul reuertatur toto corde ad dominum: ut uel per uiam qua in exilium deportati sunt redeant certo reditu, quasi semitis designatis, nec redituri aberrent à uia qua abierant, sed iusto itinere sereuerto feliciter reuertendi in terram copiam mereantur, aliquando permittendi à Cyro uel Dario: uel si domino melius placeat, saltem alibi dominum clementem propitiumq; sentiant, & in gloriã dei proficere possint, quod unice sancti cupiunt, loco non impediti à sanctis studijs & beneplacito diuino perficiendo. Non enim sine magno fructu Israël in gentes dispersus est, ubi unus dei cultum gentes docuit, ad quos sicut Petrus apostolus, sic alij quoq; apostoli epistolas suas scripserunt, & personaliter prædicationibus suis ad Christum conuerterunt. Interim tamen iubẽtur sibi speculatores instituere, & orationum amaris lachrymis pro reditu populorum ad dominum creatorem suum preces effundere, in uiam pœnitentiæ toto corde regredi, ut ad ciuitates suas redire permittantur, ut erat promissum illis ex lege.

22 Vsquo deliciis dissoluêris filia uaga? quia creauit dominus nouum in terra: fœmina circundabit uirum.

Satis diu hactenus diffluxisti per uarios idolorũ cultus, nullibi requiẽ inuenens uel salutẽ, postquam defecisti à creatore tuo, et adulterata es cũ idolis gentiũ, relicto marito tuo legitimo. Sed incredibilẽ & inconsuetã rem hactenus faciet dñs in terra, fœmina circundabit uirũ, Israëlitica gens post longam desertionẽ sponsi sui dei, & pietatis ueræ neglectũ conuertetur ad dominũ deum suum, fidei charitatisq; et obedientiæ brachijs complexabitur sponsum suum, et tota mente domino adhærebit coniunctione arctissima. Sicut uxor maritũ suũ tenet, sic Israël dominum deum suum tenebit, et nunquam deseret ultra. Hoc uerissime perfectũ intelligitur de Israëlitis dispersis per mundum, qui apostolorũ prædicationibus admoniti, cum infinitis gentibus ecclesiam domini constituerunt, uinius tantum & ueri dei cultrice. Per allegoriam id quoq; de beata uirgine & concepto sine uirili semine deo & homine Christo perfecto intelligi potest.

23 Hæc dicit dñs exercituum deus Israël, Adhuc dicent uerbum istud in terra Iuda, & in urbibus eius, cum conuertero captiui tatem eorum, Benedicat tibi dominus pulchritudo (habitatio) iustitiæ mons sanctus:

Nemo nunc uidens tantam uastationẽ urbiũ Iuda, & totius gentis cladem, cum templi totiusq; diuini cultus futura destructione credat prorsus collapsam extermi-

natamq; gentem Iudaicam. Veniet enim tempus, in quo à Iudæis hæc terra iterum inhabitabitur, urbes reædificabuntur, & cultus dei restituetur, & inuocabitur nomen domini dei Israël in tota terra Israëlitarum, quæ & pulchritudo uel habitatio nõ mansio appellabitur iustitiæ, & mons sanctificationis erit in gloria maiore quàm antea, quod et Haggæus prædixit propheta suis temporibus. Id autem fiet cũ captiuitas reducetur, & libertati donabũtur Israëlitæ, qui nunc ut serui exulant toto orbe.

24 & habitabunt in eo Iudas, & oẽs ciuitates eius simul: agricolæ & minãtes greges.

Reductio Israelis.

Iudæi iterum à Cyri temporibus habitabunt in Iudæa, cum abundantia rerum temporalium: terra reducta in solitudines iterũ agricolis coletur, & gregum multitudine implebitur, pastores quoq; proficiscentur suo more liberi tam à feris quàm hostibus. Hoc quidẽ factum ad literam est per quadringentos & amplius annos, non tamen tam feliciter quàm per Christum & apostolos, quando totius orbis pomeria ditiom regis Messiæ subiecta sunt, & Israëlitica sanctimonia repleta.

25 Quia inebriaui animã lassam: et omnem animam languidam impleui

26 ideo quasi de somno suscitatus sum: & uidi, & somnus meus dulcis mihi.

Saturauit enim dominus esurientes bonis, & animã imbecillem implcuit uerbo uitæ, & terra promissionis et abundantiæ tam spiritualiũ bonorum q̃ corporaliũ factus est totus mundus, saturanturq; passim omnes qui esuriunt et sitiunt iustitiã. Hæc propheta audiens et credẽs ad tantã fidelitũ & Israëliticæ gentis felicitatẽ reuiuiscit, animo ad se reuertitur, non aliter q̃ si quis à suauissimo somno euigilet & expergiscatur. Nihil enim feruentius concupiscũt sancti, quàm ut gloria dei crescat, et fidelitũ feruor & deuotio augeatur, & toto orbe diffundatur.

27 ¶ Ecce dies ueniunt, dicit dominus: & seminabo domum Israel & domũ Iuda semine hominum & semine iumentorum.

Augendum semen Israelis.

Futuris temporibus continget, ut semen Israel & Iuda augeatur numero hominum & iumentorum, ut nullus fideles & dei cultores numerare possit, tota terra plena erit fructu uerbi dei, filijs Abrahæ, Isaac, & Iacob, non minori deuotione feruentibus ad deum quàm filij Israel, sed firmiore fide & obseruantia domino adhærebunt, ut præter eum alium non cognoscant nec colant,

28 Et sicut uigilaui super eos ut euellerem, & demolirer, & dissiparem, & disperderẽ, & affligerem: sic uigilabo super eos ut ædificem & plantem, ait dominus.

29 In diebus illis non dicent ultrà, Patres comederunt uuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.

30 Sed unusquisq; in iniquitate sua morietur: omnis homo qui comederit uuam acerbam, obstupescent dentes eius.

Sicut dominus Israelem perpetuo rebellem frequentibus calamitatibus adflixit, donec in exilium dispiceret in angulos omnes orbis: sic olim reuersos ad dominum, in

Collectio ecclesiæ.

fidei & charitatis ecclesiam colliget, & in agnitionem gratiæ dei per Christum inducet, & præceptores constituet ecclesijs gentium, ad eiusdem dei cultum conuertendarũ. Ex eo enim tempore ædificata est fidelium ecclesia ex Iudæis & gentibus, & plantata feliciter. Neq; tunc ultra pro peccatis patrũ puniuntur Iudæi, nec gentes ob pristinam idololatriam ultra abijcientur à domino, sed utriq; per Christi domini merita & passionis fructum dei clementiam assequentur. Sed si quis Israëlitarum in sua pertinacia contra euangelium & prophetarum prædictiones permanserit, & gratiam mundo donandam non magnifecerit, tempusq; uisitationis cognoscere noluerit, & in gentilibus erroribus gentes persistere uoluerint, hos in peccatis suis morientes damnabit, illorum dentes obstupescent, nõ alienis sed proprijs iniquitatibus. Sic igitur Israëlem instaurabo, ut longe sit dilior futurus, maior, felicior & sanctior quàm unquã fuerit, nimirum adflatu spiritus sancti & miraculorum gratia, conuersioneq; gentiũ ad deum uerum.

31 ¶ Ecce dies uenient, dicit dñs: & feriam domui Israël, & domui Iuda fœdus nouũ:

32 non secundũ pactum quod pepigi cum patribus uestris in die qua apprehendi manum eorũ ut educerem eos de terra Aegypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit dominus.

Lex eadem Iudæis & Christianis

Lex dei eadem quidem data est olim Iudæis, quoad decalogum, qui proprie fœdus & lex dei dicitur, quæ & Christi ecclesiæ, sed tenacius imprimenda promittitur cordibus fidelium, & nouo charitatis oleo imbuenda & fidei, ut non tam facile à deo colendo dimoucantur, & propensio ad idola corporalia & spiritualia minuatur. Longe enim maior gratia & gloria Israëlitis contigit per mysterium regni Christi, quàm ministerio Mosis eductis ab Aegypto, & ceremoniali cultu dei illustratis. Primum enim pactum toties fregerunt, hoc autem nouum qui semel assumpserint non abijcient, etiam si multipariã peccent, & in multis offendant, deum tamen agnitũ nunq; prodent ut Iudæi. Eritq; dominus deus perpetuus sponsus ecclesiæ, non tetrico uultu legalium grauaminũ quibus seruos domuit, sed hilari gratiarum uultu quo filios respicit & blanditur fidelibus.

33 Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israël post dies illos dicit dominus: Dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in deum, & ipsi erunt mihi in populum.

Lex fidei.

Lex fidei inserta est per spiritum sanctum cordibus credentium, sicut olim lex tabularum lapidibus insculpebatur. Non enim timore pœnarum legis adigentur ad iustitiam, sed amore dei, & spiritus sancti instinctu animabuntur ad legis obseruantiam, non seruili metu, sed filiorum affectu: quo fiet ut alium præter me deum ignoraturi sint, & ego filiorum loco eos sum exculturus.

34 Et non docebit ultra uir proximũ suum, & uir fratrem suum, dicẽs, Cognoscite dominũ: omnes enim cognoscent me à minimo eorum usq; ad maximũ, ait dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.

Hic non tollitur doctrinæ beneficium, sed cognitionem ueri & unius dei uulgarem futuram prædicit, illustratione mentis, qua scient Christum dei filium in hoc descendisse, ut nobiscum ipse rediret in regnum dei. Non est enim à prædicato euangelio gens uel natio quæ deum suum ignoret creatorem cœli & terræ, deum Abraham, Isaac, & Iacob, quorum omnũ peccata remisit satisfactore Christo, ac seipse sacrificium offerente patri, qui agnus est oblatus, ut tolleret peccata mundi.

35 ¶ Hæc dicit dominus qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ & stellarum in lumine noctis: qui turbat mare & sonant fluctus eius, Dominus exercituum nomẽ illi.

Tantam electorum salutem & felicitatem post multa tempora futura propheta promittens in personam dei, ueritatem infallibilem testatur dei, qui quæ promittit præstare posit & uelit, omnium quæ sunt creator & dominus, qui solem condidit in lucem diurnam, lunam & stellas ad noctem, mare continet & regit, dominus exercituum nomen eius, qui fallere nequit nec falli.

36 Si defecerint leges istæ corã me, dicit dominus: tunc & semen Israël deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus.

Sicut leges cœlestium motuum æternæ sunt & infallibiles, uel immutabiliter ordinem per me instituum seruantes: sic firmæ sunt promissiones quas feci, & tractabiles de benedictione omnium gentium per semen Israël disseminanda: utq; non cesset uerorum Israëlitarum ecclesia, quãdiu sol luna stellæ mareq; seruãt suũ ordinem.

37 ¶ Hæc dicit dominus, Si mensurari potuerint cœli sursum, & inuestigari fundamenta terræ deorsum: & ego abijciã uniuersum semen Israël, propter omnia quæ fecerunt, dicit dominus.

Vt non potest mensurari cœlorum amplitudo, et non inuestigari fundamenta terræ: sic fieri nequit, ut omnes filios Israël propter peccata sua abijciam. Sunt enim electi adnumerati deo à mundi constitutione, & excidere non possunt à gratia. Filij quoq; Israël, qui uerbum salutis à Christi temporibus susceperunt, tam in Iudæa q toto in orbe, per generationes suas perseuerant in ecclesia collecta ex Iudæis & gentibus. Fex autem impietatis Iudaicæ, quæ hodie mundum onerat infelix & contumax, non est ex Israëlitarum uerorum numero, sed inter impios Christianos cum reprobis connumeranda, pendenda iustitiæ diuinæ exempla circumferentes.

38 ¶ Ecce dies ueniunt, dicit dominus: & ædificabitur ciuitas domino à turre Hananeel, usq; ad portam anguli.

Tantũ abest ut Hierosolyma irreparabiliter usq; ad finem data sit, ut etiam spiritus dei reuelauerit eandem aliquando gloriosiorem & ampliorem reædificandam, intantum ut Ieremias recenseat nominatim loca suo tempore notissima, non parum distantia ab urbe, quæ olim intra muros

muros includenda sint. Siue hoc factum fuerit sub Nee mia, siue sub Hircano, uel Herodibus, uel etiam Helio Adriano, de quo parum interest.

39 Et exibit ultra normam mensuræ in con spectu eius super collem Gareb: & circũi bit Goatha,

40 & omnẽ uallem cadauerũ, & cineres, & uniuersam regionẽ mortis usq; ad torren tem Cedron, & usque ad angulum portæ equorũ Orientalis: sanctũ dñi non euelle tur, & non destruetur ultra in perpetuũ.

Auctor Hie ronymus. Hoc autẽ reuera paucis significauit spiritus prophe tiæ, Hierosolymam incomparabiliter ampliori spatio extendendam, quàm unquam fuerit. Quod completum longè illustrius uidetur à fidelibus, quàm potuerit un quam cogitari uel sperari à carnalibus. Quod autẽ San cta dicitur, & nunquam euertẽda amplius, huic nostro intellectui astipulatur, & à Iudæis cõtemni non potest. Sæpius enim Hierosolymam subuersam ignorat nemo, qui historias legit, & qui tam diuturnas ac miserabiles ruinas perspexit oculis.

¶ CAPVT XXXII.

1 VErbum qd factũ est ad Ieremiã à dño in anno decimo Sedechiæ regis Iuda: ipse est annus decimus octauus Nabuchodonosor.

2 Tunc exercitus regis Babylonis obside bat Ierusalem: & Ieremias propheta erat clausus in atrio carceris, qui erat in domo regis Iuda.

Iamdudum prædixerat Ieremias urbem obsidendam à Babylonio, Sedechiam capiendũ, urbem uastandam, uasa domini transferenda. Cum igitur exercitus Baby lonius obsideret urbem, conijcitur Ieremias in carce rem, quem, si sapuissent, redimere debuissent, & exem plo Ezechiæ tanquam domini prophetam adijssent pro consilio, & orationẽ postulassent pro se ab eo. Sed non finit orare dominus quando non uult exaudire. Vrget eos iudicium dei, ideo impingunt in prophetam san ctum, non solum non audiendo, sed etiam persequendo ad mortem: qui tamen à domino nõ deseritur, sed in car cere publico, ubi ab amicis adiri poterat & causas age re à domino consolatur.

In atrio do mus arguit.

3 Clauserat enim eũ Sedechias rex Iuda, di cens, Quare uaticinaris, dicens, Hæc dicit dominus, Ecce ego dabo ciuitatẽ istam in manu regis Babylonis, & capiet eam?

4 Et Sedechias rex Iuda nõ effugiet de ma nu Chaldæorum, sed tradendo tradetur in manus regis Babylonis: & loquetur os eius cum ore illius, & oculi eius oculos il lius uidebunt.

5 Et in Babylonẽ ducet Sedechiam: & ibi erit donec uisitem eum, ait dominus: si au tem dimicaueritis aduersum Chaldæos, nihil prosperum habebitis.

Captionis suæ in atrio carceris causa hic describitur,

nimirum ueritas, fides, & libertas obsequendi deo, quæ impijs nõ tolerabilia sunt. Quatuor articuli opponũtur Ieremiæ: quia primo dixerit urbem capiendã: secundo regem nõ euasurũ Chaldæorum exercitum: tertio, quia Babylonẽ mittendũ, & ibi à domino duriter uisitandũ: quarto, quod non se tueri deberent cõtra Babylonium, quia nihil prosperi expectandum illis esset.

6 ¶ Et dixit Ieremias, Factum est uerbum domini ad me, dicens,

Captiuo manifestat deus futurã liberationẽ Iudæorũ post aliquot annos. Potest alicui uideri toto hoc sermo ne prophetam satisfeciisse regi, quasi non solum destru ctionem urbis ad mandatum dei prædixerit, sed etiam reædificationem & restitutionẽ gentis, ut pro ueritate iussu dei prædicata, capi à rege non debuerit.

7 Ecce Hanameel filius Sellum patruelis tuus uenit ad te, dicens, Eme tibi agrum meum qui est in Anathoth: tibi enim com petit ex propinquitate ut emas.

8 Et uenit ad me Hanameel filius patrui mei secundũ uerbum domini ad uestibu lum carceris, & ait ad me, Eme agrũ meũ qui est in Anathoth in terra Bẽiamin: quia tibi cõpetit hæreditas, & tu propinquus es ut possideas. Intellexi autem quod uer bum domini esset.

9 Et emi agrũ ab Hanameel filio patrui mei qui est in Anathoth, & appendi ei argentũ septem stateres, & decem argenteos.

Iste Hanameel per m scribitur: turris Hananeel per n. Fuerunt autem fratres germani Helchias & Sellum. Hieremias autem Helchiæ filius erat, Sellum autem fi lius Hanameel. Prædicitur prophetæ aduentus patrue lis, & quid secum sit acturus: quo ueniente inspiratur quid portenti sit quod prouidentia dei geritur. Vt di scamus omnia geri prouidentia dei etiã hominum cogi tationes. Intempestiua cum esset requisitio, obsessa scili cet urbe à tanto exercitu, ut capi nõ dubitaretur, eme re & uendere agros in districtu oppiduli, iam uastati uel uastãdi. Ideo spiritu domini plenus intellexit prodi gium esse, & non gratis à domino ordinatũ, ex quo to tus semper pendebat, quantumlibet propria possideret propheta, tantũq; haberet argẽti, ut possessionẽ emere potuerit ex utero sanctificatus, & nobilis ꝓpheta dei. Potuit nimirũ etiam uisio tantũ fuisse, sed uere quoque factum rationabilius dici potest.

Prouidẽtia dei in om nibus

10 Et scripsi in libro, & signaui, & adhibui testes: & appendi argentum in statera.

Contractus uenditionũ & emptionũ etiã olim uide mus instrumentis scriptis & sigillatis firmatos, quan tumlibet inter fidelissimos, non sine testibus, ne nouã su spicemur inter homines perfidiã. Et appensionẽ quoq; argẽti in usu fuisse ueteribus, ut nunc est auri, nõ incom modus modus commutationum.

11 Et accepi librum possessionis signatum mandatum (id est acta) & exarata & paten tia (scilicet scripta.)

Ius possessionis in literis contestatum, legitimè susce pi in me, quanquam nõ ignorarẽ me minimè possessurũ, domini tamen ordinationi obsecutus sum, qui id nõ sine causa disposuit sic eo tempore peragendũ in mysterio. Videtur autem ex litera duplex instrumentũ intercessisse, unum sigillatum & autenticum, aliud publicum, apertum, & ut solet fieri & dici, excopiatum.

12 Et dedi librum possessionis Baruch filio Neri filij Maasiæ in oculis Hanameel patruelis mei, & in oculis testium qui scripti erant in libro emptionis, in oculis omniũ Iudæorũ qui sedebant in atrio carceris.

13 Et præcepi Baruch coram eis, dicens,

14 Hæc dicit dñs exercituum deus Israel, Sume libros istos, librũ emptionis hunc, & signatum, & librũ hunc qui apertus est: & pones illos in uase fictili, ut permanere possint diebus multis.

15 Hæc enim dicit dominus exercituũ deus Israël, Adhuc possidebuntur domus, & agri, & uineæ in terra ista.

Cõseruandũ tradidit ad futurã rei memoriã, facto con testatus restituẽdas hæreditates filijs Iuda & Beniamin redituris de captiuitate. Id autẽ bonũ reditionis olim futuræ prædicit uerbo & opere, antequã caperẽtur à Babylonio, dum iam Ieremias emptor carcere incluſus seruaretur. Certitudinẽ uerbi diuini & fidei suæ ostendẽs, falsosq; prophetas cõfundens, & regẽ terrens, cui crudelia fata reuelauerat, de quibus dubitare nõ posset, uidens tantã prophetæ fiduciam in uerbo & opere.

Certitudo uerbi dei.

16 ¶ Et oraui ad dñm postquã tradidi librũ possessionis Baruch filio Neri, dicens,

17 Heu, heu, heu, domine deus: ecce tu fecisti cœlum & terrã in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento: non erit tibi difficilè omne uerbum:

18 qui facis misericordiã in millibus, & reddis iniquitatẽ patrũ in sinũ filiorũ eorum post eos, deus magne & potẽs, Dominus exercituum nomen eius.

19 Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu: cuius oculi aperti sunt super omnes uias filiorũ Adam: ut reddas unicuiq; secundũ uias suas, & secundum fructum adinuentionum eius.

20 Qui posuisti signa & portenta in terra Aegypti usque ad diem hanc, & in Israël, & in hominibus: & fecisti tibi nomen sicut est dies hæc.

Tametsi propheta intelligeret dñi uoluntatẽ de imminente uastatione futura reædificatione, & restitutione urbiũ ac hæreditatũ, orat tamen dominũ, ut glorificetur in sua gente nomen suũ, & ut cõpleantur promissiones felicitatis futuræ, dũ præsentẽ calamitatẽ propter peccata populi nullis intelligeret precibus impetrandã, qui prohibitus fuerat orare pro tam improba gẽte. Captat autẽ beneuolentiã oraturus, à potentia primum, cui nihil sit impossibile: & à bonitate, quia propẽ fissimus sit ad benefaciendũ, tardus autẽ ad puniendũ. A prouidentia quoq;, qua omnia nouit, & sapiẽter disponit, omnia ab æterno prænoscens, cui aperta sint consilia & cogitationes cordiũ humanorũ. A beneficijs dudũ præstitis, pro quibus gratiã agẽdo dignus habeatur futuræ beneficentiæ. A gloria nominis sui, quam cupiat celebrari in orbe, & agnosci à populo suo ac reuereri.

Oratio qualis sit.

21 Et eduxisti populũ tuum Israël de terra Aegypti, in signis, & in portẽtis, & in manu robusta, & in brachio extẽto, & in terrore magno.

22 Et dedisti eis terram hanc, quam iurasti patribus eorum, ut dares eis terram fluentem lacte & melle.

Nunquã obliuisci debebant liberationis Aegyptiacæ: ideo in omnibus orationibus memoriã illius non obmittunt. Sic nostrũ quoq; sit semp præmittere orationibus commemorationẽ locorũ istorũ communiũ, & salutis & gratiæ dei per Christum fidelibus exhibitarum.

23 Et ingressi sunt & possederunt eam: & non obedierũt uoci tuæ, & in lege tua non ambulauerunt: omnia quæ mandasti eis ut facerent, non fecerunt, & euenerunt eis omnia mala hæc.

Non fuerat obmittenda humiliatio per confessionem peccatorũ, quæ ueniam promeretur & gratiã. Reuera enim quicquid præceperat eis dominus obmiserunt, & prohibita commiserunt, propter quod & in eos dignè animaduertit dominus, & uelut immorigeris filijs non pepercit, sed omnibus malis exercuit.

24 Ecce munitiones extructæ sunt aduersum ciuitatem, ut capiatur: & urbs data est in manus Chaldæorum, qui præliantur aduersus eam à facie gladij, & famis, & pestilentiæ: & quæcunq; locutus es, acciderunt, ut tuipse cernis.

25 Et tu dicis mihi domine deus, Eme agrũ argẽto, & adhibe testes: cum urbs data sit in manus Chaldæorum?

Post egressionẽ necessariã tamen ad amplificationem diuini numinis, redit ad statum orationis & causæ. Ecce, inquit, domine, iam Chaldæi aggeribus oppugnãt & obsident hanc urbẽ & oppugnãt, quæ & tam uasta est gladio, fame & peste, & tradenda manibus crudelium uastatorũ. Tu enim sic decreuisti, & necesse est fieri. Et quomodo tu nihilominus iam nunc mihi etiam certi clauso mandas, ut agros emam in hac regione, data pecunia, & adhibitis testimonijs? cum nihil hic nostrũ possideamus, sed Chaldæus omnia sibi iure belli uindicaturus sit, & iam sibi rapuerit.

26 ¶ Et factũ est uerbũ dñi ad Ieremiã, dicẽs,

27 Ecce ego dñs deus uniuersæ carnis, Numquid mihi difficilè erit omne uerbum?

28 Propterea hæc dicit dñs; Ecce ego tradã ciuitatẽ istam in manus Chaldæorũ, & in manus regis Babylonis, & capiet eam, &

29 & uenient Chaldæi præliãtes aduersum urbẽ hanc, & succendẽt eam igni, & cõburent eam, & domos, in quarũ domatibus odores sacrificabant Baal, & libabant dijs alienis libamina ad irritandum me.

Omnipotẽtia dei credenda.

Omnipotentiã suam dominus à nobis uult firmiter credi, & ueritatem uerborũ eius, ut quantumlibet grauia insolita & mirabilia decernat uel prædicet, minimè ambigatur: omnia enim & possibilia sunt & bona quæ futura prædicit, quia iustitiæ & ueritatis digna opa. Rebellis fuit urbs ista deo, ideo traditur potestati hominũ impiorum, qui captam diruant, quæ libera non agnouit suum authorem. Igne conflagrabit tota, quæ incensa & hostias obtulit dijs alienis, & excelsæ ædes & gloriosa palatia uastabuntur in tota terra, quia cõtra legem dei excelsa idolis extruxerunt, ut in contumeliã dei sui abominationibus gentiliũ se pollucrent, & idololatria sua totam regionem implerent.

30 ¶ Erant enim filij Israel & filij Iuda iugiter facientes malũ in oculis meis ab adolescentia sua: filij enim Israel usq; nũc exacerbant me in opere manuũ suarũ, dicit dñs.

Prouocatrix gens Iudæa.

Elegerã filios Israel & Iuda in peculiarẽ & propriũ populum, quos præ omnibus excolui beneficijs, & mihi soli seruos redemerã, ut beneplacitõ meo iusto, & illis utilissimo studerẽt. Ipsi uerò contrà, ueluti de industria & data opera, quicquid mihi displicere sciebãt, hoc diligenter egerunt ab adolescẽtia sua: quanto diligentius idola excelsa gentium cõmertia illis interdixi, tanto ardentius hæc omnia sectati sunt, plusquã aliæ gentes, ut me ad iracundiã prouocarẽt, & extrema illis mala ascisceret, quæ eis nominatim cõminatus sum in lege.

31 ¶ Quia in furore & in indignatione mea facta est mihi ciuitas hæc, à die qua ædificauerũt eam, usque ad diem istam, qua auferetur de conspectu meo,

32 propter omnẽ malitiã filiorum Israël & filiorũ Iuda, quam fecerũt ad iracundiam me prouocantes, ipsi, & reges eorũ, principes eorum, sacerdotes eorũ, & prophetæ eorum, uiri Iuda & habitatores Ierusalẽ.

Israelem prouocatrix.

Hanc ego urbẽ elegerã ex omnibus ad gloriã nominis mei: ipsa autem quid aliud fuit, quàm irritamentũ continuum furoris mei, ab ea die qua eam excolui præ alijs, & metropolim gentis erexi, templo & regio palatio exornaui, ut esset ciuitas sacerdotalis & regia? quam nunc rebellẽ perpetuò, & contumeliã nominis mei, & idololatriæ impietatumq; asylum proijciam è cõspectu meo, ut fiat habitaculum ferarum solitudines & ruinas amantiũ, ne sit posthac lupanar & spelunca latronũ, in qua habitent tyrannici reges, principes oppressores, sacerdotes sacrilegi, prophetæ mendaces.

33 Et uerterũt ad me terga & nõ facies: cum docerẽ eos diluculo, & erudirẽ: & nollent audire ut acciperent disciplinam.

Contumaces discipuli, procaci ingenio nunquam placido uultu suscipiunt disciplinam: sic filij Israel semper

contumaciter restiterunt spiritui sancto, abijcientes disciplinã legis, & anxiè desiderabãt quicquid illis à domino prohibebatur. Tergum uerterũt patri suo, non faciem, & pientissimi parentis diligentiam & studium, mittendo prophetas & beneficijs obruẽdo, semper floccipenderunt, & cõminantem pariter & promittentẽ magistrum neglexerũt, imò blasphemauerunt, impatientissimi disciplinæ cœlestis & iustitiæ.

34 Et posuerunt idola sua in domo, in qua inuocatũ est nomen meũ, ut polluerẽt eã.

35 Et ædificauerũt excelsa Baal, quæ sunt in ualle filij Ennom, ut initiarent filios suos & filias suas Moloch: quod non mandaui eis, nec ascendit in cor meum, ut facerent abominationem hanc, & in peccatum deducerent Iudam.

Templũ gloriæ meæ & suæ, quod soli sacerdotes mei ingredi debebãt plenũ gloria mea et maiestate, ipsi conspurcauerunt abominationibus idolorũ, ut polluerẽt nomen meũ, & uelut adultera procax eodẽ lecto susciperẽ nõ uerita est adulteros me præsente marito. Nec id solum, sed & filios meos sacrificauerũt dæmonijs in ualle Ben hinom, idolis suis, abominandis ritibus cõtra legem & naturã, qui leuia præcepta mea spreuerũt, durissima sibi imposuerũt, ad prouocandũ me, in omnibus aduersando uoluntati & præceptis meis. Idololatria Iudæorũ.

36 Et nunc propter ista, hæc dicit dñs deus Israël ad ciuitatẽ hanc, de qua uos dicitis quod tradatur in manus regis Babylonis in gladio, & in fame, & in peste.

37 Ecce ego cõgregabo eos de uniuersis terris ad quas eieci eos illuc in furore meo, & in ira mea, & in indignatione grandi: & reducam eos ad locum istum, & habitare eos faciam confidenter.

38 Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in deum.

Consolatur quidem, sed non præsentes, cõgregandos iterum prædicens eos qui de clade urbis superstites capiendi sunt & dispergendi à Chaldæis propter peccata sua: quibus, ut prædictũ nunc est, dominum irritare non cessant. Reducendas reliquias prædicit, & tutò habitaturos in reædificanda Hierosolyma, sine idolorum cultura, sed unum solum & uerum deum reucrituros, qui & eos suum populum sit agniturus.

39 Et dabo eis cor unum, & uiam unã, ut timeant me uniuersis diebus: & bene sit eis, & filijs eorum post eos.

40 Et feriã eis pactũ sempiternũ: & non desinam eis benefacere: & timorẽ meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me.

Hæc nõ tenuiter & remisse uel promissa uel complenda accipienda sunt, sed eximia haberi debent, ut sunt, ideoq; de Iudæis, de Chaldæa redeuntibus, nunc Aegyptijs, nunc Græcis, nunc Romanis, nunc Syriæ præfectis subiecti, & semper impijs, intelligi non possunt, sed de fidelibus electis & sanctis Israëlitis, qui diligẽtissimè Israelitæ ueri quales.

usq; ad mortis pericula & omniũ temporaliũ iacturam unius ueri dei fidem, uirtutem, gloriã, legem, gratiã, beneficia per Christum exhibita toto terrarũ orbe prædicauerunt cum maximo pietatis & iustitiæ fructu, usq; ad eliminationẽ omnium idolorũ. Hi sunt Israëlitæ ueri, & qui per illos conuersi sunt ab erroribus & peccatis ad fidem & opera deo grata. Hi sunt de quibus hic dicitur, aliquando tam Hierosolymis quàm in tota terra futuris, quorum deus pater futurus sit pientissimus, & qui filiorum prærogatiuam assequẽtur, ut sint filij dei, & cohæredes Christi domini. Qui omnes uno corde, una fide & timore dei filiali domino adhærebũt, nunq; defecturi ab eo ad idola: quibus & eorum filijs benefacturus sit semper: cum quibus per Christũ fœdus nouũ inibit, quod nunquam frangetur, ut benefacere illis non cessaturus sit unquam. Viciſsim quoq; illi deos alios non colent, sed timebunt dominum deum Israël creatorem omnium, à quo nunquã, ut Iudæi cõsueuerant, sint perfidia discessuri. Quanquam enim peccent & offendant pluribus, nomen tamen dei non negant, nec timorẽ ueri dei abijciunt, sed in ecclesiastica cõfessione & fidei orthodoxæ articulis semper perseuerant.

41 Et lætabor super eis, cum bene eis fecero: & plãtabo eos in terra ista in ueritate in toto corde meo & in tota anima mea.

Gaudet deus cum fidelibus.

Cum Iudæi tanta bona sub secundi templi temporibus ostendere nequeãt, nos ea per Christũ toti mundo exhibita clarè producimus, testimonio orbis totius. Cũ quibus unũ deũ colentibus gaudere uidetur dominus, cum gratia multiplici florere facit, & beneficijs accumulat ab apostolorũ temporibus usq; nunc, in fideliter colentibus dominum, & euangelicã doctrinã suscipientibus, continuè cõtra uitia succrescentia bella gerentibus, & reformãtibus continuò ea quæ quotidie pro fragilitate humana collabi necesse est, salua semper fide catholica in unum deũ, & dominũ Iesum Christum. Quomodo autem Iudæi sibi gratulari possint de gratia dei, & gaudio cum deo suo, ipsi uiderint: nos certos de gratia & lætos in conscientia facit fides in deũ per Christum dominum & uerum dei filium, quem credimus missum in mundũ, ut credentes in eum saluet & beatificet.

42 Quia hæc dicit dominus, Sicut adduxi super populum istum omne malum hoc grande, sic adducam super eos omne bonum quod ego loquor ad eos.

43 Et possidebũtur agri in terra ista, de qua uos dicitis quod deserta sit, eo quod non remanserit homo & iumentum, & data sit in manus Chaldæorum.

Vt nunc adduco super impiũ Israëlem omne malum, in Assyrios, Aegyptios, Chaldæos, & insulas dispergendo exules: sic ex omnibus partibus orbis terræ ueros Israëlitas colligam in unitatẽ ecclesiæ, & bene faciam iugiter conuersis ad me, & nunquam defecturis ut antea ad idololatriam, ut & hanc quoq; Iudaicam terram denuò sint possessuri suo tempore, & regnum Christi domini in ea imchoaturi, quod in omnẽ terrã sit propagandũ cum insigni & inenarrabili gloria & felicitate, omniũ uere Israëlis filiorũ. Cuius promissionis certissimam ueritatẽ testabitur is cõtractus, emptus nunc à me ager, & reseruandæ literæ, & libelli sigillati, in illud tempus testabuntur me hæc nunc uerissimè per uerbum domini promisisse cum compleri conspexerint, ut & reliqua maxima bona futura non dubitent.

Collectio ecclesiæ uniuersalis.

44 Agri ementur pecunia, & scribentur in libro, & imprimetur signum, & testes adhibebuntur: in terra Beniamin, & in circuitu Ierusalẽ, in ciuitatibus Iuda, & in ciuitatibus mõtanis, & in ciuitatibus campestribus, & in ciuitatibus quæ ad Austrũ sunt: quia conuertã captiuitatem eorum, ait dominus.

Post septuaginta annos iterũ hæc terra habitabitur, & ementur agri, & uineæ ob multitudinem inhabitantium, & literis firmabũtur cõtractus, ut nunc à me fieri uidetis, cum multorũ testimonio: non solũ in hac Hierosolyma restituenda, sed in tota Iudæa & Beniamin, in omnibus urbibus eius, quarum quædam in plana Iudæ, quædam in montanis, quædã ad austrũ sitæ, tunc omnes iterum florebunt, & testabũtur futura certissimè alia quoq; bona, quæ nunc uerbo suo promittuntur credentibus, conuersionẽ scilicet perfectam orbis ad creatoris sui cultum, studio & fide Israëlitarum bonorum, opprobrio autem impiorum.

¶ CAPVT XXXIII.

1 ET factum est uerbum domini ad Ieremiam secundò, cum adhuc clausus esset in atrio carceris, dicens,

Vltimus sermo ante destructionẽ urbis ad prophetã, idem agit quod antea, prædicens urbem excindendã, iustitiam erigendã, sed tandem beneficijs afficiendam.

2 Hæc dicit dominus qui facturus est: dominus formaturus illud, & paraturus, Dominus nomen eius.

Is qui omnia facit, tam Hierosolymã uastans propter peccata, quàm reædificans ex gratia emendatam, ipse omniũ creator est & ordinator, cuius nutu omnia reguntur, cuius nomen est, creator omnium, Dominus existens à se, qui dat esse omnibus.

3 Clama ad me, & exaudiam te: & annuntiabo tibi grandia, & firma quæ nescis.

Prohibitus quidẽ propheta ne oraret pro populo, ut ob ibi dei & gratiæ contemptore, non tamen destitit orare pro sanctificatione sui nominis, pro ecclesia electorum, pro conuersione gentis suæ ad dominũ, pro non cassando fœdere inito cum Abrahã, Isaac, Iacob & Dauide, pro conseruatione gentis Israëliticæ, quantumlibet ex gentibus demeritis dispersæ in multas gentes, pro his negotijs propheta orare non cessat, etiã ab illis inceratus. Nõnihil enim fides ipsius tentari potuit, uidentis tantũ despectũ dei in electo olim populo, tam cõtemptiter omniũ beneficiorũ & promissionũ immemorem: cui respondet dominus, & præparat ad audiendã antiquas pollicitus

pusillum, promittens se magnifica grata & cõsolatoria reuelaturũ prophetæ, quæ uix unquã ausus fuerit cogitare. Quis enim non uehementer admiretur tam benefi cum deum, ad tam improbum & ingratum populum, cuius tãta bonitas & clemẽtia tam aßiduis perpetuisq; impietatibus defatigari nõ potuit, quin semper meliora polliceretur quàm illi uellent sperare.

4 Quia hæc dicit dominus deus Israel ad domos urbis huius, & ad domos regum Iuda, quæ destructæ sunt, ad munitiones, & ad gladium

5 uenientiũ ut dimicent cum Chaldæis, & impleant eas cadaueribus hominũ, quos percussi in furore meo & in indignatione mea, absc̃dens faciẽ meam à ciuitate hac propter omnem malitiam eorum.

6 Ecce ego obducã eis cicatricem & sanitatem, & curabo eos: & reuelabo illis depre cationem pacis & ueritatis.

7 Et conuertam conuersionem Iuda, & conuersionem Israël: & ædificabo eos sicut à principio.

Paulatim crescebat fides, non in deum, sed contra se, quia non se posse resistere Babylonio uidebant, tantopere obsessi, nec sperabãt aliter futurum, quàm ut perfidia regis principum & populi exasperatus rex Babel totam urbem, & omnes ædes sacras regias & principũ palatia diruiturus esset. Quod & Ieremias iam dudum clamauerat: nec spes supererat euadendi hæc mala, sed tantum olim meliora reditura fata de domini clementia promittebat, futurum dicens, ut ædes urbis & palatia regis iam uastanda & diruenda à Chaldæis, & hominũ cadaueribus implenda, suo tempore diuina clementia reparanda sic essent, ut & urbs reædificãda credatur, & inhabitanda olim pacificè, cum profectu pietatis & fidei in illa gente.

8 Et emundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccauerũt mihi: & propitius ero cunctis iniquitatibus eorũ in quibus deliquerunt mihi & spreuerunt me.

Reconciliabor illis reducẽdo eos sub ordinatione Cyri & Darij, de toto regno amplißimo, quotquot sine dispersione Israëlitarũ uel Iudæorũ redire uoluerint ad hæreditatem patrum, & ad reædificandũ urbes dißipatas, & ipsam Hierosolymam. Remissa igitur pœna peccatorum, peccata quoque remissa dici possunt. Quanta autem hoc imperfectione contigerit, patet ex libris Ezræ, Neemiæ & Iosepho. Perfectè autem omnium Israëlitarũ peccata dimissa sunt per Christum, ut testatur tota euangelica & apostolica historia, ut de eo nihil addubitetur.

9 Et erit mihi in nomen, & in gaudiũ, & in laudẽ, & in exultationẽ cunctis gentibus terræ, quæ audient omnia bona quæ ego facturus sum eis: & pauebũt, & turbabunt in uniuersis bonis, & in omni pace quam ego faciam eis.

Nomen clemẽtiæ dei maximè per Christũ glorificatũ est, dei filiũ, quem misit deus in hunc mundũ, ut mũdus per ipsum deo patri reconciliaretur, & gaudium fieret per euangeliũ prædicatũ in mundo omnibus creaturis etiã angelicis, & maiestas domini celebraretur in orbẽ uniuersum, omnibus gẽtibus, ubi prædicabitur euangelium regni, quãta scilicet bona fecerit deus fidelibus & ueris Israëlitis, tam ex Iudæis quàm gentibus dño congregatis & regeneratis deo in Christo, ut præ magnitudine gratiæ obstupescat omnis homo. In rebus enim per tempus ortis, beneficiũ dei et gratia maior facta nõ est, quàm ut ex semine Dauid humanã naturã induerit uerbum dei, & inter homines conuersatus uisibilis, & pro mundi peccatis omnibus passus & mortuus, gentibus quidem stultitiã, obstinatis Iudæis scandalũ, uocatis autem ex utrisq; electis gloriam & salutem. Nomen dei glorificatũ.

10 ¶ Hæc dicit dominus, Adhuc audietur in loco isto (quem uos dicitis esse desertũ, eo quod non sit homo nec iumentũ: in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ierusalem quæ desolatæ sunt absq; homine & absq; habitatore & absq; pecore)

11 uox gaudij & uox lætitiæ, uox sponsi & uox sponsæ, uox dicentium, Confitemini dño exercituũ, quoniã bonus dominus, quoniã in æternum misericordia eius: & portantiũ uota in domum domini: reducam enim conuersionẽ terræ, sicut à principio dicit dominus.

Negari nõ potest etiã à Iudæis, quin promiscue prædicent non solũ hisce in locis Ieremias & Esaias felicitatẽ redeuntium de Babylone, & saluandorũ per Meßiam, quem futurum semper sperant, sed etiã alijs in locis, alij quoq; prophetæ sæpius: unde et hic locus de Babylonia redeuntibus applicatur tantũ, iam enim Iudæa tota uastata erat, & terra Israël maxima ex parte, & Hierosolyma nunc obsessa sine spe liberationis. Quæ tamen omnia prædicũtur olim denuò instauranda, ut habitetur ab hominibus & beßijs: tãta quoq; cum pace, ut homines mutuis matrimonijs cõgratulaturi sint, & nuptias celebraturi cum gaudio, nõ sine celebri cultu dei, qui et restituetur templo reædificãdo, & sacrificijs offerẽdis, & laudibus donuni in templo canẽdis, quia captiui qui nunc sunt & erunt, redibũt, si non eisdẽ personis, saltẽ in posteris. Omnino enim promittitur instauratio terræ Iudæ & Israelis, qualem & sacræ canunt literæ completam & prophanæ, si nõ tanta maiestate quanta fuit sub Salomone, saltem non minore quàm fuit sub multis regibus, maximè sub filijs Iosiæ, scilicet ante primi templi destructionẽ. Aliquando enim sub secũdo templo maior fuit gloria Iudæorũ, quàm aliquot annis sub primo. Licet autẽ secundo templo defuerint multa, quæ primo aderant, arca scilicet, & uasa multa, tamen etiã primo nõ defuerũt suæ abominationes, & idola quæ in secũdo non fuerunt, nisi aliquot mensibus. Promiscua prædicatio reditus duplicis.

12 ¶ Hæc dicit dñs exercituum, Adhuc erit in loco isto deserto absq; homine, & absq;

iumento, & in cunctis ciuitatibus eius, habitaculum pastorũ accubantiũ greges.

13 Et in ciuitatibus montuosis, & in ciuitatibus campestribus, & in ciuitatibus quæ ad austrũ sunt: & in terra Beniamin, & in circumitu Ierusalẽ, & in ciuitatibus Iuda adhuc transibũt greges ad manum numerantis, ait dominus.

Idem quod prædictum multipliciter repetitur, ad amplificationem futuræ felicitatis, & ad consolationem suorum ciuium obsessorũ & capiendorũ propediem, quantumlibet indignorũ. Quæ tamen longè perfectius completa sunt per Christum, & apostolicas ecclesias fidelium quæ primo in Iudæa & Samariæ regno pullularunt, donec ipsarũ felicitas adaucta est cũ maximo incremento gloriæ dei, & filiorũ fidei Abrahæ. Sic enim hæc ad illa tempora secundi templi referũtur, ut tamen per ueram anagogen dicantur de ecclesia Christi, collecta ex Iudæis & gentibus. Quæ & iam superius sunt dicta promissa & explanata, de multitudine fidelium sub apostolicis pastoribus & doctoribus.

Consolatio duplex.

14 ¶Ecce dies uenient, dicit dominus: & suscitabo uerbum bonũ, quod locutus sum ad domum Israël & ad domum Iuda.

15 In diebus illis, & in tempore illo germinare faciã Dauid germen iustitiæ: & faciet iudicium & iustitiam in terra.

Nõ aliter quàm de Christo exponi possũt, & clarissimè completa ostẽdi. Christi enim regnũ instituit dominus, ut dudum promiserat patriarchis & prophetis, de domo Israël & Iuda glorificãdis, præ omnibus gẽtibus, cuius regnum perpetuò duraturũ esset, quod de carnali dici & fieri nõ potest. Iustitia autẽ & iudiciũ in regno Christi, est fides perfecta in deum, & innocentia uitæ cum proximo, quæ per euangeliũ tanquam uera pietas & cultus dei disseminata sunt in omnẽ terram.

Christi regnum.

16 In diebus illis saluabitur Iuda, & Ierusalem habitabit confidenter: & hoc est nomen quod uocabit eam, Dominus iustus noster, (Iustitia nostra.)

Reliquiæ Iuda tam in terra Israël quàm in tota dispersione gentium, ad quas apostoli scripserunt & accesserunt personaliter, quæ & uerbum uitæ susceperunt magno numero, saluatæ sunt, & Hierosolyma glorificata est per euangeliũ, unde profluxit in orbẽ: corporaliter quidem uastata, spiritualiter autem longè augustius & celebrius reædificata & amplificata per mundum, ut eam matricem ecclesiam reueritæ sint totius orbis ecclesiæ omnes, quamlibet maximæ. Quid enim aliud sunt tanta Christianorũ regna, & urbes, nisi Hierosolymæ ecclesiæ suburbia & filiæ, ut fama maiore & sanctiore polleat quàm Babylon, Chairum, uel Roma, aut Constantinopolis? Gloriosa enim dicta sunt de te ciuitas dei. Nomen autẽ & gloria huius urbis est Christus iustitia nostra. Cõfitentur enim omnes fideles sola Christi se iustitia iustos esse, & solum ipsum iustum coram patre, & iustitiæ nostræ pignus & pretium.

Ierusalem glorificata.

17 Quia hæc dicit dñs, Non interibit de Dauid uir, qui sedeat sup thronũ domꝰ Israël.

Christi domini nostri, qui semen est Dauidis, posteritas, & spiritualis propagatio nõ deficiet unquam, Dauidis regium soliũ stat semper, & gloriã habet æternã in cœlo & in terra super filios dei & electos.

18 Et de sacerdotibus & leuitis nõ interibit uir à facie mea: qui offerat holocaustomata, & incendat sacrificiũ, & cædat uictimas omnibus diebus.

Contendant Iudæi restituendum sibi sacerdotium leuiticum, & producant genealogias Aaronis, Merari, Gersom & Caath, & fidem credentiũ talia cõfirmentes si possunt: nos sacerdotiũ uerũ agnoscimus in Christo, qui nos fecit regale sacerdotium, & gentem sanctorẽ, & acceptabiliorẽ Leuitico ordine, si oblationes cordis contriti & deuotæ orationis offerimus per Christum summum nostrum pontificem. Si uerò tantopere delectaretur deus sacrificijs pecuinis & bouinis, non tanto tempore tulisset ruinas sui templi & ararũ. Spiritus est, & spiritualibus se dignis delectatur.

19 ¶Et factum est uerbũ domini ad Ieremiam, dicens,

20 Hæc dicit dñs, Si irritum potest fieri pactum meũ cum die, & pactũ meũ cum nocte, ut nõ sit dies & nox in tempore suo:

21 & pactum meũ irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, ut nõ sit ex eo filius qui regnet in throno eius, & leuitæ & sacerdotes ministri mei.

22 Sicut enumerari nõ possunt stellæ cœli, & metiri arenæ maris: sic multiplicabo semen Dauid serui mei, & leuitas ministros meos.

Similia in superioribus eisdem sententijs scripta satis luculenta sunt, & ex dictis intelliguntur. Nec tamen credit in magnam gloriam dei multitudo sacerdotũ & Leuitarũ, nisi ad intellectũ apostolorũ accipiatur laus tam sacerdotij quàm hostiarũ in spiritu, nõ ceremonijs, quæ cum templo cessarũt corporeo. Repetitio autẽ promissionis de regno Christi & nouo sacerdotio, notat magnificentiã utriusq;, quæ inexplicabilis cum sit & inenarrabilis, ideo toties eam eloqui molitur.

23 ¶Et factum est uerbum domini ad Ieremiam, dicens,

24 Nunquid non uidisti quid populus hic locutus sit, dicẽs, Duæ cognationes quas elegerat dominus abiectæ sunt: & populum meum despexerunt, eò quòd non sit ultra gens coram eis?

25 ¶Hæc dicit dñs, Si pactũ meũ inter diem & noctẽ, & leges cœli & terræ nõ posui:

26 equidem & semen Iacob, & Dauid serui mei proijciam, ut nõ assumam de semine eius principes seminis Abraham, Isaac, & Iacob: reducam enim cõuersionẽ eorum, & miserebor eis.

Desi-

Desperabant quidam uidentes decem tribus nuper in Assyrios abductas & dispersas, nunc reliquas tres tribus in Babyloniã abduci, unde credebãt fieri nõ posse, ut denuò in unum regnum coirent. Huic dominus argumento respondens dicit certissimè futurum, ut Christi æternũ regnum qui filius est Dauid, in æternũ duraturũ sit, & semen patriarcharũ nunquã defuturũ. Illud enim est per quod unius dei gloria & cultus peruasit orbem. Semen Abraham sunt, non solũ Paulus, sed & apostoli omnes, & Christi discipuli, primitiuæ ecclesiæ seminaria, & Apostolicarũ ecclesiarũ fundatores. Quorũ Israëlitarũ auersio, iam tunc reparata fuit, & in melius restituta, cum pro patribus nati sunt ecclesiæ filij, quos constituit principes super orbem terrarũ, non ut potentiores sint Christo, cuius regnum non est de hoc mundo, hoc est, corporale & caducum, sed in spiritu & cœleste. Spes quoque est, & fuit etiam Paulo, de Iudæis omnibus conuertendis ad Christum, cum Gentiũ plenitudo intrauerit, & cum scandala quæ noctu inimici hominis seminatione irrepserant in agrũ ecclesiæ, uerbi dei falce amputata prius fuerint, Amen.

Christi æter regnum qui filius est Dauid, in æternũ duraturũ sit, & semen patriarcharũ nunquã defuturũ.

Conuersio Iudæorũ.

¶ CAPVT XXXIIII.

1 Verbũ qd factũ est ad Ieremiam à domino, quãdo Nabuchodonosor rex Babylonis, & omnis exercit⁹ eius, uniuersaq; regna & omnes populi bellabant cõtra Ierusalẽ, & contra omnes urbes eius, dicens:

Orationes sequẽtes ante captã urbẽ dictæ sunt. Prior oratio sequitur tempore posteriorem. Prænuntiatio est præsentis periculi. Captura regis et urbis dicta uidetur nono anno regni Sedechiæ, propter quod cõiectus est in carcerẽ. Indignus quidẽ Sedechias misericordia dei, admonetur tamen per uerbũ domini per prophetã, & quacunq; potuit cõsolatione paululũ respirare facit. Id uerò cum iam rex Babyloniæ obsidere urbes cœpisset Lachis quæ semper fortiter resistebat externis regibus, Azekam & Hierosolymã. A prima autem obsidione cœpta fluxerunt duo anni donec uastaretur tota.

2 Hæc dicit dñs deus Israël, Vade, & loquere ad Sedechiã regẽ Iuda: & dices ad eum, Hæc dicit dominus, Ecce ego tradam ciuitatem hanc in manũ regis Babylonis, & succendet eam igni.

Quanquam nõ sine afflictione animi propheta toties mala prædiceret, & cum nõ modica ira et indignatione rex prophetã audiret, uerbũ tamen domini nõ quieuit, sed ad id quod mittitur pergit, & propheta sanctus carnis tædiũ cuncit, & obedit domino. Apparet nõ semel sed sæpius itidẽ prophetasse. Nõ enim sufficit semel clamasse pastorẽ & uigilẽ, donec nõ emendatur uitiũ, continuò insistendũ perito artifici: & ecclesijs non solum prædicandũ est uerbum domini, sed iterũ atque iterum inculcandũ: etiamsi emendationis fructus minimè certus, quo uel sint inexcusabiliores, uel semel neglecta commonitio aliquoties repetita fructificet.

Lex sæpius prophetatũ

3 Et tu nõ effugies de manu eius: sed comprehensione capiẽris, & in manu eius tradẽris: & oculi tui oculos regis Babylonis uidebũt, & os eius cum ore tuo loquetur, & Babylonem introibis.

Non illi prædicit omnia quæ eum manebãt incõmoda, sed quantũ uel illi dominus reuelabat, uel quantũ ad miserum solatium captandũ pertinebat: alioqui filios aspiciente patre occidendos, & deinde statim oculos effodiendos, & catenis uinctũ abducendũ dixisset, cum aspiciendũ uultũ irati Babylonij prædicit, cui fœdus fregerat, & cõtra quẽ cũ alijs regibus seditionẽ parauerat, graue quidẽ erat, sed grauius tam crudeliter damnari.

Non omnia reuelantur.

4 Attamen audi uerbum domini Sedechia rex Iuda: Hæc dicit dominus ad te, Non moriẽris in gladio,

5 sed in pace morieris, & secundũ combustiones patrũ tuorũ regum priorũ qui fuerunt ante te, sic cõburent te: & uæ domine plangent te, quia uerbũ ego locutus sum, dicit dominus.

Leuis consolatio regis, quia facilis iactura sepulchri, & lamentantium leue solatium mortuo, Iudæis tamen graue erat non recondi cum patribus ossa, prius rogo combustis carnibus, gentili ritu & stulto. Pijs cura maior est bene uiuere, quàm gloriose sepeliri.

6 ¶ Et locutus est Ieremias propheta ad Sedechiã regem Iuda uniuersa uerba hæc in Ierusalem.

7 Et exercitus regis Babylonis pugnabat contra Ierusalẽ, & contra omnes ciuitates Iuda quæ reliquæ erant, contra Lachis, & contra Azécha: hæ enim supererant de ciuitatibus Iuda, urbes munitæ.

Vt apparet tam obedientia & constantia prophetæ quàm regis obstimatio, hic dicitur toties & tam multis regem fuisse uerbo domini monitum sine profectu, ut iustum dei iudicium cernatur, & timeatur contemptus uerbi dei, & prophetarum authoritas. Attenuatum eatenus erat regnum Iuda, ut ex tot urbibus tres tantũ extarent muratæ, regi subditæ, omnibus alijs à Babylonio occupatis uel uastatis. Eò perduxerat infelices reges Israël & Iuda malitia summa, ut tam floridi & potẽtis Salomonici regni nihil extaret, præter tres urbes, statim & ipsæ perdendæ.

Regis obstinatio.

8 ¶ Verbum quod factũ est ad Ieremiam à domino postquam percussit rex Sedechias fœdus cum omni populo in Ierusalem, prædicans eis libertatem.

9 Vt dimitteret unusquisq; seruũ suum, & unusquisq; ancillã suam, Hebræum & Hebræam liberos: & nequaquã dominarentur eis, id est, in Iudæo & fratre suo.

10 Audierũt ergo omnes principes, & uniuersus populus, qui inierant pactum, ut dimitteret unusquisque seruum suum & unusquisq; ancillã suam liberos, & ultrà

non dominarentur eis: audierunt igitur, & dimiserunt.

11 Et cõuersi sunt deinceps: & retraxerũt seruos suos & ancillas, qs dimiserũt liberos, & subiugauerũt in famulos & famulas.

12 ¶ Et factum est uerbum domini ad Ieremiam à domino, dicens:

Sermo alius prophetæ, alterius argumẽti. Rex Zedekias, à Ieremia toties monitus de legis diuinæ obseruantia, si euadere impendentia illi mala optaret. Consensu principum & populi de nouo promiserant libertatem secundũ legẽ Mosis, restituendã seruis & ancillis, idq; more uetusto ceremonijs ad exemplũ Abrahæ peractis, uitulo scilicet sacrificato, & in partes secto, per quas pars utraq; transiret sub cõtestationibus. Id egerant septimo anno regni Sedechiæ, spem resipiscentiæ etiam in alijs, sed nõ perseuerauerũt in probo instituto, citius relapsi ad priorem tyrannidem, nunc duplo rei, transgressæ legis & iuramenti noui.

Libertas retractata.

13 Hæc dicit dominus deus Israël, Ego percussi fœdus cũ patribus uestris in die qua eduxi eos de terra Aegypti de domo seruitutis, dicens:

14 Cum completi fuerint septẽ anni, dimittat unusquisq; fratrem suum Hebræum, qui uenditus est tibi, & seruiet tibi sex annis: & dimittes eum à te liberum: & non audierunt patres uestri me, nec inclinauerunt aurem suam.

Qui per dominũ de Aegyptiaca seruitute liberati fuerant, eo ipso iam serui dei erant, quã nouã iurisdictionẽ sic moderatur, ut quàm liberrimi sint Israelitæ, & nemini seruiant præter quàm dño, ut nec si quis se uendere uelit, diutius quàm septẽ emptori annis teneatur, in septimo liber exeat secundũ legẽ, Exo. 21. & Deut. 15.

15 Et conuersi estis uos hodie, & fecistis qd rectũ est in oculis meis, ut prædicaretis libertatẽ unusquisq; ad proximũ suũ: & inistis pactum in conspectu meo, in domo in qua inuocatũ est nomen meũ super eam,

16 & reuersi estis, & commaculastis nomen meũ: & reduxistis unusquisq; seruũ suũ, & unusquisq; ancillã suam quos dimiseratis ut essent liberi & suæ potestatis: & subiugastis eos ut sint uobis serui & ancillæ.

Emendatio coacta.

Renouati iuris obseruantiã institutã commendat dominus, fortaßis & alia emendanda in moribus iuxta legem susceperant, timore pœnarũ, quas continuò regno Iudæ imminere cernebãt, & à prophetis audiebãt. Rectum in oculis dñi erat, licet nõ ex fide fieret, tamen pro tanto laudabatur. In loco sacro in tẽplo fœdus inierant, quod periurij causam aggrauabat, & in contumeliã nominis diuini cedebat. Minus malum erat nõ promittere, quàm promissa non seruare. Veruntamen lege ad hoc tenebãtur, & de nouo id non uouere poterant, sed propositũ renouare, & debiti memoriã refricare non erat inutile, si seruassent. Quotidie enim uitæ melioris institutum renouandũ est, & contendendum cum carne & sanguine, quæ quotidie militat cõtra legem dei.

17 ¶ Propterea hæc dicit dñs, Vos nõ audistis me, ut prædicaretis libertatẽ unusquisq; fratri suo, & unusquisq; amico suo: ecce ego prædico uobis libertatem, ait dñs, ad gladium, ad pestem & ad famem: & dabo uos in cõmotionem cunctis regnis terræ.

Quia libertatem abstulistis fratribus uestris, ideo uobis quoq; adimetur libertas, ut serui regis Babylonis futuri sitis, qui donata libertate abusi estis. Libere uos permittam hostibus inuadendos, qui accepta mea licentia gladio uos occident, & pesti tradã uos absumẽdos, & fami, uagi eritis in omnibus regnis, seruiendo qui nolebant seruire noluistis uni domino.

18 Et dabo uiros qui præuaricantur fœdus meum, & nõ obseruauerũt uerba fœderis, quibus assensi sunt in cõspectu meo, uitulum quem cõciderũt in duas (partes) & transierunt inter diuisiones eius,

19 principes Iuda & principes Ierusalẽ, eunuchi & sacerdotes, & omnis populus terræ, qui transierũt inter diuisiones uituli:

20 & dabo eos in manus inimicorũ suorũ, & in manus quærentiũ animã eorum: & erit morticinũ eorũ in escam uolatilibus cœli & bestijs terræ.

Religione magna iuramẽta seruabãtur olim apud Hebræos, sed cum tempore omnia labascebãt, & facilè susceptæ facilius negligebãtur. Quos tamen præuaricatores dominus rigidè punit. Hic quoq; minatur in conspectu suo fœdus initũ & non seruatum à principibus & eunuchis regis sacerdotibus & toto populo terræ tam solẽniter celebratũ, publicè se uindicaturũ de omnibus, omnibus pariter tradẽdis in potestatẽ regis Babylonis, & implacabiliũ hostiũ, qui occisos abijciente auibus & feris dilacerãdos. Cauẽda est ergo perfidia fœderis licitæ & charitatis lex dño statuẽda, ne seruis à domino data libertas, tyrannis impunè infringenda credatur.

21 Et Sedechiam regem Iuda & principes eius dabo in manus inimicorũ suorum, & in manus quærentiũ animas eorum, & in manus exercituũ regis Babylonis, qui recesserunt à uobis.

22 Ecce ego præcipio, dicit dñs: & reducam eos in ciuitatẽ hanc, & præliabũtur aduersus eam: & capient eam, & incendẽt igni; & ciuitates Iuda dabo in solitudinem, eò quòd non sit habitator.

Toties prædicta captiuitas regis, ipsum emẽdare non potuit, quia aberat fides in uerbũ dñi, & prophetæ contemptus perseuerabat ad quem illum principes instigabant, ideo pariter ceciderũt in manus hostiũ. Qui licet nunc abierint cõtra Aegyptios, & ab impijs creditum ad huius urbis uastationem, igne & ferro. non reuersuri, redibũt tamen meo mandato & ordine,

¶ CA-

¶ CAPVT XXXV.

1 VErbũ q̃d factũ est ad Ieremiam à domino in diebus Ioacim filij Iosiæ regis Iuda, dicens:
2 Vade ad domũ Rechabitarũ: & loquere eis, & introduces eos in domũ domini in unam exedram (*thesaurorum*) & dabis eis bibere uinum.
3 Et assumpsi Iezoniam filiũ Ieremiæ filij Absaniæ, & fratres eius, & oẽs filios eius, & uniuersam domũ Rechabitarum:
4 & introduxi eos in domũ domini, ad gazophylaciũ filiorũ Hanan filij Igedeliæ hominis dei, q̃d erat iuxta gazophylaciũ principũ, qui super thesaurũ Maasiæ filij Sellum, qui erat custos uestibuli.

Iterum patet prophetam non seruasse ordinem in narratione rerum gestarũ. Hic enim post dicta & facta Zedechiæ temporibus, redit ad tempora & gesta Ioiakim, qui prius regnauerat. Familia Rechabitarum secundũ Hebræos descendit à Ietro uel Hobab socero Mosis, qui quidem de filijs Israel non erant, cultores tamen unius dei ueri erant & Nomadæ, nõ fixo aliquo loco cõsistentes, sed ex animaliũ pastura uictitantes more ueterum, nunc locũ hunc, nunc aliũ occupãtes, prout cõmodum uideretur, tentoria habitantes facilè transmutabilia, prout uel aëris sanitas, uel soli fertilitas suggerebat, paucis cõtenti, & philosophico more luxum & fastũ mundi nihili habentes, zelosi & fideles cultores dei ueri, ac idolorum & Baalim culturæ hostes, nõ segnes, nõ parũæ authoritatis & famæ erãt apud Iudæos, ut patet 4. Reg. 10. Qui & ubiq; pacificè habitabãt, nemini molesti uel onerosi, quia parsimoniã sectabantur & pacẽ, uno loco incõmoda pasti, facilè pergebant ad alium: ne se solos Iudæi deo charos & uiros bonos crederent, ob suum ceremoniale cultum Hierosolymis impensum. Ad hos mittitur propheta, qui pluris habebant præcepta patris eorum, quàm Iudæi mandata domini dei sui. Qui admoniti à maioribus ne uinum biberent, tot molestijs nõ omni in loco plantandũ, cuius licet utilis usus, tamen periculosus moribus bonis, & malorũ multorũ causa, iam à multis temporibus seruauerãt diligẽter, prisco hominum more liberè uictitando, cum felici parsimonia omniũ rerum. Horũ quosdã Hierosolymis propter bella habitãtes inducere iubetur propheta in exedram, templo iunctã, ut uino proposito solicitẽtur ad bibendũ, coram uiris bonis, & deum timẽtibus, quorum pauci iam erant, aliqui tamen ad spectaculũ conuenerant.

5 Et posui corã filijs domus Rechabitarũ scyphos plenos uino, & calices: & dixi ad eos, Bibite uinum.

Vinum in amphoris uel cantharis illis proponebat ad tentandum Rechabitarũ constantiam, in humanarũ traditionũ obseruãtia, quæ maioris habebatur illis professionis, quàm reuerentia diuinarũ legum Iudæis.

6 Qui respõderunt, Nõ bibemus uinum: quia Ionadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens, Nõ bibetis uinum uos & filij uestri usq; in sempiternum.
7 Et domum nõ ædificabitis, & sementem non seretis, & uineas non plantabitis, nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus uestris, ut uiuatis diebus multis super faciem terræ in qua uos peregrinamini.
8 Obediuimus ergo uoci Ionadab filij Rechab, patris nostri, in omnibus quæ præcepit nobis: ita ut nõ biberemus uinũ cunctis diebus nostris, nos & mulieres nostræ, filij & filiæ nostræ:
9 & non ædificaremus domos ad habitandum: & uineam & agrum, & sementẽ non habuimus,
10 sed habitauimus in tabernaculis, & obedientes fecimus iuxta omnia quæ præcepit nobis Ionadab pater noster.

Traditiones istæ humanæ non erant contra legẽ, non impossibiles, uitæ humanæ non inutiles, sed commodæ, multas solicitudines onerosas amputantes, disciplina quædam erant, non prosabant ad meritum sibi & alijs corradendũ & participandũ. Non erat hypocrisis, sed philosophica parsimonia: nõ ut ab alijs mendicarẽt, uel oneri essent uicinis uel grauamini, sed nec propterea otiosi. Nec hic uota dño facta legimus, quin si necessitas ingruisset naturæ uel charitatis, sine dei offensa uinum bibere, & sine peccato potuissent. Sicut contra aliud suum institutum nõ habitandi in urbibus, ubi sunt homines astuti & rarò boni, ut est in Egloga Mantuani: hic tamen ob bella urbem fuerant ingressi: hic uerò persistunt in proposito, cum nulla esset istis necessitas bibendi. Et non pauci sunt, quibus natura est uinum bibere non posse, quam apud admodũ paucos monachos inuenimus. Quin potius à puero abstemij naturaliter à uino, monachi facti, uinum bibere didicerunt, ne hic locus istis patrocinari putetur. Nec ordo monachorum tolerabilis illus uisus est, ubi uinum deesset.

De mendicitate & uotis.

11 Cum autẽ ascẽdisset Nabuchodonosor rex Babylonis ad terrã, diximus, Venite, & ingrediamur Ierusalem à facie exercitus Chaldæorum, & à facie exercitus Syriæ: & mansimus in Ierusalem.
12 ¶ Et factum est uerbum domini ad Ieremiam, dicens:

Causam allegãt cur nunc in urbe habitẽt, necessitate compulsi, redempturi scilicet uitã, quod tamen æquè illis prohibitum ut uinum erat, sed necessitas in omnibus dispensare poterat: quo tamen profugio periclitati magis sunt, quàm si foris mansissent.

13 ¶ Hæc dicit dominus exercituum deus Israël, Vade, & dic uiris Iuda & habitatoribus Ierusalem, Nunquid non recipietis disciplinam, ut obediatis uerbis meis, dicit dominus?

Obedientia Rechabitarum.

In exemplũ & correptionẽ assumitur hæc Rechabitarum obedientia, contra inobedientiã Iudæorum, qui perpetuò uerbo domini aduersantur, rebelles & immorigeri, propterea & dignè puniuntur: sicut & hodie plurimi Christianorum pluris habẽt transgreßionem legum humanarũ quàm diuinarum, horrẽtes magis esum carnium in Veneris die, quàm adulteriũ uel blaſphemiã dei in die dominico. Facilius nanq; externa seruantur, quàm interna, propter quæ instituuntur.

14 Prævaluerũt sermones Ionadab filij Rechab, quos præcepit filijs suis ut nõ biberent uinũ: & nõ biberũt usq; ad diẽ hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: ego autẽ locutus sum ad uos, de mane consurgens, & loquens: & non obedistis mihi.

Non improbatur Rechabitarũ institutũ, sed commendatur magis obediẽtia filiorũ ad parẽtes, cum Israëlitæ patrem & deum suũ tam fidelẽ & beneficũ audire renuerint & nihili pendant semper præcepta dei.

15 Misitq; ad uos omnes seruos meos prophetas, cõsurgens diluculo, mittens q;, & dicens: Cõuertimini unusquisq; à uia sua pessima, & bona facite studia uestra: & non ite sequi deos alienos, neque colatis eos, & habitabitis in terra quam dedi uobis & patribus uestris: & non inclinastis aurẽ uestram, neq; audistis me.

Dei solicitudo pro electis.

Solicitudo paterna dei notatur ad populũ suum, quibus semper misit prophetas, ut absterreant à malis, hortentur ad bona, uoluntatẽ dei indicando, cui obsequantur, si euadere pœnas uelint: quibus non obsequuntur, sed persequuntur potius, deos alienos sectando ac deserendo deum, qui eos genuit, promißiones dei de hæreditate optimæ terræ poßidendæ minimè curando. Nunquam enim deest timentibus se dominus, singulis horis seruos mittit in uineam suam, omnibus mundi ætatibus prophetas suos mittit, qui cõuertant corda patrũ ad filios, qui uirtutes doceant, & à uitijs dehortẽtur, quorũ semper mundus feracißimus est, ut subinde euelli oporteat zizania, & purgari agrum. Hoc in populo ueteris testamenti uidetur factum, & noui.

16 Firmauerũt igit filij Ionadab filij Rechab præceptũ patris sui quod præceperat eis: populus autẽ iste non obediuit mihi.

Si in Tyro & Sidone tanta facta eßẽt miracula, quanta apud Iudæos, propensiores fuissent ad suscipiendam Christi doctrinã: sic longè Gentes uidẽtur ad suscipiendam disciplinã proniores semper fuisse, quàm cõtumaces & duræ ceruicis Iudæi, quod & in Euangelio suscepto paßim cõspicitur, Iudæis perpetuò obturatis.

17 ¶ Idcirco hæc dicit dominus exercituũ deus Israel, Ecce ego adduco super Iudam & super omnes habitatores Ierusalem uniuersam afflictionem quam locutus sum aduersum illos: eò quòd locutus sum ad illos, & non audierunt: uocaui illos, & non responderunt.

Docilitas & disciplina gentiliũ, magis in iudicio dei Oseæ & hominũ apparere facit inobediẽtiã Iudæorũ, ut contraria solent ex cõpositione clarius resplẽdere: sitq; grauiore ultione dignior procacitas Iudaïca, quãdo malitia Rechabitarũ et tractabilitas magis apparet. Ad hoc enim prouidẽtia dei Rechabitæ in urbẽ inducti fuerant neſciẽtes, ut exemplo obediẽtiæ ſuæ damnaretur inobedientia Iudæorũ, ſicut & aduentus Loth in Sodomã, ſer uiebat ad promouendũ citius iudiciũ domini cõtra eos. Rechabitæ intendunt uitæ ſuæ redemptionẽ, Deus autẽ Iudæorum exterminiũ, mandata dei contemnentiũ, & ut fiant tanto magis inexcuſabiles.

18 Domui aũt Rechabitarũ dixit Ieremias: Hæc dicit dñs exercituum deus Israel, Pro eo quòd obedistis præcepto Ionadab patris uestri, & custodistis oĩa mãdata eius, & feciſtis uniuersa quæ præcepit uobis:

19 propterea hæc dicit dominus exercituũ deus Israel, Non deficiet uir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

Rechabitis pro obediẽtia ſua & ad fugillãdã Iudæos, longæuitas & poſteritatis duratio promittitur, quia parentes obediẽdo honorãt, Iudæis exterminiũ, qui peruicaciter ſemper deſciſcũt à fide & cultu maiorũ. Doctrina quam ex hoc loco Iudæi extrahũt, eſt ſecundũ Rabbina hæc, Ergo alienigenæ potuerunt ingredi templum domini. Tale eſt ingeniũ & ſtudium Iudæorum.

¶ CAPVT XXXVI.

1 FACTũ est in anno quarto Ioacim filij Iosiæ regis Iuda: factum est uerbum hoc ad Ieremiam à domino, dicens,

2 Tolle uolumen libri, & scribes in eo omnia uerba quæ locutus sum tibi aduersum Israël & Iudam, & aduersum omnes gentes: à die qua locutus sum ad te ex diebus Iosiæ usque ad diem hanc:

3 si forte audiẽte domo Iuda uniuersa mala quæ ego cogito facere eis, reuertatur unusquisq; à uia sua pessima: & propitius ero iniquitati, & peccato eorum.

Ioiakim filius impius ſanctißimi Ioſiæ ob ſtilum ueritatis carceri incluſit Ieremiam, prædicantem pœnitentiam, de idolorum cultura reſipiſcentiã, & iuſtitiæ publicæ reſtitutionem, quod reges impij ac ipſorum conſiliarij ferre non poſſunt, ſed ſi per negligentiã & oſtentationem uulgi poſſunt, capiunt & occidunt prophetas, ut hic Ieremias includitur: ſed uerbum dei non eſt alligatum. Sed in carcere quoque poſitus à domino iubetur conſcribere omnes prophetias, quas à domino iuſſus uerat acceperat contra urbem, reges & populum Iudæ, & alios ut ſint in perpetuã rei memoriam. Iubetur autem à domino præparare ſibi uolumen, à uolucendo dictum, & inſcribere prophetias, à principio libri ſcriptas contra Iudam Iſraëlem & omnes gentes uiciniores, quas à temporibus Ioſiæ ſibi reuelaſſet: in hunc uſque diem

passim eas populus legens & audiens compungeretur ad pœnitentiã & emendationem, euaderetq; iudicium domini, quod illis impendere audiret, quod nihilominus euadere possent, si se emendarent.

4 ¶ Vocauit ergo Ieremias Baruch filium Neriæ: & scripsit Baruch ex ore Ieremiæ omnes sermones domini, quos locut⁹ est ad eum, in uolumine libri.

Baruch Amanuensis. Amanuensis erat Baruch Ieremiæ, quem nunc uocat, iubetq; excipere quæ dictaret propheta, ad spiritus sancti inspirationem, quod & factum est. Quæ enim publice prædicari & dici debent, hæc necesse est & fructuosum scriptis mandare, ut certitudini ueritatis seruiatur & obliuioni, sicut & non sine consilio spiritus sancti Euangelia scripta sunt, quæ si tantũ oretenus diu vulgari cõtigisset, obnoxia fuissẽt tam obliuioni, quàm adulterationi & impostoris.

5 Et præcepit Ieremias Baruch, dicens, Ego clausus sum, nec ualeo ingredi domum domini.

6 Ingredere ergo tu, & lege de uolumine in quo scripsisti ex ore meo uerba dñi, audiente populo in domo domini in die ieiunij: insuper & audiente uniuerso Iuda, qui ueniunt de ciuitatibus suis. Leges eis,

Prædicare ex scriptis. Vna uia prohibitus à prædicatione, duabus supplere conatur, literis commendans, & uice sua prædicantem submittens. Iubet autem legere huiusmodi scripta discipulum, coram populo primum: eius enim maximè intererat scire dei iudicium & emendare uitam, cum reges & quosdam principes impios experiretur, & bonos inter eos nimium formidolosos uidebat. Populũ ergo uult instrui, qui iam audiens aduenientem cum magno exercitu Babylonium contra urbem, indixerat specialem diem orationis ad dominũ, quæ ut ardẽtior esset & humilior, ieiunium quoq; Hebræorũ more usque ad uesperam proferebat, dominum interpellando pro gratia & salute. Ibi conueniebant, non solum ciues urbis, sed uicina quoque undiq; regio confluebat, ut multitudine orantium dei miseratio implioraretur facilius. His ergo omnibus conuenientibus, iubet propheta recitari uerbum domini è uolumine, ne quid uel de suo adijcere

Legere ex scriptis. uideretur, uel per obliuionem decidere. Sic expedit magis uerbi ministros præsente et aperto uolumine legere, uel scripta explicare, quàm memoria, cum spiritui sancto inter prædicandũ non rarò locus accomodandus sit, reuelanti noua aliqua, quibus memoria præconceptorũ confundi possit, quæ iuuatur codice & scriptura, quam quis interpretandam atque inculcandam proposuit ecclesiæ uno uel pluribus ex locis desumpta. Non caruit uanitate codicum neglectus, aliquot iam seculis in usu habitus, ut indoctior uideretur, & minus memoria ualens qui libro uteretur, quàm qui non, famæ potius ratione habentes quàm fructus.

7 si forte cadat oratio eorum in conspectu domini, & reuertatur unusquisq; à uia sua pessima: quoniam magnus furor & indignatio est, quam locutus est dominus aduersus populum hunc.

Prædicationis huius finis erat resipiscentia & timor pœnæ imminentis, quo ad ardẽtius orandum prouocarentur, morum & fidei conuersionem nouam instituerent, & domini clementiam obtinerent, cuius iram magnam succensam audirent in totam gentem, cuius minima portiuncula supereresset, quæ tamen impiè uiuens propediem finienda audiretur.

8 Et fecit Baruch filius Neriæ iuxta omnia quæ præceperat ei Ieremias propheta, legẽs ex uolumine sermones domini in domo domini.

Periculum sponte subit discipulus mandante magistro, in concione tota prophetæ recitans uerba, de mandato domini dei.

9 ¶ Factum est autem in anno quinto Ioacim filij Iosiæ regis Iuda, in mense nono: prædicauerũt ieiuniũ in cõspectu domini omni populo in Ierusalẽ, & uniuersæ multitudini quæ confluxerat de ciuitatibus Iuda in Ierusalem.

Ieiunium legitimum. Legitimum ieiunium à domino per Mosen institutũ, non legimus aliud, quàm die propitiationis, in septimo mense die decimo. Cum igitur hoc ieiunium habitũ sit mense nono, patet illud pro præsenti calamitate & formidine aduentantis regis indictum fuisse, cuius tunc fama uenturi iactabatur, quæ & dilata est propter orationes istas, quas fieri nõ permisisset dominus, nisi exaudire uoluisset. Sicut & Niniuitarum oratio inanis non fuit, sic nec ista: facta enim quinto anno regni Ioiakim, dilationem promeruit usq; ad undecimum, in quo prima contigit captiuitas, occiso rege.

10 Legitq; Baruch ex uolumine sermones Ieremię in domo dñi in gazophylacio Gamariæ filij Saphan scribæ, in uestibulo superiori, in introitu portæ nouæ domus domini, audiente omni populo.

11 Cumq; audisset Micheas filius Gamariæ filij Saphan omnes sermones domini ex libro:

Gazophylacia multa erant circum templũ & atria, pro uarijs negotijs tractandis, quorũ unum tunc dicebatur Gamariæ scribæ. In quo ex æditiore loco Baruch legebat audiẽti populo, cõstituto in atrio maiore, apud portam nouam, quarum multæ erant prope templum, quod dicitur omne ædificium, & spacium in circuitu ueri templi Salomonis.

12 descendit in domũ regis ad gazophylacium scribæ: & ecce, ibi omnes principes sedebant, Elisama scriba, & Dalaias filius Semeiæ, & Elnathan filij Achobor, & Gamarias filius Saphan, & Sedechias filius Hananiæ, & uniuersi principes.

13 Et nuntiauit eis Micheas omnia uerba quæ audiuit, legente Baruch, ex uolumine in auribus populi.

Notatur domus regis humiliore loco sita quàm templum, cum nõ semel de templo descẽsus scribitur in domum regis, in qua etiã gazophylacia & exedræ multæ erant ad negotia expediẽda. Inter quas erat una scribarum, ubi principes regni cõsederant, interim populo sine primoribus ieiunãte & orãte: quibus ibi nuntiatur de lectione libri prophetici, per Baruch, populum alloquentem non iussum à rege uel permissum.

14 Miserunt itaque omnes principes ad Baruch, Iudi filium Nathaniæ filij Selemiæ filij Chusi, dicentes, Volumen ex quo legisti audiente populo, sume in manu tua, & ueni. Tulit ergo Baruch filius Neriæ uolumen in manu sua, & uenit ad eos.

Misso nuntio sua authoritate abstrahunt prophetam à lectione uerbi dei, iubentq; obmisso opere dei obedire sibi, & allato libro citius comparere. Quod & Baruch sine mora perficit, nescius quid futurum, quàue ratione uocaretur.

15 Et dixerunt ad eum, Sede, & lege hæc in auribus nostris. Et legit Baruch in auribus eorum.

16 Igitur cum audissent omnia uerba, obstupuerunt unusquisq; ad proximum suum, & dixerũt ad Baruch, Nuntiare debemus regi omnes sermones istos.

17 Et interrogauerũt eum, dicentes, Indica nobis quomodo scripsisti omnes sermones istos ex ore eius.

18 Dixit aũt eis Baruch, Ex ore suo loquebatur quasi legẽs ad me oẽs sermones istos: & ego scribebã in uolumine, atramento.

19 ¶ Et dixerunt principes ad Baruch, Vade, & abscondere tu & Ieremias, & nemo sciat ubi sitis.

20 Et ingressi sunt ad regem in atrium. Porrò uolumen cõmendauerunt in gazophylacio Elisamæ scribæ: & nuntiauerunt audiente rege omnes sermones.

Principes non impij.

Non omnino impij erant principes hic nominati, nec imprudentes, uolunt enim prius audire quid populo proponatur & recitetur in ecclesia, ne quid seditiosum uel friuolum falsumq; temerè prædicetur. Iubent quoq; assidere, nõ sine humanitatis & beneuolentiæ indicio. Cupiunt ipsi quoq; audire uerbũ domini, & sustinent, donec lectio absoluatur totius libri. Audientes autẽ credunt uerbo domini, & pauore corripiũtur, sesecq; alloquuntur & audire desyderant totius rei gestæ seriem, & si hæc reuera haberi debeant uerbũ domini, sine aliqua impostura. Audiunt autẽ diligenter Baruch de singulis satisfacientem. Deliberant hæc regi non cælanda, apud quem summa rerũ cõsisteret. Fideliter quoq; consulunt saluti, tam Ieremiæ quàm Baruch, prævenire uolentes furorem regis, & aliorũ quorundam principũ, uolentes abscondi utrosq; & librum, deniq; non prodi nisi dissimulari nequeat. Verbotenus argumentum regi indicant, totius lectionis auditæ. Quæ omnia indicant

fideles fuisse uiros, & non deploratæ malignitatis cõtra deum & prophetas. Quales esse debent regũ & principum consiliarij, qui non cõtemnendæ regulæ ordinem hic discere debent, & contra professores ueritatis non aliter agere uel consulere, nisi uelint male perire cum suis regibus. Qui enim uirtute sua disrumpere non potest malitiam regum, ei regum palatia fugienda sunt, ne recipiat impiorum consiliorum fructus.

21 Misitq; rex Iudi, ut sumeret uolumen. Qui tollens illud de gazophylacio Elisamæ scribæ, legit audiente rege, & uniuersis principibus qui stabant circa regem.

Audiũt rex cum principibus alijs quoq; præsentibus, & qui iam uenerant, librũ legi, cum grandi cõmotione uerbi dei: ubi nemo audebat cõtradicere rumpenti fœdus pello librũ imperioso rege, qui & cõsentaneos quosdã habebat facinoris, alij autẽ timebant regis iram & indignationem, non satis firma probitate muniti.

22 Rex autem sedebat in domo hyemali in mense nono: & posita erat arula coram eo plena prunis.

23 Cumq; legisset Iudi tres pagellas uel quatuor, scidit illud scalpello scribæ: & proiecit in ignem, qui erat super arulam donec cõsumeretur omne uolumen igni qui erat in arula.

Hyemis frigora sæuiebant tam in cordibus impiorum quàm in aëre, nono mense à Martio computato. Incerta ignem non semel proditur ueritas, & iniuriis promouetur. Verbum dei igne punitur à perfidis, cum reuerẽtia suscipitur à pijs. Nihil impijs regibus & principibus intolerabilius & inuisum magis, quàm prophetica spiritus mo, stilus ueritatis: quod ut maximè contendam oppressum mere, tamen fortius cõsistere cernitur, quãto malignius extirpare illud conantur. Talis natura ueritatis semper fuit, & hodie comprobatur, ut imprudẽter agant quicunq; uerbum domini uel audire nolunt, uel audiũ contemnere & impedire uanè præsumunt.

24 Et non timuerunt, neq; sciderunt uestimenta sua rex, & omnes serui eius qui audierunt uniuersos sermones istos.

Indignũ facinus & inexcusabilis torpor principum, qui blasphemiam tantam uidentes agnitæ ueritatis, sacrum codicem non de falsitate conuictum exuri fecerunt, eo à rege uel consentaneis ferunt, æquanimiter quoque regni principes tantæ tyrannidi deferunt per omnia, ut nullus eorum uestes per sacram impatientiam scinderit, nullus ueritatis patrocinium subierit, nullus se prophetarum discrimini obiecerit. Hi tales hic à uerbo domini condemnantur: ut suam sibi manentem nimiditatem dei minimè effugituros sciant, nisi se agnitæ ueritati coniungant à ueritate opprimentur. Hæc nostris temporibus latius cogitanda committuntur. Sapientibus facilè persuadetur quod res est. Tales secum seruos habebat rex impius, qualis erat, tale quoque malignitatis pretium susceperunt.

25 Verũtamen Elnathan, & Dalaias, & Gamarias

marias cõtradixerũt regi, ne combureret librum: & non audiuit eos.

Nominãtur hic tres uiri Elnathan, Dalaias & Gamarias ex his qui prius à Baruch audierant æquanimiter uerbũ domini: hi nunc quoq; intercedunt & obsistunt pro uirili regi, ut non exurat codicem, sed nõ exaudiuit eos rex. Alij duo supra nominati mali erant, primus Elisama scriba. Solent enim protonotarij infideles & impij uehemẽter obesse regnis & principibus & communitatibus, qui se applicãt primoribus, & consilia sti lumq; uertunt, uel ad gratiã regentiũ, uel ad priuatum commodum aut affectum: qui etiã uehementer prosunt rebus maximis agendis prospere, si boni sint. Hic talis scriba erat, qualis rex Elnathan pessimus fuit, qui misſus ad Aegyptũ pro propheta Vria reuocando ad mortem, de quo supra. Alter filius erat impij pseudoprophetæ, qui & ipse pro genio sentiebat.

26 Et præcepit rex Ieremiel filio Amélech, & Saraiæ filio Ezriel, & Selemiæ filio Abdeel, ut comprehenderẽt Baruch scribam, & Ieremiam prophetam: abscõdit autem eos dominus.

27 ¶ Et factum est uerbum domini ad Ieremiam postquam cõbusserat rex uolumen, et sermones quos scripserat Baruch ex ore eremiæ, dicens:

Insanus rex spreto principum bonorum consilio, tres mittit satellites ad comprehendendũ duos, prophetam & discipulum, inermes, & ad uoluntatẽ expositos impiorum, resignatos ad mortẽ pro ueritate ferenda. Sed abscondisse eos dominus dicitur, quia bonorum cõsilio principum abscõditi fuerant ad tempus, ut non iam furente furia in promptu inuenirentur.

28 Rursum tolle uolumen aliud: & scribe in eo oẽs sermones priores, q erant in primo uolumine, q̃d cõbussit Ioacim rex Iuda.

Impietas regis occasio fuit declarãdæ ueritatis, quam oppressam uolebat. Secundò enim inspirata, eodẽ spiritu & fide eadẽ cõscripta, testata est esse diuinã, certam & infallibilẽ, quam nec rex nec principes calcare possint, sed perferre, uelint nolint, cogãtur. Sic prophetarũ arduum munus est, resistere factis, uerbis & scripturis impijs principibus, expositosq; omniũ iniuriosorũ hominum potentiæ, & tamen defendere ueritatem.

29 Et ad Ioacim regẽ Iuda dices: Hæc dicit dominus, Tu cõbussisti uolumen istud, dicens, Quare scripsisti in eo annũtians, Festinus ueniet rex Babylonis, & uastabit terram hanc: & cessare faciet ex illa hominem & iumentum?

30 ¶ Propterea hæc dicit dñs cõtra Ioacim regem Iuda, Nõ erit ex eo qui sedeat super soliũ Dauid: & cadauer eius proiicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem.

31 Et uisitabo cõtra eũ, & cõtra semen eius, & cõtra seruos eius iniqtates suas: & adducam super eos & sup habitatores Ierusalẽ, & super uiros Iuda omne malũ quod locutus sum ad eos: & non audierunt.

Inculcare denuò cogitur regi, quod inuitissimus audiebat, propter quæ ad mortẽ quærebatur sanctus à rege. Nec uerbis lenibus sed atrocibus inuadere iubetur, quasi uolentẽ mendacij arguere uerbũ, & impotentiã inuerere deo. Contra igitur prædicit illi graviora, non habiturum hæredem, ejiciendum à sede regni, turpiter occidendum, extra Hierosolymam sepeliendum. Et quos habet nunc seruos in malo cõsentaneos, hos quoq; sodales habiturus in pœna, malumq; istud etiã peruenturum ad totum regnum urbem & populum. Rex inuaditur à prophetа.

32 Ieremias autẽ tulit uolumen aliud, & dedit illud Baruch filio Neriæ scribæ: q scripsit in eo ex ore Ieremiæ omnes sermones libri, quem combusserat Ioacim rex Iuda igni: & insuper additi sunt sermones multo plures, quàm antea fuerant.

Veritas domini manet in æternũ, multoq; minus nunc mundo spectata & agnita supplantari potest, per quantumuis potẽtes & atroces principes huius mũdi, quàm tunc cum primũ audiebatur à regibus impijssimis. Consultius fuerit, ut adhæreant quàm obstrepent ueritati. Augetur persecutionibus fides piorum, & scripturæ robur hæreticorum & incredulorũ pertinacia inuincibilius cuadit. Factum hoc est temporibus apostolorũ & martyrum, quorum constantissima fide per dei gratiam authoritas scripturæ inclaruit toto orbe. Veritas inuicta.

¶ CAPVT XXXVII.

1 ET regnauit rex Sedechias filius Iosiæ pro Iechonia filio Ioacim: quem cõstituit regem Nabuchodonosor rex Babylonis in terra Iuda.

Sedechias regnauit post Ioakim & Iechoniã, undecim annis, institutus à rege Babylonis, mutato nomine ex Mathatia, cum & Sellum dictus legatur, sicut & illius fratres. Omnes autem iniqui fuerũt & idololatræ, ideo perierũt omnes cum regno. Fuit autẽ filius Iosiæ & patruus Iechoniæ cui in Babylonẽ translato succeſsit.

2 Et non obediuit ipse & serui eius, & populus terræ uerbis domini quæ locutus est in manu Ieremiæ prophetæ.

Rebellauit Sedechias Babylonio, & auxilium implorauit ab Aegyptio, qui & ferre tentauit, sed effectũ est nihil, contra dominum enim erat hoc consilium, & à prophetis disuasum sæpe.

3 Et misit rex Sedechias Iuchal filium Selemiæ, & Sophoniã filium Maasiæ sacerdotem ad Ieremiã prophetã, dicens, Ora pro nobis dominũ deum nostrum.

4 ¶ Ieremias autem liberè ambulabat in medio populi: non enim miserant eum in custodiam carceris.

5 Igitur exercitus Pharaonis egressus est de Aegypto: & audiẽtes Chaldæi qui obsidebant Ierusalem, huiuscemodi nuntiũ,

recesserunt ab Ierusalem.

6 ¶ Et factum est uerbum domini ad Ieremiam prophetam, dicens,

7 Hæc dicit dominus deus Israël, Sic dicetis regi Iuda, qui misit uos ad me interrogandum: Ecce exercitus Pharaonis, qui egressus est uobis in auxiliũ, reuertetur in terram suam in Aegyptum:

8 & redient Chaldæi, & bellabunt contra ciuitatem hanc: & capient eam, & succendent eam igni.

Hoc exemplũ prætermittendũ non est, quod acerrimi hostes prophetarum à deo in tales angustias cõtrudun tur, ut eorum ipsorũ quos præ cunctis mortalibus perditos cupiunt auxilium consiliumq; implorent. Summa igitur fide administranda est prophetia, nihil temerè eiaculandum, nihil metu dissimulandũ. Veritas enim labefactari non potest. Videtur autẽ hoc gestũ eo tempore cum primùm rex Babylonis Iudææ intraret, nam & tunc quoque Ieremias liberè ambulabat cum populo, nondum carceri inclusus. Tunc quoque rex Aegypti tentabat uires contra Babylonium, sed repulsus est, reuersoq; ad sua Babylonius redijt ad obsidendam Hierosolymam, & cepit suo tempore, quod nunc futurũ propheta prædicit infelici Sedechiæ.

Prophetia administranda fideliter.

9 ¶ Hæc dicit dñs, Nolite decipere animas uestras, dicẽtes, Euntes abibũt, & recedẽt à nobis Chaldæi: quia non abibunt.

10 Sed & si percusseritis omnem exercitum Chaldæorũ qui præliãtur aduersum uos, & derelicti fuerint ex eis aliqui uulnerati: singuli de tentorio suo consurgent, & incendent ciuitatem hanc igni.

11 Ergo cũ recessissent exercit⁹ Chaldæorũ ab Ierusalẽ propter exercitũ Pharaonis,

Firmissimè persuasum cupit regi, ut cuadere se non posse credat, si quo modo humiliatus regi Babylonio sese offerat & dedat, ne tam infeliciter pereat, tam ipse quàm urbs & omnia. Cui cõtra falsi prophetæ & principes contrariũ persuadebant, uincendos Chaldæos & percutiendos. Quibus propheta: Etiã si nunc omnes occidissetis, sic tamen infallibile est uerbum domini de urbe perdenda & regno à Babylonijs, ut non possit non impleri: sic enim uult dominus, sic ordinatum est ab eo, sic est in fatis tam uestris quàm illorum.

12 ¶ egressus est Ieremias de Ierusalẽ ut iret in terrã Beniamin, & diuideret ibi possessionem in conspectu ciuium.

13 Cumq; peruenisset ad portã Beniamin, erat ibi custos portæ (per uices) nomine Ierias, filius Selemiæ filij Hananiæ: & apprehendit Ieremiam prophetam, dicens, Ad Chaldæos profugis.

Egredi uolebat Hierosolymã, ut in patriam Anathot ueniret, uel ad declinandũ persecutiones & carceres, uel ad negotia gerenda in hæreditate sua cum consanguineis, uel ad emptionis negotiũ cum patruele tractandum. Poterat non una causa illi adfuisse egrediendi uolũbem, quam æmulus suus nepos Hananiæ arreptam alle garet defectionẽ & proditionẽ urbis, pro qua uideretur exire, toties iam prophetata uastatione.

14 Et respõdit Ieremias, Falsum est, non fugio ad Chaldæos. Et nõ audiuit eum: sed comprehendit Ierias Ieremiam, & adduxit eum ad principes:

Simpliciter negat ea ratione exijsse se, iniuriamq; fassi deprecatur, sed nihil efficit apud eum, qui ansam se inuenisse gaudebat calumniandi prophetam. Arripuit enim eum statim Ierias Ananiæ nepos, & duxit ad principes, proditionis accusans sanctum uirum, quia desciuisset ad hostes Babylonios, quibus faueret magis quam suæ genti, fortassis muneribus à Babylonio acceptis prodere urbem uoluisse.

15 Quam ob rem irati principes contra Ieremiã, cæsum eum miserũt in carcerẽ, qui erat in domo Ionathan scribæ: ipse enim præpositus erat super carcerem.

Facilè principes alioqui hostes Ieremiæ inducũtur ad flagellandum ex ira & odio aduersarium ipsis, carcere eum claudentes omnium teterrimo, cui præerat scriba, æquè inimicus Ieremiæ, ut austerius & crudelius tractaretur. Sic enim fit ueritatis professoribus, ut crudelissimè diuexentur accepta occasione ab impijs.

16 Itaque ingressus est Ieremias in domum laci & in ergastulum: & sedit ibi Ieremias diebus multis.

Coniectus est igitur propheta in miserabile ergastulum, ubi & detentus est temporibus multis, dominante iam suum exercitante calamitatibus, propter ueritatem ad libidinẽ impiorũ, ut non parum fides tentaretur sanctæ prophetæ, qui promissiones salutis & uictoriæ asserebat contra reges & populos.

17 ¶ Mittẽs autẽ Sedechias rex tulit eum: & interrogauit eum rex in domo sua absconditè, & dixit: Putásne est sermo à domino? Et dixit Ieremias, Est. Et ait, In manus regis Babylonis traderis.

Aduocatũ & sublatum à carcere, rex inquirit de uoluntate, cui hactenus credere noluerat. Secretò autem interrogat, semotis arbitris, contra principum uoluntatem, si omnino sic habeat decretum domini, ut urbs & populus cum regno uastetur. Magna lenitas regis, quæ duit eum loqui cum uiro bono timore principũ, cuius men potuerit facere quæ regem decuissent, quæru. Cui propheta quod prius semper respõdet intrepidus, ra regem tradendum in manus Babylonij.

18 Et dixit Ieremias ad regem Sedechiam, Quid peccaui tibi & seruis tuis & populo isti, quia misistis me in domũ carceris?

Captiuitatẽ euadere se posse desperat propheta, cum sentientibus cõtra se principibus, quibus rex dissentire in hac causa nõ audebat, etiãsi in alijs auderet cõtra uotis ipsorũ prosequi. Vt & contra Christum consenrunt Pilatus & Herodes. Orat tamen ut saltem liuere

inueniat carcerem, & clementiorem custodem, qui in regem & regnũ nihil peccauerit, sed summa diligentia præmonitos ab imminente clade eripere studuerit, pro qua non carcerem sed gratiam meruerit.

19 Vbi sunt prophetæ uestri qui prophetabant uobis, & dicebãt, Non ueniet rex Babylonis super uos, & super terrã hanc?

Obijcit expostulando cum summa fide & integritate perfidiam & mendacia pseudoprophetarum, quos iam planè falsos & impostores cerneret, qui pacem promiserunt & hostium impotentiã, cum omnia nunc plena calamitate cernantur, urbe obsessa & animis omnium perturbatis & desperantibus.

20 Nũc ergo audi obsecro, domine mi rex, Valeat deprecatio mea in conspectu tuo: & ne me remittas in domũ Ionathan scribæ, ne moriar ibi.

21 Præcepit ergo rex Sedechias ut traderet Ieremias in uestibulo carceris: & daretur ei torta panis quotidie, excepto pulmẽto, donec cõsumerẽtur oẽs panes de ciuitate: & mansit Ieremias in uestibulo carceris.

Tamũ orat aliũ sibi carcerẽ adsignari, ne cogatur in isto super iam perpessa miserrimè mori: quod & à rege obtinuit, ut iam non quidẽ in carcerẽ tetrum, sed in uestibulũ carceris poneretur, & pane angustiæ cibaretur, torta panis furfurei, sine alijs coctis cibis, quo & pastus est, donec cibus perseueraret in urbe, dño prouidente seruo suo, ut alijs fame moriẽtibus ipse sustentaretur ad necessitatem. Exemplũ fidelibus ministris uerbi dei, ut de dei clemẽtia nunquã desperent. Preces ualerũt dño uolente, etiã apud malum. Consulitur uictui uiri sancti, cogũtur hostes prophetã sustentare in carcere tota ciuitate ex famis media maximè laborante.

CAPVT XXXVIII.

1 VDiuit autẽ Saphatias filius Mathan, & Gedelias filius Phassur, & Iuchal filius Selemiæ, & Phassur filius Melchiæ, sermones quos Ieremias loquebatur ad omnem populum, dicens,

Cõsicitur iterũ in carcerẽ ab impijs principibus, regis seductoribus, qbus nunc in rerũ angustijs nimiũ defert, cum antea cõsilijs eorũ non acquieuerit. In hoc autem defert facilius, ut propter ueritatẽ ex fide dictã pro populo, puniatur. Interuẽtu eunuchi extrahitur, extracti consiliũ auditur, sed nõ perficitur, hinc in uestibulo carceris manet usq; ad expugnationem urbis.

2 Hæc dicit dñs, Quicunq; manserit in ciuitate hac, morietur gladio & fame & peste: qui autẽ profugerit ad Chaldæos, uiuet, & erit anima eius sospes & uiuens.

Verba fidei & ueritatis narrantur, propter quæ & propheta carceri adiudicatur: dño præcipiẽte loqui contrià haberi poterant, hortari populũ ut ad hostem desciat: sed iussu Dũi religiosius animus suscipit quodcunq;

periculũ, modo uerbis dei obtemperet, certus, institutũ dei perducendũ ad finẽ, utcunq; se frãgi cõtingat. Non ergo prophetas pigeat, si laboribus & periculis obijciantur, quibus res collapsæ restituẽdæ sint. Suadet aũt domino præcipiẽte, ut sese dedant & urbẽ regi Babylonis, ut illis liceat uiuere & urbem consistere.

3 Hæc dicit dominus, Tradendo tradetur ciuitas hæc in manu exercitus regis Babylonis, & capiet eam.

Tradi cõsulit urbẽ ut seruetur, non tradendã prædicit uastandã, fideli consilio si obtemperassent, si uerbũ domini impij non cõtempsissent in suum malum.

4 Et dixerunt principes regi, Rogamus ut occidatur homo iste: de industria enim dissoluit manus uirorũ bellantiũ, qui remanserũt in ciuitate hac, & manus uniuersi populi, loquens ad eos uniuersa uerba hæc: siquidem homo iste nõ quærit pacem populo huic, sed malum.

Capitalis quidẽ uidebatur & pernitiosa oratio, quia non credebatur domini esse uoluntas, quia animos ciuiũ ad deficiendum solicitabat, & uires resistendi adimebat, seculari sensu iudicantes de uerbo dei, ideo decipiebantur in præiudiciũ suum, & prophetæ fidem interpretantur perfidiam.

5 Et dixit rex Sedechias, Ecce ipse in manibus uestris est: nec enim fas est regem uobis quicquam negare.

Contra prophetã facilè rex impius omnia permittit principibus, quantumlibet uirũ bonũ crederet & reuereretur, sed uerbis suis à domino, ut Pharao obstinatus, non credere potest. Alioqui non erat ad libidinẽ impiorum principũ exponendus propheta, sed defendendus à rege iustitiæ patrono. Sed mensura peccatorũ cõplenda erat, ut digna omnibus pœna iam impendebat. Appa ret tamen regem inuitũ acquieuisse principibus, quod & uerbis explicuit, scilicet nõ sibi liberũ esse ut quicquam principibus neget, iam uelut captus eorũ malitia & timore humano, potius audens præuaricari ius & ueritatem, uerbumq; dei prodere. Regum miseria.

6 Tulerũt ergo Ieremiã, & proiecerũt eum in lacũ Melchiæ filij Amélech qui erat in uestibulo carceris: & submiserũt Ieremiã in funibus: & in lacu non erat aqua, sed lutum: descendit itaq; Ieremias in cœnum.

In lacum abijciunt prophetã, tetrum & difficillimũ, ubi & luto immersus miserè hæret. Abiectio aũt fit demissione illius per funes, donec luto demergatur. In atrio autẽ uel uestibulo illius carceris habitabat illius custos Malchias, ueluti in turri domicilio habẽs, in qua subtus carcer horridus erat pro flagitiosioribus puniendis.

7 Audiuit autẽ Abdemélech Aethiops unus eunuchus qui erat in domo regis, quòd misissent Ieremiã in lacum, porrò rex sedebat in porta Beniamin.

8 Et egressus est Abdemélech de domo regis, & locutus est ad regem, dicens:

Clementia Aethiopis.

Clementior est hic Aethiops & extraneus in prophe tam ac seruus, quàm quisquã principũ in Israelitis, com patiens sancto uiro de morte periclitanti pro ueritate. Orationibus impetrauit facilè remissionem à rege, qui inuitus permiserat, quod nunc emendat, inconstans con silijs, quia angustijs premebatur, inter sacrũ & saxum positus, quia uerbo domini non fulciebatur.

9 Domine mi rex, male fecerunt uiri isti o mnia quæcunq; perpetrarunt contra Iere miam prophetã, mittentes eum in lacum, ut moriatur ibi fame: nõ sunt enim panes ultrà in ciuitate.

Perpenderat hic Aethiops, malitia principum inuito rege in atrotiorem carcerem, luto hærentẽ & fame ad mortem periclitantem prophetam sanctum coniectum: ideo attentius precatur & impetrat, seruus nimirum regis, melior & sapientior principibus.

10 Præcepit itaq; rex Abdemélech Aethio pi, dicens, Tolle tecũ hinc triginta uiros, & leua Ieremiam prophetam de lacu, an tequam moriatur.

11 Assumptis ergo Abdemélech secũ uiris, ingressus est domũ regis, quæ erat sub cel lario: & tulit inde ueteres pannos, & anti qua uestimẽta quæ cõputruerãt: & submi sit ea ad Ieremiã in lacum per funiculos.

12 Dixitq; Abdemélech Aethiops ad Iere miam, Pone ueteres pannos, & hæc scissa & putrida sub cubito manuũ tuarum, & subter funes: fecit ergo Ieremias sic.

13 Et extraxerũt Ieremiam funibus, & edu xerunt eum de lacu: mansit autẽ Ieremias in uestibulo carceris.

Adesse præcipit triginta uiros, ut & tutius eximere tur, & contra uoluntatẽ custodis uel aliorum impedire uolentiũ manus sufficiens adesset. Apparet enim clam principibus & custode sublatũ, satis humaniter demis sis ueteribus pannis, quibus ex alto lacu iam lutosus & æger commodius extraheretur, iam nunc in atrio custo diæ retinendus, non dimittendus.

14 ¶ Et misit rex Sedechias, & tulit ad se Ie remiam prophetã ad ostium tertiũ quod erat in domo domini: & dixit rex ad Iere miam, Interrogo ego te sermonẽ, ne ab scondas à me aliquid.

Ad introitũ uel uelum tertiũ aut subselliũ uocat rex prophetã, in aliquod ædificiũ templo uicinũ, quo secre tius illũ alloquatur. Hebræi dicũt, ad locũ qui occurrit uenientibus de domo regis ad domũ domini. Prodit au tem se hactenus nõ credidisse prophetæ uerbis rex tam anxiè nunc inquirens, quasi iam nunc illi primum cre diturus, si ueritatem à se nõ cælet, quam tamen ut nun quam cælauerat, sic nunquam illi creditũ erat.

15 Dixit autem Ieremias ad Sedechiam, Si annuntiauero tibi, nunquid non interfi ciendo interficies me? Et si consiliũ dede ro tibi, non me audies.

Tyrannum iamdudum rex egerat, & impatiens eras ueritatis audiendæ, quem etiam principes à furia reuo here non poterant, & hostis in primis prophetæ pro pter ueritatẽ, quam nunc minus audire posset, maximè illi infestã & ultima promittentẽ. Simili usus locutione propheta qua & Christus apud pontifices. Primùm au tem sub dubio quærit, sciens se non occidendũ: alterum certò pronuntiat, consiliũ dandum non auditurũ regẽ, quia perdendum sciebat.

16 Iurauit ergo rex Sedechias Ieremiæ clàm, dicens, Viuit dominus qui fecit nobis ani mam hanc, si occidero te, & si tradidero te in manus uirorum istorum qui quærunt animam tuam.

Propensè iurant tyrãni, sed audacter & facilè præ ua ricantur qui deum non timent. Clam principibus iu rat rex se prohibiturum omnibus modis ne ab illis occi datur, tantum ut nunc uerum audiat quod optaret fali brius. Agnoscit autem animarũ conditorem etiam rex licet impius, animã autem intelligit uitam & totam hu manæ personæ substantiam.

17 Et dixit Ieremias ad Sedechiam, Hæc di cit dñs exercituũ, deus Israël, Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, ui uet anima tua, & ciuitas hæc non succen detur igni: & saluus eris tu, & domus tua.

18 Si autem non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur ciuitas hæc in manus Chaldæorũ, & succendent eam igni: & tu non effugies de manu eorum.

Propheta semper sibi similis, eadem ex sententia do mini prædicit, & fideliter consulit saluti regis, si cre disset. Sic stabant utrinq; regis consilia, ut exciens Sede chias gratiam inuenire potuerit, ut & Iechonias; si persistens in perfidia euadere non potuit. Reus quisq; suæ perditionis & causa, quam excusare non potuit, sed per omne captiuitatis suæ tempus, agnoscere se coactus dedisse uolentẽ suæ calamitati, quamlibet omnia alia prouidentia gerebantur.

19 ¶ Et dixit rex Sedechias ad Ieremiã, So licitus sum propter Iudæos, qui transfu gerũt ad Chaldæos: ne fortè tradar in ma nus eorum, & illudant mihi.

Iam cõtra uoluntatẽ & in regis despectũ quidã defi uerant, obsequẽtes prophetæ uerbis, qui subsequẽti fide regi illusuri erant, quia æquè formidasset uinci, & non captiuitatis nõ coactus subierit, sed pro uita sua prodi derit regnũ & urbẽ. Hoc stultus uerebatur rex, malue contra deum & salutẽ periclitari & mori, quàm expo ni hominũ sannis, nõ adeò indignis, leuibus tamen. Sed & accusaturos se metuebat ad regẽ Babylonis de perfi dia fortassis consiliorũ & operum, propter quam acer satus occidendus esset, etiãsi se dederet regi Babylonis. Simpliciter & planè uerbo dei obedire nõ potuit, quia infidelis erat, & iudicio dei premebatur.

20 Respõdit autẽ Ieremias, & dixit ad eum, Non te tradent: audi quæso uocẽ domini, quam

quam ego loquor ad te, & bene tibi erit, & uiuet anima tua.

21 Quòd si nolueris egredi: iste est sermo, quem ostendit mihi dominus,

Quanquam non ignoraret propheta sententiam dei, clementiam tamen non minus sciebat, & conuersionis statum sperabat salutiferum futurum. Interim tamen iustitia & ueritas sibi obuiant, & prouidentiæ dei certitudo probatur. Audire autem uerbum domini nunquam nimis tarde contingit.

22 Ecce omnes mulieres quę remãserunt in domo regis Iuda, educentur ad principes regis Babylonis: & ipsæ dicent, Seduxerũt te, & prævaluerũt aduersum te uiri pacifici tui: demerserunt in cœno, & in lubrico pedes tuos, & recesserunt à te.

23 Et omnes uxores tuæ, & filij tui educentur ad Chaldæos: & non effugies manus eorum, sed in manu regis Babylonis capieris: & ciuitatẽ hanc comburet igni.

Facilius uerbo domini credebant pauidæ fœminæ, audientes se euasuras mortẽ, si desciscerent ad hostem Babylonicũ, has abituras prædicit, uel abijsse, propter quas & ipse procliuius sequi deberet: quæ & queruntur te tuis, quo minus sanis acquiesceres consilijs, ut plurus fuerit apud te fauor illorum, quàm affectus & amor uxorum. Eodem ergo cum illis luto hærebis, easdem cum illis fortunas experieris, miserè pariter tractandi à Babylonio, nisi acquieueris consilio meo & uerbo domini.

24 ¶Dixit ergo Sedechias ad Ieremiã, Nullus sciet uerba hæc, & non morieris.

Timebat rex principes, si resciissent solum prophetæ locutum regẽ, quorum consilijs obsequi tunc ut uidebatur, cogeretur, qui ad teremiæ interfectionem pertinacius instituri erant, si regem audissent tractum in consilium prophetæ, quem odiebant, Quia pereundum omnibus erat, ideo prophetæ aduersabantur.

25 Si autẽ audierint principes quia locutus sum tecum: & uenerint ad te, & dixerint tibi, Indica nobis quid locutus sis cũ rege, ne cæles nos, & non te interficiemus: & quid locutus est tecum rex:

26 dices ad eos, Prostraui ego preces meas coram rege, ne me reduci iuberet in domũ Ionathan, & ibi morerer.

27 ¶Venerunt ergo omnes principes ad Ieremiam, & interrogauerunt eum: & locutus est eis iuxta omnia uerba quæ præceperat ei rex, & cessauerũt ab eo: nihil enim fuerat auditum.

Mendacium officiosum erat pro rege & propheta saluandis à tyrannide impiorum principum, excusatione non indigens. Plena est enim etiam sanctorum uita imperfectionibus, & timor talium principum cadit in uiros etiam constantes. Erubescebat rex colloqui sancto prophetæ et obedire principibus maluit quàm deo, mercedem igitur pusillanimitatis & stulti timoris recepit.

Prophetæ imperfecti.

28 Mansit uerò Ieremias in uestibulo carceris, usque ad diem quo capta est Ierusalem: & factum est ut caperetur Ierusalem.

Sors admodum difficilis seruorum dei in hoc mundo, quod exponuntur improbitatibus impiorum, ut donec illis bene sit, ipsi aduersitatibus adigantur, & dum impiorum ciuitas stat, & pacem habet, prophetæ patiuntur. At facilius est gentem & regna exterminari, quàm uerbum domini excidere, & prophetarum constantiam frangi. Consolatur dominus piorum miseriam cum pernicie peccatorum. Sors difficilis seruorũ dei.

¶CAPVT XXXIX.

1 ANno nono Sedechiæ regis Iuda, mense decimo, uenit Nabuchodonosor rex Babylonis, & omnis exercitus eius ad Ierusalem, & obsidebant eam.

2 Vndecimo autem anno Sedechiæ mense quarto, nona mensis aperta est ciuitas.

3 Et ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, & sederunt in porta media, Nergel, Serèser, Semegar, Nabu, Sarsachim, Rabsares, Nergel, Serèser, Rebmag, & omnes reliqui principes regis Babylonis.

Incipit narrare quid sibi acciderit capta urbe, ideoq; ueluti per egressionem breuibus narrat quomodo capta sit, ferè eisdem sententijs ut legitur 4. Regum 25. Anno nono obsidionem cepit rex Babylonis, quo & rex Aegypti auditus est instruxisse exercitum, secundum fœdus à regibus inutum, sed repulsus rediit, ipse Aegyptũ, Babylonius aũt contra Hierosolymam bellaturus: quam non statim assequutus est, ut fame & peste prius secundum uerbum domini Iudæi adfligerentur. Vndecimo autem anno regni Sedechiæ perrupit muros, et urbem inuasit, ac loca magistratus occupauit uictor, principes scilicet Nabuchadnezer regis Babylonis, quorum singillatim nomina recitantur, siue personarum fuerint, siue ut uidetur officiorum. Ii enim inter duas portas exteriorem & interiorem in loco senatorum sedebant, ut domini urbis facti, quam & uastaturi erant & spoliaturi.

4 Cumq; uidisset eos Sedechias rex Iuda, & omnes uiri bellatores, fugerũt: & egressi sunt nocte de ciuitate per uiam horti regis, per portam quæ erat inter duos muros, & egressus est ad uiam deserti.

Cum hostem uidisset superiorem factum, obtinuisseq; urbem & desperatam sibi uictoriam rex Sedekias, & reliqui quoq; bello apti uiri, fugam meditati sunt, noctu ut poterant urbem egressi per recessum aliquem secretiorem, cuius introitus erat in horto regio, inter duos muros ueluti subterraneo specu uia cõstituta, quam nemo subintrare potuerit nisi rex & sui, ut soli regi tuta fugiendi opportunitas seruaretur, & tanto tutior illi esset tyrannidis sæuitia, in qua tamen semper timeret. Tendebat autem rex elapsus urbe ad campestria uersus Iordanem, unde & Babylonij uenerant, à qua tamen tu

tiori uia aliquando deflexurus erat uersus Edom uel Aegyptum ad suos complices.

5 Persecutus est autem eos exercitus Chaldæorum: & cõprehenderunt Sedechiam in campo solitudinis Ierichontinæ, & captum adduxerunt ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Reblátha, in terram Emath: & locutus est cum eo iudicia.

Proditione familiarium, qui desciuerant prius, captus est eo itinere à Babylonijs Sedekias, in cãpestribus quæ Iericho ducũt, abductusq; est captiuus ad Reblatha, tũc dictam urbem, postea Antiochia: ubi & capitalẽ actionem instituit in Sedekiam.

6 Et occîdit rex Babylonis filios Sedechiæ in Reblátha, in oculis eius: & omnes nobiles Iuda occîdit rex Babylonis.

7 Oculos quoq; Sedechiæ eruit: & uinxit eũ cõpedibus, ut duceretur in Babylonẽ.

Iustitia dei. *Piget nos aliquando diuinæ indulgentiæ in improbos, sed cum peccatorum uim & diuturnitatem pœnæ magnitudine rependit, iam discimus recte eum omnia facere: hic sanè geritur crudele spectaculum, ut filios trucidare uideat oculis mox eruendis, ut postremum quod uidisset, speciem memoriæ imprimeret miserandæ necis liberorum, perpetuò duraturam: uinctum quoq; æneis catenis ire compulit Babylonem.*

8 Domum quoq; regis, & domum uulgi succenderũt Chaldæi igni: & muros Ierusalem subuerterunt.

9 Et reliquias populi, quæ remanserant in ciuitate, & perfugas qui transfugerant ad eum, & superfluos uulgi, qui remanserant: transtulit Nabuzardan magister militum in Babylonem.

Regia palatia, ædes publicæ, & quicquid illustre in urbe fuerat, igne absumptum est, muri ciuitatis euersi, populus à cæde, fame & peste residuus, translatus est Babylonem captiuus, & quicquid propheta futurũ prædixerat impij superstites senserũt perfectum: ueritatem dei in pace spretam, admirati sunt & perpessi in pœna.

10 Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan magister militum in terra Iuda: & dedit eis uineas & cisternas in die illa.

Egeni, senes, & imbecilli, qui nullius momenti habiti fuerant à ditioribus, ij nunc tutiores sunt: subduntur autem laboribus, seruitium laboriosum hostibus alienigenis exhibituri, uineas & torcularia curaturi, in usum regis Babylonis, quorum opera non indigebat in Chaldæa, utq; è terra fructus aliquis Babylonio rediret infelicitate eorum.

11 Præceperat autẽ Nabuchodonosor rex Babylonis de Ieremia, Nabuzardan magistro militiæ, dicens,

12 Tolle illum, & pone super eum oculos tuos, nihilq; ei mali facias: sed ut uoluerit, sic facias ei.

13 Misit ergo Nabuzardan princeps militiæ, & Nabuserbã Rab sares, & Neregel, & Sereser & Reb mag, & omnes optimates regis Babylonis,

14 miserunt, & tulerunt Ieremiam de uestibulo carceris, & tradiderũt eum Godoliæ filio Ahicam, filij Saphan, ut educeret eum ad domum, & habitaret in medio populi.

Curæ deo sunt pij semper, utcunq; sors incidat. Ex ea [illegible] ptius multi sciebant Ieremiæ consilium pro Babylonio, quod & profuisset Iudæis, si acquieuissent: per hos mirum prouidentia dei edoctus rex de Ieremia disposuit fauorabiliter, ut libere uersari posset pro uoto, uel quo uellet transire. Eductum de carcere præfecto prouinciæ commendauit. Exemplum est clementiæ dei, & fidutiæ seruorum dei, ne in tribulationibus desperemus de consolatione futura à domino.

15 ¶ Ad Ieremiam autem factus fuerat sermo domini, cum clausus esset in festibulo carceris, dicens,

16 Vade et dic Abdemélech Aethiopi, dicẽs, Hæc dicit dominus exercituum deus Israël, Ecce, ego inducam sermones meos super ciuitatẽ hanc in malum, & non in bonum: & erunt in conspectu tuo in die illa.

17 Et liberabo te in die illa, ait dñs: & nón tradêris in manus uirorũ, quos tu formidas.

18 sed eruens liberabo te, & gladio non cades: sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait dominus.

Memor est dominus suorum. Hunc Abdemelech Aethiopem deus ob humanitatẽ prophetæ exhibitam per omnia discrimina seruat. Ne ergo cessemus in ope dei, isto uolente occidere nullæ munitiones & arma seruant, isto uolente seruare nullæ poterunt custodes occidere. Non caret mercede sua pietas & clementia in miseros. Is alienigena Aethiops gratiã reperit ante deum, ut seruus regis tyrannici ob præstitum prophetæ officium in nomine prophetæ, mercede non careat etiam in præsenti, ut cæteri discant colere uerbum dei & prædicatores illius, discant misericordiæ opera quibus sanctificatur deo. Nihil irremuneratum deus sinit quod pia & fideli mente perficitur. Solus è regis seruis euasit, quia domino credidit & prophetæ benefecit.

¶ CAPVT XL.

1 SErmo qui factus est ad Ieremiam à domino, postquam dimissus est à Nabuzardan magistro militiæ de Rama, quando uinctum catenis in medio omnium qui migrabant de Ierusalem & Iuda, & ducebantur in Babylonem.

2 Tollens ergo princeps militiæ Ieremiã, dixit ad eum, Dominus deus tuus locutus est malum hoc super locum istum.

Quædam in capite superiore breuiter dicta sunt de cõstitutione regis circa Ieremiam in genere, sicut & de Abde

Abdemelech. Hic ad longum & sufficiētius describitur status rerum Iudaicarum. Primum, quomodo inter captiuos ductus Ieremias, nimirum uolens, ut catenis non indiguerit: noluit tamen omnibus alijs captis liber & uelut gaudens incedere, sed cum fratribus captis captus incedere, & dolentibus condolere. Agnitum autē inter captiuos Nabusardan alloquitur de uoluntate regis, modo qui sequitur. Ex quo statim discitur gentes deo deuotiores futuros destructo Iudaico statu quàm florēte. Iam enim quæ reges & populus Iuda credere noluerūt, hic regis princeps & seruus liberè confitetur, & uictoriā loci illius dño deo Israël iusto & uero acceptam refert, & iniquitati, rebellioni & perfidiæ Iudæorū, qui prophetis suis à deo missis credere noluerint, qui diu anteq̄ fierent prædixerant aliquando futura.

Offices meliores Iudæis.

3 & adduxit: & fecit dñs ficut locutus est: quia peccastis domino, & non audistis uocem eius, & factus est uobis sermo hic.

Promissorū dei ueritas.

Ostendit dominus promissorum ueritatē infallibilem & iustitiā, qui populū suum de peccatis suis resipiscere nolentem tam crebro admonitum dignè punierit, & in miserias præsentes statuerit. Creditū enim omnibus semper gētibus fuit, propter peccata immitti tam duras hominibus calamitates. Sed hic insuper audierat à Iudæis diutū captis quæ Ieremias egerit, dixerit, & passus pro ueritate iam agnita fuerit.

4 Nunc ergo ecce solui te hodie de catenis quæ sunt in manibus tuis: si placet tibi ut uenias mecū in Babylonē, ueni, & ponam oculos meos sup te: si autē displicet tibi uenire mecū in Babylonē, reside: ecce omnis terra in cōspectu tuo est, quò placuerit tibi ut uadas, illuc perge.

Absoluit publicè à uinculis dux prophetam in exemplum alijs, ut discerent spontè obedire regi Babylonis: cuius alioqui non legitur singularis ferocitas maximè in deuictos. Nec solū absoluit à compedibus, sed permittit uoluntati uel pergere Babyloniam, uel ubi uelit in terra Iudaica habitare, uel cum præside Godolia bono uiro, Iudæis pro consolatione donato, si non eo se præbuissent indignos.

Godoliæ uirtus.

5 Et necum noli uenire, sed habita apud Godoliam filium Ahicam filij Saphan, quem præposuit rex Babylonis ciuitatibus Iudæ: habita ergo cum eo in medio populi: uel quocūq̄ placuerit tibi ut uadas, uade. Dedit quoq; ei magister militiæ cibaria, & munuscula, & dimisit eum.

Adhuc Ieremia non respondente, & ueluti cunctante si procedere uellet uel reuerti, cernens Nabusardan propensiorem eum ad redeundum, iussit eum redire, & apud Godoliam uel ubi placeret in terra permanere, cum reliquis superstitibus Iudæis, quibus Iudæū uirum bonum fidelem & innocentē gentis suæ fautorem præfecit. Sic enim reges decet nouis populis cum clementia imperare, & beneficijs conciliare. Hunc deniq; Ieremiam remisit non uacuum, sed honorario munere & sufficienti uictu prouisum.

6 Venit aūt Ieremias ad Godoliā filiū Ahicam in Masphath, & habitauit cum eo in medio populi, qui relictus fuerat in terra.

Apud maiorem cœtum Iudæorum iam destructa Hierosolyma, cū præside habitare elegit propheta fidelis, pastor residui pusilli gregis, ad consolationem tam populi quàm præfecti.

7 ¶ Cumq̄ audissent oēs principes exercitus, qui dispersi fuerāt per regiones, ipsi & socij eorū, quod præfecisset rex Babylonis Godoliā filiū Ahicam terræ: & quod commendasset ei uiros & mulieres, & paruulos, & de pauperibus terræ qui nō fuerant translati in Babylonem:

Præter uerbum domini conueniebant iterum, qui dispersi erant in uicinas regiones, sed sine prophetia nihil perficitur. Ratum erat apud deum terram uastandam, & septuaginta annis sabbata obseruaturam, ideo ad hoc impendūt omnia fata Iudaicæ gentis, ut uerbo domini increduli factis & suo malo erudiantur de malitia proprij sui sensus.

8 uenerunt ad Godoliam in Masphath, & Ismahel filius Nathaniæ, & Iohanan, & Ionathan filij Caree, & Sareas filius Thanehumeth, & filij Ophi, qui erāt de Netophathi, & Iezonias filius Maachathi, ipsi & uiri eorum.

Inter multos simplici cōfluentes animo, adueniebant etiā impij & magis sui cōmodi & honoris gratia, ambitiosi & patriæ proditores, & iusto uiro insidiatores: quas insidias sanctus propheta præuenire non sinitur, ideo reuelationē de hoc propheticā nō accipit. Sic enim ut factū est, dominus futurū per prophetā prædixerat. Non semper spiritus prophetas inspirat, nec omnia, sed ad domini uoluntatem omnia gubernantis.

9 Et iurauit eis Godolias filius Ahicam filij Saphan & comitibus eorum, dicēs, Nolite timere seruire Chaldæis, habitate in terra, & seruite regi Babylonis, & bene erit uobis.

Securitatem promisit Godolias omnibus conuenientibus, si simpliciter & pacificè sine studio seditionum sibi consentientes regi Babylonio seruiant, ut cæteræ omnes circumpositæ nationes, quandoquidem sic domino id placere cernerent: cui & propheta Ieremias concordabat. Ferenda est enim manus domini, & pœna peccatorum non abijcienda.

10 Ecce ego habito in Masphath, ut respondeam præcepto Chaldæorū qui mittūtur ad nos: uos aūt colligite uindemiā, & messem, & oleum, & cōdite in uasis uestris, & manete in urbibus uestris quas tenetis.

11 Sed & omnes Iudæi qui erant in Moab, & in filijs Ammon, & in Idumæa, & in uniuersis regionibus, audito quod dedisset

rex Babylonis reliquias in Iudæa,& quod præposuisset super eos Godoliam filium Ahicam filij Saphan:

12 reuersi sunt,inquam,oēs Iudæi de uniuersis locis ad quæ fugerāt, & uenerūt in terram Iuda ad Godoliā in Masphath, & collegerūt uinū,& messem multā nimis.

Constitutus erat ad culturam terræ solicitandam per Iudæos, ad quæ colligenda suo tempore Chaldæi mitterentur,confiscanda ad usum publicum regni, more populorum bello deuictorū, qui seruituti subijciuntur,ne denuò ditati rebellare studeant,non tamen competenti fructu laborū fraudandi. Sic enim superbos & insolentes populos dñs redigit in ordinē,humiliat & emendat, & gratiæ beneficiorumq; suorum facit gratos in paupertate, qui in diuitijs cœperāt lasciuire, & deū suum contemnere. Non semper iræ diuinæ indiciū est,sed disciplinæ paternæ, afflictio gentiū ab hostibus uastatoribus immissis. Non semper prosperitas prodest:sed intellectum sensumq; restituit sæpe uexatio.

Humiliatio superborū.

13 ¶ Iohanan aūt filius Caree,& oēs principes exercitꝰ, qui dispsi fuerāt in regionibus,uenerūt ad Godoliā in Masphath,

14 & dixerunt ei,Scito q̄d Baalis rex filiorū Ammon misit Ismahel filium Nathaniæ percutere animam tuam. Et non credidit eis Godolias filius Ahicam.

Ismaël hic de semine regio extabat, qui turbatis rebus aufugerat ad regem Ammonitarū,fortaßis ob necessitudinem aliquam ex affinitate maiorum contracta. Qui nunc audiēs Godoliam à Babylonio præfectū reliquijs, & confluere indies uidens Iudæorū plures,aspirauit ad præfecturam,uel regnum restituendum, ideoq; molitur per insidias occidere probum Godoliam. Hoc cum innotuisset Iohanni filio Caree, consiliū malignum retexit. Sed quia nullas ibi restare reliquias deus uolebat,ideo non credidit uera monenti uir bonus, sed tantam audaciam non est ueritus in tam cōculcata & misera gente. Sic enim geruntur prouidentiæ dei opera, ut impediri non possint,nec à bonis nec malis.

15 Iohanan aūt filius Caree,dixit ad Godoliam seorsum in Masphath,loquēs,Ibo,& percutiā Ismahel filium Nathaniæ nullo sciēte: ne interficiat animā tuā,& dissipentur omnes Iudæi qui cōgregati sunt ad te, & peribunt reliquiæ Iuda.

16 Et ait Godolias filius Ahicā ad Iohanan filiū Caree,Noli facere uerbū hoc, falsum enim tu loqueris de Ismahel.

Zelabat pro uiro bono ,pro reliquijs seruandis, pro obediētia colenda ad regē Babylonis,impedire cupiens innocentis occisionē, deliberat & suadet impij & ambitiosi latronis occisionem, sed non permittit uir iustus quenquam occidi, ob timorem tantū mali sine ordine iustitiæ per insidias. Vult enim uir bonus magis occidi ab impio, quàm iniustè occidere quenquam: nō enim credebat uir innocens uera dici. Nō quidem facilè mala credenda paßim: docet tamen hoc exemplum cautelam ad eos qui deferūtur,ut nec credantur facilè omnia,nec tamen negligātur,sed commodè periculis obuietur. Hic autem obstat uerbū domini: perdendi enim erant quotquot sine uerbo dei præsumebant Iudæam incolere iam damnatam ad solitudinem.

¶ CAPVT XLI.

1  Tfactum est in mense septimo, uenit Ismahel filius Nathaniæ, filij Elisama de semine regali, & optimates regis, & decē uiri cum eo ad Godoliam filium Ahicam in Masphath, & comederūt ibi panes simul in Masphath.

Mensis septimus supputādus non à uastatione urbis, sed à principio anni in Septembri. Venit ambitiosus Ismaël,q in miserrimo statu Israëlis stultitiā imò malitiā ambitionis exercere ausus est: quid ille in augustioribus rebus præsumpsisset? tanta hominū stultitia. Attulerat regis Ammonitarum optimates, qui spectaculo crudelis adessent, fautores & auxiliarij. Nec decem tantum uiri aderant,sed principales tantū in strage & cōuiuatores decem erant,alioqui pauci uiri tantū malum conficere non potuissent. Symbolum charitatis & amicitiæ uocant in occasionem latrocinij & proditionis.

2 Surrexit autē Ismahel filius Nathaniæ, & decē uiri qui cum eo erant: & percusserunt Godoliā filium Ahicam filij Saphan gladio,& interfecerūt eum:quem præfecerat rex Babylonis terræ.

3 Omnes q̄q; Iudæos,qui erāt cum Godolia in Masphath,& Chaldæos q reperti sunt ibi,& uiros bellatores percussit Ismahel.

4 Secundo autem die postquam occiderat Godoliam nullo adhuc sciente,

5 uenerūt uiri de Sichem, & de Silo,& de Samaria octoginta uiri, rasi barba, & scissis uestibus, & squalentes, & munera & thus habebant in manu, ut offerrent in domo domini.

Atrox facinus,præsidem tantæ monarchæ aggredi in propria urbe, inter cōuiuantes, ut nusquam tutā fidem arbitremur,& quibus hostis pepercerat, hos frater & amicus interficit, quasi in odiū propriæ gentis, quæ in tanta rerū calamitate iuuanda fuerat nō uastanda. Apparet enim multos occidisse, omnes scilicet Iudæos, qui cum Godolia fuerāt, & de Chaldæis quoq; quosdā, qui uelut prouintiæ tutores à rege Babylonis Godoliæ iuncti fuerāt. Id autem à solis decē fieri nō potuit, sicut octoginta uiros, de quibus nunc subditur, quod uenerint de Sichem,Silo & Samaria, ad sacrificandū domino in Mazpha,ubi oratoriū & aram Godolias reliquijs magnoris erexerat. Veniebāt attōsi barbā, & scißis uestibus, tristes ac lugentes miseram faciem Iudæ, Ierusalem & templi. Iam enim religiosiores esse cœperāt, dominū colendo sacrificijs,quàm dum extaret templū: sic semper negata cupimus,& in uetitum nitimur.

Egreſ-

6 Egressus ergo Ismahel filius Nathaniæ in occursum eorũ de Masphath, incedens & plorãs ibat: cum autẽ occurrisset eis, dixit ad eos, Venite ad Godoliã filiũ Ahicam.

7 Qui cum uenissent ad medium ciuitatis, interfecit eos Ismahel filius Nathaniæ circa mediũ laci, ipse & uiri qui erãt cum eo.

Sonat litera, quasi Ismaël occurrẽs his uiris eũdo fictè maligneq; fleuerit, quasi dolẽs cũ illis uastitatẽ terræ ac malignitas templi, ut ab eo minus sibi cauerẽt. Nihil enim nõ potest malignitas ambitiosa & crudelis. Vocat autẽ eos ad Godoliam occidẽdos intra urbẽ, ubi & occidit pariter oẽs ipse & sui complices, non sanè tantũ decem.

Malignitas templi.

8 Decem autẽ uiri reperti sunt inter eos, q̃ dixerunt ad Ismahel, Noli occidere nos: quia habemus thesauros in agro, frumenti, & hordei, & olei, & mellis. Et cessauit: & non interfecit eos cum fratribus suis.

Auaritia uictus seruauit decẽ ab homicidio: sic malũ malitia uincitur. Nõ enim occidit eos decẽ cum reliquis socijs, qui hic fratres dicuntur Hebraico more.

9 Lacus autẽ in quem proiecerat Ismahel omnia cadauera uirorum, quos percussit propter Godoliam, ipse est quem fecit rex Asa, propter Baasa regẽ Israël: ipsum replenit Ismahel filius Nathaniæ occisis.

Hic lacus aliqua ratione non scripta in diuinis literis, factus fuit intra urbẽ Mazpha à rege Asa, cõtra Baasa regem Israël. Hunc lacum Ismaël implcuit cadaueribus malignè & miserè occisorum.

10 Et captiuas duxit Ismahel oẽs reliquias populi, qui erãt in Masphath: filias regis, & uniuersum populum qui remanserat in Masphath: quos cõmẽdauerat Nabuzardan princeps militiæ, Godoliæ filio Ahicam. Et cepit eos Ismahel filius Nathaniæ: & abijt, ut transiret ad filios Ammon.

Nõ cõtentus tot malis, reliquos utriusq; sexus & ætatis cepit, & captiuos abducere tentauit in seruos & ancillas in terrã Ammonitarũ. Satis etiã posteris illis secunditarũ cõtra Israëlẽ, ut nõ gratis deus toties præceperit eos oẽs occidi, sicut & Amalechitas, qui misericordia nulla moueri poterãt in Iudæos tam miserè tractatos, qn atrociores se hostes illis exhibebãt quàm Chaldæi.

11 ¶ Audiuit autem Iohanan filius Caree, & omnes principes bellatorum qui erant cum eo, omne malũ quod fecerat Ismahel filius Nathaniæ.

12 Et assumptis uniuersis uiris, profecti sũt ut bellarent aduersum Ismahelem filium Nathaniæ: & inuenerunt eum ad aquas multas, quæ sunt in Gabaon.

13 Cumq; uidisset omnis populus qui erat cum Ismahel, Iohanan filium Caree, & uniuersos principes bellatorum qui erant cum eo, lætati sunt.

14 Et reuersus est omnis populus, quem ceperat Ismahel in Masphath: reuersusq; abijt ad Iohanan filium Caree.

15 Ismahel autẽ filius Nathaniæ fugit cum octo uiris à facie Iohanán, & abijt ad filios Ammon.

16 ¶ Tulit ergo Iohanan filius Caree, & omnes principes bellatorũ, qui erãt cum eo, uniuersas reliquias uulgi, quas reduxerant ab Ismahel filio Nathaniæ de Masphath: postquam percussit Godoliam filium Ahicam: fortes uiros ad prælium, & mulieres, & pueros, & eunuchos quos reduxerat de Gabaon:

Melior quidem Iohanan hic erat quàm Ismaël, sed tamen non bonus ipse quoq; deprehẽdetur in sequẽtibus. In totũ gentem hanc abijcere dominus decreuerat, ideo nullus se emendabat. Hic tamen uiriliter agit pro populo dei, sicut & ante fideliter Godoliam monuerat. Audiens enim tantũ facinus, nihil cunctatos socios superstites bellatores colligit, proficiscituŕq; ad debellandum Ismaëlem, & spolijs fratrum exuendum, quod & fit, domino iuuante, prope Gabaon, iuxta piscinas aquarũ, sponte sese illi dedentibus & gaudentibus uinci, qui iam capti ducebantur ab Ismaële, qui & octo solum socijs comitatus euasit, impietate captus, & ad sibi similes nequam populos fugiens & saluatus.

Iohanan uir nõ malus.

17 & abierunt, & sederunt peregrinãtes in Chamaam, quæ est iuxta Bethlehem: ut pergerent, & introirent Aegyptum

18 à facie Chaldæorũ: timebant enim eos, quia percusserat Ismahel filius Nathaniæ Godoliam filium Ahicam, quem præposuerat rex Babylonis in terra Iuda.

Veluti peregrini isto die captiuitate euasi consederunt in loco, qui iuxta Bethlecm, dicto Chamaam, qui olim nomen cõsecutus est à filio Berscllai. Ibi pauidi & trepidi consederunt, quò se uerterent nescij, quia consistere in terra non audebant, ob præsidis Godoliæ & Chaldæorum stragem, quam rex Babylonius non sine uindicta dissimulaturus credebatur, & etiam innocentes obruiturus, antequam gestæ rei ordinem didicisset, ex furore non indigno. Tandem ergo Aegyptum adire decernunt, fato sinistro, domini iudicio undiq; illos urgente pro illorum contumacia, quam etiã in periculis ultimis deponere non potuerũt, sed semper perrexerũt rebelles et increduli deo et prophetis suis. Impius enim dum in profundũ mali incidcrit, cõtemnit, scilicet deũ, & omnia, nec emẽdari potest proiectus à domino. Speeimen eius gentis Iudæi hodierni tenent.

Fatum sinistrum ex peccato.

¶ CAPVT XLII.

1 ET accesserunt omnes principes bellatorum, & Iohanan filius Caree, & Iezonias filius Osaiæ, & reliquum uulgus à paruo usque ad magnum:

Communi uoto prophetã anxij inquirũt, pro se orari

precãtur, & uoluntatẽ domini discere, cũ tamen obfirmato animo statuissẽt agere quod egerũt cõtra prophetæ admonitionẽ, & clarũ uerbũ dei, quod illis peßimè cedit. Necessariũ quidẽ populo est prophetæ officium, sed multò magis ut obediatur illi, & uiolentia nulla tractetur, sed reuerenter ut amicus dei & pater plebis colatur, magisterq; regum habeatur & principum.

Prophetia & obedientia.

2 dixerũtq; ad Ieremiam prophetã, Cadat oratio nostra in conspectu tuo: & ora pro nobis ad dñm deũ tuũ pro uniuersis reliquijs istis, quia derelicti sum⁹ pauci de plu ribus, sicut oculi tui nos intuentur:

3 & annũtiet nobis dñs deus tuus uiã per quam pergamus, & uerbũ q̃d faciamus.

Humiliter aggrediũtur & orãt pro se dominũ orari, agnoscunt manũ domini, & sua peccata, paucißimos se relictos ex multis: sed non minuũt de dura ceruice sua, uolentes sibi alia non prædici à propheta, quàm quæ uelint & iam faciẽda elegerint: pollicẽtur se obsequuturos prophetæ, sed si placentia dicantur.

4 Dixit autẽ ad eos Ieremias propheta, Audiui: ecce ego oro ad dominum deum uestrum secundũ uerba uestra: omne uerbũ quodcũq; respõderit dñs uobis, indicabo uobis: nec celabo uos quicquam.

Ex modo loquẽdi prænosse Ieremias uidetur Iudæorũ pertinaciã, qua institutũ de pergẽdo in Aegyptũ nõ sint obmissuri, quod cõtra legẽ dei præsumpserãt: ubi cauetur, ne unquam redeat populus in Aegyptum, iam tunc præscius Moses spiritu dei, manere hunc populum in Aegypto reliquiarum ultimum exterminium, quod & factum est. Audiui quidẽ quid loquamini, & orabo pro officio, & ut uultis, ad deum uestrũ quoq;, quem meum nominastis. Nec aliud responsurum me prædico, quàm quod dominus iusserit pro uobis, nihil addam, nihil minuam, hoc est enim officium ueri prophetæ.

5 Et illi dixerũt ad Ieremiam, Sit dñs inter nos testis ueritatis & fidei, si nõ iuxta omne uerbũ in quo miserit te dominus deus tuus ad nos, sic faciemus:

Duri Iudæi

Semper hic populus ad spõdendũ procliuis, & ad stãtuendũ promissa durus & immorigerus legitur, nõ sine suo damno. Iurant temerè, & dñm testem falso aduocãt ueritatis & firmitatis. Id quoq; ferè semper usu uenit, ut qui plura uoueãt, pauciora seruẽt & impleãt. Præstat nõ uouere, quàm deuota negligere. Et seruus domini agnitã uoluntatẽ non faciens, uapulabit multis.

6 siue bonũ est, siue malũ, uoci dñi dei nostri ad quẽ mittim⁹ te, obediem⁹: ut bñ sit nobis cũ audierimus uocẽ dñi dei nostri.

Bonum & malũ intelligũt gratũ & aduersum: multi sunt in pollicẽdo, nulli reddẽdo. Produnt autẽ uerbis hypocrisim, addentes quatenus benefaciat nobis dñs propter bonũ nostrũ, quod ipsi temporalẽ intelligũt prosperitatem, pro qua assequenda dño semper multa promiserunt seruili proposito, non amore filiali, quem solum approbat dñs, & quem nunquã præstiterũt. Quin & hodie non nisi suam gloriã & temporalia sperant, uiduanè semper desiderãt, sui semper similes Iudæi.

Hypocrisis Iudæorum.

7 Cum autẽ completi essent decem dies, factum est uerbũ domini ad Ieremiam.

8 Vocauitq; Iohanan filium Caree, & oẽs principes bellatorũ q erãt cũ eo, & uniuersum pupulum à minimo usq; ad maximũ.

Decẽ diebus orat propheta anxius dñm, quod obstinatiam populi tardius audiret dñs, & se tanto tempore nõ intelligeret exauditũ, nolletq; orãdo desistere, donec de uolũtate dñi certior redderetur, docẽs non cessandũ ab oratione, exemplo etiã Christi, pernoctantis in oratione, si non mox exaudiat dñs: interim expectat populus, & loco nõ mouetur. Decem diebus fuerũt sine illo commodo, potuissent diutius perstitisse, propheta ut rentur, quem cupiunt audire grata promittentem.

9 & dixit ad eos, Hæc dicit dñs deus Israẽl, ad quem misistis me, ut prosternerem preces uestras in conspectu eius,

10 Si quiescẽtes mãseritis in terra hac, ædificabo uos, & nõ destruã: plantabo uos, & non euellã: iam enim placatus sum super malo quod feci uobis.

Præstruit oratione exacta ad alliciẽdũ populũ ad obedientiã, quia ab illis submissus sit, & ad dñm deũ ipsorum, & quod orauerit anxie, id autẽ solum inquisitorum, & quod illi cõmiserant. Id autẽ respõsum illis à domino, ut omnino in terra sibi data perseuerent quandiu postea, ubi & augẽdi sint plurimũ, quanquã nunc paucissimos se cõspiciant relictos, & feliciter uicturos promittit, si perpetuò perseueraturos, tutos à regis ira, cõsolatio quoq; plurimũ post tot tristia perpessa: qd illis gratum promitti poterat? quid aliud desiderare debebant?

11 Nolite timere à facie regis Babylonis, quẽ uos pauidi formidatis: nolite metuere eum, dicit dñs: quia uobiscum sum ego, ut saluos uos faciã, & eruam de manu eius,

12 & dabo uobis misericordias, & miserebor uestri, & habitare uos faciam in terra uestra.

Cõsolatur multis, & ex omni parte fidelis propheta, ut prorsus nõ timeãt Babyloniũ, non enim hi præsentes rei erant malicommissi contra regem, sed pars fuerunt inuiti aduersa. Deniq; præsentia dei promittitur, & tutelus ab aduersarijs omnibus, tantum uaturat oratio nostra prolixa prophetæ: tanta obedientibus prophetis bona promittuntur: tam pronus dominus ad benefaciendum fidelibus, sed obedientibus uerbo suo.

13 Si autẽ dixeritis uos, Nõ habitabimus in terra ista, nec audiem⁹ uocẽ dñi dei nostri,

14 dicẽtes, Nequaquã, sed ad terrã Aegypti pergemus: ubi non uidebimus bellum, & clangorẽ tubæ nõ audiemus, & famẽ non sustinebimus: & ibi habitabimus.

Multa & magna promiserat bona si obsequerentur, nunc ad omnem excusationem tollendam, aduersa quæ manerent non obedientes enumerat, & ueluti perstrin-

tum

tum præscius futurorum recenset præcise illorum uota & uerba contra dominum & eius præceptum. Non enim ignorabat genium gentis non sine damno suo edoctus propheta, quia sibi plurima pollicerentur bona in Aegypto, pacem, tutelam, cibum, & habitationes, aureos sibi montes fingebant.

15 Propter hoc nunc audite uerbum domini reliquiæ Iuda, Hæc dicit dominus exercituum deus Israël, Si ponendo posueritis faciem uestram ut ingrediamini Aegyptũ, & intraueritis ut ibi habitetis:

16 gladius quem uos formidatis, ibi comprehendet uos in terra Aegypti: & fames pro qua estis soliciti, adhærebit uobis in Aegypto, & ibi moriemini.

17 Omnesq; uiri, qui posuerunt faciem suã ut ingrediantur Aegyptum, ut habitent ibi, morientur gladio & fame, & peste: nullus de eis remanebit, nec effugiet à facie mali quod ego afferam super eos.

18 ¶ Quia hæc dicit dominus exercituum, deus Israël, Sicut conflatus est furor meus, & indignatio mea super habitatores Ierusalem: sic conflabitur indignatio mea super uos, cum ingressi fueritis Aegyptum: & eritis in iusiurandũ, & in stuporem, & in maledictũ, & in opprobrium: & nequaquam ultra uidebitis locum istum.

Multis loquitur uerbis, ut omni ex parte urgeat ad manendum in paterna illis permissa hæreditate, & ne Aegyptum ingrediantur, acerbissima minitando si ire perrexerint, bellũ scilicet, & gladium foracem, famem & mortem, exterminium, & omne malum. Nihil obstitit fidelis propheta, quod pertineat ad salutẽ gentis. Exemplo quoq; recenti & horribili mouere nititur, ut uerbis suis non diffidant, et dei ueritatẽ suo malo edocti non contemnant, sciant & sentiant quid ob inobedientiam passi sint, Hierosolyma illa uastata, quia prophetæ uerbis acquiescere noluissent: non dubitent nunc quoq; futuros eos in Aegypto maledictionem, horrorem, contumeliam, opprobrium omnibus, & in uniuersum consumendos, nunquamq; patriam suam uisuros.

19 Verbũ domini super uos reliquiæ Iuda, Nolite intrare Aegyptum: scientes scietis

20 quia obtestatus sum uobis hodie quia decepistis animas uestras: uos enim misistis me ad dominũ deum uestrum, dicẽtes, Ora pro nobis ad dominũ deum nostrum, et iuxta oĩa quęcunq; dixerit dñs deus nr̃r̃, et annuncia nobis, & faciemus.

21 Et annunciaui uobis hodie, & non audistis uocem domini dei uestri super uniuersis pro quibus misit me ad uos.

22 Nunc ergo sciendo scietis quia gladio & fame & peste moriemini in loco ad quem uoluistis intrare ut habitaretis ibi.

Vehementior exhortatio comminisci proponiq; non

posset, quàm hic propheta Ieremias populo loquitur, omnem uelut lapidem mouens quò persuadeat, ex præcepto domini omnia se loqui contestatus ad reliquias Iuda, ne Aegyptum ingrediantur, sintq; per omnia mexcusabiles si sibijpsis omnia mala aduocauerint inobedientia sua, qui obedientiã tantopere promiserãt, et nunc minime sint præstituri: hoc enim futurum cernebat etiã tum loquens, ex signis uultuum & gestu corporis, non alioqui ignarus contumaciæ illorum. Inculcat ergo repetitionibus, & instat omnibus neruis, sed nequicquã. Inobedientium enim uerbo dei exemplum esse debebãt, sicut & patres illorum omnibus tam temporibus quàm gentibus, aliquando ad dominum deum Israël ueraciter conuertendis, ut & testatur hæc dies. Exhortatio uehemens.

¶ CAPVT XLIII.

1 Factum est autem cum complesset Ieremias loquens ad omnem populũ uniuersos sermones dñi dei eorũ, pro quibus miserat eũ dñs deus eorum ad illos, omina uerba hęc:

2 ¶ dixit Azarias filius Osaiæ, & Iohanan filius Caree, & omnes uiri superbi, dicentes ad Ieremiam, Mendacium tu loqueris: non misit te dñs deus noster, dicens, Ne ingrediamini Aegyptum, ut habitetis illic.

Ingratitudo duritiaq; ceruicis Iudaicæ ab inutio usq; ad ultimæ sortis suæ tempus tremendo iudicio dei nobis proponitur, ut prophetis secundum uerbũ dei monentibus obedire discamus: nõ quod nobis libitũ est, sed quod docet uerbũ domini perficiamus. Miserant eum ad dominum, & promiserant domino se parituros, nunc autem audientes aduersa uotis, resiliunt, & totos se opponũt deo & prophetæ, homines præsumptuosi & superbi, plebis dominiũ sibi usurpare uolẽtes in terra Aegypti. Dicunt aũt Ieremiæ, Falsum loqueris: insigni contumelia uerbi dei, falsum prophetã quem dominus non miserit, fingentẽ omnia pronunciãt, tantum quia dehortabatur ab eo quod instituerãt contra naturam omniũ gentium, qui patriam propriam semper amant, pietatemq; summam defensasse eam existimãt, et pro patria occubuisse gloriosum ducunt. Patriam impij & perduelles in dei despectum despiciunt, & tantis dei miraculis olim asserta libertatem prodere malunt Aegyptum repetendo, quam patriã pro qua tanta passi fuerant adserendo, cum interim de dei sui uoluntate certiores redderẽtur. Quis non existimat talem populũ digne abiectum à domino? Sed interim nobis cogitandũ, ne similia designemus contra dominum, à quo beneficia plura suscepimus. Ingratitudo Iudaica in deum & patriam.

3 Sed Baruch filius Neriæ incitat te aduersum nos, ut tradat nos in manus Chaldæorum ut interficiat nos, & traduci faciat in Babylonem.

Apparet propensissimũ fuisse Baruch ad obsequendum præceptis domini, & amatorem gentis suæ & patriæ, tamq; uiriliter restitisse populo, adstitissęq; prophetæ, ut insimulauerint Ieremiam, quasi nõ domini uoluntate, sed temeritate discipuli ferretur ad retrahendũ Baruch fidelis.

populum in patriam. Deniq; nullam ſpem uitæ recipiũt ex tot promiſſionibus diuinis, quo à Chaldæis ſe tutos exiſtiment futuros. Digne ſibi timent, qui uerbi conſolationem ſua repellunt perfidia.

4 Et non audiuit Iohanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, & uniuerſus populus, uocem domini ut manerent in terra Iuda:

5 ſed tollens Iohanan filius Caree, & uniuerſi principes bellatorum uniuerſos reliquiarum Iuda, qui reuerſi fuerant de cunctis gentibus ad quas fuerant ante diſperſi, ut habitarent in terra Iuda:

Simul populus ſtultus cum principibus perfidis conſentiunt contra uerbum domini, ne in terra promiſſionis habitent, ideo in terram uaſtitatis ſuæ abire ſinuntur.

6 Viros & mulieres, & paruulos, & filias regis: et omnem animam quam reliquerat Nabuzardan princeps militiæ cum Godolia filio Ahicam, filij Saphan: & Ieremiam prophetam, & Baruch filium Neriæ:

7 & ingreſſi ſunt in terram Aegypti, quia non obedierũt uoci domini. Et uenerunt uſq; ad Taphnis.

Non omnes occiderat iſmaël, ſed eos tantum qui in caſtro uel ædibus Godoliæ, tanquã illius miniſtri & regionis tutores conſtituti, ſimul pranſi fuerant: ciuibus oppidi Mizpha non occiſis, ſed fortaſsis omnibus armis deſtituis, ne uel ſe tueri, uel rebellare hoſtibus poſſent. Aberant enim tunc Godoliæ duces, qui nunc inermes deducunt quò libet: etiam Ieremiam prophetam & Baruch ſecum pertrahunt, non tam ſponte euntem, quàm prouidentia dei deſtinatum, ut audientes perpetuò uoluntatem domini, fierent inexcuſabiliores, iudicio omnium electorum. Sæuiores quoq; nũc ſunt ciues patriæ in ſuã gentem, quàm fuerant hoſtes Chaldæi. Quos enim Nabuſardan dimiſerat in patria, hos nũc perfidi principes pertrahunt in exilium, ad unum omnes perituros.

Sæuiores ciues quàm hoſtes.

8 ¶ Et factus eſt ſermo domini ad Ieremiã in Taphnis, dicens,

9 Sume tibi lapides grandes in manu tua, & abſcondes eos in crypta, quæ eſt ſub muro lateritio, in porta domus Pharaonis in Taphnis: cernentibus uiris Iudæis.

10 Et dices ad eos, Hæc dicit dominus exercituum deus Iſraël, Ecce ego mittam, & aſſumam Nabuchodonoſor regem Babylonis ſeruum meum: & ponam thronũ eius ſuper lapides iſtos quos abſcondi, & ſtatuet ſolium ſuum ſuper eos.

Etiam in Aegypto & rebellibus non deeſt uerbum domini, cui tamen nõ credentes diſperduntur, & in malum incidunt, quod euadere conabantur, proprio ſenſui nixi. Prædicitur enim uerbis & oſtento ac paradigmate confirmatur, & ſenſibus inculcatur futura illorum perditio & eliminatio, idq; gladio Nabuchadnezzer, qui uenturus cum exercitu regnum quoq; Aegypti adflicturus ſit, & plena poteſtate illi imperaturus, ſic ut idolis quoq; Aegyptiorum, & delubris non ſit parſurus, quod & alij prophetæ futurũ iamdudum prædixerunt. Intercludit autem propheta omne effugium regi Aegypti, ut etiam obſtruſiſsimis in locis, reliquoq; incognitis imperaturus ſit, & omnia peruagaturus, & uictoriæ ſuæ ſigna & arma propoſiturus.

Verbum domini nũquã deeſt.

11 Veniens cp̃t percutiet terrã Aegypti: quos in morte, in mortẽ: & quos in captiuitate, in captiuitatẽ: et quos in gladio, in gladiũ.

12 Et ſuccendet ignem in delubris deorum Aegypti, & comburet ea, & captiuos ducet illos, & amicietur terra Aegypti, ſicut amicitur paſtor pallio ſuo: & egredietur inde in pace.

13 Et conteret ſtatuas domus Solis quæ ſunt in terra Aegypti: & delubra deorũ Aegypti comburet igni.

Nedum capiet, ſed & percutiet & uaſtabit occidendo, & captiuos abducendo omnes, igne ſuccenſis templis & idolis omnibus, in plenam poteſtatem redacturus Aegypto regi Babylonis, ut nihil effugiat illius imperium. Sic ſe induiturus regno & prouincia Aegypti, ut ſi quis ueſte ſua propria induatur, & utatur ad noluti ſi quis ueſte ſua propria induatur, & utatur ad nolutum, confiſcatis omnibus diuitijs regni et ablatis, in ſtra ibi Iudæi quæſierint ſubterfugium à Babylonio contra uerbum domini.

¶ CAPVT XLIIII.

1 VErbum quod factum eſt ad Ieremiam, ad omnes Iudæos qui habitabant in terra Aegypti, habitãtes in Magdalo, & in Taphnis, & in Memphis, & in terra Phathures, dicens,

Diffuderant ſe Iudæi in urbes Aegypti, & qui in patria ſoli non commixti gentibus, ſeſe ab idololatria continere non poterant, multomagis nunc diſcunctis & ſparſis, denter amplectuntur idolorum culturam, in qua & ſuperpra gentium ſuperſtitionem inſaniunt uiri & fœminæ, nec aliter agunt quàm ſi uelint accumulare menſuram minũ, & malitia uincere data opera bonitatem dei, quanto magis diſciplinentur, tanto reddantur ceruices ſuæ lint peiores. Eouſq; perueniunt cõtemptores uerbi dei, ut quanto aliquid deo odibilius audierint, tanto pertinatius illud cupiant & amplectantur.

2 Hæc dicit dominus exercituum deus Iſraël, Vos uidiſtis omne malum quod adduxi ſuper Ieruſalem, & ſuper omnes urbes Iuda: & ecce deſertæ ſunt hodie, & nõ eſt in eis habitator:

3 propter malitiam ſuam quam fecerunt, ut me ad iracundiã prouocarent, & irent, & ſacrificarent, & colerent deos alienos quos neſciebãt & illi & uos et patres ueſtri.

Recens tam crudele ſpectaculum, & uaſtatio dilecta patriæ abſterruiſſe debuerat reſiduos ab offenſa dei. Sed quid terreret ultio dei eos, qui deum non credebant nullis

nullis prophetarũ uerbis obaudiunt, qui calamitatum suarum causam agnoscere nolunt, bonorũ suorum largitorem non deum sed dei creaturas fatentur & colunt, solem, lunã, stellas deos suos constituunt, quibus contra rationem & legem dei sacrificant, & humiliter supplicant, omnium conditore deo neglecto?

4 Et misi ad uos omnes seruos meos prophetas de nocte cõsurgens, mittẽsq;, & dicens, Nolite oro facere uerbũ abominationis huiuscemodi quam odiui.

5 Et non audierunt, nec inclinauerunt aurem suam ut cõuerterentur à malis suis, & non sacrificarent dñs alienis.

6 Et conflata est indignatio mea & furor meus: & succẽsa est in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ierusalem: & uersæ sunt in solitudinem & uastitatẽ secundũ diem hanc.

Semper populo Iudaico prophetas misit & directores, ut pius & solicitus pro filijs pater, qui iugiter contra idololatriã clamantes ad rauim usq; non sunt exauditi, sed crudeliter tractati in contemptum dei qui miserat, profecerunt q; magis ac magis in externorum deorum cultura, quos dominum odire non ignorabant, toties admoniti, quibus sacrificia & suffitus deferebant, de industria dominum prouocando ad furorem, quem & senserunt urbibus & uicis domibusq; conflagratis, in quibus idola coluerunt.

7 ¶ Et nunc hæc dicit dñs exercituũ deus Israël, Quare uos facitis malũ grãde cõtra animas uestras: ut intereat ex uobis uir & mulier, paruul⁹ & lactens de medio Iudæ, nec relinquatur uobis quicquã residuũ:

8 prouocãtes me in operibus manuum uestrarũ, sacrificãdo dñs alienis in terra Aegypti, in quam ingressi estis ut habitetis ibi: & dispereatis, & sitis in maledictionẽ & in opprobriũ cunctis gentibus terræ?

9 Nunquid obliti estis mala patrũ uestrorum, & mala regũ Iuda, & mala uxorum eius, & mala uestra, & mala uxorũ uestrarum, quæ fecerunt in terra Iuda & in uicis Ierusalem?

Aliorũ exẽplo emẽdari uos oportebat, sed nũc deteriores effecti, similia quoq; patiemini, utriusq; sexus & etatis omnes uos: uix unũ exitiũ euasistis, & grauius perferetis, qui similia illis flagitia designastis, dominũ prouocãdo idolis uestris, ad imitationẽ Aegyptiorum, intra quos conuersamini, & eritis in ignominiã & opprobrium omnibus gentibus terræ, quia disciplinã susceptã perfidiam & peccata sua, quorum uos quoq; fertis pœnas usq; ad præsens. Non enim timuerunt deum, nec legem eius obseruauerũt, quam ipsis dederam & uobis, quorũ in malo mores sequimini, & maledictiones legis susceptæ sentietis, sicut & senserunt illi.

11 ¶ Ideo hæc dicit dñs exercituum deus Israël, Ecce ego ponã faciẽ meã in uobis in malum: & dispердam omnem Iudam.

12 Et assumã reliquias Iudæ, qui posuerunt facies suas ut ingrederẽtur terrã Aegypti, & habitarẽt ibi: & cõsumentur omnes in terra Aegypti: cadẽt in gladio, & in fame: & consumentur à minimo usque ad maximum, in fame & in gladio morientur: & erunt in iusiurandũ, & in miraculũ, & in maledictionem, & in opprobrium.

Horribilis maledictio rebellium Iudæorum, sed non indigna illorum contumaciæ, qui tam perfricta fronte uerbum domini abijciunt, ut nullam à deo sint posthac clementiam experturi, donec excindantur de tota terra Aegypti reliquiæ Iuda, ad quam contra mandatum domini peruenerunt.

13 Et uisitabo sup habitatores terræ Aegypti, sicut uisitaui Ierusalem: in gladio, & fame, & peste.

14 Et non erit qui effugiat, & sit residuus de reliquijs Iudæorũ qui uadunt ut peregrinentur in terra Aegypti, & reuertantur in terram Iuda ad quam ipsi eleuant animas suas, ut reuertantur & habitent ibi: non reuertentur nisi qui fugerint.

Non tantum Iudæos exules in Aegypto dispердam: sed etiam habitatores reliquos Aegypti ciues non mitius tractabo cum suo rege, quàm tractaui regem Iudæ cum ciuibus Ierusalem. Gladio enim, fame & peste occidam Aegyptios, apud quos sperastis salutem & auxilium: nemoq; tam ex uobis quàm illis seruabitur & uiuet, nisi fuga lapsus, quod de Ieremia & Baruch effugio liberatis Iudæi exponunt.

15 Respondẽrũt autem Ieremiæ omnes uiri scientes quod sacrificarent uxores eorum dijs alienis: & uniuersæ mulieres quarum stabat multitudo grandis: & omnis populus habitantium in terra Aegypti in Phathures, dicentes,

16 Sermonẽ quem locutus es ad nos in nomine domini non audiemus ex te:

17 sed faciẽtes faciemus omne uerbũ quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginæ cœli, & libem⁹ ei libamina, sicut fecimus nos & patres nostri, reges nostri, & principes nostri in urbibus Iuda, & in plateis Ierusalẽ: & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malum q; nõ uidimus.

18 Ex eo autem tempore quo cessauimus sacrificare reginæ cœli, & libare ei libamina, indiguimus omnibus, & gladio & fame consumpti sumus.

19 Quod si nos sacrificamus reginæ cœli, & libamus ei libamina: nũquid sine uiris nostris facimus ei placentas ad colendũ eam, & libandum ei libamina?

Superstitio difficilè exuitur.

Difficilè superstitione exuitur populus, si fœminas imuolui cõtigerit, ex quarum affectibus uiri quoq; pendent, & filij fascinantur errorum cõtagijs, quibus uiri acquiescunt, & obsistere sine grandi molestia nõ possunt. Improbè autẽ respõdent, admittentes uerbum domini à propheta prædicatũ, quod tamen audire nolint, sed quantumlibet impium institutũ suum seruare decreuerint. Vt scilicet lunam, quam cœli reginam faciunt, colere suis sacrificijs uelint fœminæ, ut uiri quoq; regẽ solem uenerãtur. Hanc, inquiunt, religionem à proauis acceptam seruabimus, de uerbo domini nihil soliciti, cui non credimus, sicut nec patres nostri crediderunt, nec reges nec principes: à nostra parte stat præscriptio longi temporis, authoritas regum & maiorũ consuetudo: accedit quoque utilitas inde nobis proueniẽs, suppetentia imò abundantia rerum temporaliũ, annuæ annonæ, & diuitiarũ ac sanitatum: quibus omnibus nunc destituimur, quando secundũ uerbum dei uiuere cœpimus, idola eijciendo, & diuos non amplius colendo. Longè illustrius & religiosius erat & pulchrius, quando in omnibus non solum Hierosolymæ plateis & palatijs, sed & Iudææ oppidis, imò in compitis & syluis sacrificia offerebantur soli, lunæ, astris, & cæteris diuis, uel machimæ toti cœlesti, quàm his obmissis uni tantũ deo & uno loco sacrificia pauca, & non nisi à Leuitis deferri: tunc beati eramus, nũc miseri. Huiusmodi querelis gentilium & pseudochristianorum diuus Augustinus olim coactus respõdere, multos de Ciuitate dei libros cõscripsit. Hodie idolorũ defensoribus nihil satis respõderi potest, quibus sacræ literæ sunt exosæ. Hic uerò fœminæ iactitant cõsortes maritos in suis sacrilegijs, & placentas oleatas cum libaminibus, quibus placabant Veioues suos. Quibus proh dolor & pudor successerunt penes antichristianos mille ridiculosiores ceremoniæ & ritus, siquidẽ & multò plures Veioues & dij tutelares, quibus scilicet clementia dei patris non sufficit.

Idolorum defensores.

20 ¶ Et dixit Ieremias ad omnẽ populum, aduersum uiros, & aduersum mulieres, & aduersum uniuersam plebem qui responderant ei uerbum, dicens,

21 Nunquid nõ suffitũ quem sacrificastis in ciuitatibus Iuda & in plateis Ierusalẽ uos & patres uestri, reges uestri et principes uestri & populus terræ, horũ recordatus est dominus, & ascendit super cor eius?

22 Et non poterat dominus ultra portare propter malitiam studiorum uestrorũ, & propter abominationes quas fecistis: & facta est terra uestra in desolationem, & in stuporem, & in maledictũ, eò quòd nõ sit habitator, sicut est dies hæc.

23 Propterea quod sacrificaueritis, & peccaueritis dño: & nõ audieritis uocẽ domini, & in lege & in præceptis & in testimonijs eius nõ ambulaueritis: idcirco euenerunt uobis mala hæc, sicut est dies hæc.

Erudite, fideliter & religiosè confutat propheta ridiculosam impiorũ propositionem. Vestris, inquit, sacrificijs quæ iactatis, hoc nimirũ effecistis passim pro libidine uestra contra legem dei, ut irritatis illis diuinis officijs, uos expulerit è terra, & possessionibus, salute, gaudio & omnibus bonis exuerit, tot uestra sacrilegia diuertius ferre nõ ualens. Terra ista tot diuis dicata, tot exor[cismis] nata uel potius polluta excelsis, & aris, nunc desolata & deserta execrabilisq; iacet, ut nostis, qui iuxta legem dei & sanctorum patrum mores & monita uni soli & uero deo seruire noluistis.

24 ¶ Dixit aũt Ieremias ad omnẽ populũ & ad uniuersas mulieres, Audite uerbũ dñi omnis Iuda, qui estis in terra Aegypti.

25 Hæc dicit dñs exercituum deus Israël, dicens, Vos, & uxores uestræ locuti estis ore uestro, & manibus uestris implestis, dicentes, Faciamus uota nostra quæ uouimus, ut sacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina. Implestis uota uestra, & opere perpetrastis ea.

26 Ideo audite uerbũ domini omnis Iuda, qui habitatis in terra Aegypti, Ecce ego iuraui in nomine meo magno, ait dñs: quia nequaquã ultra uocabitur nomen meum ex ore omnis uiri Iudæi, dicẽtis, Viuit dñs deus in omni terra Aegypti.

27 Ecce ego uigilabo super eos in malũ, & non in bonũ: & consumentur omnes uiri Iuda, qui sunt in terra Aegypti, gladio & fame, donec penitus consumantur.

Pronuntiat propheta dignam tantis sacrilegijs ultionem, omnibus tam uiris quàm mulieribus, qui pertinaciter hærebant suis impietatibus, & se contra dominum agere sine formidine iactitabant, & opere iactata perficiebant, uelut in despectum oraculorum diuinorum. Quos nunc omnes eatenus delẽdos prædicit, ut ne unus quidem superfuturus sit, qui etiamsi uelit possit respiscere de perfidia, uel de exitio sese eruere. Vt uidemus malorum maximũ, pœnamq; grauissimam haberi apud deum, si quampauciss imi uel nulli in regione aliqua sint dei ueritatisq; cultores, inuocatores dei ueri, & precones pietatis syncerè.

28 Et qui fugerint gladium, reuertentur de terra Aegypti in terram Iuda uiri pauci: & scient omnes reliquiæ Iuda ingredientũ terrã Aegypti, ut habitẽt ibi, cuius sermo compleatur, meus, an illorum.

Significantur aufugituri de Aegypto quidem fideles, sed ualde pauci, qui in Iudæam redituri, semen sanctum conseruaturi sint, ad confirmandum promissiones sanctis olim exhibitas patriarchis, qui & consolabuntur & radices figent & crescent, ut alibi promissum est. Impij autem passim exilio relegati, malo suo discent ueritatem

ritatem uerborum meorũ, fructumq; copiose recipient mendaciorum suorum & contumaciæ.

29 Et hoc uobis signũ, ait dominus, quod uisitem ego super uos in loco isto: ut sciatis quia uerè complebũtur sermones mei contra uos in malum.

30 ¶ Hæc dicit dominus, Ecce ego tradam Pharaonem Ephree regẽ Aegypti in manus inimicorũ eius, & in manus quærentium animã illius: sicut tradidi Sedechiã regem Iuda in manu Nabuchodonosor regis Babylonis inimici sui, & quærentis animam eius.

Ne friuolum putetis quod dico: Ecce oculis uestris & malo uestro uidebitis, hunc locum & totã Aegyptum sic periturã & opprimendam à rege Babylonis, quem effugere uolebatis, ut etiam Pharaonem regem uestrum in illorum manus & captiuitatem traditurus sim, qui non aliter tractabunt ipsum quàm Sedechiam uestrum regem tractari uidistis: sicq; nimium sero discetis oraculorum dei infallibilem ueritatem. Nostrum est igitur audire & reuereri uerbum dei, credere prophetis, idola reijcere, uni deo cœlesti creatori omnium seruire, obedientia mandatorum dei, & pœnis inflictis à domino emendari, non impiorũ more obdurari, tandemq; desperare, & dominũ blasphemare, clementiã dei agnoscere, & iram formidare ne peccemus.

Reuerẽtia ad uerbum dei.

¶ CAPVT XLV.

1 Verbũ quod locutus est Ieremias propheta ad Baruch filiũ Neriæ, cũ scripsisset uerba hæc in libro ex ore Ieremię anno quarto Ioacim filij Iosiæ regis Iuda, dicens,

2 Hæc dicit dñs deus Israel ad te Baruch.

3 Dixisti, Væ misero mihi, quoniã addidit dominus dolorẽ dolori meo: laboraui in gemitu meo, & requiem non inueni.

Prophetia ad Baruch.

Hactenus scriptæ sunt prophetiæ cõtra Iudæos, deinde sequentur quæ contra uarias gentes prædixit fata, ex reuelatione domini. Ideo inseritur hic breue capitulum, ea prophetia breuis quæ facta est ad Baruch scribam huius libri, amanuẽsem Ieremiæ. Qui cum temporibus Ioiakim quarto anno regni sui scribere prophetias Ieremiæ iuberetur, semel & iterum nonnihil fatigatus laborare scribendi, quo & fortassis conturbatus est, indolere etiã uehementer cœpit uicem suæ gentis Iudaicæ, quam audiebat funditus & crudeliter uastandam, templum quoque & uasa cum regibus transferẽda in gentes, & diruenda, cultumq; diuinum & gloriam dei cessatura, electumq; dei populum abijciendũ, surrogandasq; gentes alias ad consortium filiorum dei, humiliandumq; Iudaicum genus, plusquam aliquam nationum, quia in opprobrium, contumeliam & blasphemiam toto orbe ponendum, quod maluisset gloriosum in æstimatione dei & hominum. Hæc, inquam, omnia futura audiens, scribens & credens, non mirum si uehementer extimuit, & tanti laboris fructum alium non retribuendũ, quàm

Timor prophetæ.

exilium, miserias & uastationem sui, gentisq; Iudaicæ: propterea cõsolatus est cum dominus per prophetam, iubeturq; bono animo esse, quia licet uicturus sit dum hæc agentur, non tamen sibi timeat, sit enim eripiendus uiuus & incolumis ex omni ista calamitate. Vnde discimus non habituros pios homines partem in uindicta impietatis, cui non cõsenserunt, sed pro uirili obstiterunt. Semper enim dominus media habet eripiendi suos, etiam si ad portas mortis nonnunquam ducat, sed reducit. Quod si afflictio corporalis sustinenda sit, animus tamen dei gratia liber sustinet cum gaudio perferenda. Et mors denique sanctorum non est ut reorum, pretiosa nimirum in conspectu domini, & non nisi certa expectatio felicitatis cœlestis, & commutatio felix uitæ ærumnosæ cum beata.

Eripit suos deus semper.

4 Sic dices ad eũ, Hæc dicit dñs, Ecce quos ædificaui, ego destruo: & quos plantaui, ego euello, & uniuersam terram hanc.

Cogit impietas intolerabilis populi, quem promouit præ omnibus alijs gentibus, & peculium meum feci, ut cum destruam, demoliar & exuam omni splendore & gloria, & quos plantaui & crescere feci plurimum, nunc denuò extirpem: siue hoc intelligendum putetur de extructo tam glorioso templo sub Salomone, nunc propediem diruendo in totum, uel de populo aucto in immensum, olim nunc iterum redigendo in paucos, uel quia tota regio Iudaica uastãda sit & desolanda, ut iam Israëliticum regnum uidebatur destructum & dissipatum, exilio captiuitateq; ciuium.

5 Et tu quæris tibi grandia? noli quærere, quia ecce ego adducam malum super omnem carnẽ, ait dominus: & dabo tibi animam tuam in salutẽ in omnibus locis ad quæcunq; perrexeris.

Intelligunt Hebræi functionem propheticam, quæ præeminet omnibus ecclesiasticis officijs, non sine magnis oneribus, honos quem Baruch desiderare non minus religiose potuit, quàm Helias duplicem spiritum Heliæ. Qui enim prophetiam petit, episcopatum & bonum opus desiderat. Quod autẽ additur, Non quæras, facilè intelligitur in hunc sensum, ut in tanta rerum difficultate, & populi ac principum impietate, tutius & optabilius sit digito compescuisse labellum, & tacuisse cum dies mali sunt.

Prophetica functio præeminens.

¶ CAPVT XLVI.

1 Vod factum est uerbum domini ad Ieremiam prophetã contra gentes,

Sequuntur sermones Ieremiæ prophetæ contra uarias gentes, prædicendo quæ illis euentura essent, ne Iudæis solis tot aduersitates superuẽturas crederent, utq; uidentes Iudæi affligendas iudicio domini gentes, sibi quoque nõ parcendum esse, si ut impiè agebant, sic continuò pergerent: deniq; ut audientes uicini reges prædictiones prophetæ, & cõuerterentur ad meliora, & in cultu agnitioneq; dei Israël & omnipotentis, qui solus futura reuelat & ordinat, paulatim prosi

cerent, & aptarẽtur ad fidem unius dei, olimq; conformi cõsensu animarentur, donec euangeliũ Christi plenè eluceſceret, & fieret totus mundus ſubditus deo.

2 ad Aegyptum aduerſum exercitum Pharaonis Nechao regis Aegypti, qui erat iuxta fluuium Euphraten in Charcamis, quem percuſſit Nabuchodonoſor rex Babylonis, in quarto anno Ioacim filij Ioſiæ regis Iuda.

Aegyptij reges aliquando Syriam occupabant uſque ad Euphraten, poſt uictoriã cõtra Ioſiam, in qua & occiſus eſt. Vnde & in Hemath rex Aegyptiorũ Ioſiæ filiũ Ioachas cepit, & mulctauit tributo centũ talentorum argenti & unius auri. Quam pecuniæ ſummã Ioachim frater Ioachas inſtitutus rex Iuda perſoluebat. Ipſe uerò Pharao Necho captum Ioachas duxit in Aegyptum, ubi & mortuus eſt. Quem poſt paucos annos Nabuchodonoſor rex Babylonis uicit, & totam Syriam occupauit, & apud Charcamis ſtragem ædidit, Aegyptum uicit. De qua pugna & cæteris Aegyptiorum prælijs cum Babylonio geſtis hic prophetat Ieremias, in ſumma prædicens Aegyptios quidem adornaturos fortem conflictum cum Chaldæis ipſis Aquilonaribus, ſed uincendos eſſe, pro eo quod toties impoſuerunt regibus Iudæ quaſi auxilium laturi, ſed ſeruarunt nihil, magis autem rebellionem cõſoluerunt & fouerunt contra Chaldæũ, propter quam & perditi ſunt.

Aegyptij fata.

3 Præparate ſcutum & clypeum, & procedite ad bellum:

4 iungite equos, & aſcẽdite equites: ſtate in galeis, polite lanceas, induite uos loricis.

5 Quid igitur? uidi ipſos pauidos & terga uertentes, fortes eorum cæſos: fugerunt conciti, nec reſpexerunt: terror undique, ait dominus.

Poëtico more fingit imò prædicit iubẽdo facturos, ſed inani ſtudio. Quaſi dicat: Præparabitis quidem ô Aegyptij clypeũ & haſtas, iungetis curribus equos, & aſcenſores equites multos cõgregabitis, galeis, lanceis munitos, loricis indutos, ut aggrediantur bellũ, ſed tamen pauidos eos omnes uideo & fugã meditantes potius quàm uictoriam, ut iam tunc ipſorũ fortiſſimi attriti & proſtrati uideãtur, & maximo quo poſſint conatu fugientes, ut nec reſpicere poſt ſe audeant, undiq; pauore perterriti. Vt diſcamus hominũ quidẽ eſſe adornare bellũ, domini autẽ donare triumphum, & addere animo fortitudinem, uel pauore diſſoluere.

6 Non fugiat uelox, nec ſaluari ſe putet fortis: ad aquilonẽ iuxta flumen Euphraten uicti ſunt, & ruerunt.

Quamũlibet quis uelox pedibus effugere tamen perſequentes haud poteſt nõ uolente deo: & fortiſſimi quiq; ſuccumbũt, ut non euadãt domino iubẽte. Aegyptij certiſſimè ab aquilonaribus ſibi Chaldæis fundentur, occidentur, ſuperabuntur iuxta flumen Euphraten.

7 Quis eſt iſte, qui quaſi flumen aſcẽdit: & ueluti fluuiorũ intumeſcũt gurgites eius?

8 Aegyptus fluminis inſtar aſcendet, & uelut flumina mouebuntur aquæ: & dicet, Aſcendens operiam terram: perdam ciuitatem, & habitatores eius.

Irridet exercitum Aegyptiorũ, qui maxima ſua multitudine uictoriam promittant ſibi, quæ fluminis inſtar intumeſcentis minatur exitiũ certum, cum nõ militum pluralitate, ſed diuina uoluntate paretur.

9 Aſcẽdite equos, & exultate in curribus, & procedant fortes, Aethiopia & Libyes tenentes ſcutum, & Lydij arripientes, & iacientes ſagittas.

Affingit iactantiam Aegyptijs, quaſi totam uelint operire terram, tanto exercitu, cui nullæ uſpiam poſſint quantumuis fortiſſimæ urbes reſiſtere, ut non poſſint aquarum diluuijs obuiare quæcunque hominum uires, equi, currus, fortiſſimi milites maximo numero ex auſtralibus ſibi uicinis gentibus congregati in inſuperabile exercitum.

10 Dies aũt ille domini dei exercituum dies ultionis, ut ſumat uindictam de inimicis ſuis: deuorabit gladius & ſaturabitur, & inebriabitur ſanguine eorũ: uictima enim domini exercituũ in terra Aquilonis iuxta flumen Euphraten.

Quanto maior exercitus, tanto ſtrages cruentior, domino puniente impios. Nihil igitur tantus exercitus erat, niſi ſacrificium domino magnum, cædes ſcilicet multorum, de quibus uindictam ſumere deus uoluit tam quam de hoſtibus ſuis, Aegyptijs occiſis à Chaldæis apud fluuium Euphraten in terra Aquilonis, quod elegantèr ſtilo prophetico pingitur.

11 Aſcende in Galaad, & tolle reſinã uirgo filia Aegypti: fruſtra multiplicas medicamina, ſanitas non erit tibi.

Aduocat totũ montẽ Galaad, qui nobiliſſimis medicamentis ſuis ibi abundè creſcentibus, reſina in primis, non ſufficiet ad parãda emplaſtra uulneratis Aegyptijs in ſtrage iſta: & ſi impoſita fuerint, non proderunt, domino illis irato. Docetur hiſce ſermonibus, ne reges confidant in ſuis magnis exercitibus, fauorem dei apprecentur magis, cuius ſunt uictoriæ, cui omnia ad nutum ſeruiunt, qui ſuperbos humiliat, qui naturalibus rebus uires miniſtrat, quibus ſanantur hi tantũ, quos dominus ſaluos uult, ut ſolus timeatur & colatur accepto ſibi ſacrificio, innocentia & fide ad proximos & deum.

12 Audierunt gentes ignominiam tuam, & ululatus tuus repleuit terram: quia fortis impegit in fortem, ambo pariter conciderunt.

Nedum Aegyptus ſtrage ſuorum miſera erit & calamitoſa, ſed etiam confuſioni maximæ expoſita, rebus ſcilicet perſonis & fama proditis. Ridebitur enim à gentibus alijs ſuperba Aegyptus, & quanto in regnis gloriſior, tanto nunc iactura rerum & fame conſpicabilior & abiectior, ut manus domini diſcatur quàm ſuperbos humiliat.

Ver-

13 ¶Verbũ quod locutus est dominus ad Ieremiã prophetã, super eo quod uẽturus esset Nabuchodonosor rex Babylonis, & percussurus terram Aegypti:

Vaticinium aliud contra Aegyptum de clade alia, contra quam & abstrusis lapidibus sub quadam testudine uaticinatur, facto scilicet, supra capite quadrangesimoctauo, quam nunc uerbis prosequitur: cum scilicet non iam ad Euphraten confligerent Chaldæus & Aegyptius apud Charcamis urbem, sed Aegyptum Babylonius ingreditur ad urbes diruendas, regem & populum captiuãdo, cum Iudæis ibidem trucidatis, ut paucissimi euaserint: quæ omnia nunc futura sanctus prædicit, domino reuelante.

14 Annunciate Aegypto, & auditum facite in Magdalo, & resonet in Memphis, & in Taphnis: dicite, Sta, & præpara te: quia deuorabit gladius ea quæ per circumitum tuum sunt.

Prædenda Aegyptus.

Prophetico stilo alloquitur perdendam Aegyptum, acclamando & exhortando, ut sibi prospiciat, & loca muniat limitum Aegypti, urbibus prospiciat, exercitum conscribat, fortiterq; se tueri studeat, quandoquidem fortiores aduenturi sint hostes, quorũ sint gladijs deuorandi, non una ex parte tantum, sed per circuitum inuestandi. Admonentur hisce uerbis regna, ut iustitia & ueritate se muniant, sine quibus pacem ab hostibus non sint uindicatura. Dominus enim impios reges pro neglecta iustitia punit, etiamsi ad tempus toleret, negligere; putetur ab impijs.

15 Quare cõputruit fortis tuus? non stetit: quoniam dominus subuertit eum.

16 Multiplicauit ruentes, ceciditq; uir ad proximũ suum: & dicẽt, Surge & reuertamur ad populũ nostrũ, & ad terrã natiuitatis nostræ à facie gladij uiolenti.

Stragem fortium & exercitus sui fugam prædicit per interrogationem & admirationem, qui fieri posit, ut propulsetur & distrahatur, subsistereq; non posit tam ingens & strennuus exercitus fortium? Respondet, sa ciliẽ id fieri cum dominus uelit, qui impulit Aegyptum ad tantum casum, ut mutuo conflictu casuri sint, ut frater gladiũ stringat in fratrem, pariterq; cadant: interim sese residui adhortantur ad resurgendum uel standum non ad uiriliter insistendũ hosti, sed ad retrocedendum & fugiendum ad terram unde exierant, ad patriam, ad suos, ad fortalitia, ubi tuti sint à gladio uastatore & uiolento. Adhortari sese debuissent ad pugnã, sed pauore correpti ad fugam capessendam inhortabantur. Hoc autem familiare iudiciũ est dei, ut cum uult fugiant qui se fortissimos arbitrãtur. Animum enim addit nõ humana uirtus, sed solus dominus, eis autẽ quos uult uincere.

17 Vocate nomen: Pharaonis regis Aegypti tumultum adduxit tempus.

Iubet dominus uel propheta ad Pharaonem & principes exercitus clamare, uenturum cum tempore grauissimum tumultum, & exitium toti regno suo, ut consilio anteuertat damnum, irremediabile futurum postquam acceptũ fuerit: iam nunc curandũ esse ne ingruat maius damnum, si minus impedire non possit. Non tamen tempus & cœli motus hæc adferunt, sed ordo uoluntatis prouidentiæq; diuinæ.

18 Viuo ego, inquit rex, Dñs exercituũ nomen eius: quoniam sicut Thabor in montibus: & sicut Carmelus in mari, ueniet.

Promittit rex dominus deus, iurans per seipsum, immobiliter stare sententiã damnationis Aegypti & uastationem, ut firmissimè perseuerant consistantq; locis suis montes Thabor & Carmelus, hoc est, quicquid solidissimũ certissimumq; uidetur in mũdo: sic infallibile est decretũ uoluntatis meæ de impijs regibus & regnis perdendis, ut nunc dicitur de Aegypto.

19 Vasa transmigrationis fac tibi habitatrix filia Aegypti: quia Memphis in solitudine erit, & deseretur, & inhabitabilis erit.

O Aegypte, quæ domina fuisti multorum regnorum & gentium, & sedisti tranquilla & superba in solio gloriæ tuæ, quasi inuincibilis & tuta, consulitur nunc tibi, ut uasa transmigrationis, calceos, baculum, peram, & aquæ lagenam tibi parare non differas, exiliũ enim inibis, capta abduceris in regiones remotas. Signum autem horum tibi sit, quia Memphis uel Noph metropolis tua uastata nunc est & diruta, incensaq; ignibus, & ciuibus destituta, multò facilius reliquæ urbes & munimenta capientur.

20 ¶Vitula elegãs atq; formosa Aegyptus: stimulator ab aquilone ueniet ei.

Hactenus fuisti ô Aegyptus uelut bucula lasciua & pinguis, propter opes amplas. Vt ergo stimulo & crabronibus extimulantur & irritãtur iuuenci & boues ut fugam & recessum quærant: sic futurum ut à Babylonio stimuletur, & cõuertatur in fugam uel etiã excindatur propediem à uenturo. Sic enim impios opprimi sinit ab impijs cum incommodo utrorumq; deus, amborum iudex iustus & rectus.

21 Mercenarij quoq; eius qui uersabãtur in medio eius, quasi uituli saginati uersi sũt, & fugerũt simul, nec stare potuerũt: quia dies interfectionis eorum uenit super eos, tempus uisitationis eorum.

Exercitus conductitius ex regionibus uicinis collectus contra Babylonicum exercitum, formidolosus erit, & eneruatus tuis delitijs, & incrassatus uelut ad præsepia boues, ut sint ipsi quoque unà tecum fugituri, dum calamitas tua ingruerit, & uisitationis & ultionis tempus uenerit. Quibus ostendit nihil efficiendũ etiam magno, forti, peregrinoq; exercitu Aegyptiorum contra uenturum hostem Chaldaicum.

22 Vox eius quasi æris sonabit: quoniã cum exercitu properabũt, & cum securibus uenient ei, quasi cædentes ligna.

23 Succiderunt saltum eius, ait dñs, qui supputari non potest: multiplicati sunt super locustas, & non est eis numerus.

24 Cõfusa est filia Aegypti, & tradita in manus populi aquilonis.

Amarissimè & sonorosa uoce exclamabit, uim patiẽs præ dolore & angustijs, dum uidebit irruentes hostes cum securibus, ueluti cæsores lignorũ, ad excindendum sine delectu & clementia potentissimos quosque tuos, cum exercitu tuo & populo, nulli parcẽdo: præualebũt enim tibi tam numero quàm uiribus, ut uastum examen locustarum depascent omnẽ Aegyptũ, domino id mandante, & prædicẽte tibi, si quo modo te ad meliora conuertas, ut confusionem tantam & exitium contra te decretum à domino effugias.

25 Dixit dominus exercituum deus Israël, Ecce ego uisitabo super tumultũ Alexandriæ, & super Pharaonem, & super Aegyptum, & super deos eius, & super reges eius: & super Pharaonẽ, & super eos qui confidunt in eo.

26 Et dabo eos in manus quærentium animam eorum, & in manus Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manus seruorũ eius: & post hæc habitabitur sicut diebus pristinis, ait dominus.

Alexãdria urbs.

Profecerat sub illud tempus in magnam gloriã ciuitas Alexandria, nondum tunc ab Alexandro, sed No Hebræis nominata, cuius magnificentiã & fastum prædicit humilianda, cum omnibus Aegypti regulis & Pharaone ipso, & tota Aegypto, deniq; super deos multos & portẽtosos & ridiculos totius regni, qui omnes per Nabuchodnezer opprimẽtur & uastabuntur, & in solitudinem redigẽtur: fallẽturq; iactura illius omnes qui eorum freti auxilio & amicitia, regi Babylonio rebellabant, scilicet rex Iuda, Edom, Moab, Tyri & Sidonis &c. Adijcitur tamen illis consolatio, quia post aliquot tempora quadraginta scilicet annorũ, secundũ Iudæos restituenda sit in pristinum ornatũ & potentiam. Tali uicissitudine rerum dominus agit cum regibus, ne insolescant potentia, sed se sciant subditos domino, cuius uoluntati & legibus eos quoque parere oportet, cuius in manu sunt omnia iura regnorum.

27 ¶ Et tu ne timeas serue meus Iacob, & ne paueas Israël: quia ecce ego saluum te faciam de longinquo, & semen tuum de terra captiuitatis eorum: & reuertetur Iacob, & requiescet, & prosperabitur, & nõ erit qui exterreat.

Consolatio Iudæorũ, ne se audientes uastandos desperent, & se domino munus cõmendatos quàm Aegyptios, quos nunc restituendos intelligunt. Seruum autẽ suum nominare nõ ueretur dominus Israëlem, subindicãs sine dubio feliciorem statum eius, quàm antea unquam, sub imperio scilicet Messiæ, de quo omnes prophetæ testabantur, & rerum experientia nostros confirmat, qui Israëlis pietatem & benedictionẽ totum in orbẽ peruenisse cernimus, non obstantibus his Iudæis impijs, durantibus more suorum patrum in pertinacia sua, non spirituale & perpetuũ regnum, sed corporale & stultum

Felicitas Iudæorum.

ambelantes uane. Saluati enim sunt toto orbe apostolorum prædicatione & scriptis dispersi Iudæi, qui uerbũ euangelicũ non cõtempserunt, & reliquijs Iudaicæ fecis nihil obstat quo minus felices nobiscũ sint, nisi tamẽ ignoratio Christi & euangelij, dum non credunt exhibuisse aliquando dominũ, quod olim promisit futurum, quod nunc orbis totius religio probat impletum, quod Iudæi semper stultè futurum expectant.

28 Et tu noli timere serue meus Iacob, ait dñs: quia tecũ ego sum, quia ego consumã cunctas gẽtes ad quas eieci te: te uerò non consumã, sed castigabo te in iudicio, nec quasi innocenti parcam tibi.

Refertur ad Israëlitas in captiuitatem dispersos, quos non reliquit dominus, sed opera & pietate eorum usus est in gloriam dei, in conuersionem orbis ad creatorem omnium, & in patriarcharum sanctorum nõ minimam felicitatem etiam in hoc seculo, quorum memoria in benedictione est, & meliore fama, quàm dum uiuerẽt in corpore mortali. Omnium autem gentium gloria, idola, error, sapientia cessauit: sanctorum autem Iudæorum decus & probitas non solum in Christo domino inenarrabilis est & salutifera, sed etiam in apostolis Christiq; discipulis, toto orbe ad Christũ cõuersis, per quos in omnẽ terrã exiuit euangelicũ fœdus, & agnitio dei optimi maximi. Nec interim sinit fideles in hoc mundo felices sibi uideri, sed cõtinuò exercitat eos tentationibus non paruis, adhibito tamen proueniu gratiæ dei, ut ualeant sustinere non solum ad exercitium, sed etiam ad peccatorum multorum quibus inuoluuntur agnitionem & spiritus humiliationem & profectum, cum nemo sit innocens, etiam electi, sed ad mortem non peccant.

¶ CAPVT XLVII.

1 Quod factum est uerbum domini ad Ieremiam prophetam cõtra Palæstinos, antequã percuteret Pharao Gazan.

Contra perpetuos hostes Israëlitarum Philistæos, mediterranei maris in tribu Iuda littora possidentes, quos in exercitium manutenuerat propter peccata Israëlis, quos cum Aegyptijs subiugauit omnes. Gazam autem ipsorum australiorẽ urbem & principalem uastandam prædicit à Babylonio.

2 Hæc dicit dominus, Ecce aquæ ascendũt ab Aquilone, & erunt quasi torrens inundans: & operient terram & plenitudinem eius, urbem & habitatores eius. Clamabunt homines, & ululabunt omnes habitatores terræ

3 à strepitu pompæ armorum & bellatorũ eius, à commotione quadrigarum eius, & multitudine rotarũ illius. Non respexerunt patres filios manibus dissolutis.

Passim intelligimus aquis multis significari populos multos, quas ab aquilone, Chaldæa scilicet, totam Palæstinam obruituras prædicit, grandem exercitum uentu-

rum,

rum, qui urbes & regionē totaliter inuoluat & occupet. Fortaſsis id cōtigit tunc cum rex Aegypti egreſſus obſidionē Ieruſalem leuare uoluerat, quem tamen Babylonius regredi coegit, eaq; expeditione, uel quando totam Aegyptum obtinuit, has quoq; Palæſtinorum urbes obtinuit uel uaſtauit, maximo & terribili exercitu ſuo, ex equis, curribus, equitibus & militibus, quibus reſiſtere nemo potuit, domino ſic ordinante.

4 pro aduentu diei in quo uaſtabūtur oēs Philiſthīm, & diſſipabit Tyrus & Sidon cum omnibus reliquis auxilijs ſuis: depopulatus eſt enim dominus Palæſtinos, reliquias inſulæ Cappadociæ.

Babylonii uastatores. Nedum maritimas Palæſtinæ urbes, Gazam, Aſcalonem, Geth & cæteras uicit & occupauit, ſed etiā Phœnicis maritimas urbes Tyrum, Sidonem, Acon, & reliquas omnes obtinuit & ſpoliauit uaſtatas, qui iunctis uiribus cum rege Iuda ſeſe defendere conabātur, ſed uane. Omnes enim ſubiectæ ſunt Babylonio etiam inſulæ Chaphthor, quas Cappadociā uocant, fortaſsis Ciliciam, Liciam uel Cyprum, & uiciniores, quas potuit.

5 Venit caluitium ſuper Gazam: conticuit Aſcalon, reliquiæ uallis earū. Vſquequo conciderīs?

6 O mucro domini, uſquequo non quieſces? ingredere in uaginam tuam: refrigerare, & file.

7 Quomodo quieſcet, cum dñs præceperit ei aduerſus Aſcalonē, & aduerſum maritimas eius regiones, ibiq; cōdixerit illi?

Prophetico ſacroq; poetico ſtilo ſignificat miſerabilē cladē Gazæ, Aſcalonis, ut ſeſe dilacerādi & amariſsimè plangēdi multā ſint habituræ occaſionē. Diuinā quoq; implorat clementiā, qua iubeat ceſſare aliquando à cædē tot terrarum & urbiū, iam enim tempus diuinæ ultionis aduenerat, & menſura peccandi impleta fuerat: & quas Iſrael dudum iuſſus exterminare cōtempſerat, & maluit habere ſocias errorum & criminū, has nunc pariter omnes inuoluit una damnationis ſententia, exterminatas gladio dei, quo facto redijt in uaginam, & quieuit terra ab impietate & impijs. Sic dominus longanimis differt uindictam in tempus, & tandem iræ dilationem ſeueritate compenſat. Vt qui gratiam contempſerunt, rigorem experiantur: & qui patri obtemperare renuunt, iudici deſtinantur.

¶ CAPVT XLVIII.

1 ADMoab. Hæc dicit dominus exercituū deus Iſrael, Væ ſuper Nabo, quoniā uaſtata eſt, confuſa eſt fortis, & tremuit.

Rata Moab. Eadem ferè hic Ieremias Moabiticæ prouintiæ denunciat futura mala, quæ & Eſaias capite 15. & 16. ſed uerbis alijs & pluribus, ut eſt uerborum affluentior. Væ ad Nabo, quæ urbs fuit in monte Nebo, quæ propter peccata ſua & rebellionem, quia Babylonico regi cum alijs regnis reſiſtere auſa fuit, occupanda prædicitur, confundēda: nec ſola, ſed cum Ciriathaim, quæ ſimiliter in regno Moab urbs erat, non Cariathiarim, quæ eſt in tribu Iuda. Videtur Nebo urbs habuiſſe duo fortalitia uel turres, propter quod dicta fuerit Kiriathaim, id eſt, duplex oppidū. Sic autem repetitionū iugis utuntur Hebræi, maximè aūt prophetæ. Quaſi dicat: Quantūlibet urbs munita ſis, & fortalitijs firmata, ut non timeas, capieris tamen ô Nebo, & confunderis præter omnium expectationem uaſtanda.

2 Non eſt ultrà exultatio Moab: cōtra Heſebon cogitauerūt malū, Venite, & diſperdamus eam de gente. Ergo filens (Madmen) conticeſces, ſequeturq; te gladius.

Non poterunt iubilare uel exultare aliæ quæcunq; urbes, ſi hæc tam munita occubuit, & toti regno Moab pauor ingeſtus eſt ea capta, quæ omniū inuincibilior putabatur. Heſebon alia regni urbs, utcunque regalis olim & egregia, quam olim Iſraelitæ cum reliquis multis ceperant, poſſederant diu & perdiderant, capti inde in Aſſyrios: illa, inquam, Heſebon imminens ſibi malū formidare cogitur poſt captā Nebo. Iam enim hoſtes hanc quoque facilè occupandā cogitant, & etiā dicunt mutuum incitando, Venite, hanc quoque excindamus, ne in gentiū urbibus cōputetur. Etiam Madmen urbs alia, iuxta interpretationē ſui nominis cōfuſa & humiliata, quia capta conticeſcat, gladijs hoſtium ſuperata. Heſebon capta.

3 Vox clamoris de Oronáim: uaſtitas, & contritio magna.

4 Contrita eſt Moab: annuntiate clamorem paruulis eius.

5 Per aſcenſum enim Luith plorans aſcendet in fletu: quoniā in deſcenſu Oronáim hoſtes ululatum cōtritionis audierunt.

Clamor quoq; tam uincentium hoſtium, quàm ciuium deuictorum, etiā ab Horonaim auditur, ob magnam ibi cladem, & cōtritionem murorum & ædium, ſimiliter & oppidulorū quæ circum illam conſiſtunt, uel etiam populorū & paruulorū in illa clamantium. Iam deniq; audire mihi uideor clamorem contritionis magnæ, & fragoris militaris, per aſcenſum qui dicitur Luhit, in altum montem, ut deinde deſcendāt per alterum cliuum ad alterum Horonaim: eſt enim dualis numeri. Non ſine fletu auditur is clamor ciuium, uel uinctorum ab hoſtibus, quos ſecum trahūt captiuos: quod militibus uictoribus fletus non competat. Horonaim.

6 Fugite, ſaluate animas ueſtras: & eritis quaſi myricæ in deſerto.

7 Pro eo enim quòd habuiſti fidutiam in operibus tuis & in theſauris tuis, tu ĝq; capiēris: & ibit Chamos in trāſmigrationē, ſacerdotes eius, & principes eius ſimul.

Fingit clamare uinctos, ut fugiāt de Horonaim ciues, & ſaluent ſeipſos & uitam ſuam, ne ſimiliter capiantur. Vel propheta clamat, ne deſolata remaneant fortalitia & diruta, ſicut myricæ in ſolitudine, quas nemo curat uel quærit, quia inutiles. Hæc autē ipſi Moab contingent & urbibus, quia cōfidebant in diuitias ſuas, &

fortißima ædificia ſua, opera manuũ ſuarum, non in dominum, à quo omnia bona. Etiã tu capieris: fortaſſis referetur ad Aroër urbem, interpretata ſecundum nomen myrica. Vt ſit ſenſus: O tu Aroër eximia urbs Moabitarum, reuera Aroër eris, id eſt myrica, arbor ſcilicet in ſolitudine deſtituta hominibus & lacerata. Et Chamos idolum tuum ipſum quoq; capietur, & relegabitur in exilium, cum ſacerdotibus ſuis & primoribus urbis.

8 Et ueniet prædo ad omnẽ urbẽ, & urbs nulla ſaluabitur: & peribũt ualles, & diſſipabũtur campeſtria, quoniã dixit dñs,

Et quid nomino urbes unam poſt alterã, ſemel omnes pariter urbes Moab capiẽdas præuideo, uaſtator omnes ingredietur, nulla euadet, ſiue in uallibus intra montes clauſa contineatur, ſiue in planitijs, opus enim domini eſt, & iudicium eius.

9 Date florem Moab, quia florens egredietur: & ciuitates eius deſertæ erunt, & inhabitabiles.

10 Maledictus qui facit opus domini fraudulenter: & maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.

Hebræi exponũt, Exhibete alas ipſi Moab, ut quamcelerrimè abeat, & uolando uolet in captiuitatẽ, uaſtationi quoq; exponentur illius urbes, ut nemo inhabitet in eis. Et uos uiri Chaldaici exercitus, diligenter incumbite ad perdendũ totum illud regnũ, maledictus ſit qui hanc domini uindictam expleuerit negligenter, qui impijßimis iſtis hominibus pepercerit, & qui temperauerit gladio ſuo ab effundendo ſanguine, ad mortem condemnatorum à domino, qui impijs condoluerit.

11 Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua, & requieuit in fecibus ſuis: nec trãsfuſus eſt de uaſe in uas, & in tranſmigrationẽ non abijt: idcirco permanſit guſtus eius in eo, & odor eius non eſt immutatus.

Moabitæ opulenti.

Moabitarũ regnum à ſeculis multis admodũ opulentũ fuit, & in quiete permãſit, ab impetitione hoſtiũ longo tempore. Tranquillitas autẽ temporũ, mater eſt diuitiarũ. Collegit ergo & repoſuit in theſauros longi temporis copioſos prouentus, quibus aſſedit & incubuit, magis ad ea aſſeruanda, quàm exponenda in publicos & piòs uſus. Vel aliter quieta ſedit, & ſuijpſius curam geßit. Ideoq; uelut liquor aromaticus in uaſe diu reſeruatus, odorem ſeruat, diffuſusq; crebro, odorem perdit: ſic ipſa Moab nunquam bellis & populationibus ſuccubuiſſe aut ductam eſſe captiuã iam à multo ſcilicet tempore. Nõ enim intelligi hoc poteſt ſine ſynecdoche. Capta eſt enim olim ab Amorrhæis, deinde ab Iſraëlitis, et ſub Dauide. Poëticus ſtilus eſt, imò propheticus, qui nõ tenorem logicæ locutionis ſed rhetoricæ ſectatur.

12 ¶ Propterea ecce dies ueniunt, dicit dominus: & mittam ei ſtratores, & ſternent eum: & uaſa eius exhaurient: & laguncullas eorum collident.

13 Et confundetur Moab à Chamos, ſicut confuſa eſt domus Iſraël à Bethel, in qua habebat fiducium.

Prædicit tempus appetiturum, quando etiam Moab transferetur in regionẽ alienam, & profundẽtur illius diuitiæ, & diripientur ab hoſtibus, & odorem diu ſeruatum ſemel totum effundet & perdet. Et confundetur ab idolo ſuo Chamos, cuius imbecillitatem experietur, quòd nõ ſeipſum ſaluare potentẽ, multò minus cultores ſuos, qui in illum repoſuerant omnem fiduciam ſuam, quam in ſolum deum habere debent homines, non in aliquam creaturam, uel diuos fictitios, uel etiã uerè factos homines uiuos, multò minus mortuos, qui gratia ſaluati ſunt, non compenſatione meritorum.

14 Quomodo dicitis, Fortes ſumus, & uiri robuſti ad præliandum?

15 Vaſtata eſt Moab, & ciuitates illius aſcenderunt: & electi iuuenes eius deſcenderũt in occiſionem: ait rex, Dominus exercituũ nomen eius.

Excludit ſubinde omnes cauſas ſpei, primò robur ſeruitium militum, quod minimè ſufficiet cõtra uaſtatorem Chaldæum, illis enim non obſtantibus, ciuitates omnes comburentur, & milites electi occidentur, deciãt fiducia illorum, ut ſeſe uiolentiæ hoſtium præbere cogantur & ſubmittere.

16 Prope eſt interitus Moab, ut ueniat: & malum eius uelociter accurret nimis.

Et ne fiducia uos dilationis conſoletur, ſcitote in proximo imminere aduentum Chaldæorum, & calamitas imuincibilis in foribus eſt.

17 Conſolamini eum omnes qui eſtis in circuitu eius, & uniuerſi qui ſcitis nomen eius: dicite, Quomodo confracta eſt uirga fortis, baculus glorioſus?

Fugient eam & auxilio deſtituent omnes uicini eius, ne fiduciã collocet in proximos populos & notos, quin potius uel terrore perculſi, uel ex inuidia læti, illudendo dicent: Quomodo contritus eſt baculus fortis, uirga præclara, ſceptrum regiæ maieſtatis?

18 Deſcẽde de gloria, & ſede in ſiti habitatio filiæ Dibon: quoniã uaſtator Moab aſcendet ad te, diſſipabit munitiones tuas.

Aliam alloquitur ciuitatem glorioſam & diuitem in Moab, Dibon dictã, quam iubet deſcẽdere de ſublimitate & faſtu ſuo, ut incipiat ſedere in ſiticuloſa uelut terra, in omniũ rerũ egeſtate, uaſtanda nimirum à Chaldæis qui munitionibus, ait, tuis te exuent & muris.

19 In uia ſta, & proſpice habitatio Aroër: interroga fugientem, & ei qui euaſit, dic, Quid accidit?

20 Confuſus eſt Moab, quoniã uictus eſt: ululate & clamate, annuntiate in Arnon quoniam uaſtata eſt Moab.

21 Et iudiciũ uenit ad terrã campeſtrẽ: ſuper Helon, & ſuper Iaſa, & ſuper Mephath,

22 & ſuper Dibon, & ſuper Nabo, & ſuper domum Deblathãim,

23 & ſuper Cariathãim, & ſuper Bethgamul, & ſuper Beth maon, &

24 & super Carioth, & super Bosra: & super omnes ciuitates terræ Moab, quæ longe et prope sunt.

Diuertit ad aliam urbem Aroer dictam, indicans illuc famam uastati Moabitici regni peruenturam, atq; in Arnon finitima timebunt sibi, & à rumore uastationis trepidabunt, imò pariter capientur omnes regni ciuitates, quas uehementia spiritus omnes ex nomine uocat, communem fatum seruitutis & calamitatis passuras.

25 Abscisum est cornu Moab: & brachium eius contritum est, ait dominus.

26 Inebriate eum, quoniam contra dominũ erectus est: & allidet manum Moab in uomitu suo, & erit in derisum etiam ipse:

Exaggeratio elegans est prædictorum in summa, & amplificatio prophetica. Cornu potentiæ & maiestatis confringetur, & brachium uirtutis infirmabitur, & implebitur calamitatibus ut ebrius à uino, ut quò se uertat nescias, uel quid consilij capiat præ animi perturbatione. Nec solum apud semetipsam confundetur in animo, sed etiam ludibrio exponetur omnibus, qui hanc de ea famam audient, sicut ebrius à crapula euomens quicquid uomuerat: quod insigne flagitium & turpitudinis specimen apud eas gentes semper habitum est, & haberi debet à bonis.

27 fuit enim in derisum tibi Israël: quasi inter fures reperisses eum: propter uerba ergo tua, quæ aduersum illum locutus es, captiuus ducêris.

Discimus compatiendum proximorum calamitatibus, quia hic Moabitis improperatur, quòd Israëlitis non condoluerint, sed improperauerint ærumnas & miserias perpessas ab hostibus, miseros profugas male tractarint, & irriserint & contempserint, non secus ac si eos ex hostibus captiuos redemissent. Digne ergo talionis pœna afficientur, ut experiantur aduersitates in se, qui condolere spreuerunt alijs.

28 Relinquite ciuitates, & habitate in petra habitatores Moab: & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.

29 Audiuimus superbiam Moab, superbus est ualde: sublimitatẽ eius, & arrogantiam eius, & superbiam eius, & altitudinem cordis eius.

Improperatur Moabitis fastus, quem pariunt diuitiæ, quas tamen deserere cogentur, trahendi peregre in exilium pauperes & contemnendi: qui uerò euadere poterint, in cauernis petrarum trepidi habitabunt, uelut columbæ gementes ad memoriam perditæ prosperitatis, & egestatem omnium rerum. Sic enim uisitari merentur superbi, ut deponantur de sede: & quanto arrogantior quis uixit tanto molestior est ei humiliatio et contumelia. Sed sic dominus punire solet malis contrarijs eis quibus peccauerunt, ut crapulosos esurie, libidinosos doloribus membrorum, superbos contemptu omnium. Bene autem nobiscum agitur & cum superbis, ut non tanta ualeant consequi, quanta audent præsumere, nõ tam nocere pijs quàm uellent. Sed fastus animi excæcat iudicium, & dum optime sibi blanditur, ab omnibus male audit, & inde omnibus bonis displicet, unde maxime sibi stultus placet.

30 Ego scio, ait dominus, iactantiam eius: & quòd non fit iuxta eã uirtus eius, nec iuxta quod poterat conata fit facere.

Sic legit Hebræus, Ego noui, ait dominus, furorem illius & inuidiam Moabitarum contra Israëlitas: non est hesternus, sed à priscis temporibus. Impense semper studuerunt malo Hebræorum quos oderunt ex animo, sed frustra, nihil enim incommodi inferre potuerũt domino protegente, à quibus uicißim non semel uicti sunt. Non suffecerunt illis uires ad nocendum pro libidine, consilia illorum domino uolente sæpius sunt frustrata, ut omnino contra quàm optarint cuncta euenerint: cuius uel unum annotatum est exemplum, Balaam auruspicis execratio, quæ uersa est in benedictionem. Moabitæ hostes suæ dæorum.

31 Ideò super Moab eiulabo, & ad Moab uniuersam clamabo, ad uiros muri fictilis lamentantes.

Non secundũ facta dominus semper iudicat, sed uoluntas praua tantũ coram domino reputatur pro facto, & æquè uindicatur. Ideo super Moab eiulabo & lamentabor calamitates eius, quas patietur eximia urbs illa Ariopolis, cocto lapide extructa, quam cum alijs uiolenter rapuerant sibi Moabitæ cum reliquis, post translatos decem tribus in Assyrios per Salmanassar: non enim diu possidebunt illas, sed destructas lamentabuntur.

32 De planctu Iazer plorabo tibi uinea Sabama: propagines tuæ tranfierunt mare, usq; ad mare Iazer peruenerunt: super messem tuã, & uindemiã tuam prædo irruit.

Miseriam lachrymabilem urbis Iaser ego deflebo, & nobilißimas uineas Sabama dolebo excisas, quarum dulcißimus liquor in remotißimas regiones per mare deportabatur regibus bibendus. Vsq; ad Iaser perueniebãt emptores, & negotiatores uini illius: nec solum uinum nobile, sed totius æstatis prouentus & annonam cum tota uindemia hostis Chaldæus uastator dißperdidit, & tot agricolarum labores frustrauit. Iaser urbs misera.

33 Ablata est lætitia & exultatio de Carmelo & de terra Moab: & uinum de torcularibus sustuli: nequaquam calcator uuæ solitum celeusma cantabit.

De cultißimis Moabiticæ regionis agris & collibus cessauit gaudium messorum & uindemiantium, cum in torcularibus uinum non esset, calcator non caneret, & publicum operarum canticum non audiretur, quia nec cantor adesset nec auditor, deserta terra.

34 De clamore Hesebõ usque Eleale & Iaas, dederunt uocem suam: á Segor usque ad Oronâim uitulam trimam: aquæ quoq; Nemrim pessimæ erunt.

Olim uindemiantium clamor in Hesebon audiebatur, apud urbem Eleale, præ gaudio colligentium electißimos fructus in multa copia, & usque ad Iaaz Gaudia uindemiantium.

ab urbe Zoar usq; ad Horonaïm perpetuum gaudium protendebatur, quæ præ omnimodis delitijs loci & hominum uitula lasciuiens & triennalis dicebatur, electißimæ ætatis & pretij. Deinde aquæ Nemrim, oppidum iuxta lacum sic dictum in solitudinem redigetur.

Poetica amplificatio.

Tot amplificationibus amœnißimis et mere poëticis et planè eruditis uerbis utitur, pro tẽporibus Ieremiæ dum extarent oppida & flos totius regni. Nũc uerò insulsus quißpiam repetitionem uitiosam iudicabit. Cum ad inculcadum timorem, amorem, deuotionem, & morum emendationem nihil æquè prosit ut repetitio, ut tandem hæreat quod toties auribus inculcatur.

35 Et auferã de Moab, ait dominus, offerentem in excelsis, & sacrificantem dñs eius.

Vltimo ferè comminatur, quod & præcedentiũ causa erat aduersitatũ, et superstitiosis acerbißimũ uideri poterat, excelsorum suorum deiectionẽ, ubi idolis spurcißimis offerebant sacrificia, & suffitum exhibebant.

36 Propterea cor meum ad Moab quasi tibia æris resonabit: & cor meũ ad uiros muri fictilis dabit sonitũ tibiarum: quia plus fecit quàm potuit (idcirco) perierunt.

Ex animo se condolere fatetur super tam illustri regno Moabitarum, & ut tibia triste quiddam mußitat sic querulatur euersionem muri constructi ex coctilibus lapidibus circum Ariopolim, & alias urbes enumeratas. Quæ illis uastitas continget & perditio, propter abundantiam & excessum tam diuitiarum quàm superbiæ & impietatis.

37 Omne enim caput caluitium, & omnis barba rasa erit: in cunctis manibus colligatio, & super (omne) dorsum cilicium.

38 Super omnia tecta Moab, & in plateis eius omnis planctus: quoniam contriui Moab sicut uas inutile, ait dominus.

Caluitium superborũ.

Pro nimia superbia ciuium prædicitur eis caluitium, ut præ angoribus & dolore pilos sint extracturi: & barbam euulsuri ob indignitatem quam pati cogẽtur ab hostibus in uxoribus & liberis: et propter rapacitatem & uiolentiam manuum, capti manicis & alligati ducentur: & pro libidine nimia & turpi, lumbos cilicio accingentur. Quia uerò in domorum tectis uel domatibus, & in publicis locis idola sua impuris ritibus coluerunt, solem & lunam, priapum & reliqua deorum portenta, ideo nũc paßim in tectis et plateis planctum reddent, & lugubrem clamorem. Quandoquidem sic conteretur Moab, ut testeum uas, quod nec usui cuiquam ultra adhiberi potest, nec refici ab aliquo, ut nec fragmenta cuiquam prosint. Hoc modo admonendi sunt populi urbium, qui per omnem fastum & luxum dissoluuntur, quasi non iudicandi à deo, imò ac si non sit deus.

39 Quomodo uicta (uastata) est, ululauerũt: quomodo auertit ceruicem Moab, confusus est: eritq; Moab in derisum, & in pauorem omnibus in circumitu suo.

Amplificat miseriam euersi regni, fingens pauere, ululare, miseram ceruicem deijcere, & præ angustia circumspicere quò effugiat, confundi rubore, quia sericulam factam conspicit, et infestari horribiliter abomnibus in circuitu positis uicinis nationibus: quæ omnia uehementer augent miseriam, illorum maxime, qui de insigni & diuturna maiestate in extremã prolapsi sunt contumeliam uel infelicitatem.

40 ¶Hæc enim dicit dñs, Ecce quasi aquila uolabit, et extendet alas suas ad Moab.

41 Capta est Carioth, & munitiones comprehensę sunt: & erit cor fortium Moab in die illa, sicut cor mulieris parturientis.

42 Et cessabit Moab esse populus: quoniam contra dominum magnificatus est.

43 Pauor & fouea & laqueus super te ô habitator Moab, ait dominus.

Repetitio priorum est alijs uerbis, more lamentantium, qui se putant paucis uerbis explicare nõ posse magnitudinem suæ miseriæ. Et propheta laborat inuenire do sententiarum pondera, quibus malorum impendentium magnitudinem explicet ad sufficientiam. Comparat enim rapacitatem & uiolentiam Babylonici regis, aquilæ, quæ alis suis immineat ipsi Moab, ut accipiter pullis & auiculis: sic capiet Chaldæus urbes & munitiones, sine resistentia fortißimorum Moabitarum, qui tunc præ pauore & angustia aßimilabuntur fœminis puerperio laborantibus.

44 Qui fugerit à facie pauoris, cadet in foueã: & qui conscenderit de fouea, capietur laqueo: adducam enim super eam super Moab annum uisitationis eorum, ait dominus.

Breuis & generalis sententia est, contra omnes superbientes contra dominũ & uerbũ suum ut Moabitas, quia sic uastabuntur, ut nullus ibi postea, hoc est paucissimi inibi habitare poßint. Quod utinam nunc miserrimi prouinciæ Christianorum non experimento uerum ascant, ob neglectum & persequutum uerbum dei. Vtinam nunc experientia idipsum nunc sentiunt multo plures nationes & regna, urbes & populi, ubi uidetur pauor, fouea & laqueos, hoc est, abyssus periculorum & calamitatum omnia obruisse, tota scilicet infelicitas, ut qui malum unum effugere cõtendat, incidat in atrocitatem. Sic enim usui uenit impijs, dum dominus iusto suo iudicio diu toleratos & expectatos uisitare & eis uicem iniquitatum rependere cœpit, quo discant reliqui non mere deum, & uerbo domini obedire.

45 In umbra Hesebon steterunt de laqueo (propter potẽtiam) fugientes: quia ignis egressus est de Hesebon, & flamma de medio Seon: & deuorabit partem Moab, & uerticem filiorum tumultus.

46 Væ tibi Moab, periit populus Chamos: quia comprehensi sunt filij tui, & filiæ tuæ in captiuitatem.

47 Et conuertam captiuitatem Moab in nouissimis diebus ait dominus.

Adhuc

Hucusque iudicium Moab.

Adhuc specialiter nominat Hesebon & Seon urbes, crudeliter igne ferroq; uastandas, ubi superbus inhabitauerat populus. Quæ uerò sequuntur omnium prædictorum malorum epilogus sunt, cum adiecta consolatione de futura restitutione in integrũ regni Moabitarum, ut solet dominus ad portas inferi ducere superbos, & humiliatos reducere.

¶ CAPVT XLIX.

1 AD filios Ammon. Hæc dicit dominus, Nunquid non filij sunt Israël? aut hæres nõ est ei? Cur igitur hæreditate possedit Melchom (rex eorum) Gad: & populus eius in urbibus eius habitauit?

2 Ideò ecce dies ueniũt, dicit dñs: & auditũ faciam super Rabbath filiorũ Ammon fremitum prælij: & erit in tumulũ dissipata, filiæq; eius igne succendentur, & possidebit Israël possessores suos, ait dominus.

Sæpe propter peccata sua uastati sunt filij Israël, & à regibus tam Syriæ quàm Assyriorum captæ sunt urbes ultra Iordanem, in hæreditate duarum & dimidiæ tribuum, quas Ammonitæ & Moabitæ sibi rapuerunt, & inhabitarũt, ut patet de Hesebon, Aroër, Eleale, Dibon & alijs. Nunc quoque de Rabbath, & iterum de Hesebon, ut promiscue accipiendum putetur de utriusq; gentibus, quibus hoc malum prædicitur, quia similiter peccauerunt, ut quiq; potuerunt usurpãdo sibi terram & urbes illarum tribuum Ruben, Gad & Manasßis, uiciniores regionibus suis. Accusat ergo eos propheta, quòd hæreditatẽ Israëlitarũ inuaserint, quasi sine filijs obierint & hæredibus, propter quod & ipsi quoque Ammonitæ & Moabitæ suo tempore eijciendi sint, non solum ex prædictis regionibus Israelitarũ, sed etiã suam sint terram amissuri, & capiendos eos quos gladio contigerit liberari: essęq; nihilominus futurum, ut Israelitæ non solum suam denuò terrã sint recuperaturi & inhabitaturi, sed etiam Ammonitarũ & Moabitarũ regnis sint imperaturi. Hoc autẽ sine cõtrouersia contigit per regnum Christi, & Euangelium prædicatum per Apostolos, in omnibus his regionibus, cui deuotissimè obedierunt illæ gentes omnes, in quibus nobiles longo tempore ecclesiæ fidelium floruerunt, ab Apostolorum temporibus usque ad imperium Turcarum. Qui quantum distent à religione uera & Christo, utinam aliquando tractetur, & consulatur saluti electorũ in toto mundo, & gloriæ Christi, & catholicæ fidei & ecclesiæ, uni solo uiuo & uero deo credentium, per filium suum. Ex quibus intellectis patet sensus huius capitis. Malchom autem rex eorum sonat, & aliquãdo pro idolo illorum accipitur, & hoc loco utrunq; significare potest. Rex enim Moabitarum sic terram harum tribuum sibi uindicauit, ut suorum quoq; deorũ cultum in eis erexerit. Rabbath filiorum Ammon postea dicta est Ariopolis, quia Martis ciuitas, quem coluit deũ: ut hodie Venetia Marcũ, & suas quoq; urbes habent Martinus, Thomas & Hyppolitus, Mauritius & alij. Vastata aũt Ammonitarum metropoli, nõ se tueri potuerũt urbes reliquæ minores & subditæ, sed igne uastatæ sunt omnes.

3 Vlula Hesebon, quoniã uastata est Hai: clamate filiæ Rabbath, accingite uos cilicijs: plãgite & circumite per sepes: quoniã Melchom in transmigrationẽ ducetur, sacerdotes eius, & principes eius simul.

Hesebon utriusq; populis Ammonitis & Moabitis cessisse uidetur. Hai autẽ hic nominata alia est ab ea quam propè Bethel in tribu Iuda Iosue cepit, sed oppidum est subiectũ metropoli Rabbath, quod cũ coæqualibus hic notatur cõtendisse summis uiribus pro tuendo se & suo idolo. Sed fatũ, hoc est, dei uolũtas & prouidentia egit ut deus illorum & idola reliqua unà cum sacerdotibus & templorũ pontificibus, & populi principibus simul in exiliũ relegati sint, & in duram captiuitatem. Hesebon duarum tribuum.

4 Quid gloriaris in uallibus? Defluxit uallis tua filia auersatrix: quę cõfidebat in thesauris suis, & dicebat, Quis ueniet ad me?

Alloqui uidetur totũ regnũ de cuius nunc metropoli dixerat, quòd fertilissimas habuerit regiones, ualles, nõ sine aquis & fontibus cum sint & oppidis, felicissimas: de quibus sese iactare potuerit nõ uanè, quæ tamen sanguine occisorũ uestrorũ impinguandæ sint, propterea quod rebellarit, & auersa fuerit non solum à deo, sed etiam à regibus olim Israel, & tandem contra Babylonium sese erexerit, & fiduciã habuerit in multitudine thesaurorũ suorũ, qui illi occasio fuerũt uastationis, & maioris odij, sicut & superbiæ maioris.

5 Ecce ego inducã super te terrorẽ, ait dñs deus exercituũ, ab omnibus qui fũt in circuitu tuo: & dispgemini singuli à cõspectu uestro, nec erit qui cõgreget fugiẽtes.

A domino immissus est Ammonitis pauor, de quo non cogitassent, irruentibus & impugnãtibus eos omnibus uicinis in gyro, à quibus & debellabuntur & dissipabuntur, unus huc alius illuc, ut disperguntur pulueres, nunquam scilicet iterum congregandi.

6 Et post hæc reuerti faciã captiuos filiorũ Ammon, ait dominus.

Promittitur his quoq; sicut & Moabitis reditus à captiuitate, quem alium intelligere nõ possumus, quàm ut de Israelitis & Iudæis. Vt scilicet in fidei libertatẽ per Christum sic cõgregandi sint omnes, ut in uno Christi regno pacificè habitent, intra unicam ecclesiam catholicam, intra muros Ierusalem, toto orbe imperiũ tenente, sub uno rege, fratre omniũ, Christo domino, qui & filius dei, cuius omnes fideles necessariò se cohæredes in Christo credere possunt, & certò persuasi sunt & intelligunt. Quæ gentium congregatio si alicui non sufficiat, colligat omnes homines Christo nõ insertos, & faciat unã urbem ex tota terra Chanaan, & experiatur quæ ciuilitas felicior sit, ipsorum an nostra. Congregatio in Christo.

7 ¶ Ad Idumæam. Hæc dicit dominus exercituum: Nunquid non ultrà est sapiẽtia in Theman? Periit consiliũ à filijs: inutilis facta est sapientia eorum.

Idumæa uastanda.

Contra Idumæã consequẽter prophetat, australem Iudæis regionẽ, in montibus Seir, in quibus multæ magnæ & fortes urbes erant, Theman, Bosra, Dedan, in quibus posteri Esau habitabant, quibus Amalechitæ iungebantur, & Gabalena regio postea est dicta: horũ exterminium prædicit, sicut & Moabitarũ. Insignis olim sapientia iactata est de Themanitis, à qua occasionẽ loquendi arripit, quæ impedire non possit imminentẽ illis uastationem, sed perituram, & in stultiã uertendã. Nullum enim consilium ualet contra dominum.

8 Fugite, & terga uertite, descendite in uoraginem habitatores Dedan: quoniã perditionem Esau adduxi super eum, tempus uisitationis eius.

Dedan ubrs.

Dedan similiter in monte fortis ciuitas, nõ se tuebitur ab hoste, sed fugiet ad planiciem, renũtiabit robori suo, & à monte in ualles exitiũ aufugere conabitur, sed frustra, cum dominus æquè uallium dominus sit, sicut & montium, cui non effugient ij, quos perditos uoluerit, uisitationes domini non impediũtur, & decretũ omnipotentis contra domum Esau non retractabitur.

9 Si uindemiatores eius uenissent super te, non reliquissent racemũ: si fures in nocte, rapuissent quod sufficeret sibi.

10 Ego uerò discooperui Esau, reuelaui abscondita eius, & celari non poterit: uastatum est semen eius, & fratres eius, & uicini eius, & non erit.

In summa dicit, sic ex imo & fundo dominum eruiturum esse Idumææ urbes, ut nullus fur aut prædo sic possit omnia auferre ut ipse sit ablaturus. Alij enim prædones sufficientia sibi rapiunt, & quæ auferre possint, cætera relinquentes. Dominus autem uastabit nedum diuitias, sed & urbes & ædificia, & quicquid thesaurorum reposuerat, totum auferet, ut etiã posteritas Esau sit abigenda, & semen cum amicis & omnibus uicinis illorum: aspergentur hac lue exitij etiam propinqui tam loco quàm sanguine.

11 Relinque pupillos tuos, ego faciã eos uiuere: & uiduæ tuæ in me sperabunt.

Vri quidem adultæ ætatis occidentur. Relinquendos uerò iubet dominus pupillos, orphanos & uiduas, ad maiorem afflictionem & calamitatẽ regionis. Clementiam interim pollicetur dominus suo more, imbellibus & miseris personis non negandã, quibus se patrẽ exhibet tutorẽ & pastorẽ. Nam & omni solatio temporali destitutæ uiduæ cum prole dominum acclamabunt, & auxilium implorabunt ac sentient.

12 ¶ Quia hæc dicit dñs, Ecce quibus non erat iudiciũ ut biberent calicẽ, bibentes bibent: & tu quasi innocẽs relinquêris? Nõ eris innocens, sed bibens bibes.

Si Israëlitis & Iudæis, qui populus meus peculiaris, propter incredulitatem nõ peperci, & loco cultus mei Hierosolymæ, & gentibus alijs pro malitia sua & impietate, quomodo tibi parcerem ex Esau nato & Abraham? Alijs calicem passionũ bibentibus, tu æquè malus non euades iudicium domini, sed cum uicinis quoq; gentibus patieris grauia sine dubio.

13 Quia per memetipsum iuraui dicit dñs, quòd in solitudinem, & in opprobrium, & in desertum, & in maledictionem erit Bosra, & omnes ciuitates eius erunt in solitudines sempiternas.

14 Auditũ audiui à domino, & legatus ad gentes missus est, Cõgregamini, & uenite contra eam, & cõsurgite in prælium.

15 Ecce enim paruulũ dedi te in gentibus, contemptibilem inter homines.

16 Arrogãtia tua decepit te, superbia cordis tui: qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinẽ collis: cum exaltaueris quasi aquila nidum tuũ, inde detraham te, dicit dominus.

Bozra Idumæorũ metropolis prædicitur desolanda, & opprobrium, cladem & maledictionẽ experturum, cum omnibus oppidis adiacentibus, quæ omnia paria uastãda sint, & prouintia in solitudines redigenda, sine dilatione, quandoquidem iam nunc nuntij dimissi sint, ad conscribendum exercitum Chaldæorũ contra Edom, ut redigatur in minimam gentem, quæ fuerat maxima diues & clara, nimiumq; superba ex diuitijs & luxu. Erat enim terminus felicis Arabiæ propinquus, & uelut Aquilæ rapaces in altissimis rupibus nidos collocant, sic Edomitæ in arcibus altissimis habitabant, de omnibus alijs prædas rapientes, & ob ardua loca à nemine expugnari poterant ut gigantes.

17 Et erit Idumæa deserta, omnis qui transibit per eam, stupebit, & sibilabit super omnes plagas eius.

18 Sicut subuersa est Sodoma & Gomorrha, & uicinæ eius, ait dñs: non habitabit ibi uir, & nõ incolet eam filius hominis.

Nemo existimasset tam alta & inaccessibilia castra & arces munitissimas uastari posse, & prædari quam tam fortibus prædonibus. Sed cõtra dominum nulla ualet munitio. Tãta solitudine horribilis erit hæc prouintia, ut transeuntes per eam stupere & exhilarare se eam cogãtur, & admirari plagas ipsius, quæ ut Sodomæ & Gomorrhæ cum uicinis urbibus sic uastata est, ut nec uestigiũ cernatur pristinæ coloniæ, & peregrinus illam præ solitudine pertransire non ualeat.

19 Ecce quasi leo ascẽdet de superbia Iordanis ad pulchritudinẽ (habitationem) robustã: quia subitò currere faciã eum ad illam: & quis erit electus quem præponam eis? quis enim similis mei? & quis sustinebit me? & quis est iste pastor, q refistat uultui meo?

Sicut enim ad Iordanis eleuationem, dum scilicet pas suas pro more superat, & arua adiacentia aquis implet, aufugiunt inde leones, & ad prata habitaculis destinant Ethan propinqua: sic impellam ego hostes Ecclesiæ mitarum, ut currãt, & subitò irruãt in Ethan, & obsidant urbes in mõtibus Seir sitas, ad uastandũ omnia, ut ex eis [illegible]

iuuenes & electi illorum milites occidendi sint, & extremo supplicio afficiendi, ac uisitandi per me, qui illis non parcam, & quamlibet truculenti sint & feroces prædones gentium circumiacentium populorum, ego tamen illos uincam robore meo & iustitia, qui uerus pastor sum, & arcere uolo sæuissimos leones istos, ne perpetua tyrannide depredentur populos, cui resistere non poterunt, sed more crudelium leonũ capientur & trucidabuntur, ne amplius pauori sint uicinis.

20 ¶ Propterea audite consilium domini quod iniit de Edom: & cogitationes eius quas cogitauit de habitatoribus Theman. Si non deiecerint eos paruuli gregis, nisi dissipauerint cum eis habitaculum eorum.

Constitutum est à domino Idumæam uastandam, id quod nemo prohibebit. Idq; fiet etiam per eos quos existimauerant longe minores, quos nunquam timuerant, qui à uiribus tam corporum quàm urbium & castrorum fidebant, ueluti inuincibiles, qui & olim heroes nobiles ex eis locis expulerant, sed nunc à minoribus diuino iudicio superabuntur.

21 A uoce ruinæ eorum commota est terra: clamor in mari rubro auditus est uocis ei⁹.

22 Ecce quasi aquila ascendet & auolabit: & expandet alas suas super Bosram: & erit cor fortium Idumææ in die illa, quasi cor mulieris parturientis.

Tam uehemens ruina erit illorum & casus, ut usq; ad maris rubri terminos sit audiendus: habet enim ab oc caſu & austro Idumæa mare rubrum uicinum. Subito incidet illis hoc incommodum, hæc clades, ut aquila subito prædam apprehendit alis suis uelociter admota: sic sine prouisione tanti mali Babylonius illis uastator aduenit, à quo se tueri non poterunt, sed instar parturientis fœminæ exclamabũt dolebũtq;. Docemur timere semper manũ domini, qui quantũlibet fortes humiliari subito potest & facile, & grassatores & prædones male perdit.

23 ¶ Ad Damascũ. Confusa est Emath & Arphad: quia auditum pessimum audierunt, turbati sunt: in mari, præ solicitudine quiescere non potuit.

24 Dissoluta est Damascus, uersa est in fugam, tremor apprehendit eã: angustia & dolores tenuerunt eam, quasi parturientẽ.

Damascus metropolis.

Contra regnum Syriæ in quo metropoles fuerunt Damascus & Arphad, in quo postea Antiochia caput fuit, olim Hemath dicta. Cui Syriaco regno præfuerat Benhadad, siue hoc nomen fuerit commune regibus, sicut Abimelech Palæstinis, & Cæsares Romanis, siue unius & alterius regis nomen tale fuerit. Prædicit simpliciter & paucis huic regno excidium futurum à Chaldæis, quod & à regibus Assyriorum primò oppressum est & subiugatum. Iubentur autem urbes illæ uel potius prædicuntur formidare & confundi à rumore, qui iactatur passim de futuro illis excidio, quod euadere non possunt, etiam si fugiant cum tremore.

25 Quomodo non dereliquerũt ciuitatem

laudabilem, urbem lætitiæ?

26 Ideò cadent iuuenes eius in plateis eius: & omnes uiri prælij conticescẽt in die illa, ait dominus exercituum.

27 Et succendam ignem in muro Damasci, & deuorabit mœnia Ben adad,

Casus Damasci.

Cum populosissima fuerit Damascus & celebris, plena diuitijs & gaudio, iucundaq; habitatio diuitum, tamen dolore & angustia uelut parturiens opprimetur. Electa illorum iuuentus & militia cadet in illius plateis, eodem die occisi ad unum, domino iubente, & urbs quoq; conflagrabit igne, cum regio palatio, ut cesset omnis illius tam gloria quàm potestas. Causa autem aduersitatis illius cum non addatur, intelligitur notior esse quàm ut multis recitetur, ut patet legentibus historias regum Israël & Iuda, quorum fuit hoc regnum perpetuus persecutor & hostis, dum potuit, situm scilicet inter Iordanem & Euphraten, ultra Libanum ad aquilonem, uersus orientis plagam.

28 ¶ Ad Cedar, & ad regna Asor, quæ percussit Nabuchodonosor rex Babylonis, hæc dicit dominus, Surgite, ascendite ad Cedar, & uastate filios orientis.

29 Tabernacula eorum, & greges eorũ capient: pelles eorum, & omnia uasa eorum, & camelos eorum tollent sibi: & uocabũt super eos formidinem in circumitu.

30 Fugite, abite uehementer, in uoraginibus sedete qui habitatis Asor, ait dominus: iniit enim contra uos Nabuchodonosor rex Babylonis consilium, & cogitauit aduersum uos cogitationes

Cedarenorum Hazor.

Cedareni dicti sunt etiam Agareni ab Agar, postea sese Saracenos uocarunt, qui & per totam solitudinem habitant ad ortum Arabiæ, non tamen sine quibusdam urbibus, quarum una quoq; Hazor dicta est, cum nomen illud generaliter ullam significet. Fuerunt enim ij Ismaelitæ Nomades, in tabernaculis et uillulis habitantes, ob commodiora pascua, quam late patentem regionem Babylonius subiecit sibi, sicut & alias, omna diripiens, tentoria, hoïes, armenta, pecora, uasa, pelles, et camelos.

31 Consurgite, ascendite ad gentem quietam, habitantem cõfidenter, ait dominus: non ostia, nec uectes eis: soli habitant.

32 Et erunt cameli eorũ in direptionem, & multitudo iumentorum in prædam: & dispergam eos in omnem uentũ, qui sunt attonsi in comam: & ex omni confinio eorũ adducam interitũ super eos, ait dominus.

33 Et erit Asor in habitaculum draconum, deserta usq; in æternum: non manebit ibi uir, nec incolet eam filius hominis.

Stilo prophetico hortatur hostes Chaldaicos, hoc est, sese hortantes introducit, ut aggrediantur gentem istam diuitem, tranquillam & securam hactenus habitantem, quia in tabernaculis commorentur, sine portis & uectibus, quæq; familia seorsum, ut facile obrui & diripi

possint diuitiæ illorum, armenta scilicet & cameli. Qui ut ad labores apti sunt, & sine lenocinijs calamistratu-ræ, dicuntur familiari epitheto suo Attonsi coma, passim in scripturis. Et quæ illis urbs uel unica erat uastabitur, & in desertum sempiternum statuetur.

34 ¶ Quod factum est uerbũ domini ad Ieremiam prophetã aduersus Aelam, in principio regni Sedechiæ regis Iuda, dicens,

35 Hæc dicit dominus exercituũ, Ecce ego confringam arcum Aelam, & principium fortitudinis eorum.

36 Et inducam super Aelam quatuor uentos à quatuor plagis cœli: & uentilabo eos in omnes uentos istos: & non erit gens, ad quam non perueniant profugi Aelam.

37 Et pauere faciam Aelam coram inimicis suis in conspectu quærentium animam eorum: & adducam super eos malum, iram furoris mei, dicit dominus: & mittam post eos gladium, donec consumam eos.

38 Et ponam solium meũ in Aelam: & perdam inde regem et principes, ait dominus.

39 In nouissimis autem diebus reuerti faciã captiuos Aelam, dicit dominus.

Persarum Susa.

Aelamitæ Persæ dicuntur, trans Babylonem, quorum metropolis Susa est, qui cum Persis contra Babylonem uenerunt: iam antea quoq; à Babylonijs quibus orientaliores sunt, ut hic prædicitur, uastati. Qui, quia arcu ualebant in prælio, ideo nunc prædicitur illorum arcus confringendus, id est, in prælio uincendi ab hostibus, & dispergendi ad quatuor orbis plagas: quorum tamen captiuitas restituenda promittitur. Interciderunt Hebræis non pauci historici, qui si extarent horum locorum in prophetis clarior haberetur explicatio, consulendi igitur sunt authores gentiliũ. Nostrũ est discere cultũ æquitatis & iustitiæ, qua regna consistunt, & cultus legitimus ueri dei, qui cultores suos nõ deserit, nec uinci sinit.

¶ CAPVT L.

1 VErbum quod locutus est dñs de Babylone, & de terra Chaldæorum in manu Ieremię prophetę.

Toto fere uolumine propheta admonuit Israëlem, ut domino adhæreret, alioqui à Babylonijs uastandus: deinde quid passus ipse fuerit ob ueritatis prædicationem, et quomodo cõpleta sit illius prædicatio per

Babylonis merces.

Babylonios, qui nedum Iudæos, sed etiam omnes uicinas illis gentes adflixerunt. Nunc ultimo quid mercedis Babylon acceperit longis duobus sermonibus explicat: mirum ipsa quoq; miserè tractata à regibus Persarum et Medorũ, iudicio domini, prouidentia sua ordinantis uniuersa, ut pij redimantur ab impijs, & impij post impletã crudelitatis mensurã, suum quoq; ferant graue iudiciũ.

2 Annuntiate in gentibus, & auditum facite, leuate signũ: prædicate, & nolite celare: dicite, Capta est Babylon, confusus est Bel, uictus est Merodach, confusa sunt sculptilia eius, superata sunt idola eorum.

3 Quoniam ascendit contra eam gens ab aquilone, quæ ponet terrã eius in solitudinem: & non erit qui habitet in ea, ab homine usq; ad pecus, et moti sunt, et abierũt.

Non sine magno gaudio audituræ erant tot gentes adflictæ à Chaldæis ipsius quoq; Babylonicæ urbis uastationes, quæ sua uiolentia & fastu omnium gentium odium sibi conflauerat. Ideo ut faustum nuntium calamitatis eius propheta cupit omnibus patefieri, & uberius passim denuntiari in gentibus, futurum iudicium ultionis contra Babylonem, utq; erecto signo concurrant omnes ad exitium crudelissimi regni, & urbis, eiusq; idoli, quod se & suos defendere non possit. Nominantur autem duo, Bel & Merodach, præcipua inter alia, quæ & ipsa inter spolia abducentur à Medis aquilonaribus, & Persis orientalibus populis, qui uastabunt Babylonem, & in solitudinem redigent, ut nec ab hominibus nec immundis post hæc sit inhabitanda.

4 In diebus illis, & in tempore illo ait dominus, uenient filij Israël, ipsi & filij Iuda simul: ambulantes & flentes properabũt, & dominum deum suum quærent.

5 In Sion interrogabunt uiam, huc facies eorum: uenient, & apponentur ad dominum fœdere sempiterno, quod nulla oblitione delebitur.

Reditus Israëlis & Iuda hic prædicitur statim futurus post captam Babyloniam, quandoquidem licentia generalis data est à Cyro, ut per totam monarchiam suam Iudæis liberum esset, & Israëlitis reuerti ad cultũ dei Israël, propter quod & ubicunq; erant fideles & pij, redibant, impij uerò tanta gratia sese reddebãt indigni. Si qui uerò piorum manebant in suis prouincijs, hoc dispensatione diuina actum est ad propagandum in gentibus gloriam & fidem unius dei, suo tempore perficiendam à Christo & Apostolis, prædicatione Euangelica. Dicuntur autem flentes redituri, qui non tanto numero redibant quanto exulauerant, nec ad tantam statim gloriam promouendi. Aliàs autem redibant, et magno desyderio, posthac æterno fœdere domino adhæsuri. Non enim ad idololatriam postea relapsi sunt, & per Christum & apostolos prouexerunt gloriam suam, dei solum cet cultum in totum orbem, longe gloriosiores effecti, quàm fuerint unquam patres sui, quantumlibet sancti.

6 ¶ Grex pditus factus est populus meus: pastores eorũ seduxerunt eos, fecerunt uagari in montibus: de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui.

Miseria Iudæorum describitur propter peccata sua, & crudelitatem multorum hostium, quibus & ipsis uictis iterum iam pœnitentes & conuersi consolantur. Et sicut decepti fuerant impijs sacerdotibus pseudoprophetis, sic sanctis sacerdotibus, scribis & propheticis incumbentibus redibunt ad propria. Per uarios enim errores distracti fuerant ad idola, hinc inde sibi excitis statuere edocti in montibus, deserto unico suo templo, & deo consecrato & electo, quod dicitur cubile Israëlis.

Omnes

7 Omnes qui inuenerũt, comederunt eos: & hostes eorũ dixerunt, Non peccauimus: pro eo quòd peccauerunt domino decôri iustitiæ, & expectationi patrũ eorum dño.

Ab omnibus circumiacentibus regnis uellicati sunt, quorum & libidini permißi sunt ob peccata sua, unde templũ & paterna hæreditas fuerunt uastata et erepta, illis abductis in terras crudelium, nunc in Assyrios, nunc in Chaldæam, nunc in Aegyptum, nunc profugi in alias.

8 Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorũ egredimini: & estote quasi hœdi ante gregem.

Prædicit reditum Israëlitis prophetico sermone, quasi iubens eos ausugere de Babylone proxime capienda, & ex Chaldæa uastanda, ut resumant suam libertatem denuo futuri ueluti grex habens præpositos sibi fidißimos arietes præcedentes quos tutò sequantur.

9 Quoniam ecce ego suscito, & adducam in Babylonem congregationem gentium magnarum de terra aquilonis: & præparabuntur aduersus eam, & inde capietur: sagitta eius quasi uiri (exercitati) fortis interfectoris, non reuertetur uacua.

10 Et erit Chaldæa in prædam: omnes uastantes eam replebuntur, ait dominus.

Quæ multas adflixerat gentes, dum domino placuit, hæc nunc uicißim à multis & magnis adfligitur, non enim amore uindictæ sumendæ de impijs uel domino complacendi, & prophetarũ dei implendi præsagia, sed libidine regnandi, rapiendi, & occidendi multos, bella gesserunt: interim tamen facti flagellum dei irati, quo recti sunt, & dure tractati. Ab aquilone fere omne malum oritur. Fortaßis locutio est, ut hostes ingruentes alicui, ab aquilone malum nominentur. Nam tam Persæ quàm Medi orientales sunt Babylonis, Persis ad austrum, Medis ad aquilonem declinantibus. Sic autem oppugnabunt undiq; Babylonem, ut non sint destituri donec capiant, impetentes eam iaculis exercitatißimi sagittarij, quorũ spicula nunquam fallantur. Tam diu autem obsidebunt, donec in spolium tradatur, cuius diuitijs maximis satura bitur miles, quantumlibet auarus.

11 Quoniam exultatis, & magna loquimini, diripientes hæreditatem meam: quoniam effusi estis sicut uituli super herbam, & mugistis sicut tauri.

Causam exponit quare talia sint passuri: quia scilicet exultabant dudum de calamitate Israëlitarum, cum deprædarentur hæreditatem domini, populos Israël & Iuda, & tripudiaretis ut uitula lasciuiens, & præsepio impinguata, cornupetens fortißime.

12 Confusa est mater uestra nimis, & adæquata pulueri quæ genuit uos: ecce nouißima erit in gentibus, deserta, inuia, & arens.

Quemadmodũ mater pudefit propter filiæ scelera et inertiam: sic Chaldæorũ maiores propter posteros suos, qui propter conscelerationẽ ac degenerationem superabuntur & capientur: & quæ fuerat regina regnorum Babylon, fiet propediem desertum inuium, & solitudo. Non quod eam Cyrus redegerit in solitudinem, sed omnem sibi gloriam eripuerit, famulari coegerit, & super bißimam urbem è statu suo deiecerit, ut suijpsius fuerit facta quàm dißimilima, & penè uacua. Tales enim formulæ locutionum sunt in prophetis, sicut & apud poëtas, et uulgo usitatæ, quasi syluam malorum illi illapsam, & ilias intelligat ac loquatur, suo more.

13 Ab ira domini non habitabitur: sed redigetur tota in solitudinẽ. Omnis qui transibit per Babylonem, stupebit, & fibilabit super uniuersis plagis eius.

Is modus loquendi familiaris est prophetæ de similibus causis. Fauere Babylonijs uidebatur dominus, cum eis de omnibus gentibus largiretur uictorias, sic nũc irascitur illis, cum in prædam & ignominiam exponuntur, quos prius deuicerant. De qua rerum uicißitudine omnes attoniti fiunt, & fibilum ædunt, per admirationem tantæ calamitatis.

14 Præparamini cõtra Babylonem per circumitũ omnes qui tenditis arcũ, debellate eã, non parcatis iaculis: quia dño peccauit.

Hortatur prophetico spiritu hostes, ut instent contra Babylonem, aciem fortiter instruant, arcus tendant, & manus feriari non sinant, nec parcant sagittis, quia non suum sed domini opus exequantur, cui illa peccauit.

15 Clamate aduersus eam, ubiq; dedit manum, ceciderunt fundamenta eius: destructi sunt muri eius, quoniã ultio domini est. Vltionem accipite de ea: sicut fecit, facite ei.

Clamore bellico uel tubis clangite contra eam undiq;, ut se statim cogatur dedere: deinde subuertite muros eius, & deijcite usq; ad fundamenta eius: sic enim ulciscetur dominus crudelitates eius, quas intulit uicinis, cui par pari rependite. Talis finis manet uiolentos, ut uiolentiores experiantur. Classicum

16 Disperdite satorẽ de Babylone, & tenentem falcem in tempore messis à facie gladij affligentis. Vnusquisq; ad populum suum conuertet, et singuli ad terram suã fugient.

Redigite in tantam desolationem regionem Chaldæorum, ut nec seri posßit amplius, nec meßis sperari, omnia uiolento gladio perturbentur, ut nullus proximo succurrere posßit, sed ut quisq; potest ocyßime ausugiat, quo se sperat posse saluari. Digna ultio diuina, ut qui omnes uastauerant, iam sic ab omnibus diuexẽtur, ut mutuis cædibus cadant & fugiant omnes. Sunt enim aulæ monarcharum congestæ ex uarijs populorum principibus magnatibus & solertibus uiris, qui muscarum more isthic aduolant, ubi spes est opulentiores reuerti, qui ingruente bello retro spectant, et miserũ auxilio destituũt. Aulæ monarcharum.

17 ¶ Grex dispersus Israël, leones eiecerunt eum. Primus comedit eum rex Assur: iste nouissimus exossauit eum Nabuchodonosor rex Babylonis.

18 Propterea hæc dicit dominus exercituũ

deus Israël, Ecce ego uisitabo regẽ Babylonis, et terram eius: sicut uisitaui regẽ Assur.

19 Et reducã Israël ad habitaculũ suum: & pascetur Carmelum & Basan: & in monte Ephraim & Galaad saturabit anima eius.

Opprobrat propheta calamitates incussas filijs Israël, nunc ab hoc, nunc ab illo Assyrio. Salmanasar enim & Teglatphallasar non modicam partem Israëlis abducũt, Sennacherib aliam, Nabuchodnezer residuos, uelut ferocissimi leones irruerunt, donec totus defecit & consumptus est Israël. Iam uerò domino ordinante, is qui Israëlis uastatores, & Israëlem disperdiderat, attrotius punitur, & qui omnium subiacebat improbitatibus, eruitur de omnium manibus: conuersus autem ad dominum redit ad hæreditatem patrum, eo modo quo superius declaratum est. Nolentibus enim reuerti cum possint, imputatur sua ignauia: de dei promissionibus datis & non susceptis illi conqueri non possunt, dum alij ad copiosius bonum dei prouidentia subsistunt in sortibus suis. Satis autem constat suo tempore totam illam Israëlitarũ regionem citra & ultra Iordanem, tam in Galaad quàm Basan, & montem Ephraim inhabitasse deo charissimos fideles, post tempora Christi, tam ex Iudæis quàm gentibus. Sed & dubium non est, si tanta fuit Iudæorum multitudo, quam Iosephus enumerat, quem ego puto uanissimum suæ gentis cbuccinatorem & mendosum, non fuit certè tanta multitudo ex solis Iudæis reuersis de Babylone, sed etiam de omnibus alijs tribubus, sed sine discretione familiarum & tribuum, quandoquidem & qui de tribu Iuda erant, Christi domini familia, in Galilæa habitabant, & Anna uidua de tribu Aser, & Iudas proditor de Isaschar, et alij multi de alijs locis & tribubus: ut mera agnoscatur fabula esse de clausura Iudæorum in nescio quibus Caspeis montibus, uel Oceani littoribus aquilonaribus, quam confingunt perfidi Iudæi, ad sceptrum suum defendendum, quod Iacob usq; ad Messiæ tempora duraturum Iudæis promisit.

Vastatores uastandi.

Iosephus historicus.

Reditus Israëlis.

20 In diebus illis & in tempore illo, ait dominus, quęretur iniquitas Israël, et nõ erit: & peccatum Iuda, & nõ inuenietur: quoniam propitius ero eis quos reliquero.

Remissio peccatorum tam Israëlis quàm Iudæ imperfectius quidem facta est post Babylonam uastatam, & concessum à Cyro et Dario reditum omnibus, qui in regno illorum Israëlitæ erant. Longe autem perfectissime completa est per Christi mysterium, prædicatum omnibus tam Iudæis quàm Gentibus, toto orbe dispersis, & in unitatem fidei in unam ecclesiam unico baptismo congregatis. Omnibus enim Iudæis ad Christũ in principio ecclesiæ conuersis uel postea, nõ dubium est quin peccatorum omnium sit concessa remissio, perfidi autem sua culpa digne flagellantur.

Christi mysterium.

21 ¶ Super terram (exacerbantium) dominantium, ascende, & super habitatores eius uisita, dissipa, & interfice quæ post eos sunt, ait dñs: & fac iuxta oĩa quæ præcepit tibi.

Verba domini ad exercitũ Medorum & Persarũ, ut ascendat cõtra terram Chaldæorum, crudelissimos tyrannos & perfidos in deum suũ, quem agnouerant, sed non glorificauerãt, & iussu diuino uisitent habitatores eius, & exterminent quicquid inuenerint, nihil post se relinquentes, quàm ommodã uastationẽ et anathema reuũ omnuum. Sic enim & ipsi quoq; per fastũ crudeliter regnarunt cum cæteris regnis omnibus, quæ subiugauerant.

22 Vox belli in terra, & contritio magna.

23 Quomodo confractus est, & contritus malleus uniuersæ terræ? quomodo uersa est in desertum Babylon in gentibus?

24 Illaqueaui te, & capta es Babylon, & nescias: inuenta es & apprehensa: quoniã dominum prouocasti.

25 Aperuit dominus thesaurum suum, & protulit uasa iræ suæ: quoniam opus est domino deo exercituũ in terra Chaldæorũ.

Gratulatio regnorum omnuum de libertate illis restituta ex Babylonici regni & urbis deiectione. Quidni gauderent erepti tam duro fornace Babylonico, & malleo uniuersæ terræ? Laqueum illi dominus posuit, quo et capta est Babylon. Ignoranti sibi decipula cõposita est, qua & comprehensa est à domino, quem superbia sua irritauit, ut thesauros iræ suæ effunderet in eam sontes, & ostenderet quàm sibi displicet crudelitas et fastus potentium, perfidiaq; in deum, qui dominus est dominantium, & uictoriarum solus largitor.

26 Venite ad eam ab extremis finibus: aperite (ut exeant) qui conculcent eam. Tollite de uia lapides, & redigite in aceruos, & interficite eam: nec sit quicquam reliquum.

27 Dissipate uniuersos fortes eius, descendant in occisionem. Væ eis, quia uenit dies eorum, tempus uisitationis eorum.

Amplificatio est prophetica, ad terrorem impiorum, & cõsolationem piorum: Irruite ad illam finaliter perfectissimeq; uastandum, ut promos et penuaria illius omnes; thesauros peruesligetis, & disiciatis muros eius in aceruos, & reposita illorum inquirite, donec tota res liqua sit tantummodo in ruinis: arbores quoq; fructiferas excindite, & quicquid uiuum inuenerilis interficite: ultimum illi diem inferte, quem illius uindictæ dominus definuit.

28 ¶ Vox fugientium, & eorum qui euadunt de terra Babylonis: ut annuncient in Sion ultionem domini dei nostri, ultionem templi eius.

Affingit gaudium redeuntibus Israëlitis ad propria post Babylonam deiectam, nuntijs festinato missis Hierosolymam ad consolandum ruinas illius, quas nunc restituendas, postquam æmula eius Babylon cum dominus; uindicauit ipsius iniuriam, & templi dei electricem potentiam infirmauit.

29 Annuntiate in Babylonẽ plurimis omnibus qui tendunt arcum: cõsistite aduersus eam per gyrum, & nullus euadat. Reddite ei secundum opus suum: iuxta omnia quæ

quæ fecit, facite illi: quia contra dominum erecta est, aduersum sanctum Israël.

30 Idcirco cadent iuuenes eius in plateis eius: & omnes uiri bellatores eius conticescent in die illa, ait dominus.

Redit ad exhortandũ Medos & Persas ne desistant, quo minus capiatur Babel, sed insistant fortiter, arcubus propulsando eos qui murum tutantur, uel dimicare molliuntur contra aduersarios. Castra uestra in gyrum erigite, ne quis euadere possit: per omnia rependite talionem, & humiliate eam, quæ se ausa est erigere contra dominum sanctum Israëlis, cuius sacram ædem & cultũ prauæ uoluntate destruxit. Digna enim est cuius iuuenes intra eam in plateis occidantur, cõfundantur, & sileant omnes, qui bello aptissimi fuerãt, ut experientia discant, non uires & uiros, sed dominum deum parare uictorias.

31 ¶ Ecce ego ad te superbe, dicit dominus deus exercituũ: quia ueniet dies tuus, tempus uisitationis tuæ.

Repetitiones propheticæ pertinent ad exaggerationem tam peccatorum quàm pœnarum, ut superbia aliquoties uellicata erubescat & intelligat causam suæ cladis, potentiamq; eius, contra quem conata est pro uirili.

32 Et cadet superbus, & corruet, & nõ erit qui suscitet eum: & succendã ignem in urbibus eius, & deuorabit omnia in circuitu eius.

Superbus rex Babylonis cadet, ut nunquam sit resurrecturus, uel regni gloriam resumpturus: urbes Chaldæorũ igne exurentur, quæ sunt in circuitu Babylonis.

33 ¶ Hæc dicit dominus exercituum, Calumniam sustinent filij Israël & filij Iuda simul: omnes qui ceperunt eos, tenent: nolunt dimittere eos.

34 Redemptor eorum fortis, Dominus exercituum nomẽ eius: iudicio defendet causam eorum, ut exterreat terram, & commoueat habitatores Babylonis.

35 Gladius ad Chaldæos, ait dominus: & ad habitatores Babylonis, & ad principes, & ad sapientes eius.

36 Gladius ad diuinos eius, qui stulti erũt:

37 gladius ad fortes illius, qui timebunt.

Gladius ad equos eius, et ad currus eius, & ad omne uulgus, quod est in medio eius, et erunt quasi mulieres: gladius ad thesauros eius, qui diripientur.

38 Siccitas super aquas eius (erit) & arescẽt: quia terra sculptilium est, & in portentis gloriantur.

Iterum consolatur Israëlem ex Babyloniorum clade. Non semper calumniam patientur filij Israël, ut captiui teneantur à Babylonijs sicut & Iudæi. Vbiq; hic propheta coniungit redeuntes pariter, post uastatam Babel Israëlem & Iudam. Omnes, inquit, qui ceperant eos, sic detinent eos, ut dimittere nolint, donec scilicet Babylonicum imperium totaliter destruatur. Sed fortior est redemptor eorum quàm omnes qui illos opprimunt, qui & causam illorum iudicabit, & uindictam sumet de his, qui licet mea uoluntate, suis tamen iniquissimis uoluntatibus crudeliter tractauerunt. Conturbabit enim totam Chaldæorum terram, & Babylonicos ciues excindet, & seuero iudicio damnabit tam eam quàm omnia quibus hactenus est gloriata, Chaldæam totam regionem, ciues quoq; Babylonis & principes eius, diuinos & superstitiose sapientes eius, quos stultos faciet, fortissimos bellatores eius ut paueant, equos illius & currus, totum promiscuum uulgus eius, mulieres eius & thesauros eius ut diripiantur, aquæ eius arescent, dum sic fluuius diuidetur in riuos, ut pedes ingrediantur in urbem: omnia inquam gladio & uindictæ domini subiacebunt, ea ratione, quia regnum est idolorum & sculptilium gloriantium in portentis fallacibus, & terriculamentis simplicium, ut patet in historia Beelis apud Danielem.

39 Propterea habitabũt (*satyri cum ululis*) dracones cum fatuis ficarijs: & habitabunt in ea struthiones: & non inhabitabitur ultrà usq; in sempiternum: nec incoletur usq; ad generationem & generationem.

40 Sicut subuertit dominus Sodomam & Gomorrham, et uicinas eius, ait dominus: non habitabit ibi uir, & nõ incolet eam filius hominis.

Ea calamitate puniet dominus Babylonios, ut fiant ruinæ urbis in habitacula eorum animalium, quæ abhorrent ab amœnioribus locis, & amant loca solitudinum, & horribilia ædificia desolata, ut satyri, simiæ, & alia, à quibus horret spiritus humanus. Nec in sempiternum instaurabitur ad aliquam gloriam: sicut suo modo contigit Sodomæ & Gomorrhæ, quæ sic subuersæ sunt, ut nunq̃ reuocentur. Omnia ad exaggerationem pertinẽt.

41 Ecce populus ueniet ab aquilone: & gẽs magna, & reges multi consurgent à finibus terræ.

42 Arcum & scutum apprehendent: crudeles sunt & immisericordes: uox eorum quasi mare sonabit, & super equos ascendent: ficut uir paratus ad prælium contra te filia Babylon.

43 Audiuit rex Babylonis famam eorum, & dissolutæ sunt manus eius: angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem.

44 Ecce quasi leo ascendet de superbia Iordanis ad pulchritudinem robustam: quia subito currere faciam eum ad illam: & quis erit electus quẽ præponã ei? quis est enim similis mei? & quis sustinebit me? & quis est iste pastor, qui resistat uultui meo?

45 Propterea audite consiliũ domini quod mente concepit aduersum Babylonem: & cogitationes eius quas cogitauit super terram Chaldæorũ, Nisi detraxerint eos paruuli gregum, nisi dissipatũ fuerit cum ipsis habitaculum eorum.

46 A uoce captiuitatis Babylonis commota
est terra, & clamor inter gentes auditus est.

Alia prophetia eiusdem argumenti sed alijs uerbis. Sicut & pluribus sermonibus Israëli & Iudæ comminatus fuerat Babylonijs aduentum & ferotiam: sic nunc contra multis sermonibus consolatur suos, & insultat Babylonijs. Et satis patet quod dicitur, quorum quædam etiam eisdem uerbis superius dicta sunt, contra filios Ammon. Vt discamus stilum propheticum non multum distare à poëtico, nõ quòd falsum uel fictum aliquod dicatur, sed carminum more quædam tectius edicuntur, & cum uehementioribus tropis locutionum. Suspicio est fortasis non uana, assuta quædam esse prophetijs Ieremiæ ab alijs, uerum citra iacturam fidei & morum.

¶ CAPVT LI.

1 HAec dicit dominus, Ecce ego suscitabo super Babylonem & super habitatores (*eius*) qui cor suũ leuauerunt contra me (*quasi*) uentum pestilentem.

2 Et mittam in Babylonem uentilatores, & uentilabunt eam, et demolientur terram eius: quoniam uenerunt super eam undiq; in die afflictionis eius.

Non uno tempore, nec paucis uerbis, propheta prænuntiat Babylonicæ tyrannidis finitionem, sed de ea multas reuelationes habitas, in fine libri conscripsit pariter, ut uideamus quomodo prophetias explanare debeamus. Sunt enim hæc duo capita congesta ex multis breuibus carminibus, ut uidetur, dictatis contra Babylonis imperium: quod ut multis multa intulit mala, sic multis conterendũ incommodis, & deiectionibus exprimitur multis. Idem enim quod prius nunc dicitur, consurrecturos mandato domini cõtra habitatores Babel, & Chaldæorum, qui hic teclim indicantur secundum Hebræos per לבקמי, *quod cabalistica uerborum transmutatione dicunt ualere idẽ quod* בבל ס ששך, *sicut de alia forma commutandi literas idem docent. Reuera tamen significat hostes ex animo, qui stant scilicet contra me ex corde, uel quorum cor mihi aduersatur, uel quos odi ex animo. Contra tales, inquit, Babylonicos ego suscitabo uentum pestilentem, quo uastabuntur ad interitum, & alienos Medos & Persas mittam, qui euentilabunt, commouendo habitatores terræ opulentissimos, ut totam euacuaturi sint, undiquaq; enim irruent in eos, ut ultionem domini illis decretam abunde inferant.*

Modus exponendi iudaicus.

3 Non tendat qui tendit arcũ suũ: & non ascendat loricatus: nolite parcere iuuenibus eius, interficite omnem militiam eius.

4 Et cadent interfecti in terra Chaldæorum: & uulnerati in regionibus eius.

Ad eum qui extendit & dirigit arcum suum, & paratus est aggredi hostes per ætatem & uires, & ad eum qui lorica induitur, à domino dicitur, Ne uelitis parcere electis Babylonis iuuenibus eius. Exterminate potius totum exercitum eius, nec aliquem uiuere sinatis, qui sit uirilis ætatis, & progredi possit ad bella. Sic enim fit in

cruentis uictorijs malignarum urbium, sic ut per totam urbem quàm prouinciam Chaldæorum omnia plena iaceant occisis, & transfossis uel uulneratis, per omnes plateas uel compita urbis & agrorum.

5 Quoniam non fuit uiduatus Israël & Iuda à deo suo domino exercituum: terra autem eorũ repleta est delicto à sancto Israël.

Ratio tantæ stragis à domino est, quia perfidia sua Israël nihili habuerunt deum Israël, quasi sine deo fuissent gens Iudaica, quam captiuam retinerent, & qui de sua gente, iniquiter & per uiolentiam oppressa, illos redimere non posset, ecclesiam Israëlis uelut uiduam contemnendo uindice carentem, & similiter Iudam: ambas enim gentes colligit, & reuersuras prædicit, & à domino marito gentis utriusq; redimendas. Iam enim terra Israël pertulerat & finierat iniquitates suas, cessauitq; ab idololatria sua, remissaq; est illi à domino iniquitas sua.

6 ¶ Fugite de medio Babylonis, & saluet unusquisq; animam suam: nolite tacere super iniquitatem eius: quoniam tempus ultionis eius est à domino, uicissitudinẽ ipse retribuet ei.

Iam, inquit, adpetit tempus redemptionis uestræ ô filij Israël, cum æmula uestra conculcatur, ut libere de ea Babylonia aufugere possitis, & quisq; saluare scipsum, ne simul inuoluamini exitio, stragiq; illius, quam patitur propter iniquitates suas. Iam enim uenit tempus, quo illi dominus rependet abunde mercedem crudelitatis ualius, quam exercuit in reliquos.

7 Calix aureus Babylon in manu domini, inebrians omnem terram: de uino eius biberunt gentes, & ideo commotæ sunt.

Sicut hactenus regnum Babylonicum, calix fuit aureus potentiæ ritudinis, & flagrum quo cæcidit dominus, & potauit usq; ad ebrietatem & soporem omnes alias gentes quas uastauerunt sine clementia: sic nunc contra, omnes gentes insanient præ furore contra illam & insania, uel inopercite irruent contra eam, ad crudeliter uastandum, ut quæ nemini parcebat olim, nũc nullius experiatur clementiã. Non enim nouerat uti fortunis suis cũ modestia, ideo nũc ferociam oppressorũ à se crudeliorem sentit.

8 Subito cecidit Babylon, & contrita est: ululate super eam, tollite resinam ad dolorem eius, si forte sanetur.

Omnibus igitur gentibus irritatis contra Babel, & à domino instigatis, non mirum si subito insperatoq; concidat, & oppressa malorum pondere conteratur. Vlulate contra eam, per ironiam dicitur, & condolete, succurrite cum resina ad medendum dolori eius qui sauetis illi, si quo modo sanari possit uulnus illius: si tamen extat, qui doleant illius uicem, & non potius malint totam ciuitatem & perditam, quam uident uulneratã & dolentem.

9 Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, & eamus unusquisq; in terram suam: quoniam peruenit usq; ad cœlos iudicium eius, & eleuatum est usq; ad nubes.

Vox medicorum domino respondentium: Tantum malum Babyloni imminet, ut irremediabile sit & desperatum ab omnibus, pro quo nemo solicitus sit uel conetur, omnis circa eam ludetur opera, præstat eam negligere, & desertam dimittere, ut qui eam sanaturi accurrerant, domum redeant, & suam in patriam reuertantur, uidentes plane non hominum iudicio tactam, sed diuino & cœlesti, ut humana quacunq; ope circa illam nihil agatur. Iam enim clamor eorum, qui se oppressos ab ea conquerebantur, nubes pertransijt, in auribus domini auditus, diutius illum ferre pietas diuina non potuit.

10 Protulit dñs iustitias nostras: uenite & narremus in Sion opus domini dei nostri.

Iustitia dei.

Excessus est orationis fidelium laudantium iustitiam dei, in uindicta sumpta de Babyloniorũ crudelitate contra ludæos, templum & omnia sacra, qui licet uastari meruerint, & capi in Babylonem, tamen inde emendati sunt, & dei iustitiam agnouerunt. Babylonij autem ferociendo processerunt semper, sine timore dei, ex uictoriis insolentiores redditi, cum isti euaderent meliores, iamq; uidebant proximo complendas sanctorum prophetarum prophetias de reditu in Zionem, propitiato illis domino, cuius iustitiã & clementiam celebraturi essent, quæ sunt opera domini.

11 Acuite sagittas, implete pharetras: suscitauit dominus spiritum regum Medorum: & cõtra Babylonem mens eius est, ut perdat eam: quoniam ultio domini est, ultio templi sui.

Adhuc urget propheta gentes contra impios Babylonios, quos in spiritu uidet grauissima passuros suo tempore, ut confestetur multis uerbis certitudinem prophetiæ in tam longinqua tempora. O uos Persæ et Medi, nolite ait deficere uel lassari, sagittas usu occisionis multorum retusas denuo exacuite, implete pharetras alijs iaculis, opus enim domini est, ad quod uos dominus excitauit, cuius cogitatio nunc est contra Babel, ut funditus destruatur: tempus enim ulciscendi tot illius iniurias & crudelitates nũc adest, et subuersi templi ultio imminet.

12 Super muros Babylonis leuate signum, augete custodiam: leuate custodes, præparate insidias: quia cogitauit dominus, & fecit quæcunq; locutus est contra habitatores Babylonis.

Vtcunq; ô Babylonij uos defendere instituatis custodibus murorum, propugnatoribus turrium, omnia uana agetis. Vel ad Medos dici intelligitur: Applicate ad muros Babel exercitum cum uexillis, augete custodias & disciplinam militarem non intermittite: uigiles ordinate interdiu & noctibus, & insidias parate, pro uobis enim est consilium domini, qui quod promisit faciet contra habitatores Babel, uincenda est enim & diripienda utcunq; se studiose munuerit.

13 Quæ habitas super aquas multas locuples in thesauris: uenit finis tuus pedalis præcisionis (cubitalis auaritiæ) tuæ.

Non te ô Babylonia iuuabit fluminum tuorum latissimus ambitus, quibus te muniuisti, ut tuto sedere te putes, hinc Euphrate copiosissimo fluuio, inde horribili Tygride contutata, quibus thesauris repositis fruaris in pace. Iam enim ingruit finis potentiæ tuæ, & recensio lucrumq; auaritiæ tuæ cessabit, & auferetur ab hostibus.

14 Iurauit dominus exercituum per animam suam, Quoniam replebo te hominibus quasi brucho: & super te celeusma cantabitur.

Per semetipsum iurauit dominus, excelsiorem non habens, Quia implebo ait tantam urbem hominibus, non amicis, sed hostibus, ut campus locustis repleri solet, qui sese hortabuntur mutuum contra te, & rapinas agentes deprædando urbem. Vt uindemiatores suum canere consueuerunt celeusma, torcularia q; calcantes: sic triumphale contra te carmen concinent pro adepta uictoria tantæ urbis & monarchiæ.

15 ¶ Qui fecit terram in fortitudine sua, & præparauit orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cœlos.

16 Dante eo uocem multiplicantur aquæ in cœlo: qui leuat nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit: & producit uentos de thesauris suis.

Victoria diuina.

Non humanis comparata uiribus est hæc uictoria, sed dominus sic uoluit & fecit, qui ut potentia sua condidit terram, & sapientia sua orbem dispensat, & cœlos regit intelligentia, sic cuncta hominum opera moderatur. Dum uult enim dominus aquæ tumultuantur & concutiuntur horribiliter, & nubes in cœlo tonitrua ædunt plena formidine, nubes suo iussu eleuantur ex terrarum exhalationibus, & in pluuias & fulgura concrescunt, unde uentus & fulmina æduntur, tanquam ex thesaurario dei. Eius ergo prouidentiæ & dispensationi omnia subsunt.

17 Stultus factus est omnis homo à scientia: confusus est omnis conflator in sculptili: quia mendax est cõflatio eius, nec est spiritus in eis.

18 Vana sunt opera, & risu digna: in tempore uisitationis suæ peribunt.

Operum dei miracula.

Omnis homo quantumlibet sapiens habeatur, stultus fit in admiratione tantorum operum dei, quæ assiduitate uilescunt, cum sint reuera incomprehensibilia eruditioni humanæ, etiam doctis. Contra uero confunduntur dignè sapientes Babylonis, qui sibi obmisso uero deo conditore mundi ridiculos deos fingunt & fabricant manibus conflatoris, qui cum sint sine spiritu & uita, hominibus uiuentibus succurrere creduntur, & inuocantur supplici oratione & sacrificio. Nónne insignis hæc est uanitas, & opus plenũ erroribus, pro quibus dignissime tam docti impostores uisitari debeant, & pro meritis attrociter puniri, ab his quibus imposuerunt tam malitiosè & certa scientia?

19 Nõ ſicut hæc, pars Iacob: quia qui fecit omnia ipſe eſt, & (Iſraël) ſceptrũ hæreditatis eius: Dominus exercituũ nomen eius.

Tales non ſunt nec unquam fuerunt de uero ſemine Iacob, inter filios Abrahæ nunquam cenſebuntur, qui tam indigna ſentiunt de deo ſuo, cum tamen ex carnali propagatione innumeri tales prodierint, ſed pauci ſemper manſerunt, quorum portio & hæreditas eſt uerus deus: cuius nomen eſt dominus deus exercituum, deus Abraham, Iſaac, et Iacob, ac fide illos ſectantium filiorũ.

20 ¶ Collidis tu mihi uaſa belli, & ego collidam in te gentes, & diſperdã in te regna.

Tu ô populeIſraël, ad potentiam & iuſſum meum diſſipaſti mihi fortiſſimas quaſq; gentes, quæ armis inſtructiſſimæ te adoriebantur olim, & ego per te gentes multas diſſipaui in terra quam hæreditaſti, & regna plurima per te uaſtaui, ut agnoſceres bonitatem ad te meam & omnipotentiam, cui per omnia confideres.

21 Et collidam in te equũ, & equitem eius: & collidam in te currum, et aſcenſorẽ eius:

22 & collidam in te uirum & mulierem, & collidam in te ſenem & puerũ, & collidam in te iuuenem & uirginem,

23 & collidam in te paſtorẽ & gregem eius, & collidam in te agricolam & iugales eius, & collidam in te duces & magiſtratus.

24 Et reddam Babyloni, & cunctis habitatoribus Chaldææ omne malum quod fecerũt in Sion, in oculis ueſtris, ait dominus.

Equos & currus regum multorum propter te confregi cum aſcenſoribus & equitibus ſuis, uiris & fœminis nolui clementiam impartiri, ſed anathemate iuſſi omnia abſumi & eliminari. Senibus et pueris, adoleſcentulis & uirginibus internetionem indixi, paſtores cum gregibus, agricolam cum iugis boum, duces & magiſtratus oppreſſi propter te. Sic quoq; retribuam Babyloni crudelitatem ſuam propter te, & habitatoribus Chaldæis, omne malũ iſtud quod impia uoluntate Hieroſolymam uaſtauerunt & templum: ſic aũt retribuam, ut uiſuri ſitis & gauiſuri, et in ſalutem ueſtram, ait dominus.

25 ¶ Ecce ego ad te mons peſtifer, ait dominus: qui corrumpis uniuerſam terram: & extendam manũ meam ſuper te, & euoluam te de petris, & dabo te in montẽ combuſtionis:

26 & nõ tollent de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamenta: ſed perditus in æternum eris, ait dominus.

Montes urbes dicuntur.

Ciuitates munitiores appellantur montes, ob altitudinem ædificiorum & turrium, etiam ſi in plana terra ſitæ ſint. Et non prohibet ab hoſtibus etiam fluminum confluentia Babyloniam, & in campo ſitam & montem: quam nunc dominus alloquitur, nominans eam urbem montem perniciei & uaſtationis, unde tot urbes & regna uaſtata ſunt per totam terram, donec ſtabiliretur imperium illius multorum iniuria & perditione: quam

nunc extenta manu arreptam deuoluet & præcipitabit in tanto in profundiorem uallem calamitatum, quanto in excelſioribus petris repoſuerat nidum ſuum, in quem comportauerat cunctas mundi diuitias & rapinas. Nec tantum deijciet in ima, ſed etiam igne cremabit & annihilabit, intantum, ut nec lapis ſuper lapidem relinquatur, & tanta aduſtione comburetur, ut non ſuperſit ex lapidibus, qui reædificationi urbis ſit profuturus, ſiue fundamentum ponere uelis, ſiue iungere muros angulari lapide, ſed ſit urbs tanta in ruinas ſempiternas & irreparabiles.

27 Leuate ſignum in terra: clangite buccina in gentibus, ſanctificate ſuper eam gentes: annuntiate contra illam regibus Araratt, Menni, & Aſcenez: numerate contra eam Taphſar, adducite equum quaſi bruchum aculeatum.

28 Sanctificate cõtra eam gentes reges Mediæ duces eius, & uniuerſos magiſtratus eius, cunctamq; terram poteſtatis eius.

29 ¶ Et commouebitur terra, & contur-babitur: quia (conſiſtit) euigilabit contra Babylonem cogitatio domini, ut ponat terram Babylonis deſertã, & inhabitabilem.

30 Ceſſauerunt fortes Babylonis à prælio, habitauerunt in præſidijs: deuoratum eſt robur eorum, & facti ſunt quaſi mulieres: incenſa ſunt tabernacula eius, contriti ſunt uectes eius.

Quaſi de nouo incipiat adhortari ad oppugnatio-nem Babyloniæ, gentes & regna, ſic amplificatione laudatiſſima utitur propheta pro ſuo populo confortando ad fidem, & hoſtibus terrendis gentis ſuæ. Producite & leuate uexilla, clangite tubis, congregate populos, conſcribite exercitum, et de remotiſſimis nationibus, quot quot ſtrenuiſſimos habere poteſtis milites mercede conducite: de Armenia ſcilicet, & Germania, præficite illis idoneos imperatores ac duces. Aſcendant in exercitu Darij contra Babylonem numero locuſtarum equites eius, & uelut examen apum. Præparentur ad eius exterminium gentes, regesq; Medorum cum ducibus & magiſtratibus, cum tota terra imperij illorum, ſicut concuti uideatur totus terrarum orbis, & exhauriantur omnes illius opes, expeditione tam magni exercitus, tantum ut Babylon uaſtetur: hoc enim decreuit dominus. Eó tendum cogitationes dei, ut rependatur illi ſua crudelitas & ſuperbia, ut ſicut deſtituit regiones gentibus, & in ſolitudines redegit, ſic ipſa quoq; cum ipſius terra ſolitaria fiat, & expers inhabitatorum, ne illi ſuperſit robuſtus aliquis pugnandi peritus: in munitionibus enim ſuis ſedebunt, progredi non auſi: eneruabitur præterea pauore præſentis mali fortitudo illorum: fœminarum more attonuti timebunt, cum interim incendentur habitacula urbis, & uectes portarum, & quicquid fortitudinis eſt conteretur.

31 Currẽs obuiam currenti ueniet, & nuntius

tius obuius nuntianti, ut annuntiet regi Babylonis quia capta est ciuitas eius à summo usq; ad summum:

32 & uada præoccupata sunt, et paludes incensæ sunt igni, & uiri bellatores conturbati sunt.

Vbertate prophetici spiritus, quasi præsentia intuetur & describit elegantißime, quasi iam capta Babylonia uideat cursores per urbem tumultuantes & circumcursantes, & usq; ad regis palatium triste nuntium inferentem, ad regem Balthasar, uino interim indulgentem, captam esse urbem, irrupisse hostes, exitium in ianuis, totam urbem hostes peruagari, uada fluminum occupata, fortalitia & antemuralia ardere, attonitos & trepidantes omnes fortes urbis ob inopinatam irruptionem. Sic enim suo tempore usu uenit Babyloniæ urbi, dudũ mortuo prius Ieremia, qui tam clare prædixit uniuersa, & in memoriale conscripsit.

33 ¶ Quia hæc dicit dominus exercituum, deus Israël, filia Babylonis quasi area, tempus trituræ eius: adhuc modicũ, & ueniet tempus messionis eius.

Hactenus est Babylonicum regnum uel regni metropolis uelut area plena copiosißimis manipulis ad messem congestis, imminet propediem illi trituratio: iam enim messis uenit, et rescindentur omnia quæ ueluti in lætißima segete stabant, subito casura & trituranda.

34 Comedit me, deuorauit me Nabuchodonosor rex Babylõis: reddidit me quasi uas inane: absorbuit me quasi draco, repleuit uentrem suum teneritudine mea, eiecit me.

35 Iniquitas rapinæ meæ & caro mea super Babylonem, dicit habitatrix Sion: & sanguis meus super habitatores Chaldææ dicit Ierusalem.

Dominus inæstimabili clementia fingitur loqui in persona filiæ Zion, fidelium captiuorum, iam tunc de peccatis suis ueraciter conuersorũ: Babylonius ille crudelis omnium terrarum uastator, deuorauit me quoque, & dissipauit totum regnum Iuda, & sacras ædes, statuit me uelut uas uacuum, deglutiuit me ut draco, impleuit gulam & uentrem suum omnibus diuitijs meis, & quicquid desiderabile, iucundum & delectabile habebam abstulit, & in exilium me expulit, prædas reliquiarum, et quicquid pretiosum ederat Babylonem transtulit, sibi uindicauit, & meorum ciuium ac filiorum sanguinem ad suam libidinem crudeliter effudit filia Chaldæorum. Hæc interim querela ciuium Zion & Hierosolymæ.

36 ¶ Propterea hæc dicit dominus, Ecce ego iudicabo causam tuam, & ulciscar ultionem tuam: & desertũ faciam mare eius, & siccabo uenam eius.

37 Et erit Babylon in tumulos, habitatio draconum: stupor & sibilus, eo quod non sit habitator.

38 Simul ut leones rugient: excutient comas ueluti catuli leonum.

Filios quidem meos persecutus es ô Babylon, sed ego contra te illorum causam defendam, ulciscar eos, & de te ultionem sumam, & omnia munimenta urbis tuæ auferam, ut etiam aquarum præsidio te sim exuiturus, quo minus tueri te ab hostibus possis, & quod tu ad tempus Hierosolymæ intulisti, id in sempiternum tu patieris, ut sis ponenda in ruinas & tumulos, habitaculum draconum, horror & sibilus ob uastam solitudinem, in cuius ruinis non sint habituri, nisi leonum catuli, & leænæ rugientes & iracundæ propugnatores catulorũ.

39 In calore eorum ponam potus eorum: & inebriabo eos ut sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, & non euigilent, dicit dominus.

40 Deducam eos quasi agnos ad uictimam, quasi arietes cum hœdis.

Dum Babylonij feruerent potu in suis conuiuijs, & uelut ebrij exultarent, quando & ex uasis domus domini in contemptum dei Israël prolatis, prophana contrectatione biberent, eadem nocte somnum illis intuli sempiternum, occisis ab exercitu Medorum, irruente in urbem, de quo somno non essent ulterius euigilaturi, sicut de alijs consueuerant temulentijs. Occidentur enim & mactabuntur ut arietes & hœdi illa nocte, & finem facient tam impietatibus, quàm libidini. Conuiuium Babylonicum.

41 Quomodo capta est Sesach, & comprehẽsa est inclyta uniuersæ terræ? quomodo facta est in stuporem Babylon inter gẽtes?

42 Ascendit super Babylonem mare: multitudine fluctuum eius operta est.

Per Sesach literarum permutatione Babel innuitur, quam captam gratulatur & exultat nõ solum prophe-ta, sed omnis, ut dictum est, orbis terrarum, mixto tamen stupore, quomodo urbs tanta & potentiæ fortitudinisq; tantæ capi potuerit, quod antehac nulla gentium credidisset. At quæ omnes molestauerat, & de omnium rapinis se glorificauerat, nunc omnium consensu operæ & confluxu inuaditur, obruitur, collatisq; uiribus capitur & disperditur, non aliter quàm si planities aliqua inundantibus fluentis operiatur. Sesach Babel.

43 Factæ sunt ciuitates eius in stuporem: terra inhabitabilis & deserta, terra in qua nullus habitet, nec transeat per eam filius hominis.

44 Et uisitabo super Bel in Babylone, et eijciam quod absorbuerat de ore eius: & non confluent ad eum ultra gentes, siquidem & murus Babylonis corruet.

Non sola urbs Babylon, sed reliquæ quoq; Chaldaici regni ciuitates redactæ sunt in solitudines. Denique non euadet Beelipse Babyloniorum deus riduculus, cuius diripientur opes, quas gentes comportauerant ad Babyloniorum plausum & gratiam, ut non ultra eò confluxuræ sint.

45 Egredimini de medio eius populus meus, ut saluet unusquisq; animam suam ab ira furoris domini.

46 Et ne forte molleſcat cor ueſtrũ,et timeatis auditum qui audietur in terra: & ueniet in anno auditio, & poſt hunc annum auditio: & iniquitas in terra, et dominator ſuper dominatorem.

Iudæi dei populus.

Alloquitur dominus per prophetam Iudæos captos Babylone,iam ſuum populum appellando: iubetq; ut cũ tẽpus illud uenerit ut redire poſſint minime cunctentur, ſed de hac tam praua gente exeant,ut ſaluet quiſq; ſeipſum, ne pariter inuoluatur iudicio duro ultionis diuinæ: néue pauore corripiantur, & cordibus molleſcant & timeant ſibi,dum huiuſmodi rumores de uaſtanda Babylone audierint, qui ſingulis annis noui diffamantur, ob noua ſtudia hominum, & noua imperia nouasq; malitias,quarum una ſemper cauſa eſt alterius.

47 Propterea ecce dies ueniunt, & uiſitabo ſuper ſculptilia Babylonis: & omnis terra eius cõfundetur, & uniuerſi interfecti eius cadent in medio eius.

48 Et laudabunt ſuper Babylonem cœli & terra,& omnia quæ in eis ſunt: quia ab aquilone uenient ei prędones,ait dominus.

49 Et quo modo fecit Babylon ut caderent occiſi in Iſraël: ſic de Babylone cadent occiſi in uniuerſa terra.

Venuet tempus cum idola corruent Babylonis, cum ſuis cultoribus occidendis in medio eius,& confundetur tota regio Chaldæorum. Totus autem mundus exultabit ob collapſum tyrannicum illud regnum, ſic ut ex omnibus plagis orbis ſponte accurrent gentes, ad diripiendũ prædas illius. Ratio autem cladis eius, dicitur uaſtatio Iſraëlis,& templi ſummi dei, ut ſicut fecit Iſraëli quantumlibet peccatori,ſic quoq; fiat ſibi.

50 Qui fugiſtis gladium,uenite, nolite ſtare: recordamini procul domini, & Ieruſalem aſcendat ſuper cor ueſtrum.

51 Confuſi ſumus,quoniã audiuimus opprobrium: operuit ignominia facies noſtras: quia uenerunt alieni ſuper ſanctificationem domus domini.

52 ¶ Propterea ecce dies ueniũt, ait dominus,& uiſitabo ſuper ſculptilia eius, & in omni terra eius mugiet uulneratus.

53 Si aſcenderit Babylon in cœlum, & firmauerit in excelſo robur ſuũ: à me uenient uaſtatores eius,ait dominus.

54 Vox clamoris de Babylone,& contritio magna de terra Chaldæorum:

55 quoniã uaſtauit dominus Babylonem, & perdidit ex ea uocem magnam: & ſonabunt fluctus eorum quaſi aquæ multæ dedit ſonitum uox eorum:

56 quia uenit ſuper eam,id eſt,ſuper Babylonẽ prædo: & apprehenſi ſunt fortes eius, & emarcuit arcus eorum: quia fortis ultor dominus reddens retribuet.

Vos Babylonij, qui nunc fugitis gladium Medorum,

uelociter currite, ne uos perſequentes comprehendat, ne uſpiam ſteteritis. Interim tamen uobis in memoriã ſit quod anguſtias quas nunc patimini intuleritis olim Iſraëlitis & Iudæis ciuibuſq; Ieruſalem. Tunc nos quoq; erubeſcebamus de opprobrio noſtro, quod gerebamus nobiſcum, quia iactabatis tunc uirtute deorum ueſtrorũ ſuperatos tam nos quàm dominum deum noſtrum, ciuitatis ſacra prophanaſtis, & in ſancta ſanctorum irrumpebatis procaciter,quaſi potentiores deo noſtro,quẽ uaſtatis templo ſuperaſſe uidebamini, uirtute deorum ueſtrorũ. Veniet itaq; tempus cum & ueſtrorum deorum ſcientis uanitatem tam idolis illorum exciſis,quàm cultoribus occiſis per totam terram: quam ſuam uaſtitatem prænire nulla ſapientia uel fortitudine poterit. A me enim immitetur hoſtis, qui nec deos illos reuerebitur, nec homines. Acdet autem horribilem uocem planctuũq; ob contritionem maximam regni Chaldæorum,iubente domino deo noſtro,quẽ nunc blaſphematis,tunc enim illius iuſtitiam & robur ſentietis,& expaueſcetis non minus quàm à uoce tempeſtatũ maximarum in aquis uehementibus, ubi tumultuantur fluctus, & reſonant horribili ſonitu. Venuent immenſo exercitu & omnia complebuntur pauore uaſtantium, ut robuſti quoq; euadere non poſſint, quorum & arcus confringentur, ſicut & ipſi quoq; dudum multorũ arcus confregerant, ut nunc conpenſandi de pari tẽpus ueniſſe uideatur. Dominus enim retributionum dominus eſt,qui prouidentia ſua ſic iubet malos puniri à malis, ut punientium quoq; iniquos animos & modus ſuo tempore talione non careat, qui multum quod iuſtum eſt,iuſte quoq; exequi.

57 Et inebriabo principes eius, & ſapientes eius, duces eius, & magiſtratus eius, & fortes eius: & dormient ſomnum ſempiternum, & non expergiſcentur, ait rex, Dominus exercituum nomen eius.

Hæc quoq; ad uerbum ſuperius dicta ſunt, ut uideatur propheta uarijs temporibus de eodem argumento eadem pronunciaſſe, & repetitiones huiuſmodi nõ exhorruiſſe ad conſolationem ſui populi.

58 ¶ Hæc dicit dominus exercituũ, Murus Babylonis ille latiſſimus ſuffoſſione ſuffodietur,& portæ eius excelſæ igne comburentur,& labores populorũ ad nihilũ, & gentium in ignem erunt & diſperibunt.

Prophetia de eodem ſeorſum dicta, ſed collectiua hunc locum,Babylonicæ ciuitatis quantumuis latiſſimas craſſiſſimuſq; murorum ambitus, perrumpetur tamen & deſtruetur: portæ quoq; altiſſimæ deijcientur, & igne ſuccendentur,quæ multo populorum labore extructæ ſunt,& ad maximam fatigationem, quo tutior eſſet illius imperioſa tyrannis,ut tandẽ ignibus fomenta conponerent tantopere laborauerunt.

59 ¶ Verbũ quod præcepit Ieremias propheta,Saraiæ filio Neriæ filij Maaſiæ, cum pergeret cum Sedechia rege in Babylonẽ, in anno quarto regni eius: Saraias autem erat princeps (requici) prophetiæ.

Et

60 Et scripsit Ieremias omne malum quod
uenturum erat super Babylonem, in libro
uno: omnia uerba hæc quæ scripta sunt
contra Babylonem.
61 Et dixit Ieremias ad Saraiam, Cum ue-
neris in Babylonem, & uideris, & legeris
62 omnia uerba hæc,
dices, Domine tu locutus es contra locũ
istum ut disperderes eum: ne fit qui in eo
habitet ab homine usq; ad pecus, & ut sit
perpetua solitudo.
63 Cumq; compleueris legere librum istũ,
ligabis ad eum lapidem, & proijcies illum
64 in medium Euphraten,
& dices, Sic submergetur Babylon, &
nõ consurget à facie afflictionis quam ego
adduco super eam, & fatigabuntur.

Hucusq; uerba Ieremiæ.

Hæc de Babylonis destructione sermones multos conscripsit Ieremias in uolumen, cõmendauitq; Saraiæ proficiscenti Babylonem cum Zedekia quarto anno regni sui, ut ibi qui ante quatuor iam annos cum Ioiakim illuc relati fuerant, hæc omnia lecta audirent, consolarentur, et dominum pro completione eorum, licet certa essent, precarentur. Ne tamen scripturæ illæ in manus uenirẽt principum urbis, iussit ut alligatæ lapidi submergerẽtur. Addititq; facto illi significatũ istud, ut sicut submergeretur lapis cum uolumine, sic defungeretur imperio suo Babel, & sic periret, ut nunquam resurgeret. Sic factum legitur multis imperijs, postquã auaritia & fastu sibijpsis & alijs nimiũ onerosa fierent, & imperium iustum in tyrannidem uertissent, destituta timore dei et cultu, cuius est instituere reges & abijcere. Dominus est enim dominantiũ et rex regum, cui si principes obsequi despexerint, ipse quoq; effundere solitus est contemptũ super principes, ut fastus illorum dejciatur in stercora.

¶ CAPVT LII.

1 Filius uiginti & unius anni erat
Sedechias cũ regnare cœpisset:
& undecim annis regnauit in Ie
rusalem: & nomen matris eius
Amital, filia Ieremiæ de Lobna.
2 Et fecit malum in oculis domini, iuxta
omnia quæ fecerat Ioacim.
3 Quoniam furor dñi erat in Ierusalem &
in Iuda, usq; quo proijceret eos à facie sua:
& rebellauit Sedechias à rege Babylonis.
4 Factum est aũt in anno nono regni eius,
in mense decimo, decima die mensis, uenit
Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse &
omnis exercitus eius aduersus Ierusalem,
& obsederunt eam, & ædificauerunt con-
tra eam munitiones in circumitu.
5 Et fuit ciuitas obsessa usq; ad undecimũ
annum regis Sedechiæ.
6 Mense autem quarto, nona die mensis,
obtinuit fames ciuitatem: & non erant ali-
menta populo terræ.
7 Et dirupta est ciuitas, & omnes uiri bel-
latores eius fugerunt, exieruntq; de ciuita-
te nocte per uiam portæ, quæ est inter duos
muros, & ducit ad hortũ regis: Chaldæis
obsidentibus urbem in gyro: & abierunt
per uiam quæ ducit in eremum.
8 Persecutus est autem Chaldæorũ exer-
citus regẽ: & apprehenderunt Sedechiam
in deserto quod est iuxta Iericho: & omnis
comitatus eius diffugit ab eo.
9 Cumq; comprehendissent regem, addu
xerunt eum ad regem Babylonis in Rebla-
tha, quæ est in terra Emath: & locutus est
ad eum iudicia.
10 Et iugulauit rex Babylonis filios Sede-
chiæ in oculis eius: sed & omnes principes
Iuda occidit in Reblatha.
11 Et oculos Sedechiæ eruit, & uinxit eum
compedibus, & adduxit eum rex Babylo-
nis in Babylonem: & posuit eum in domo
custodiæ usq; ad diem mortis eius.
12 ¶ In mense autẽ quinto, decima mensis,
ipse est annus nonusdecimus Nabuchodo
nosor regis Babylonis, uenit Nabuzardan
princeps militiæ, qui stabat coram rege Ba
bylonis in Ierusalem.
13 Et incendit domum domini, & domum
regis, & omnes domus Ierusalẽ, et omnem
domum magnam igne combussit.
14 Et totum murũ Ierusalem per circumi-
tum destruxit cunctus exercitus Chaldæo-
rum qui erat cum magistro militiæ.
15 De pauperibus autem populi, & de re-
liquo uulgo quod remanserat in ciuitate,
& de profugis qui transfugerant ad regem
Babylonis, et cæteros de multitudine: tran
stulit Nabuzardan princeps militiæ.
16 De pauperibus uero terræ reliquit Na-
buzardan princeps militiæ in uinitores, &
agricolas.
17 Columnas quoq; æreas quæ erãt in do-
mo domini, & bases, & mare æneum quod
erat in domo dñi confregerũt Chaldæi: &
tulerunt omne æs eorum in Babylonem.
18 Et lebetes, & creagras, & falces, & phia-
las, & mortariola, & omnia uasa ærea quæ
in ministerio fuerant, tulerunt.
19 Et hydrias, & thymiamateria, et urceos,
& pelues, & candelabra, et mortaria, & cya
thos: quotquot aurea, aurea: & quotquot
argentea, argentea: tulit magister militiæ.
20 Columnas duas, & mare unum, & ui-
tulos duodecim æreos, qui erant sub basi-
bus quas fecerat rex Salomon in domo do
mini, non erat pondus æris omnium ho-
rum uasorum.

21 De columnis autem, decem & octo cubiti altitudinis erant in columna una: & funiculus duodecim cubitorum circumibat eam: porrò grossitudo eius quatuor digitorum: (*& intrinsecus*) caua erat.

22 Et capitella (*super utranq;*) ærea: & altitudo capitelli unius, quinq; cubitorũ: & retiaculum, & malogranata super coronam in circumitu, omnia ærea: similiter columnæ secundæ & malogranata.

23 Et fuerunt malogranata nonagintasex dependentia: & omnia malogranata centum, retiaculis circundabantur.

24 Et tulit magister militiæ Saraiam sacerdotem primum, & Sophoniam sacerdotem secundum, & tres custodes uestibuli.

25 Et de ciuitate tulit eunuchũ unum, qui erat præpositus super uiros bellatores: & septem uiros de his qui uidebãt faciem regis, qui inuenti sunt in ciuitate: & scribam principem militũ, qui probabat tyrones: & sexaginta uiros de populo terræ, qui inuenti sunt in medio ciuitatis.

26 Tulit autem eos Nabuzardan magister militiæ, et duxit eos ad regem Babylonis in Reblatha:

27 & percussit eos rex Babylonis. Et interfecit eos in Reblatha in terra Emath: & trãslatus est Iuda de terra sua.

28 Iste est populus quem transtulit Nabuchodonosor in anno septimo: Iudæos tria millia, & uigintitres:

29 In anno octauodecimo Nabuchodonosor, transtulit de Ierusalem animas octingentas triginta duas.

30 In anno uicesimotertio Nabuchodonosor, transtulit Nabuzardan magister militiæ animas Iudæorũ septingentas quadragintaquinq;: omnes ergo animæ, quatuor millia sexcentæ.

31 Et factum est in tricesimoseptimo anno transmigrationis Ioachin regis Iuda, duodecimo mense, uicesimaquinta mensis, leuauit Euilmerodach rex Babylonis ipso anno regni sui, caput Ioachin regis Iudæ: & eduxit eum de domo carceris.

32 Et locutus est cũ eo bona: & posuit thronum eius super thronos regum qui erant post se in Babylone.

33 Et mutauit uestimẽta carceris eius & comedebat panem coram eo semper cunctis diebus uitæ suæ.

34 Et cibaria eius cibaria perpetua dabantur ei à rege Babylonis statuta per singulos dies usq; ad diem mortis suæ cũctis diebus uitæ eius.

Hoc caput ad uerbum relatum est huc ex fine quarti

libri Reg. excepto quod post uigesimumseptimum uersum summa numeri colligitur eorum qui in Babylonem traducti sunt captiui, qui tam totius Iudaici uel israelitici comparatione, sub regibus, quàm eorum qui reuerunt sub Cyro et Dario modicus est ualde. Tempore septuaginta interpretum non fuisse probat illorum silentium. Et annu supputantur per Nabuchodnezer regũ, qui primum regnare orsus est quarto anno Ioiakim. Tertioq; uastauit Iudæam. Primo cum Ioiakim, qui & Eliachim dictus est, filium Iosiæ uinctum catenis duxit Babylonem cum uasis domini, quæ in templo dei sui posuit. Secundo cum Ioachin, qui & Iechonias, filium prædicti cum matre & principibus sponte se dedentem transtulit, & iterum pretiosissima uasa de domo dei et regis. Tertio, cum Sedechiam, qui & Mathanias, cepit & excæcatum abduxit, domum domini incendit, Ierusalemq; destruxit. Non per omnia cõcordant numeri, qui hic assignantur cum illis, qui 4. Regum 24. tam annorũ quàm personarum, de quo quid sentiendum aliàs inuenies.

FINIS.

SVMMA VERSVVM M. CCCLXV.

COMMENTARIA IN LAMENTATIONES IEREMIAE,

Hebraice dictas Chinoth.

ALPHABETVM PRIMVM.

ALEPH א

1 QVOMODO sedet sola ciuitas plena populo: facta est quasi uidua domina gentium: Princeps prouinciarũ facta est sub tributo.

Annisus est propheta Ieremias summo studio, longo tempore, per multa pericula, prædicationibus suis à domino sibi reuelatis populum Iudaicum et ciues Ierusalem emendare. Quod quia minime successit, ideo nunc hic deplorat ruinam peruersi & incorrigibilis populi, subuersionem perfidæ ciuitatis, quæ semper contraria dominus suo sentiebat, præceptis suis aduersabatur, ingrata beneficiorum dei, prophetas eius persequebatur, tandem hæredem propriũ domini, speciali officio à domino missum tendum illis, trucidatura. Nec tamen cantur ista cantilena tantum Hierosolymæ urbi, sed ecclesiæ uniuersali fidelium, in toto mundo dispersorum. Vbiq; enim terrarum, & in omnibus mundi angulis à tempore apostolicæ prædicationis fuerunt semper & sunt credentes unum dominũ deum omnipotentem, creatorem cœli & terræ, omnia sapientissime sua infinita sapientia & bonitate dispensantem, remuneratorem bonorum, & uindicem impietatis: sed & agnoscentium se peccatores esse ex natura deprauata, & nõ nisi per dei gratiam saluandos,

quam

quam in Christo saluatore mundi & filio dei assequun
tur, humiliter orantes, fideliter credentes, et de suis pec
catis iugem displicentiam habentes. Tales semper &
ubiq; ab apostolorum temporibus fuerunt fideles ad ca
tholicam ecclesiam pertinentes, quæ est communio fi
delium & sanctorum, qui insuper per spiritũ sanctum
credunt remissionem peccatorum, carnis resurrectio
nem, & æternam uitam. Quæ sic summa sunt orthodo
xæ fidei, ut sufficiãt hæc ad salutem, quatenus ecclesiæ fi
lij sic credentes habeantur & sint, etiã si alia multa do
gmata ignorent, ut patet ex gestis martyrum ueterum.
Hæc ecclesia catholica omnium fidelium, intelligitur
per Ierusalem sanctam urbem, fidelium deo ciuium, quæ
quidem olim triumphatura in cœlestibus, tunc erit pror
sus sine ruga & miserijs cum Christo regnatura. Nunc
uero interim militans in hoc mundo, posito in maligno,
in ualle miseriarum, numium multa semper patitur ab
impijs, & impiorum capite satana, inq; graui captiui
tate detinetur, quandiu in hoc mundo decertat agones
numium difficiles, & opprimitur ab hostibus carne &
sanguine, diabolo & commilitonibus sui regni tyran
nici, cum reuera sit ipsa talis ecclesia filia dei, sponsa,
& hæres dei, & regni cœlorũ. Dupliciter ergo Lamen
tationes he poterunt ad literam exponi, De subuersio
ne scilicet urbis Ierusalem, & templi, facta principa
liter per Chaldæos tempore Ieremiæ, qui uisas cala
mitates planxit sui temporis, & suæ urbis & homi
num. Deinde de captiuitate, oppressione, calamitate,
& persecutione, quam in hoc mundo patitur ecclesia
catholica, de qua diximus, fideles ac electi à domino,
qui in hoc mundo exules peregrinantur, & captiui
sunt, redemptionem & felicitatem sperantes per Chri
stum ecclesiæ caput & sponsum, quam hic impartitur
per fidem & spem, sed incomplete in hoc mundo, do
nec post regnũ dandum deo patri per uisionem & ten
tionem perfectissima beatitudine eam donet, & feli
citionem Christi & omnium prophetarum. Et quia in
Lamentationibus non ars, sed affectus primas agit, non
est requirendus ordo dictorum. Omnia enim confun
dit dolor & mœror. Non hic hostium promoueri odi
um intenditur, sed miserrima conditio populi Iudaici
plangitur, & iudicium grauissimum dei contra suum
populum & templum, cultum & peculium admira
tur. Carmina hæc Iudaica proxima sunt solutæ ora
tioni, non Latinorum more ligata syllabarum numero
uel quantitate. Alphabetorum ordines elegantiora in
genia in carmine aliquando seruant, pro lusu poëtico,
& memoria iuuanda: non alia ratione quàm Sedulius
in suo A solis ortus cardine. Plangit ergo Ierusalem ut
uidimus miserabilem, quæ cum olim habuerit filios in
numerabiles, & plena fuerit ciuibus & populo, do
mina quoq; aliarum urbium, gentium & regnorum
tam orbata omnibus filijs, captis ciuibus, ipsa non iam
tributum suscipit sed pendit. Ecclesia sacrosancta op
primitur toto hoc mundo, non habet æstimationem,
patitur multos hostes, omnes filios huius mundi: ciues
Babylonis captiuos tenent ciues Ierusalem. Videtur san
cta ecclesia modica esse populo, redacta in angustum, ut
pauci appareant filij dei, & sancti fideles, sed deo noti Pij seruan
sunt in toto mundo, quamlibet oppressi traditionibus tur à do
humanis uarijs, differentium religionum, suos tamen mino.
deus nouit & seruat, non minus quàm tempore Heliæ,
qui cum sibi solus uideretur, audit gratos deo cultores
restare septem millia. Et isti amici dei sunt ueri princi
pes huius mundi, nihil in hoc mundo habentes, sed o
mnia possidentes, peregrini nihilominus in hoc mundo,
quod aliam inquirant hæreditatem in cœlestibus.

BETH. ב

2 Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius. Non est qui console
tur eam ex omnibus charis eius. Omnes amici eius spreuerunt eam, facti sunt ei ini
mici.

Adueniente tribulatione captiuitatis, propter ido- Sera pœ
nitentia.
latriam & scelerum suorum enormitatem plebs Iu
daica sero doluit, cum sæpius prophetarum attestatio
nibus præmonita & conuenta, satius illi fuisset præua
ricationis noxam cauere, quàm post commissa pœna
liter lugere. Non eos iam falsa numina & simulachra
consolari poterant, quæ studiosissime contra deum, ut
adultera coluit adulteros, quos charos numium habuit,
& præ deo suo coluit, quæ idola tanti scandali sibi cau
sa fuerunt, non solum non profuerunt, sed maxime no
cuerunt, in tantum, ut eos ludibrio & confusione di
gnos inter hostes constituerint. Plorat continuo eccle- Ecclesiæ
sia fidelium suam paucitatem, suorum persecutiones, prolatus.
& lachrymatur potentiam satanæ, principis errorum
in hoc mundo, permittente deo propter peccata. Pau
cissimi sunt qui consolentur electos de ecclesia, rari
doctores, legitimi episcopi, & apostolici uiri. Ideo sper
nitur ab his à quibus diligi deberet, quia non tanti facit
humanas traditiones, aduentitiosq; articulos, præter ca
tholicam & apostolicam doctrinam, & uerbum domi
nu purum immaculatum ac simplex.

GIMEL. ג

3 Migrauit Iudas propter afflictionem & multitudinem seruitutis. Habitauit inter
gentes, nec inuenit requiem. Omnes per
secutores eius apprehenderunt eam inter
angustias.

In exilium relegata est Ierusalem metropolis regni Exilium
Iudæ: id est, reliquus populus à non interfectis gladio, Iudæorum.
fame ac peste, reliquiæ inquam Iuda migrauerunt cum
maxima afflictione in Babyloniam, ubi multis & ma
gnis obsequijs & laboribus eatenus affliguntur à Chal
dæis truculẽtibus & superbis hostibus, & à uarijs gen
tibus illius imperio subiectis, nũc abducti in hunc, nunc
in alium locum & populum, ut nullam uspiam inueni
re possint requiem per septuaginta annos. Nec pro tot
laboriosis obsequijs amicos sibi comparare possunt,
sed persequutores nihilominus & coarctatores, à qui
bus continuo diuexantur, & insuper irridentur, ut ca-

nant cantica Zion, & cætera, ut nihil nisi angustias experiantur. Fidelium ecclesia deum confitentiũ & digne colentium, in hoc mundo exilium sustinet, plurimum affligitur, ob scandala errorum in fide & moribus plurimorum desciscentium à uerbo dei. In omnibus hæc gentibus habitat solitaria, mœsta, & spreta: quietem in hoc mundo nullam inuenit, sed persequutiones patiuntur omnes, qui pie uiuere uolunt in Christo.

Exilium ecclesiæ.

DALETH. ד

4 Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui ueniant ad solennitatem. Omnes portæ eius destructæ, sacerdotes eius gementes. Virgines eius squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine.

Viæ Sion dicit lugere, hoc est, lugubres existere, & herbosas minime tritas, eo quod non sint qui ueniant ad solennitatem, ut festiua gaudia celebrent ter in anno, uel sacerdotum officia in templo expleant, quia templo succenso, muri ciuitatis funditus diruti sunt, & portæ destructæ, unde omnis decor eius squalescit, & ipsa oppressa amaritudine in filijs suis misere gemit. Quam paucis successibus creuerit ecclesia post apostolorum et martyrum tempora, & post inchoationem pergrinorum dogmatum in uerbo dei fundamentum non habentium, item adhuc post diuitias episcoporum & monachorum, post Aristotelicas scholas theologiæ permixtas, libet magis deflere, quàm memorari, & allegare historias hodie late prostantes, claræ & certæ beneficio dei: ut maxime lugeant uiæ quæ ducunt in ueram ecclesiam à longo iam tempore. Portæ intrandi ecclesiam fidei sunt articuli, certe non parua ex parte deprauati, non illi apostolici, sed noui, plures quàm bis duodecim, qui catechumenis & omnibus sacris literis institutis incredibiles fuerunt, quorum tamen per tyrannidem, sicut & hodie fit, confessio extorquebatur à neophitis, & ad fidem nostram conuersis Iudæis & Sarracenis: de quibus multa dici possent, iam satis declarata ab alijs, & probe hodie cognita. Hanc ecclesiæ sortem iamdudum deplorauerunt & ingemuerunt sancti sacerdotes, & castæ conscientiæ, ac uirginalis puraq; piorum deuotio.

Cultus dei intermissus

Ecclesiæ successus.

HE. ה

5 Facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati (prosperati) sunt: quia dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius: Paruuli eius ducti sunt in captiuitatem ante faciem tribulantis.

In capite hostes facti sunt, prospere cesserunt eis omnia, uisi sunt felicissime triumphasse de Iudæis, urbe, templo, & deo Iudæorum, omnia successu pergerunt prospero propter peccata nostra. Vel, si placet, irruerunt hostes in caput eius, domini templum, regem ac principes, uniuersam gentem diuitijs spoliando, uinculis captiuitatis innodando miseros, & in alienam terram, simul cum mulieribus & paruulis compellendo, domino cui peccauerunt, iustum iudicium eis retribuente. Ecclesia fidelium hostes ueritatis & pietatis, ac Boni thores autem errorum & schismatum semper superiores & oppressores pertulit: illi in suo sensu abundant, ambiunt non quæ gloriæ dei, sed sua, quæstum, fastum & luxum. Sic enim in hac lachrymarum ualle dominus complacet exercere fideles, quibus prodest, ut humiliantur, & sese peccatores agnoscant, ne superbiant, sed ut Petrus, Paulus, Marcellinus, & similes, humilientur post casum. Non est enim sanctus in terra qui non peccet, ut sciant unam causam persequutionũ in hoc mundo, cum multæ sint. Multæ sunt tribulationes iustorum, sed de his omnibus, &c.

Hostium successus.

VAV. ו

6 Et egressus est à filia Sion omnis decor eius. Facti sunt principes eius uelut arietes non inuenientes pascua: & abierunt absq; fortitudine ante faciem subsequentis.

Obsessa Ierusalem ab hoste extrinsecus, omnem decorem iucunditatis suæ perdidit intrinsecus, maxime cum fame & pestilentia laborans, nullius ope sustentaretur, quoniam principes & rectores illius dissolutis moribus, pauido corde, non defensionem ciuium, sed fugam inertem meditabantur. Hac quoq; secundum Hieronymum sententia arguuntur negligentes rectores & ecclesiæ dei, ob quorum incuriam perit omnis decor populi Christiani, cum nec in meditatione legis diuinæ, nec in cultu pietatis, nec in uirtutum uerarum exercitio laborare conantur, sed in luxu uoluptatum per nuncia scelera, iuxta suggestionem hostis instantis abducuntur. Cuius periculi malum illos maxime respicit, qui in loco regiminis constituti potius secularia desiderant, quàm mandatorum dei sequi uestigia elegerunt, unde cœlestis regni gloriam cum sanctis doctoribus non recurrentur accipere, sed cum diabolo & angelis eius poenam gehennæ cogentur recipere. Hæc ille tunc scripsit, sed multo atrociora scripturus nostri sæculi episcopis sacerdotibus, nihil minus quàm sacras literas scientibus, imò & persequẽtibus pietatem. Vel sic: A primitiua apostolica & martyrum ecclesia defecit cum pura doctrina decor miraculorum & fortitudinis, Episcopi indocti & impuri synceri successerunt, non habuerunt unde idoneos uerique pascua proponerẽt: ideo in fide & moribus magna pars ecclesiæ capta est ab errorum authoribus.

ZAIN. ז

7 Recordata est Ierusalẽ dierum afflictionis suæ, & præuaricationis: omniũ desiderabilium suorum quæ habuerat à diebus antiquis cum caderet populus eius in manu hostili, & nõ esset ei auxiliator. Viderũt eam hostes, deriserunt sabbata eius.

Cum maximo dolore recordati sunt Iudæi in Babylonem capti, perditæ iucunditatis suæ & delitiarum, quas habuerunt in sua Hierosolyma. Vexationibus quoq; eruditi indoluerunt rebelliones suas, quibus peccauaricati sunt in deum & prophetas, in reges & populos. Ierusalem in scripturis mystice intelligimus ubique quando eam, quæ uera est ecclesia, soli deo notã in hoc mundo

mundo, fidelium scilicet & electorũ multitudinem toto mundo dispersam, sanctam, piam & non errantem in uera fide, & sanctis moribus, etiam si aliquando peccent homines, etiam sancti. Aliquando ecclesiam uocari intelligimus omnes eos fideles qui dominum confitentur & Christum, sed insyncere, & cum multis erroribus in fide & moribus, implexi & implicati ac seducti humanis traditionibus, quibus uehementius trahuntur quàm uerbo dei, ceremonijs multis tam inutilibus quàm perniciosis ueræ pietati, qui & apostolicis traditionibus onerantur, propter quas misere distractus est mundus, olim unius fidei Christianæ, post tempora aũt martyrum scissa in sectas, schisinata, errores, & impuras religiones duriores & importabiliores quàm olim erant Iudaicæ: de quibus sanctus Petrus, & Diuus Augustinus ad Ianuarium. Vnde nobis tot hæreses in Oriente & Occidente, Austro & Aquilone, & ipsa Turcarum horribilis secta & impietas, quia traditionibus humanis nimis delatum est. De hac Ierusalem dicit potest hic, olim desolatam & detractam ac humiliatam à sua puritate primæua, fraudatam donis maximis, quibus apostolici uiri ab exordio ecclesiæ claruerunt, doctrina & miraculorum gratia, quando fidelium pars magna cecidit in errores & odia, in superuacaneas ceremonias, propter quas etiam sabbata, & dignæ solennitates, & sanctæ ceremoniæ à Christo & apostolis institutæ cum tempore uenerunt in derisum exteris.

HETH. ה

8 **Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est. Omnes qui glorificabãt eam, spreuerunt illam, quia uiderunt ignominiam eius. Ipsa autem gemens, & conuersa est retrorsum.**

Causam diuinæ uindictæ exprimit fuisse magnitudinem scelerum, unde promeruerit Hierosolyma excidium. Cui insuper illudunt irridendo, sine commiseratione & condolentia. Maximum autem peccatorum erat idolorum cultus, iuris & æqui neglectus, innocentis sanguinis effusio, & prophetarum dei & ueritatis odium, propter quæ & alia in exilium relegata, nusquã certum & tutum locum inuenit. Exosa et spreta ab omnibus gentibus, quia uideretur à domino deo suo abiecta & repudiata. Quæ omnia incommoda ferre tristissima cogebatur, confusa maxime intra suam conscientiam, quia domino nimium peccasset. Peccatum ecclesiæ illius, de qua iam secundo diximus, aliud non fuit ab initio, quàm superbia episcoporũ, & eorum qui primi ecclesiam regendam susceperant post apostolicos uiros, unde prodijt doctrinarũ instabilitas, & uariæ hæreses, aliquando propter leuiculas opiniones, ut erat diei Pascha assignatio, baptismi iteratio, & reliqua de quibus historia ecclesiastica & tripartita: unde incidit confusionem, quam usq; hodie uidere licet in ecclesia uniuersali, in toto mundo, non nisi pure intellecto & prædicato uerbo dei tollendam.

TETH. ט

9 **Sordes eius in fimbrijs eius, nec recordata est finis sui. Deposita est uehementer (miraculose) non habens consolatorem. Vide domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.**

Satis superq; numium proditur turpitudo Iudaicæ gentis ex magnitudine pœnæ, quandoquidem & publice sinecq; omni uerecundia adulterata est cum idolis, Idolatria Iudæorũ.
posthabito tam turpiter domino deo suo optimo & maximo, quasi perpetuò sic libidinari cogitasset, & nullam tandem subsequuturam uindictam crederet, contra omnium prophetarum præmonitiones assiduas. Merito ergo quæ plurimum præuaricata est, etiam debuit plurimum confundi, ab honore suo & gloria præcipitari in summam miseriam & confusionem, sine aliqua consolatione, quæ uerbum domini semper audire recusauit. Tandem maximo dolore contrita exclamare cogitur: Vide saltem tu domine nunc afflictionem meam & humiliationem: & si non ob mea merita, saltem ob superbiam hostis impij, & iactantiam uictoriæ suæ contra te, uindictam dignam sume de eo, & miserere mihi miseræ. Ecclesiæ quoque confusio ingens apparuit in eis personis, quæ decori esse debebant sibi, in episcopis & doctoribus, qui non satis circumspecte æstimauerunt damnum olim ecclesiæ inferendum, si uel minimũ quidam præter dei uerbum institueretur uel doceretur, pro qua ipsorũ intempestiua deuotione contigit tantus uniuersalis ecclesiæ lapsus, quem tanto tempore planxerũt & indoluerunt pij omnes in ecclesia tota, ut tardus hactenus et rarus apparuerit consolator. Quid enim prõ- Concilia generalia.
fuerint ecclesijs generalia concilia à mille annis, satis liquet ex fructibus, & statu ecclesiastico, continuo facto deteriore, pro cuius reformatione anxie & ex animo orant & orauerunt semper omnes pij, contra Antichristi factiones, qui cœpit ab apostolorum temporibus, & durat usq; hodie, & cum tempore adeo increuit, donec fieret intolerabilis & manifestus sensatis omnibus ex uerbo dei.

IOD. י

10 **Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius: quia uidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam.**

Propter peccata regum & populi Babylonicus exercitus uastauit templum domini, & omnem ornatum eius deiecit, contriuit, conculcauit, abstulit, quod nec ingredi, nec irreligiose contingi debuit. Iudæi exponunt de Ammonitis & Moabitis, qui libros legis inquisierint in templo, & combusserint, ea potissimum ratione, quia continerent diffamiam Lot, & excommunicationem perpetuam gentis suæ. Sic in ecclesia damnum maximum contigit ex commixtione philosophicorum Philosophia ecclesiasticorũ.
dogmatum, & ecclesiasticarum ceremoniarum, cum illibato uerbo dei, immaculato & simplici, dum illotis manibus sacra uolumina tractare ausi sunt ethnici & athei, ut Porphyrius, Iulianus, et Celsus, similesq; Platonici et Aristotelici: ac interim Talmudici, qui sanctua-

rium scripturæ impura mente ingreßi, studio suo depra uauerunt eloquia dei, te ecclesiastica dogmata corrupe runt, cum nõ nisi timentes deũ ex uerbo dei proficiant.

CAPH. כ

11 Omnis populus eius gementes, & quærentes panem. Dederunt pretiosa quæque pro cibo, ad refocillandum animam. Vide domine & considera, quoniam facta sum uilis.

Quanta mala paßi sint Iudæi in utrisq; uastationibus, in fame, pestilentia & clade, diuini libri exponunt, & Iosephi non tacet historia: interim paßim gemebundi sederunt, & omnium rerum penuria puniti sunt propter peccata sua, & pro defectu cibi inciderunt in agonias mortis, & omnium uirium deficientiam, ut non nisi à solo domino in tot & tantis angustijs auxilium exDoctrina ecclesiastica. petere potuerint. Quærunt iamdudũ in ecclesia electi panem uitæ, uerbum dei, sed non est qui illis frangat, siliquis potius nutriuntur traditionũ philosophicarum & humanarum, quibus animæ in errores & conscientiarum angustias pertrahuntur. Nec doctrina salutaris affertur solida & certa, qua conscientiæ piorum solidentur & confirmentur, sed episcoporum uniuersitatum & patrum placita, citra et ultra uerbum dei. Hinc tanta in moribus uilitas, & in doctrinis uacillatio contigit, ut nisi dominus uentis imperet tentationum, ecclesiæ nauicula periclitetur ad mortem.

LAMED. ל

12 O uos omnes qui transitis per uiam, attendite, & uidete si est dolor sicut dolor meus. Quoniam uindemiauit me, ut locutus est dominus in die iræ furoris sui.

Litera Hebræa לוא אליכם *dubia est. Syrus interpres reddit paraphrasticõs, Adiuro uos omnes, qui transitis per uiam, diuertite huc ad me, & uidete. Alij sic: Non uobis graue sit transeuntibus aspicere. Alij: O si uos corde percipiatis. Aben Ezra dicit: Hæc uobis fiunt, scilicet in exemplum. Dici potest, ut sit comparatio: Nihil ad uos, ista mea mala omnium hominum mala excedunt, inter uestra & mea latißima est discrepantia. Respicite calamitates meas, uidebitis nusquam esse tot mala. Deus uindemiauit me, afflixit omnibus & grauißimis aduersis: racemauit etiam & reliquias sustulit. Videtur non in iudicio & æquitate afflixisse me,Crux in ecclesia. sed in furore. Loquitur enim affectu humano, & iuxta carnis fragilitatem. Ecclesia in hoc mundo multa patitur, & continuo Christum cum cruce sequitur, dolet incommoda piorum, & perditionem impiorum improbosq; conatus, suffert mala plurima, nullum infert, dolet si quis scandalizatur. Exules sunt à patria in hoc mundo, peregrini, & peripsima omnium, ut amatoribus huius mundi uideantur fideles deo nihil esse curæ, siquidem non defenduntur, sed occiduntur, opprimuntur sine difficultate ab impijs, perire uidentur, quasi nõ sint deo dilecti*

MEM. מ

13 De excelso misit ignẽ in ossibus meis, &

erudiuit me. Expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorsum. Posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.

Ierusalem & plebs Iudaica queritur à domino se uißime se percussam, non aliter quàm si intra ipsius ossium medullas ignem uehementem succendisset, quandoquidem domos, palatia, sacella, templum, sanctum quoq; sanctorum una conflagratione in totum disperdit, ut uel tarde intelligeret cui se omnibus modis subijcere debuerit, ut magnitudinem scelerum intelligeret. Rete quoq; expandit pedibus, ne uoluptatibus operam dare ad finem usq; uitæ liceret improbis. Conuertit eos retrorsum, ut pro luxu sentirent miserias, & omnium solatio destituti, malitiæ suæ damna inter hostes plangere cogerentur. Ecclesia uerbo dei destituta, uel non studiosè incumbens, conscientiam gerit flagrantem angoribus, dum consolari non potest aliqua traditione humana, sed semper deterius dolet: experitur alias quascunq; doctrinas & consolationes, relictis potius esse quàm salutem. Retrocedere, est obsequi legibus, quæ sic humanæ sunt ut uerbo dei uel contrariæ sint uel non conformes. Vt uerbum dei erigit & consolatur conscientias fidelium: sic traditiones humanæ deprimunt, & mœrore continuo afficiunt irretitas.

NVN. נ

14 Vigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius: conuolutæ sunt, & impositæ collo meo. Infirmata est uirtus mea: dedit me dominus in manu de qua non potero surgere.

Non est oblitus dominus prævaricationum mearum, sed inuigilauit solicite, & in tempore non distulit pro eis uindictam dignam, iugum grauißimæ captiuitatis, & obsidionis horribilis. Conuolutas, implexas, & irretitas collo meo imposuit iniquitates, ut uigor bene operandi totus defecerit, transierit cumulus peccatorum caput meum, & ad omne bonum uirtus concidit perficiendi. In crudelem Chaldæorum captiuitatem me tradidit, quam euadere usq; ad decretum à domino tempus neutiquam potero nec confido, usqueadeo me confregit, ut consistere uel resurgere nõ possim. Quamlibet dilecta domino sit sacra ecclesia, non tamen dissimulat commissa filiorum eius, sed uindicat, uerum in miserationibus, & gratia sua non humana uirtute. Sinit deus usq; ad collum immergi fideles, sed non patitur submergi. Docet tentationibus, quàm nihil sit fragilitudo humana, quàm fragilis sit iustitia & incerta, ut ad dei gratiam aspirent electi, qua seruante subsistunt & sine qua surgere non possunt.

SAMECH. ס

15 Abstulit omnes magnificos meos dominus de medio mei: uocauit aduersum me tempus, ut contereret electos meos. Torcular calcauit dominus uirgini filiæ Iuda.

Abstulit dominus magnificos Iudaicæ plebis in ea ptitudinem

ptiuitatem Babylonicam, quando prophetas & sacerdotes, quorum ope & doctrina maxime sustentari debebant, ablati sunt, dum defuit illis princeps, dux, propheta, sacrificium, incensum, locus primiciarum, & propitiatorium. Cœtum dominus indixit, ut hostes plus cisionem meorum, in quos fiduciam repugnandi reposuit, ut postracemationem nemo superfuerit, sed hostibus calcandos omnes prostrauerit. In ecclesia longo nmium tempore defecerunt propugnatores ueritatis, doctores ueræ fidei, zelatores gloriæ dei solius, hæreticorum examina suppullularunt contra eam, ut etiam qui electi erant periclitati fuerint & tentati: interim uirgo ecclesia subiacet tortoribus conscientiarum, dominatione sinente, & suos eruente & clarificante, etiam persecutionibus & mortibus.

AIN. ע

16 Idcirco ego plorans, & oculus meus, oculus meus deducens aquas: quia longe factus est à me consolator conuertens animam meam: facti sunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus.

Horum tantorum malorum causa quæ pertuli propter peccata, iugiter flere compellor. Duplicatio eius quod dicitur Oculus meus, secundum Hebræos, significationis materia uel causa relinquebatur, occiso Godolia pio præfecto ab impijs. Et post Romanam nullus propheta iamdiu comparuit, occiso principe prophetarum: destituta quoque sum omni solatio filiorum, quos omnes hostis in exilium deportauit. Ecclesia lugubri & perpetuo fletu plangit abesse sibi consolatores idoneos foris, qui uerbo dei instituant gentes digne & utiliter, utcunq; ipsa in conscientia conscia sit ueræ fidei suæ. Dolet tamen filios suos episcopos & doctores sic climinatos & uastatos luxu & otio ex diuitijs & honoribus, ut non sit ex ipsis qui hosti ueritatis & pietatis præualeat, si non ipsimet ministri & filij ecclesiæ eandem crudeliter persequerentur, & inualescerent filijs ueris & ministris dignis ecclesiæ sanctæ.

PHE. פ

17 Expandit Sion manus suas, non est qui cõsoletur eam. Mandauit dominus aduersum Iacob, in circumitu eius hostes eius. Facta est Ierusalẽ quasi polluta menstruis inter eos.

Præ nimia angustia in tot periculis & præsentibus calamitatibus Ierusalem fingitur spargere manus, cogitabunda iactare, quasi inops omnium consiliorum, dum nemo succurrit consolator, hostes autem crudelissimi undiq; instant & impugnant, adducti iudicio diuino contra Iudæos, & ultimas reliquias totius Israëlis, in terra hæreditatis paternæ. Polluta autem Ierusalem dicitur menstruis inter eos, quæ sanguinolenta opera & carnalia desideria noluit uitare in praua conuersatione. Ecclesia angustiata aduersis clamat ad dominum, nec semper pro carnali uoto exauditur ad consolationem, multos complectens ficte religiosos, & in conscientia turpiter pollutos improbos hypocritas, & scatentes fœdo semine doctrinarum falsarum, quibus inficitur ecclesia, & exponitur non tantum derisui, sed etiam hostium ferocitati. Si quis hodie intueatur ecclesiam, uidebit multis & in immensum abusibus, falsisq; uniuersitatum dogmatibus misere conspurcatam.

SADE. צ

18 Iustus est dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui. Audite obsecro uniuersi populi, et uidete dolorem meum. Virgines meæ & iuuens mei abierunt in captiuitatem.

Agnoscit sententiam contra se iusti iudicis, meritò confitetur se passam tot enumeratas calumnias. Non aliam iustus iudex quàm iustam potest ferre sententiam. Iustum autem iudicem, & tamen natura clementem ad iracundiam prouocaui, ait, prauisq; meis moribus compuli duram contra me ferre sententiam. Deniq; plurimos ad uidendum dolorem suum inuitat, quia calamitatem suam ultra modum grandem esse existimat, ut aliorum compassione leniat anxietatem suam. Quod uirgines & iuuenes abire in captiuitatem deplorat, ostendit se inde maxime dolere, quod spem status sui uidit subito corruisse. Ecclesiæ dominus iuste irascitur, dum negligentius uerbo dei studet, admiratur autem studiosius doctrinas gentilium, & philosophorum uanas disputationes: uti aliquandiu uidimus maioris reuerentiæ & authoritatis fuisse Aristotelem in theologicis scholis, quàm Christi, Mosis, uel Pauli ueritates, unde nobis prodijt tam elegans ecclesia. Certe talis, cuius uirgines & iuuenes abierunt in captiuitatem humanarum traditionum, & abominabilium errorum in fide & moribus, de quibus nemo ad sufficientiam lamentationes scribet, licet pleriq; tentauerint nostro sæculo. Doctrinã pernitiosa.

CVPH. ק

19 Vocaui amicos meos, ipsi deceperunt me. Sacerdotes mei, & senes mei in urbe consumpti sunt: quia quæsierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam.

Quos quæsieram & excolueram diligentissime, amicos, deos alienos, idola, & regum auxilia, omnia contra uerbum domini, istos in tanta calamitate inuocatos omnes sensi nihil potuisse, quia uanitas & nihili apparuerunt, quod prophetis ueris antea nunquam credere uolui, reges nempe succurrere noluisse, & turpiter deseruisse, & pedem retraxisse in meis angustijs. Sacerdotes & senes in urbe ob tenuitatem uictus, fame & siti defecerunt & exanimati sunt, quibus nemo misericordiam etiam uolens præstare poterat, deficiente cibo in obsidione urbis ab hostibus, ut necessarijs omnibus uitæ miserimi indiguerint. Ecclesia fidelium decepta est ab hæreticis episcopis & doctoribus iamdudum in multis. Euanuerunt & expirauerunt prælati eccle- Ecclesiã decepta.

fiæ propter carentiam uerbi dei, quo neglecto & spreto, in cathedralibus canonicis collegijs legendas sanctorum suorum legerunt, & cantilenas in locum doctrinæ reposuerunt, uero animarum pabulo neglecto, soliciti fuerunt magis de sæcularibus negotijs, ut ditescerent, & principes imperij appellarentur & essent. Inde accidit iactura tanta uerbi, & ceremoniarum substitutio uanarum, multiplicatio mandatorum ecclesiasticorum, & transgressio mandatorum dei, deficiente fide & charitate ob uerbi dei neglectum.

RES. ר

20 **Vide domine, quoniam tribulor, conturbatus est uenter meus. Subuersum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. Foris interficit gladius, & domi mors similis est.**

Consolatio in precibus

Deficientibus omnibus, ut dictum est, consolatoribus consilium sumit, deum precibus adeundum: unde dicit: O tu domine clemens & benignus, uide & miserere pro angustijs quibus quàm maxime premor: eatenus ut omnia mea uiscera conturbata sint perturbationibus, & feruore noxio intumescant, hoc est, omnino inuersum est, & à suo legitimo statu amotum cor meum intra memetipsum. Est enim expositio prioris iuxta prophetarum & poëtarum sacrorum morem. Eius autem tantæ perturbationis causam dat conscientia scelerum meorum, qua rebellando semper rebellaui uerbo domini, & prophetis sanctis. Ideo nunc digne affligor undiq;. Si intueor quæ foris geruntur in platea uel uicis, omnia plena sunt cruore occisorum filiorum meorum, si domum rediero, inuenio filios quoq; fame deficientes ad mortem. Sic ecclesia orationibus sese ad dominum consolatur, dum foris & domi omnia letali & pestifero errore uidet exulcerata: dum uiscera sua maxime necessaria membra, episcopos & doctores sentit tumultuari, & super frigidis quæstionibus schismata & anathemata attentari, ut uidere est in Actis Conciliorum ueterum & nouorum, præcipue in Ecclesiastica Eusebij Cæsariensis, & in Tripartita, De paschatis festo quo die celebrando, De imaginibus colendis uel tolerandis, De baptizandis hæreticis, De primatu Romanæ Ecclesiæ, & Papæ super ecclesiam, De usu sacramenti Eucharistiæ: taceo Parisiensium articulorum labyrinthum, & alia.

Disputationes episcoporum.

SIN. ש

21 **Audierunt quia ingemisco ego, non est qui consoletur me. Omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt: quoniã tu fecisti. Adduxisti diem quem uocasti, & fient similes mei.**

Afflicto angoribus, augmentum doloris est, amicum, in quo spem collocauerat, differre opem & solatium, quin & ab hostibus insuper irrideri, quasi spe & fiducia dudum habita in deum suum, nunc in necessitate frustretur, quasi frustra domino deo suo crediderit: id quod Christo & Dauidi improperatum legimus manifesta blasphemia, quæ non lædit periclitantem, sed interficit blasphemantem. Non est aliquatenus reprehendendum iudicium dei, semper iustum uenerandum & timendum. Non derelinquit deus sperantes in se, sed orationes exaudit & saluat, consolaturq; tandem pœnis immissis condignis, iniquis piorum oppressoribus iusto iudicio suo. Vtq; reproborum pœna fit cruciari de felicitate sanctorũ: sic pios solatur deus flagellis maximis impiorum, quas suis tandem hostibus immittit, donatis respirandi potestatem sanctis post diuturnum laborem, & contrario tortoribus eorum iustæ damnationis sententiam. Ingemiscit semper sanctorũ ecclesia pro membrorum suorum angustijs in hoc mundo, nec desinit sperare dei clementiam, certò credens piorum æternam cæ & beatam mercedem, impiorum autem æternum cælamitatem, ut recipiant in semetipsis quod iniquegesse rant, ut patientia sanctorum coronetur, & iniquitas perfidorum puniatur.

THAV. ת

22 **Ingrediatur omne malum eorum coram te: & uindemia eos sicut uindemiasti me propter omnes iniquitates meas. Multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens.**

Orat fidelium deuotio, ut remoretur pietate dei persecutorum sæuitia, utq; iusto dei iudicio correpti impij humilientur, ad quietem piorum. Vindemiare, est unumquenque operum suorum fructum metere, ut sanctos oppresserunt, domini iudicio opprimantur. Orant sancti iustam à domino contra impios uindictam, non uoto malitiæ, sed spiritu prophetiæ, zeloq; iustitiæ, quo conuerti eos magis desiderant quàm perire, ut non tam maledictio fundetur, quàm correctio posletur, sicut & ipse postulans ab iniquitatibus suis mundatum se meminit ex pœna inflicta à domino, pro quibus etiam liberatus gemit assiduo & mœstus est.

ALPHABETVM II.

ALEPH. א

1 **VOmodo obtexit caligine in furore suo dñs filiã Sion: proiecit de cœlo in terrã inclytam Israel, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui.**

Cecinit sanctus Ieremias propheta domini ira Lamentationes & carmina Hebraica, super tempus & fu tum ruinæ urbis Ieruſalem, non ad excutiendum munibus fletum inutilem, sed ut sui temporis homines pertraheret & solicitaret ad pœnitentiam pro similibus peccatis, ob quæ illi genti & urbi tanta conuigera calamitas, ut omnium seculorum homines æmulentur huius pœnitentiam, utq; deum timere discerent, uindicem impietatum exemplo Ieruſalem. Plangit ergo secundo hic acerbißimum casum Iudæorum, in quo maximis infortunijs dominus obfuscauit, & caligine uelut obtexit & obnubilauit Ieruſalem, quæ dicitur filia Sion, quia in monte qui contiguus est colli alterius Sion, quasi sub matre protegenda filia sita est. Hoc autem factum est demeritis magnorum facinorum, quibus eadem

Principium tribulatiõis.

eatenus iratus est dominus, ut uoluerit grauissima multa punire, quod & per prophetas toties prædixerat, sed surdus fabulam. Elegans hyperbole est, de cœlis deiectam in terrã, de maxima gloria & gratia in summam ignominiam & odium. Quicquid insigne erat in urbe & gente Israëlitica, summum decus Iudaicum, ciuitatem & metropolim Ierusalem præcipitauit & deiecit, eatenus ut non pepercerit templo gloriæ suæ sedi maiestatis suæ, arcæ fœderis, propitiatorio, cherubim, & omnibus sacris uasis, sanctum sanctorum cum templo & atrijs omnia pariter comminuta sunt & deleta. Ecclesiæ primitiuæ & apostolicæ splendorem in doctrina & miraculis, si quis comparet ad posterioris seculi doctores, regios ducalesq; episcopos, uerbum domini nec scientes nec prædicantes, & ad mores ceremoniasq; quæstuosas, causam habebit uberrime lamentandi casum grauissimum ecclesiæ, quasi è cœlo delapsæ in terram, ut ne sacramentorum quidem sanctitas pura manserit à turpissimo quæstu & auaritia, quæ est idolorum cultus.

BETH. ב

2 Præcipitauit dominus nec pepercit, omnia speciosa Iacob: destruxit in furore suo munitiones filiæ Iuda, & deiecit in terram: polluit regnum, & principes eius.

Propter Iudæorum peccata, præcipuè idololatriam, contemptum uerbum dei, & effusionem innocentis sanguinis, irritatus dominus, tradidit eos in manus gentiũ hostium suorum. Speciosissimum templum, & decus totius gentis atq; gloriam, dominus præcipitauit & destruxit iustissimo furore suo: Id est, iustitiæ suæ iudicio, munitiones murorum & turrium in terram deijciens, honorem regni polluit, & principatũ omnem deleuit. Quicquid sanctum, uerum, illustre ad fidem & mores pertinens habuit apostolica ecclesia, ex Israëlitica gẽte reliquiæ, spiritu sancto suscepto Hierosolymis, à quibus orbis conuersus est ad dominum, quæ sanè plurima fuerunt spiritus sancti dona, posterioribus temporibus sic præcipitata sunt propter peccata maiorum, ut nihil solidæ munitionis remansisse uideretur in ecclesia, quam nunquã defuerint sanctorũ multa millia. Pollutos ex historijs legimus fuisse non solum hæreticos episcopos, sed etiam principes, reges ac Cæsares.

GIMEL. ג

3 Confregit in ira furoris omne cornu Israel: auertit retrorsum dexteram suam à facie inimici: & succendit in Iacob, quasi ignem flammæ deuorantis in gyro.

Cornu.

Cornu significat robur, magnificentiã & imperium, qualia dominus per iustam uindictam Iudæorum regno & Hierosolymæ omnia detraxit. Dexteram sui auxilij negauit omnimodis. Non occurrere dignatus est Israëli populo olim suo cõtra hostes, iniecit potius & ipse ceu ignem iram suam, ad conflagrationem urbis & templi, & ad subuersionẽ totius gentis. Ecclesiæ suæ nõ parum iratus fuisse dominus uidetur, sinendo inimicum hominem tantũ zizaniarũ inspargere agro ecclesiastico, per

hæreticos, Turcas & spirituales tyrannos cõscientiarum & diuorum promotores & intercessorũ, contra uerbũ domini, sophisticosq; theologos, quasi uerbi dei puri & certi nulla esset habenda ratio: sed flamma auaritiæ, & quæstuum studio omnia confusa sunt, ut tota pietas uisa fuerit conuersa in quæstum, per malitiam episcoporum & monachorum. Ira dei in ecclesiam.

DALETH. ד

4 Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmauit dexteram suam quasi hostis: & occidit omne quod pulchrũ erat uisu in tabernaculo filiæ Sion, effudit quasi ignem indignationem suam.

Fermè repetitio est eiusdem iam præmissæ sententiæ, ut fieri consueuit in carminibus, & affectuum querelis. Chaldæis dominus potestatem dedit incendendi templũ & urbem, destruendi murum, eo quòd iratus semel decreuisset minime parcere, qui aliquando patribus placatus terram gentibus ereptam in hæreditatem distribuerat filijs Israel. Si fideles in ecclesia per ingratitudinem peccauerint & superbiam, diutiusq; dominus per patientiam tulerit, reuerti nolentes, arcu durissimo iudicij sui adoritur, hostem se fingit uindicando peccata, quicquid ornatuum & scientiæ fuerant consequuti tum dissipat, & fiunt iuxta Christi parabolam & doctrinam nouissima peiora prioribus. Ingratitudo

HE. ה

5 Factus est dominus uelut inimicus: præcipitauit Israël, præcipitauit omnia mœnia eius, dissipauit munitiones eius, & multiplicauit in filia Iuda afflictam & humiliatam.

Synagogæ Iudaicæ post idola anhelanti factus est dominus inimicus, quando eam hostili gladio deuastandã permisit. Deiecit non solum ornamenta urbis, mœnia & palatia, domus & templũ, sed etiam munitiones ad defensionem paratas, repleuitq; omnia tristitijs mœroribus & angoribus, ut nemo non miser illic inueniretur & calamitose humiliatus. Ornatus quidẽ ecclesiæ sunt linguarum genera, curationum uirtus & doctrina, iuncta eloquentia spiritus. Fides uerò spes & charitas antemuralia sunt, & munitiones. Stare enim potest munitus per fidem & iustitiam, quamuis uirtutum perficiendarum, & linguarũ gratia destitutus: quia sine fide & charitate hostium patemus insidijs.

VAV. ו

6 Et dissipauit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum. Obliuioni tradidit dominus in Sion festiuitatem & sabbathũ: & in opprobrium & in indignationem furoris sui regem & sacerdotem.

Tabernaculum Mosaicum, & templum Salomonicum, urbem regni metropolim demolitus est dominus propter peccata Israëlis, ueluti dum amœnissimus hortus conculcatur à feris. Aboleuit & uastauit arcam fœderis & propitiatorium, ubi habitauerat ueluti cum

Cultus dei corporalis & spiritualis.

hominibus, responsa dando, & orantes exaudiendo, miracula perpetrando, ædendoq; oracula. Sopiuit oblivione, & negligere omnino uisus est & abijcere prorsus. Solennitates statas & annuas, cum sabbathis & neomenijs, aliasq; ceremonias abominatus est, & ne ultra fierent abstulit locum sanctum ac templum, cum sacerdotio & uasis omnibus, totam simul gentem spernens, cum regibus & sacerdotibus in captiuitatem & mortem traditis, ad perpetuum opprobrium. Huiusmodi corporalem cultum dei & ceremonialem, cum dominus, qui spiritus est, & in spiritu ac ueritate coli uelit à fidelibus, cum tempore restitutum uidimus, & supra omnem modum adauctum in ecclesia, ut Iudæorum ceremoniæ ferè nullius oneris fuerint præ nostris: quin & conscientiæ constrictæ sunt, & humanis traditionibus sic pietas obruta, ut nihil nisi inutiles ceremoniæ remanserint in ecclesia, & qui episcopi dicebãtur, sese reges & principes gerebant, quibus etiam una corona non sufficeret: & cætera multa ac grauia quæ hic dicenda cum planctu forent.

ZAIN. ז

7 Repulit dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ. Tradidit in manus inimici muros turrium eius. Vocem dederunt in domo domini, sicut in die solenni.

Altare repulisse dominum, & sanctificationi maledixisse, est hostias salutares & pro peccato, cum oblationibus & libaminibus abrogasse, dum templum & uasa diripienda hostibus tradidit, & nihil superesse uoluit, urbem subuertit cum propugnaculis, altera quoque uice, & uoluit prostratam interim, ne loco & tempori uerus dei cultus alligatus putaretur ab aliquo. Clamorem blasphemiæ dederunt hostes in domo domini, ubi quondam laudes canebãtur à fidelibus: de quo & Esaias 64. capite. Ecclesia autem uera altare habet inuiolabile, sanctificationem perpetuam in Christo: quanquam cecidérint turres inuincibiles Apostolicorum episcoporum iamdudum, & uox hæreticorum horrenda audita fuerit in domo domini, uerbo dei neglecto.

HETH. ח

8 Cogitauit dominus dissipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum (suum, &) non auertit manum suam à perditione. Luxitq; antemurale, & murus pariter dissipatus est.

Muri Ierusalem dissipati.

Vrbs ista, cuius dominus uoluit & decreuit iusto iudicio, & perpendiculo æquitatis, dissipare murum, & condignam reddere peccatis mercedem, Synagoga Iudaica est, quæ semper superbe & contentiose gessit se cum domino, contra prophetas ad se missos, contra ueritatem uerborum dei, ut nouissimè quoque principem prophetarum, & hæredem cœlestis patrisfamiliãs occideret, ut iustus iudex & iustitiam diligens dominus noluerit interim auertere manum suam à perdendo male malos agricolas, sed terram illius funiculo metiens hostibus partiendam permiserit. Murum & antemurale

dissipauit, cum angelorum custodiam abstulit, quam domini olim pietate susceperat. Ecclesiæ quidem ara & templum Christus non destruitur, sed eos qui se pro muro & tutoribus gerunt iamdudum dissipauit, & donec perpendiculum ecclesiæ uerbum dei resumitur omnia perditioni subiacent, lugentiq; omnes piorum conscientiæ.

TETH. ט

9 Defixæ sunt in terram portæ eius: perdidit & contriuit uectes eius, regem eius & principes eius in gentibus. Non est lex & prophetæ eius non inuenerunt uisionẽ à domino.

Iudaica synagoga perdita est, & contrita pariter cum urbe & templo, cuius portæ præcipitatæ sunt & pessumierunt, omnia subuersa sunt ædificia, leges siluerunt, cessauit dominium, oracula disparuerunt. Quales iamdudum fuerint ecclesiæ primores, defensores, gubernatores & iudices, fructus indicauerunt. In terram defixi & submersi uidentur, qui sese cœlestes & spirituales iactabant mundo, diuitiarum admiratores factæ sunt episcopi & monachi: nihil soliditatis & fidei uerè præstiterunt ecclesiæ, non se uectes opposuerunt erroribus, sed ceremonijs incumbentes, uerbum domini quo mundus uincitur obmiserũt. Reges & principes in gentes translati, gentilium more gentiles instituerũt uiros, quos & in multis superauerunt, superstitionibus, semper maioribus & nouis excogitatis, fide uera & charitate neglectis. Non est audita lex domini, sed literæ seculares, & prophani philosophastri. Prophetarũ nulla intelligẽtia, quia eorum nullum extabat studium, sed Thomæ & Scoti argutiarum, & episcoporum canonum: quis hæc negare audebit? Ideo à domino nulla scepta est uisio, quia uerbum domini non perquisierũt, sed Scoticas tenebras sectati sunt, & quæstiones frigolas, ad fastum & quæstum excogitatas.

IOD. י

10 Sederũt in terra, cõticuerunt senes filiæ Sion: consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis. Abiecerunt in terra capita sua uirgines Ierusalem.

Qui olim in urbis Hierosolymæ portis iudices fedebant in subsellijs, senatores uenerandi & spectabiles, nunc interfecti humi procumbũt: qui ex ciuibus reliqui sunt à gladio, fame & peste, cinere caput inspargunt. uirgines saccis indutæ sunt, quæ olim ornatissimæ superbissimæq; incedebant ludentes oculis & pedibus, nunc nudatæ ornatibus trahuntur in captiuitatem. Seniores & presbyteri ecclesiæ terrena potius cogitauerunt quàm cœlestia, capitis sui Christi domini uera ornamenta omnium uirtutum amiserunt. Cœlibatus, de quo nonnulli operose se iactabãt clerici & monachi, Nonni & Nonnæ, qualis fuerit, & quos fructus produxerit, uidit hactenus, & sentit hodie mœsta ecclesia.

CAPH. כ

11 Defecerũt præ lachrymis oculi mei, conturbata sunt uiscera mea. Effusum est in terra

terra iecur meum super cõtritionem filiæ populi mei, cum deficeret paruulus & lactens in plateis oppidi.

Iusto & magno dolore permouetur sanctus propheta ad deplorandum horribilem contritionem gentis suæ, templo succenso urbeq; uastata & populo, sic ut præ lachrymis deficiant oculi, & omnis iocunditas uersa sit in cordis anxietatem, uisis paruulorum corpusculis, & lactentibus puerorum artubus cõsperfis in plateas infelicissimi oppidi. Similiter in ecclesia deflenda à pijs est animarũ tanta ruina, quæ Christi sanguine redemptæ, & baptismatis unda mystice ablutæ denuò deuoluuntur in cœnum & sordes uitiorum, ita ut ij qui innocentiam & simplicitatẽ paruulorũ imitari uidebantur & debebãt, ut Christi discipuli, imò Christianorũ doctores, in plateis mundi & seculi desyderijs à spiritualibus hostibus enecẽtur, miserumq; sine spectaculũ eorum, quos uita & uerbo consolari ac promouere debuerant.

LAMED. ל

12 Matribus suis dixerunt, Vbi est triticum & uinum? cum deficerent quasi uulnerati in plateis ciuitatis: cum exhalarẽt animas suas in sinu matrum suarum.

Exaggeratio ingens prophetica & poëtica sancta, perstringẽdo angustias annonæ nimias, quando matres non inueniunt cibos pro infantibus, requirentibus flebiliter uictum & necessaria uitæ, qualia cõmuniter pro hominibus sunt panis & uinum, pro confortatione & gaudio. Quam etiam sequebatur alia & grauior matrum calamitas, extinctis maritis, ut cogerentur miserrimæ cernere infantes & pueros præ famis magnitudine suas efflare animas, & desyderio cibi maximè angustiari. Frustra iam longo tempore in ecclesia auditores à doctoribus suis & episcopis quærunt triticum & uinum uerbi dei, cui pro terrenorum cura, & pompa seculari, uoluptatumq; studio, incumbere non uacat illis. Quid ergo mirum si fideles in ecclesia uulnerati erroribus iacuerunt, & angustias conscientiarum maximas perferre coacti sunt?

MEM. מ

13 Cui comparabo te, cui assimilabo te filia Ierusalẽ? Cui adæquabo te, & consolabor te uirgo filia Sion? Magna est enim uelut mare, contritio tua: quis medebitur tui?

Pergit exaggerando uerbis & sententijs tantam calamitatem. Maxima enim mala pertulisti comparatione omnium aliarũ gentium, infelicissima es, ut nulli te possim populo conferre. O Hierosolyma quæ mea solebas filia esse, & cognominari, cui te æquare uelebo in miserijs? Si uel te consolari tentauero, uel ostendere causam tanti mali, nõ inuenio similem tibi gentem, non est speranda medela calamitati tuæ. Pro כִּים Septuaginta uel quisquis fuerit alioqui eruditus interpres, legit כִּיס, & calicem reddidit, cum Hebræus uelut mare dicat contritionem ecclesiæ & schismatibus tam horrendis nemo medebitur, nisi tantum uerbum domini.

NVN. נ

14 Prophetæ tui uiderũt tibi falsa & stulta: nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam prouocarent. Viderunt autem tibi assumptiones falsas & eiectiones.

Pseudoprophetæ falsis uaticinijs & mendacibus promissis gentem Iudaicam semper seduxerant, placentia tantum prædicauerant, pacem & templũ iactauerant, cum pœnitentiã suadere debuissent, & corrigere uitia magnatum & plebis, more sanctorum prophetarũ, sed assumptiones, id est, onera & prophetias falsas, errores quoq; & repulsiones dixerunt, unde ad dei odium corruentes, exiliũ, captiuitates & eiectiones in omnes gentes promererẽtur. Idipsum & sanctus Petrus queritur, in ecclesia fuisse iam tunc pseudoprophetas & mendaces magistros, qui sectas perditionis inducerent, & Christum dominum negarent, superinducentes sibi celerem perditionẽ, quos multi sequerentur luxuriosi, per quos uia ueritatis blasphemanda esset, qui & per auaritiam fictis uerbis de fidelibus negotiarentur, quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio non dormitat. Quid nostris temporibus ô deus, dixissent sancti nedum apostoli, sed Hieronymus & Bernhardus, de nostris ecclesiasticis personis? Assumptiones falsæ. Sectæ perditionis.

SAMECH. ס

15 Plauserũt super te manibus omnes transeuntes per uiam: fibilauerunt & mouerũt capita sua super filiã Ierusalẽ, Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decôris, gaudium uniuersæ terræ?

Spectatores malorum tuorum amici & hostes, comploserunt super te manibus, illudentes tibi huiusmodi sermonibus: Hæccine urbs est Hierosolyma omnium orientaliũ urbium elegantior? quàm dissimilis nunc est sibi? Erat enim perfectio decoris, hoc est pulcherrima omnium, nunc est cinis & fauilla. Non parum scandalizãtur de moribus & doctrina ecclesiæ Iudæi & Turcæ, eam scientes legem, quam & nos credimus & amplectimur, uidentes multipliciter nos impingere in legem, diuos nobis creando, statuis honorando, tutelares eligendo, ceremonijs nimium multis & stultis deum colendo, cum uita plena magnis criminibus. Scandalũ.

PHE. פ

16 Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: fibilauerunt & fremuerunt dentibus, dixerunt, Deuorabimus: en ista est dies quam expectabamus, inuenimus, uidimus.

Distendere os, ad ludibrium & ferociam pertinet, & ad barbariem hostium. Diu autem desyderauerant inimici Iudæorũ proximiores & remoti opportunitatem inuenire occidendi & uastandi simul totã Iudaicã gentem, qua tandem iudicio dei permissa, abusi sunt sua uictoria ad superbiam, & ad dei contemptum. Vt non horruerint fibilare & stridere dentibus cõtra miseros, & insultare deuictis, uerbis quoque illudere, ut dicant,

Iam nunc deglutiuimus eos, deleuimus: quæ dudum cum ingenti desyderio conati sumus & optauimus in tempore perfecimus, dum scilicet dominus permisisset. Id tunc fieri potuit, quando Iudæi dominum reliquerunt, & pro multitudine criminum ipsorum iusto iudicio fieri permisit. Quibus hodie calumnijs ecclesia prostituatur, ob plurimos abusus contra uerbum domini, & apostolicas sanctiones, satis constat, & ad sufficientiã plangi non potest à fidelibus.

AIN. ע

17 Fecit dominus quæ cogitauit: compleuit sermonẽ suũ, quem præceperat à diebus antiquis. Destruxit & non pepercit, & lætificauit super te inimicũ, & exaltauit cornu hostium tuorum.

Quandoquidem impia gens illa toties præmonita uerbo dei & prædicationibus prophetarũ, non solum conuerti noluit, sed seipsa continuò peior facta est, ut eam conditor ultra ferre non posset, tandem pro meritis condigne punita est, secundũ olim prædicta. In die, aiebat, ultionis uisitabo & hoc peccatum eorum: sic nunc dicitur: Fecit dominus quæ cogitauit, cõpleuit sermonem suũ, quem præceperat à diebus antiquis, Mosi & Esaiæ alijsq; prophetis, præcipuè propter peccata Manassis, pro quibus nullis uoluit prophetarum orationibus reconciliari, quin gentem destrueret & urbem, minimeq; parceret. Exhilarauit autem cõtra te hostem, quem potentia & ferocia superiorẽ fecit. Sic & de ecclesia facta sunt omnia quæ prædixit Christus & apostoli, futura in dei ecclesia scandala, donec tot sectis discerpta est ecclesia, doctrinisq; secularibus commaculata, & luxu fastuq; corrupta, ut de ipsius cõfusione infideles & extranei à ueritate gauisi fuerint nimium.

SADE. צ

18 Clamauit cor eorum ad dominũ (super) muros filiæ Sion, Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & noctem: non des requiẽ tibi, neq; taceat pupilla oculi tui.

Clamor hic intentionem mentis significat, non uocis exaltationem. Dum enim iam Iudæi tanto tempore obsiderentur, & muros defendere cogerentur, sine spe uictoriæ, iam tardè nimis iubẽtur effundere cum oratione ad deum copiosissimas lachrymas, & eas incessanter, & sine relaxatione aut requie aliqua. Alij interpretes post Hebræos murum ipsum iubent flere, cum suppletiones crebræ adnotẽtur ad Hebraicã ueritatẽ. Vt possit esse sensus: Clamauit cor eorũ ad dominũ pro muris uel supra muros filiæ Zion. Sic autem clamauit: Deduc uel descendere fac ut torrentẽ lachrymas. Pupillam autem oculi Hebræi uocant filiam oculi, hoc est, intimum & principale in oculo, nigrum illud in medio oculi. Tacere oculus dicitur, à fletu cessare, qui est oculorum clamor & affectionũ expressio. Non sufficiunt fideles & electi in ecclesia deplangere incõmoda, quæ ipsa passa est ex prauitate & negligentia eorum qui prælati ecclesiæ constituti sunt & episcopi.

Filia oculi.

CVPH. ק

19 Consurge, lauda in nocte in principio uigiliarũ: effunde sicut aquam cor tuum ante cõspectum domini. Leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.

Noli, ô Sion, negligenter conqueri & lamentari tam miserias tuas: tempestiue surgas, imò in ipsa adhuc nocte, quam insomnem ducere cogeris: clama ad dominum, & effunde preces miserabiles coram domino: manus quoque eleua in cœlum, pro auxilio domini implorando, pro paruulis, fame & hostium crudelitate pereuntibus passim in plateis ciuitatis. Excutere decennis torporem negligentiæ in tentationibus huius uitæ. Sternui quoque simus & cauti in omni conuersatione, quid quid acciderit calamitatum, domino accepitum imputemus nostrum & suam gloriã referre debemus. Ex imo cordis compunctio depromenda pro ecclesiæ necessitatibus, & spiritu cordis contriti iugiter domino sacrificandum. Paruulis in ecclesia periclitantibus succurrendum oratione, auxilio, cõsolatione, doctrina, tam quam Christi membris.

RES. ר

20 Vide domine & consydera quem uindemiaueris ita. Ergóne comedent mulieres fructum suum, paruulos ad mensurã palmæ? si occiditur in sanctuario domini sacerdos & propheta?

Vide ô domine ærumnas miseræ urbis tuæ, ad quem sortem nos infelices redegeris, adeò ut & mulieres ipsæ natura misericordissimæ ad alios, propriũ fructum uentris sui, paruulos suos, uix palmaris lõgitudinis, uel quia commodè iam tractari manibus parentũ incipiunt, delitias parentum, præ necessitate famis edere cogantur. Num itaque in tantis nos positos miserijs cõspicere clementissimus poteris? Num patieris sacerdotes tuos, sanctos prophetas, famulos & cultores tuos, inter cadentes gladio mori? Orandum est pro ecclesia eius filijs, ut respectu gratiæ respiciat dominus ad eius incommoda, & calamitates, persecutiones & uastationes, in quas periclitantur de fide & spirituali uita in Christo filij ecclesiæ, perperam edoctæ ab hæreticis, uel superstitiosis doctoribus. Et quãto quisq; sanctior ac in uerbo dei eruditior, tanto plura ab hostibus pietatis perferre cogitur, ueluti ab Antichristo.

SIN. ש

21 Iacuerũt in terra foris puer & senex: uirgines meæ & iuuenes mei ceciderũt in gladio. Interfecisti in die furoris tui: percussisti, nec misertus es.

Non pepercerunt Chaldæi paruulis uel senibus, sine ætatis & cõditionis respectu omnes cõtrucidauerunt, ut plateæ refertæ misero occisorum spectaculo cernerentur. Virginibus quoq; & adolescentibus crudeliter insteterunt, gladio occidendo superstites fami. Vt nulla tandem

tandem misericordia tecum locum habuerit, cum sis natura clementissimus, tantopere improborum illorum iudæorum flagitijs irritatus: quòd fiat etiã apud homines saror sæpe læsa patientia. Quantis periculis conscientiæ & uitæ, morum & uirtutis in ecclesia expositi fuerint iuuenes & puellæ perpetuis suis uotis in pueritia ferè ad hoc subornatis, testatur facies ecclesiæ nostris temporibus: de quibus alij aliàs.

22 THAV. ת

Vocasti quasi ad diem solennem, qui terrerent me de circumitu: & non fuit in die furoris domini qui effugeret & relinqueretur. Quos educaui & enutriui, inimicus meus consumpsit eos.

Quasi ad diem solennem uideris, ô deus, uocasse מגוריי quod uicinos conuicaneos etiam hostes significare potest, ut plurima esset multitudo pereuntium, ad subuersionem perfidæ ciuitatis, ex qua nemo effugiens euaderet uel fieret superstes. Quin magna cura educati ac nutriti adolescẽtes & uirgines, ad iustam usque ætatem perducti, ab hostibus crudelissimis occisi sunt omnes. Nõ sine dolore graui ecclesia sancta sustinet tantam miseriam, cum filios suos sacramentis imbutos sub inimicorũ manu per diuersa scelera uidet quotidie procumbere & occidi.

ALPHABETVM III.

ALEPH. א

1 Ego uir uidẽs paupertatẽ meam in uirga indignationis eius.

In hac tertia lamentatione terni uersus incipiunt ab una Hebraica litera consequenter. Loquitur in hoc carmine populus Iudaicus. Docetur uerò quomodo dominus puniat suos, & qua ratione uel causa: fructus quoque patiẽtiæ. Incipit uerò uehemẽti affectu quasi solus sit omnia mũdi mala experti. Alij in persona prophetæ uel Hierosolymæ omnia interpretãtur. Nos ædificari ex eo studeamus. Non modicus est profectus ex aduersitate uel alia quacunq; ratione didicisse hominẽ suã paupertatẽ, ex afflictionibus eruditum esse, uexatione suscepisse intellectũ: ut cognoscat aliquis seipsum, intelligat non se superbire debere, sed humiliter de se sentire. Virtutis est insigne suam augnouisse imbecillitatem. Longè ergo utilior est homini uirga correctionis, quàm sceptrum gloriæ & honoris. Dum à domino corripimur, fit illius gratia, ut non cum hoc mundo damnemur. Indignatio dei prodest filijs. seruos improbos arguit, terret & damnat. Potest referri affixum. Eius, ad dominũ, cuius uirga erudiat, uel ad hostem, qui irati dei instrumentũ est, ad salutẽ electorum, damnationem autem eorum qui abutuntur tradita sibi à domino potestate alios diuexãdi & corrigendi, si animo id iniquo & supra modũ exequantur.

ALEPH. א

2 Me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.

Non est malũ in ciuitate quod dominus non fecit, siue in tenebras protrudamur siue in lucem, domini dispensationem agnoscamus. Nostrũ est humiliter dominum orare, ut lucis nos filios esse malit, & inducat in omnem ueritatem, ut pecus simplex nos dirigat, & errare non sinat suos filios. Dominus baculo retundẽdo reducit ad uiam errantes ouiculas suas, per prospera & aduersa. Nobis tamen aduersitates quamlibet utiles tenebræ uidentur, non lux, ægrè feruntur, dum feliciora ambimus. Iterũ orationi Hebraicæ addenda quædã, sed quorũ facilè sententiæ cõsyderatio admonet asuetos ea lingua.

ALEPH. א

3 Tantũ in me uertit, & conuertit manum suam tota die.

Videtur domini indignatio tantummodo uersa esse contra me, quasi præter me non sint in mundo peiores, sic omnes suas plagas mihi immisisse uidetur. Oratio est exaggerans calamitatẽ quam patitur, ut pueri se solos percussos queruntur, & tota die mala perferre, sine intermissione sentire dei iram, dum æquè malos, ut putant, feliciter agere dolent. Sustinet dominus piorum impatientiam aliquousque, nec facilè irascitur electis pro fragilitatibus carnis. Solent quoq; fideles semper deum habere ob oculis, & opera eius cõsyderare, non tamen semper assequi certam rationẽ operũ dei, sed aliquoties perturbari iuxta sensum carnis. Impatientia piorum.

BETH. ב

4 Vetustam fecit carnem meam, & pellem meam, contriuit ossa mea.

Incipiunt tres sequẽtes uersiculi à litera Beth, nõ alia ratione quam liceat suspicari, quàm quia sic prophetæ complacuit, sic de sequentibus omnibus. Vetustam fecit carnem meam, putridam & plagis affectam, ut mœror & angor aspiciantur ex corpore. Spiritus enim tristis exsiccat ossa, carnem immutat, & squalore obducit, ut spiritus uegetetur. Exteriorem rerum statum prorsus deformem deus reddidit, cutim denigrauit, corrugatam colore uiuido destituit, speciem omnem & ornatũ genti abstulit, semel subuersa & iterũ Hierosolyma, ut pro eo substitueretur aurea, toto orbe spectanda, & maximè celebris, in qua Christus regnaret, quæ & nomen haberet, dominus ibidem. Confregit ossa, internũ robur contriuit, duritiam ceruicis humiliauit, uim sese defendendi eripuit, uirtute destituit, ut de saluatore cogitaret, & causam tantarum calamitatum inquireret.

BETH. ב

5 Aedificauit in gyro meo, & circundedit me felle & labore.

Vallum & machinas construxerunt hostes mei contra me, domino iubente, & nõ sicut sub Senacherib angelo percutiente. Corporaliter & spiritualiter impugnantur fideles ab impijs. Præscidit in rotundũ caput, omnes auxiliarios abstulit, decus omne amputauit: rasit ad luctum undique caput: capita populorum circumstruxit contra me: felle me ambiuit, secundum alios, fatigatione ac lassitudine corripuit & afflixit. Caput arboris circunciditur, dum altiores rami amputantur: sic actũ cum Iudæis est de regibus subinde captis, principibus & nobilioribus, ut pauperes tamũ ex plebe reman

ſerint, ad culturam uinearum & agrorum, non pro ſe ſed pro tyranno.

BETH. ב

6 In tenebroſis collocauit me, quaſi mortuos ſempiternos.

Omni ſolatio deſtituit, nullã ſinit de præſenti uita habere cõſolationem. Deploratum me ſtatuit ſine ſpe reſtitutionis, inuoluit tenebris, ut lux nulla felicitatis affulgeat, poſt ſplendorem & gloriã gentis, urbis & regni. Collocauit me in obſcurum carcerem, & ueluti mortuũ ſepulchro incluſit, nunquam reſuſcitandum ad uitam. Sciebat quidem reædificandã urbem & templum, ſed pro præſenti ſtatu à nemine facilè credi poterat, & in planctum induci ſolent non niſi calamitoſa.

GIMEL. ג

7 Circumædificauit aduerſum me, ut non egrediar, aggregauit compedem meum.

Septo mihi exitum præcluſit, ut effugere nec populus potuerit nec principes, ſed neq; rex ipſe cum filijs. Coniecit potius in uincula ærea, & compedibus irretiuit. Nemo enim euadere poteſt iudicium tuum, manu tua omnia tenes: fugere Ionas uoluit, ſed effugere imperium tuum non potuit. Sanctè ergo & humiliter ſeſe homo domino cõmittat, ipſius uoluntati acquieſcat, patiẽter immiſſa aduerſa tolẽret, concipiat ex neceſſitate uirtutem, cancellis timoris dei ſeſe committat, ne carcerem ferre cogatur. Exire & euadere dei uoluntatẽ, & prædeſtinatum malum uel bonum, homini non eſt poſſibile, ſed nec alicui creaturæ. Satius eſt ſubdere ſe potenti manu dei, & æquanimiter ferre quod auferri nequit.

GIMEL. ג

8 Sed & cum clamauero & rogauero, excluſit orationem meam.

Oppreſſus calamitate ſi quando clamabam ad dominum, & uociferabar ualido clamore pro ſalute, abſcondere uiſus eſt aures ſuas, nõ admiſit preces, noluit exaudire, oppoſuit nubem & maceriã aditui orationis meæ: ſic enim caro putat, ſi nõ ſtatim exaudiatur. Audit quidem ſemper dominus, ſed non exaudit ſemper, quia non prodeſt ſemper quod precamur, pater eſt, nouit quibus proſit filijs piiſſimus genitor. Non deſperandũ interim filio de patre, non adeundi uel inquirẽdi interceſſores, nemo eſt patre fauẽtior, nemo illo noſtro patre clementior, nemo fidelior, & qui melius norit quid filio proſit, quid illi præparauerit: uult nonnunquã affectum orandi augeri, uult humiliari orantem, uult exercere.

Nõ ſemper exaudit.

GIMEL. ג

9 Concluſit uias meas lapidibus quadris, ſemitas meas ſubuertit.

Obſtruxit & quaſi ſepe obædificauit uiam meam, quadrato lapide, ne facilè perrumpam ad cogendũ cum uiolentis precibus. Aditum præcluſit undique, etiã animum, ut facere ſolet, ademit mihi, ne ex animo dignè inſtanter & humiliter ac feruore iuſto orarem, fidem exauditionis nõ addidit, fiduciã clemẽtiæ non cõceſſit, ingens dei donum, ſine quo non fit exauditio. Huiuſmodi ſunt impedimẽta orationis exaudiendæ. Viam quoq;

uel ſemitam ſic prorſus ſubuertit & incuruauit, ut ingredi eam, & ſine ambagibus peruenire ad ſolitum clementiæ tuæ nequaquam potuerim.

DALETH. ד

10 Vrſus inſidians factus eſt mihi leo in abſconditis.

Vtcunq; multum peccauerimus, & inobedientes fuerimus paternis monitionibus aſſiduè per prophetas miſſis, & idola coluerimus, nunquã tamen credidimus poſſe tuiſſe deum ſic abieciſſe ſuum peculiarem populum, ut crudelior uiſus fuerit dominus Iudæis fuiſſe in hac noſtra captiuitate, quàm inſidiãs urſus & leo, dum ſeuiſſ & ſeſe accingunt ad prædã. Sic enim uidetur carni & ſanguini, cum ſemper citra cõdignum puniat dominus, & ultra meritum præmiet: ſed iuſtitiam dei contra impiiſſimos Iudæos prophetarum occiſores & idololatri ſatis declarat Ieremiæ hiſtoria, & prophetarum omnia, cum regum geſtis. Additur autem, mihi ſic factum eſſe, quia non abſolutè dominus crudelis eſt ut leo, ſed peccatori ſic uidetur, qui ſic deũ iudicat per impatientiam carnis cum ſit reuera clementiſſimus.

DALETH. ד

11 Semitas meas ſubuertit, & cõfregit me, poſuit me deſolatam.

Sic ſpinis conſtrauit & impediuit uias meas, ut iudicium ſuum ſuperueniens, tandem præter ſpem effugere nõ potuerim. In fruſta conſcidit me, multis ſubindè captiuitatibus, nunc unam populi partem, nunc aliam abigendo cum regibus, Ioſiam occidendo, non ſine comilitonibus, Ioachas in Aegyptum, reliquos Ioakim & Ioachin ſuis capiendo temporibus cum ſuis, tandem Sedechiam miſerè cum toto regno finiendo, etiã uſque ad reliquias cum Godolia, & confugientibus ad Aegyptium, donec cõciſim totus populus periret, & ſuſtineretur regnum quod hic plangitur, ſuo tempore reſtituendum.

DALETH. ד

12 Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam.

Poſuit me uelut ſcopum, & aggerem, quem ingiter adpetat ſagittis, quaſi ſeſe exercens arcu & iaculis, ut ad paſſiones perpetuas & calamitates me expoſſe & ſtatuiſſe uideri poſſit, impatientibus, & ſolum quæ carnis ſunt cogitantibus, non peccata enormia, quæ grauiora demeruerant. Quaſi dicat: Sententiam iudicij ſui direxit in me, ut certò caſtigationis ictu me ingiter & grauiter corripuerit.

HE. ה

13 Miſit in renib⁹ meis filias pharetræ ſuæ.

Pharetræ filias intelligit eleganter ſagittas in ſuo coruaculo, quas infixit dominus lætali uulnere in renes & uitalia, ut nullus relinquatur locus medelæ cuiuſquam que. Lætale uulnus circumloquitur eleganter per ſagittam renibus infixam. Hoc iudicio ſuo certo & iuſto appetijt Iudaicam gentem, quam ea ratione flagellauit, ut præueniri malum non potuerit, nec alia ratione expiari. Cum peccata hominum deus uidet & non punit, quaſi

quasi clausam tenere uidetur pharetram: apertam uerò, dum quo dei consilio flagellemur uidemus.

HE.

14 Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.

Vt prophetæ derisui erant per uerbum domini regibus, principibus & populo, quibus non credebatur, sed repugnabatur: sic iusto dei iudicio hostibus suis facti fuerunt Iudæi in derisum, in fabulam & opprobrium, ut inmemosos se reddiderint, concinnendo cantica & prouerbia in calamitates alioqui miserrimi populi. Quòd uerò dicit, populo suo se factum derisui, intelligitur à quibusdam de propheta canente, cuius prophetiæ de futura captiuitate ridebantur. Alij explicant: Ego Hierosolyma facta sum derisui cum omni populo meo, & canticũ hostibus meis, quo sese quotidie oblectent, dum interim nesciunt uel non credunt se quoq; propediem similia passuros.

HE.

15 Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio.

Implebit & saturauit mẽ dominus maximis ærumnis, afflixit me sæuissima uastatione, ut acerbiore non possit. Absynthio inebriari, est omni dulcedine cibi & potus gulæq; solatio destitui, ratione & sensu. Sic impij omnes absynthio inebriantur, dum huius mundi uoluptatibus dimissi, amara tolerãt sponte te facti insensibiles & ebrij. Amant peruersi homines huius mundi gloria angustias, quibus libenter seruiunt, & grauium laborum iugo stulte colla submittunt.

Absynthio inebriari.

VAV.

16 Et fregit ad numerũ saxo dentes meos, cibauit (opperuit) me cinere.

Confregit & excussit silice uel saxo dentes, abstulit usum pascendi corpus, edendi, quicquid forte & necessarium erat abstulit, ut me defendere uel etiam conseruare nullo modo potuerim, sed ludibrio & ferocitati hostium expositus fuerim per omnia, non sine maximo dolore. Denes excutiuntur ecclesiæ, quando idoneis prædicatoribus destituitur. Quòd uerò Hieronymus consequenter transtulit, Cibauit, consequentiam sensus uidit, & sectatus est, in uerbo alioqui obscuro ob ratione eius, quandoquidem secundum Hebræos simile non habet. Alij exponunt, Præcipitem me dedit, uel dejiciendo inuertit in lutum: hoc est, turpiter & ignominiose tractauit atq; disperdidit, urbem & gentem.

VAV.

17 Et repulsa est à pace anima mea, oblitus sum bonorum.

Elonguauit se anima mea ab omni tranquillitate, salute & pace, à gratia dei tota depulsa sum & abiecta, ut nihil uspiam mihi boni & iucundi affulserit, totum mundum malorum contra me conspirasse uideam, ab omni mundana felicitate me repulsum sentiam. Omnium præteritorum quoq; bonorum propter captiuitatem præsentem oblitum se confitetur, nec tamen uidere finem calamitatis præsentis, nec spem aliquam consolationis. Tanta est acerbitas præmium malorum, ut præteritæ felicitatis nulla mihi supersit memoria.

VAV.

18 Et dixi, Periit finis meus, & spes mea à domino.

Nimio angore perturbatus et tristitia ex animi perturbatione dixi, nec mecum desperando cogitaui, Perijt firmitas & robur meum, actum est de spe mea, qua speraui in domini clementiam, uel de hominum assistentia, cum quibus fœdera contraxeram, fraudatus sum expectatione mea: qui uerbo domini ex prophetarum ore fidem habere nolui, qui paternas admonitiones in tempore non sum complexus, merito nunc destituor omni bono, & umbram tantum mortis intueor.

ZAIN.

19 Recordare paupertatis meæ et transgressionis meæ, absynthij & fellis.

Conuertit se ad exorandum dominum, ut qui flagella peccantibus iuste intorsit, afflictis & pœnitentibus opem misericorditer impendat. Propter crimina enim sua ad tantam peruenerunt miseriam afflictionem & paupertatem, expeririq; compulsi sunt hostium rebelliones, qui deo & hominibus rebellarunt. Vastitatis autem & captiuitatis crudelitas & amaritudo, absynthij & fellis nominibus exprimuntur. Sed quia clemens est dominus, & ad indulgentiam pronus, nolens mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat, non omnino desperat, sed ueniam deprecatur.

ZAIN.

20 Memoria memor erit & tabescet in me anima mea.

Ad tuam ego me conuerto bonitatem, & recolo gratus beneficia dudum copiosè præstita mihi, & apud me meditor, oroq; humiliter & ex animo. Vel secundum alios, Apud meipsum pro peccatis suis tabescit anima mea, donec misereris & reconcilieris pro genuina bonitate tua. Depromit pro omni uirili anima mea deuotionem ad te suam, donec succurras.

ZAIN.

21 Hæc recolẽs in corde meo, ideo sperabo.

Nullum mihi remedium in tantis angustijs comparare possum, quàm ut mente reuoluam dei clementiam, ut ausim adhuc expectare beneficia & gratiam domini, qui misericordissimus esse non desijt. Vnica enim fidelium dum peccant & turbantur consolatio est, credere dei bonitatem, & sperare in illam.

HETH.

22 Misericordiæ domini quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes eius.

Fons gratiæ & indulgentiæ diuinæ nondum est imminutus, semper exuberant misericordiæ dei innumeræ beneficia. Non finitur bonitas dei, nec exhauritur gratiæ fons, non cessant unquam ad gentem uel personam resipiscentẽ, misericordiæ dei, semper sese fruendũ lar-

gitur hominibus fidem habentibus & innocentiam sectantibus, ut prædictum est, & consolantibus se memoria abundantiæ suauitatis suæ.

HETH. ח

23 Noui diluculo (quolibet manè) multa est fides tua.

Singulis diebus mature & solicite sese sancti renouant, & per dei nouam semper gratiam regenerantur, quibuslibet diluculis, sed & nouæ semper sunt & prostant quotidie & iugiter misericordiæ dei, semper benefacit, nõ cessat propitiari fidelibus peccantibus, sicut
Multa fides & illi non cessant orare & resipiscere. Magna & multa est ueritas promißionum tuarum, ut facillare non debeat fidelium spes & fiducia. Magnum quoq; & diuinißimum opus est, sese deo credere, fidere in illum, uerbis illius adhærere, & uerißima credere, quæ dominus locutus est prophetis, & quæ de domini dei gloria & maiestate dicuntur ex scripturis canonicis.

HETH. ח

24 Pars mea dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.

Omnino unica sors mea est & portio dominus ipse deus meus, qui suo uenet tempore, ut promisit, sic mecum persuasus sum, sic firmiter credo, ideo lõganimiter ipsum expectare non cessabo. Exciderunt animo idola omnia, comperta habeo nihil potuisse opis afferre suis cultoribus, errorem fuisse & nihilum.

TETH. ט

25 Bonus est dominus sperãtibus in eum, animæ quærenti illum.

Beneplacitum est domino super timentes eum, quem qui quærit inueniet, et ad beatam uitam peruenet. Ideo
Quærere dominum. dicitur, Quærite dominũ & uiuet anima uestra. Quærere autem dominum, est studere, ut sciat illius beneplacitum, & dum didicerit, annitatur, oretq; ut posit quod debeat, cupere illi per omnia probari, tota fiducia in illum incumbere, quo tandem illi contingat ad uisionis beatæ brauium peruenire.

TETH. ט

26 Bonum est præstolari cum silentio salutare dei.

Felix homo Felix est & in spiritu suauiter uiuit, qui sese totũ domino commendans ex illius prouidentia pendens, decq; bonitate immensa sperans, longanimiter sustinet & expectat donec succurrat dominus, uerbo domini patienter & humiliter obsequitur, nihil dolo uel impatientia tentat, sed taciturnitate deum expectat, interim sabbathum celebrans iuge intra conscientiam, & quæ dominus operatur in se & in alijs bonu consulit, solicitus tantum, ut illi probari posit mentis actionibus & corporis, ubi si quid defecerit, scit tamen sperare in domini bonitatem & orationibus fiducialiter interpellare clementißimum patrem, donec integre saluetur tandem in uita beata in cœlestibus corpore & anima.

TETH. ט

27 Bonum est uiro cum portauerit iugum ab adolescentia sua.

Prodest plurimum assuefieri ad timorem dominu ab ipsa iuuentute, iugumq; domini ferre quod ipse imponit, non quod nobis ipsi sine uerbo dei, quasi de abundanti & supererogatorie assumere fingimus. Crucem Christi post Christum ferre iubemur, illius sectari uestigia, aduersa omnia quæ multa semper ingruunt, corporalia et spiritualia, nostra, propria, et proximorum incommoda ferre, & ad id à puero institui per uerbum dei: non per regulas monachorum, ubi aliquid præter dei uerbũ docetur, iniungitur, uel in uota assumitur, uel serioſe proponitur. Iugum ferre, est huius sæculi aduersa æquanimiter tolerare, sine quibus in hoc mundo nõ uiuitur. Non dicit sibijpsi imponere iugum, sed impositũ ferre docet.

IOD. י

28 Sedebit solitarius & tacebit: quia leuauit super se.

Non id intelligendũ de monachis otiosis, sed de uere pijs fidelibus & perfectis, qui apud semetipsos consistunt, ex mundi tumultibus, & ad malum uarie tentationibus non permouentur, sed sunt quasi non sint in hoc mundo, utuntur quasi non utantur, unum nouerunt necessarium, domini uoluntatem scire & perficere, apud se quietum esse, omnem cogitatum suum iactare in domino, in omnibus sermonibus & actibus deum cogitare, illum habere ob oculis, illius beneplacito sese coaptare pro omni uirili, semper cogitare, intendere urbis & factis gloriam domini: hoc est agere uitam contemplatiuam. De monachorum contemplatiua quam iactant deus nihil nouit, qui non domini iugum super se gerunt ut seruiant charitati, quam Christus commendauit discipulis, sed superstitiones traditionum inutilium, quæ ordinantur ad priuatam quietem, et temporalem tranquillitatem, quam certe assequuntur, dum in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur, ideo tenet eos superbia, putantes se meliores, et deo gratiores, & meritis opulentiores ut ea quoque propria uendere alijs audeant, & pro temporalibus spiritualia per literas & sigilla se melioribus compensare.

IOD. י

29 Ponet in puluere os suũ, si forte sit spes.

Ponere os suum in puluere, est humiliter de se sentire et re & loqui, ubicunq; spes & expectatio boni fructus ibi loqui uel tacere iuxta charitatis legem, semper uitalia loqui & honesta, non offendere in uerbo, non bonos mores corrumpere malis colloquijs, ad gloriam dei loqui, & ad proximi ædificationem, non murmurare contra iudicia dei, sed meliora sperare à domino, & bona consulere omnia quæ deus nobiscum operatur, uel quæ patimur à diuino ordine in hoc mundo.

IOD. י

30 Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs.

Qui sic deum semper cogitat, & eius prouidentiam credit & meditatur, is omnia quæ contingunt non sine deo fieri credit, ideo fert æquanimiter apostolico more, si quis ipsum in faciem cædat, si quis inurat calumnias, si quis persequatur, quin ferienti unam maxillã alteram præbet,

præbet, paratus ad domini uoluntatem se totum impendere, & opprobria potius ferre & pati, quàm inferre & comminisci, non reddit malum pro malo, nõ dentem pro dente, sed uincit in bono malum, si inimicus esurit ipsum cibat, omnia contemplatione diuini beneplaciti, cui se deuouit, & gratificari per omnia cupit, etiam si minus possit.

CAPH. ב

31 Quia non repellet in sempiternum dñs.

Deus non perpetuò irascitur uel punit corrigibiles, reconciliatur conuersis, ideo longanimiter expectandus finis tentationis. Abijcere uidetur ad tempus, et corripi digne ab hostibus sinit & ordinat, sed conuersis ad dominum misericordiam præstat & beneficia. Non in finem irascetur dominus, neq; inæternum indignabitur, non secundum peccata nostra facit nobis, &c.

CAPH. ב

32 Quia si abiecit, & miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum.

Etiam si affligat nonnunquam tam fideles quàm impios, humiliatis tamen emendatis & implorantibus gratiam, miseretur secundum abundantiam misericordiarum suarum, non secundum operum nostrorum merita. Pijs cooperantur in bonum aduersitates huius uitæ, impijs ad interitum.

CAPH. ב

33 Non enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum.

Abiicit dicit. Dominj dei nostri proprium & genuinum est misereri & parcere, nouit enim figmentum suum, sed non minus etiam uindicare impietatem. Verum præter intentionem & contra uotum ac beneplacitum, humano more loquendi, uidetur agere, dum tam sæuere adoritur peccatores, sed non nisi ex contemptu & odio, sponte suscepto: per fragilitatem enim & ignorantiam delinquentibus statim indulget, ope suæ pietatis sustentat & sustinet patienter, uult quoq; de uasis iræ secundum præsentem statum efficere uasa misericordiæ si humiliter exoretur.

LAMED. ל

34 Vt contereret sub pedibus suis omnes uinctos terræ.

LAMED. ל

35 Vt declinaret iudicium uiri, in conspectu uultus altissimi.

LAMED. ל

36 Vt peruerteret hominẽ in iudicio suo, dominus ignorauit.

Contra tyrannidem. Cohærent ij tres uersus ad ultimum uerbum, dum dicitur: Dominus non uidet, id est, nõ approbat: ut sit sensus, Dominus nõ probat quamcunq; tyrannidem in terra, ut conterat hominum quispiam uel conterere molietur & subiugare reliquos homines sub suam ferociam. Probat autem si quis multis prodesse uelit & ualeat, imò studiosos æquitatis adiuuat et remunerat: nec sustinere potest, si quis inique agat, uel iudicium alicuius inuertat pro munere uel fauore, est enim hoc crimen exosissimum iustitiæ diuinæ. Ad idem tendit, peruertere hominem à iustitia, & dicere bonum malum, uel malum bonum, calumniam inferre insonti. Hæc, inquam, omnia dominus ferre non potest.

MEM. מ

37 Quis est iste qui dixit ut fieret, domino non iubente?

Deum omnia curare. Deus omnia humana curat, contra quorundam philosophorum sententiam, dicentium deum super cardinem habitare cœlorum, nihil consyderare nostra. Non cadunt duo passeres super terram, non folium de terra, sine patre nostro, crines capitis nostri numerati sunt, oculi domini contemplantur omnia, nihil absconditum à facie eius. Si quando affligit nos dominus, ad nostram id emendationem ordinat. Nihil mali permittit in orbe dominus, unde non bonum aliquod sibi notum & necessarium eliciat, id quod solus potest summe sapiens, & summe bonus.

MEM. מ

38 Ex ore altissimi nõ egredientur nec mala nec bona.

Quis est temerarius ille & insolens, qui audet dicere: Ab ore domini non progreditur bonum uel malum? hoc est, Nihil in hoc mundo geritur diuino ordine & instituto, bona & mala non dei iussu & arbitrio sed fato & fortuitu geruntur, & currunt omnia. Imò omnia uenunt nutu dei, iussú, consilio, & prouidentia eius, qui cœlum gubernat & terram, omnia quæ creauit, in quo omnes homines uiuimus, mouemur & sumus.

MEM. מ

39 Quid murmurauit homo uiuẽs, uir pro peccatis suis?

Omnia bene fecit dominus, omnia bona uidit esse quæ creauerat. Non murmuret afflictus contra dominũ, qui omnia bene facit, sed si quid patitur, imputet peccatis suis, quæ deus impunita non sinit.

NVN. נ

40 Scrutemur uias nostras, & quæramus, & reuertamur ad dominum.

Vita excutienda. Excutiamus diligenti meditatione omnem uitam nostram, uerba & opera, obmissa & commissa, & deprehendemus digne nos mala pati, nullam nobis manere iustam occasionem murmurandi contra iudicia dei circa nos: quin potius diligenter quærentes rationem uitæ nostræ, discemus nihil consultius nobis quàm ut per pœnitentiam reuertamur ad dominũ. Rememoratio pristinæ conuersationis admonebit nos de arripienda uita probatiore. Id ucrò fit opportunius perlectione uerbi dei. Grauiter enim unusquisq; confunditur, cum dei mandata quæ legit, toties se præuaricasse memoratur.

NVN. נ

41 Leuemus corda nostra, cum manibus ad dominum in cœlos.

Cordis fides in dominum. Eleuandum cor nostrum ad dominum est in cœlos, ueniua humiliter & scrio precanda: non tantum manus, sed etiam cor. Non ualent ceremoniæ sine deuotione & fide. Cor quoq; eleuare cum manibus, est orationem san

ſtam, ſanctis et deo gratis operibus commendare ac roborare. Iuxta ergo Ioannis uocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cum ſibi uoluntatis & uitæ prauitas nulla contradicit: & fides unde oratio proficiſcitur, charitatis operibus & ſignis domino commendatur.

NVN.

42 **Nos inique egimus, & ad iracundiam prouocauimus (idcirco) tu inexorabilis es.**

Cauſa quare tu nos in anguſtijs orantes nõ exaudis, & propitiationem tuam ſubtrahis, eſt, quia cõtra uerbum tuum & prophetarum ſanctorum oracula temere & ex contemptu peccauimus, et rebellauimus ſemper, ceruice quoque ſemper obſtirmata reſtitimus uoluntati tuæ. Propter peccata, inquit, noſtra & iniquitates patrum noſtrorum, Ieruſalem & populus tuus in opprobrium ſunt omnibus per circuitum populis.

SAMECH.

43 **Operuiſti furore & percuſſiſti nos: occidiſti, nec pepercifti.**

Ira dei. Ira dei in ſcripturis non mentis in deo perturbationem ſignificat, ſed pœnam patientis pro peccatis ſuis dignam uindictam. Deus enim naturaliter pius, ſemper bonus & placidus, ſine perturbationibus eſt iuſtus & bonus. Operire in furore, eſt bonitatis et clementiæ ſuæ genuinam conditionem non oſtendere, ſed ſeuerius nonnunquam, ut uidetur hominibus, punire delicta. Sicut & Iudæis uiſus eſt omnem clementiam occultaſſe, cum gladio, fame, captiuitate, & templi ac regni deſolatione afflixit Iudæos.

SAMECH.

44 **Oppoſuiſti nubẽ tibi, ne tranſeat oratio.**

Veluti nubem oppandiſti nobis ne penetraret oratio noſtra, omnino enim decreueras punire, & minime exaudire, ideo uetuiſti prophetam ne oraret pro populo.

Oratio. Non enim ſinit humiliter, & ut decet orare, cum non uult exaudire, quandoquidem omnis qui in Chriſti nomine orare patrem poteſt, ut decet, is non poteſt nõ exaudiri, iuxta promiſſa Chriſti.

SAMECH.

45 **Eradicationem & abiectionem poſuiſti nos in medio populorum.**

Sortem noſtram ſtatuiſti nobis, ut facto cernitur, hinc inde diſtrahi in gentes, captiuari à regibus noſtros reges & populos, uagos exulare in orbe toto, abiectos eſſe et abominabiles omnibus, ut nihil uideamus circa nos niſi deſperationem certiſſimam, iam diſperſi in nationes: quod tamen grauiſſimum nobis malum ordinabis tuo more in maximum bonum, in ſanctificationem tui nominis diſſeminandam olim in totum orbem terrarum.

PHE.

46 **Aperuerunt ſuper nos os ſuum omnes inimici noſtri.**

Curioſitas in literis. Vides inuerſum literarum ordinem etiam à ſpiritu prophetali, ut uerſiculi incipientes à ד præcedant eos qui ab ע, ne Iudæorum more uelis eſſe in literis curioſior, multo minus in punctis. Diduxerunt, inquit, hoſtes noſtri irridentium more rictum oris ſui contra nos, non ſufficit uicisse, niſi & uictis illudant, miſeros & exanimatos crudeliter tractent, ſine timore dei, quos propediem manet non multo minor calamitas. Fuerunt irriſores iſti nõ tantum Chaldæi, ſed magis Ammonitæ, Moabitæ, Edomitæ & Philiſtæi, quos tamen non abſimilis malorum cataclyſmus ſuo tempore inuoluit.

PHE.

47 **Formido & laqueus facta eſt nobis uaſtatio & contritio**

Obruerunt nos pariter omnia mala, animi & corporis, formido & pauor ingruentium tantorum malorum, quæ cum euadere conamur in laqueum cadimus. Sequitur tandem uaſtatio totius gentis & ſtatus noſtri, gloriæ quoq;, ut uidebatur, diuinæ, & contritio irreparabilis omnium.

PHE.

48 **Diuiſiones aquarũ deduxit oculus meus ſuper contritione filiæ populi mei.**

Riuos & diuiſiones aquarum, hoc eſt uehementiſſimo dolore permotus lachrymas copioſiſſimas effudi, ſuper contritione filiæ populi mei. Cordium enim pernicioſitatem maximam deflere propheta cogitur, uel ſynagoga ſuæ gemis calamitatem & ruinam in peccatis, et contritionem in uaſtatione.

AIN.

49 **Oculus meus exciſus eſt nec tacuit, eò quòd non eſſet requies.**

Exciſus mihi eſt oculus uel ſuapte fragilitate deſluxit, quia à lachrymis ſilere non potuit, quibus loquitur oculus, ſicut et nutibus. Inceſſanter, inquit, flebam, quia non erat relaxatio, uel quies in doloribus & anguſtijs. Inſtantiam orationis & perſeuerantiam habere docemur, non leuiter deflere commiſſa, non breuiter intercedere pro uenia, non ad momentum flere, ut lachryma nihil areſcit citius. Diu & multum dolendum propecato, quia magnus & optimus eſt quem offendimus.

AIN

50 **Donec reſpiceret & uideret dominus de cœlis.**

Non citius ab oratione ceſſandum quàm intelligamus dominum proſpexiſſe de cœlis, attendiſſe ad preces, cõdoluiſſe noſtris miſerijs, uidiſſe neceſſitates quas patimur. Vtcunq; enim omnia ſemper ubiq; uidet, dominus omniſciens, ſicut & omnipotens, nobis tamen ignorare & dormire uidetur, dum procellis iactatis & propè pereuntibus filijs & amicis, ſuccurrere non cito ſentitur.

AIN.

51 **Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.**

Quanto plura uideo, tanto grauius triſtor: omnes enim contraria ſentio, nihil ſperare poſſum melioris. Hoc eſt oculum excindere, depopulari, racemare, & uindemiare ipſam animã, ex ſenitis calamitatibus uſq; ad deſperationem agonizare, animam morti proximam & deſperationi eſſe obnoxiam. Non enim mori animã poteſt, niſi triſtitia & deſperatione, ſicut & recreari & cum,

eam, cibari, refocillari, uiuificari, eſt eam conſolari, reducere in ſpem uiuam & de dei clementia certiorem reddi, collocari in tutò de gratia dei, quod fide, ſpe & charitate perficitur. Alioqui anima cibum corporalem quemcunq; , etiamſi carnem Chriſti eſſentialiter dicas, manducare non poteſt. Credere autem ſe Chriſti carne & ſanguine redemptum, & ea gratia dei frui poteſt, ſi fidem habeat Chriſtianam. Doloris autem cauſam ſubiungit, quia uidere cogitur infeliciſſimam ſortem, et intolerabilem calamitatem ciuium Ieruſalem, quas uocat filias ciuitatis ſuæ.

52 SADE.

Venatione ceperunt me quaſi auem inimici mei gratis.

Non una die ſed aliquot annis Chaldæi obſederunt urbem, ac etiam Romani, quam tandem ceperunt, quod eſt uenatione captam fuiſſe urbem, & regem quoq; Sedechiam, quantumlibet ſubterraneo ſpecu & catacumbis fugiendo fretus, effugere non potuit manum inimici. Gratis enim omnia adhibuerũt munimenta muris ciues, & omnia fruſtra tentarunt, domino illis irato.

53 SADE.

Lapſa eſt in lacũ uita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me.

Concluſit & uinxit uelut in carcerem uel lacum uitam meam, ut nihil uideam quàm umbram mortis. Diuturna captiuitate me aſtrinxit, de qua non ſit ſpes egrediendi, donec uixero. Manu ſua proiecit lapidem contra me, nihil pepercit uitæ meæ, ingenti opprobrio tractat exules, & captiuos etiam reges, tanto tempore carceri mancipatos rex Babylonius tyrannus, ſub quo uixerunt uitam miſerabiliorem morte, plenam magnis paroribus, præcipue rex exoculatus, poſt filiorum uiſas miſerabiles interfectiones.

54 SADE.

Inundauerũt aquæ ſuper caput meum: dixi, Perij.

Operuerunt anguſtiarum & crudelium populorum & inuincibilium hoſtium aquæ impetuoſiſſimæ caput meum: periculis maximis ſic inuolutus ſum, & obſeſſus Chaldæorum exercitu, ut euadere prorſus nemo poterit. Dixi itaque, id eſt cogitaui, Repulſus ſum ſcilicet à domino, reiectus & abſciſus ab eccleſia electorum dei. Non ſumus amplius dei peculium, ſed maledictio & deriſio toti mundo.

55 CVPH.

Inuocaui nomen tuum domine de lacis nouiſſimis.

In omnibus iſtis nihil uidi niſi ſolam deſperationis materiam, dei meritiſſimam iram, uindictam dignam noſtris criminibus: ſed clamaui nihilominus ad dominum, per diem aſſidue, & inuocaui bonitatem tuam, cum eſſem in lacu inferiori, in baratro calamitatum, in fouea infernum, de profundiſſimo lacu tentationum.

56 CVPH.

Vocem meam audiſti: ne auertas aurem tuam à ſingultu meo & clamoribus.

Vtcunq; iratum te præbueris iudicem, quanquam æquiſſimum, in noſtra uaſtatione, exaudiuiſti tamen uocem meam, & Godoliam præfici ordinaſti, ſpem regni & ſalutis, pium ducem populi dei, cui iam dominus reconciliatus erat. Oro tamen in tanta rerum inconſtantia & perturbatione, ne auertas aures tuas ad ſuſpiria mea, quod ſciam prædictiones prophetarum ueriſſimas, non aliud quàm bonum continere, proinde ad clamores meos aduertas aures & animum oro.

CVPH.

57 **Appropinquaſti in die quando inuocaui te: dixiſti, Ne timeas.**

Præſto fuiſti ô domine, & proximus anguſtijs meis, quotieſcunq; inuocaui clementiam tuam. Semper autem dixiſti, reſpondens orationi meæ ut non timerem. Si de propheta Ieremia accipitur, clara eſt ſententia ex prophetijs illius: ſi uerò in perſona ſynagogæ accipiatur, intelligendum eſt quod dicitur hic ſicut & alibi ſemper ſub conditione, non timendos hoſtes, ſi ipſi Iudæi timeant dominum deum ſuum.

RES.

58 **Iudicaſti domine cauſam animæ meæ, redemptor uitæ meæ.**

Cauſam meam ô domine tu ſuſcepiſti, hoſtes noſtri contra te dominum et nos ſuam exercuerunt libidinem, tu tuam iuſtitiam oſtendiſti, tu iudicaſti ut patronus, illi uoluerunt funditus extirpaſſe nomen tuum & noſtrum, gloriam tuam & noſtram ſalutem, tu uerò reliquias reſeruaſti, in maximam olim meſſem progerminaturas.

RES.

59 **Vidiſti domine iniquitatem illorum aduerſum me: iudica iudicium meum.**

Quantam iniquitatem contra me egerint hoſtes noſtri, tu domine ſatis uidiſti, quàm ſcelerate mecum egerint, ſanctiſſima tua polluendo & uaſtando, ſine omni timore tuo, et reuerentia. Non ego uindicare meam debeo iniuriam, nec tuam ualeo, tu autem oro iudica iudicium meum, tu dilucidam facias hoſtium temeritatem, & quomodo iniquo animo omnia fecerint, quanquam contra nos impios, & bene meritos.

RES.

60 **Vidiſti omnem furorem, uniuerſas cogitationes eorum aduerſum me.**

Sancti uates. Sancti per fidem uaticinantur quid impijs futurum, quantum peccetur ab illis intelligunt, eruditi ſunt in cauſa iudiciorum dei, beneplacitum dei norunt pro bonis & contra impios. Vidiſti ô domine quantam uindictam meruerint tanta illorum ſcelera, noſti cogitationes impias, nefandas, & ſacrilegas contra cultum tuum, gloriam tuam, & fideles tuos, quos omnino oppreſſos calcare uoluiſſent, & prorſus eliminaſſe. Sed bene conſolantur pij, ſcientes non tantum hoſtes poſſe malorum quantum uolunt, pendere ex arbitrio & nutu dei eorũ uoluntates & opera, ut plurimum peccent, qui ſunt grauiſſime puniendi multis in exemplum.

SIN. ש

61 Audisti opprobria eorum domine, omnes cogitationes eorum aduersum me.

Orat ut non sinat multa opprobria diuini nominis, quæ per Chaldæos multipliciter sunt adaucta, ex praauis & malitiosissimis ipsorum consilijs, & cogitationibus contra deum, quem non credebant deum, nec se tueri contra Chaldæos potentem, inferiorem longe suis idolis, quorum auxilio præualuissent urbi & templo, omnibusq; sacris. Huiusmodi sacrilegis cogitationibus & nefandis consilijs imbutos orat à domino uindicari, quæ perfecte nouerit & audierit.

SIN. ש

62 Labia insurgentium mihi, et meditationes eorum aduersum me tota die.

Audisti quoque uerba labiorum suorum, & curas gentium contra me, quibus quotidie moliti sunt uastationem gentis regni, cultus diuini, & extirpationem maiestatis dei Israël, & populi illius, exaltationem deorum suorum, & regum tyrannidis amplificationem, ad oppressionem orbis.

SIN. ש

63 Sessionem eorum, & resurrectionem eorum uide: ego sum psalmus eorum.

Duobus oppositis habitibus corporis, sessione & statione, etiam omnes alij significantur. Quasi uoluerit dicere: Respice ô domine quicquid agunt & moliuntur, omnia enim eorum studia diriguntur contra tuam gloriam, & ad oppressionem filiorum tuorum, qui licet peccent quotidie in multis omnes, non tamen illi impij zelo nos iustitiæ adoriuntur, sed libidine uincendi, imperandi, uastandi, rapiendi, et opprimendi cultum unus dei, qui cultores esse uolunt multorum deorum, & implacabili odio persequuntur omnes unius dei cultores, & ipsum dominum deum Israëlis.

Hostes pios rum.

THAV. ת

64 Reddes eis uicem domine, iuxta opera manuum suarum.

Enuntiat futura in longinquum, uicem illis Chaldæis rependendam à Persis & Medis, qui Babylonicam tandem urbem tractaturi sint non aliter quàm ipsi Hierosolymam. Reddetur eis retributio quam retribuerunt Israëli, ut paruuli eorum allidantur ad petram, & fiant in derisum.

THAV. ת

65 Dabis eis scutum cordis laborem eorũ.

Dabis eis afflictionem cordis, angustiam mentis & improspicientiam uel insipientiam, ut ingruentibus sibi malis occurrere & obuiare nõ possint. Stultos fac omnes eos, & execrationem pone eos, ut fiant olim in opprobrium & contemptum, ut sumus nos hodie.

THAV. ת

66 Persequêris in furore, & conteres eos sub cœlis domini.

Non paterno affectu castigare eos deliberes, sicut nos

tuos filios Israël, sed persequere eos, usque ad mortem, per dignum furorem tuum in sacrilegos blasphematores tui nominis, & diuinæ maiestatis. Et sicut uastauerunt maligno animo tuum templum & solium gloriæ tuæ, deleuerunq; cultum tuum, in fauorem deorum suorum, & in opprobrium tuum: sic delere & uastare digneris eos de sub cœlis, quæ tu domine solus condidisti, deus omnipotens & creator omnium iustus iudex & iudex iniuriæ tuæ.

ALPHABETVM IIII.

ALEPH. א

1 QVomodo obscuratũ est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum?

De obitu Iosiæ sancti regis Iudæi exponunt hanc lamentationem: sed uidentur excisionis Iudaicæ causæ clamentationem: sed uidentur excisionis Iudaicæ causæ clarius adhuc in hoc carmine alphabetico expon, & describi acuratius. Simpliciter autem dicitur: Ex incendio urbis & templi pretiosissimi & aurei omnia quæ speciosa erant, ornata, & pretiosa, amisisse ornatum suum: Ex conflagratione obfuscatum est et splendorem suum perdidit quicquid elegans fuerat: splendor palatiorum ornamenta ædificiorum, omnia mutata sunt in turpitudinem: lapides sanctuarij, qui uel fuerãt in ædificio templi pretiosi, & exculti, uel gemmæ in pectorali summi pontificis, dissecti sunt & dispersi per plateis, & compita. In ecclesiæ uastatione per hæreticos & antichristianos, episcopi charitate & fide destituti sunt prijs nis, cessauit religionis cura, existimatio ex moribus perijt, habitus sanctimoniæ cessauit, sæculares facti sunt, spiritum amiserunt.

BETH. ב

2 Filij Sion inclyti, & amicti auro primo: q̃modo reputati sunt in uasa testea, opus manuum figuli?

Ciues nobilissimi Ierusalem, & eorum filij, qui reputatissimi habebantur in urbe & regno, & æquiparabantur pretiosissimis rebus, ueluti inserta gemmæ in annulis aureis, nunc luteis uasculis comparantur, & facile cõfringuntur. Ecclesiæ quoq; filij, fulgore sapientiæ & uirtutum olim ornati, nunc molliti carnalibus cupiditatibus & terrenis, uasis testeis comparantur, ita domini suo tempore conterendi, & redigendi in nihilum.

GIMEL. ג

3 Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerũt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.

Nulla fera tam crudelis in catulos, etiam lamia, quæ specie humana cum sit, crudelissima tamen dicitur hestiarum, sic fuisse conspicitur Hierosolyma in suos ciues. Non sunt nocentiores in ecclesia personæ quam hypocritæ, qui specietenus, ut Iudæi, dei cultum fingebant, feroci autẽ animo semper contraria peregerũt, Populus labijs deũ honorans, cum cor eius longe distet à domino.

Mammam

Mammam nudant, cum erroneam doctrinam spargunt in ecclesiam. Catulos lactant, quando peruersa agendo exemplo post se trahunt pestiferi filios ecclesiæ, qui fingere didicerunt uirtutum opera, non ueraciter agere.

DALETH.

4 Adhæsit lingua lactentis ad palatũ eius in siti: paruuli petierunt panem, & nõ erat qui frangeret eis.

Amplificat miseriam urbis & gentis. Præ numia matrum angustia & fame disperijt lac ex uberibus, ut infantibus nihil præberi posset miserabili spectaculo, sed & panem orantibus pueris nemo dabat illis, fame urgentibus opprimente iuxta prædictiones prophetarum, qui bus credere contempserunt. Huiusmodi fames contigit ecclesiæ, ut deuoti filij panem & lac doctrinæ apostolicæ & commodioris ad fidem & mores statuenda peterint ab episcopis & sacerdotibus, sed ipsi temporalibus occupati, uel philosophicis imescati, lapidem non panem præbuerunt impij patres, uenenum potius quàm piscem, lac & uinum.

HE.

5 Qui uescebantur uoluptuose, interierũt in uijs: qui nutriebãtur in croceis (coccino) amplexati sunt stercora.

Qui infelici adhuc urbe & regno pro diuitiarum abundantia uescebantur delicatis & lautitijs, per uitæ nimiam luxuriam & crapulam, obruente inedia rerum omnium uastati sunt, & interierunt fame in compitis platearum, panem & escas necessarias minume inuenientes. Et qui uermiculo induebantur & purpura, fordes amplexati sunt, insepulti quoq; iacuerunt in plateis: qui olim in ecclesia uerbo tantum uitæ instituebantur & apostolicis doctrinis, cum tempore humana commenta & philosophicas disputationes & errores in ecclesia docuerunt: & qui moribus olim & uirtutibus apostolicis exemplo erãt ecclesijs, facti sunt exemplum luxus & fastus.

VAV.

6 Et maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorũ: quæ subuersa est in momento, & non ceperũt in ea manus.

Ex pœnæ magnitudine iuxta iudicium carnis uideri potest maior iniquitas Hierosolymæ quàm Sodomorum, quia diu fuit obsessa, & cum angustijs uarie punita, cum Sodoma subito euersa fuerit. Denuq; transgressi sunt legem naturæ & scriptam, prophetas occiderunt ex mera malitia, Sodomitæ non quidem minus peccarunt, sed maius uidentur Iudæi & grauius tulisse. Comparationes huiusmodi fieri solent à plangentibus inconsolabiliter, omnium aliorum plagas minores existimando quàm suas. Causam comparationis addit, Non lanierunt Sodomitarum manus, non sic à truculentis hominibus æque peccatoribus occisi sunt, sed ab angelo subito, & sine tot tristibus fatis, una omnium pernicies erat, hic nimium plures.

ZAIN.

7 Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores substãtia gemmarum, sapphirus elegantia eorum.

Describitur plausibilis præsinus status Iudæorum, Nazaræi, qui & studijs sacratioribus consecrati, et religiosiores habiti, otio tandem illo tempore resoluti, & longe aliter quàm fuerat primum institutum tunc uiuentes, apprime tamen sibijpsis & populo placentes. Hic dicuntur nitidissimi fuisse ex corporis cultu, lacte candidiores, tenerrime cuticula culta sub specie religionis, rubicundiores ex naturali consistentia faciei quàm gemmarum pulchritudo erant, polities corporis maior & elegantia quã sapphiri, aderat illis tunc temporis Nazaræis & pharisæis, ob religionem à cætera plebe separatis & deo dicatis præ alijs

HETH.

8 Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum.

Cum fuerint lapide rubino ornatiores, & polities eorum ut Sapphirus, isti tales nunc sunt nigriores crepusculo, præ anxietate eatenus mutatis miserorum ultibus, ut in plateis quoq;, & à multis internosci non potuerint & inter multos. Sic deperijt obesitas cutis & corporis delicatuli, ut agglutinata uideretur ossibus & rugata, quæ fuerat cultissima & nitidissima. Sic omnis succus exhaustus est tristitia, quæ exiccat ossa, ut ueluti lignum exaruerint tam ossa quàm carnes. Qualis uero immutatio contigerit in ecclesia Nazaræorum neotericorum à uberibus & primis monachis, historijs notum est, & experientijs. Notior est casus religionis cum maxima iactura fidei Christianæ, quàm ut multis narrandus sit.

TETH.

9 Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame: quoniam isti extabuerunt consumpti à sterilitate terræ.

Longe feliciores, proh dolor, fuisse dicuntur occisi extra ciuitatem gladio, quàm occisi fame intra mœnia, qui de se denique fœtorem deterrimum dederunt, extincti & confossi, non tam gladio subitaneæ mortis, quàm penuria horrenda annonæ, ob defectum fructuum & agrorum sterilitatem. Deniq; ob compendium mortis breuior fuit pœna gladij, quàm fame & siti diutius excruciatorum.

IOD.

10 Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.

In grauissima obsidione ista passi sunt grauissima incommoda, ut matres natura misericordes, maxime autem in proprios filios, ipsas eos mactare coëgerit necessitas famis, et coquere suis ipsarum manibus pro fare, frumento & cibo, in utraq; obsidione Chaldæorum ac Romanorum. In ecclesia mali doctores auditors suos rebus terrenis spoliant propter suam uoracitatem, nec

eis pabulum uerbi dei tribuunt, quo nutriantur ad uitam æternam, de quibus in Ezechiele.

CAPH. כ

11 Compleuit dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ: & succendit ignem in Sion, & deuorauit fundamenta eius.

Sic passionibus obruti in angustijs iudicant & queruntur: Omnes inquiunt partes iræ suæ expleuit in nos, non enim solum populum exterminauit, sed habitacula quoq; per hostes usq; ad fundamenta destruxit, templum etiam & urbem incendio consumpsit.

LAMED. ל

12 Non crediderũt reges terræ, & uniuersi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis & inimicus per portas Ierusalem.

Referunt Iudæi ad gentes alioqui incredulas, quæ tamen considerantes prodigia dei Israël contra Pharaonem, Chananæos, Senherib, & Assyrium, non credebant serio futurum, ut ingrederetur hostis ea conditione Hierosolymam ut uastaret omnia. Aliter uerius, Spes fuit futurum quod fuerat iam ante factum de regibus Iudæorum, ut liberarentur iuxta prædictiones falsorum prophetarum contra ueros, quibus ex uerbo dei excidium toties & diu antea prædicentibus ex mandato domini, credere noluerunt.

MEM. מ

13 Propter peccata prophetarum eius (&) iniquitates sacerdotum eius, qui effuderũt in medio eius sanguinem iustorum.

Peccata populi promouebantur & scaturiebant ex peccatis & scandalosa uita atq; doctrina falsorum prophetarum & sacerdotum, qui tantæ cladis primarij fuerunt authores. Sequitur enim populus studia sacerdotum & maiorum. Falsa prædicebant falsi prophetæ, pacem & tranquillitatem, templum clamabant, & urbem sanctam, sanctos non patiebantur, sed occidebant uerbo, facto, scandalo, & manu. Causæ ruinæ populi, sunt sacerdotes mali, qui & dicuntur effundere iustorum sanguinem, quia simpliciores & iustos non sane docent uias domini, & per negligentiam pastoralem non iuxta Ezechielem mala futura prædicunt.

Falsi prophetæ.

NVN. נ

14 Errauerũt cęci in plateis, polluti sunt sanguine: cumq; non possent intrare, tenuerunt lacinias suas.

Per inertiam doctorum tenebris ignorantiæ excæcatæ uacillauerunt & errauerunt in plateis plebium turmæ: pollutæ sunt sanguine, ut nemo illas contingere potuerit, à sacerdotibus quoq; negligebantur, ne ab immundis polluerentur, interim tamen non abhorrebant ab occisione sanctorum prophetarum. Cumq; non possent recto incedere tramite, tenuerunt lacinias suas, hoc est, sacerdotum exemplapestiferaq; doctrinas sectati sunt, donec in baratrum tandem desperationis deducerentur pariter.

SAMECH. ס

15 Auferte pollutum, clamauerunt eis, recedite, abite, nolite tãgere. Iurgati quippe sunt & commoti: dixerunt inter gentes, Non addet ultra ut habitet (in eis.)

Verba uidentur esse gentilium, insultantium & ridentium Iudæos, quos puritatis superstitiosæ studium semper tenebat, usq; ad inuidiam gentilium, quos præsuis huiusmodi ceremonijs tanquam pollutos iudicare uidebantur. Hi nunc gentiles subsannando dicunt: Vbi nũc est uestra mundicia, qua clamare solebatis, Auferte pollutum, ne contaminari nos contingat: Abite à nobis gentiles, & secedite à nobis, nolite uos canes immundi nos dei electum populum contingere. Certe isti tales iam dei nũc auolauerunt, uel contentionis suæ finem fecerunt, iussi sunt, uagi, dispersi, & instabiles inter alias gentes. Quæ non credunt unquam colligendos denuo Iudæos in suum statum, in quo deum suum ut antea colere posse sint, & secundum suas ceremonias uiuere: actum esse de Iudæis crediderunt & iubilauerunt.

PHE. פ

16 Facies domini diuisit eos, non addet ut respiciat eos: Facies sacerdotum non erubuerunt, neq; senum miserti sunt.

Vultus domini dissipans Iudæos captiuitate Babylonica, ira domini est, & iustum iudicium, ueritasq; comminationis diuinæ per prophetas. Diuisit eos in orbis terrarum, in Assyrios, Chaldæam, Persas, & Medos. Dominus deus Israël, qui fuerat olim sors eorum, nunc prodidisse in totum & abiecisse uidetur & abdicasse. Rationem assignat, Nullus erat ordo, sed horror, nulla in deum pietas, nulla audientia uerbi dei, sacerdotum nulla reuerentia, senum nulla cura, uel misericordia, officium uel auxilium, talis autem populus diutius subsistere non potest.

AIN. ע

17 Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum uanum: cum respiceremus attenti ad gentem quæ saluare nos non poterat.

Dum pro suis sceleribus uel arguebantur à prophetis, uel ab hostibus iussu domini urgebantur, non confugiebant ad implorandum dei misericordiam, penitentiam non agebant, eius opem non orauerunt, sed ab alijs potius prophanis gentibus & impijs regibus auxilium quærebant, ab Aegyptijs uel Assyrijs, sed nanq; nullo enim modo eos eripere poterant. Frustra ab illis solatia quærebant, qui semetipsos defendere non poterant.

SADE. צ

18 Lubricauerunt uestigia nostra in itinere platearum nostrarum, appropinquauit finis noster, impleti sunt dies nostri, quia uenit finis noster.

Lubrici

Lubrici fuerunt gressus nostri in plateis nostris, non iam licebat prodire, uel præ debilitate uiriũ uix ingredi, solide poteramus, uel insidiati sunt hostes nostri uestigijs nostris, ut ambulare per plateas nostras minime auderemus, uarius est enim literæ sensus. In summa autem uult, Gratiam domini dei nostri toties per prophetas oblatam negleximus, ideo iustitiam diuinam sentimus, propediem finiendi & eliminandi de terra: uenit enim finis tam criminum nostrorum, quàm regni & status nostri.

19 CVPH. ק

Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli: super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis.

Valida & uelox instar aquilarum fuit persecutio hostium contra nos, qui non tantum intra patriam constitutos persequuntur, sed insuper extorres patria, nimia nos crudelitate insectantur, ut nullo loco tutos consistere nobis liceat.

20 RES. ר

Spiritus oris nostri Christus dominus captus est in peccatis ipsorũ: cui diximus, In umbra eius uiuemus in gentibus.

Vere quidem de Christo domino exponi potest, sed non admodum consequenter. Aptius de Sedechia rege accipitur, qui in eadem captiuitate captus est pro peccatis suis, & cum populo peccatore, ac improbis principibus. Rabi Salomon de Iosia exponit, qui pro peccatis populi sui captus fuerit, id est, morte interceptus, ne uideret futura mala gentis: qui dicitur Messias, sicut reges omnes & uncti: simul & spiritus uel uita uultus nostri dicitur rex noster. Honor enim, species, forma, decor, & fortitudo populi est rex ipsius. Verum solus Christus dominus noster refrigerium est in nostris angustijs, ipse uita animarum fidelium, sub cuius tutela in uniuersis gentibus uersatur ecclesia: ipse spiritus oris nostri in quo uiuimus, mouemur & sumus, qui & tractatus est propter delicta nostra secundum prophetam.

21 SIN. ש

Gaude & lætare filia Edom quæ habitas in terra Hus. Ad te quoq; perueniet calix: inebriaberis atq; nudaberis.

Vos hostes Israëlitarum perpetui, nunc ex calamitate nostra gaudetis, sed propediem uos quoq; finis & perditio manet, præcipue Edomitas, qui hic quidem solo nomine Iudæi nominantur, quia antiquiores & potentiores hostes qui id propter fraternitatẽ Esau et Iacob minus debuerant scilicet lætari de fratrum perditione. Sed sub & cum ipsis intelliguntur aliæ quoq; omnes gentes inimicæ Iudæorum, Palæstini, Ammonitæ, Moabitæ, Aegyptij, & Sidonij. Estis enim æque peccatores ut nos, & impij magis: æque ergo puniemini olim, æque tibi calix miseriarum ebibendus porrigetur, & bibere cogemini usq; ad fæces, sicut & Babylonij, sic ut inebrientur omnes & confundantur, præq; ebrietate euomere incipiant, ut prorsus erubescant, & appareat turpitudo & confusio. Iudæi intelligunt per Edom Romanum imperium: sicut per Ismaëlitas Sarracenos & Turcarum æque ipsis molestum & hostile imperium, sub quo magis opprimuntur quàm sub Christianis.

THAV. ת

22 Completa est iniquitas tua filia Sion, non addet ultra ut transmigret te. Visitauit iniquitatem tuam filia Edom, discooperuit peccata tua.

Ad Ierusalem loquitur, quæ quidem nunc perfecte punita est pro peccatis, ut ad eius miseriam nihil ferè adijci possit. Non ultra transportabitur uel exilium perferet gens, quæ dei peculium dicitur, & est: qui enim à Romanis trucidati sunt, peculium dei tunc minime fuerunt. Veræ enim & sanctæ reliquiæ Israëlis apostoli fuerunt, & ipsorum adiutores apostolici uiri, qui spiritu sancto repleti prædicauerunt in toto orbe magnalia dei, & unus omnipotentis dei gloriam, idola quoq; eliminauerunt ex orbe uniuerso. Alij uero in sua pertinacia perseuerantes contra Christum & euangelium, Iudæi uel Israëlitæ nominari uel dei peculiũ minime merentur. Non enim carnis circuncisio deo commendat, sed fides & charitas tantum in unum & uerum deum, exemplo Abrahæ, cuius legitimi filij sunt omnes & soli fideles. Edomitas uero perfidos & omnes sanguinarios uisitabit dominus, & inuoluet suo tempore similibus malis propter peccata ipsorum, criminum enim hostis est dominus non hominum, sicut fide placatur & delectatur, non pelliculo amputato. Reliquiæ Israelis sanctæ.

ORATIO IEREMIAE PROPHETAE.

1 RECordare domine quid acciderit nobis: intuere & respice opprobrium nostrum.

Hebræi non apponunt titulum nec alephabetaria inuenitur, quanquam uiginti duobus constet uersibus, & quinta particula sit huius libelli Lamentationum, uel quintum caput. Est uero epilogus formatus per modum orationis, ubi orare discimus, & gratiam domini recuperare peccatis amissam, causas miseriarum allegans, deiq; clementiam interpellans. Loquitur autem propheta iuxta hominũ consuetudinem, certus alioqui deum nihil ignorare uel obliuisci, sicut nec discere uel reminisci. Ostende inquit domine te nostri habere curam, respice ad opprobrium, quod quamlibet digne patimur, illi tamen hostes indigne inferunt, & sua per te illis data uictoria nimium crudeliter abutuntur, maligno animo & atheo non tam nos quàm tuam maiestatem contemnunt: commune tibi nobiscum est opprobrium illorum quod ingerunt.

2 Hæreditas nostra uersa est ad alienos: domus nostræ ad extraneos.

Attẽde ad iliada malorũ nostrorũ: quorũ primũ est, quod promissa nobis & tradita in hæreditatẽ legitimã à te dño uniuersorũ, cuius dñi est terra tota & plenitu-

do eius, hæreditaria benedicta terra melle & lacte manans, nunc uersa est & deuoluta ad alienos, non meliores nobis, sed longe iniquiores, perfidia odioq; in te scelleratiores. Domus nostræ multo labore studio & impensa extructæ, inhabitantur ab hostibus illis nostris truculentissimis: omnis usufructus regionis nostræ seruit & cedit gentilibus ac idololatris pessimis, his qui templum tuum, arcam, & uasa omnia uastauerunt in tuum despectum, & confusionem nostram.

3 **Pupilli facti sumus absq; patre: matres nostræ quasi uiduæ.**

Populus nos tuus nunc orphanus est, tu nos tradidisti hosti: renuis facto esse, ut fueras, pater noster. Matres nostræ omnes uiduæ sunt occisis maritis suis & patribus nostris, quo fit ut defensore destituti simus quasi pupilli, sine solatio nutritoris & protectoris, omnium prouisione & consolatione priuati.

4 **Aquam nostrã pecunia bibimus: ligna nostra pretio comparauimus.**

Infelicitas quæ maior nobis obtingere potuisset, quàm quod communissimum elementum aquæ, quæ nostra est, cuius fontes nos fodimus, iam nunc sic nobis negatur, ut non nisi argento & dato pretio nobis obuenire possit ad necessarium potum? Sed nec ligna ad focum, nostra quæ fuerant, sine pretij redemptione consequi possumus contra regionis consuetudinem, ex solo odio & auaritia contra nos crudelissimorum hostium.

5 **Ceruicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.**

Iugo seruitutis oppressæ sunt nostræ ceruices grauissimo & intolerabili, more iumentorum abutuntur opera nostra, trahimur quocunq; impetus inimici uoluerit, nec ulla datur lassis refrigerij facultas. Paulominus funditus uastati sumus, ut satius esse uideatur non uiuere, quàm tam atrocibus dominis & crudelibus tyrannis seruire.

6 **Aegypto dedimus manũ (&) Assyrijs, ut saturaremur pane.**

A dextris solatium & auxilium requisiuimus ab Aegyptijs, a sinistris quoque Assyrijs supplices fuimus, ut nos pro cibo in seruos sumerent, uel nos iuuarent à tyrannide Babyloniorum: sed omnia frustra, quia uerum auxiliatorem nostrum contempsimus inuocare, eius promissa auxilia per prophetas assumere noluimus. Alij interpretantur, Iurauimus eis. Vel melius, ut uidetur, Aegyptius & Assyrius mutuum nos afflixerunt, manum porrexerunt quoq;, inuocati ad auxilium, ad quos confugeramus, contra uerbum domini fœdus iniuimus, uentris causa deum nostrum obmisimus, gentibus sociati sumus.

7 **Patres nostri peccauerunt, & non sunt: & nos iniquitates eorum portauimus.**

Non noua est nostra transgressio, similes sumus patribus nostris in præuaricationibus, in uestigijs illorum ambulauimus, ideo secundum legem nostram digne uindicamur, imitatores eorum in nequitia, participes quoque sumus in pœna.

8 **Serui dominati sunt nostri: nõ fuit qui redimeret de manu eorum.**

Serui olim nostri tributarij, nunc dominantur nobis insultando. Nemo est qui adferat, comprimat atrociam & ferociam barbaricam: qui quondam eramus domino deo nostro filiorum loco, nunc idololatris seruire cogimur.

9 **In animabus nostris afferebamus panem nobis à facie gladij in deserto.**

Animarum nostrarum, hoc est uitæ periculo, quæsiuimus nobis uictum in terra nostra, quæ nunc est hostium. Vel, obsidionis temporibus pabulatum iuimus cum magno pauore, & nihil prope inuenimus, sic nobis imminebat undiq; gladius & siccitas, ueluti in uastissolitudine.

10 **Pellis nostra quasi clibanus, exusta est à facie tempestatum famis.**

Præ angustia continua spiritus nostri exusta est & denigrata ut furnus cutis nostra, redacta ad miserabilem deformitatem, ob incommoda famis, sitis & malorum: peccatores quoq; ut clibanus fuligine plenus, in ditio domini comparebunt. Veraciter autem fame conficitur quisquis cœlesti pane satiari non meretur.

11 **Mulieres in Sion humiliauerunt, eruigines in ciuitatibus Iuda.**

Hostes Chaldæi gentiles & impij matronas nostras stuprauerunt, uitiarunt uirgines in ciuitatibus consecratis domino, legibus diuinis subiectis, ubi nephas erat huiusmodi temari ab aliquo. Talia uidere & ferre coacti sumus, quid quæso calamitosius contingere potuisset?

12 **Principes manu suspensi sunt: facies senum non erubuerunt.**

Principes nostri qui dominari debuerant aliis, & honorato digito imperasse, hi sine respectu aliquo honoris in crucem suspensi sunt ex manibus, donec spiritum exhalarent, uel capti uinculis in exilium tracti sunt, & uenditi in seruos. Nulla reuerentia senum fuit, nullus personarum respectus, non sunt habiti in aliqua gloria senes: quod est, non eos erubuerunt, non fuit honorati.

13 **Adolescentes molere tulerunt, & pueri in ligno corruerunt.**

Molam rotare iuuenes, est ad uilissima eos ministeria damnari, ut portare ligna uel lapides, chloacas purgare: & ut Iudæi quoq; post Hieronymum intelligunt, impudice eis abusi sunt, tropo, ut aiunt, Hebraico exibris Iudicum de historia Samsonis. Pueros corruisse in ligno, est oneribus portandis succubuisse.

14 **Senes defecerunt de portis: iuuenes de choro psallentium.**

Senatores urbium repulsi sunt à subsellijs, à iudiciaria dignitate in portis ac prætorijs: defecit maturum consiliorum, nullus iudiciorum ordo, omnia per transuersum peracta sunt, nulla iustitia locum habuit, nec iudicium, sed uiolentia & tyrannis. Vbi autem ordo confunditur, ibi musica atq; omnis harmonia locum non

non habet, non ibi potest consistere chorus psallentium, ubi omnia occupat dolor & mœror. Musica in luctu, dixit Sapiens, importuna narratio, male ornata non in tempore.

15 **Defecit gaudium cordis nostri: uersus est in luctum chorus noster.**

Vbi non est iustitia neq; concentus harmoniacus uel consonantia morum, ibi nullum locum inuenit gaudium honestum, ibi chorus in luctum conuertitur, honor cessat uerae religionis. Vbi non est lætitia mentis, frustra sonat melodia carminis.

16 **Cecidit corona capitis nostri: uæ nobis, quia peccauimus.**

Templum, sanctum sanctorum, arca domini, Cherubim, propitiatorium, sacramentum dominicæ præsentiæ & gratiæ, cultus unicus uerus & unius & ueri dei tanta pariter inuersione corruerunt, & ablata sunt omnino, ut manifestissimum signum fuerit maximorum peccatorum, quibus dominum offenderunt, qualia prophetæ dixerunt, idololatriam, effusionem sanguinis innocentis, pauperum oppressionem, in iudicio personarum respectum, &c. unde necessario confitebatur propheta summam rei & causam omnium malorum. Væ nobis, ait, quia peccauimus.

17 **Propterea mœstum factum est cor nostrum, ideo cõtenebrati sunt oculi nostri.**

Consideratione culpæ & pœnæ quid ni sensatiores & pij mœstitia afficiantur: impij autem cum in profundum peccatorum perueniunt, contemnunt tam deum quàm iudicia eius. Præ pauore & angustia etiam naturaliter oculi obscurantur, ut uidentes non uideant.

18 **Propter montem Sion quia disperijt: uulpes ambulauerunt in eo.**

Causam aliam mœstitiæ explicat, quia uastatus est mons Sion. Vulpes iam habere uidentur suas cauernas, ubi olim erat Ierusalem, in locis ubi sanctuarium domini constitutum fuerat, & celeberrima cultura dei ueri, facta sunt latibula animalium, solitudines amantium.

19 **Tu autem domine inæternum permanebis, solium tuum in generatione & generationem.**

Hactenus enumerauit mala, iam quid nihilominus de domino considerandum, Aeternam scilicet esse, & semper manere domini dei nostri potentiam, maiestatem, & solium eius. Putauerunt perfidi gloriam dei conculcatam, ut fecerant eo loci, iuxta ceremonialem cultum, sed augustior locus erat maiestati diuinæ. Oportebat uiam aperire cognitioni et fidei in totum mundum, ut liquet ex euentu: quandoquidẽ non semper ibi, Hierosolymis uel Samariæ, dominus tantum corporalibus obsequijs colendus erat, sed ubiq; in spiritu & ueritate.

20 **Quare in perpetuũ obliuiscēris nostri? derelinques nos in longitudine dierum?**

Verbis simplicibus & humilibus prouocare conatur dominum ad misericordiam, & ad accelerationem opportuni auxilij, ne diu sub hostium dominatione conflictui, penitus desperatione deficiant. Humano autem more loquitur: Quare obliuiscēris, ut uidetur, in perpetuum nostri? quia tardius succurris.

21 **Conuerte nos dñe ad te, & cõuertemur: innoua dies nostros, sicut à principio.**

Indicat & docet unde uera salus sperari possit, si dominus conuertat. Quem enim dominus conuertit, ille ueraciter saluus erit: quem uero despexerit, nemo corrigere potest. Sine ergo præueniente dei gratia non conuertimur, sed & sine nostra culpa nos malos perseuerare non contigit, ut simus inexcusabiles, & iustitia dei inclarescat, bonitas & maiestas. Reuoca quæso, ait, per tuam spiritum, & uere conuersi erimus, non ad homines sed ad te: fac ut patriarcharum fidem assequamur & præmium.

22 **Sed proñciēs repulisti nos, iratus es contra nos uehementer.**

Quod hac uice hoc tempore nos repudiasse uideris, ideo egisti, quia iratus fuisti, semel statuisti peccata tuæ plebis punire, & exemplum ædere iustitiæ & ueritatis, quomodo tibi displiceat perfidia in uerba sanctorum prophetarum nomine dei loquentium, & mane surgentium, effusio sanguinis innocentum, oppressio imbecillium. Vidisse uidetur propheta in spiritu, Iudæos non agnituros tempus uisitationis suæ, euangelio gratiæ & gloriæ dei contradicturos, & Christum dominum occisuros, in totum orbem dispergendos aliquando. Ideo Lamentationes suas amarissima sententia concludit, Repellendo ait, repulisti nos, & supra modum, præter tuum morem iratus es nobis. Quam ut repellere possint, addunt uersum, Innoua dies nostros &c. suo more.

FINIS.

SVMMA VERSVVM CLIIII.

COMMENTARIA IN EZECHIELEM PROPHETAM, quem Iudæi nominant Iehes keel.

CAPVT PRIMVM.



1 ET FACTVM est in tricesimo anno in quarto, in quinta mẽsis: cũ essem in medio captiuorũ iuxta fluuiũ Chobar, aperti sunt cœli, & uidi uisiones dei.

2 In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Ioachin,

Confitentur omnes tam Hebræorum quàm catholici nostri doctores difficultatem prophetæ Ezechielis,

quo ad primam prophetiam uel uisionem, & ultimam libri, quarum nulli hominũ fas sit perscrutari uel saltem profiteri intelligentiã. De hac autem prima patres prisci tam Hieronymus quàm Gregorius multa disputarũt, quorum extant passim in literis monumenta, ad quæ nos Lectorem remittimus, multos quaternarios confingentes & multa adducentes uera & utilia. Simpliciter tamen hoc quoq; modo post alios multos hic locus difficilis sine aliorum præiudicio tractari potest, ut trigesimus annus intelligatur, qui simul fuerit quintus regni Zedekiæ, scilicet post transmigrationem Iechoniæ: trigesimus autem à decimooctauo Iosiæ, in quo & liber legis inuentus est in templo, & renouatus Iudaicus status nõ diu perseueraturus. Qui simul & uitæ Ezechielis annus trigesimus non irrationabiliter æstimari potest, quando prophetare primũ exorsus est, nõ sine mysterio, reuelatione, & iussu dei, sicut & Christus dominus, baptista Ioannes, & Ioseph in Aegypto, ne quis neophitus prædicet, eundem annorum numerum consecrarunt prædicationi, & Moses eiusdem ætatis Leuitas sacerdotio applicauit. Fuerat autem Ezechiel inter eos transmigratos, qui sub & cum Iechonia rege & matre regis translati erant in Babylonem. Habitabat aũt iuxta fluuium Chobar, ibidemq; quinta die mensis quarti, cœperunt illi aperiri & apparere uisiones magnæ, insignes, & mirabiles, quarum hanc primam in aëre aperto, qui cœlum dicitur, domino demonstrante cõspexit: qui intuitus cum potuerit multipliciter fieri, & tamen non scribatur quo modorũ, religiosius obmittitur discussio, quàm ut incertum quiddam & inutile definiatur.

Trigesimus annus.

3 fiendo factũ est uerbũ domini ad Ezechielem filiũ Buzi sacerdotẽ in terra Chaldæorum, secus flumen Chobar: & facta est super eum ibi manus domini.

Filium Buzi quidam Hebræorum ex interpretatione Syriaca Hierosolymitana satis temere putant filium Ieremiæ dici, qui apud suos semper contemptus fuerit, cum esset sanctissimus, id enim Buzi ualet, & de sacerdotibus in Anathot eum legimus. Non autem mysterio caret, in terra Chaldæorum apparuisse sancto prophetæ dominicam uisionem, cum Esaiæ intra templum dominum apparuisse legamus. Iudæi quidem putãt deum nemini prophetarum apparuisse extra promissionis terram: ideoq; hanc eum uisionem in somnis habuisse dicunt quasi esset in terra Iuda. Sed non concordãt literæ, quæ in terra Chaldæorum & circa fluuium Chobar testatur prophetam uisiones uidisse. Licet autem tunc ad huc staret templum, tamen breui uastandum erat, et gloria domini in gentes transfundenda, & à prophano quoque totius mundi primo & maximo monarcha adoranda & amplectenda, & cum tempore toto orbe colenda, religiosius quàm antea. Ideo in Chaldæa quoq; dominus electis suis sese ostendere dignatur & docere gloriam suam, quam habet in cœlo & terra super homines & iumenta, quorum fata & opera ipse regit prouidentia sua, mediante motu cœlorum, & influentia astrorũ, quæ sunt in illius domino pleno, ut nec ad latũ unguem, aliud possint uel uelint ac faciant, quàm ad illius uoluntatem, qua omnia regit, & ad sanctum finem & opus ordinat, in quo uiuunt, mouentur & sunt omnia. Hoc si propheta docere & scribere uoluit, non est pœnitenda ac uana intelligentia huius loci, ne Allegorias et Anagogas hic multas anxie commisci uelimus, & uarias comportemus ueterum more, quorum extant libri, at uanum sit omnia adducere simpliciter procedemi, & breuiter cupienti certiora annotare.

Apparitio dei in gentibus.

4 Et uidi, & ecce uentus turbinis ueniebat ab aquilone: nubes magna, et ignis inuolues, & splendor in circumitu eius: & de medio eius quasi species electri, (id est) de medio ignis.

Ventus hic tempestuosus significare potest iudicium & iram domini, qua iubente ab aquilone uenit contra templum suum Nabuchodnezer, ut regnum Iudaicum & cultũ ceremonialem uastaret, locumq; pararet diffamandæ ueræ fidei in partes orbis, ne tanum putaretur notus in Iudæa deus. Nubis autem magnitudo tenebras calamitatum significat: ignis uero inuoluens acerbas gentes oppressit, de quibus per singula in fine terræ miæ per regnum Babylonicum, quod & ipsum postea iudicio dei interijt. De his aũt omnibus populus docendus & præmonendus erat, tam in Babylone reditũ speransrans, quàm Hierosolymis Ieremiæ credere nolens. Quare ergo omnibus dicebantur, intelligi uel ex parte debebant, & non esse prorsus imperscrutabilia, ut improbi Iudæi tradunt, & mentiuntur de hoc loco. Splendor autem circũquaq; diffusus, prouidentia dei omniaregentis & per omnes creaturas sese electis toto orbe ostendens dicitur. Et uidetur propheta uidisse obscuram nubem & horribilem nubem cum igne flammante, & abscondente, interim tamen splendor reliquum omne cœlum illustrabat. Deus enim ignis consumens est, inaccessibilem quoq; lumen inhabitans. Cum autem de hac dictione חשמל Iudæi nihil certi adferant, quam & Syrus non interpretatur, et Rabi Salomon se ignorare fatetur, & de animalibus igneis colloquentibus dubius post Rabinos loquitur, tutius est Septuaginta sequi. Electrum enim cendo, similitudinem aliquam humanam colore electri, quem auro & argento pretiosiorem dicunt, quæ effigies ex ipso igne resplendẽs apparebat, insidens circulo ueluti iridis. Non dubium quin angelica fuerit apparitio iussu dei prophetæ facta, diuinam maiestatem significans, & modo quo fieri potuit exhibens hominibus simplicibus, diuinam omnipotentiam ac prouidentiam remota similitudine ostendens.

5 Et ex medio eius similitudo quatuor animalium: et hic aspectus eorum, similitudo hominis (in) eis.

6 Et quatuor facies uni: & quatuor pennæ uni eorum.

7 Et pedes eorum pedes recti, & planta pedum eorum quasi planta pedis uituli, & scintillæ quasi aspectus æris candentis.

Apparebant

Apparebãt quoque sub prædicto spectro primo quatuor animalium species, siue ipsa unum corpus conficerint, siue quatuor, non constat clare. Similitudo erat hominis in quolibet quatuor animalium, & singula animalia quatuor, habebãt quatuor facies, hominis, leonis, bouis & aquilæ. Quomodocunq; autẽ se habuerit constitutio illorum, simplicem uidẽtur habere significantiã eorum quæ super totam terram principalia opificia dei sunt, sine quibus quicquid aliorum illustrißimum est nihil esse uideretur. Homo quidẽ finis est, propter quem creata sunt omnia, qui solus dei maiestatem inter corporales creaturas cognoscere, admirari, amare & colere potest, capax beneficiorum omniũ diuinorum, & speculum nobilitatis gloriæ diuinæ, si non per assertionem saltem per abnegationem: de quo alij multa. Proxima homini animalia sunt, iumenta à iuuando dicta, ad eius consolationẽ domabilia, seruiẽtia, mansueta, utilia, post hominẽ gratiæ & bonitatis ordinisq; diuini incly tum uestigium. Quorum primatum bos habet, deinde oues, capræ, asini, equi, cameli &c. Cuius quidem imago à sinistris quidẽ spectri erat, aspicienti autem prophetæ ad dexteram: non enim deo uel angelo prodest, sed homini. Tertia imago leonis præseferebat cõditionem omnium reliquarũ ferarum, quæ licet homini non seruiant, ostendunt tamen dei iustitiam, ueritatem, potentiam & sapientiã, suo quoq; loco non uacua officio: ut scilicet impios & inobediẽtes deo homines puniãt, inuestent: unde & quatuor plagarum una sunt, lupi, ursi, leones, & id genus animalia fera. Quarta imago Aquilæ, refert creaturam omnium auium, quæ & ipsæ hominibus seruiunt, nõ solum in cibum, sed etiã in obsequia, quæ sapiẽtes norunt, & de quibus eximia Plinius sicut & de alijs. Hæc illa magnifica dei opera, sine quibus in mundo ferè gloriam deus omniũ creator non haberet, simpliciter de talibus cogitando. De spiritibus enim angelicis lex & prophetæ uulgò loquentes, ferè nihil commemorant. Hæc animalia pennas habuisse scribuntur, manus & pedes, quibus indicatur naturalis propensio & inclinatio eorum & actiones, quæ totæ pendent ex creatoris arbitrio, ordineq; diuino, solo nutu diuino reguntur, eatenus, ut dum uel domino iubẽte, uel natura instigante quicquam agunt, sic agunt, ut & rectum sit deo & in usum dei proficuũ, & aliud agere non possũt. De tribus manifestũ est omnibus, sunt enim agẽtia nõ ex proposito, sed natura. Homo illis iunctus, quamlibet de suo arbitrio & libertate iactare se præsumat, certum tamen est nihil ipsum posse, nec uelle, nec operari ex se tanquã ex se. Nec negari potest æquè homines nos in ipso esse, moueri & uiuere: & quod peßimum faciunt homines, diuinæ prouidentiæ ordine seruiũt ad optima, de quo multa. Hoc est, animalia habere rectos pedes, & rotundas plantas, ad procedendum dispositas, non ad declinandũ uel retrocedendum. Naturalibus enim affectionibus ducuntur, ut per se aliud non possint. Coruscare autem & scintillas emittere, est nobilitate naturæ & cõditionis suæ & admiratione, conditoris sui sapientiã sic ostendere, ut oculos cõtemplantium supérent, & plene sciri non possint. Tot enim naturæ mysteria in se cõplectuntur, & tam admirabilem opificis maiestatem exhibent cõsiderantibus, ut ueluti politi æris splendore oculos perstringant.

8 Et manus hominis desub pennis eorum in quatuor quartis eorũ: & facies & pennas suas per quatuor partes habebant.

9 Iunctæq; erãt pennæ eorũ alterius ad alterum: nõ reuertebãtur cũ incederẽt: (sed) unũquodq; ante faciẽ suã gradiebatur.

10 Similitudo autem uultus eorum, facies hominis: & facies leonis à dextris ipsorũ quatuor: facies autẽ bouis, à finistris ipsorum quatuor: & facies aquilæ ad quadraturam ipsorum.

Potestati hominũ hæc animalia & utilitati seruiunt, & subdita sunt, illius supplent necessitates, propter hominem creata sunt à domino, ab homine moderãtur illorum omnes passiones. Pennæ coniunctæ unius ad alteram, naturarum cohærentiam & affinitatem significare potest, maximè uerò sexus differentis cõsortium, affinitatem, amorem & societatẽ, quæ naturali ductu semper procedunt ad anteriora, non redeunt unquam, ut aquæ maris & fontium. Quibus omnibus dominatur deus, qui prophetã suum mittit ut audiatur, consoletur, doceat de domini uoluntate. Pennæ iunctæ.

11 Et facies eorũ, & pennæ eorum extentæ desuper: duæ (pennæ) singulæ iungebãtur, & duæ tegebant corpora eorum.

Tam natura quàm inclinationes & opera animaliũ, inter quæ maximum & principale homo est, supra extenduntur, & à cœlestibus reguntur influentijs, diuinæ subsunt prouidentiæ, mutuũ quoque sibi opera & usu famulantur, & tuentur seipsa, fouent & adiuuant, instinctuq; naturali norunt proficua sibi prosequi, & pernitiosa fugere.

12 Et unũquodq; (eorum) coram facie sua ambulabat: ubi erat impetus spiritus ad ambulandum illuc gradiebantur: nec reuertebantur cum ambularent.

Prosequitur quodlibet propensionẽ naturæ suæ inditam, agitq; id ad quod conditũ est à deo, sine aliqua cunctatione, quò illud uolũtas diuina impellit, à qua omnia gubernantur, ut contra illius ordinem nihil in istis fiat ipso inuito, sine quacũq; illorũ tergiuersatione. Omnia enim dei seruiunt uoluntati & gloriæ, & sunt in plena obedientia dei: cuius factorum ratio nõ est requirenda, nisi summa religione, ueneratione & modestia, ne scrutator maiestatis opprimatur à gloria. Propensio creaturæ.

13 Et similitudo animaliũ, (&) aspectus eorum quasi carbonũ ignis ardentium, (&) quasi aspectus lampadarũ: hæc (erat uisio) discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgor egrediens.

14 Et animalia currebãt, & reuertebãtur in similitudinem fulguris coruscantis.

Omnia animalia ignea quadam ui spiritus diuini re-

guntur, & uitali calore uegetãtur, suntq; instrumenta operis diuini, & specula lucẽtia potentiæ, sapientiæ bonitatisq; diuinæ, qui ueluti obambulat, assistit, moderatur et adiuuat, imò omnia agit in omnibus, quasi opifex summus instrumẽtis suis: omnia quoq; illa splendor sunt & testimonia suæ maiestatis. Cursus autem & reditus animalium sub deo, quid aliud est, quàm obedientia & operatio illorũ ad nutum dei sine cunctatione uel recusatione, ut in illis pateat uoluntas dei & gloria?

15 Cumq; aspicerem animalia, apparuit rota una super terrã iuxta animalia, habens quatuor facies.

16 Aspectus rotarum & opus earum, quasi species Tharsis (*maris*) & una similitudo ipsarũ quatuor: & aspectus earũ & opera, quasi fit rota in medio rotæ.

17 Per quatuor quartas earũ euntes ibant: non reuertebantur cum ambularent.

18 Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus: & corpus eorũ oculis plenum in circumitu ipsarũ quatuor.

Cum propheta in hac tam mirabili uisione cogitando hæreret, ecce incidit alia quoq; rotarũ duarum species, quæ una erant & duæ, quia transuersaliter se ad angulos rectos sphærales sese intersecantes, ut coluri duo in sphæra materiali astronomica. Hæ rotæ sub priore spectro positæ uidebãtur iuxta animalia sub specie hasmal. Speciem autẽ habebãt maris, quantũ attinet ad colorẽ, & ad quatuor partes distendebantur illius quatuor semicirculi, qui hic nominãtur dorsa rotarũ, plena oculis per circumitum, admirabile opus sanè & terribile. Pariter autẽ animalia & rotæ ambulabãt ad motũ spiritus sub electro. Simpliciter hæ duæ rotæ signare poßũt uisibiles cœlos Solis & Lunæ, illorum quoq; motus, stellarum situs ac rationem: quæ omnia propter hominem creata sunt & ordinata, ut ad nutum dei influant & operentur. Qui cœli quomodo moueantur ex quatuor partibus oriẽtali, occidẽtali, nunc australes, nunc aquilonares, alibi docetur. Aliorũ planetarũ non fit mentio, quia uulgo inter stellas fixas habentur, & sacræ literæ simplicibus & uulgo magis seruiunt quàm curiosis, uel sensu suo abundantibus, quibus nulla satis est eruditio. Possunt & rotæ significare uolubiles res humanas, casus & fortunas non cæcas, sed plenas oculis diuinæ prouidentiæ, nunquam tamen quietas uel stabiles.

Vulgo scripta.

19 Cumq; ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea: & cum eleuarẽtur animalia desuper terrã, eleuabantur simul & rotæ.

20 Quocunq; ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur, sequentes eum: spiritus enim uitæ erat in rotis.

21 Cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant: & cum eleuatis à terra, pariter eleuabantur & rotæ, sequentes ea: quia spiritus uitæ erat in rotis.

Secundũ lationes rotarum etiam animalia mouebantur. Sic enim cõdita sunt à deo cœlestia, ut influant terrestribus, & animaliũ naturæ sua quæq; commoda & operationes adiuuent & necessaria suppeditent, sint quibus æstate scilicet, hyeme, pluuijs & calore nõ subsisterent. Omnia aũt pariter tam animalia quàm rotæ spiritu donum mouentur, & ad dei beneplacitũ agunt & patiũtur, quo mundus totus, & quicquid cõtinet regatur & regitur: ut nec cœli moueantur uel astra præter dei ordinem, nec in rebus inferioribus quicquam geratur sine eius uoluntate & prouidẽtia, cuius imperio stant uel mouẽtur, agũt uel patiũtur sic uel aliter, omnia autẽ ad illius gloriã, quam ostendere hoc spectro uoluit seruo suo in regno Babylonico, in quo manifestiãda prædiem erant magnalia dei, & omnipotẽtiæ suæ signa, in omnes creaturas pleno dominio imperantis.

22 Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis: & extenti super capita eorũ desuper.

23 Sub firmamento autẽ pennæ eorũ rectæ alterius ad sociam: unumquodq; duabus (*alis*) uelabat corpus suum, & alterum similiter uelabatur.

Eminebat his animalibus & rotis firmamentum clarum micans ut Crystallus, admirãdi splendoris, super capita eorum superne extentũ, sub quo præscriptis formis animalia cum suis manibus, alis & pedibus, rotæ cum dentibus & oculis suis consistebant & mouebãtur: quandoquidem cœlestia & terrestria imperio diuino obediũt & gubernantur, ut recta incedere cogãtur, mutuumq; sese mouere, iuuare & influere.

24 Et audiebã sonum alarum ipsarũ, quasi sonum aquarũ multarũ, quasi sonũ sublimis dei cum ambularẽt, sonum loquelæ, ut sonus castrorum: cumq; starent, demittebantur pennæ eorum.

25 Cumq; fieret uox super firmamentum quod erat super caput eorum, stabant, & submittebant alas suas.

Omnia hæc sonũ ædere dicũtur, operibus & naturis suis laudando magnificè creatorem suum, & naturas intellectuales, angelicam & humanã rapiunt in admirationem dei omnia disponentis. Omnia enim ipse, hoc est, intima naturæ, non solũ humanæ, sed omnes dicunt: Domine quis similis tibi in uirtutibus & potestatis? Alas autẽ extẽdere, est dei beneficia plausibiliter agnoscere & laudare. Remittere alas, est impotentiã suam fateri, & humiliari sub potenti manu dei.

26 Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni: & super similitudinẽ throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper.

Quod prius hasmal electrumq; uocauit, nunc spectrum habuisse lapidis sapphirini dicit. Quicquid enim de dei substantia & gloria dicitur, aliud est q̃ quod dici possit & debeat de ineffabili maiestate creatoris omnium. Sedere autẽ uidebatur super solium more potẽtissimi mo-

narchę, in forma quidem hominis, quarum in mũdo hominibus nõ est nota illustrior species. Et uerbũ dei deus humanandus Christus dominus totam sub pedibus torquet machinam mundi: ideam æternam seſe protulit humani generis antequam nasceretur.

27 Et uidi quasi speciẽ electri, uelut aspectũ ignis intrinsecus eius p circumitũ: ab aspectu lumborũ eius & desuper: & ab aspectu lumborum eius usq; deorsum, uidi quasi speciem ignis splendentis in circumitu.

28 Velut aspectũ arcus cũ fuerit in nube in die pluuiæ, hic erat aspectus splẽdoris per gyrũ. Hæc uisio similitudinis gloriæ dñi.

Omnia autem plena splendoris igneι, omnia pura illustrantis, opaca autem & intractabilia purificantis & deuorantis. Eius autẽ humanæ formæ pars à lumbis inferior subtus iridem protendebatur, superior insidens uidebatur, tota autem effigies igneo splendore coruscans. Talis autem species decebat summum monarcham, qua illustrior in mundo uideri non potest ab homine uel cogitari. Et sic humanus cogitatus de deo cõcipere quidam augustißimum solet, sedentem scilicet in cœlo, & omnibus præsidentem. Totum illud spectrum aliud non portendebat prophetæ, quàm gloriæ diuinæ pompam & spectrũ, rebus omnibus imminentẽ deum, & regentem cœlũ ac terram, homines & iumenta. De quatuor regnorũ monarchijs quidam exponunt: alij de quatuor euangelistis. In his tam difficilibus locis satius est ignorantiã fateri, quàm temerè diffinire: nec tamen in istis negotijs periculosum est labi, & opinari uaria, dum pie prodesse uult Christianus ac fidelis animus. In summa, sanctus Ezechiel propheta rebellibus loqui iubebatur, & debebat, ideo tot spectris animus illi additur contra impios, ut intelligat potestatẽ dei aßistentis sibi, habentis ministros obsequentes, & fortes, qui impediri non possint quacunque uirtute humana, ut sciat & credat propheta certißima esse omnia quæ à deo uel spectro illo futura esse dicere iubetur & facere.

Monarchæ deuorantis. Spectrum.

CAPVT II.

1 Tuidi, & cecidi in faciem meã: & audiui uocem loquentis.

¶ Et dixit ad me, Fili hois sta sup pedes tuos, & loquar tecũ.

Viderat prius spectrum, nunc audit sermonẽ ad se loquentis in nomine domini. Sic enim symbolis uerba adduntur, ad simpliciũ institutionẽ, prophetico more. Nominat aũt hominis filiũ Ezechielem, quod in prioribus factũ nõ tam familiariter legimus, quia iam ferè filij dei Iudæi esse desierant, & luculẽtiores uisiones ferre non amplius potuerunt. Miserijs quoq; multis afficiebatur ex peccato populi rebellis, ex captiuitate & dispersione, multis desperãtibus de salute, ipse quoq; reuersionis tempus assecuturus non erat, & populũ suum iam cernebat non maioris apud deum meriti factũ, quàm cæteras nationes, quibus paulatim agnitio dei & fauor gliscebat. Iubet autẽ stare prophetã, ut audiat allocuturum dominũ, ut diligenter percipiat animo, quæ populo referenda suscipiat mandata. Ex timore enim & reuerẽtia intelligitur procidisse in faciem, & maiestatem domini adorasse, ut nunc resurgere iubeatur & stare, cõfidere scilicet & auscultare mandatis dei.

2 Et ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi, & statuit me supra pedes meos: & audiui loquentem ad me,

3 ¶ & dicentem ad me, Fili hominis, mitto ego te ad filios Israël, ad gentes apostatrices, quę recesserũt à me. Ipsi & patres eorũ præuaricati sunt in me usq; ad diem hanc.

Imbuitur spiritu fortitudinis, & cõsolatur ex alloquio dei, statuiturq; in pedes, imbecillitate discussa, ut forti animo mandata audiat, & suscipiat contra populum Israeliticũ, qui ut semper fuerat, sic quoq; nondũ emendatus appellatur rebellis & perduellis: semper enim erant uerbo dñi resistẽtes, & mandata superbè præuaricantes, quos tamen dei clementia nõ deserit, sed prophetis suis uisitat usq; ad Christũ, deinde repudiandos impios quidem, sed in pietate uera electos confirmãdo. Ad eum usq; diem semper duri, & intractabiles perseuerabant Iudæi, & prophetis increduli.

4 Et filij dura facie & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te: & dices ad eos: Hæc dicit dominus deus,

Impudẽti uultu & cõtumaci animo pergunt esse filij inobedientiæ, hoc est, omnino immorigeri exhortationibus, quas tamen illis nõ subtrahit: quo toti mundo tanto tempore apparet iustitia dei, dũ tam implacabiliter à domino puniũtur, qui eius paterna monita spreuerũt semper. Non sua sponte uadit, & prophetico se ingerit officio, sed missus à domino, ad eos qui certo ipsum sint abominaturi, & eum cuius nomine loquitur. Missum ire.

5 Si fortè uel ipsi audiãt, & si fortè quescant: quoniã domus exasperãs est, & sciẽt quia propheta fuerit in medio eorum.

Siue audituri sint uerbum domini, siue minus obsecuturi; tamen annuncianda est illis uoluntas domini, quo minus excusationis relinquatur eis, si conuerti noluerint, uidentes sibi dñm nõ deesse, sed semper mittere seruos, omnibus horis ad uineã excolendã, donec omnibus pateat nihil proficere uerbũ dei, nisi ut labruscas proferat & absynthiũ. Interim intelligitur bonitas dei & cui pæinobedientiũ. Etiamsi plebs non mutet mores, tamen scelera ipsorũ illis sunt annuncianda.

6 ¶ Tu ergo fili hois, ne timeas eos, neque sermones eorũ metuas: quoniã increduli & spinosi sunt tecũ, & cũ scorpionibus habitas: uerba eorũ ne timeas, & uultus eorũ ne formides: quia domus exasperans est.

7 Loqueris ergo uerba mea ad eos, si fortè audiãt & quiescant: quoniã irritatores sunt:

Difficilis prophetarum sors notatur, dum in tam immorigera, seditiosa, peruicaci, & mala cõtinuò pro bonis reddenti genti, & spinarũ more pungenti, & uelut scorpionũ aculeis munitæ, sine timore prædicare, illisq; cohabitare, proq; nulla inferenda iniuria deserere iu-

betur, sed cohabitare, donec domino placeat cui seruit, à quo & laboris periculorum quoque mercedem non à populo sit recepturus.

8 ¶ Tu autẽ fili hominis audi quæcunque loquor ad te: & noli esse exasperans sicut domus exasperatrix est: aperi os tuũ, & comede quæcunq; ego do tibi.

Prophetæ audientia.

Audire iubetur propheta uerba domini, ut in primis ipse obediat, deinde alijs perficienda proponat, interim accinctus ad orationẽ assiduã patientia, longanimitate & perseuerantia. Nec alia quàm dei eloquia prædicanda sunt, quia sola custodita ad felicitatem proficiũt, & contempta, mortem inducunt. Cauendum in primis, ne culpa redarguat prædicatorem: & qui rebelles animæquiores reddere debet, sit ipse malignior. Aperire os iubetur, id est, docilẽ se exhibere ad audiendũ uerbũ domini, quod deinde alijs persuadeat, ut prior ipsius calescat spiritus, qui pergat inflammare alios. Verbum autem domini edere iubemur, non hominũ: & scientiam diuinam inferre fideliũ ecclesijs, non traditiones hominum, quæ resipiunt uanitatẽ. Hic plànè discimus etiam edere uerbum dei, esse credere, & amplecti pura fide quæ dicuntur, & sacris literis proponuntur.

9 Et uidi, & ecce manꝰ missa ad me, in qua erat inuolutus liber:

10 & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus & foris: & scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & uæ.

Manum dei mitti.

Manus domini missa ad prophetam, est beneficio consolari, quo maius non datur, quàm agnitio ueritatis & amor, cum discimus dei spiritu illuminati, quod alios docere possimus. Expãditur autẽ liber corã propheta, & legendus producitur, scriptus intus & foris, uel ante & retro, ut scilicet clarè & copiosè prædicet illis ærumnas quas passuri sint, non ad gratiã loquatur uel placentia, sed lamentationes, gemitus & uæ. Quid enim aliud rebellibus promitteretur quàm ira domini, & calamitas digna impijs, non solum post hanc uitam, sed etiam in præsenti? Hebræi etiam exponunt, prophetas docere debere impiorum pœnas æternas, & gaudium cantusq; iustorum post hanc uitam.

¶ CAPVT III.

1 ET dixit ad me, Fili hoïs, quodcunq; inueneris comede: comede uolumen istud, & uadens loquere ad filios Israel.

2 Et aperui os meum, & cibauit me uolumine illo,

Credenda quæ & quo modo.

Credendum pijs est, & suscipiendum quicquid uerba domini docent, etiamsi minus clarè intelligatur: quod enim tempore uno non capitur, altero intelligetur, captiuandusq; est intellectus in obsequiũ fidei, nõ ut quod homines inculcant necessariò credatur, sed quod deus. Præter uerbũ dei nihil necessariò credendũ proponatur fidelibus. Ipsum autẽ etiã si nõ intelligatur suscipiendũ tamen est, & ut uerissimũ credendũ, etiãsi id ratio non assequatur. Verbũ itaq; domini Israëlitis proponendũ

iubetur, ut intelligamus uerè Israelitas esse & dici, qui uerbũ domini credentes amplectuntur, hi scilicet, quos rapit spiritus domini, quos pater trahit, quos cibare dignatur. Nõ enim uolentis neq; currentis, sed miserentis dei, cuius gratia & suscitatur electorum uoluntas, & actio sancta perficitur atq; coronatur.

3 & dixit ad me, Fili hominis, uẽter tuus comedet, & uiscera tua cõplebuntur uolumine isto, quod ego do tibi. Et comedi illud: & factum est in ore meo sicut mel dulce.

Venter librũ comedit, quãdo legit animus. Implentur autẽ uiscera, cum assidua meditatione in memoriã atq; fidẽ recõdita fuerint quæ lecta sunt. Dum uero cõscientia cõsolatur legẽtis, & diuina prouidẽtia cognoscitur circa omnia, lectio inimitijs molesta, fit dulcis ut mel, & supra fauũ, cõscientiæ bonæ: non impijs, qui lectione sacrorum scandalizãtur, & deteriores fiunt ludæorũ more, qui & ꝓpterea perditi sunt & abiecti. Lectio sacra re, diligentius simpliciusq; recogitata, placebit magis.

4 ¶ Et dixit ad me, Fili hominis, uade ad domũ Israel, & loqris uerba mea ad eos.

Iubetur accedere propheta eos qui gratuitim ad seruiendũ nõ inuitabãt: sic diuina clemẽtia promptior ad benefaciendũ est, quàm homines ad petendũ, multis etiã obtrudere solet uerbũ exhortationis & admonitionis sacræ. Iterum dicit: Verbis meis loquere ad eos: eo modo loquendi loqueris ad eos quo tecũ utor, noli excusare, nõ caro dura contrectet os, imperitiem linguæ nõ causeris, nõ tam mea mine, quàm meo mandato, quo sint inexcusabiles.

5 Nõ enì ad populũ profundi sermonis & ignotę linguæ tu mitteris, ad domũ Israël:

6 neque ad populos multos profundi sermonis & ignotæ linguæ, quorũ nõ possis audire sermones: & si ad illos mitteretis, ipsi audirent te.

Nulla excusatione utaris, nosti illorũ linguam, in qua illis proponas uoluntatẽ meã. Facilè loquentem intelligent filij Israël, etiãsi difficulter attendãt et acquiescãt, quia rebelles sunt, ut semper. Ad tuum populũ, adfinitres genusq; tuũ pergas, quos toties reuoco, audire renuentes, olim fiet ut prophetas mittã ad multos & remotos populos, qui diligẽtius auscultabũt & obsequentur, solidiusq; credent. Sicut & apostoli dicebãt, Vobis quidem oportuerat prædicari uerbũ dei, sed quia abstinetis suscipere sermonem, ecce cõuertimur ad gentes: sic nunc prophetæ loquitur, Ad Israël enim te mitto, ut audiant uerba tua: si uerò non sunt audituri, mittã ego te ad gentes remotas, & ipsi audient te.

7 Domus aũt Israël nolunt audire te: quia nolunt audire me: omnis quippe domus Israël attrita fronte est, & duro corde.

8 Ecce, dedi faciem tuam ualentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.

9 Vt adamantem & ut silicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas à facie eorum: quia domus exasperans est.

Cor

Contemnent audire te, quia uerba mea quæ norũt contemnunt: Qui uos spernit, me spernit: & qui te susci-
pit, me quoque suscipiet. Non modo incipiunt pertinaci & cõtentiosa fronte esse in prophetas, Mosi mitissimo uiro maiores intulerũt iniurias. Sunt enim duro & intractabili animo, semper spiritui sancto resistentes, & nullum non prophetarum persecuti sunt, sed non præualuerũt: sic nec tibi præualebũt, quo minus eos timeas, uerbi enim mei prædicatores confundi nõ possunt, nec uinci, etiamsi sit moriendum. Discimus gratiæ dei esse impudentiæ resistere, & cum res poposcerit frontem fronte concutere. Erubescere malum sapientiæ est, bonum fatuitatis. Est confusio adducens gloriam, & est confusio adducens peccatum.

10 ¶Et dixit ad me, Fili hominis, omnes sermones meos quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, & auribus tuis audi:

11 & uade, ingredere ad transmigrationem ad filios populi tui, & loqueris ad eos, & dices eis, Hæc dicit dominus deus: si forte audiant & quiescant.

Chodo in auribus.

Inuersionem ordinis Hebræis familiarẽ hic discimus. Corde enim percipere sequitur auditum aurium, cum tamen hic dicatur: Assume in cor tuum, & auribus audi. Ante etiam sermones dei in corde condendi sunt, dili gentiusq; trutinandi, & sic ad populum sunt proferendi: etiamsi nolint audire, non tamen à prædicatione cessandum. Cum hoc tam frequenter repetatur, transmigrati populi duritia signatur.

12 Et assumpsit me spiritus, & audiui post me uocem cõmotionis magnæ, Benedicta gloria domini de loco suo:

13 & uocem alarum animalium percutientium alterã ad alteram: & uocem rotarum sequentium animalia: & uocem commotionis magnæ.

Extulit cogitationẽ meã, & uelut rapuit in extasim, ne quæ circa me temporalia agebantur perpenderẽ. Et audiui clamorem, nimirum angelorum, sicut & Esaias Seraphim audiebat, dicentium: Benedicta sit gloria domini, hoc est, Gloria domini omnia implens, toti mundo sese bonitate sua ostendens, ab omnibus colatur & adoretur. Non dicebãt de templo suo uel Hierosolyma, sed de loco suo, qui proprie est ubique, & immensitas ipsa. Nedum audiuit uocẽ, sed oculis uidit cõcussionem alarum in bestijs, & rotarum iuxta eas commotionem. Quæ reuera non Hierosolymis facta scribuntur, sed Babyloniæ, cum iam non solum Iudæorum, sed & gentilium dominum sese ostendere uoluerit.

14 Spiritus quoq; leuauit me, & assumpsit me: & abij amarus in indignatione spiritus mei: manus dñi erat mecũ confortãs me.

15 Et ueni ad transmigrationẽ ad aceruum nouarum frugum, ad eos qui habitabant iuxta flumen Chobar: & sedi ubi illi sedebant: & mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum.

16 Cum autem pertrãfissent septem dies, factum est uerbum domini ad me, dicens,

Prophetã domini spiritu perlatũ, non intelligendũ est per miraculũ, sed instinctu statim diuini spiritus surrexit, & abijt in locũ ubi Iudæi erant habitantes in Babylone, cupiens studiose sine dilatione & feruenti spiritu exequi cõmissa sibi à domino, quantũlibet id arduũ uideretur & graue, nõ paruo zelo permotus in Israëlitas, quos iam à domino didicerat rebelles, incredulos, ceruicosos & intractabiles esse. Id autẽ faciebat à spiritu dei instigatus & corroboratus. Quod uerò dicitur, Ad aceruum nouarũ frugũ, Iudæi omnes nomen loci dicunt תל אביב. Alij temporis nomen faciunt, quasi mense nouorum frugum illos accesserit. Nec septem diebus pariter sedisse intelligendi sunt: sed eodem loci tamdiu manebat propheta cũctator, donec spiritu edoceretur inciendum sermonem, & abijciendam cunctationem.

17 Fili hominis, speculatorẽ dedi te domui Israel: & audies de ore meo uerbum, & annuntiabis eis ex me.

Prophetæ à dño constituũtur uigiles & speculatores, ut stent in alto per prouidentiã & sanctimoniã ueram, ut & populi cõmunis uitam transcendant, & delonge aduentantia pericula non taceãt. Ex uerbo autẽ domini suscipere debent loquendi & exhortandi materiã: idq; non suo, sed dei nomine loquãtur, nec populo munus authoritatis tribuit loquentibus, nec ipsi suam, sed dei per omnia gloriã quærant, populiq; salutem. Prophetæ officium.

18 Si dicente me ad impiũ, Morte morieris: nõ annũciaueris ei, neq; locutus fueris ut auertatur à uia sua impia & uiuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinẽ autem eius de manu tua requiram.

19 Si autẽ tu annũciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à uia sua impia: ipse quidẽ in impietate sua morietur, tu autem animã tuam liberasti.

Ezechieli quidẽ hæc dicta sunt, sed pertinent proprie ad omnes prædicatores & episcopos, ut impijs nõ cunctentur prædicere iudiciũ illis impendẽs ex dei iustitia, alioqui si à domino instigati officio nõ satisfecerint, duo mala fiẽt, ut & nõ reuertatur ab impietate sua impius, & propheta infidelis in officio cõuincetur, utrique autem iusto dei iudicio morte puniendi æterna. Si uerò propheta quod suum est dixerit, animã redemit suam, inobedientiæ autẽ suæ impius pœnas pendet solus. Notanter dicit: Si me dicẽte, nõ si tu aliquẽ constitueris moriturum, sed cum ego. Non tamẽ plures, sed unũ etiam hominẽ. Pretiosa est unica anima deo, ideo curanda ut uiuificetur. Sua culpa perit, sed de te infideli seruo repetetur, quia iuxta uerbũ dei non est admonitus. Episcopõrũ functio.

20 Sed & si cõuersus iustus à iustitia sua fuerit, & fecerit iniquitatẽ: ponã offendiculũ corã eo: ipse morietur: quia nõ annũciasti ei, in peccato suo morietur: & nõ erunt in memoria iustitiæ eius quas fecit: sanguinẽ uerò eius de manu tua requiram.

21 Si autem tu annunciaueris iusto ut non peccet iustus, & ille nõ peccauerit: uiuens uiuet, quia annunciasti ei, & tu animam tuam liberasti.

Iusti duo. *Duos iustos facit, unum qui uerbũ domini nõ audiuit & periit: alterum qui audiuit, & cõuersus ad pœnitentiam saluauit animam suam. Notandum hic, iustos homines & fideles peccare posse, & non esse sine peccato, non tamen cadere de iustitia: quanquam & uerũ sit iustos quidẽ decidere posse à iustitia sua. Quod si posito sibi offendiculo, iusto iudicio dei nobis occulto, nõ retractur per uerbũ prophetæ, qui uidens offendiculũ non admonuit si potuit, tunc autem & propheta reus fuit perditionis illius. Et q iustus habebatur apud homines, nunc ostẽditur, apud deũ iustitiã uerã fidei nõ habuisse, alioqui nõ cecidisset ad mortẽ. Ostenditur interim offendicula illa hypocritis poni à domino, ut peccent & pereant, non autẽ electis, qui perire nõ possunt. Electionis autẽ ratio ut nulla est, sic inquiri non debet: dominus est enim & figulus, nos lutum in manu illius.*

22 ¶Et facta est super me manus domini, & dixit ad me, Surgẽs egredere in campum, & ibi loquar tecum.

23 Et surgens egressus sum in campum: & ecce ibi gloria domini stabat, quasi gloria quam uidi iuxta fluuium Chobar: & cecidi in faciem meam.

Generalis fuerat facta prophetæ reuelatio de officio prophetarũ omnium: nunc ergo admonetur ipse officij sui, ut exeat in campũ, ut solitarius capacior sit reuelationum sanctarũ, ut secundo apparẽte illi gloria domini audentior fiat ad prosequendũ officiũ, incipiatq; inter suos periclitari, & non iam uerbis, sed silentio prophetet. Qui enim primo admonitus à deo nõ paruit loquendo, liber & securus, is iam secundo tacẽdo inclusus & captiuus prophetare cõpellitur, ideoq; agnoscens suam culpam, procidit in faciẽ suã, nimirũ non solũ tunc gloriosam ut prius, sed etiam iracundam: quia non strenue obierat quod creditũ iam illi fuerat officiũ prophetãdi, ideoq; iubetur difficiliorem obire prouintiam.

Parendum monitis.

24 Et ingressus est in me spiritus, & statuit me super pedes meos: & locutus est mihi, & dixit ad me, Ingredere, & includere in medio domus tuæ.

25 ¶Et tu fili hominis, ecce data sunt super te uincula, & ligabũt te in eis: & non egredieris in medio eorum.

26 Et linguã tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi uir obiurgãs: quia domus exasperans est.

Animo resumpto per dei zelũ & fidẽ, in pedes stetit denuò, audiuitq; dicti sibi, ut facto prophetet Hierosolymæ obsidionem, captiuitatẽ, cessationẽ uerbi dei & diuini cultus. Iubetur enim sese intra domũ suã includere, in quam subintraturi sint gentis suæ rebelles, qui eum ligaturi sint uinculis, ut non possit egredi, idq; debeat patienter eatenus ferre, ut ne uerbũ quidem querelæ contra eos loquatur, sed nec loqui possit, alligata illius lingua à domino in palatũ ut muto: ad tempus autẽ id passurus sit, à contentiosis cõtra dominũ, qui obiurgantem prophetã indigni sunt audire. Sic autẽ fiebat, ut hi prophetia indigni, uerbum domini nõ audirent, & iste cum exactior in uerbo factis ipsis prophetaret ludæorum exitium, quod credere noluerunt in eum usq; diem.

27 Cum autẽ locutus fuero tibi, aperiam os tuum, & dices ad eos, Hæc dicit dñs deus, Qui audit, audiat: et qui quiescit, quiescat: quia domus exasperans est.

Aliquandiu mutus & uinctus expectare iubetur uerbum dñi, quod suo tempore fiebat ad eum, breue quidẽ sed acerbũ & graue, Qui audit, audiet: & qui obmittet, scilicet audire, obmittetur, in tam incredula gente, quasi dicat, Bono suo obediẽt quidã Iudæorũ uerbo dñi, sese dedẽtes Babylonijs, urbẽ obsidẽtibus, qui uerbum crediderint, & abiecerint uerbũ Ieremiæ, bi abijciuntur & consumentur, peste scilicet, fame & gladio. Id enim sua rebellione merentur pati impij, pijs interim eiusdem tibus, ut Ieremias & Baruch cũ Abdemelech. Clemẽtia uerò diuinæ est populũ etiam contumacẽ non deserere. Omnino prædicandũ est, sed suo tempore. Si dñs os aperiat nõ scisciandũ de fructu, Qui audit, audiet. Vbi subiectus alicuius spes est, ibi prædicandum etiamsi maxima pars reclamet, quæ suo malo non audiet.

¶CAPVT IIII.

1 ET tu fili hominis, sume tibi laterem, & pones eum coram te: & describes in eo ciuitatem Ierusalem.

2 Et ordinabis aduersus eam obsidionẽ, & ædificabis munitionẽ, & comportabis contra eam aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro.

Vt stãte adhuc Hierosolyma sub Sedechia rege, multi ibidẽ erãt Ieremiæ prophetæ oblatrãtes, urbẽ destruendam prophetãti, ꝓpter quos sensibilibus utebatur ibidẽ paradigmatis: sic Ezechieli in Babylonia eadem prædicenti plurimi obstrepebãt, promittẽdo uelocẽ reditũ ad sua, finemq; exilij. Quos nunc iubetur prophetæ sensibili quodam signo docere uoluntatẽ dei de destructione futura Hierosolymæ. Cumq; uerbis dei indigni fuerint, fictura præcipitur uti, ut in aliquo lateritio lapide depingat urbem Hierosolymã cum ipsa obsidione, & munitionibus cõportatis quoq; aggeribus circũdatã in gyro, & arietibus murum impellẽtibus, per quæ omnia urbs Ierusalem capi solẽt. Hoc aũt dicitur, ut significetur urbis Ierusalem sub Sedechia rege uicina captiuitas, cuius anno XI. & rex & ciuitas capta est. Vbi notandũ iuxta stilũ prophe ticum dici, Obsidionẽ pone, ædifica uallũ, effunde aggerem, circũpone castra, aliud nõ uelle q̃ sic oĩa pingere.

3 Et tu sume tibi sartaginẽ ferreã, & pones eam murũ ferreũ inter te & inter ciuitatẽ: & obfirmabis faciem tuam ad eam, & erit in obsidionẽ, & circundabis eam: signum est domui Israël.

Signum

Quæ ad manũ erat ferrea ſartago, qua & frixuræ parantur, interponi iubetur inter uultũ prophetæ, & pectum in latere urbem, deſignãdo grandem iram dei, quæ nullis precibus fatigari, & ad miſericordiã flecti poßit, quamlibet natura clemens ſit deus, & multæ miſericordiæ, ſed & uerax & iuſtus. Omnis enim multitudo iudaica breui frangẽda erat, & redigẽda in nihilũ. Obſtirmatio autẽ uultus contra urbẽ, ſcueritatis diuinæ indicium eſt, iuxta illud, Facies domini ſuper faciẽtes mala domui Iſraël, alibi ſolũ dicitur, Hoc eſt Ieruſalem, ut ſcripturæ loquationes tandem certius diſcamus.

4 ¶ Et tu dormies ſuper latus tuũ ſiniſtrũ, & pones iniquitates domus Iſrael ſuper eo: numero dierum quibus dormies ſuper illud, & aſſumes iniquitates eorum.

5 Ego autẽ dedi tibi annos iniqtatis eorũ, numero dierũ trecẽtos & nonaginta dies: & portabis iniquitatem domus Iſraël.

6 Et cum cõpleueris hæc, dormies ſuper latus tuũ dextrũ ſecũdo: & aſſumes iniqtatẽ domus Iuda quadraginta diebus: diẽ pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.

7 Et ad obſidionem Ieruſalem cõuertes faciem tuam, & brachiũ tuum erit exertum: & prophetabis aduerſus eam.

8 Ecce circundedi te uinculis: & nõ te conuertes à latere tuo in latꝰ aliud, donec compleas dies obſidionis tuæ.

Aliud ſignum propheticũ, ſimiliter quinto anno regis Sedechiæ iniunctum eſt prophetæ, ut trecentis & nonaginta diebus, ueluti dormiens iaceret ſuper ſiniſtrum latus, taliq; moleſtia grauaretur propter peccata regni Samariæ uel Iſraelis, quæ duraſſe tot annis, quibus in libris Regum & Iudicũ leguntur feciſſe malũ in oculis domini, & ſeruiſſe ſuis hoſtibus, ſcilicet à temporibus Ioſue uſque ad Samſon annis centũ & undecim. Aliquot enim annis non ſeruiebãt ſub iudicibus: deinde ſub regibus à Ieroboam filio Nabat uſque ad nonum Oſeæ ducentis & quadraginta annum, quorũ ſumma trecenti quinquaginta duo. Anni uerò reliqui triginta octo ſumuntur à Samſone ad Heli. Hæc ſecundũ moderniores Hebræos. Quadraginta quoque alios dies dormire iubetur propter impietatẽ regni Iuda, maximè ſub quadraginta annis Manaßis, propter quæ prophetatũ eſt, Ieruſalẽ deſtruendã implacabili ira dei: uel ſecũdũ alios propter uiginti duos annos Achab, Amon duos, Ioakim undecim, Sedechiæ quinque. Summa autem utrorumq; dierũ quadringẽti triginta. Tot itaq; diebus obſeſſa eſt Ieruſalem, à prima cœpta obſidione uſque ad cõflagrationem templi & urbis, quos dies repræſentare iuſſus eſt propheta, iacendo uinctus catenis, ut ſe de latere ad latus mouere nõ poſſet, ſiue id per uiſionẽ ſibi id facere uiſus ſit, ut Iudæi putãt, ſiue re uera egerit, quod minus eſt ueriſimile. Veteres autẽ Hebræi ante D. Hieronymi tempora, intellexerũt quadringentos triginta annos duraturam captiuitatẽ Romanã, poſt quam redimẽdos ſe docebant, cum poſt tot annos interim mille & amplius annis duret. Arbitrati ſunt enim nõ diutius duraturam, quàm tempus Aegyptiacæ habitationis, quod in Exodo ſcribitur, quadringentorum triginta annorum. Aliter D. Hieronymus hunc paſſum difficillimũ expedit, quem ordinaria gloſſa ſequitur.

Tempora peccatorũ.

9 Et tu ſume tibi frumentũ, & hordeũ, & fabam, & lẽtes, & miliũ, & uitiã: & mittes ea in uas unũ, et facies ex eis tibi panes numero dierũ quibus dormies ſup latus tuũ trecentis & nonaginta diebꝰ comedes illud.

10 Cibus aũt tuus quo ueſcẽris, erit in pondere uiginti ſtateres in die: à tempore uſq; ad tempus comedes illud.

11 Et aquã in mẽſura bibes, ſextã partẽ hin: à tempore uſque ad tempus bibes illud.

Iubetur propheta futurã famẽ & inopiã populi Iſraël ſuo cibo & eſu demõſtrare, qui & pollutum ſint inter gentes panem comeſturi, quia legem domini ſint negleCibus poꝑlutus.
cturi, & immundo cibo alendi. Aliqui quidem tantum trecentis & nonaginta diebus uel annis, alij uerò annis multò pluribus exulant ab illo tempore, quorũ maxima pars ſub Cyro redire contempſit, & inter gentes commixti, didicerunt opera eorum, quorũ tamen quidã & non pauci ad prædicatũ Euangeliũ promiſſum Meßiam agnoſcentes, redempti ſunt à captiuitate tam corporali quàm ſpirituali. Mittit autem propheta, frumentũ & hordeũ, fabam, lentem & miliũ, auenamq; in unũ uas, facitq; trecẽtos nonaginta panes, quos per ſingulos dies comedat, quorũ unus decem tantũ uncias habeat, quo trahitur magis anima quàm ſuſtẽtetur. Quia autem ſterilitatem cibi, aquæ auget ſterilitas, ſextã partem hin bibere iubetur, modicã ſcilicet portionẽ, ut uictus iſte prophetalis nõ uires tribuat, ſed mortem tantũ prohibeat. A tempore uſq; ad tempus, locutio eſt: ueluti ſi dicatur, à ueſpere uſq; ad ueſperã, non ab anno in annũ. Sicli uel unciæ magnitudinẽ alijs tractandam relinquo.

12 Et quaſi ſubcineritium hordeaceũ comedes illud: & ſtercore quod egredit de homine, operies illud in oculis eorum.

13 ¶ Et dixit dominus, Sic comedẽt filij Iſrael panem ſuum pollutũ inter gentes ad quas eiẽciam eos.

Humano ſtercore ueluti ſubcineritium operiri iubet, Humanum ſtercus.
nõ ignorãtibus his qui ipſum comeſturi ſunt, quo maior adſit nauſea, & edentis miſeria. Iudaicus autẽ populus, uſq; hodie ueſcitur phariſaico fermento, ſubcineritijſq; panibus traditionũ humanarũ, quas pluris faciunt lege dei, iumentorũ potius pabulo ſuſtentati, quàm pane angelorum uerbo dei mundo, conuertente animas.

14 Et dixi, A, a, a, dñe deus, ecce aĩa mea nõ eſt polluta, & morticinũ & laceratũ à beſtijs nõ comedi ab infantia mea uſq; nũc, & nõ eſt ingreſſa in os meũ caro immũda.

Non contradicit imperio domini, ſed deprecatur, & cauſam reddit cur hoc facere non poßit, quia antea horrorem aſpectus ſuſtineat, quàm guſtus nauſeam. Impe-

trat ergo quod rogauerat, & sententiæ austeritas mitiori imperio temperatur.

15 ¶ Et dixit ad me, Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis: & facies panem tuum in eo.

Pro humano stercore boum fimus conceditur, quia leuiora mala ferunt, dum idolis non seruiunt, nec uaria dæmonum portenta uenerantur, sed fimo bubali fruuntur, dum omnia propter carnem & uentrem, & terræ huius bona operantur.

16 Et dixit ad me, Fili hominis, ecce conterã baculũ panis in Ierusalẽ: & comedẽt panẽ suũ in põdere, & in solicitudine: & aquam in mensura, & in angustia bibent:

Quod operẽ futurũ mõstrauerat, uerbis quoq; prædicit, inediam scilicet ciborũ in Ierusalem, & aquæ increbilem penuriã, ut cõsistere secũ nemo possit, sed contabescãt pariter, dum quilibet magis in proximo, quàm in seipso auxiliũ sperat, pro iniquitatibus suis tanta patientes, qui in iniquitatibus obsorduerũt. Talis in Ierusalẽ toties fames sentitur, quoties panis uitæ uerbũ dei, canonica doctrina negligitur, & siliquis porcorum humanis traditionibus fideles nutriuntur.

Fames in ecclesia.

17 ut deficientibus pane & aqua, obstupescat unusquisq; ad fratrem suum, & contabescat in iniquitatibus suis.

Vereor, ait Hieronymus, ne ista panis cõtritio etiã in nostra inueniatur Ierusalẽ, in qua uisio pacis cernitur, quem cõteret dñs, quoniã irascitur & indignos nos iudicat suo pane. Atque utinã saltem in pondere eum & solicitudine mereamur accipere & arentem linguã nimia siccitate extremus Lazari digitus irroret.

¶ CAPVT V.

1 ET tu fili hominis, sume tibi gladium acutũ, radentẽ pilos: assumes eũ tibi, & duces per caput tuum, & per barbã tuã: & assumes tibi statẽram põderis & diuides eos.

Aliud paradigma ad futurã tunc Hierosolymæ uastationem, undecimo Sedechiæ anno, dum post longã obsidionem maxima pars peste obijt & fame: altera prope muros urbis & in circuitu gladijs occisa est: tertia pars autẽ dispersa est per uarias captiuitates, quorũ minima pars quædam in Aegyptum fugiens ibidem occisa est à Babylonio rege, quem illuc fugerant, ut patet ex Ieremiæ ultimis capitibus. Et est admodum clara prophetia huius loci, Visio quidem uel reuelatio paradigmatis de crinibus, deinde ad longũ declarata. Rasura barbæ & capitis, signum per se erat adflictionis & calamitatis. Diuidit autẽ in pondere, ut iudicia dei differentia indicet impẽdentia Iudæis, qui adhuc Hierosolymis promittebant sibi felicia, contra uerbum dei.

2 Tertiã partẽ igni cõbures in medio ciuitatis, iuxta completionẽ dierũ obsidionis: & assumes tertiã partem, & cõcides gladio in circũitu eius: tertiã uerò aliã disperges in uentum, & gladiũ nudabo post eos.

Qui intra urbem igne comburendi notantur, ij sunt, qui fame, peste & ruina domorũ, & adustione absumpti sunt, post impletos dies obsidionis: de reliquis duabus partibus iam dictum est.

3 Et sumes inde paruum numerũ: & ligabis eos in summitate pallij tui.

4 Et éx eis rursum tolles, & proijcies eos in medio ignis, & combures eos igni: ex eo egredietur ignis in omnẽ domum Israel.

Pauci ij qui relicti fuerant cum Godolia, & tandem cum Ieremia abducti sunt à Iohanna filio Careæ, contra mandatum domini in Aegyptum, ubi ferè omnes oppressi sunt, & uoluti igne absumpti.

5 ¶ Hæc dicit dominus deus, Ista est Ierusalem, in medio gentium posui eam, & in circumitu eius terras.

6 Et cõtempsit iudicia mea, ut plus esset impia quàm gentes: & præcepta mea ultrà quàm terræ quæ in circumitu eius sunt: iudicia enim mea spreuerũt, & in præceptis meis non ambulauerunt.

Hoc paradigma Ierusalem est, id est, significat statum, in quo tunc erat, & quæ passura Ierusalẽ, quam ãs posuit sibi electũ locũ, ueluti orbis umbilicũ, & habitabilis terræ mediũ. Ab oriente habet maiorẽ Asiam, ab occidente Europam, à meridie Libyam & Africam, à septentrione Scithiam, Armeniã, & Ponti nationes, in uicinia quibus itaque notus deus, omnes in circuitu nationes illius exempla sectari debebãt, sed ipsa omniũ in circuitu gentium positarũ impietates secuta est, & blasphemiæ scandalum transmisit ad uniuersas. Nõ dissimulanda locutio scripturæ, Hæc Ierusalem, id est, significatio ista & prophetia repræsentat statũ Hierosolymæ & fata eius iuxta dei iudicium de illa, superstitiosior & sacrilegijs addictior facta omnibus alijs, quarũ nulla sic deos mutauit unquam, ut Israelitarũ populus, tandem etiã Iudæi, & ipsa Hierosolyma: ideoq; plus impia dicitur omnibus, ingratior deo suo, quarũ nulla tanta susceperat beneficia à dijs suis ut Iudæi à domino deo suo.

7 ¶ Idcirco hæc dicit dominus deus, Quia superastis gentes quæ in circumitu uestro sunt, & in præceptis meis non ambulastis, & iudicia mea non feciſtis, & iuxta iudicia gentiũ quæ in circumitu uestro sunt non estis operati:

8 ¶ Ideo hæc dicit dominus deus, Ecce ego ad te, & ipse ego faciam in medio tui iudicia in oculis gentium:

9 & faciam in te quæ non feci, & quibus simila ultrà nõ faciã propter omnes abominationes tuas.

Omnes in circuitu nationes gentilium uos Israelitæ uicistis uestro scelere: illi naturali tantũ lege aãmenti, iustitiam coluerũt, uos traditam à deo magnifice legem in scriptis, & simul naturalis legis iustitiã prodidistis: ideo non per angelos ut Sodomam, sed per meipsum ipse dicia de uobis faciã, pœnasq; sumam insolitas, quas nec

ante feci, nec ultra faciã. Seruus enim domini uoluntatẽ sciens & non faciens, uapulabit multis. Similia, inquit, non faciã: maiora autem à Iosepho passi scribũtur, nimirum ob crimen enormius occisi filij dei.

10 ¶ Ideo patres comedent filios in medio tui, & filij comedẽt patres suos, & faciã in te iudicia, & uentilabo uniuersas reliquias tuas in omnem uentum.

Exaggeratio Africtionũ.

Vbi decora sunt, & honesta ac pro merito corũ qui sustinẽt, seipsum deus facere profitetur, ut in præcedẽti sententia. Vbi aũt nimiũ tristia & ferè indigna clemẽtiæ dei, dicit quidẽ fieri, sed non à se, ut hic, in Regum uolumine, & Iosepho à matribus filios deuoratos legimus. Quãdo aũt patres filios comederint, uel filij patres, nulla narrat historia, nisi fortè nõ omnia scripta sint, quæ cõtingere tñ potuerint: ideo cõminãtur. Exaggerationẽ huiusmodi ex usu prophetarũ iamdudum didicimus, est enim frequẽtissima. Reliquias dispersas in oẽm uentum tradit historia & experiẽtia. Tunc etiã in Aegyptũ, Babel, Moab, Amon, Edom fugerunt, qui potuerũt. Et hoc est in omnem uentum capillorũ barbæq; dispersio.

11 Idcirco uiuo ego dicit dñs deus, Nisi pro eo quòd sanctũ meũ uiolasti in omnibus pollutionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis:

12 ego quoq; confringã, & non parcet oculus meus, & non miserebor.

Pollutum sanctuariũ meũ uestris spurcitijs & offensionibus legis, quibus electũ meũ locum prophanastis, procul dubio abijciã, & uastabo sine misericordia, nulla habita ratione nominis mei uel honoris, cum suis sacerdotibus & toto statu Leuitico. Idipsum quoq; ecclesiarum magistris expectandũ, si nõ quæ Iesu Christi, sed quæ sua quæsierint, et abusu sacrorũ polluerint populũ, quem sanctificandũ susceperũt uerbo & exemplo.

13 Tertia pars tui peste morietur, & fame consumetur in medio tui, & tertia pars tui in gladio cadet in circũitu tuo: tertiã uerò partem tuam in omnẽ uentũ dispergam, & gladium euaginabo post eos.

14 Et cõplebo furorẽ meum, & requiescere faciam indignationẽ meam in eis, & consolabor, & scient quia ego dominus locutus sum in zelo meo, cum impleuero indignationem meam in eis.

Clarius interpretatur capillorum tribus põderibus diuisionũ parabolã. Cõpletur aũt ira, dum uindicta mali exigetur: & quiescit, dũ perfecta uidetur. Quæ omnia de deo secundũ humanas adfectiones dicũtur. Zelus aũt sub metaphora uiri & uxoris accipitur, q quãdiu uxorẽ diligit. Zelotypus est: si neglexerit, dicit illud qđ' in cõsequentibus, Zelus meus recedet à te, & ultra nõ irascar tibi. Superstites aliorũ mortibus, suisq; miserijs, sentient iratum deum, quem clementem reuereri noluerant.

15 Et dabo te in desertũ & in opprobrium gentibus quæ in circũitu tuo sunt, in conspectu omnis prætereuntis.

16 Et eris opprobriũ & blasphemia disciplina & stupor in gentibus quę in circumitu tuo sunt, cum fecero in te iudicia in furore & in indignatione, & in increpationibus iræ ego dominus locutus sum,

Æquum est Ierusalem ob uitia desolari & redigi in desertum, quæ cæteris uirtutũ exemplar instituta, quod non præstitit, fiat miseriarum speculum, ut est hodie, & iamdudum omnibus in orbe gentibus: ut uideãt sibi non parcendũ insititijs oliuis, si peculio suo non pepercit, & electæ urbi præ alijs.

17 quãdo misero sagittas famis pessimas in eos, quæ erũt mortiferæ, & quas mittã ut disperdã uos, & famem cõgregabo super uos, & conterã in uobis baculũ panis.

18 Et immittã in uos famem & bestias pessimas usque ad internecionẽ, & pestilẽtia & sanguis transibũt per te, & gladiũ inducã super te, ego dominus locutus sum.

Quicquid malorum sustinemus in seculo, propter nostra solet uenire peccata. Fames autem in populum dei deus mittit propter peccata, non solum panis & cibi corporei, sed etiam audiendi uerbi dei: dum paruuli in ecclesia panem cupiunt, & non est qui frangat, nisi quisquilias: quam certè famem mors sequitur animarũ, dũ anima desolatur, & caret solatio uerbi dei, moresq; ecclesiæ deprauãtur, subintrantibus interim prauorum dogmatũ & traditionũ humanarũ & philosophicarũ doctoribus, qui ex fidelibus faciunt gentiles, & ex pijs hypocritas: ut inde infinita succrescant mala, si uerbum domini cesset in ecclesia, ut probãt nostra tempora. Fames uaria.

¶ CAPVT VI.

1 ET factus est sermo domini ad me, dicens:

2 Fili hominis, pone faciem tuam ad montes Israel, & prophetabis ad eos,

3 & dices: Montes Israel audite uerbũ dñi dei: hæc dicit dñs deus mõtibꝰ & collibus, rupibꝰ & uallibus, Ecce ego inducã super uos gladiũ, & disperdam excelsa uestra,

4 & demoliẽtur aras uestras, & cõfringentur simulachra uestra, & deijciam interfectos uestros ante idola uestra.

Prophetarũ primum studiũ esse debet trahere & solicitare electos ad cultum & amorẽ unius & ueri dei, contra idololatriã & omnem externum cultum, & ne patiantur corda hominũ diuagari per creaturas, nec alicui quatenus spem & fiduciam collocandam in alio, quàm omniũ creatore. Nihil æquè dño displicuisse uidemus in populo suo atq; cultum creaturarum, & multitudinem excelsorum. Ideoq; tanta diuorum apud nos ueneratio, sacellorũ ac templorũ in mõtibus, collibus, rupibus, & uallibus nostris frequentatio, non potuit nisi à malo ortum habuisse: quod si non ex sacris literis didicissemus, ex fructibus saltem clarere potuerat. Quumq; Apostolus docuerit, quis sit altare, sacerdos, & hostia unica Studiũ prophetarum. Idololatria.

Romæ una ara olim.

pro peccatis omnium fideliũ, & olim etiam Romæ una tantũ lignea ara fuerit, quomodo fieri potuit, ut tunc ecclesiæ sacrosanctæ defuerit aliquid quod acceperit postea? nisi quæstus pro pietate, & fastus pro simplicitate, luxusq; pro modestia, nisi quoq; neglectus uerbi dei, & humanarũ traditionũ imposituræ regnasset, & pro multitudine sacrificulorũ in templis ararum pluralitas erecta esset, & diuorũ patrocinia. Quid enim similius fieri potuit ei transgressioni, quam hic propheta à dño iubetur hostili inuasione damnare suo nomine, quam fieri proh pudor uidimus, & quam subuerti iubet dñs & prædicit, excelsorũ & ararũ superstitionem impiã, quæ nec seipsam defendere potest nec cultores, quin cadant & pereant sacerdotes cum templis, ut olim?

5 Et dabo cadauera filiorũ Israël ante faciẽ simulachrorũ uestrorum, & dispergã ossa uestra circa aras uestras,

6 in omnibus habitationibus uestris. Vrbes desertæ erunt, & excelsa demolientur, & dissipabuntur, & interibũt aræ uestræ, & confringentur, & cessabũt idola uestra, & conterentur delubra uestra, & delebuntur opera uestra.

7 Et cadet interfectus in medio uestri, & scietis quia ego sum dominus.

Completam Hierosolymis hanc prophetiã Babyloniæ dictã, acta probãt, & Ieremiæ historia, & libri regnorum. Quid enim aliud factum est ruinis templorum & ædiũ, quam ararũ subuersio & sepulchrorũ circa aras, & delubra diuis dicata, multis laboribus & impensis in uanũ exantlatis, ut liquidò cernerẽt stultitiam suam, & uanitatẽ idolorũ, & quod præter dominũ omnium creatorẽ alius nõ sit deus omnipotẽs colendus uel inuocandus, cuius prouidẽtia omnia reguntur?

Ararum subuersio.

8 Et relinquã in uobis eos q̃ fugerint gladiũ in gẽtibus, cũ dispersero uos in terras.

9 Et recordabuntur mei liberati uestri in gentibus ad quas captiui ducti sunt: quia cõtriui cor eorũ fornicãs & recedẽs à me, & oculos eorũ fornicãtes post idola sua: & displicebũt sibimet super malis quæ fecerant in uniuersis abominationibus suis,

In ignominiã uestrã, & meã gloriã proiiciã uos è terra uestra, in orbẽ uniuersum, ut sitis ibi cõtumelia, opprobrium, cõfusio, exibilatio omnibus, ob uestrã contumaciam contra legẽ meã. Ibi exules & gladiũ uix euasi, uexatione erudiemini ad mentẽ meliorẽ promouẽdi, ut miseri agnoscatis deũ, quem tot beneficijs obruti, & felices colere noluistis: ibi pœnitebit fornicationũ & defectionis à me: ibi intuebimini uanitates sacrilegiorum uestrorum: ibi displicebitis uobisipsis, & ueritatẽ prophetarũ uestro malo sentietis: ibi oẽs Mosis imprecationes patiemini, & iustũ circa uos dei iudiciũ, tam uos quàm totus orbis agnoscet: ibi digna cõfusione operiẽtur frontes uestræ, quæ nunc ferreæ erubescere nolunt.

Exemplum Iudaicum.

10 & scient quia ego dñs nõ frustra locutus sum, ut facerem eis malum hoc.

Tam bonus dominus est, ut mala fieri in orbe nõ sinat, nisi inde meliora reponere destinasset, cui hoc pararet, nisi inde meliora reponere destinasset, cui hoc pacto omnia seruiũt, & sanctæ uoluntati ad gloriã suam, & ad salutem electorũ: ideoq; nihil ei malum quod fit. Ex peccato enim Iudæorũ salus cõtigit omnibus gentibus, etiã Iudæis cessit in hoc saltem bonũ, ut non solum ipsi idololatriã abiecerint, sed gentibus omnibus prædicarint euangelium salutis & ueritatis in Christo, ad quam apostoli suas in primis scripserunt epistolas, qui & primitiæ fuerunt ecclesiarũ ex gentibus. Deniq; iustitiam dei erga se fateri didicerunt, culpam agnoscere, & uoluntatem uerborum dei credere, uel inuiti tandem edocti sunt, & mores emendarunt.

11 ¶Hæc dicit dñs deus: Percute manu tua, & allide pedem tuũ, & dic Heu, ad omnes abominationes malorũ dom⁹ Israël: quia gladio, fame & peste ruituri sunt.

12 Qui longè est, peste morietur: qui autem propè, gladio corruet, & qui relictus fuerit & obsessus, fame morietur, & cõplebo indignationem meam in eis.

13 Et scietis quia ego dominus, cum fuerint interfecti uestri in medio idolorũ uestrorũ in circumitu ararũ uestrarũ, in omni colle excelso, & in cunctis summitatibus montium, & subtus omne lignũ nemorosum, & subtus uniuersam arborẽ frondosam: locum ubi accenderunt thura redolentia uniuersis idolis suis.

Eadem repetuntur, addita tantum indignatione uocis & gestuũ, pro rei maxima indignitate, ut magnitudinẽ peccatorũ iubeatur propheta manibus pedibusq; monstrare, habitu stupentis & plorantis, complosione manuum, & pedum allisione ad terrã. Vbi autem peccauerunt, ibi & punientur. Quotidie fidem mutarant, omni uento doctrinæ circumferebantur, & diuertebantur à uero deo per uaria idola, legem dominum uitabum uitæ abiecerant, delitijsq; carnalibus insistebant, ideo gladio, fame & peste dignè puniuntur. Vbique deus inueniet reos suos, non effugient. Declarantur autem huiusmodi loca gestis historijs, & oculata fide cernuntur, ut nihil certius cognoscatur, quàm quod dictum peccata eisdem uindictis uisitari necesse sit, & sic fiat, ut à nemine impediri possit iustum iudicium dei circa eos, qui contra uerbum domini, doctrinas uel mores eri gere tentarunt.

14 Et extendam manũ meã super eos, & dabo terrã desolatã & destitutam à delectu ciam terrã desolatã & destitutam à delectu Deblatha in omnibus habitationibus eorum, & scient quia ego dominus.

Quomodo olim Iudæorũ idololatria, excelsa, aræ & quicquid erexerant contra deum esse iudicata sint, nemo ignorat. Et quid postea Christianorum superstitio meruerit, & quam ferat uindictam ultionis diuinæ, & non uidet cæcus est, nisi nesciat quid iam à septingentis annis decesserit diuorum cultoribus, in Africa, Asia & Europa. Nihil dicendum est illis qui hæc uidere

dere non possunt & iudicare contemnunt, & qui non intelligunt iudiciũ domini, qui solus sciri & coli uult, & quem misit saluatorem mundi, Messiã & Christum dominum nostrum. Extendere manus hic non beneficia porrigere, sed ferire significat.

¶ CAPVT VII.

1 Et fact' est sermo domini ad me, dicens:

2 Et tu fili hominis, hæc dicit dñs deus, terræ Israël, Finis uenit, finis super quatuor plagas terræ.

3 Nunc finis super te, & immittã furorem meũ in te: & iudicabo te iuxta uias tuas: & ponã cõtra te oẽs abominationes tuas.

4 Et non parcet oculus meus super te, & nõ miserebor: sed uias tuas ponã super te, & abominationes tuæ in medio tui erũt: & scietis quia ego dominus.

Cũ Ezechiel prophetare cœperit quinto anno Zedechiæ captiuus in Babylone, & anno nono obsessa fuerit Ierusalẽ, perspicuũ fit, ingruentẽ iam captiuitatẽ prædixisse, non solius urbis Ierusalẽ, sed totius terræ & monstrum uastationẽ: eo tamen orationis filio, ut prophetia uideatur esse cõminatoria ad omnem multitudinẽ gentium toto in orbe nolentem conuerti ad cõmonitionem prophetarũ, iam aũt ingruere finem & cõsumationem terræ Israël. Dominiq; furorẽ immittendũ prædicit, plenum æquitatis atque rationis, ut eam iudicet secundum uias & demerita, propter abominationes, ut resipiscat & intelligat quid mali gesserit. Clementissimus autem medicus non pareit incidendo putridas carnes, & cariosa uulnera aduerit cauterio, ut non miserendo magis misereatur: totius quoq; conuersationis eius processum dominus noscens, rependit illi & dignè punit. Abominationes aut ẽ in medio tui erunt, hoc est, uindictas sentiet pro tua idololatria, & ex pœna peccatorũ iustitiã meam disces, & impietatem agnosces.

Medicina dei optimi.

5 ¶ Hæc dicit dominꝰ deus, Afflictio una, afflictio ecce uenit:

6 finis uenit, uenit finis, euigilabit aduersum te: ecce uenit.

Extremum peccatorum tempus aduenerat, quo effugere dei sententiam, quam longo tempore merebatur, non poterat Israël. Post cõpleta enim peccata, sicut & Amorrhæorũ, suppliciũ differendum non erat, mensura enim patrum impleta erat. Ideo nõ iam futura prædico, sed præsentia ostendo, atq; digito uelut demõstro. Dormitare tibi uindicta uidebatur, & quiescere, repentè nunc euigilat contra te, expergiscituraq;.

7 Venit cõtractio (complexio) super te, qui habitas in terra: uenit tempus, prope est dies tumultus, & nõ gloriæ (echo) montium.

Complexio, filum, fatum tuũ imminet, ô terræ totius habitator, quòd semper pauidus tibi uenire metuebas: textura scilicet & collectio malorũ omnium te apprehendet, malis cingeris ut corona, contextum malorum omnium indues, angustia adest & tumultus, omnia plena nociferatione nõ uindemiantium sed barbarico. Vel sic: Prope dies adest pauoris, festinationis & perturbationis. Et non clamor montium: non erit inanis fama ingruentis mali, non cassus clamor speculatorũ in montibus: hoc est prophetarum præmonitio minimè spernenda est uobis.

8 Nunc de propinquo effundã iram meã super te, & complebo furorẽ meum in te: & iudicabo te iuxta uias tuas, & imponã tibi omnia scelera tua.

9 Et nõ parcet oculus meus, nec miserebor (sed) uias tuas imponam tibi, & abominationes tuæ in medio tui erũt: & scietis quia ego sum dominus percutiens.

Exponitur clarius calamitas impendens incredulis, ad inculcandum diligentius, eisdem ferè uerbis prophetico more, quem & prædicatores sectari oportet, ad populum tardius obaudientem & se conuertentem. Fortassis repetitio huiusmodi indicat duplicem terræ uastationem, unam quidem propinquiorẽ, post biennium scilicet, sub Zedechia, aliam tardiorem per Romanos, sed diuturniorem.

10 Ecce dies, ecce uenit: egressa est cõtractio (cõplexio) floruit uirga, germinauit superbia.

11 Iniquitas surrexit in uirgam impietatis: non ex eis, & non ex copia eorum, neque ex sonitu eorum: & non erit requies (planctus) in eis.

Iam nunc dies fatalis uester uenit, egressus est rex Babylonis, uirga qua percutiẽdi estis iam creuit, exerta est & imminet, latius pœnitentiæ tempus nõ dabitur. Creuit enim in immensum superbia uestra contra dominũ, cui debitum cultum subtrahitis, & eum idolis exhibetis, cuius uerbum ex prophetarum ore respuitis. Iniuria & iniquitate ad proximum increuit, & eatenus profecit in peius, ut suo se pondere opprimat, & subsistere non possit, propter quam & in totum euacuabitur terra, hominibus & iumentis: nec filij restabunt nec nepotes, præq; magnitudine & multitudine malorum dignè plangi non poterunt, nec sufficient lachrymæ uiuentium ad mortuos plangendũ, deq; uniuerso populo nulli residui erunt, & qui uidebantur euasisse in Iudæa, occidentur in Aegypto.

Fata peccantium.

12 Venit tempus, appropinquauit dies: qui emit, nõ lætetur: & qui uendit, nõ lugeat: quia ira super omnem populum eius.

Hæc ut clarissimè euenisse Iudæis sciuntur, frustratis laboribus, priuatisq; possessionibus: sic semper recogitanda auaris, non diu potentibus frui rebus, tanto labore curaq; corrasis. Nihil enim in humanis rebus perpetuum, tempus breue est, & præterit figura mundi, & labitur iugiter, nunquam in eodem statu permanẽs. Alius possidebit, te inuidente, quæ tibi congesseras, & de re amissa uenditor non tristabitur, iam enim fuerat amittenda hostibus diripiẽtibus omnia. Hæc autem tam uisio prophetica quàm ira domini prophetata, ad omnẽ dirigitur multitudinẽ, ut sine respectu personarum, mi

nimi cum maioribus, diuites cum pauperibus capiendi sint, uel occidendi.

13 Quia qui uẽdit, ad id quod uẽdidit non reuertetur: & adhuc in uiuẽtibus uita eorum: uisio enim ad omnẽ multitudinem eius non regredietur: & uir in iniquitate uitæ suæ non confortabitur.

Si quis nunc uendit peculiũ uel hæreditatem, non arbitretur se unquam etiã post iubileũ, quinquagesimum scilicet annum, recuperaturũ illud. Sic enim omnia hostis diripiet, sic omnia uastabuntur, ut nulla tunc sit legitima reditio uel possessio locũ habitura. Quin & non tot homines uiuent in ea, ut terra illis colenda mandari possit, & si suo tempore adhuc uiuent homines, non tamen sufficient ad possessionem. Sic enim uisio portendit totius multitudinis cõfusionem, ut in integrum restitui non possit sors hæreditatũ ut fuerat, ipsa quoque uisio irrita fieri nõ poterit, sed propediem explebitur, & in longos dies minime protelabitur: nemo quoq; in iniquitate sua sese tueri, conseruare corroborareq; poterit, quo minus digno iudicio feriantur omnes.

14 Canite tuba, præparẽtur omnes, & non est qui uadat ad prælium: ira enim mea super uniuersum populum eius.

15 Gladius foris: & pestis & fames intrinsecus. Qui in agro est, gladio morietur: & qui in ciuitate, pestilẽtia & fame deuorabũtur.

16 Et saluabũtur qui fugerint ex eis: & erũt in mõtibus quasi columbæ conualliũ oẽs trepidi, unusquisq; in iniquitate sua.

17 Omnes manus dissoluentur, & omnia genua fluent aquis.

Præcipitur prophetico more, ut omnes ad signũ clangoris & buccinæ præparẽtur, qui Babyloniorũ possint resistere fortitudini, sed nihil profuit imperasse, cum nõ sit qui prodire audeat, uiribus eneruatis omniũ, iudicio dei, qui sic eos punire statuit, ut impediri neutiquã possit, propter peccata illorũ: siue enim foras prodeãt, gladio occidentur: si intro remaneant, peste & fame deuorabuntur. In summa, nemo euadit manũ domini, etiamsi in montes & prærupta fugerint, illic quoq; apprehendentur ab hostibus: & pauore consternati memoria erminũ, toti dissoluẽtur, ut nec genubus cõsistere possint, nec manibus ferire hostem, uel uitã tueri, summo indecoroq; pauore correpti, usq; ad urinæ profluuiũ. Ciliciis quoque accincti trepidabũt ad omnia, quia sine timore dei semper peccare ex malitia ausi sunt.

Manum domini euadit nemo.

18 Et accingẽt se ciliciis, & operiet eos formido: & in omni facie cõfusio, & in uniuersis capitibus eorum caluitium.

Habitus est lugendi populis orientalibus, & dolorem testandi, ut nobis pullis indui uestimẽtis & nutrire barbam, uarius secundũ loca & tempora.

19 Argentũ eorum foris proiẽcietur, & aurum eorum in sterquilinium erit. Argentum eorum & aurum eorum non ualebit liberare eos in die furoris domini. Animã suam non saturabũt, & uentres eorũ non implebuntur: quia scandalum iniquitatis eorum factum est.

Coacti fuga & hostibus diuitias abijcient in platẽis, suas tantũ animas seruare cupiẽtes, ne sine nunc põdere quæ prius fuere luxuriæ. Nec esurientibus succurrit, quia illisi pretiosissimo metallo dentes, ut silice retunduntur. Babylonij quoque aurum non quærent nec pulcabuntur, quo minus diuite occiso libere aurũ quoq; ripiant sibi. Non rarò quoq; mendicantiũ excitã fortunam gloriatur ex fame, qui in serico & gemmis auroq; glorian tur. Non sunt enim propriæ diuitiæ, quibus uir sapiens redimatur, sed Christi ueritas & cõscientia rectitudinis potius sunt, & occasio periculorũ, dum intrepidum uacuus canit coram latrone uiator.

20 Et ornamentum moniliũ suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum & simulachrorum fecerũt ex eo: propter hoc dedi eis illud in immunditiam:

21 & dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, & impijs terræ in prædam, & contaminabunt illud.

Gloriam & splendorẽ ornatissimi templi, de quo sibi plurimum placebant, & non ad pietatẽ frequentabãt, sed ad iactantiã & fastum, olim & iam propediem ut statum uidebũt, cum suis idolis, quibus fœdauerant sanctitatẽ, & ornatu illius ad idololatriã abusi sunt. Vel, diuitias à me illis datas uerterunt in superbiã, ut de quibus eleemosynã ad liberationẽ animarũ suarũ exhibere debuerãt, ex illis sumpserũt causam superbiẽdi. Merito ergo direptioni hostium exponentur, & cõtaminabuntur quæ habebantur sanctissima: ea enim Chaldæi diripient impij milites & scelerati sicarij.

22 Et auertã faciem meam ab eis, & uiolabunt arcanũ meum: & introibunt in illud emissarij, & contaminabunt illud.

Sic illis irascar & abijciã, ut sancta sanctorum quæ exceptis summis sacerdotibus nullius patebãt ingressui, calcanda præbiturus sim impijs & pestilẽtibus de exercitu Babylonis, nec id solum, sed ignibus quoque deuoranda ad conflagrationem totius sanctuarij.

23 ¶ Fac conclusionem: quoniam terra plena est iudicio sanguinum, & ciuitas plena iniquitate.

24 Et adducã pessimos de gentibus, & possidebunt domos eorũ: & quiescere faciam superbiam potentium, & possidebunt sanctuaria eorum.

Prolixi sermonis cõclusionem & epilogum faciat propheta, quia terra Israelitarũ & Iuda susceptu[m] centium plurimorũ sanguinẽ, ut mortis ipsa sit rea, & sitiens sanguinem homicidarum: urbs quoque & magistratus ipse plenus est uiolentia & iniquis iudicijs, quiq; oppressos iniuria uindicare pro officio debebant, hi suapte ferocitate iniurtiã inferunt. Ideo pessimos eorum gentium adducam Babylonios, ut domos nostras possi

possideant, et uos subijciant seruituti, qui depriment po
tenter superbiam, impudentiam, & pertinatiam Iudæo
rum, superbissimas domos illorum diruent, & à sanctua
rio, non iam meo sed eorum impiorum Iudæorum, quia
multipliciter ab ipsis polluto, non sibi temperabunt sed
obtinebunt eum & igne absument. Satius est enim non
esse, quàm tam turpiter pollui nomen domini, & illius
sacrosanctam maiestatem.

25 Angustia superueniente requirent pa-
cem, & non erit.

26 Conturbatio super conturbationem ue-
niet, & auditus super auditum: & quærent
uisionem de propheta: & lex peribit à sa-
27 cerdote, & consilium à senioribus.
Rex lugebit, & princeps induetur mœ-
rore, & manus populi terræ cõturbabun-
tur. Secundum uiam eorum faciam eis, &
secundum iudicia eorum iudicabo eos: &
scient quia ego dominus.

Excisio gentis, loci & templi iam adest, & qui ha-
benus prophetis credere noluerunt, sed templum & pa
cem acclamare consueuerant, hi nunc ueritate perter-
riti pacem implorant, sed non succurrit. Iam pseudopro
phetarum mendacia clarent, sed tarde nimis, qui mature
dominum admonentem audire cõtempserant. Iam ærum
nam sentiunt super ærumnam, calamitatem super cala-
mitatẽ, rumores quoq; semper augentur in peius, de im-
mittẽte uastatore, quem sanctis prophetis credere nolue
runt. Nunc itaq; prophetas quærunt, et non inueniunt,
occiderunt enim & uinculis manciparunt, & qui do-
ceat legẽ domini nõ inuenitur amplius. Sacerdotes enim
non sunt edocti legẽ dei, quam spreuerãt, ideoq; docere
non possunt. Senatores urbiũ, & presbyteri in populo
deprauati moribus, populũ quoq; deprauarunt, & nũc
inopes cõsilio, quomodo rebus turbatis succurrant non
inueniunt. Sic fit dei hostibus, & impietatis patronis,
quantũlibet potentibus, qui uerbum domini abijcientes
incidunt in angustias et lamenta, inuoluuntur toti per-
turbationibus, dum cõsilio & fortitudine magis indige-
rent, unde & populum quoq; pauescere & conturbari
necesse est, cernentem abesse tam consilium quàm auxi-
lium. Sic iudicantur impij iusto dei iudicio. Sancti autem
domini clementiam semper & per omnia experiuntur:
peccatores autem, quem non intelligebant per benefi-
cia, per tormenta cognoscunt dominum esse suum.

CAPVT VIII.

1 ¶ Factum est in anno sexto, in
sexto (mense) in quinta mensis: ego sedebam in domo mea, & se-
nes Iuda sedebant corã me, & ceciditibi super me manus domini dei.

Cohærent capita octauum, nonum, decimum, & un
decimum, de eodem argumento, nempe de scelere idolo-
latriæ, pro quo puniendo multis uisionibus opus erat ut
impij deterrerẽtur. Sextus hic annus à transmigratione
Ioachin supputatur, duobus mensibus & anno sequutus
prioris uisionis tempus. Sextus aũt mensis Hebræis Elul

dicitur, & partim Augusto concurrit. Sedenti sibi apud
seniores Iuda in propria domo uisio ostenditur, cõtra se
niores Iuda, qui adhuc Hierosolymis idola colebant, ma
gis secrete quàm publice. Dificilius enim primores con- Principum
uertuntur ad ueram pietatẽ quàm plebei, fide remissio- tarditas in
res, et ad plures tutelares deos colendos procliuiores. fide.
Hi aũt seniores de tribu Iuda, sedebant corã propheta,
prophetæ uerba audire cupientes, uel insidiantes sermo
nibus eius. Manus autem domini incidens in prophetã,
spiritus est prophetiæ, et impulsus dei ad loquendũ, quæ
aspirabant illi, & ei prædicanda commendabant.

2 Et uidi, & ecce similitudo quasi aspectus
ignis: ab aspectu lumborũ eius et deorsum
ignis: & à lumbis eis, & sursum quasi aspe-
ctus splendoris, ut uisio electri.

Spectrum aliquod diuinitatis uice per angelũ paraba
tur, secundũ beneplacitũ dei, quod quidem solum à pro
pheta cernebatur, nõ ab assidentibus. Voluntariũ enim Speculum
speculum deus est, cum uult uidetur, & quomodo uult. deus est.
Quòd aũt insidẽs iridi ut dicitur (uerior enim uidetur
lectio Græcorũ, qui אריש legerunt, quam Iudæorũ qui
nunc אש, id est ignem legunt) et subtus lumbos igneus
uidetur, significat seueritatem iudicior m dei cõtra im
pios, impuritates cordium humanorum exurens et puri
ficans. Super lumbos aũt electri similitudine, serenitatẽ
significat, & clementiã ad iustos electosq; post hanc ui-
tam, sicut & Heliæ ostenditur primò per turbinẽ horri
bilem, deinde aspectu auræ tenuis & lenissimæ. Hasmal
autem quid Hebræis sit certò nondum constat, non autẽ
angelus est uel Christus, sed mixtum aliquid ex auro &
argento mirifica specie & glorioſa.

3 Et emissa similitudo manus apprehendit
me in cincinno capitis mei: & eleuauit me
spiritus inter terram & cœlum: & adduxit
me in Ierusalẽ in uisione dei, iuxta ostium
interius quod respiciebat ad aquilonem,
ubi erat statutũ idôlum zeli ad prouocan-
dum æmulationem.

Humanæ manus similitudine apprehendi se putat per
uisionẽ, raptus animo propheta, & alienatus mente, li-
cet corpore assideret senibus. Cincinnis aũt transferri,
uidetur esse portentũ uiolentæ captiuitatis imminentis,
quæ translatio nõ corpore, sed spiritu facta est, qua trãs
ferimur cogitãdo quo domino placet. Videbatur autem
sibi per aërem transferri inter cœlum & terram usq;
Hierosolymã, statuiq; ad primũ ostium portæ, per quam
ad interiora introitur, quod scilicet erat ad introitum
atrij extremi, totius ædificij, quod dicitur domus dñi. Ab
ea autẽ parte ingrediebatur, quæ respiciebat Aquilonẽ,
non ab Oriente uel Austro, ab Occasu autẽ ingressus nõ
erat. In illo autem atrio uidebat stantẽ imaginem idoli,
quod zeli dicitur, quia eo dñs prouocetur & irritetur.

4 Et ecce ibi gloria dei Israël secundum ui
sionem quam uideram in campo.

Non delectabatur dominus uel gloria domini uicinia
idoli illius, sed propediem delere uolebat illud, quia con
sensus esse nequit templo dei & idolo. Campus autẽ in

quo se dei uisionẽ habuisse dicit, circa fluuium Chobar erat: similis uisio tunc quoq; prophetæ apparebat, non quidem per omnia, sed quantum ad ea quæ hic narrantur de electro & igne.

5 Et dixit ad me, Fili hominis leua oculos tuos ad uiam aquilonis. Et leuaui oculos meos ad uiam aquilonis: & ecce ab aquilone portæ altaris idôlũ zeli in ipso introitu.

Vel gloria dei quæ apparebat, uel spiritus domini qui in uisione prophetam ex cincinnis transtulerat, dixit, ut ad aquilonarem partem atrij qua ingressus fuerat, uideret statuam Baal, aramq; positã in ipso portæ introitu, ad sacrificia idolo offerenda: habebant enim singula idola suas aras. Ara autem holocaustorũ domini ad orientalem ingressum stabat, in interiori atrio, qui & sacerdotum dicebatur.

6 Et dixit ad me, Fili hominis, putásne uides tu quid isti faciãt, abominationes magnas quas domus Israel facit hic, ut procul recedam à sanctuario meo? & adhuc conuersus uidebis abominationes maiores.

Ne putes indigne templũ destruendũ, & urbẽ subuertendã, dũ huiusmodi abominationes in eo fieri cõspicias ut est hæc, cum tamẽ maiores inspecturus sis, nõ enim finem facient scelerũ, donec constiterit templũ et ciuitas. Lege hoc loco querelas Hieronymi cõtra sui tẽporis episcopos: quid hodie scripturus fuerat uir pius et zelosus?

D. Hieronymi querelæ uidenatur.

7 ¶ Et introduxit me ad ostiũ atrij: & uidi, & ecce foramen unum in pariete.

8 Et dixit ad me, Fili hominis, fode parietem. Et cum perfodissem parietem, apparuit ostium unum.

9 Et dixit ad me, Ingredere, & uide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic.

Ad aliud atrium introducitur, eodem itinere uel ingressu penitius, ubi per uisionẽ sibi foramen ostenditur in muro: iubeturq; perfodere latius, quæ intro sint aspecturus, uelut inuitis impijs ei monstretur sacerdotũ Iudaicorum impostura. Ita & nunc quoq; clarius aspiciuntur pseudoepiscoporũ et clericorũ imposturæ: per quod ostenditur in ecclesijs, & in singulis nobis, per parua uitia maiora monstrari. Vultu enim & oculis dissimulari non potest conscientia, quasiq; per quædam foramina ad abominationes maximas peruenitur, & ex fructibus arbor cognoscitur, quomodo libidinosum, qui sua callide cælat uitia, interdum turpis sermo demonstrat, & auaritiam intus latentem paruulæ rei cupido significat.

Ad scelera penetrare.

10 Et ingressus uidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animaliũ abominatio, & uniuersa idôla domus Israël depicta erant in pariete in circumitu per totum.

Omnis templi parietes diuersis idolorum imaginibus pingebantur, ut nulla esset bestia, quam non parietis pictura monstraret. Hoc in delubris idolorũ phanisq; gentilium hucusq; perspicimus, quòd omnia genera bestiarũ adoret stulta religio, &c. Hæc & alia hoc loco D. Hieronymus. Quid uerò hodie scriberet si uideret Christianorum templa, tot diuorum imaginibus non solum depicta, sed statuis quoq; innumeris & pretiosis, etiam quibusdam ad cultum prostantibus, quod negari nõ potest, & templa occupantibus, ut alicubi quatuordecim tutelares diui una tabula uel una ara uenerentur?

Pictura templorum.

11 Et septuaginta uiri de senioribus domus Israël, & Iezonias filius Saphan stabat in medio eorũ, stantium ante picturas: & unusquisq; habebat thuribulũ in manu sua: & uapor nebulæ de thure consurgebat.

Nimium multa impiorũ presbyterorum caterua per septuaginta intelligitur, qui cũ populũ docere dei legẽ deberent, ipsi cũ suo principe sceleris et sacrilegij, omissa religione dei, colebant idola, & in templo non adorabant deum cuius erat templũ: sed picturas parietũ. Quo ties cum thuribulis uidimus sacerdotes coram diuorum statuis per ecclesiam sedulo circumcursare, candelegia clara luce incendere? Verum moderabantur orationes ad dominum, & dei uicissim misericordiam descendere precabantur, quod sine suffitu & sine imaginibus religiosius fieri potuisset, & minori scandalo simplicium Christianorum, Iudæorum atque Turcarum.

12 Et dixit ad me, Certè uidisti fili hominis, quæ seniores domus Israël faciunt in tenebris, unusquisq; in abscondito cubilis sui: dicunt enim, Non uidet dominus nos, dereliquit dominus terram.

Ex eo quod in tẽplo faciunt pariter congregati, ostendit quid unusquisque in cubiculo faciat, quæ dictu quoque turpia sunt, putãtes se deum posse latere, ut dicant: Non uidet nos dominus, dereliquit dominus terram, quia deum non existimant curare mortalia, nec ad illum nostra uitia pertinere.

13 Et dixit ad me, Adhuc cõuersus uidebis abominationes maiores, quas isti faciunt.

14 Et introduxit me per ostiũ portæ domus domini, quod respiciebat ad aquilonẽ: & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem (Thammuz.)

Post principum & sacerdotum uitia qui in templum posuerant idolũ Baal, picturis ornauerant, & odoribus gratũ reddiderant, hic tertiò inducuntur mulieres plangentes amatorũ sotietate se fraudari, & exultanti fœdo potuerint obtinere. Qui uerò gentiles fabulas subtiliter interpretantur, interfectionem & resurrectionẽ adonis, alij planctu & gaudio prosequentes, quorum alterum in seminibus quæ moriuntur in terra, alterum in segetibus quibus semina mortua renascuntur ostendi putant. Nos quoq; eos qui ad sæculi bona & mala uel contristantur uel exultant, mulieres dicimus, molli & effœminato animo, & plangere Thammuz quæ scilicet in mundo pereuntur pulcherrima. Thammuz alij adustionẽ insimũ intelligunt, alij nomẽ bestiæ, alij mensem unium. Verùm similius Adonidem gentilium, qualia & Priapeia habebantur: quales nimium plures ritus irrepserunt in Christianismum insipientia episcoporum.

15 ¶ Et dixit ad me, Certe uidisti fili hominis

nis:adhuc conuersus uidebis abominationes maiores his.

16 Et introduxit me in atrium domus domini interius: & ecce in ostio templi domini inter uestibulum & altare,quasi uiginti quinq; uiri dorsa habentes contra templũ domini,& facies ad orientem: & adorabãt ad ortum solis.

Quarta abominatio maior prioribus tribus sceleribus,est contempto domino creatore adorare creaturam solis,præcipiente domino per Mosen,nequaquam contra Orientem deum adorare, sed contra sanctum sancto rum. Ne aliud quiddam homo adorare præsumat, quàm dominum deum, qui propter hominem creauit omnia: cum & angeli pati nolint se adorari, sed se conseruos fidelium omnipotentis dei fateantur.

17 Et dixit ad me,Certè uidisti fili hominis: nunquid leue est hoc domui Iuda,ut facerent abominationes istas quas fecerũt hic: quia replentes terram iniquitate,conuersi sunt ad irritandum me? & ecce applicant fœtorem ad nares suas.

18 Ergo et ego faciam in furore: non parcet oculus meus,nec miserebor:& cum clamauerint ad aures meas uoce magna,non exaudiã eos.

Pauperum oppressio.

Super hæc omnia tam enormia crimina, hoc maximũ est,& quod domino uehementius displicet,iniuriã, uiolentiam,dolũ, & oppressionem pauperibus factã in terra. Hæc enim dominũ maxime irritant,qui patrem se getrit uiduarũ, orphanorum, & omniũ à potentioribus oppressorum:id enim odor fœtidissimus domino habetur, naribus suis intolerabilis, non quod grauius sit peccare in homines quàm in deũ, sed quia pauperũ oppressores non essent, nisi prius dominũ in corde negassent,dicentes non esse deum, uel non esse omniũ cognitorem, uel si nosceet tam improba, posse tolerare tam indigna,cũ huiusmodi flagitia in proximos à domino non possint non uehementer puniri. De locis decẽ et octo à Iudæis in suis Biblijs correctis,ex quibus est unus quod hic dicitur,Ad nares eorum,cum olim scriptum fuisse dicant,Nares me as, uide Petrum Galetinum.

CAPVT IX.

1 ET clamauit in auribꝰ meis uoce magna, dicens, Appropinquauerunt uisitationes urbis, & unusquisq; uas interfectionis habet in manu sua.

Enumeratis tot abominationibus Iudæorũ in urbe Hierosolyma & templo,quid aliud superesset, nisi utriusq; uastatio, & impiorũ occisio,quæ consequenter ab Ezechiele proxime futura prophetantur contra eos qui contendebant contrariũ psuadere de ueloci reditu, & quia male egissent qui se sponte cũ Iechonia tradiderant Babylonio. Audisse aũt se fatetur propheta,magna uoce dictum ad quosdam: Iam nunc tempus est,in quo urbis uisitationes et iustæ peccatorum uindictæ,extremumq; fa-

tum cõplenda sint. Adesse enim homines,qui parati sint ad uastandum urbem, & accincti armis, quibus domino sic ordinante resistere nemo possit.

2 Et ecce sex uiri uenieb ãt de uia portę superioris,quę respicit ad aquilonẽ: & unusquisq; uas interitus in manu eius: uir quoq; unus in medio eorũ uestitus erat lineis, & atramẽtariũ scriptoris ad renes eius:& ingressi sunt, & steterunt iuxta altare æreum.

Septem legimus principes Chaldæorũ cum Nabusardan capta urbe sedisse in porta Ierusalẽ, qui hic significari potuerunt sex uiris & septimo: postea lictores missurus præmittit notatores. In uisione autẽ ista angeli domini apparuerunt, quasi parati ad iudicia domini complenda,de quibus disputandũ non est,si boni uel mali fuerint. Operi sancto præfecti fuerant à domino,nempe uim dictã sumere de impia urbe,quã æque sancti angeli perficiunt,ut Sodomæ exitium. Vnus autẽ eorum lineis indutus,& atramẽtario pendente ad cingulũ iuxta lũbos, ministrũ dei principalẽ significat, decretũ sibi officium à domino, & conscriptã sententiã irreuocabilem adornaturus,ueluti dux exercitus cõscribendi contra Ierusalem. Qui in interius ingressi atrium, in quo ara holocausti ænea sub diuo ante templum stabat, quod & sacerdotum erat, & sacratius,parati ad iubentis imperiũ,ut cuiuscunq; uiderint peccata tam grauia nõ dimissa, ipsum occidant, etiam si in atrio cõprehendatur interiori.

3 Et gloria dei Israẽl recessit de cherub,super quo fuerat ad limẽ domus: & uocauit uirum qui indutus erat lineis,& atramentario scriptoris habebat in lumbis suis.

Gloria dei aufugiens.

Gloria domini effigie prius uisa,uisa est deserere propitiatoriũ arcæ, ubi hactenus à tẽpore Mosis intra duo cherubim responsa dederat,et quasi familiari præsentia cohabitauerat in sanctosanctorũ. Hæc nunc dei gloria, locum eum deserens exit de sanctosanctorum, et de templo, peruenireq; cernitur ad limen templi, illud desertura, ob abominationes intolerabiles iustitiæ dei. Illic aũt consistens extra templum aduocare uidetur ad se septimum & principalem uirum, lineis indutum, & calamarium habentem ad cingulum, commendatura illi impiorum omnium interfectionem.

4 ¶ Et dixit dominus ad eum, Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem: & signa thau (*signum*) super frontes uirorum gementium & dolentiũ super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius.

Signum in frontibus.

Simile signum fuit ei quod in paschate Aegypti, nisi quod illud reuera agebatur,istud autẽ in uisione quidem præcipitur, tamen per exercitum Chaldæorũ cõpletur, sicut illud per angelũ percussorem. Signari autem iubentur in frõtibus fideles in populo, per quod signatur esse inter eos quosdam pios,qui quantũlibet diram uastationem clementia dei sint euasuri,ut Ieremias,Baruch,Abdemelech, Godolias,& reliqui, qui gementes dicũtur, hoc est, dolentes super transgressione legis diuinæ, & contemptu uerborum dei, & criminum incremento.

5 Et illis dixit audiente me, Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite: non parcat oculus uester, neq; misereamini.

Paucis multa cõplectitur, occidendos crudeliter, extremo supplicio. Huiusmodi obsignatio apud priscos Romanos A uel D literis proditum legitur. Sic hoc loco Thau, quod signum interpretatum ualet.

6 Senem, adolescẽtulum & uirginem, paruulum & mulieres interficite usq; ad internecionem: omnem aũt, super quem uideritis (*signum*) thau, ne tetigeritis, & à sanctuario meo incipite. Cœperũt ergo à uiris senioribus, qui erant ante faciem domus.

Nemini parcant cuiuscunq; ætatis, qui signum salutis non habeant in frontibus, qui pietatis typum, fidẽ in dominũ, & crucis mysteriũ non agnoscunt, qui absq; Christi signaculo aliquid esse se credunt. A sanctuario meo, ait dominus, incipite, sacerdotes qui in templo uersabantur & idola adorabant, qui sacerdotalis officij merito sancti uocabantur in populo, cui tamen erant causa occasioq; peccati, ij primi meruere supplicia. Tẽpus enim est, ut iudicium incipiat à domo domini.

7 ¶Et dixit ad eos, Cõtaminate domũ, et implete atria interfectis: egredimini. Et egressi sunt, & pcutiebãt eos qui erãt in ciuitate.

Occiduntur ij qui thuribulis suis suffitum adolebant idolis: nec ulla nunc æstimetur quãlibet sacrosancti templi religio, quia offenso religionis deo cõtaminata sunt omnia, ut unde peccatũ inde iudiciũ sit. Atria igitur, nõ templũ ipsum, occisis cõplentur, in quo prius habitauerat gloria dñi. In quo loco peccauerãt, ibi luent pœnas.

8 Et cæde cõpleta, remansi ego: ruiq; super faciem meam, & clamãs aio, Heu, heu, heu dñe deus, ergóne disperdes oẽs reliquias Israël, effundẽs furorẽ tuũ super Ierusalem?

Iusti fuerant notati atramento scriptoris, qualis Ezechiel, & similes, reliqui autẽ occisi, quorũ maxima pars fuit. Est aũt prophetarum orare pro populo, clamare ad dominũ, ut Moses, Samuel, Esaias, et Dauid, ut cõuertantur peccatores et uiuant, et ut ira dñi mitigetur, et gratia emendationis uitæ largiatur. Omnẽ irã effundere, est secundũ demerita iuste punire ingratos, qualis erat totus Israël, qui iam ad paucos redactus fuerat, et tamẽ isti quoq; uastandi prædicũtur: urbs enim sola Ierusalẽ superesse uidebatur, quæ tamẽ & nunc delenda auditur, quod nõ in modicã dei ignominiam uergere uidebatur.

Iram effundere.

9 Et dixit ad me, Iniquitas domus Israël et Iuda magna est nimis ualde, & repleta est terra sanguinibus, & ciuitas repleta est auersione: dixerunt enim, Dereliquit dominus terram, & dominus non uidet.

Oranti prophetæ reuelatur causa ob quam tam impense orans non sit exaudiendus. Obstant enim iustitiæ dei nimiũ multa & grauia peccata Israëlis et Iuda, tam in deũ per idololatriam multiplicẽ, quàm in proximum, quia innocentiũ hominum sanguinem effundebant potentiores, & prophetas domini occiderant multos numis, & tota ciuitas à deo electa & honorata declinauerat à regula æquitatis & pietatis, dominũ blasphemantes, & illius prouidentiã negantes circa hæc inferiora, ut impune liceat hominibus agere quicquid uelint, sine timore dei: quod nihil aliud est, quam dicere, Nõ est deus. Qui enim omnipotentiã & omniscientiã et summam iustitiã de deo negat, is deũ negat. In immẽsum creuerat nefas. Deus non furit, sed digne tractat scelerosos.

Peccata Israelis.

10 Igitur & meus nõ parcet oculus, neq; miserebor: uiã eorũ super caput eorũ reddã.

Sicut non pepercerunt blasphemare & malefacere, sic non parcam à cæde, rependam eis iniquitatem suam, ut discant omniũ peccatorum suorũ me habuisse notitiã & displicentiam: par pari rependam impijs.

11 Et ecce uir qui erat indutus lineis, qui habebat atramentariũ in dorso suo, respõdit uerbum, dicens, Feci sicut præcepisti mihi.

Tandem dei nuncius & minister et executor uoluntatis diuinæ, renunciat se perfunctũ suo munere, imperata fecisse, perfecisse idololatrarum cædem. Aliqua iterum supplementa textui assignantur etiã apud Iudæos. Feci, inquit, secundũ omnia, ut mihi præcepisti. Frequens cõ Iudæis legere quæ nõ scribuntur, & scribere non legenda, secundum superstitiones suas superuacaneas.

CAPVT X.

1 ET uidi, & ecce in firmamento quod erat super caput cherubim, quasi lapis sapphirus, & quasi species similitudinis soliꝰ, apparuit super ea.

2 Et dixit ad uirũ qui indutus erat lineis, & ait, Ingredere in medio rotarum, quæ sunt subtus cherubim: & imple manum tuã prunis ignis quę sunt inter cherubim, & effunde super ciuitatem: ingressusq; est in conspectu meo,

Tota uisio prima animaliũ scilicet & rotarum electri & iridis, iam nunc prophetæ iterum apparebat ãere alto, quem firmamentũ nominat, inter templi porticum & aram æneam holocausti, positam in interiore atrio, quod & sacerdotũ dicebatur. Iam enim gloria domini exisse uidebatur sanctum sanctorum, & desiisse propitiatoriũ intra cherubim, quasi nolens in tam contaminato loco posthac habitare, sed gloria sua nunc repletre orbẽ, quæ Isaiæ temporibus templũ tantũ implesse uidebatur. Lapis aũt sapphirinus nunc dicitur, quod prius electrum, & sub rotis ara erat sacrificiorum per ussionem, unde iubetur carbonibus implere manuũ uolas earum, & spargere contra urbem comburendam: qui prius fuerat salutis nuntius nunc excidium agere iubetur.

3 cherubim autem stabant à dextris domus cũ ingrederetur uir: & nubes implebat atrium interius.

Cherubim hic dicuntur, quos primo capite nominat bestias et animalia. Dextrum latus australe erat, in quo apparuit gloria domini, cum prius dictum sit, ad aquilonarem plagam idola constitisse, & imagines amen-

lium in pariete, & thuribularios, quos ueluti fugere gloria domini uidebatur. Totum autem atrium interius proximum domui domini, nebula gloriæ diuinæ implebatur, quasi iam domus ipsa euacuanda esset, & caritura præsentia dei gratiosa, qui per maiestatẽ præsentiæ suæ nusquam abest.

4 Et eleuata est gloria domini desuper cherub ad limen domus: & repleta est domus nube, & atrium repletũ est splendore gloriæ domini.

Templum narretur atriũ totum illud, templũ autem & domus sanctuarij nebula & nube impleretur, non ad gloriã eius, sed ad abiectionem. Absente enim gloria domini, nubes obscuritatis & tenebrarum est. Reuera enim templum destruendũ erat, & gloria domini circumquaq; omnia illuminanda: longè enim apud exteras nationes clarior deinceps esse cœpit summi dei maiestas, quàm fuerat Hierosolymis, & apud Iudæos. Deserẽtes enim dominũ à domino deseruntur, siue Iudæi sint siue Christiani.

Sic eleuata est gloria dei super animalia, & recessit etiam à limine templi, ut splendore gloriæ eius illumi-

5 Et sonitus alarum cherubim audiebatur usque ad atrium exterius, quasi uox dei omnipotentis loquentis.

Totius spectri commotio, animalium scilicet & rotarum sonus magnificus exauditus est, etiã extra atriũ medium & extremũ. Quia enim se Iudæi indignos statuerunt gratia dei, & uerbi fide, translata merito est gloria dei & maiestas legis diuinæ ad gentes, quæ eam deuotius susceperunt, & tenent semper. Euangelium enim gloriæ dei omnipotentis in omnem terram exiuit, & in fines orbis terræ eloquium domini intonuit, & sine fructu non est reuersum.

Euangelij efficiuntur.

6 Cumq; præcepisset uiro qui indutus erat lineis, dicens, Sume ignem de medio rotarum quæ sunt inter cherubim: ingressus ille stetit iuxta rotam.

7 Et extẽdit cherub manum de medio cherubim, ad ignẽ qui erat inter cherubim: & sumpsit, & dedit in manus eius, qui indutus erat lineis: qui accipiens, egressus est.

8 Et apparuit in cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum:

Cherub in specie humana cum animalibus apparens, uel forma sapphiri, iubebat uirũ septimũ ingredi atriũ, & auferre carbones ignitos: qui ubi accesserat, cherub ille acceptos de ara carbones tradidit in manus eius qui lineis indutus erat, qui & illas accipiens ingressus est. Viderat autẽ is manus ipsius cherub sub alis illius, quibus carbones susceptas sibi tradiderat. Quæ omnia significant, regem Babylonis accepisse iam tunc potestatem à domino deo Israel: eò, qui hactenus in eo templo coli uoluerat, exurendi & disperdendi illud, & omnia dissipandi, unà cum tota urbe, sine timore dei. Sic enim abominationibus offensus erat dñs, ut tolerare posthac locum & gentem nollet. Quasi hac uisione propheta prædiceret, sine omni periculo regis exercitus & du-

Prædicatur à domino.

cis, templum cum urbe comburẽda, id quod pseudopropheta semper impossibile clamitarant, & populus crediderat, & tanto minus à uitijs pœnitebat.

9 & uidi, & ecce quatuor rotæ iuxta cherubim: rota una iuxta cherub unum, & rota alia iuxta cherub unũ: species aũt rotarum erat quasi uisio lapidis (chrysolithi) Tharsis.

Differebat in aliquibus hæc uisio à priori, ideo illius forma hic quoq; sigillatim describitur, cum tamen eandem quam superior maiestatẽ dei per suorũ angelorum ministeria gubernantem omnia significet. Quatuor autem rotæ dicũtur, quia duæ rotæ quatuor facies in quatuor mundi partes uersas continebant, & uel cœlorum motus, uel mundi quatuor plagas, uel regna quatuor mundi indicare poterant, in quæ maiestas domini suam omnipotentiam exercet & prouidentiam generalem. Cherub autem dicuntur formæ illæ quatuor animaliũ, & aspectus uel apparitio rotarũ, ut Tharsis fuisse, maris scilicet, uel marini coloris.

Quatuor rotæ.

10 & aspectus earũ similitudo una quatuor: quasi fit rota in medio rotæ.

11 Cumq; ambularent, in quatuor partes gradiebãtur: nõ reuertebãtur ambulãtes: sed ad locum ad quem ire declinabat quæ prima erat, sequebantur & cæteræ, nec reuertebantur cum ipsæ ambularent.

Vna quatuor rotarum species dicitur similis ei quæ apparuit in prima uisione, ubi dicebatur rota in medio rotæ. Omnia autem tam animalia quàm rotæ prouidentiæ diuinæ spiritu agitabantur, quò spiritus, non ipsa, uolebat.

12 Et omne corpus earum, & colla, & manus, & pennæ, & rotæ plena erant oculis, in circumitu quatuor rotarum.

13 Et rotas istas uocauit uolubiles, audiente me.

Totum illud spectrum complectẽs uirum insidentem superne, & animalia quatuor facierum, manus quoque & alæ & rotarum circuli, omnia plena oculis cernebantur, quia omnes creaturæ dei prouidentia dei conspiciuntur, reguntur & ordinantur: ut non sit deus tantum Iudæorum & templi, sed gentium omnium & orbis totius imperator & iudex, cuius oculi contemplantur bonos & malos. Nomen autẽ sortitæ sunt rotæ illæ à uoluendo & rotatione, quia ad omnes plagas mundi uolui poterant.

Oculis plena.

14 Quatuor autem facies habebat unum: facies una, facies cherub: & facies secunda, facies hominis: & in tertio facies leonis: & in quarto facies aquilæ.

Cum unum aliquod spectrum uideretur, & unum animal, quatuor tamen facies habebat, cherub quæ bouis erat, sic dicta ad retundendum stoliditatem Iudaici populi, hominis, leonis & aquilæ. Et quo minus propheta dubij relinquat, ait, eandem fuisse uisionem, & idem animal, quod in prima uiderat uisione, similisq; eleuationis & motus.

15 Et eleuata sunt cherubim: ipsum est animal quod uideram iuxta fluuiũ Chobar.

16 Cumq; ambularẽt Cherubim, ibant pariter & rotæ iuxta ea: & cum eleuarẽt cherubim alas suas, ut exaltarẽtur de terra, nõ renitebãtur rotæ, sed & ipsæ iuxtà erant.

17 Stantibus illis stabãt: & cum eleuatis eleuabantur: spiritus enim uitæ erat in eis.

Fuga dei. *Meditatur deus fugam à populo perfido & corrupto. Non est alligatus ad locum, sed extendet gloriam suam in totum orbem. Vehicula autem dei sunt cherubim, id est, ministri dei, siue homines sint, siue cœli, angeli, elementa.*

18 Et egressa est gloria domini à limine templi: & stetit super cherubim.

Migratio dei. *Migratio illa diuinitatis à templo significabat salutis & gratiæ diuinæ ablationem à Iudæis & translationẽ ad omnes gentes. Parat autem abitionem per gradus, paulatim fugiens quasi pœnitentiam expectans. A limine uehiculo excipitur cum alacritate à cherubim sentientibus & obedientibus deo.*

19 Et eleuantia cherubim alas suas, exaltata sunt à terra coram me: & illis egredientibus, rotæ quoq; subsecutæ sunt: & stetit in introitu portæ domus domini orientalis, & gloria dei Israel erat super ea.

20 Ipsum est animal quod uidi subter deum Israel iuxta fluuium Chobar: & intellexi quia cherubim essent.

21 Quatuor, quatuor uultus uni, & quatuor alæ uni: & similitudo manus hominis sub alis eorum.

22 Et similitudo uultuũ eorum, ipsi uultus quos uideram iuxta fluuium Chobar, & forma eorũ, & ipsamet, quodlibet ante faciem suam ingrediebatur.

Gloria domini iam manebat extra templum, exierat ostium portæ domus domini, quæ spectabat ad Orientẽ unde erat ingressus principalis etiam in atria. Obmissis enim aureis formis cherubim in sancto sanctorum super propitiatorio, iam nunc uehebatur uitalibus cherubim in orbem uniuersum, ea uisione & spectro ut primò uiderat Ezechiel iuxta flumen Chobar.

CAPVT XI.

1 ET eleuauit me spiritus, & introduxit me ad portam domus domini orientalẽ, quæ respicit solis ortũ: & ecce in introitu portæ uigintiquinq; uiri: & uidi in medio eorum Iezoniam filium Azur, & Pheltiam filium Banaiæ, principes populi.

2 ¶ Dixitq; ad me, Fili hominis, hi sunt uiri qui cogitãt iniquitatẽ, & tractant consilium pessimum in urbe ista:

3 dicentes, Nõ in proximo ædificatæ sunt domus: hæc est lebes, nos autem carnes.

Cum per uisionem omnia hæc facta essent ultro & citro, ut etiam lineis indutus fateretur se omnia iam peregisse, tunc uisus quoque fuit sibi propheta per spiritũ transuectum & perductum ad portam domus domini orientalem, qua erat ingressus in templũ domini & in qua omnia atria: ubi uigintiquinq; uiros conspicit, eos scilicet qui dorsa cõuerterant ad domum domini, & solem adorabant: in quorum medio erat Iasanias, nõ prior ille de quo in capite octauo, qui dicebatur filius Saphan, & inter septuaginta erat, imagines in pariete pictas adorantes. Hic autẽ filius dicitur Asur, & inter uiginti quinq; cum socio Phaltia numeratur. Ambo tamen impij, & impiæ urbis magistratus, qui audaciter cõtra prophetas domini cõsilia dabant, nõ exaudiendos esse, quia falsa loquerentur, prædicẽtes urbem capiendã. Reuera enim longe adhuc distare dicebant ij principes ecclesiæ urbis, sed magis operæpretium esse neglectis prophetis ædificare domos, quas adhuc diutissimè inhabitare confiderent: quòd si capienda olim esset, malle ipsos in urbe ueluti in lebete carnes reponi, quàm mori in exilio. Sic omni ex parte Iudæi prophetis & domino aduersabantur, quia perdendi iam erant.

4 Idcirco uaticinare de eis, uaticinare fili hominis.

5 Et irruit in me spiritus domini, & dixit ad me, Loquere, Hæc dicit dominus, Sic locuti estis domus Israel, & cogitationes cordis uestri ego noui.

6 Plurimos occidistis in urbe hac, & implestis uias eius interfectis.

7 Propterea hæc dicit dñs deus, Interfecti uestri, quos posuistis in medio eius, hi sunt carnes, & hæc est lebes: & educã uos de medio eius.

8 Gladium metuistis, & gladiũ inducã super uos, ait dominus deus.

9 Et eiẽciã uos de medio eius, daboq; uos in manu hostiũ, & faciã in uobis iudicia.

10 Gladio cadetis: in finibus Israel iudicabo uos, & scietis quia ego dominus.

11 Hæc non erit uobis in lebetẽ, & uos non eritis in medio eius in carnes: in finibus Israel iudicabo uos.

12 Et scietis quia ego dominus: quia in præceptis meis nõ ambulastis, & iudicia mea non fecistis, sed iuxta iudicia gentiũ, quæ in circumitu uestro sunt, estis operati.

Quoniam ista dixistis in cordibus uestris, interpretabor ego dicta uestra. Est quidem ciuitas in similitudinem lebetis, uerũ non uestris implebitur carnibus, sed eorum iamdudum repleta est carnibus, quos occidistis, propheta rum nempe & piorum hominũ. Vos quoque nõ tam felices eritis ut in ea urbe sitis morituri, sed eam prius uidebitis exustã cum domibus uestris quas ædificastis, & deinde fugietis, si poteritis, & tamen nõ effugietis, sed intra terrã Israelis occisi eritis. Tũc aũt cognoscetis manum domini cõtra uos, eam illius iustũ iudiciũ sentientes, qui illius legibus obtemperare renuistis, & peiores fuistis

facti estis gentibus in circuitu uestro, qui deos suos dili gentius reuerentur, quàm uos me deũ uestrũ colueritis unquam. Ideo Chaldæi erunt lanij & coci uestri: in limi ne terræ uestræ in Reblata occidemini: tunc iustũ intelli getis quem nunc non uultis clementem.

13 Et factũ est, cum prophetarem, Pheltias filius Banaiæ mortuus est: & cecidi in faciẽ meam clamans uoce magna, & dixi, Heu heu, heu domine deus: cõsummationem tu facis reliquiarum Israel.

Hæc in uisione facta uidẽtur ut reliqua. Videbat enim per uisionẽ hos duos coram positos nebulones, quorum unus subitò cadens moriebatur, alio superstite, ut de ue ritate prophetiæ uiuens terreretur dupliciter, & de so cij casu, & de imminentis excidij certitudine. Terretur nihilominus & per spectrum propheta, procidensq; co ram domino, orat pro reliquijs Israelis, ne in uniuersum extirpentur. Maluisset enim pius propheta conuersos ad dominum, quàm perire fratres suos.

14 ¶ Et factũ est uerbum dñi ad me, dicens,

15 Fili hominis, fratres tui, fratres tui uiri propinqui tui, & omnis domus Israel, u niuersi: quibus dixerunt habitatores Ieru salem, Longe recedite à domino: nobis da ta est terra in possessionem.

Eodẽ tempore & sub eiusdẽ uisionis raptu hæc quo que sibi dici cognouit, contra eos fratres prophetæ, qui Hierosolymis adhuc habitabant, & se non capiendos credentes contra uerbum domini. Etiam eis, qui cum Ie choniasponte se Babylonio dedentes abierant, insulta bant, dicentes: Longe nunc estis à domino, repulit uos dominus, ne de suo populo sitis, cũ permiserit uos abijci in alienã terram, in exteras nationes, regnum Samariæ totum, & duas prius tribus cum dimidia, quos fratres nominant, & tamen se illis præferunt, eo quod adhuc habitent Hierosolymis, & sese Babylonio tradere recu sarint: retineamq; adhuc hæreditatem patrum suorum in terra Iuda, quam nunquam sint perdituri.

16 ¶ Propterea dic, Hæc dicit dominꝰ deus, Quia longè feci eos in gentibus, & quia di sperfi eos in terris: & ero eis in sanctifica tionẽ modicã in terris ad quas uenerũt.

Tu ergo Ezechiel istis Iudæis in Ierusalem talia dicen tibus, sic respõdeas: Longe quidẽ ego abduxi eos à terra Israel ad gentes, & dispersi eos per multas regiones, uerunt tamen etiam eis ibidem existentibus ero in san ctificationem, modicã quidem, & minorem quàm nunc erũt, sed tamen nõ eos abieci, sed honorificaui, & ho norabo eos etiam ibidem uarijs modis, ut patet de Da niele & socijs, Mardochæo & alijs. Vnde discimus non insultandum his, qui dei iudicio pœnis traduntur, non exprobranda pristina peccata conuersis ad dominum, & pœnitentibus.

17 ¶ Propterea loquere, Hæc dicit dominus deus, Congregabo uos de populis, & adu nabo de terris in quibus dispersi estis: da boq; uobis humum Israel.

18 Et ingredientur illuc, & auferent omnes contaminationes cunctas q; abominatio nes eius de illa.

19 Et dabo eis cor unum, & spiritũ nouum tribuam in uisceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum:

20 ut in præceptis meis ambulent & iudicia mea custodiant, faciãtq; ea: & sint mihi in populum, & ego sim eis in deum.

Consolatur dominus exules in Babyloniæ prouincijs, promittens reducendos eos esse Hierosolymã ex omni bus locis, ad quæ dispersi erant, ut iterũ habitaturi sint in patrum & sua hæreditate, in terra Israel, in qua & domino adhæsuri sint fideliter, & non ultra idola cul turi, sed quicquid abominationum inuenerint elimina turi, & fideli corde domino adhæsuri, noua gratia & uberiori fide donandi, quàm ante captiuitatem habue rant. Non enim post reditum cum Zorobabel, Ezra, Neemia & alijs, legũtur ad idololatriã relapsi ut antea. Hi autẽ Iudæi qui sub Sedechia rege capti sunt, uel qui fugierunt in Aegyptum, nequaquam reuersi putantur. Plena autem conuersio tam Iudæorum quàm decem tri buum in Christo contigit, per euangelium prædicatum per apostolos, uoce & scripto, uerbis & prodigijs, non solum in Iudæa, quando una die crediderunt tria milia, & iterum quinque milia, & de quibus Iacobus ad Paulum, Vides frater tanta milia credentium Iudæorum. Sed & Petrus suis epistolis in tot regiones missis, testa tur mundum plenum fuisse fidelibus, ex Iudaismo con uersis ad Christum, per quos & gentium creuit in im mensum ecclesia, quibus dominus deus est, & ipsi do mino populus acceptus, et sectator fidei, quæ iustificat, & operum bonorum ex fide.

Consolatio idola eijcientium.

Conuersio Iudæorũ ad Christum.

21 ¶ Quorum autẽ cor post offendicula & abominationes suas ambulat, horũ uiam in capite suo ponam, dicit dominus deus.

Damnatio notatur illorum, qui uerbo domini acquie scere renuunt, & uel nõ redierunt sub Cyro & Dario cum facultas illis adesset, uel coruscanti Euangelio to to orbe cõtradixerunt, & quibus modis potuerũt per sequuti sunt fideles, quorũ posteritas durat in præsens, fex & scoria Israelitarum non Israel.

22 Et eleuauerũt cherubim alas suas, & rotæ cum eis: & gloria dei Israel erat super ea.

23 Et ascendit gloria domini de medio ci uitatis, stetitq; super montẽ, qui est ad o rientem urbis.

Paulatim gloria domini recedit de Ierusalem, primum templum deserens stat in atrio & limine domus, postea in introitu portæ orientalis atrij exterioris, nouissime sublatis pennis, rotisq; sequentibus, stat super montem, qui est orientalis urbi, in signum desertionis Iudæorum, ut inde perituram arsuramq; cerneret Ierusalem, unde dominus & saluator ascendit ad patrẽ, missis apostolis inde in uniuersum orbem prædicare gloriam dei, euan gelium regni omni creaturæ.

24 Et spiritus leuauit me, adduxitq; in Chaldæam ad trasmigrationem, in uisione in spiritu dei: & sublata est à me uisio, quam uideram. Et locutus sum ad transmigrationem omnia uerba domini quæ ostenderat mihi.

Ex hoc patet prophetã raptum in spiritu ueluti in Ieruſalem, nunc iterum ad ſe redire permittitur, & ſe in Chaldæa inuenit, abolita iam uiſione ſecundum figuram, ſed recenter impreſſa memoriæ, quam conceptuis & coexulibus iuxta mandatum domini, ſuumq; officium, prædicaret.

¶ CAPVT XII.

1 ET factus est sermo domini ad me, dicens,

2 Fili hominis, in medio domꝰ exasperãtis tu habitas: qui oculos habent ad uidendum, & non uident: & aures ad audiendũ, & nõ audiunt: quia domus exasperans est.

De Chriſto fata Sedechiæ ſine fructu exponunt uetures. Litera plana eſt. Abundat propheta paradigmatis, popularibus demonſtrationibus & rhetoricis. Multa ſunt in ſacro eloquio ſymbola, ſeipſam exponit litera.

Rebelles Iudæi ſemper

Res ſibi eſt cum pertinaciſſimo populo in Babylone & Iudæa. Semper domino rebelles Iudæi ſunt, ſiue liberi, ſiue capti. Hieroſolymis contra Ieremiam negant ſe capiendos unquam, Babylone contra Ezechielem ſe deceptos queruntur à prophetis, ſe dediderunt cum Iechonia, & propediem redire deliberant. Sicq; propheta Ezechiel cogitur inſtare omnibus modis apud ſuos, ne ſeditionem aliquam moueant contra regem, redire uolentes ab exilio, & perturbare non tam regnum potentiſſimum, quàm ſeipſos & ſtatum ſuum pacificum, idq; contra ſenſum & ſupra uires, ex pertinacia prauitatis, qua ſemper domino & prophetis reſiſtunt. Iubetur ergo propheta docere eos per imaginem, & ſchematibus corporeis, ut reſiduis Iudæis uenturam captiuitatẽ non ſolum auditu, ſed & oculis recognoſcant, & ex neceſsitate obſequendi regi uirtutem faciant, & atrociora mala non ſibi aſciſcant.

3 Tu ergo fili hominis fac tibi uasa transmigrationis, & transmigrabis per diẽ coram eis: transmigrabis autẽ de loco tuo ad locũ alterum in conſpectu eorum, ſi forte aſpiciant: quia domus exasperans est.

4 Et efferes foras uasa tua quaſi uasa transmigrantis per diem in conſpectu eorum: tu autẽ egredieris uespere coram eis, ſicut egreditur migrans.

Adumbrare factis iubetur captiuitatem futuram regis Sedechiæ, ut in figura faciat, quæ rex facturus ſit in ueritate: ſarcinas ſcilicet colligere ueluti profecturus, pileum, ſcipionẽ, peram, & cætera aſſumere, ipſis Iudæis aſpicientibus, per diem ſe præparare ad iter arripiendum, ut ad ueſperam abeat more abeuntium in captiuitatem. Deſignans regem ſub ueſperam & noctu fugiturum de Ieruſalem iam capta, uerſus Ierichontem nam ſolitudinem uel planitiem, in qua tamen captus eſt à Babyloniis.

5 Ante oculos eorũ perfode tibi parietem: & egredieris per eum.

Non per commune oſtium exire permittitur, ſed perrumpere parietem iubetur, & per foramen euadere ueluti fugitiuus, & clanculo euaſurus: quo ſignificabatur rex per uiam horti ſubterraneam & occultam elapſurus, ſed non euaſurus.

6 In conſpectu eorũ in humeris portabis, in caligine egredieris: faciem tuam uelabis, & non uidebis terrã: quia portentum dedi te domui Iſrael.

7 Feci ergo ſicut præceperat mihi (dominus) uasa mea protuli quaſi uasa transmigrãtis per diem: & ueſpere perfodi mihi parietẽ manu: in caligine egreſſus ſum, & in humeris portaui in conſpectu eorum.

8 Et factus est sermo domini mane ad mẽ, dicens,

More pauperũ geſtantiũ in humeris ſemicinctias ſuas, & uiæ neceſſarias reculas, exit, ad ſignificandum paupertatem & anguſtias regis, in quas peruenieri fugiens Babylonios: faciem operiendo ne uideat terram, notatur cæcus peruenturus Babylonẽ. Sic itaque qui uerbis credere nolebant, eis facto portentoq; prophetare iubebatur: omnibus omnia factus, ut lucrifaceret electos, uel gehennæ filios duplo conſtituat incredulos.

9 Fili hominis, nunquid non dixerunt ad te domus Iſrael domus exasperans, Quid tu facis?

10 Dic ad eos, Hæc dicit dominus deus, Super ducem onus iſtud, qui est in Ieruſalẽ & ſuper omnem domum Iſrael, quæ est in medio eorum.

11 Dic, Ego portentum uestrum: quomodo feci, ſic fiet illis: in transmigrationem & in captiuitatem ibunt.

12 Et dux qui est in medio eorum in humeris portabit, in caligine egredietur: parietẽ perfodiẽt, ut educãt eum: facies eius operietur, ut non uideat oculis terram.

13 Et extendam rete meum ſuper eum, & capietur in ſagena mea: & adducã eum in Babylonem in terram Chaldæorũ: & ipſam non uidebit, ibiq; morietur.

14 Et omnes qui circa eum ſunt, præſidium eius: & agmina eius diſpergã in omnem uentum: & gladiũ euaginabo poſt eos.

15 Et ſcient quia ego dominus, quando diſperſero illos in gentibus, & diſſeminauero eos in terris.

Si quæſierint cauſas huiuſmodi actionum, reſpõdeo, Hæc iuſſu dñi actitata cõtra regẽ Iuda, qui hoc modo capiẽdus ſit, & in Babylonẽ ducẽdus, deſtructa Hieroſolyma: qui quidẽ clãculo euadere uolet, ſed nõ poterit, ſed

nec uidere terrã ad quam captiuus ducetur: quin & ea pietur uelut reti à domino, per exercitum Babyloniũ, & Babylonem ueniet, quam tamen non uidebit, ubi & miserè morietur. Destituetur autẽ omnibus auxiliarijs copijs exercitus sui, qui & ipsi dispergẽtur ad omnem uentũ, quos gladius quoq; persequetur & occidet, tar dẽq; nimis discent credere uerbo domini, & maximo malo suo & totius gẽtis, quæ dispergetur in omnes pla gas mundi, nunquam reditura.

16 Et relinquã ex eis uiros paucos à gladio, & fame, & pestilẽtia: ut narrent omnia sce lera eorũ in gentibus ad quas ingredien tur: & scient quia ego dominus.

Ad infelicitatẽ suam relinquentur pauci, ut dispersi, uel in Aegyptum fugientes ibi cadant, uel alibi narrent impietates suas, patrumq; suorũ, & iustitiã dei, rebelles dignè tractantem pro meritis. Viros numeri, id est pau cos, locutio est Hebraica. Ostendũt hodie Iudæi genium suum, gloriantes de Christi crucifixione.

17 ¶ Et factus est sermo dñi ad me, dicens,

18 Fili hominis, panem tuum in conturba tione comedes: sed & aquam tuã in festi natione & mœrore bibes.

19 Et dices ad populũ terræ, Hæc dicit do minus deus ad eos, qui habitant in Hieru salem in terra Israel, Panem suum in soli citudine comedent, & aquam suã in deso latione bibent: ut desoletur terra à plenitu dine sua, propter iniquitatem omniũ qui habitant in ea.

20 Et ciuitates quæ nunc habitantur, deso latæ erunt, terraq; deserta: & scietis quia ego dominus.

Nõ solus princeps & socij talia patiẽtur, sed populus quoque habitãs Hierosolymis, in obsidione cibum cum angustia & fame comedent, & aquam ad sufficientiam non bibent, & omnis terra Iuda cum sua plenitudine delebitur, idq; propter scelera eorum & impietates, o mnibus urbibus Iuda redigendis in solitudinẽ, ut uniuer sæ terræ cultura dispereat, & cognoscant deum sæuien tem, quem miserantem cognoscere noluerunt.

21 ¶ Et factus est sermo dñi ad me, dicens,

22 Fili hominis, quod est prouerbium istud uobis in terra Israel? dicentiũ, In longum differentur dies, & peribit omnis uisio.

23 Ideo dic ad eos, Hæc dicit dominꝰ deus, Quiescere faciã prouerbium istud, neque uulgò dicetur ultra in Israel: sed loquere ad eos, Appropinquant dies, & sermo o mnis uisionis.

24 Non enì erit ultra omnis uisio cassa, neq; diuinatio ambigua in medio domꝰ Israel.

25 Quia ego dominus loquar: quodcunq; locutus fuero uerbum, & fiet: non prolon gabitur amplius: sed in diebus uestris do mus exasperans loquar uerbũ, & faciam il lud dicit dominus deus.

Aliud argumentum prophetæ, quia prophetis secun dum uerbum dei prophetantibus credere recusabant in dæi impij & rebelles, tactando in longissimos dies dif ferenda mala, quæ prædicebant prophetæ, quandoqui dem & iam à multis annis multa prædicta essent, quæ nondum apparerent facta, proinde uisiones huiusmodi mendaces esse & falsas, non ex uerbo domini, sed odio prophetarum in suum populum. Quibus iubetur nunc prophetare, in proximo imminere de quo diu ante pro phetæ rebelles præmonuerãt, & non fuerant exauditi: iam tunc instare malum, quod propediem uisuri sint, & magno suo malo passuri, ut desinant contemnere pro phetas & prædictiones, cum sentient impletas, & mini mè fuisse uanas, uel more augurum lubricas & ambi guas, sed nimium ueras dolebunt, quod dominus men tiri nesciat, & ut diu ultionem differat impiorum, non tamen obmittat, sed iudicij seueritate cõpenset diu spre tam indulgentiam paternam. Cõtra nec credentes prophetas.

26 ¶ Et factus est sermo dñi ad me, dicens,

27 Fili hominis, ecce domus Israel dicen tium, Visio quã hic uidet, in dies multos & in tempora longa iste prophetat.

28 Propterea dic ad eos, Hęc dicit dominus deus, Non prolongabitur ultra omnis ser mo meus: uerbũ quod locutus fuero, com plebitur, dicit dominus deus.

Eiusdẽ alijs uerbis repetitio est prophetiæ, qua uerbũ domini certo complendũ non dubitent, & nihilominus non diu differendam totius Israelis uastationem, ut nihil eius restet in terra, sed funditus extirpandam.

¶ CAPVT XIII.

1 ET factus est sermo domini ad me, dicens,

2 Fili hoĩs uaticinare ad prophe tas Israel, qui prophetant: & di ces prophetantibus de corde suo, Audite uerbum domini.

3 Hæc dicit dominus deus, Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritũ suum & nihil uident.

Contra pseudoprophetas sermo est, qui populũ decipiebant, auertendo à uerbo domini audiendo, & con tra ueros prophetas uerbum domini proponentes incita tando, ne audirentur, uel illis crederetur, qui pœniten tiam docebant, & futurã prò peccatis uindictam incul cabant, nisi resipiscerẽt. Ipsi uerò falsi prophetæ de suo spiritu prædicebant omnia salua esse, ad culturam ido lorum uel inducebant, uel non tota diligẽtia auertebãt, sed quæ illis grata nouerant facto & creditu, hæc illis prædicabant in perniciem fidei & morum. Contra hos à domino Ezechiel mittitur, ut cõminetur eis iudicium dei graue & intolerabile, quod euadere non possint. Væ, inquit, stultis prophetis, quantumuis sibi seculari prudentia & eruditione sapientes uideãtur, stulti sunt tamen, uerbum domini non habentes, quo spiritus di uinus credentibus loquitur, fidelibusq; prædicatori bus, ut uera, solida, salubria & sancta loquantur, sed illi Prophetarũ blandiuis.

de ſuo ſpiritu humano, mendaci, fallaci, & prophano loquuntur placentia uanis: & ad damnationis ſuæ pondus, quæ de ſuo loquuntur uenditare non timent ſub nomine uerbi dei, ut dicant dominũ dixiſſe quæ de fallacia ſui cordis, certa malitia ad ſuum quæſtum, luxum & faſtum confinxerunt, ut deciperent populum, facilè acquieſcentem deceptionibus.

4 Quaſi uulpes in deſertis, prophetæ tui Iſrael erant.

5 Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael: ut ſtaretis in prælio in die domini.

Doctores uanitatũ. Traditionum humanarũ doctores uulpibus cõparantur, qui ſimulant dei culturam, & augent ceremonias, uiasq; docent domino complacẽdi, his operibus quibus ſuam quoq; augeãt rem familiarẽ, quaſi domeſticarum auium furtis inhiando, qui habitant in ruinoſis & deſolatis habitationibus, qui tamẽ ad diripiendũ ingenium habent & fallendum, qui ex aduerſo ſtandi ut murus pro domo Iſrael uires non habent nec animũ, ut Aaron, nec orationibus, ut Ieremias, domino occurrunt pro populo, ut furorem domini mitigent, qui in die domini ſtare non poſſunt in prælio, ut precibus dimicent & reſiſtant diuinæ ſententiæ ut Moſes.

6 Vident uana, & diuinant mendaciũ, dicentes, Ait dominus: cum dñs nõ miſerit eos: & ſperauerunt cõfirmare ſermonem.

7 Nunquid non uiſionem caſſam uidiſtis, & diuinationem mendacem locuti eſtis? & dicitis, Ait dominus: cum ego non ſim locutus.

Tales prophetæ uana uident & comminiſcuntur, ad ſeducendum à domino populum, ſibi autem conciliandum & attrahendum, ut faueant & foueant diuinando mendacium. A domino ſe miſſos dicunt, cum non ſint ab eo miſſi. Interim tamen perſeuerant in falſo, & errores inculcant magnopere, & ſuũ cupiunt firmare ſermonẽ, etiã, ſi poſſent, ex uerbis dñi, & ex lege cõtortis ſententijs ad ſuum commodum, dicendo ſe quoque habere ſermonem domini: ſed dum à ueris prophetis iuſſu domini arguuntur, clare uidetur impoſtura uulpina, & mendacium proditur falſæ confictionis.

8 ¶ Propterea hæc dicit dñs deus, Quia locuti eſtis uana, & uidiſtis mendaciũ: ideo ecce ego ad uos, dicit dominus deus:

9 Et erit manus mea ſuper prophetas qui uident uana & diuinant mendaciũ: in concilio populi mei non erunt, & in ſcriptura domus Iſrael non ſcribẽtur, nec in terram Iſrael ingredientur: & ſcietis quia ego dominus deus.

Vindicta cõtra pſeudoprophetas. Vltio digna comminatur talibus falſis prophetis: Dominus ueniet cõtra eos, ipſum ſibi hoſtem habebunt & ſentient: ad percutiendum manum extendet, & nõ contrahet parcendo: qui pacem prædixerunt, bella & mortes experiẽtur, inter ſaluatos populi mei non erunt, de familia Iſraelitarum non cenſebuntur, excõmunicabuntur ſentẽtia diuina, ſynagogæ diaboli adiudicabitur: in terram Iſrael non ingredientur, in umbra mendicitatis uincti ferro in exteriores tenebras ejicientur, ſeparati à populo dei: multiſq; eruditi ſupplicijs, in ipſo mortis ſuæ momento talparum more oculos aperient, & uidebunt manum domini dei iuſtam ſuper ſe: non enim cognoſcent ut filij, ſed ut ſerui uapulabunt.

10 (propterea &) eo quod deceperint populum meum, dicentes, Pax, & non eſt pax: & ipſe ædificabat parietem, illi autem linie bant eum luto abſq; paleis.

Pro rigore pœnitẽtiæ & cõuerſionis propoſito meliore, pacẽ eis & proſpera nunciabant. Dominus quã uineam ſuam domum Iſrael muro circundederat, & extruxerat legis & prophetarũ eloquijs & cõmunitionibus, ut omnem ab illis incurſionem beſtiarũ & hoſtilem impetum ſubmoueret, dum cõuerſi ad deum, hoc quaſi muro & pariete firmiſſimo cingerentur. Pſeudo uerò prophetæ frequẽter illis pollicebantur pacem, & abſq; palearum temperamẽto liniebãt, & obfuſcabant legitimum ſenſum ſcripturæ, & fortitudinẽ enervabãt intelligẽtiæ, quæ digna eſſet ſpiritui ſancto, quæ ſcilicet fidem in dominum & charitatẽ in proximum confirmaret, ſed ſtultitia & hypocriſi liniebant ſine robore firmitatis. Eo quod & eo quod, refertur ad peccata, quæ minatur Cauſalis ut ſit uehemẽtior. Sic tandem timere dei, qui cultus dei eſt, omnimodis exuebant populum.

11 Dic ad eos qui liniũt abſq; temperaturã, & q̃d caſurus ſit: erit enim imber inundãs, & dabo lapides grandinis deſuper irruẽtes, & uentum procellæ diſſipantem.

12 Siquidem ecce cecidit paries. Nunquid non dicetur uobis, Vbi eſt litura quam liniſtis?

13 ¶ Propterea hæc dicit dñs deus: Et rumpere faciam ſpiritum tempeſtatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit: & lapides grandinis in ira ad conſummationem.

14 Et deſtruam parietẽ quem liniſtis abſq; temperamento: & adæquabo eum terræ, & reuelabitur fundamentũ eius: & cadet, & cõſumetur in medio eius: & ſcietis quia ego ſum dominus.

Ad uanos promiſſores iſtos & falſos doctores loquens, re, quod caſurus ſit ille paries, munimenta omnia ſub uertentur, & ſuper ſtipulas & ligna extructa dogmata igne tentationis conflagrabunt, & fraudabuntur aniſſimis ſpebus ſuis: dum ſcilicet uehementem tonbrem immittam, ſæuiſſimos hoſtes, Babylonicum & exros, & eoſdem ut lapides grandinis deſuper irruentes, qui inſtabilem illorum maceriem uelut ſubitus turbo ſubuertat & ſubruat, poſteaq; dicatur eis, Vbi eſt litura quam liniſtis? & ubi quod polliciti eſtis auxilium? ubi denique ſunt fundamenta dogmatum, quæ non ut aurea & argentea, ſed ut ſtipula & lutum diffluunt, non

Et

ſtantur & decidunt?

15 Et complebo indignationē meam in pariete, & in his qui liniunt eum absque temperamēto, dicamq; uobis, Non est paries,
16 & non sunt qui liniunt eum. Prophetæ Israel, qui prophetant ad Ierusalem, & uident ei uisionē pacis: & non est pax, ait dominus deus.

Ostendā uehemēti ultione mea opus uestrū uanum, & falsas promissiones pacis fuisse, cum uos omnes cum ure be, templo & cultu in totum cessabitis pariter, ut nihil reliqui positus ostēdere, occisis omnibus uel exulātibus miserisq; captiuis: ut omnibus pateat & sibijpsis, quid sibi profuerint liturę illorū, cum uiderint pro pace intexiliarijs copijs exercitus uastatorum & hostium.

17 ¶ Et tu fili hominis pone faciē tuā cōtra filias populi tui, quæ prophetāt de corde suo: & uaticinare super eas,

Excitauerat pietatis & ueritatis hostis diabolus non solum falsos prophetas, qui uerbis & factis negotiū faciebant sanctis prophetis, ut Ieremiæ & Ezechieli, sed etiā fœminas maleficas, necromanticas & diuinatrices, quæ se fingebant ut Debora & Olda, sancto adflatas spiritu, & partes tuebantur pseudoprophetarū, pacem promittendo & prosperitatem, si reginæ cœli placentas pararent, & sedulò idola colerent, & diuorum iugiter cultū ampliarent, uestales ignes nō sinerent extingui, & cœlibatus sui sanctimoniam multò uenderēt, & humanis traditionibus splendidiorem diuinum cultum fingerent quàm lex domini præcepisset. Tales eo tempore fuisse inter Iudæos non dubium est, quales & in actis Apostolorum & Samuelis libris. Contra huiusmodi superstitiosas populi seductrices, sub sanctitatis titulo, iubetur propheta obfirmare uultum suum, ut seueritate acerba eas aggrediatur & coarguat, quæ prophetare præsumunt de corde suo mendacia, uel phitonissarum impostura, quæ futura sint contra uerbum domini. Dici potest sub sexu fœminino uiros reprehendisse effœminatos, sicut & in Ieremia similia dicūtur de prophetis suauiloquentia effœminatis.

18 & dic, Hæc dicit dominus deus, Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia sub capite uniuerſæ ætatis ad capiendas animas: & cum caperent animas populi mei, uiuificabāt animas eorum.

Pro more uaticinij sui, si quando futura requirerentur ab illis mulierculis, sedebant in conclaui suo, & sub ascellis uel cubitis suis puluillos consutos ponebant ad suauius incumbendū, quo minus illarum spiritus distraheretur, & certiora spiritus diuini responsa æderent sacræ illæ uirgines. Denique pepla & uelamina circumponebant capiti in conspectu adstantiū, ut fortassis stultos ridendo inquisitores, licētius in occulto ridere possent. His itaque modis uenabātur animas, & opiniones stultorum & curiosorum, uelut tendiculis quæstuū & gloriæ, & simpliciū animas uenabantur de populo domini, & ex huiusmodi deceptionibus uictitabant, tam ipsæ mulieres, quàm cōsortes illarum, quæ & data improbitatis pecunia & mercede, uestræ erāt, hoc est, ad uota parebant uerbis & factis. Hæc autē omnia didicerant ex gentilium ritibus, & temporis successu augebatur superstitio, semper noua sacrilegia excogitādo. Per interrogationē legi potest, Quis uobis potestatē dedit animas uel saluandi uel occidendi?

19 Et uiolabāt me ad populū meū, propter pugillos hordei & fragmina panis, ut interficerent animas quæ nō moriuntur, & uiuificarēt animas quæ nō uiuūt, mentientes populo meo credenti mendacijs.

Hisce studijs & imposturis polluebant nomen meum hæ mulieres, & detrahebant autoritate sua uerbo meo, & prophetis meis ad populum quibus & credebatur à stultis, & pro uili mercede, ueluti pugillo hordei & fragmento panis diuinabant, donec uberiora assequerētur donaria, tandemq; ditescerēt in immēsum. Præsagiebāt autē superstitiosæ illæ & fallaces fœminæ quicquid fallax spiritus suggerebat et mēdax. Morituris enim prædicebant conualescentiā: & quos dicebant morituros, hi ut plurimum euadebant mortem & sanabātur. Spiritus enim fallax arripiebat eas, ut aliquando uera dicētibus, applauderetur etiā eisdem in mendacijs, donec mendaciorum pretia cōgererent, more gentiliū, à quibus hæc contra legem didicerant & exercebant. Fallaces fœminæ.

20 ¶ Propter hoc, hæc dicit dñs deus, Ecce ego ad puluillos uestros quibus uos capitis animas uolantes: & dirumpam eos de brachijs uestris: & dimittam animas quas uos capitis, animas ad uolandum.

21 Et dirumpā ceruicalia uestra, & liberabo populū meum de manu uestra, neq; erunt ultra in manibus uestris ad prædandum: & scietis quia ego dominus.

More prophetico planeq; poëtico puluillorum nuncupatione cōminatur maleficis istis interitū & finem, superstitionibus istis dignum, ut occidantur incantatrices, & puluilli dirumpantur, quibus fallebant animas, ueluti auiculas illaqueādo retibus et insidijs decipiēdo. Quæ ego dominus ceruicalia uestra dirumpā, & à tantis imposturis populum meum liberabo, prodendo non solum fallacias, sed è terra tota eliminando sacrilegia hæc & alia quibus irritastis me, ut aliquādo discatis me dominum esse, qui quæ prædico facio, & uerbi mei contemptoribus non semper parco. Puluilli & ceruicalia.

22 Pro eo q̄d mœrere fecistis cor iusti mendaciter, quem ego non contristaui: & confortastis manus impij, ut nō reuerteretur à uia sua mala, & uiueret:

Inter cætera falsorū prophetarū perniciosa dogmata hoc quoque erat, ut instituerent leges friuolas de cibis, temporibus, ieiunijs, sacrificijs, mundationibus & grauibus quibusdā ritibus, quorum transgressiones longè grauius puniendas decernebant, quàm si quis adulterium commisisset, uel idola adorasset, ac cōtra legem

domini uel maximè peccasset, uarijsq; modis iustis insi diabãtur, & cõtristabãt suis malignis traditionibus, & occasiones uenabãtur persequendi pios multipharian, & opprimẽdi legibus, quas dominus nõ tulerat sed pro hibuerat magis. Contra uerò quos impios cõsortes insi delitatis inueniebãt, hos defendebãt, fouebãt, laudabãt, & beneficijs prosequebãtur, quo minus auersi ab illis, conuerterentur ad dominũ & saluarentur. Huiusmodi fieri nostro seculo qui non uidet, nihil uidet: & qui non dolet, insensibilis est, & planè impius.

23 **propterea uana nõ uidebitis, & diuinationes non diuinabitis amplius, & eruam populum meum de manu uestra: & scietis quia ego dominus.**

Sic ego dominus uos tales tractabo, ut posthac nihil tale committatis, etiam si uelitis. Ad unum uos omnes excindam de terra, & interficiam, ut posthac non sic decipiatis populum meum falsæ religionis opinione, ritibus sacrilegis, & dæmoniorũ doctrinis, conscientiarũ pistrinis, & traditionibus plus quàm peßimis, quasi nõ ego pastor sim fideliũ meorum, sed uestræ libidini semper obsequi cogantur.

¶ CAPVT XIIII.

1 **T**uenerũt ad me uiri seniorum Israël, & sederunt coram me.

2 Et factus est sermo domini ad me, dicẽs, Fili hominis, uiri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis, & scandalũ iniquitatis suę statuerunt contra faciem suam: nũquid interrogatus respondebo eis?

Veniunt ad prophetã ex senioribus Israel cõcaptiuis quidam ad prophetam Ezechielem, ex eorum numero qui uerbo domini parum credebant, & non dominum ex animo reuerebantur, sed gentilibus erroribus fauebant non parum, inter quos habitantes opera quoque illorum discebant, & dolebat illis credidisse prophetis domini, & Babyloniam sponte petisse cum Iechonia suscepti. Volebant tamen curiositate permoti quippiam scisciari à domino per prophetam, cum essent animo increduli, & factis impij, & pœnitentes obedientiæ, alienorum deorum cultores ex animo, quorũ imagines & idola non horrebãt, sed fortaßis domi colebant, & scandalũ iniquitatis suæ retinebãt, quibus si non facto saltem ex corde erroris sacrificiũ immolabant. De quibus dominus prophetæ reuelat quales sint, & quod ab huiusmodi uiris prorsus nolit inquiri, nec respondere dignetur illis: nedum tamen illis qui tunc aßidebant, sed omnibus similibus istis.

3 **Propter hoc loquere eis, & dices ad eos, Hæc dicit dñs deus, Homo homo de domo Israel, qui posuerit immunditias suas in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, & uenerit ad prophetam interrogans per eum me: ego dominus respõdebo ei in multitudine immunditiarum suarum.**

Quia peruerso ad te corde uenerũt, responde eis non ex persona tua, ne leuis sit authoritas respondentis, sed meo imperio, Quicunque hominum, non aliarum gentium, quarum error potest habere ueniam, sed domus Israel, qui sceleribus infidelitatis & iniquitatis nondũ renunciatis, peruerso adhuc corde ad prophetam uenerit sciscitandũ, ego respondebo ei iuxta cor & immunditias suas, ut iuxta quod uult & credit, ita & audiat. Non enim meretur correctionem, qui non discendi sed tentandi animo interrogat: sic errorum & superstitionum amatores merentur à deo falli per dæmones & præstigia, ut habet experientia phantasmatum nocturnalium & maleficarum.

4 **Vt capiatur domus Israel in corde suo quo recesserũt à me in cunctis idolis suis.**

Sic propheta respondeat, ut reuelentur malitiæ cordium, & protrahatur perfidiæ signum, quod latet in cordibus. Hoc tunc fit, cum non credunt dictis, uel non meliores abeunt, & exhortationes non amplectuntur, quandoquidem non fidunt domino, illius promissionum non credunt, gratiam dei non desiderant, adhuc terrenarum rerum idolis capti sunt, quæ maioris æstimant & habent, quàm ut propter timorem dei ea posßint abijcere. Israelitæ etiam capti nondum idolorum tædia tenebantur, sed quæ in sua regione coluerant, nondum displicebant in Babylone.

5 **¶ Propterea dic ad domũ Israël, Hæc dicit dñs deus, Conuertimini & recedite ab idolis uestris, & ab uniuersis contaminationibus uestris auertite facies uestras.**

Nondũ ex damno captiuitatis facti fuerant meliores, sed idolis deuincti tenebãtur: ideo primũ omnũ necessarium erat, hortari illos ad conuersionẽ ad dominum, ad idolorum abnegationẽ & abiectionẽ abominationum, ut de perfidia & stultitia pudefierent tandem uidentes mala sibi illata propter illam.

6 **Quia homo homo de domo Israël, & de proselytis quicũq; aduena fuerit in Israël si alienatꝰ fuerit à me, & posuerit idola sua in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit cõtra faciem suam, & uenerit ad prophetam ut interroget per eum me: ego dominus respondebo ei per me.**

7 **Et ponam faciem meã super hominem illũ, & faciã eum in exemplũ & in prouerbium, & disperdam eum de medio populi mei: & scietis quia ego dominus.**

Zelotypus dominus non uult populum suum seruire alios quoscunque deos, honorem & amorem sibi debitum nemini uult cedere, solus uult coli, & pater creatorum & haberi, qualem se semper exhibet omnibus: solis talibus dignatur respondere per prophetas. Infidelibus enim prophetia non est utilis. Ex fide non orans uel interrogans, nihil recipit: quia indignus est gratia dei omnis qui fidẽ domino nõ habet. Quod si corde perfidiæ fictè accesserit uel orauerit, etiam in illum seuerissime animaduertit diuina iustitia, ut cũctis innotescat quàm

Subdola scisſitatio.

displiceat domino perfidia, si scilicet non credatur cordium scrutator, ideoq; per hypocrisim inuocetur, ueluti decipiendus nostra malitia, qui summe bonus omnia nouit. Huiusmodi perfidiam publice traducit deus, & clare ostendit, à nemine sibi posse illudi, qui suos contemptores exponit contemptui, & gloriam suam de impijs quoq; magnifice uindicat.

8 Et propheta cũ errauerit, & locutus fuerit uerbum: ego dñs decepi prophetam illum: & extendam manũ meam super illũ, & delebo eum de medio populi mei Israël.

Prophetam decipi. Prophetam decipi aliud non est, quàm si ueritatẽ loquens quam dominus inspirat, non intelligere consiliũ inspirantis, & quærenti non quod optat respõdere, sed quod meretur impius, ut scilicet ueritatem non credens, decipiatur ab illa, suoq; corde capiatur: quid denq; iustius q̃ ut hostis pietatis opprimatur à pietate: & qui dominum non colit, à domino negligatur, & iudicetur secundum impœnitens cor suum. Nec aliud propheta loqui potest, quàm quod à domino iubetur. Balaã certe deceptus, suo modo decepit & regem. Dominus autem proprie non decipit, facit enim iustitiam, & loquitur ueritatem, sed à sua quisque concupiscentia decipitur, sicuti & tentatur. Peruersæ autẽ uoluntatis reatu non impunitus euadit, quia deũ non audit. Deus qui ut optimus architectus optimam ædificij rationẽ indicat, quæ si non recipiatur, uelut astans perperam ædificantibus probare se fingit opus, suum contemnentium iudicium, completo tandem iocundo opere irridet, abominatur & iuste damnat immorigeros. Ostendit dominus ueritatem, quæ si spernitur, sinit iratus falsa nobis persuaderi.

9 Et portabunt iniquitatem suam: iuxta iniquitatẽ interrogantis, sic iniquitas prophetæ erit,

Tam is propheta qui falsa sciens loquitur, quàm is qui perfido animo interrogarit de uerbo domini, digni sunt ut uastentur à deo ueritatis & iudicij: sed & nescientes aliquando uera loqui facit dominus, & sic decipit, qui digni sunt ut errent, ueritatis nempe hostes, & sui amatores.

10 ut nõ erret ultra domus Israel à me, neq; polluatur in uniuersis præuaricationibus suis: sed sint mihi in populum, & ego sim eis in deum, ait dominus exercituum.

Vult dominus fideles non errare, sed uerbo domini credere, creatori gloriam dare, deuotos esse, ex eo pendere totos, non contaminari amore creaturarum, et defiderijs carnalibus, ut reuera sint populus domini, & sit ipse deus illorum, qui gaudeat benefacere suis, orari, cui nullus numium confidere potest, cui proprium est misereri & parcere, sed fidelibus non impijs quorum omnis iniquitas ad mortem est, pijs omnia cooperantur in bonum.

11 ¶ Et factus est sermo dñi ad me, dicens,

12 Fili hominis, terra cũ peccauerit mihi, ut præuaricetur præuaricans, extendã manum meam super eam, & conterã uirgam panis eius: & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem & iumentum.

13 Et si fuerint tres uiri isti in medio eius, Noë, Daniel, & Iob: ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, ait dominus deus.

14 Quod si & bestias pessimas induxero super terrã, ut uastem eam: & fuerit inuia, eo quod non sit pertransiens propter bestias.

15 Tres uiri isti si fuerint in ea, uiuo ego dicit dominus deus, quia nec filios nec filias liberabunt: sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur.

16 Vel si gladium induxero super terram illam, & dixero gladio, Transi per terram: & interfecero de ea hominem & iumentũ.

17 Et tres uiri isti fuerint in medio eius: uiuo ego dicit dñs deus, non liberabunt filios neq; filias: sed ipsi soli liberabuntur.

18 Si autem & pestilentiam immisero super terram illam, & effudero indignationẽ meam super eam in sanguine, ut auferam ex ea hominem & iumentum:

19 Et Noë, & Daniel, & Iob fuerint in medio eius: uiuo ego dicit dominus deus, quia filium & filiam non liberabunt: sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.

Prolixus sermo hanc continet sententiam. Quatuor plagæ super terram peccatricem inducuntur iudicio domini, fames, bestia, gladius, pestilentia, quarum si singule per partes inductæ fuerint singulis regionibus, nulli uiri dei quantumlibet sancti, suis eas orationibus ad dominum abigere poterint, uel meritis conciliare: sed ne sanctorum quorumlibet filij & filiæ patrum respectu poterint liberari, si peccatricis terræ opera perpetrarint. Vbi ergo sanctorum in cœlis interceßio locum habebit? multo minus inuocatio patrũ à filijs, cum omnũ pater deus apostolos docuerit patrem in cœlis tantum orare, & quid denq; sit orandus à fidelibus. Cur autem horum trium hic mentio habeatur uaria fingitur ratio, quales apud Hieronymum lege, quem & Iudæi sequuntur, uel ipse Iudæos priscos. Sententia satis patet. Fuerũt sanctißimi inter peßimos habitantes, tres sunt experti fortunas, subinde primam felicem, secundã mediam, ultimam infelicißimã. Subuertit hic locus arcas indulgentiarum, patrocinium uiuorum & mortuorum. Iustus non saluatur maiorum iustitia sine propria. Non est spes collocanda nisi in solum deum. Quod autem hi tres iustitia sua se liberare poßint, generaliter accipiendum, et uulgari locutione, alioqui nemo unquam sua se iustitia liberauit, cum omnes peccatores sint, præter unum Christum, & gratia dei saluati sint omnes, nec quisquã ausus fuerit iudicium domini ingredi, sciens non iustificari in conspectu domini omnem uiuentem. Sed liquet satis huiusmodi uiros tali fuisse iustitia, quæ et fides est, præditos, ut iram domini tam grauem nunquam fuerint ppessuri. Et pro se quisq; rationẽ daturus est, & suæ animæ habiturus catenus rationẽ, ut pro alterius pecca-

Quatuor plagæ dei.

Noe Daniel Iob.

Iustitia fidei in sanctis.

to minime sit tam sæuam dei ultionem laturus.

20 ¶ Quoniam hæc dicit dominus deus, Quod & si quatuor iudicia mea pessima, gladium, & famem, ac bestias malas, & pestilentiam immisero in Ierusalem, ut interficiam de ea hominem & pecus:

21 Tamen relinquetur in ea saluatio educentium filios & filias: ecce ipsi egredientur ad uos, & uidebitis uiam eorum & adinuentiones eorum: & consolabimini super malo quod induxi super Ierusalē, omnia induxi super eam.

22 Et consolabuntur uos, cum uideritis uiam eorum & adinuentiones eorum: & cognoscetis quod non frustra fecerim omnia quæ feci in ea, ait dominus deus.

Sanctorum filij. Non parcit dominus etiam sanctorum filijs, si insceleribus perseuerent, sed qui agunt pœnitudinem, ut merita patrum filiorum adiuuet conuersio. Cum, inquit, hæc ita se habeant, ut terram peccatricem à singulis plagis tantorum uirorum non saluet deprecatio: sic dicit dominus, Quatuor ego simul plagas inducam super Ierusalem nephanda cōmittentem, ut nec homines in ea remaneant, nec iumenta, pro clementia tamen mea relinquam in ea aliquos, qui educant filios suos & filias, & captiui huc uenient in Chaldæam, in hunc usum, ut uos eos uidentes, iustitiam dei & ueritatem uerborum prophetarum eius discatis, eorum scilicet demerito subuersam Ierusalem, templumq; succensum populum ductum esse captiuum, præter eos quos gladius, fames, bestiæ, pestilentiaq; cōsumpserint. Si quando boni homines aduersa patiuntur, deus causam nouit, & potest multiplex assignari, ut habet disputatio in Iob. Si mali, hoc fit ut documenta præbeant alijs ut emendentur, ut iustitia dei eluceat. Causæ pœnarum considerentur, ut boni consolentur de euasione sua, & gaudeant de impiorum punitione ad laudem diuinæ iustitiæ, ut hic non potuit non placere pijs subuersio pestilentium ciuium. Non ergo culpanda sunt iudicia dei.

Causæ aduersorum.

¶ CAPVT XV.

1 ET factus est sermo domini ad me, dicens,

2 Fili hominis, quid fiet de ligno uitis ex omnibus lignis quæ putantur, quæ sunt inter ligna syluarum?

Varijs similitudinibus prænunciatur subuersio Ierusalem, tam in præsenti propheta, quàm in alijs. Hic uinea & uiti comparatur fructiferæ. Hæc uinea quandiu affert fructus, in omnibus lignis saltuum nihil est pretiosius: sin autem uuas habere desierit, in nullo utilis erit, nisi ut cū radice et propaginibus suis tradatur incendio.

3 Nunquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcunq; uas?

4 Ecce, igni datum est in escam, utranque partem eius consumpsit ignis, & medietas

eius redacta est in fauillam: nunquid utile erit ad opus?

5 Etiam cum esset integrum, non erat aptum ad opus: quanto magis cū illud ignis deuorauerit, & combusserit, nihil ex eo fiet operis?

Cætera ligna syluarum, ut de pomiferis arboribus ceam, succisa plurimam præbent utilitatē, & in omnem agriculturam, & in usum armorum proficium, & omnem domus tribuum suppellectilem: uitis autem si fructum mel uuas afferre cessauerit, in tantum inutilis est, ut nec paxillus quidem ex ea possit fieri, de quo aliquid pereat: cumq; malleolos excideris, utranq; partem eorum primū ignis arripit, deinde flamma consumit: tantumq; cum integra sit absq; frugibus nullam præbeat utilitatē. nihil prodest cum redacta fuerit in fauillam, ut etiam

6 ¶ Propterea hæc dicit dominus deus, Quomodo lignum uitis inter ligna syluarum, quod dedi igni ad deuorandum, sic tradidi habitatores Ierusalem.

7 Et ponam faciem meam in eos: de igne egredientur, & ignis consumet eos. Et scietis quia ego dominus, cum posuero faciem meam in eos,

8 & dedero terram inuiam & desolatam: eo quod præuaricatores extiterint, dicit dominus deus.

Sicut ergo uitis infructuosa incendio traditur, in nullam utilitatem: sic et Ierusalem imò habitatores eius tradentur igni ut consumat eos: etiam si de urbibus euaserint Iudæ, foris hostili gladio cōsumentur, et qui remanserint, ipso miseriarum pressi pondere, me esse dominum recognoscent, cum obfirmauero faciem meam contra eos, & dedero eos in æternam solitudinem. Non enim ex ignorantia, sicut cæteræ gentes, peccauerūt, sed prauaricati sunt fœdus initum, et deum agnitū contempserunt. Aliud est enim negligere quod ignores, aliud contemnere quod colueris. Et seruus qui scit uoluntatē domini, & nō facit eam, uapulabit multis. Et omnem palmitem non ferentem fructum, Christus quoq; tollendum à patre dicit. Quandiu ergo præcepta seruamus, semper excolimur, & cultura nostra purgatio est, & omnis noster conatus adiutorio dei peruenit ad finem, & fructum facit plenitudinis, & crescit in felicitatem ipsius ritus. Non ergo tantum respiciendum ad promissiones diuinas, sed ad colendam quoq; iustitiam. Non perniciose securis de dei tantum gratia cogitandum, sed de officio nobis iniuncto diligenter prosequendo.

¶ CAPVT XVI.

1 ET factus est sermo domini ad me, dicens,

2 Fili hominis, notas fac Ierusalem abominationes suas,

Grauis oratio contra Iudæos, in qua pœnitentiam suadet sub perpetua allegoria uiri matrimonium contrahentis cum miserrima iuuēcula à partu neglecta. Vbi Ierusalem & ortus, & educatio, & pubertas, & nuptiæ, &

pſtæ, adulterium & repudium: rurſuſq; reuocatio, hoc eſt Iudæorum ortus, electio, incrementa, honor, gloria, ingratitudo, contemptus, ſed & reconciliatio hoc capite prolixe deſcribitur, ut & clementia uiri atq; iudicium, adulteræ quoq; & meretricis ſcelera cognoſcantur, dum & ipſe poſt uniuerſa ſupplicia ſuſcitat ei pactum ſempiternum, utq; ipſa recordetur iniquitatis ſuæ, & confundatur. Multũ enim prodeſt peccatoribus ſcire quid fecerint.

3 & dices, Hæc dicit dominus deus Ieruſalem, Radix (origo) tua & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chethæa.

Audacia prophetarũ

Magna fides & audacia prophetarum, tantam urbem tam contemptibiliter arguendo inuadere, quam et Daniel, Eſaias, Ieremias, & cæteri præſtiterunt, domino obſequentes, qui ſuæ ueritatis aſſertoribus aſſiſtit. Conuerſatio tua & ingenium tuum, ait Ezechiel ad Ieruſalem, aliter non habet, q̃ ſi de Cham patre Chanaan natus eſſes, qui princeps fuit gẽtis Aegyptiacæ. Et nũc te in hac terra habitantem Amorrhæus genuiſſe uidetur & diuiſſe Chethæam, ſic uniuerſa illarum gentium crimina adhærere tibi ueluti per naturam & generationem immutabiliter uidentur à bene iudicantibus.

4 Et quando nata es, in die ortus tui non eſt præciſus umbilicus tuus, & in aqua nõ es lota in ſalutem, nec ſale ſalita, nec inuoluta pannis.

Vocatio Iſraelis.

Nemo curam tui habuit, non ſecus ac ſi de ſcorto nata eſſes, ut ſpurius proiectitius, & expoſititius infans à tua infantia, niſi ego ſolus, qui miſerrime iacentem curandam ſuſcepi, ex ſola gratia & miſeratione, nullis tuis officijs, ſed meapte clementia & electione prouocatus. Iacebas enim ſine præciſo umbilico, in pudendis natiuitatis tuæ exordijs, in magnis miſerijs, non habuiſti officia obſtetricis, quaſi ſæua matre nata & abiecta, uitam uiuens ſecundum contaminationes gentiliũ, tam in Chaldæa diutũ quàm in Aegypto poſtea, luto ſeruiẽs et lateri. Nec recens natum corpuſculum ſanguinolentum ablutum erat aqua: adhærebant enim tibi mores gentiũ, & ſpurcitias ſuperſtitionũ non paucas contraxeras in Aegypto, ſine aqua ſapientiæ & timoris domini, quam nemo docuerat. Nec ſalita eras ſale: uitiorum multorum putor, & noxius humor, ſapientiæ diuinæ ſale nondum ſiccatus erat, nihil ſaporis uel diligentiæ conſecuta à præceptoribus. Nec inuoluta pannis: nondum lege dei conſtringebantur infirma & imbecillia membra tua.

5 Non pepercit ſuper te oculus, ut faceret tibi unum de his, miſertus tui: ſed proiecta es ſuper faciem terræ in abiectione animæ tuæ in die qua nata es.

Non pepercit ſuper te oculus, curam tui nemo ſuſcepit, nemo tui miſertus eſt, qui ſuppeditaret neceſſaria tibi officia: nullius ſuper te mota ſunt uiſcera, ut obſequijs huiuſmodi adeſſet neceſſitati tuæ: quæ in agro neglecta iacebas, periculo beſtiarum expoſita & necis. Natura enim omnes naſcimur filij iræ, & ab infantia tantum ad mala inclinamur, ignorantia imbecillitaſq; adhærent ab utero primæ matris: ſic tu ſecundum aliarum gentium ritus uiuebas ruditer.

6 Tranſiens autem per te, uidi te conculcari in ſanguine tuo: & dixi tibi cum eſſes in ſanguine tuo, Viue: dixi inquam tibi, In ſanguine tuo uiue.

Miſericordia dei ad Iſrael.

Non meritis tuis, ſed ſpontanea charitate te uiſitaui: non accedere poteras ad me, ſed ego tranſiens, non caſu, ſed ex gratia acceſſi, & aſpexi te clementiæ oculis. Et ecce conculcata iacebas, & infecta ſanguinibus tuis, erroribus & prauis moribus Aegyptiorum deprauata, & infantium tuorũ miſera occiſione infeliciſſima. Hic ego alloquutus ſum te per Moſen, ut æquanimior fieres, & ſpem tot mala euadendi conciperes. Viuere te iuſſi, id eſt, à periculis tantis eripui, duplicíq; tuo ſanguine tibi medelam ordinaui, paſchatis ſcilicet myſterio, & circunciſionis, quibus ſacramentis conſolatus ſum conſcientiam tuam, & fidem confirmaui, ut coram me uiueres, & de meo fauore fiducia inſigni conſolareris, ſperareſq; deinde adhuc maiora beneficia.

7 Multiplicatam quaſi germen agri dedi te: & multiplicata es, & grandis effecta, & ingreſſa es, & peruenisti ad mundum muliebrem: ubera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit: & eras nuda, & confuſione plena.

Tantopere te omnium rerum abundantia auxi, & prole fœcundaui, ut pulcherrimi agri haberes ſimilitudinem, ſicut odor agri plen, cui benedixit dominus. Numero & merito tantum aucta es, mea tamen gratia, ut ad mundum muliebrem peruenires, pubertatis elegantiam aſſecuta es, & nubilis facta, ut ubera tua intumeſcerent, & pilus germinaret, & tota parata uidereris ad nuptias pulchritudine corporis: ſed ueſtimentorum tegmina non habebas, quæ uiri amplexus aufugere malles, quàm deſiderare poſſes, nuda ſcilicet tam fide quàm charitate, quia nec miracula adhuc uideras, nec iudicio tuo beneficia perceperas.

8 Et tranſiui per te, & uidi te: & ecce tempus tuum, tempus amantiũ: & expãdi amictum meum ſuper te, & operui ignominiã tuam. Et iuraui tibi, et ingreſſus ſum pactũ tecum, ait dominus deus: & facta es mihi.

Sic nudam & uerecundam inueniens, acceſſi propius, in Aegypto oppreſſam uiſitaui, & iam ætate nubilem in uxorem duxi, ſponſalia contraxi, elegi in populum peculiarem, deleui iniquitates tuas, non imputando quicquid ſpurcitiarum contraxeras in Aegypto, eduxi te de domo patris tui, & inij fœdus tecum, teſtamentum pacis & gratiæ pepigi, & facta es mea, populus peculiaris, primogenitus filius, electa ſponſa unica, præ multis concubinis familiarior.

9 Et laui te aqua, & emundaui ſanguinem tuum ex te: & unxi te oleo.

Dum per mare Rubrum & Iordanem ſuos deus duceret, ſpiritualis baptiſmatis myſterium exercuit: laua-

ero scilicet regenerationis spiritũ illis dando, quo parati essent adhærere domino, legemq; seruare proponendam illis. Renati enim ex aqua et spiritu sancto, regni cœlorum consortes redduntur, & à peccatis suis emundantur per sanguinem Christi, præfiguratũ sanguine postiũ Israëliticarũ, qui signum erat salutis et filiorũ dei. Vnxi te oleo, spiritum dedi, quo allicereris ad sequendum me, & credendum uerbis meis, & mandatis obsequendi.

10 Et uestiui te discoloribus, & calceaui te hyacintho: & cinxi te byſſo, & indui te serico.

Ornatus dei in Israëlem.

Varijs te ornaui legis ceremonijs, quarum occupata studio idola non sequereris. Varia quoq; uirtutum ornamenta habet ecclesia sanctorum, sponsa dei, misericordiæ, bonitatis, humilitatis, mansuetudinis, patientiæ. Et calceaui te hyacintho, pretiosis de taxina pelle muniui pedes, desiderijs rerũ cœlestiũ, & circunspectione, ne offendantur gressus, & impingant affectus in scandalum peccatorũ. Et cinxi te byſſo, innocentia uitæ decoraui sponsam, ut cõscientia sua nulla fœditate polluatur, quæ non nisi multis laborum exercitijs comparatur. Induitur quoq; subtilibus & bombicina ueste, quæ idem significat. Vult autẽ dicere, quod omnem ornatũ suum, gloriam & splendorem à domino susceperit, de se nihil nisi miserias multas habuerit. Vel ubertatem Iudaicæ terræ & iucunditatem notat, cultu tam nobilis uestitus.

11 Et ornaui te ornamento, et dedi armillas in manibus tuis, & torquẽ circa collũ tuũ.

Generale addit ornamenti genus, cuius species enumerauerat. Armillas ad manus, intelligit opera eximiarum uirtutum. Torques autem ex colle pendens ad pectus, significat obedientiam legis complectentis gemmas præceptionum iustißimarum.

12 Et dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo.

Aureum circulum sensuum & dogmatum diuinorum tradidit sanctis ueteris populi, quæ nunc Hierosolyma describitur. Rotulas quoq; in auribus, ut aures septas habeat & clausas, ne uoces audiat Sirenarum suadentium sæcularis philosophiæ impia dogmata. Coronam decoris in caput, quid aliud est, quàm promißio benedictionis & felicitatis in Christo? uel secundũ Iudæos sancta lamina aurea in capite pontificis?

13 Et ornata es auro & argento, & uestita es byſſo, & polymito, & multis coloribus: similam, & mel, & oleum comedisti, & decora facta es uehementer nimis: & profecisti in regnum.

Tradidit Israëlitis deus ius rapiendi aurum & argentum, quo postea templi uasorumq; maiestas conflaretur, fidei & charitatis indicium, quibus deus uult coli, alijsq; uirtutum ornatibus, byſſo puritatis & innocentiæ, polymito diuersorum ordinum in cultu diuino, patientiæ denique & perseuerãtiæ. Similam, mel, & oleum dedi in cibum, usum creaturarum omnium in gloriam dei, & ad alliciendũ amorem tuum in creatorem omnium, à quo tanta susceperis bona. Innumerabilia sunt beneficia dei ad Israëlem, quæ omnia huiusmodi paucis nominibus uult intelligi, ut intelligat se præ alijs omnibus gentibus glorificatam & electam, ut deum coleret & amaret: ut etiam glorioso & potenti regno exultarit, & admirabilem reddiderit.

14 Et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam: quia perfecta eras in decore meo quem posueram super te, dicit dominus deus:

Meis beneficijs & largitate ad reginæ gloriam & uocabulum profecisti, ut passim in gentibus famaris, & esses non tuis meritis, sed mea liberalitate gloriosa præ cæteris. Non fecit enim dominus taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.

15 Et habens fiduciã in pulchritudine tua fornicata es in nomine tuo: & exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut eius fieres.

16 Et sumens de uestimentis tuis, fecisti tibi excelsa multicoloria (hinc inde consuta) et fornicata es super eis, sicut non est factũ, neq; futurum est.

17 Et tulisti uasa decoris tui, de auro meo atq; argẽto meo, quę dedi tibi: & fecisti tibi imagines masculinas, et fornicata es in eis.

18 Et sumpsisti uestimenta tua multicoloria, & operuisti illas: et oleum meũ, & thymiama meum posuisti coram eis.

19 Et panem meũ quem dedi tibi, similam & oleum, & mel quibus enutriui te, posuisti in conspectu eorum in odorem suauitatis, & factum est, ait dominus deus.

Post enumerata beneficia maxima & ornamenta sponsæ Synagogæ Iudaicæ, nunc illius execrabilem ingratitudinem improperat dominus per prophetam. Cœpit enim impiè nimis nõ in dei clementia, sed in suo decore confidere, cum tanto magis timere debuerit, quanto sublimior esset, & non fornicari de nomine suo, nec dei liberalitatem putare suam propriã uirtutem. Ne gloriere de decimunere quasi non acceperis, nescis quid uentura parturiat dies. Cum enim à domino tanta susceperis, stultum est in iniuriam sponsi omnem donorum suorum copiam non illi acceptã referre, sed citius omnibus alijs, nõ ijs, sed dæmonibus, idolis & spurcitijs gentium. Maior nequitia & iniuria cogitari non potest, quàm tanta gratia susceptã in sponsam summi regis, summo contemptu & fornicandi libidine se prostituere omnibus adulteris, sine uerecundia & timore tete omnibus uenditando mercedesq; largiendo de bonis mariti, & ornamenta quæ accepisti transferre ad iniuriã donatoris. Omnes nationes, quæ à principio idolis seruierũt, non tanti criminis reæ sunt. Nec fuerunt tot & talia excelsa apud aliquem populum, nec erunt alicubi, quot & qualia erant Israëlis excelsa. Quicquid ornamentorũ habebat templum domini, Achas & sui similes reges conflauerunt & uertebant in idola Baalis, Chamos, et Astaroth. Quicquid obla-

tionũ

lationum et odoramentorũ dño offerendũ fuerat, hoc posuit in cõspectũ idolorũ, ut essent eis in odorẽ suauitatis.

20 Et tulisti filios tuos & filias tuas quas genera-sti mihi: & immolasti eis ad deuorandum. Nunquid parua est fornicatio tua?

21 Immolasti filios meos, & dedisti illos consecrans eis.

Immolauerũt, ait Psaltes, filios suos & filias dæmonibus: & effuderunt sanguinem innocentem filiorum & filiarum, quas immolauerunt sculptilibus Chanaan, more ethnicorum, qui per ignem filios suos uel transferunt paruulos, uel adultos transire compellunt.

22 Et post omnes abominationes tuas & fornicationes tuas, non es recordata dierũ adolescentiæ tuæ, quãdo eras nuda & confusione plena, conculcata in sanguine tuo.

23 Et accidit post omnem malitiam tuam, uæ uæ tibi: ait dominus deus.

Cum hæc omnia feceris, non es recordata miserrimi status tui, de quo te sustuli in tantam gloriam & charitatem. Quid autem uicissim propterea passa sis, quantis digne malis adflicta, nõ necesse est recensere, sæpius ipsa sensisti, & senties.

24 Et ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi excelsum in cunctis plateis.

25 Ad omne caput uiæ ædificasti signũ prostitutionis tuæ: & abominabilẽ fecisti decorẽ tuũ: & diuisisti pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti fornicationes tuas.

26 Et fornicata es cũ filijs Aegypti uicinis tuis magnarum carnium: & multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me.

Publica idololatria & adultera.

Non occulta fornicatione fuisti contenta, sed ædificasti tibi lupanar, & in omni uia signum transeuntibus posuisti, ut uenirent ad scortum, & satiarent libidinem: omnem quamlibet turpem idololatriam de remotissimis quoq; locis allatam, auidissimo zelo idololatrandi suscepisti. Et inter cætera etiam Aegyptijs uicinis amore spurcissimo adhæsisti, quod magnarum essent carnium, & multarum expensarum, & ceremoniarũ onere pergerentur illorum sacra, nõ contenta legitimis meis pueris & leuibus, spurcos & onerosos gentilium ritus suscepisti. O si quispiam hodie Ezechiel turpitudinem & impietatem idololatriamq; tot diuorum & impostoras pro dignitate traduceret, longe certe eũ horribiliora dicere oportebit quàm hic noster, quamlibet obscœna loquatur. Longe enim turpiora agebantur, quàm dicere uel exponere potuerit sanctus propheta. Sed qui nostra recensẽat, necessarius non est, ipsa se impietas lucubrationum et odoramentorũ dño offerendũ fuerat, hoc posuit in cõspectũ idolorũ, ut essent eis in odorẽ suauitatis.

20 Et tulisti filios tuos & filias tuas quas genera-sti mihi: & immolasti eis ad deuorandum. Nunquid parua est fornicatio tua?

21 Immolasti filios meos, & dedisti illos consecrans eis.

Immolauerũt, ait Psaltes, filios suos & filias dæmonibus: & effuderunt sanguinem innocentem filiorum & filiarum, quas immolauerunt sculptilibus Chanaan, more ethnicorum, qui per ignem filios suos uel transferunt paruulos, uel adultos transire compellunt.

22 Et post omnes abominationes tuas & fornicationes tuas, non es recordata dierũ adolescentiæ tuæ, quãdo eras nuda & confusione plena, conculcata in sanguine tuo.

23 Et accidit post omnem malitiam tuam, uæ uæ tibi: ait dominus deus.

Cum hæc omnia feceris, non es recordata miserrimi status tui, de quo te sustuli in tantam gloriam & charitatem. Quid autem uicissim propterea passa sis, quantis digne malis adflicta, nõ necesse est recensere, sæpius ipsa sensisti, & senties.

24 Et ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi excelsum in cunctis plateis.

25 Ad omne caput uiæ ædificasti signũ prostitutionis tuæ: & abominabilẽ fecisti decorẽ tuũ: & diuisisti pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti fornicationes tuas.

26 Et fornicata es cũ filijs Aegypti uicinis tuis magnarum carnium: & multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me

me potuerũt à mundo, ne dicamus à domino deo nostro.

35 Propterea meretrix audi uerbũ domini.

36 ¶ Hæc dicit dominus deus, Quia effusum est æs tuum, & reuelata est ignominia tua in fornicationibus tuis super amatores tuos, & super omnia idola abominationum tuarum in sanguine filiorum tuorum quos dedisti eis:

37 ecce ego congregabo omnes amatores tuos quibus commista es, & omnes quos dilexisti cũ uniuersis quos oderas: & congregabo eos super te undiq;, & nudabo ignominiam tuam coram eis, & uidebunt omnem turpitudinem tuam.

38 Et iudicabo te iudicijs adulterarum & effundentium sanguinẽ: & dabo te in sanguinem furoris & zeli.

39 Et dabo te in manus eorũ, & destruent lupanar tuum, & demolientur prostibulũ tuum: & denudabunt te uestimentis tuis, & auferent uasa decoris tui: et derelinquẽt te nudam plenamq; ignominia.

40 Et adducent super te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus, & trucidabunt te gladijs suis,

41 Et comburent domos tuas igni, & facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum: & desines fornicari, et mercedes ultra non dabis.

42 Et requiescet indignatio mea in te, et auferetur zelus meus à te, & quiescã, nec irascar amplius.

Pœna idolatrarum.

Audi igitur ô insignis famosa & improba meretrix (uidetur enim magnam habere emphasim) quæ feceris, & quæ passura sis. Effudisti æs tuum quod à me accepe ras, dedistiq; amatoribus tuis, & filios tuos interfecisti, ad gratificandum illis, ut non solum adultera, sed & par ricida extiteris. Ideo congregabo contra te omnes, tam amatores quàm osores tuos, & adulterarum te lege nudabo. Congregabuntur enim contra eam gentes omnes, quarum idola adorauerat, & destruetur templum, non iam domini, sed Baalim, & ciuitas cum tot aris idolorum succensa ardebit, ut nihil remaneat. Et ut solent contra adulteram lapides iacere omnes, & trucidare maleficam omnium uulneribus, in exemplum mulieribus, ut uideant & caueant: sic exemplum nationum & urbium erit Hierosolyma, tam misere tractanda ob adulterium suum, ut posthac fornicari desinat, etiam si nolit, quia non posit, neq; mercedes dare amatoribus suis, ut nulla mihi postea detur occasio tanti zeli. Ex quo perspicimus grandem offensam esse, nequaquã curæ haberi à deo, sed permitti hominem sceleribus suis. Requiescam inquit, posthac, & non irascar amplius, non enim dignã arbitrabor, de cuius amore soliciter, quam æternæ tradi derim contumeliæ.

43 Eo quod non fueris recodata dierum adolescentiæ tuæ, & prouocasti me in omnibus his: quapropter & ego uias tuas in capite tuo dedi, ait dominus deus, & non feci iuxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis.

Hæc autem uniuersa feci sti & patieris, quia oblita beneficiorum pristinorũ, me prouocasti ad iracundiam, quem fide syncera & sanctis operibus debueras prouocasse ad gaudiũ. Reddam igitur uicem perfidiæ tuæ, & adulteram subuertam: minus tamen iræ exercebo in te, quàm meruisti, quo et in hoc diuina clemẽtia demonstretur, ut maiora sint peccata quàm pœnæ.

44 Ecce omnis qui dicit uulgo prouerbiũ, in te assumet illud, dicens, Sicut mater, ita & filia eius.

45 Filia matris tuæ es tu, quæ proiecit uirũ suum & filios suos: & soror sororum tuarum es tu, quæ proiecerunt uiros suos, & filios suos, mater uestra Chethæa: et pater uester Amorrhæus.

46 Et soror tua maior, Samaria, ipsa et filiæ eius quæ habitant ad siniſtram tuam: soror autem tua minor te, quæ habitat à dextris tuis, Sodoma & filiæ eius.

47 Sed nec in uijs earum ambulasti, neq; secundum scelera earum fecisti pauxillum minus: penè sceleratiora fecisti illis in omnibus uijs tuis.

*Aptatur adhuc Hierosolymæ tritum uulgo prouerbium: Qualis mater, talis & filia atq; soror. Fide ita sit ibium: Qualis mater, talis & filia atq; soror. Fide ita sit ibium: Qualis mater, talis & filia atq; soror. Fide ita sit ib

50 Et eleuatæ sunt, & fecerũt abominationes coram me: & abstuli eas sicut uidi.

51 ¶ Et Samaria dimidium peccatorũ tuorum non peccauit: sed uicisti eas sceleribus tuis, & iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.

Sodomæ scelera & iudæorum.

Iurat dominus in Veteri Testamento, Viuo ego dicit dominus: in Nouo, Amen amen dico uobis. Peßima quidem Sodoma fuerat, & Samaria quoque, sed comparatione Hierosolymæ iustiores erant. Sodomæ autem scelera describens & filiarum, primam superbiam potus fuit, proprium diaboli primumq; peccatum, qua inflatus qui fuerit, in iudicium diaboli incidit, propter quam & de cœlo corruit, quibus & deus resistens humilibus largitur gratiam. Superbiæ autem seminarium est saturitas panum, & rerum omnium abundantia. Otium autem desyderia parit: sequitur q; obliuio dei, quæ præsentia bona, delitias, luxum & opulentiam putat esse perpetua, & nunquam sibi necessarijs indigendum, idq; ut fiat manum egeno non porrigit, sic oblitus sui, ut de nullo se solicitum esse debere cogitet. Quapropter lege præcipitur, ne ditatus & delitijs affluens obliuiscatur quis domini dei sui, & ne saturatus mendax fiat, & blasphemet dominum: tale autem fuit Sodomiticum crimen. Samaria autem præter uitulorũ culturam & Baalim, pauperumq; oppreßionem, & prophetarum domini occisionem, alijs multis abominabilibus erat criminibus onusta, sed iustiores tamen erãt ambæ Hierosolyma, quomodo & publicanus non absolute iustus dicitur, sed collatione peioris. Cum itaq; tales sint Sodoma & Samaria, ne dimidium quidem peccauerunt comparatione Ierusalem, quod ea uoluntatem domini sciuerit, templum & legem habuerit, prophetas quotidie audierit, & præsentiam domini contempserit, iudicium & iustitiam non fecerit, & in idolorum cultura miserabiliter insanuerit, otio & libidine excesserit reliquas omnes urbes & occisione sanctorum.

52 Ergo & tu porta confusionẽ tuam, quæ uicisti sorores tuas peccatis tuis sceleratius agens ab eis: iustificatæ sunt enim à te: ergo & tu confundere, et porta ignominiam tuam, quæ iustificasti sorores tuas.

Portat tormentum suum, qui propria torquetur conscientia, & in isto sæculo sustinet sponte passiones, ne æterna tormenta sustineat. Ierusalem, Sodoma et Samaria iustificantur, non quod per se iustæ sint, sed comparatione maioris iniustitiæ.

53 Et conuertam restituens eas conuersionem Sodomorum cum filiabus suis, & conuersionem Samariæ & filiarum eius: & conuertam reuersionem tuam in medio earũ,

Hierosolymæ conuersio.

54 ut portes ignominiam tuam, & confundaris in omnibus quę fecisti, cõsolans eas.

Grandis clementia dei ad Ierusalem, quum, si confundatur, & illatum dei iudicium libenter excipiat, uel æquanimiter, dicẽs, Iram domini sustinebo, quia peccaui ei, promittatur ei restitutio in antiquũ statum. Vnde patet non esse naturalem iram dei, sed nostris nimiũ multis & enormibus uitijs mansuetissimũ dominum ad iracundiam prouocari. Conuersio autem Hierosolymæ satis illustris facta est sub Ezdra, Neemia, et reliquis, perfectissima autem in Christo, si salutis suæ & uisitationis tempora cognoscere potuisset, sed tamen lapideæ urbi paruæ succeßit felix, aurea, latissima, cœlestisq; Ierusalem longe gloriosior quàm sensus aliquis etiam propheticus excogitare potuerit, quantumlibet id eximijs & multis uerbis proloqui tentarint.

55 Et soror tua Sodoma, & filiæ eius reuertentur ad antiquitatem suam: & Samaria, & filiæ eius reuertentur ad antiquitatem suam: & tu, & filiæ tuæ reuertemini ad antiquitatem uestram.

Sub regno Christi in statu ecclesiæ, omnia hic & alibi promissa Hierosolymæ, Samariæ & Sodomæ quotidie complentur. Sodoma reuertitur in antiquum statum, quando impij gentiles, et criminosi homines de peccatis conuertuntur ad dominũ, & peccasse illos ex animo pœnitet, in Christoq; sibi salutem promissam amplectuntur, fide credentes non propter ipsos sed propter peccatoribus dominum crucifixũ. Samaria recipit antiquam beatitudinem, quando idola toto mundo concidunt, & uerbi dei synceritas contra hæreses fidei & morum defenditur et acceptatur: quibus cõuersis, Ierusalem quoq; pacis uiso reuertitur in pristinum statum, ut in ea dominus digne colatur ab omnibus, & sacrificia iustitiæ domino à fidelibus offerantur. Samaria restituenda.

56 Non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo, in die superbiæ tuæ,

57 antequam reuelaretur malitia tua: sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ, & cunctarum in circumitu tuo filiarum Palæstinarum, quæ contemnunt te per gyrum:

58 Scelus tuum & ignominiã tuam tu portasti, ait dominus deus.

In diebus superbiæ tuæ quando peccabas non subijt tibi mentem, quid pro peccatis suis Sodoma sustineret: nunc autem omnibus & tibi immotescit, quantum increuerint peccata tua, iam nunc positæ in opprobrium reliquis urbibus Palæstinæ & Syriæ: hæ non paruum indicant peccatum tuum, quæ quia talis esses coram deo & hominibus, tam crudeliter excindi potueris. Nunc ergo reuelata ignominia tua, uel adhuc nunc ausculta sententiam domini, agnoscens scelus & ignominiam tuam, ut postquam pœnas pro sacrilegio sustinueris, uenia quoq; non ex pacto tuo, sed ex mea clementia consequaris.

59 ¶ Quia hæc dicit dominus deus, Et faciam tibi sicut fecisti quando despexisti iuramentum, ut irritum faceres pactum:

60 & recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ: & suscitabo tibi pactum sempiternum.

61 Et recordaberis uiarum tuarum, & confunderis: cũ receperis sorores tuas te maio

res cum minoribus tuis: & dabo eas tibi in filias, sed non ex pacto tuo.

62 Et suscitabo ego pactum meũ tecum: & scies quia ego dñs, ut recorderis & confundaris, & nõ sit tibi ultrà aperire os præ confusione tua, cum placatus tibi fuero pro omnibus quæ fecisti, ait dominus deus.

Recipies quidem quod mereris, quia despexisti promissiones & iuramentum meum, & irritum fecisti pactum. Cum autem tempus uenerit miserendi in plenitudine temporis, tunc recordabor pacti mei, quod promisi de Christo & Euangelio exituro de monte Sion & Ierusalem, tuncq; recipies in unitatem ueræ fidei, charitatis & felicitatis, in uno uero deo et legitimo illius cultu, non solum Samariam & Sodomam, sed desperatißimæ impietatis nationes & regna, quæ ego tibi ut matri filias cõmendabo, clarioremq; reddam nomẽ & gloriam quàm uel unquam fuerit, & quàm mortalium quispiam ualeat diuinare. Tunc aũt iustitiam domini prædicabis, & ex peßimo statu tuo cernes dominũ pro sua bonitate totius orbis iustitiam & salutem promouisse. Tunc eris mater fidelium omnium, tantaq; filiorum amplitudine dilataberis, ut admiratura sis dei circa te bonitatem, & cõfunderis quàm maximè à copiosißima clementia conditoris tui, qui te elegit in nomen gloriæ suæ, et matrem infinitæ multitudinis filiorum lætantem, quæ te sterilem & orbatam filijs iudicabas & indolebas. Quæ sit enim glorioßor, etiam in orbe toto urbs, & maioris nominis, ea Hierosolyma de qua hic agitur, nulla inuenitur iudicio omnium hominũ: utcunq; in ruinis lapidum iaceat, suburbia tamen habet regna omnium nationum, non ut ea nũc magni sit momenti, sed fidelium cœtus toto orbe dispersus, is est ciuitas electa, & Christi metropolis, cuius regnum non est caro, sanguis, uel mundus hic corporeus & mortalis. Quandoquidem Meßiæ regnum prophetæ prædixerunt perpetuum futurũ, unuersaliter in totũ mundum, in quo omnes adorabunt unum solum deum, quorum corda rex ille perfecte intuebitur, nec secundũ iudicium aurium iudicabit. Est ergo Meßias deus Emmanuel, dudum iam rex & princeps in militante & triumphante Hierosolyma contra Iudæos omnes.

Reuersio Iudaica.

Hierosolyma gloriscanda.

CAPVT XVII.

1 ET factus est sermo domini ad me, dicens,

2 Fili hominis propone ænigma, & narra parabolam ad domum Israël:

3 & dices, Hęc dicit dominus deus, Aquila grandis magnarũ alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & uarietate uenit ad Libanũ, & tulit medullam cedri.

Obscurior & allegorica narratio ænigma est, aliud præferens in uerbis, aliud tenens sensu. Prius autem parabola ponitur, deinde explicatur à propheta contra perfidiam Sedechiæ notandam & puniendam ob fractũ fœdus. Aquila grandis, rex est Chaldæorum, multis imperans nationibus, & innumerabili uallatus exercitu

Aquila grandis.

uenit ad Libanum, quo crebo in scripturis significatur templum, quod erat inclytum atq; sublime, uel etiam tota Iudæa, regnum & urbs Ierusalem. Medulla autem cedri ablata, signat Iechoniam regem Iuda, quem cepit Nabuchodonozer cum matre sua et principibus populi, cum electis q; opibus Ierusalem, & uasis templi, trasstuliq; in Babylonem, quæ est terra negotiationis et rapinarum. De cuius postea gente re Salathiel & Sorobabel geniti, unde de Christus Dñs iuxta carnẽ natus scribitur à Matthæo.

4 Summitatem frondium eius auulsit: & transportauit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum posuit illam,

Caput uel cacumen tenerrimum decerpsit. Alludit ad iuuentutem Ioachin. Fagella significãt matrem cum auxilicis. Chanaan autem Babylonia dicitur ciuitas mercatorum & emporium quo opes congerebantur.

5 & tulit de semine terræ, & posuit illud in terram fertilem: tulit illud super aquas multas, uelut salicem posuit illud.

6 Cumq; germinasset, creuit in uineam latiorem, humili statura, respicientibus ramis eius ad eam: & radices eius sub illa erant: facta est ergo uinea, & fructificauit in palmites & emisit propagines.

Tulit Babylonius Mathaniam patruum Iechoniæ, uersoq; nomine Zedekiam uocauit, & regem posuit in Ierusalem, & præfecit multis quidem populis, tamen protestatem eius alta imperij radice nõ firmauit, qui tamen prospere satis regnauit, & filios genuit, quandiu fœdus seruauit, in tantum, ut illi secundum Hebræos tanquam iusto homini commendata fuerit administratio regnorum, Edom, Moab, Amon, Tyri, & Sidonis. Ramus tamen eius respicere debebant ad aquilã, ut præesset quidem Iudæis, sed subesset imperio Babyloniꝰ. Ortumq; est quod plantatum fuerat, & factum est in uineam infœcundam & paruulam, ut tantum appareret rami eius, ut uideretur quidem habere regnum, sed humile & infœcundum, Babyloniiq; principis regeretur arbitrio.

7 Et facta est aquila altera grãdis, magnis alis, multisq; plumis: & ecce uinea ista quasi uertens radices suas ad eam, palmites suos extendit ad illam, ut irrigaret eam de areolis germinis sui.

8 In terra bona super aquas multas plantata est: ut faciat frondes, & portet fructũ, ut sit in uineam grandem.

9 Dic, Hæc dicit dominus deus, Ergóne prosperabitur? nónne radices eius euellet, & fructus eius distringet, et siccabit omnes palmites germinis eius, arescet: & non in brachio grandi, neq; in populo multo, ut euelleret eam radicitus?

10 Ecce plantata est: ergóne prosperabitur? nónne cum tetigerit eã uentus urens siccando siccabitur, et in areis germinis sui arescet?

Aquila secunda uel altera, & ipsa quoq; magna, plecuina

na plumis & multorum unguium, propter rapacitatem & uastationem gentium plurimarum, rex Aegypti est, id est significatur. Vinea autem ista, rex Sedechias, cœpit mittere propagines suas, ad regem Aegypti legatos mittendo, & ab eo contra regem cui subditus erat auxilium postulando, sicut fecerat Hoseas rex Israël. Hoc est enim quod hic dicitur, Vt irrigaret eam de arcolis germinis sui. Iubetur ergo propheta loqui ad uineam Iudaicam, Nunquid prosperabitur, quia hoc facere conata est, & non statim omnes propagines eius & palmites siccabuntur? Et non, inquit, in brachio grandi, &c. Fugiens enim Sedechias regis Aegyptij auxilio destitutus, à ducibus Chaldæis capitur, filijs ac socijs huc illuc; dispersis.

11 ¶ Et factũ est uerbum dñi ad me, dicens,
12 Dic ad domum exasperantem, Nescitis quid ista (significent?) Dic, Ecce uenit rex Babylonis in Ierusalem: & assumet regem, & principes eius, & adducet eos ad semetipsum in Babylonem.
13 Et tollet de semine regni, ferietq; cum eo fœdus, & ab eo accipiet iusiurandum: sed & fortes terræ tollet:
14 ut sit regnum humile, & non eleuetur, sed custodiat pactum eius, & seruet illud.
15 Qui recedẽs ab eo, misit nuntios ad Aegyptum, ut daret sibi equos, & populum multum. Nunquid prosperabitur, uel consequetur salutem, qui fecit hæc? & qui dissoluit pactum, nunquid effugiet?

Explicatio. Explicatio est ænigmatis, & explicatione alia non opus habet. Discimus tamen etiam inter hostes seruandã fidem. Iuramenta facta diligentissime conseruanda, quæ non sunt contra deum: non impune franguntur in signũ prouidentiæ diuinæ, cum cedat in dei gloriã: nonq; considerandum cui sed per quem iuraueris. Multo enim fidelior inuentus est ille qui propter nomen dei tibi credidit & deceptus est, te, qui per occasionẽ diuinæ maiestatis hostii tuo imò iam amico es molitus insidias.

16 Viuo ego dicit dominus deus, quoniã in loco regis qui constituit eum regẽ, cuius fecit irritum iuramentũ, & soluit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur.

Ductus quidẽ est Sedechias in Reblata, ibiq; interfectis filijs excæcatus, et instar feræ clausus cauea translatus in Babylonẽ, quã quia cæcus erat, uidere nõ potuit.

17 Et nõ in exercitu grandi, neq; in populo multo faciet cum eo Pharao prælium: in iactu aggeris, & in extructione uallorũ, ut interficiat animas multas.
18 Spreuerat enim iuramentum, ut solueret fœdus, & ecce dedit manum suam: & cum omnia hæc fecerit, non effugiet.

Dupliciter intelligitur, siue quòd Aegyptius rex tanto exercitui Babylonio resistere non potuerit, siue quòd Sedechias expugnabitur à Pharaone, per occasionẽ speculati auxilij Pharaonici, sed nõ suscepti, propter quã perfidiam secuta est expugnatio Ierusalem, & regnũ finiti ũ.

19 ¶ Propterea hæc dicit dominus deus, Viuo ego, quoniam iuramentũ quod spreuit, & fœdus quod præuaricatus est, ponã in caput eius.

Hostes quidem fraude decipiendos non negatur: at Sedechias non hostem, sed amicum decepit, cui fœdere domini fuerat copulatus. Quandiu ergo non iuras et pactum non inis sub nomine domini, prudentiæ est & fortitudinis, uel decipere uel superare aduersarium, utcũq; potueris: constrictus autem iuramento, amicum qui credidit, decipere dei nuncupatione non licet. Qui enim contemnit iuramentum, illum despicit per quem iurauit, illiq; facit iniuriam, cuius nomini credidit aduersarius.

20 Et expandam super eum rete meum, & comprehendetur in sagena mea: & adducam eum in Babylonem, & iudicabo eum ibi in præuaricatione qua despexit me.
21 Et omnes profugi eius cum uniuerso agmine suo, gladio cadent: residui autem in omnem uentum dispergentur: & scietis quia ego dominus locutus sum.

Quicquid contra Sedechiam fecit Nabuchodnezer, non suis fecit uiribus, sed ira dei, in cuius nomine fuerat peieratum. Exercitus autem Sedechiæ dilapsus est partim, & fugit, postea Godoliam occidit, & qui residui fuerant, contra uerbum domini Aegyptum ingressi, ibidem quoq; suo tandem tempore à Babylonio occisi sunt.

22 ¶ Hæc dicit dominus deus, Et sumam ego de medulla cedri sublimis, & ponam: de uertice ramorum eius tenerum distringam, & plantabo ego super montem excelsum & eminentem.
23 In monte sublimi Israël plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum gloriosam: & habitabunt sub eo omnes uolucres, & uniuersum uolatile sub umbra frondiũ eius nidificabit.
24 Et scient omnia ligna regionis quia ego dominus humiliaui lignũ sublime, & exaltaui lignum humile: & siccaui lignum uiride, & frondere feci lignum aridum. Ego dominus locutus sum, & feci.

Post illata mala Israëlitis, consolatur dominus fideles de Christo uenturo, cui gentes et electi ex Israële sint adhæsuri. Verus quidem Nabuchodnezer propterea sumit de medulla cedri sublimis, de uertice ramorum eius, ut sit regnum eius humile, & non eleuetur regnum Iudaicum. Dominus autem deus pater omnipotens, de stirpe illa regia Sorobabel, sumit & plantat regnum æternum Christi, quem constituit regem super montem sanctum Zion. Defecerat enim princeps de Iuda, et dux de fœmore, donec ueniret, cui repositum est, et expectatio gentium. Ipse erupit in germen, et fecit fructum, cedros omnes sua sublimitate superauit, ita ut habitent sub eo omnes uolucres cœli, illius umbra protegantur, qui con- Consolatio fidelium in Christo.

gregat quasi gallina pullos sub alas, ut omnes gentes cognoscant, & earum reges, dominum deum esse omnipotentem, & dominum dominantium. Credentes enim norunt Israëlem, quondam eleuatum lignum, nunc autem humiliatum, contra autem humilem gentiũ populum floridum factum ex lege & prophetis, ut quod dudũ prædictum fuerat, opere compleretur.

¶ CAPVT XVIII.

1 ET factus est sermo domini ad me, dicens,

Obscurũ quidem uidetur caput propter locum de prouidentia dei et iustitia, sed est utilissimũ, de agẽda pœnitẽtia et emendanda mala uita. Prodit autẽ se scopus in fine capitis, ubi dicitur de conuersione peccatorũ de qua dominus gaudeat. Iudæi male exponunt legem de peccatis patrum propter quæ filij puniuntur, uolentes præclusam pœnitentiæ uiam, quasi etiam iusti filij pro malis parentibus pœnas luant.

2 Quid est quod inter uos parabolam uertitis in prouerbium istud in terra Israël? dicentes, Patres comederunt uuam acerbã, & dentes filiorum obstupuerunt.

Acerba uua

Quomodo si quis uelit dicere, Patres uuam acerbam comederunt, & dentes filiorum obstupuerunt, ridiculũ est, & nullam habens consequentiam: sic iniquũ est atq; peruersum, peccare patres, filios autem nepotes q; cruciari. Filij autem Israël fatebantur quidem Ieroboam et Manassen peccasse, uuamq; acerbam comedisse, & non fuisse punitos, sed nepotes et posteros pœnam luere, cum sint innocentes, quorum ij quidem in Assyrios Israëlitæ capti sunt, Iudæi autem in Chaldæam.

3 Viuo ego dicit dñs deus, si erit ultrà uobis parabola hæc in prouerbium in Israël,

4 Ecce omnes animæ, meæ sunt: ut anima patris ita & anima filij, mea est: anima quæ peccauerit, ipsa morietur.

Hæc parabola nequaquã dicetur in Israël ultrà, sed in his qui dei notitiam non habent, nec possunt perspicere ueritatem. Omnes animæ meæ sunt per creationem, nõ omnium mores & uitã probo. Non omnes homines dicuntur homines dei, sicut Moses et Helias: qui enim peccatum facit, seruus est peccati, & illi adijcitur cui se addixit, cuius elegit seruitium. Sicut peccata filiorum non nocent patribus, sic peccata patrum ad filios non redundant. Sed anima quæ peccauerit ipsa morietur, non abolitione substantiæ, sed felicitatis consortio separanda à uita uera, quæ est in Christo, qui uita est fidelium. Accipi quoq; potest anima Hebraico more, pro persona tota, non altera tantum parte hominis.

5 Et uir si fuerit iustus, & fecerit iudicium & iustitiam:

Iustus quis dicatur.

Iustus uir habetur à domino, qui deum timet, & mandata obseruat totius legis, non quòd opera illa externa iustum faciant, sed ostendũt adesse fidem in deum, cuius hæc quidem non sola fructus sunt, sed totius legis opera, cuius si quis unũ præceptũ præuaricetur, fit omniũ reus pro tanto, quod iustus etiã secundũ legẽ dici non possit:

nihilominus tamen etiam si obseruaret omnia, nõ tamen ex operibus, sed fide domino probatur, et iustus habetur. Recensentur autẽ hic opera legis, non omnia, sed pauca de multis, quibus reliqua includuntur. Exempli gratia potius adscribuntur Hebraico more et sacræ scripturæ, quàm ut summa sint uel haberi debeant cõsummatæ iustitiæ. Si, inquit, fuerit iustus, & fecerit iudicium, nihil scilicet sine ratione faciat & iudicio. Post iudicium sequitur iustitia, quam nõ aliter consequimur, nisi in Christo, qui factus est nobis iustitia & sanctificatio, ut scilicet iustus iustitiã faciat, nõ respiciẽdo personas in iudicio, sed sine affectione quacunq; carnali, quod iustũ sit, pbet in quolibet, & qualibet in causa, nõ fauore uel odio cuiuscunq;

6 in montibus non comederit, & oculos suos non leuauerit ad idola domus Israël: & uxorem proximi sui nõ uiolauerit, & ad mulierem menstruatam non accesserit,

In montibus comedere, est omnes in genere cerimonias idololatrarũ & ad diuorum honorem reliquias gentilitatis & infidelium societates amplecti et sectari. Olim enim in montibus & lucis, idolis hostias immolabãt, & thura succendebant. Oculos leuare ad idola, est fiducia sua ferri in aliud quàm in deum uerũ & solum, id quod domus Israël non faciebat, cum debuerit omnũ maxime. Vxorẽ proximi per adulteriũ uiolare, est uerbis et factis ad id solicitare. Menstruatam non accedere, est concupiscentiæ ueneream frena cohibere, & non tam libidinis quàm prolis rationem habere, in casto matrimonio.

7 & hominem non contristauerit, pignus debitori reddiderit, per uim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit uestimento:

Hominẽ contristare, est alteri inferre quod nõ possit pati ab alio, uel opprimere per potentiam, uel non iuuare necessitatem habentes & oppressos consilio uerbo & opere cũ possis. Pignus debitori reddere, est necessitatem patienti pro uirili succurrere, & perturbationẽ egestate non amplius perturbare. Per uim non rapere, uiolentiam nulli inferre, immoderatas diuitias nõ iniquo medio congregare. Panem esurienti dare, non luxuriosis, otiosis, libidinosis cibum ministrare, sed inanitate abstinentiæ: nec tamen panem nisi suum, nõ usuris uel rapinis quæsitum. Nudum operire uestimento, eum scilicet qui sese operire per paupertatem non potest.

8 ad usuram non commodauerit & amplius non acceperit, ab iniquitate auerterit manum suam, iudicium uerum fecerit inter uirum & uirum:

Vsuram non concupiscere, uel ad usuram non commodare, sed sponte uel cõmodare potenti restituere, uel de superfluo largiri extrema necessitate fatigato. Amplius non accipere, ad prius pertinet, non plura exigere à debitore quàm illi præstiteris. Ab iniquitate auertere manum, ut in omni opere fugiat iniquitatem, et ne quid nimis uel minus, labijs scilicet, pedibus, auribus et corde. Iudicium uerum facere inter uirum et proximum suum, non corrumpi muneribus, prece uel pretio.

& in

9 & in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit, ut faciat ueritatem: hic iustus est, uita uiuet, ait dominus deus.

Ambulare in præceptis.

In præceptis domini ambulare, decalogum est diuinæ legis custodire, & insuper deum colere non ritibus gentilium, sed ceremonijs institutis à domino, non pro nostro libitu, sed iussu dei. Hæc si quis seruare studuerit, & non seruata per ignorantiam uel fragilitatem humiliter & ex animo indoluerit, gratiamq; orationibus assiduis ambierit miserentis dei, uita quidem uiuet, & non sua, sed Christi domini iustitia, qui uia ueritas est & uita, saluabitur & beatus erit.

10 Quòd si genuerit filium latronẽ effundentem sanguinẽ, & fecerit unum de istis:

11 & hæc quidem omnia non facientem, sed in montibus comedentem, & uxorem proximi sui polluentem:

12 egenum & pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idôla leuantem oculos suos, abominationem facientem:

13 ad usuram dantem & amplius accipientem: nunquid uiuet? Non uiuet: cum uniuersa hæc detestanda fecerit, morte morietur, sanguis eius in ipso erit.

Lapis impius.

Vt sciatis iniquitates patrum nõ redundare in filios, si pater iniquissimi filij iustus prædicta seruauerit, uita uiuet: si uerò filius genitus non illa seruauerit, ipse reus erit sui sanguinis, patreq; seruato bono, seipsum filius suo exemplo euaserint iniquiores, patri suo bono nihil decedet iustitiæ. Manifestum est autem horum operum enumerationem, significare totius legis impletionem, alioqui difformiter, & quasi neglectim hæc & priora enumerari uidentur, ne Lector in talibus nasutior esse uelit, quàm pro spiritus prophetici simplicitate, & ueratißimi stili usu.

14 Quòd si genuerit filium, qui uidẽs omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, & non fecerit simile eis:

15 super montes non comederit, & oculos suos non leuauerit ad idôla domus Israël, & uxorem proximi sui non uiolauerit,

16 & uirum non contristauerit, pignus nõ retinuerit & rapinam nõ rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit uestimento:

17 à pauperis iniuria auerterit manũ suam, usuram & superabundantiam nõ acceperit, iudicia mea fecerit, et in præceptis meis ambulauerit: hic non morietur in iniquitate patris sui, sed uita uiuet.

18 Pater eius quia calumniatus est, & uim fecit fratri, & quod non bonum operatus est in medio populi sui: ecce mortuus est in iniquitate sua.

Filius quoq; peccatoris et impij patris, si uiderit peruersitatem uiarum patris sui, & cõuerterit se ad studia meliora, ad obseruantiam præceptorum dei, reus paternorum scelerum non tenebitur. Hæc pauca pluribus pro usu prophetarum dicuntur.

19 Et dicitis, Quare nõ portabit filius iniquitatem patris? Videlicet, quia filius iudicium & iustitiã operatus est, omnia præcepta mea custodiuit, et fecit illa, uiuet uita.

20 Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatẽ patris, & pater nõ portabit iniquitatẽ filij: iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum.

Quæstio soluitur.

Soluit quæstionem quam econtrario poterat auditor opponere: quare scilicet filius iustus nõ portabit iniquitatem patris, dicens: Quia filius bene operatus est, patris delicta non faciens. Iustumq; est, ut quomodo peccator in suo scelere moritur, sic iustus in suis uiuat uirtutibus: & moriatur anima quæ peccauerit, & uiuat quæ dei præcepta custodiuerit. Quæ omnia sic intelligenda sunt, ut fidei, operum bonorum matri, iustificatio deferatur, imò soli diuinæ gratiæ quæ fidem largitur, & opera per fidem, quia dei præcessit ab æterno electio, cuius nulla est ratio.

21 Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit oĩa præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiã: uita uiuet, nõ morietur.

22 Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua, quam operatus est, uiuet.

Peccata patrum redundare in filios.

In tantum peccata patrum ad filios non redundant, nec iustum filium sceleratus prægrauat pater, neq; alij pro aliorũ sceleribus puniuntur, ut ipse unus atq; idem, qui prius impius fuit, si ad meliora conuertatur, & pristina deserat, non iudicetur uetustate peccati, sed in meũ suscipiatur gregem innouatione uirtutis: si tamen præcepta domini non unum & alterum seruet, sed omnia, ne in uno offendens, reus impietatis habeatur. In iustitia sua quam quisq; fecit uiuet. Non ob patris uel filij iustitiam quisquam saluatur à debitis iniquitati pœnis, sed pro sua ipsius uirtuosa conuersatione domino commendabitur, & iudicium impiorum euadet.

23 Nunquid uoluntatis meæ est mors impij dicit dominus, & non ut conuertatur à uijs suis, & uiuat?

Voluntas dei ad salutem.

Voluntas diuina est, omnes saluos fieri, & ad notitiã ueritatis uenire, quibus gratiam non negat. Verbo enim ueritatis omnes uocat, conscientiam sæpe hortatur ad meliora, tam naturalem quàm scriptam legem omnibus dedit, mediatorem omnibus præbuit, clementiam nõ abnuit, beneficijs non parcus ad omnes, omnes aduocat ad se, ad ianuam stat et pulsat: nemo nisi uolens impie agit, nec itaq; non uolens damnabitur.

24 Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominatiões, quas operari solet impius, nunquid uiuet? Omnes iustitiæ eius quas

fecerat, non recordabuntur: in præuaricatione qua præuaricatus est, & in peccato suo quod peccauit, in ipsis morietur.

Sicut iustum antea peccatorem non prægrauant antiqua delicta, sic peccatorem qui prius iustus fuerat, non iuuant ueteres iustitiæ. Vnusquisq; enim in quo inuenietur, in eo iudicabitur.

25 Et dixistis, Non est æqua uia domini. Audite ergo domus Israël, Nunquid uia mea non est æqua, & nõ magis uiæ uestræ prauæ sunt?

26 Cum auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in iniustitia quam operatus est, morietur.

27 Et cum auerterit se impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiã: ipse animam suam uiuificabit.

28 Consyderans enim & auertẽs se ab omnibus iniquitatibus suis quas operat⁹ est, uita uiuet non morietur.

Graue crimen est iudicia domini improbare & calumniari, qui iustitiæ regula est, & errare non potest, qui oculum nequam non habet, ut homines, qui neminĩ quicquam debet. Gratia illius saluantur omnes electi: damnationem autẽ suis criminibus imputent impij, tam peccata uoluntatis, quàm pœnam non indignam improbẽ & non sine contemptu factis.

29 Et dicunt filij Israël, Nõ est æqua uia domini. Nũquid uiæ meæ nõ sunt æquæ domus Israël, & nõ magis uiæ uestræ prauæ?

Israël contumax.

Vsq; hodie Israël blasphemat deum, cur populũ suum reliquerit, & gentium assumpserit multitudinem, cum suos non relinquat electos, Israël autem factis ostenderit non se esse suum populum, sed præ omnibus populis contumatiorem deo suo, maximéq; deprauatum, perfidiæq; summæ exemplum, ut nulla obtendi hac parte possit excusatio: qui et nec dolere possunt de Christi domini crucifixione, sed nec de eo iustum ex lege sermonem audire possunt, omnia nostra de regno Christi, quod sentiunt citius irridentes quàm audire consentiant. Sic et de unitate dei non sine trinitate, & de reliquis.

30 Idcirco unumquenq; iuxta uias suas iudicabo domus Israël, ait dominus deus. Conuertimini, & agite pœnitentiã ab omnibus iniquitatibus uestris: & non erit uobis in ruinam iniquitas.

Acceptio personarum

Siue de gentiũ multitudine, siue de Israël populo sint qui iudicantur, non est personarũ acceptio apud deum, sed unusquisq; sua coronabitur fide, impietate autẽ & infidelitate damnabitur. Iubet ergo dominus, ut uitia derelinquentes, cõuertantur ad eum qui possit sanare contritiones ipsorum, ne perpetuò præuaricentur mandata dei, sed aliquando resipiscant, ut ueterum delictorum indulgentiam percipiant.

31 Proijcite à uobis omnes præuaricationes uestras in quibus præuaricati estis, & facite uobis cor nouum, & spiritũ nouum:

& quare moriemini domus Israël?

Cor nouum Israëlis, est credere in eum, quem prius negauerant, gloriam dei, non suam quærere, spiritualia præferre corporalibus, uerba legis & prophetarum amplecti magis quàm humanas & Talmudicas suas traditiones. Cor nouum gentium, est idola cũcta relinquere, mortuorum culturam contemnere, credere in eum qui est deus uiuentium, qui uiuentibus nobis non dudum dedit mortuorum curam commisit, qui sua nunc sorte fruamur, sed uiuorum & proximorum necessitatibus succurrere iussit, uitam bene instituere suam, mortis fata, & quæ post mortem, domino commendare. Quare, ô filij Israël, non cessatis blasphemare dominum, & uerba contemnere prophetarum, quo minus moriamini tam ciuili morte, exilij, captiuitatis, & gladij, quàm spirituali, ut in domino minime uiuatis, sed ex libro uitæ deleamini.

32 Quia nolo mortem morientis, dicit dominus deus: reuertimini, & uiuite.

Nolo uos mori, quos genui ad uitam: potius autẽ reuertimini ad saluatorem animarum uestrarum, ut possitis uiuere, uiuere per pœnitentiam, & fiduciam misericordiæ eius, qui mortui eratis per infidelitatem & peccatum. Non dicitur reuertimini, nisi his qui prius cum deo fuerant, & postea eius deseruerant comitatum.

CAPVT XIX.

1 ET tu assume planctũ super principes Israël,

Cum uicina immineret captiuitas Hieroſolymæ, propheta ad imitationem Ieremiæ cap. 32. carmen lugubre canit, & lamentationẽ, et planctum per parabolam fingit, super stirpe regia & principibus Israëlis, et nõ tam futura uaticinatur, quàm narrat præsentia, scelera scilicet regum & principũ indurat præsentia, scelera scilicet regum & principũ indurat

2 & dices, Quare mater tua leæna inter leones cubauit? in medio leunculorũ enutriuit catulos suos.

3 Et eduxit unum de leunculis suis, leo factus est: & didicit capere prædam hominemq; comedere.

Mater Leæna inter leones cubans Hieroſolyma est, quæ filios Iosiæ multos genuit & nutriuit, unumq; de leunculis suis & educauit & produxit Ioachas, & leonem, id est regem fecit pro patre. Qui cum impius esset, & patris religionem desereret, non ab re dicitur didicisse capere prædas, & homines comedere. Quid enim aliud reges sunt, sine timore dei, quàm truculentissimi latrones, & pyratæ imò tygrides ac leones?

4 Et audierunt de eo gentes, & cum damno ipsorum captus est: & adduxerũt eum in catenis in terram Aegypti.

5 Quæ cum uidisset quoniã infirmata est, periit expectatio eius: tulit unum de leunculis suis, leonem constituit eum.

6 Qui incedebat inter leones, fact⁹ est leo: & didicit prędã capere, & homines deuorare:

Aegyptus hic nominata, aperit parabolã, cuius rex Nechao Pharao in Aegyptũ duxit Ioachas regem, capta

primitus

nimirum urbe, uel alia occasione belli non incruenti, ut fieri solet dum reges capiuntur. Leæna autẽ Ierusalem, dum spes reditus periisset illi, alium de leunculis suis, sibi Iosiæ regem instituit, siue is Ioakim, siue Iechonias, siue Sedechias accipiatur. Nõ enim similitudines semper exacte tractantur, & numerũ pro numero ponu solenne est sacris literis, sicut & omnia alia schemata Grammaticalia & Rhetorica, sed summa rei significanter designatur. Omnes enim reges fuerunt, id est, leones & raptores prædarum, hominum deuoratores, sine timore dei, & persecutores prophetarum, & ueritatis.

7 didicit uiduas facere, & ciuitates eorum in desertum adducere: & desolata est terra & plenitudo eius à uoce rugitus illius.

Didicerunt unus post alium regno præfecti affligere uiduas, & occidere illarum maritos, adulterari, & quicquid ad urbis & regni desolationem iuuabat, & in magnis urbibus frequẽtari solitũ est, ubi impij regnant, hoc exercere, ædificia splendida construere, exhaurire ciuium & urbis thesauros, prouinciæ suæ urbes sua inobedientia & perfidia uastare, & omnia miscere oppressorum pauperum clamoribus.

8 Et conuenerũt aduersus eum gentes undique de prouincijs, & expanderũt super eum retesuũ, cum damno eorũ captus est.

9 Et miserunt eum in caueam, in catenis, & adduxerunt eum ad regem Babylonis: miserunt̃q; eum in carcerẽ, ne audiretur uox eius ultrà super montes Israël.

Consilio cõmuni decreuerunt gentes, regnum Iudaicum extirpandum esse, & omnium eorum partes iuuerunt, qui illud affligere tentabãt, siue Chaldæi, siue Aegyptij, Moabitæ uel Ammonitæ, porrigebãt singuli suas partes ad reges impios opprimendum, non ob zelum iustitiæ, sed odiũ pietatis et dei unius, qui plures colebant. Tandem autem à Chaldaico rege captus est, nõ solus Iechonias, sed magis ante eum Ioiakim, qui et occisus est, & post eum Sedechias. Ambo autem Iechonias & Sedechias capti sunt, & Babylonẽ ducti, ueluti dum leo abducitur, nõ aliter quàm catenis & ferreis caueis. In carcerem enim ambo missi sunt, non tamen pari infelicitate detenti uel tractati: nullus tamen omnium quatuor regũ redire permissus est Hierosolymam.

10 ¶Mater tua quasi uinea in sanguine tuo super aquam plantata est: fructus eius, & frondes eius creuerunt ex aquis multis.

11 Et factæ sunt ei uirgæ solidæ in sceptra dominantium, & exaltata est statura eius inter frondes: & uidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum.

Diuersis sermonibus unares dicitur & alia ac alia allegoria pingitur. Hierosolyma enim superius comparata speciosæ mulieri, deinde leænæ, nũc uineæ pulcherrimæ comparatur, quæ nullam patiatur humoris idonei sufficientisq; carentiam, ideoq; uehementer increuerit, ut unus palmes, quem scriptura uirgam solidissimã nuncupat, prosecerit in sceptra dominantium, & splendor uiroris eius floribus mali punici coæquetur. Hoc igitur regnum Iuda exaltatum est multis gloriosis uictorijs, & longe lateq; diffudit propagines densorum frondium, sub Ezechia et Iosia, in tantum ut admiratiũ fuerit suam ipsius altitudinem, gloriam & decorem, ex abundantia ramorum & frondium.

12 Et euulsa est in ira, in terramq; proiecta: & uentus urens ficcauit fructum eius: marcuerũt, & arefactę sunt uirgæ roboris eius, ignis comẽdit eam.

13 Et nunc transplantata est in desertum, in terra inuia, & sitienti.

14 Et egressus est ignis de uirga ramorum eius, qui fructum eius comẽdit: & non fuit in ea uirga fortis, sceptrum dominantium. Planctus est, & erit in planctum.

Furore domini, propter crimina regum & regni, euulsa est regia maiestas illa, & proiecta in terram. Hastilibus enim & calamis subtractis, fauore prouidentiæ gratiæq; diuinæ, & fide uerborum dei, collapsa est uitis ista in terram, exaruitq; calore uenti urentis, siccatusq; est fructus illius, & tota emarcuit, quasi ignis cremata ardoribus. Significat autem terram Babylonis, ad quam reliquiæ captiuorum translatæ sunt: uel Aegyptum, quò confugerunt: aut ipsam terram Iudææ, in qua pauci pauperes remanserunt, quibus præfectus erat Godolias, ut congregaret & regeret reliquias populi: qui ab Ismaële occisus est, reliquiæ captæ, & à Iohanna filio Careæ redemptæ iterum, sed abductæ in Aegyptum, ubi & occisi sunt. Vt ita non obscure tam splendidi regni miserabilis exitus significetur per arborem elegantem, uel fœcundissimam uitem euulsam, exiccatam, emarcidam, arefactam, igne absumptam, in desertum, terram inuiam eiectam prius, & infeliciter tractam, donec euanesceret & expiraret tota. Planctus est ergo & parabola lamentationis, ut plangatur regium genus, quod in Iudæa cessauit, donec ueniret cui repositum est, felicitas & expectatio omnium gentium Christus dominus.

Lapsus Iudaici regni.

¶CAPVT XX.

1 FActum est in anno septimo, in quinto, in decima mensis: uenerunt uiri de senioribus Israël, ut interrogarent dominum, & sederunt coram me.

2 ¶Factus est sermo domini ad me, dicẽs:

Post undecim menses & quinque dies superioris uisionis, uenientibus senioribus ad prophetam more gentis, quæsituris domini uoluntatem, rursum sermo fit ad prophetam, antequam interrogarent de instituto: ut & in eo miraculum sit, scire eum cur uenerint. Est autem oratio qua dei beneficiũ & Israëlis cõtra malitia ostenditur, & quomodo filij sint similes in malo maioribus. Pœnam autem prædicit, & de Messia consolatur more omnium prophetarum.

3 Fili hominis loquere senioribus Israël, & dices ad eos: Hæc dicit dominus deus, Nunquid ad interrogandũ me uos ueni-

filis? Viuo ego quia nõ respondebo uobis, ait dominus deus.

4 Si iudicas eos, si iudicas fili hominis? abominationes patrum eorum ostende eis.

Preces pio rum & hy pocritarũ.

Sanctis & congrua interrogantibus statim à domino *respondetur, peccatoribus autem & hypocritis præci-* *pue quales fuerunt hi seniores Israël, increpatio datur,* *non responsio. Tanta enim iniquitate cooperti sunt, ut* *ne emendatione quidem & correptione sint digni, sed* *dimittuntur ut faciant desyderia cordis sui: perq; despe-* *rationem quærere iubetur propheta, & dicere. Num,* *inquit, arguendi sunt isti & iudicandi? quin potius in-* *cipe & indica eis abominationes patrum suorum, quan-* *doquidem & ipsi similia parentibus sentire loqui &* *agere non cessant, sed hæreditario malo longissimum fi-* *nem peccatorum trahere non cessant.*

5 Et dices ad eos, Hæc dicit dominus deus. In die qua elegi Israël, & leuaui manũ meam pro stirpe domus Iacob: & apparui eis in terra Aegypti, & leuaui manum meam pro eis, dicens, Ego dominus deus uester:

In primis narratur quid dominus Israëli promiserit *in Aegypto constituto, & quomodo iam tunc offende-* *rit dominum, quid cogitauerit contra eos, & tamen* *non fecerit. Dies igitur electionis dicitur illud tempus,* *cum mitteret illis prophetas Mosen & Aaronem. Ma-* *num autem leuauit cum fœdus iniit, iurauit auxilium se* *præstiturum, & Aegyptios percutere cœpit. Agnitus* *eis est in monte Sinai, apparens eis & colloquens, ut* *ferre utrunq; non potuerint. Sed tamen primùm agni-* *tus est in terra Aegypti, signis & prodigijs coram re-* *ge, quæ non uidentur uno die uel mense, imò nec uno an-* *no facta, sed multis, ut non solum cunctatio fuerit Pha-* *raoni de dimittendis Israëlitis, sed etiã ipsis tardius cre-* *dendo & non acquiescendo, nisi post signa multa uisa,* *& expertam omnipotentiam dei, quam nimis tarde am-* *plectebantur.*

Dies electio nis.

6 in die illa leuaui manũ meam pro eis, ut educerem eos de terra Aegypti, in terram quam prouideram eis, fluentem lacte & melle, quæ est egregia inter omnes terras.

Manum adiutricem illis præbui, dum promisi liber- *tatem, & signa ædidi, duces misi, gratiam dedi mutuo* *obtinendi commodanda uasa pretiosa ab Aegyptijs, pro* *missaq; optima terra extimulaui ad obediendum mihi.* *Egregiam autem esse inter omnes terras, & fertiliorem* *Iudæam, dubitare non potest qui à Rinocorura usq; ad* *Thaurum montem & Euphratem fluuium cunctã con-* *syderauerit terram, et urbium potentiam, amœnitatẽq;* *regionum (uerba sunt Hieronymi, qui uidit & peragra-* *uit & diu inhabitauit) quas Israëli, si dei præcepta ser-* *uasset, dominus repromisit: quas quia non accepit, uitiũ* *fuit incredulitatis eius. Nõ enim sponsor in crimine est,* *si ille cui repromittitur indignum se fecerit sponsione.*

Terra Israel optima.

7 Et dixi ad eos, Vnusquisque offensiones oculorum suorũ abiciat, & in idõlis Aegypti nolite polluiregoDñs deus uester.

Præcipit egredientibus Aegyptum, ut idolorum ob- *liuiscantur, quibus diu seruierãt, & ab oculis abijciam,* *à portentosis Aegyptiorum idolis non polluantur, per* *uariorum figmenta monstrorum: sed dominum deum* *unum uerum & bonum, suorum patrum more colant* *& sequantur.*

8 Et irritauerunt me, noluerunt̃q; mea audire: unusquisque abominationes oculorum suorum non proiecit, nec idõla Aegypti reliquerunt: & dixi ut effunderem indignationem meam super eos, & implerem iram meam in eis, in medio terræ Aegypti.

A tempore quo uocati sunt ob patrum merita, statim *rebellare cœperunt, nullo intercedente spatio temporis* *inter uocationem & receßionem, nolentes audire uer-* *bum domini per prophetas, non sine magnis firmatum* *miraculis, ut non tam ignorantia quàm malitia in culpã* *uenerit. Ideo decreui iam tunc abijcere eos, & digna* *iracundia flagellare, nondum scilicet egressos, quia nisi* *deles se exhibebant uerbo domini, qua maior irritatio* *deo exhiberi non potest, & atrocior.*

9 Et feci propter nomen meum, ut nõ uiolaretur coram gẽtibus, in quarum medio erant, & inter quas apparui eis, ut educerem eos de terra Aegypti.

Quod facere cogitabam propter iustitiam, non feci *per clementiam, ne uiderer non potuisse complere quod* *promiseram, ne à gentibus blasphemarer, apud quas ha-* *bitabant. Polluere nomen domini, est non sentire de illo* *in bonitate, non credere, non amare, non summũ bonum* *scire & uenerari.*

10 Eieci ergo eos de terra Aegypti, & eduxi eos in desertum.

11 Et dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostendi eis, quę faciens homo, uiuet in eis.

Eduxi ab Aegypto, in desertum induxi, ut Aegyptio- *rum superstitione & uitijs alijs liberati, facilius in soli-* *tudine dei præcepta complerent, quæ & statim illis de-* *di, tabulas scilicet duas, docens quomodo deũ colerent,* *& proximis charitate & beneficijs conuersarentur, si-* *de scilicet ad deum, & charitate ad proximos, unde* *pendet lex tota, & prophetarum oracula. Ea facere* *serio & sola uoluit hominem, in eis uiuere, secundũ illa* *conuersari, mores & uitam instituere secundũ ea, non* *iuxta traditiones humanas, & ritus gentium uanos.*

12 Insuper & sabbatha mea dedi eis, ut esset signum inter me & eos: & scirent quia ego dominus sanctificans eos.

Obseruatio sabbathi uera, religionis uerę uinculum *est & conseruatio, dum deus creator omnium rerum et* *conseruator agnoscitur, adoratur, & illius uoluntas et* *beneplacitũ auditur & suscipitur, gratitudo beneficijs* *rependitur pro uirili, & non tam eius munera quàm da-* *torem admiramur & reueremur. Alioqui otiũ gerere,* *& nihil facere in die quocunq;, etiam paschali, non eg-* *institia: sed deum & illius opera meditari, obsequi be-* *neplacitis,*

neplacitis, cultus uerus est, & digna pietas. Hic cultus signũ est inter deũ & fideles, ut deus ipsorũ sit, & ipsi eius populus, eos sanctificans, hoc est, in peculiarem populum eligens, & peccatis parcens.

13 Et irritauerũt me domus Israel in deserto, in præceptis meis nõ ambulauerũt: & iudicia mea proiecerũt, quæ faciẽs homo uiuet in eis: & sabbatha mea uiolauerunt uehementer: dixi ergo ut effunderẽ furorẽ meũ sup eos in deserto, & consumerẽ eos.

Nedum sabbatha, sed leges omnes uiolauerunt, non semel nec parũ, sed sæpe & maximè: spreuerũtq; omnia beneficia & iudicia dei, cõuersationem suam instituerunt per omnia contrariam uotis domini, propter quod & decreuerat non semel abijcere eos, & alium sibi deligere populum illis deletis.

14 Et feci propter nomen meum, ne uiolaretur coram gentibus: de quibus eieci eos in conspectu earum.

15 Ego igitur leuaui manũ meam super eos in deserto, ne inducerẽ eos in terrã quam dedi fluentem lacte & melle, præcipuam terrarum omnium:

16 quia iudicia mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt, & sabbatha mea uiolauerunt: post idôla enim cor eorum gradiebatur.

17 Et pepercit oculus meus sup eos, ut non interficerẽ eos: nec cõsũpsi eos in deserto.

Decreueram per iram delere & consumere eos, sed propter nomen meũ peperci, ne uiolaretur apud Aegyptios & Amalechitas, qui cõtra eos in solitudine dimicarunt. Cadauera quidẽ omniũ in solitudine prostrauit, nullumq; præter duos introduxit in terram promissam: neminem tamen eorum perdidit, nec de libro uiuentium deleuit, sicut nec Mosen & Aaronem. Vt sciamus, sententiam dei in filios & famulos, non ad perditionẽ, sed emendationẽ fieri. Quem enim diligit dñs, corripit, flagellatq; omnem filiũ quem recipit. Et duplici cõtritione non filij sed impij conteruntur. Pepercit ergo eis dominus respiscentibus, per pœnam uitæ in serẽdo æternæ, eorumq; filios pro patribus introducendo.

Benignitas dei in filios.

18 Dixi autem ad filios eorum in solitudine, In præceptis patrum uestrorum nolite incedere, nec iudicia eorũ custodiatis, nec in idôlis eorum polluamini.

Post interfectionẽ patrum præcepta dat filijs, eadem testando, ut ambulent in præceptis dei, & sabbathũ seruent, non patrũ mores sectẽtur cõtra legẽ, nec noua sibi iudicialia præcepta instituãt, quæ uel in minimo præiudicent iudicijs dei, & rebellẽ ceruicẽ patrũ in deserto mortuorum non sequantur, ne similis illos uindicta maneat, neq; idolorũ spurcitijs cõmaculentur, Aegyptios ritus sectando, ne plagis Aegyptiorũ afficiantur.

19 Ego dominus deus uester, in præceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite, & facite ea.

20 Et sabbatha mea sanctificate, ut sit signũ inter me & uos: & sciatis quia ego sum dominus deus uester.

21 Et exacerbauerunt me filij, in præceptis meis non ambulauerunt: & iudicia mea non custodierũt, ut facerent ea: quæ cum fecerit homo, uiuet in eis:

22 & sabbatha mea uiolauerunt: & dixi ut effunderem furorẽ meum super eos, & implerem iram meam in eis in deserto.

Quod negatiue præceperat, nũc inculcat affirmatiua oratione. Non est in lege domini repetitio uana, sed necessaria, propter duriciem cordium, quibus non sufficit simpliciter statuisse, sed frequentius etiã inculcata uix tandem inhærent. Ideo hic eadem refricãtur, tam inculcando quàm opprobrando. Quantũlibet enim frequenter præcipiat dominus, tarde tamẽ auditur ab Israëlitis, multò minus ab alijs eius mos geritur.

23 Auerti aũt manũ meã, & feci propter nomen meũ ut non uiolaretur coram gentibus, de quibus eieci eos in oculis earum.

24 Etiam ego leuaui animã meam in eos in solitudine, ut dispergerẽ illos in nationes, & uentilarem in terras:

25 eò quòd iudicia mea nõ fecissent, & præcepta mea reprobassent, & sabbatha mea uiolassent, & post idôla patrum suorũ fuissent oculi eorum.

26 Ergo & ego dedi eis præcepta nõ bona, & iudicia in quibus non uiuent:

Filij quoque prostratorum in solitudine, postquam terram promißionis intrarunt, ob multa peccata, uarijsq; temporibus traditi sunt gentibus & regibus, ut docet liber Iudicum. Quoties enim præuaricati sunt legem, toties duriter sunt flagellati. Qua ratione, lex dei alioqui bona, sancta, utilis & necessaria, facta est non bona illis transgressoribus, dum rigide pro inobedientia continua puniuntur, & mala sentiunt, uel aduersa carni, etiamsi spiritui non obsint: dum prodit cogitationes malas contra legem, pollutos non facit, sed demonstrat improbas conscientias, præbetq; occasiones spernentibus multarum calamitatum & captiuitatum. Cum autem dicitur: Dedi eis præcepta, &c. ut delerem eos, non intelligendum conditionaliter sed consecutiue. Voluit dominus custodiri præcepta, & saluum populum, præuaricatores autẽ deleri, ut tam ipsi quàm alij iustitiam domini experirentur, & obseruantia legis potius signum sit electionis, quàm meritum beatitudinis, quam sine gratia nunquam quisquam assequeretur. Potest etiam dici præcepta non bona data Israëlitis, quia antequam offenderent dominum, decalogum tantum acceperint: post idololatriam uerò & blasphemias, ceremonias legales multas dedit, ad nihil aliud utiles, quàm ut remorarentur à dæmonum cultu, & superstitione sacrilega gentium, ad quam proni erant, ut deo potius uictimas offerrent quàm idolis, ut leuius fieret, quod non erat per se bonum.

Præcepta dei non bona.

27 & pollui eos in muneribus ſuis cum offerrent omne quod aperit uuluã, propter delicta ſua: ut ſcirent quia ego dominus.

28 ¶ Quam ob rem loquere ad domũ Iſrael fili hominis: & dices ad eos, Hæc dicit dominus deus, Adhuc & in hoc blaſphemauerunt me patres ueſtri, cum ſpreuiſſent me, contemnentes:

29 & induxiſſem eos in terrã ſuper quam leuaui manũ meã ut darem illã eis: uiderunt omnẽ collũ excelſum, & omne lignũ nemoroſum, & immolauerunt ibi uictimas ſuas: & dederũt ibi irritationẽ oblationis ſuæ, & poſuerũt ibi odorẽ ſuauitatis ſuæ, & libauerunt libationes ſuas.

30 Et dixi ad eos, Quid eſt excelſum, ad q̃d uos ingredimini? Et uocatum eſt nomen eius Excelſum, uſque ad hanc diem.

Obiurgare uult ſeniores & populũ, non ſolũ propter peccata maiorum in eremo & ſub iudicibus commiſſa: ſed quia quanto profecerunt magis in gloria & beneficijs ac diuitijs, tanto procliuiores eſſe cœperunt ad cultum idolorũ, ut illis non montes ſufficerent & colles, ſed etiam planicies & ſyluæ arboresq; deligerẽtur, & urbium plateæ ac domata, cum certò ſcirent hæc lege prohibita domino diſplicere, ſed illum irritare maluerunt, quàm libidini affectuiq; proprio deeſſe. Inſtituerunt enim excelſa, primò pro cultu dei ueri, quod nõ ſolum non præceperat, ſed etiã inhibuerat, propter quod ordinatione diuina nomen ſortita ſunt ex contemptu, ac ſi dicatur: In quo loco me colitis? quibus ritibus me diuexatis? cum nolim niſi uno loco coli, & modo à me præſcripto, non gentilium more. Alioqui Bamoth non excelſum ſignificat, ſed, In quo iſtud? ubi te inuenio? quid hoc mihi, ſcilicet prodeſt, uel tibi?

Degeneratio Iſraelis.

31 Propterea dic ad domum Iſraël, Hæc dicit dominus deus, Certe in uia patrum ueſtrorũ uos polluimini, & poſt offendicula eorum uos fornicamini.

32 Et in oblatione donorum ueſtrorũ cum traducitis filios ueſtros per ignẽ, uos polluimini in omnibus idôlis ueſtris uſque hodie: & ego reſpondebo uobis domus Iſrael? Viuo ego dicit dominus deus, quia non reſpondebo uobis.

Nec ſolum hæc talia & tanta patres ſuis quiq; temporibus perpetrarunt flagitia ac ſacrilegia, ſed uſque in præſentiarũ uos filij agitis talia. Non quòd hæc ſeniores in captiuitate faciãt, ſed quòd illi qui Hieroſolymis morabantur ſtatim captiuandi hæc omnia facere non ceſſent. Cumq; tantis obligati ſitis flagitijs, reſponſionem tamen meam quærere non uerimini, iuro ego per meipſum, quia non uobis reſpondebo.

33 Num cogitatio mentis ueſtræ fiet? non fiet quod uos dicitis, Erimus ſicut gentes, ſicut cognationes terrarum, ut colamus ligna & lapides.

34 Viuo ego dicit dominus deus, quoniam in manu forti, & in brachio extento, & in furore effuſo regnabo ſuper uos.

Ne cogitetis poſſe uobis cõtingere quæ iactatis, dicentes: Nolumus domino ſubeſſe, eiusq; populus uocari, ſed noſtro arbitrio aliorũ populorũ more uiuere, & quos libet colere deos. Non, inquam, dimittam uos ut fugaces ſeruos domini & negligentes: compellam uos uolentes nolentes ad meũ imperiũ, brachioq; extẽto percutiẽte, furoreq; effuſo priſtinæ reſtituam ſeruituti, regnaboq; ſuper uos rex iratus, & obſiſtã uotis ueſtris per omnia, qui iuſta & clementia mandata cõtemnitis ſemper.

35 Et educã uos de populis: & congregabo uos de terris, in quibus diſpſi eſtis: in manu ualida & in brachio extento, & in furore effuſo (*regnabo ſuper uos.*)

36 Et adducam uos in deſertũ populorũ, & iudicabor uobiſcũ ibi facie ad faciẽ: Sicut iudicio contendi aduerſum patres ueſtros in deſerto terræ Aegypti: ſic iudicabor uobiſcum, dicit dominus deus.

37 Et ſubñciã uos ſceptro, & inducam uos in uinculis fœderis.

38 Et eligam de uobis tranſgreſſores & impios, & de terra incolatus eorũ educã eos, & in terram Iſrael non ingrediẽtur: & ſcietis quia ego dominus.

Scio ſub finem decretæ redemptionis per Cyrum cum paratione aliorũ paucos redituros: qui uerò & me & beneficia mea, cultum meũ, terram, urbem & templum contempturi ſunt, ut amore liberorũ & externorũ dominorum & deorum redire nolint, hos ego tantis malis grauabo, tam dura cõditione ſeruitutis opprimam, ut ſi non amore patriæ & mei, ſaltẽ pro fugiẽda intoleraſtili calamitate illò concedere compellentur, & terrã Iſrael & Iuda inhabitabunt. Ibidẽ quoq; ſi rebelles & præuaricatores perſtiterint contra me, eligam qui tales eruant ex alijs melioribus, & duriore exilio abijciam denuò extra terram ſuam, eo pacto, ut illuc nunquam ſine reditu reuertantur. Hoc autẽ cõtigiſſe Iudæis, qui nunc uiuunt, & per mundum miſeri exulant, perſpicuũ eſt. Eis autem qui diſciplinã domini ſuſceperunt, & obediuerũt Euangelio, euenerunt bona ineffabilia, de quibus ſequitur.

39 Et uos domus Iſraël, Hæc dicit dñs deus, Singuli poſt idola ueſtra ambulate, & ſeruite eis. Quòd ſi & in hoc non audieritis me, et nomen meũ ſanctũ polluetis ultrà in muneribus ueſtris & in idolis ueſtris.

Poſteaquã nõ uos uultis audire me, & parêre legi, ut innocẽtes ſitis & ſancti, ceſſate etiã à ſacrificijs offerendis & muneribus, cũ nihil aliud ſint q̃ pollutio mei nominis, quandoquidẽ ſimul quoq; idola ueſtra colere decreuiſtis: præſtat enim ea ſola adorare & colere & irritare malã rem, dum ſic uultis, quàm me dominũ cum illis.

40 ¶ In monte enim ſancto meo, in monte excelſo Iſrael, ait dñs deus, ibi ſeruiet mihi omnis domus Iſrael, omnes, inquam, in terra

terra in qua placebũt mihi: & ibi quæram primitias uestras, & initiũ oblationum uestrarũ in oĩbus sanctificationibus uestris.

41 In odorẽ suauitatis suscipiam uos, cum eduxero uos de populis, & congregauero uos de terris in quas dispersi estis: & sanctificabor in uobis in oculis nationum.

Cultus dei verus in mundo.

Veniet tũ adhuc tempus, quãdo Hierosolymis à fidelibus, uerisq; Israelitis omnibus, dignus mihi cultus exhibebitur, dũ pro omnibus electis sacrificiũ mihi perfectæ iustitiæ offeretur, quod unicum æquiualet, imò superat sanctitate sua & acceptatione mea omnia sacrificia omnibus retroactis temporibus oblata à sanctis. Hoc ego sacrificio placabor omnibus ueris Israelitis, qui fide & perfectione mihi adhæserint, ut Israel, Isaac & Abrahã. In ea Hierosolyma requirã oblationes me dignas, fidem, spem & charitatẽ, maximã quidem in Christo homine & deo, cuius merita sufficiũt omnibus electis, pro quibus & suscipiã quod illo in sacro monte mihi sacrificabitur. In eam Hierosolymam sacrosanctã, fideliũ ciuium consortiũ & urbem, cõgregabuntur electi ex omnibus nationibus, pro quibus congregandis seipsum tradidit Christus dominus, perfectus quidem uel Moses uel Isaac. Eo quoq; sacrificio orbis totus cognoscet me solũ & uerum dominũ omnium, & animarũ salutẽ. Tunc cognoscent omnes gẽtes, quãta uobis dominus beneficia ingratis exhibuerit, & æquè audient, quomodo uicissim tam enormi ingratitudine ei semper responderitis.

42 Et scietis quia ego dñs, cũ induxero uos ad terrã Israel in terrã, pro qua leuaui manum meã ut darem eam patribus uestris.

43 Et recordabimini ibi uiarum uestrarũ, & omnium studiorũ uestrorũ, quibus polluti estis in eis: & displicebitis uobis in conspectu uestro in omnibus malitijs uestris quas fecistis.

44 Et scietis quia ego dñs, cum benefecero uobis propter nomen meũ, & nõ secundũ uias uestras malas, neque secundũ studia corrupta uestra dom⁹ Israel, ait dñs deus.

Vera me dicentẽ tunc uidebitis, quando reduxero uos è captiuitate uestra, quam nunc uos & propediẽ Hierosolymitæ patiemini, in terrã hæreditatis uestræ. Tunc uestra peccata, & dei uestri clementiã profitebimini, displicebitq; uobis impietas uestra, & sacrilegus cultus idolorũ, propter quem nunc deũ prodere non timetis.

45 ¶ Et factus est sermo dñi ad me, dicens,

46 Fili hominis, pone faciem tuam contra uiam austri, & stilla ad aphricũ, & prophetа ad saltum agri meridiani.

47 Et dices saltui meridiano, Audi uerbum domini: hæc dicit dom⁹ deus, Ecce ego succendã in te ignem, & comburam in te omne lignum uiride, & omne lignum aridum: non extinguetur flamma succensionis: & cõburetur in ea omnis facies austro usque ad aquilonem.

Distincta capita perperam.

Non ignorant studiosi perperam distincta capita, & uulgò usitata distinctio non est uetusta, sed diu post Hieronymi tempora recens præsumpta à plane indoctis, cum & hic Hieronymus librũ septimũ Commẽtariorũ inchoet, non facturus, nisi noua aliqua relatio inchoaretur, quãlibet nõ alterius argumẽti, qui & ipse nescio qua aliquando ratione eos libros distinxerit, Lectorum magis fastidio consulens, quàm gustui & eruditioni studiosorum. Sub noua metaphora saltus loquitur iterum contra Hierusalẽ, quæ ferociũ hominum habitatio est, ideoq; omnes arbores excindendas & concremandas prædicit. Quodq; infert, Ab austro usque ad aquilonẽ, hoc indicat ab Ierusalem usque ad Babylonẽ, omne iter pergentiũ in captiuitatẽ, gladio, fame, pestilẽtia ruentiũ complendũ. His enim qui in Babylone sunt, Ierusalẽ ad austrum sita est. Lignũ autẽ uiride & aridũ succendit, sanctos simul & peccatores, ut alij captiuitatis malæ morte effugiant, alij supplicijs tradantur æternis.

48 Et uidebit uniuersa caro quia ego dominus succendi eam, nec extinguetur.

49 Et dixi, A, a, a, dñe deus: ipsi dicũt de me, Nunquid nõ per parabolas loquitur iste?

Vt omnis caro quæ uisura est salutare dei, per syluarũ incendiũ & flammã, quæ nullius extinguitur uirtute, cognoscat quòd ipse sit dñs. Hoc autẽ propheta intelligens, respõdet: Aha domine deus, & ipsi dicũt: Planius loquere, nõ intelligimus per parabolam quid loquaris, aperto sermone dei nobis pande sententiam.

¶ CAPVT XXI.

1 ET factus est sermo domini ad me, dicens,

2 Fili hominis, pone faciẽ tuam ad Ierusalẽ, & stilla ad sanctuaria, & propheta contra humum Israel.

3 Et dices terræ Israel, Hæc dicit dñs deus, Ecce ego ad te, & ejiciã gladiũ meũ de uagina sua, & occidã in te iustũ & impium.

4 Pro eo autem quòd occidi in te iustum & impiũ, iccirco egredietur gladius meus de uagina sua ad omnẽ carnem ab austro usque ad aquilonem:

5 ut sciat omnis caro quia ego dñs eduxi gladiũ meũ de uagina sua irreuocabilem.

Prædicta parabolicè nunc manifestius explicantur. Saltus ille australis Ierusalẽ est. Sãctuaria quoq;, id est, domus tres, oraculum, templũ, uestibulum, præter atria circum quaque ædificata, contra hæc omnia, & totam Iudaicam terram & Israeliticam iubetur prophetare exterminium durum totius gentis, quod de proximo imineat, ueluti iam euaginato gladio ad feriendũ, quicquid inueniat, sine delectu materiæ & irreuocabiliter: nemini enim parcet, non iustis, non impijs, omnes enim inuoluet hæc calamitas. Rumorq; iusti iudicij mei, cõtra tam impios desertores, & ingratos degenereсq; filios, omnium per ora uolabit. Quicquid enim inter australem Iudæã uel Aegyptũ interiacet, usque ad Chaldæam, totum gladio subdetur.

Sanctuaria.

6 Et tu fili hominis ingemisce in cõtritione lumborum, & in amaritudinibus ingemisce coram eis.

7 Cumq; dixerint ad te, Quare tu gemis? dices, Pro auditu, quia uenit, & tabescet omne cor, & dissoluentur uniuersæ manus, & infirmabitur omnis spiritus, et per cuncta genua fluent aquæ: ecce uenit, & fiet, ait dominus deus.

Gemitus priorum. *Interrogationis occasionem præstare iubetur ex imis uisceribus, & animi amaritudine ingemiscendo non leuiter coram senioribus, ut causam percunctãtibus, meo illis sic sermone respõdeas. Idcirco plãgo, dices, quia fama quam semper uerebar, futuramq; sciebã, nunc opere cõpletur, dũ furẽtis Babylonij regis exercitus Iudæã inuadit, & uallare parat Hierosolymam, ut illic omne cor tabescat, & uniuersæ manus dissoluantur, nec audeant repugnare. Omnium spiritus bellatorũ infirmabitur, & tanta cũctos trepidatio occupabit, ut timore cogente artus & uiscera dissoluãtur, ut uesica humorem tenere non ualeat, sed urina genua polluãtur. Ecce non uenit, quod sæpe, non meo sed dei spiritu prædixi.*

8 ¶ Et factus est sermo dñi ad me, dicens,

9 Fili hominis, propheta, & dices, Hæc dicit dominus deus, Loquere, Gladius, gladius exacutus est, & limatus.

10 Vt cædat uictimas, exacutus est: ut splendeat, limatus est: qui moues sceptrum filij mei, succidisti omne lignũ (*aliter: Num gaudebimus? Baculus filij mei contemnit omne lignum.*)

11 Et dedit eum ad leuigandũ, ut teneatur manu: iste exacut⁹ est gladius, & iste limatus est, ut detur in manũ interficientis.

Arma domini. *Exercitus regis Babylonis, qui est illius truculẽtus gladius, iam in armis est, expeditionem suscepit ad multos trucidãdos. Tu, inquam, gladius es, à domino institutus, ut dimoueas loco sceptrum & imperiũ filij mei, ut destruas regnũ populi Israelitici, & uniuersam populi illius multitudinem, ueluti arbores saltus succidas, nemo consolari se poterit uel gaudere de hoc gladio contra Israẽlitas, nec meliora sperare de emendatione per pœnas: nulla enim sufficit, omnes spernit, nullã extimescit, perstat semper in impietate. Dedi ergo hanc ulciscendi potestatem & copiam in manũ regis Babylonis, cuius ad hoc gladiũ leuigaui & exacui, terribilemq; omnium obtutibus feci, & inuincibilẽ omnibus regnis, ut præua leat impijs Iudæis ad exemplum aliorum.*

12 Clama & ulula fili hominis, quia hic factus est in populo meo, hic in cũctis ducibus Israel qui fugerant: gladio traditi sunt cũ populo meo, iccirco plaude sup femur.

Ideo ô propheta clama & ulula, & mala imminentia uocis ululatu testare. Ordinatus est enim, ut inuadat crudeliter populũ meum, ut nemini parcat, inuadat etiã duces & principes, tam populi mei quàm aliarũ in circuitu nationũ, qui omnes pauidi erunt ad gladiũ, quem euadere se posse non confidunt, qui cum populo meo to

to ab hoc funesto gladio pariter occidẽtur. Ideo percute femur, habitum plangentis assume: maior erit enim afflictio omnium, quàm ut dignè plangi possit.

13 quia probator est, & quid si etiam baculum cõtemnens non erit? dicit dñs deus.

Hic enim gladius atrox & crudelis, nunc mihi proparatur, nunc placet. Ad quid autem assumptus est, quàm ut hic baculus meus regnũ Iudaicũ, id quod nullo unquã potuit flagello emendari, uel in ordinem redigi, tandem hoc Babylonico gladio subuertatur & finiatur, ut ultra non sit futurũ, sed in Sedechia finiatur? Prædicauerunt enim contra eos prophetæ mei, sed non sunt conuersi, ideo migrabunt in captiuitatem residui à gladio.

14 ¶ Tu ergo fili hominis propheta, & percute manu ad manum, & duplicetur gladius ac triplicetur, gladius interfectorum dius ac triplicetur, gladius occisionis magnæ, qui penetrabit ad eos,

Iterum, ô propheta, iubeo, ut etiam manus percutiãt, ut nõ solum semel, sed secundò & tertiò gladius ueniat ad interficiendum. Primò quidem Babylonius ceperat & occiderat Ioiakim filium Iosiæ: secundò abduxerat Iechoniam illius filium cum matre: tertio Sedechiam erat capturus, & regnum destructurus. Hic ergo triplicatus est gladius, & interim toties facta magna occisio, non paucorum sed multorũ & ... gnorum, quorum nemo euadere potuit, etiamsi ad secretissima quæq; loca aufugere uoluisset.

15 facit corde tabescere, & multiplicat ruinas. In omnibus portis eorum dedi conturbationẽ gladij, heu factus est ad fulgendum, amictus est ad cædem.

Hæc autẽ fient, ut qui audire monentes contempserũt prophetas, & irriserunt uerbũ domini, iam nunc gladio præsente, animo toto cõcidant & tabescant, & ruant cum occisis plurimis, in omnibus portis omniũ urbium, qui speculatores fideles prophetas persecuti sunt, & mendaces existimabãt. Ibi enim atrocis & horribilis tremendiq; Babylonici regis gladij perturbatio omnes concutiet, à cuius acumine nemo saluabitur, qui ad hoc factus est, ut terreat limatione sua, & perdat acutie.

16 Exacuere (*collige te*) uade ad dexteram siue ad uersum ad sinistram, quocunque facies tua est appetitus.

Accinctus est ad militiam, paratus ad cædem, expeditus ad occisionẽ impiorũ gladius ille, exacutus mandatus domino, & ad hoc paratus, selectus & appropriatus ut pergat siue ad dextrã siue ad sinistram, quocunq; eum dominus miserit. Non enim tam in regum arbitrio stat uictoria uel salus aut hominũ quorumcunq; interfectio, quàm in uoluntate prouidẽtiaq; diuina & ordine. Audacter ergo ingredere, me ducem habens & adiutorẽ.

17 Quin & ego plaudã manu ad manum, & implebo indignationem meam: ego dominus locutus sum.

Ego quoque plaudam manu ad manum, ut sciãtem te contra aduersarios meos quasi fautor tuus & exhor tator

lator instigem. Non te pati timeas, ô exercitus Babylonicus, gladius Chaldæorum, baculus scueritatis, quod passus est Sennherib. Ego dominus locutus sum, ministrum te meæ uoluntati constitui.

18 Et factus est sermo dñi ad me, dicens,

19 Et tu fili hois pone tibi duas uias, ut ueniat gladius regis Babylonis: de terra una egredientur ambæ, Et manu capiet coniecturam, in capite uiæ ciuitatis coniiciet.

20 Viam pones, ut ueniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, & ad Iudam in Ierusalem munitissimam.

21 Stetit enim rex Babylonis in biuio, in capite duarum uiarum, diuinationem quærens, cõmiscens sagittas: interrogauit idola, exta consuluit

22 ad dexteram eius facta est diuinatio super Ierusalẽ, ut ponat arietes, ut aperiat os in cæde, ut eleuet uocem in ululatu, ut ponat arietes contra portas, ut comportet aggerem, ut ædificet munitiones.

23 Eritq; quasi cõsulens fruſtra oraculũ in oculis eorum, & iuramenta iurationũ eis (sabbathorũ otium imitans) ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum.

24 ¶ Idcirco hæc dicit dominus deus, Pro eo quod recordati estis iniquitatis uestræ, & reuelastis præuaricationes uestras, et apparuerũt peccata uestra in omnibus cogitationibus uestris: pro eo, inquam, quod recordati estis, manu capiemini.

Cõfortatio Iudæi cõtra impios.

Cõfortatio alia Babylonici regis cõtra Ierusalem, uoluntatis exercitũ producere, describitur. Fingit enim propheta exisse eum è Chaldæa cum exercitu, uno quidem itinere per desertũ & solitudinẽ, quousq; ueniret ad biuium terræ Arabiæ, quæ est filiorum Ammon, ubi una uia ad sinistrum ducebat ad Rabbath, quæ Philadelphia dicta est postea, dextra ad Ierusalem. Memoritaq; illic internetionis Sennacherib, una nocte extra Ierusalem occisis centũ milibus & octogintaquinq; milibus, formidauit illò diuertere, sed stans in biuio gentiliũ ritu consuluit oraculũ, sorte mittẽdo sagittas in pharetrã, cõmiscendoq; signatas nominibus urbiũ, ut uideat cuius sagitta exeat, & quam prius urbem fatis uolentibus debeat oppugnare. igitur ad dextrã facta est eius diuinatio, ut cõtra Ierusalem pergeret, obsideret omnibus modis, & in cæde illius cõstanter ageret, & fremitũ exultantis exercitus concitaret. Hoc, inquit, faciens uidebitur habitatoribus Ierusalem oraculũ fruſtra consulere, & quasi sabbathorũ in otio ludere, & nihil operis petere: secundũ unam interpretationem. Vel iuramenta iurationũ diis suis facta inquirere, & de præuaricati iuramenti cuentu cõsultare. Rex autem Babylonis non propria sua fortitudine, sed in iniquitate populi Iudaici cõfisurus est, qua dominũ offenderũt, & patrũ peccata nouis cumulauerũt delictis, ideo legis præuaricatæ pœnas laturos. Certo nouit luituros uindictas pariter recentium & uetustarum iniquitatũ maximè iuramenti contemptores, & diuini nominis blasphematores.

25 Tu aũt prophane impie dux Israel, cuius uenit dies in tempore iniquitatis præfinitæ:

Ad ducem Israel regẽ Iuda Sedechiã sermo dirigitur. O pollute & ree occisionis, dux ultime, cuius iniustitiæ finis & regni uenit, ut uel nolens cessare cogatur à peccando in deum, cuius prophetas afflixit, & uerbũ domini irrisit cum suis principibus, & in homines iuramenta præstita regi Babylonio infringendo.

26 ¶ Hæc dicit dñs deus, Aufer cidarim, tolle coronã: nónne hoc nõ (erit) hoc humilẽ subleuauit, & sublimem humiliauit?

Sacerdotij casus.

Propter te sacerdotiũ & regnum interijt populi Iudæorũ. Cidaris insigne pontificiũ est. Corona aũt regni indiciũ. Hæc auferẽda dicũtur de Ierusalẽ: sibijpsi posthac erit dissimilima. Hæc enim corona regni nõ amplius fuit regnũ, sed tyrãnicus principatus, nihil agẽs iudicio, sed ad imitationem regis Babylonici, quos uolebat exaltabat, & quos uolebat humiliabat & opprimebat.

27 Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatẽ ponam eam: & hoc non factum est, donec ueniret cuius est iudicium, & tradam ei.

Iudæorum regnũ deiectum quatenus.

Erit hoc regnum exemplũ scelerũ, quæ dominus non potest non punire, etiã in electo populo: ut hinc discant gentes quoq; recipiendæ in gratiã, quid sibi quoq; sperandum sit uel timendũ. Deiectũ aũt hoc regnũ erit & hæc corona, donec is ueniat cui debetur iudiciũ, donec ueniat Christus, cuius est iudiciũ, qui expectatio gentiũ est, & Iudæorum restitutio, mundiq; totius redemptio. Iudaicum hoc regnum non stabit, repudiatus erit hic populus, donec ueniat id quod ordinatum est, tempus scilicet & regnum restitutionis & Messias, cui illud dabo, & reddam regnum æternum, & pacificum, felix & beatificum. Vnde qui post Sedechiam usque ad Christũ reges fuerunt & sacerdotes, quorũ unus Hircanus pontifex diadema capiti suo imposuit, fruſtra sibi & hoc & illud uoluit uendicare, cum et regnũ non deberetur, sed illi cui repositum erat, de quibus Malachias: Vos sacerdotes contaminatis nomen meũ, &c. Christus autem munda oblatio est, & sacerdos in æternũ secundũ ordinem Melchizedech, desideratus cunctis gentibus.

28 Et tu fili hominis, propheta, & dic, Hæc dicit dominus deus ad filios Ammon, & ad opprobriũ eorum: & dices, Mucro mucro euagina te ad occidendum, lima te ut interficias & fulgeas.

Ad dextram quidẽ Babylonius ueniet contra regnũ Iuda, ut illic cõsummationẽ faciat ad mandatum domini: sed & ad sinistrã quoq; perueniet ad filios Ammon, ad Rabbath illã inclytã urbẽ, regni Ammonitarũ metropolim. Ad opprobrium illorum ueniet, digni enim sunt opprobrio, & cum gaudio Iudæorũ opprobriũ irriserunt. Prædicas ergo ô Ezechiel, & ad Ammonitas futurum gladium, iam iamq; euaginatum, & præparatum ad occisionem, & fulgore suo terrentem, ut deuoret totum quicquid attigerit, ne sit inanis terror illius.

29 Cum tibi uiderentur uana, & diuinaren
tur mendacia, ut dareris super colla uulne
ratorum impiorũ, quorum uenit dies in
tempore iniquitatis præfinita.

Consolatio mendax. *Licet tibi idola & diuinatores respõderint euasionẽ, uana tamen est illorũ diuinatio, & mẽdaciũ senties tibi dictũ ab aruspicibus. Occasio potius tibi erit hæc consolatio falsa, ut cum iugulo & humeris impiorũ Iudæorũ occisorũ ponaris, ut simili iudicio subdaris, quãdoquidẽ & tuus quoque finis à domino destinatus applicuit, & ipsi quoq; à peccando posthac uelint nolint desistent.*

30 Reuertere ad uaginam tuam in locum in
quo creatus es: in terra natiuitatis tuæ iu-
dicabo te,

31 & effundã super te indignationẽ meã: in
igne furoris mei sufflabo in te, daboq; te
in manus hominum insipientium & fa-
bricantium interitum.

32 Igni eris cibus: sanguis tuus erit in me-
dio terræ: obliuioni traderis: quia ego do-
minus locutus sum.

Expleto opere tuo cõtra Ammonitas, redi ô exercitus Chaldæorum in Babylonem, uaginã tuam, in locum qui tibi decretus est, in quo & creatus coaluisti, ut te quoque in terra natiuitatis tuæ suo tempore iudicẽ, & effundam super te indignationẽ meam, ut Medorum Persarumq; uirtute capiaris. Hebræi tamen ad Ammonitas referunt, sed diuus Hieronymus magis placet. In igne te consumi faciã, & in manibus comburentiũ te artificũ: tu quoq; gladius uastaberis, stultorũ & imperitorum, qui artem non habeant cudendi & acuendi gladios, ut nequaquam ultra acuaris, limeris, & terreas fulgore ad occidendum, sed sis ipse quoque cibus ignis, & effusus per te sanguis in te potius redundet, & obliuioni trades perpetuæ, & pereas semper.

¶ CAPVT XXII.

1 ET factum est uerbũ domini ad
me, dicens,

2 Et tu fili hominis, nónne iudi
cas, nónne iudicas ciuitatẽ san-
guinum, & ostendes ei omnes abomina-
tiones suas?

Nónne iudicas? Sermo est cõtra Ierusalẽ, & peßimos mores populi Iudaici & sacerdotũ suorum. Quid aliud nunc tibi agendũ censes ô propheta, cum omnia corruptißima uides, quàm ut eam urbem, ubi ius & fas maximé cõculcãtur, ubi innoxius sanguis sine timore dei & hominum effunditur, acriter obiurges, & imminens illud graue iudicium domini meritò sustinendum indices, ostendendo omnes abominationes suas eidem?

3 Et dices, Hæc dicit dominus deus, Ciui-
tas effundens sanguinem in medio sui, ut
ueniat tempus eius: & quæ fecit idola con
tra semetipsam, ut polluereturꝝ.

Iram dei maturare. *Crebro & sine timore peccãdo maturamus iram dei in nos. Primum omniũ scelerũ, quæ sanguinolenta urbs ista cõmittit, ut mereatur de proximo disperdi & finiri truculento fato, sed illi digno, est, quod idola uenerata est pro deo uero, & adorauit opera manuũ suarũ, cum præmonita toties esset à domino, & sæuæ ultiones impietatis comminatæ: contra suam autẽ propriã salutem spreuit uerbum domini, ut polluereturꝝ per omnes gentium abominationes, & supra omnes.*

4 In sanguine tuo qui à te effusus est deli-
quisti: & in idolis tuis quæ fecisti, pollu-
es: & appropinquare fecisti dies tuos, &
adduxisti tempus annorum tuorum: pro-
pterea dedi te opprobrium gentibus, & ir
risionem uniuersis terris.

Effudisti innocentiũ hominum & sanctorum prophetarum sanguinẽ, donec implereris usque ad os: & idolatrarum sanguinẽ, donec implereris usque ad os: & idola coluisti, inexpiabilia duo crimina, ob quæ diutius subsistere non potes. Venit enim tempus iustæ uicißitudinis, ut & templũ tuum deijciatur, & ciues occidantur, & opprobriũ fias cunctis gentibus, quorũ omnium abominationibus es polluta, & quod multo tempore prædicebatur tibi malũ superuenturũ, differebatur ꝙ, ut ageres pœnitentiã, nunc instat. Secundũ enim impœnitentiam tuum thesaurizasti tibi iram in die iræ.

5 Quæ iuxta sunt & quæ procul à te, ride-
bunt te: sordida, nobilis, grãdis tumultu.

Idcirco dedi te illusionem omnibus terris, tam uicinis quàm procul existentibus, ut de te triumphent, ut irrideant stultitiam & dementiam tuam. Sordida enim es abominandis idolis, & impietatibus conspurcata: nobilis in malo, quæ quondam omnes fide & iustitia urbes superabas: grandis interitu, ut quanto sublimior eras, tanto nunc fortius rueres.

6 Ecce principes Israel singuli in brachio
suo fuerũt in te, ad effundendũ sanguinẽ.

Vt interim cætera prætermittã, principes tui nõ iustitia sed roboris & brachij fortitudine iudicãtes, effudebant in te innoxiũ sanguinẽ: quantũ uires suppetebant, tantũ latrocinabãtur in pios homines & pauperes.

7 Patrẽ & matrẽ cõtumelijs affecerũt in te,
aduenã calumniati sunt in medio tui, pu-
pillum & uiduam cõtristauerunt apud te.

Parentibus maledicere ueniale erat, cum lex præscripsisset illis mortis pœnã. Peregrinos oppresserũt, quos non illis sufficeret pro omni angustia peregrinatio & exilium patriæ. Pupillos & uiduas, quorum omne præsidium est in legum iustitia, non solum contristarunt, sed oppresserunt, & illorum paupertatem sibi rapuerunt, qui fortiores erant & ditiores.

8 Sanctuaria mea spreuistis, & sabbatha
mea polluistis.

Spreuistis sancta mea offerẽdo immũda cõtra legẽ insideliter, nõ de omnibus, sine fide & uolũtate. Sabbatha mea, in quibus me colere familiariter debebatis, eximio otio cõuertistis in impias actiones, peccatis operam dando liberius omniũ generũ, cum toti mihi inhærere, & legi audiendæ & faciendæ instandum fuerat.

9 Viri detractores fuerũt in te ad effun-
dendum sanguinẽ, & super mõtes comederũt in

in te, scelus operati sunt in medio tui. Ve-
recūdiora patris discooperuerūt in te, im-
munditiā menstruatæ humiliauerūt in te.
10 Et unusquisq; in uxorē proximi sui ope-
ratus est abominationem, & socer nurum
suam polluit nepharie, frater sororē suam
filiam patris sui oppressit in te.

Criminatio hiudeorū.

Susurrones, criminatores & dolosi primas in te sortiti
sunt partes, nō ad aliud intenti, quām ut innocentiū fa
mam polluerēt, & causas sanguinis cōminiscerētur con
tra prophetas domini & cultores pietatis quoscunq;.
Contra legē sacrificia peregistis in mōtibus & excelsis,
Baalim & idolis cunctis. Intra te nihil nisi scelus, dolus
& iniuria inueniūtur. Turpitudo omnis generis et ince
stuum, ut filiæ nō fuerint tutæ à patribus, & matres à fi
lijs nouercis contra fas & licitū copulati. Non parcunt
immunditiæ menstruorū. Omnia plena adulterijs: socer
exarsit in nurū, frater sororis iura nesciuit, ut non ute-
rinam, sed de eodem patre uiolaret sororem.

11 Munera acceperūt apud te ad effundēdū
sanguinē: usurā & superabundantiā acce-
pisti, & auare proximos tuos calumniaba
ris: meiq; oblita es, ait dominus deus.

Corruperūt iustitiā ex muneribus fracti, innocētis san
guinis effusores. Necessitatē pauperū uerterūt in lucrū
cxplēda auaritia nemini parcēdo per iniuriā ad omnes,
cum tam serio hæc cuncta lege prohibuerim. Sed nō mi
rum si sint hæc neglecta, ubi me toti omnino ignorant,
& prophetas audire nolūt, quasi nō agnoscētes meum
dominiū, uel iudiciū formidātes. Talis autē euadit ciui-
tas, ubi prophetæ nō audiuntur, ubi exitium ultionis im
pendit, ubi lex dei proscribitur, & timor dei ridetur.

12 Ecce cōplosi manus meas super auaritiā
tuam quam fecisti, & super sanguinē tuū
qui effusus est in medio tui.
13 Nunquid sustinebit cor tuū, aut præua-
lebunt manus tuæ, in diebus quos ego fa
ciam tibi? ego dns locutus sum, & faciam.
14 Et dispergam te in nationes, & uentila-
bo te in terras, & deficere faciam immun-
ditiam tuam à te.

Pœna pec catorum.

Vnde habitū quoque domini irascentis in seruos con
tumaces assumpsi, ut manus comploderē præ nimia im
patientia & ira, contra auaritiā & crudelitatē tuam.
Vt intelligas & mente cognoscas, utrum uel animo uel
manibus possis meam iracundiam sustinere pro eo tem
pore, cum iudiciū de te facere, uindictamq; sumere de-
creuero. Ego enim dominus locutus sum, & faciam, ut
postquam capta fueris Ierusalem, dispergam te in na-
tiones, & in aërem uentilabo ueluti inutiles paleas uen
to dissipandas, & perfectè uindicabo sordes tuas igne
calamitatum grauissimarum.

15 Et possidebo te in conspectu gentium: &
scies quia ego dominus.

Hebræi exponūt: Et uel hæreditaberis et possideberis
tu Iudæa, uel etiā pollueris in conspectu gentiū. Omnes

gentes uel aspicient ignominiā & pollutiones tuas, uel
possidebunt in seruos. Tunc autē scies quid feceris, &
senties iustitiam iudiciorum diuinorum.

16 ¶ Et factū est uerbū dñi, ad me, dicens,
17 Fili hominis, uersa est mihi domus Israēl
in scoriam: omnes isti æs, & stannū, & fer-
rum, & plumbum in medio fornacis, sco-
ria argenti facti sunt.
18 ¶ Propterea hæc dicit dns deus, Eo quòd
uersi estis omnes in scoriā, propterea ecce
ego cōgregabo uos in medio Ierusalem
19 congregatione argēti, & æris, & stanni,
& ferri, & plūbi in medio fornacis: ut suc-
cendam in ea ignem ad conflandum, sic
congregabo in furore meo & in ira mea,
& requiescam. Et conflabo uos,
20 & cōgregabo uos, & succēdā uos in igne
furoris mei, & cōflabimini in medio eius.
21 Vt conflatur argentum in medio forna-
cis, sic eritis in medio eius: & scietis quia
ego dominus, cum effuderim indignatio-
nem meam super uos.

Exaggeratio scelerū.

Exaggeratio continua est scelerum Iudaicorum: qui
Iudæi nunc scoria dicuntur, speciem quidē habentes po
puli dei, interim autem dicati uitijs & impietatibus in
deum & homines, propter quod conflandi sint in igne,
non ut mundentur, qui nihil habēt auri & argēti ueri,
sed ut cōsumātur igne furoris diuini, uarijs pœnis, non
corrigēdi sed destruēdi in fornace urbis Hierosolymæ,
ubi omnes pariter cōflabuntur commixtione horribili,
sicut si pariter æs, stannum, ferrum & plumbum forna
ci injiciantur, ut olim Mummius cōflauit æra Corinthi.
Nec requiescere poterit furor meus, donec pœnarum
uestrarum ultione fuero satiatus.

22 ¶ Et factus est sermo dñi ad me, dicens,
23 Fili hominis, dic ei, Tu es terra immūda,
& non compluta in die furoris.

Alia prophetia ad idē sub alia orationis specie, cōtra
Ierusalem omnibus uitijs deprauatā, quæq; sit sine omni
humore gratiæ & pietatis arida tellus, corrupta p oēs
hominū status, à maximo usq; ad minimū. Terra inquit,
es tota inculta et cōtaminata, quam dum feruor ultionis
diuinæ aduserit, nullus imber clemētiæ eam poterit re-
frigerare. Tāto uepriū sentiumq; squalore obducta est,
ut nulla spes sit restitutionis eius & fœcunditatis.

24 Coniuratio prophetarū in medio eius:
Sicut leo rugiēs capiens q̄ prædā, animas
deuorauerūt, opes & pretiū acceperūt, ui-
duas eius multiplicauerūt in medio illius.

Cōspiratio pseudopro phetarū.

Pseudoprophetæ conspirauerunt contra ueros, ut pa
riter pacem polliceātur, Ieremiā ac similes occidant &
perdant. Cumq; deberent se patres præstare populo &
doctores, ipsi contra leones se exhibent, prædones, iniu
riatores & oppressores pauperū uiduarū, pupillorum,
deuoratores plebis & impostores, non ciuiū pietatem,
sed suum quæstum quærētes, & quibus possunt iniquis
medijs atque modis promouentes.

25 Sacerdotes eius cõtemplerunt legẽ meã, & polluerunt sanctuaria mea: inter sanctũ & prophanũ non habuerunt distantiã: & inter pollutũ & mundũ non intellexerũt: & à sabbathis meis auerterũt oculos suos, & coinquinabar in medio eorum.

Legẽ quam docere & seruare susceperãt sacerdotes, maximè abominantur & contemnunt, à quibus contra phas & ius sancta contaminantur, ut supra dictum est. Nulla ratio legis habetur in discernendis mundis ab immundis, uel cibis, legibus uel moribus. Otium sabbatorũ uersum est in exercitium omniũ criminum & libidinũ, ut nunquam turpius polluatur gloria mea.

26 Principes eius in medio illius quasi lupi rapientes prædam: ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & auare sectanda lucra.

Principes populi leones.

Qui ex officio defendere populũ & dirigere ad meliora deberent, pastores instituti à principe pastorũ domino, ipsissimi leones sunt, tanto crudeliores, quanto minus subterfugere possũt hos dominos subditi, sed prædæ illorum expositi sunt sine aliquo defensore: ut nihil curent diligentius, quàm si quis reclamet illorũ iniuriæ & crudelitati, quo illum faciant exemplũ reliquis, occidendo crudeliter, & innoxium sanguinem effundendo, qui suo sanguine tueri ouium salutem debucrãt, ad id à domino conducti, & à plebe honorati & ditati. Animas itaq; quas seruãdas domino susceperãt, has ipsi trucidãt & dissperdunt: ut hostis plebi nullus sit implacabilior, quàm si hi qui maximè defensare ab iniurijs debebant, omne studiũ suum eò dirigant ut ditescant, & auaritiæ suæ studeãt, qua possint libidinari per omne nephas, & sine timore pauperes oppressos seruare.

27 Prophetæ aũt eius liniebãt eos absq; tempere mẽto uidentes uana, & diuinantes eis mendacium, dicẽtes, Hæc dicit dñs deus: cum dominus non sit locutus.

28 Populi terræ calumniabãtur calumniã, & rapiebant uiolenter: egenum & pauperem affligebãt, & aduenam opprimebant calumnia absq; iudicio.

Prophetæ causa malorum.

Omniũ illorũ malorũ maxima causa sunt prophetæ, non facientes suum officiũ, non latrantes fideliter contra lupos istos, ouium nullam curam habentes, sed uoracitatis, libidinis, otij, & blanditijs demerendi dominos. Hi prophetæ leniebant sermonibus suis, & excusabant quicquid mali agebatur à principibus, uana diuinabãt, & mendacijs quæstuosis populo imponebãt, omnia sub prætextu uerbi domini, cum illud minime didicisset nec curassent, cui maximè infesti erant: sicq; non solum uerbo, sed facto pro omni uirili sua, non quæ populi, sed sua quærebant cum iniuria oppressorum.

29 Et quæsiui de eis uirũ qui interponeret sepem, & staret oppositus cõtra me pro terra, ne dissiparem eam: & non inueni.

30 Et effudi super eos indignationẽ meam, in igne iræ meæ consumpsi eos: uiam eorũ in caput eorũ reddidi, ait dominus deus.

In tanta scelerũ abundãtia quæsiui de eis aliquem qui Nemini uocabat. iræ meæ posset resistere, quiq; instar Mosis, Aaron & Samuelis incendio meo se opponeret, & nõ potui reperire. Imò nolui exorari, Ieremiæ præcipiẽs ne oraret pro tam corruptissima urbe. Totam enim iram effundere decreui in eam, & consumere illos uolo, reddẽdo uiam eorũ in capita illorũ, uel propria peccata quæ fecerant authoribus tribuens, uel certè in capita ducũ, principũ & prophetarũ, quorũ nullus fuit, qui irascenti domino auderet resistere, quorũ quoq; causa terra squalida atque deserta, imbrem domini suscipere non meruit.

¶ CAPVT XXIII.

1 ET factus est sermo domini ad me, dicens,

2 Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt.

3 Et fornicatæ sunt in Aegypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt: ibi subacta sunt ubera earum, & fractæ sunt mammæ pubertatis earum.

Comparat dominus regnũ Israël & Iuda duabus sorori- Ezech. 16. bus, & 23. nis adulteris, huiusmodi paradigmate docẽs spurcitiam simulacrorum idolorũ, & ingratitudinẽ Israëlitarũ, ut toti mũdo appareat & iustitia dei & clemẽtia, discatq; colere deum solum, & idololatriã detestari. Vnius matris filias cõstat fuisse regna hæc duo tempore Dauidis & Salomonis, cuius primæuã institutionẽ docet, & ab infantia cõuersationẽ, ab eo statu quẽ in Aegypto habuit. Ibi iam tũc post mortem Iacob & Ioseph auctæ uehementer prolẽ, statim ritũ colẽdi idola ab Aegyptijs didicerũt, quod fornicationẽ nominant sacræ literæ, defectionẽ scilicet animarum à suo creatore ad creaturas. Ibi quoque perdidere uirginitatis signa prodidit, uelutt dũ puellarũ ubera intumescũt & franguntur: amor scilicet dei frangitur in multos, qui integer debitus est creatori & totus, quandoquidẽ amari uult & debet ex toto corde, anima, uisceribus & uehementia: quod fieri nõ potest, dum præter deũ aliud diligit anima, quod nõ propter deum.

4 Nomina autem earum Oolla maior: & Ooliba soror eius: & habui eas, & pepererunt filios & filias. Porrò earum nomina, Samaria Oolla, & Ierusalem Ooliba.

Decreuit dominus ambabus nomina, Samariæ regno Ahala, tentoriũ significans: Iudaico autem regno Aholiba, tabernaculum meum in ea. Ambæ quidem in Aegypto idola colere cœperant, cum iam in patriarchis suis domino deo soli uxores factæ fuissent, & populus peculiaris dei, ubi & uehementer auctæ prole, successu temporis creuerunt in regna duo: Samariæ scilicet maiori, quia decem tribuum, & Ierusalem minus, Iudæ tantũ, Beniamin & Leui.

5 Fornicata est igitur super me Oolla, & insaniuit in amatores suos, & in Assyrios propinquantes.

Primum defecit à deo suo Samariæ regnum per Ieroboam uitulorum cultura, & idola Assyriorum colendo

da

da suscipiens, spreto dei auxilio, Syrorum amicitiã & fidem sectando. Licet autẽ nomini diuino uitulos erexerit, usque ad Achab tempora dominum colendo, deinde tamen tanta libidine deperijt, impudenterq; propendit ad idola gentiũ uicinarũ Syrorum, ut non solum postea Achas rex Iuda, sed multò antea rex Israël Achab idolatriam è Damasco & alijs locis aduocauerit in regnũ Israël, propinquitatis consuetudine fascinati ad malum, ut non solum perfidia religionis falsæ polluerentur, sed etiam morum & consuetudinum prauitate.

6 uestitos hyacintho principes, & magistratus, iuuenes cupidinis uniuersos, eqtes, ascensores equorum.

7 Et dedit fornicationes suas super eos electos filios Assyriorum uniuersos: & in omnibus in quos insaniuit, in immũditijs eorum polluta est.

8 Insup & fornicationes suas quas habuerat in Aegypto, nõ reliquit: nam & illi dormierunt cum ea in adolescentia eius, & illi confregerũt ubera pubertatis eius, & effuderunt fornicationem suam super eam.

Lascitas impiorum.

Amicitiam inierunt Israëlitæ cum Assyriorũ primoribus, ducibus & magistratibus, cum electissimis equitibus, quorũ nixi sunt fidutia & adiutorio, quorũ insuper & idola sequuti sunt, omnia cõtra iussionẽ domini: commixti enim inter gentes, didicerunt opera earum. Fecit ergo Israël corporis sui copiã uelut adultera dijs Assyriorum, & quicquid in ceremonijs & ritibus sacrilegis idololatrarũ pulchrum & delectabile uidebatur, hoc suscipiebant Israelitæ præ insania multa superstitionum, & perfidiæ in suum deum uerum. Sic autem portẽtosa sacra non negligerẽt, quibus edocti iam olim fuerant ab Aegyptijs, illorũ enim superstitionibus primi subacti fuerant, cum adhuc essent in Aegypto in adolescentia sua: ibi enim primum deuirginati sunt, ibi fornicationem à domino deo primũ didicerunt, & dominũ deum patrum suorum tunc primum negligere ac idola admirari & colere cœperunt.

9 Propterea tradidi eam in manus amatorum suorũ, in manus filiorũ Assur, super quorum insaniuit libidine.

10 Ipsi discooperuerunt ignominiam eius, filios & filias eius tulerunt, & ipsam occiderunt gladio: & factæ sunt famosæ mulieres, & iudicia perpetrauerunt in ea.

Iudicio dei iusto traditũ est regnum Israel Assyriorũ captiuitati, amatoribus suis Phul, & Teglatphalassar, & Salmanasar, in quorũ insaniuit libidinem: ipsi ueluti meretricis ignominiam discooperuerunt, filios & filias abducẽdo captiuos, & gladio multis trucidatis. Omniũ malarum mulierum exemplum facta est synagoga Iudaica, & in partem malam cunctarum sermone celebranda. Qui Assyrij, ultiones & iudicia talia fecerunt in eam, ut nihil salutis & spei mælioris reliquerint, sed perpetua captiuitate sibi uendicarint. Primo enim ceperunt Assyrij filias Gad, Ruben & dimidiæ tribus Manasis, quicquid ultra Iordanem erat, deinde reliquas tribus regni Israël & Samariæ.

11 Quod cũ uidisset soror eius Ooliba, plus quàm illa insaniuit libidine, & fornicationem suã super fornicationẽ sororis suæ,

12 ad filios Assyriorũ se præbuit impudenter, ducibus & magistratibus ad se uenientibus indutis uestes uaria, equitibus qui uectabantur equis, & adolescentibus forma cunctis egregia.

13 Et uidi quod polluta esset: uia una ambarum.

14 Et auxit fornicationes suas: cũq; uidisset uiros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus,

15 & accinctos balteis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorũ, formã ducum egregiam, similitudinẽ filiorum Babylonis terræq; Chaldæorum in qua orti sunt:

16 insaniuit super eos concupiscentia oculorum suorum, & misit nuncios ad eos in Chaldæam.

Æmulatio in malum.

Cum autem regnum Iuda uidisset sub rege Manasse, quomodo punita esset soror eius Samaria ob libidinem, ipsa quoq; Aholiba, in qua erat dei tabernaculũ Hierosolyma, non est exemplo eius cõmonita, ut pedem retraheret ab errore, sed auxit potius fornicationẽ germanæ suæ. Illa enim semel & fortis idola fabricata est in Dan & Bethel à principio: ista autem crebro in excelsis, & in ipso dei templo adorauit statuã Baal, & fornicationẽ suam Assyrijs præbuit, id est, deorum suorum culturam suscepit, ita ut ambarũ sororum una fieret fornicatio. In eo autẽ auxit Ierusalem fornicationes, quod imagines deorum Chaldaicorũ uidit in parietibus depictas, deperijtq; amore, forma & libidine decepta. Quanto enim religio superstitiosior & rarior est, deq; remotioribus allata, uel etiam arctius prohibita, tanto auidior desiderari solet, more muliebri. Ideo Iudas quoque ardentius concupiuit externarum gentiũ ritus, quod illi uenustissimi uidebantur, omniaq; tanto magis perplacebant, quanto minus licebãt. Admirabatur imaginũ picturas, sculpturas, cincturas, tiaras, colores, formas egregias: nihil illi non pulchrum uidebatur quod apud idololatras Chaldæorum & Assyriorum inueniebatur. Duplo placebat quicquid lege prohibitum erat, ut semper negata cupiunt homines, & nituntur in uetita. Nuncios autem missos in Chaldæam, de Achas intelligitur patre Ezechiæ, qui cum Syrorũ rege amicitiam iniit, & de Damasco exemplar altaris extruendi misit. Quod regnũ Syriæ sicut & Israelis & Assyriorum statim postea Chaldæis subiectũ est. A qua Chaldæa idolorũ omnũ cultura exordium sumpsit & ritus sacrorum.

Prohibita desiderantur magis.

17 Cumq; uenissent ad eam filij Babylonis ad cubile mammarũ, polluerunt eam stupris suis, & polluta est ab eis, & saturata est, recessit anima eius ab illis.

18 Denudauit quoque fornicationes suas: & discooperuit ignominiã suam: & recessit anima mea ab ea, sicut recesserat anima mea à sorore eius.

19 Multiplicauit enim fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Aegypti.

20 Et insaniuit libidine super concubitum eorũ, quorũ carnes sunt ut carnes asinorum: & sicut fluxus equorũ fluxus eorũ.

Polluti Israelitæ. *Cum regnũ Iuda ad Assyrios nuncios misisset pro auxilio & peregrinis sacris, uenerũt Chaldæi & polluerunt illud: & quia uoluptas non est perpetua, sed citò affert satietatẽ, polluta iam & saturata recessit ab eorũ fœdere. Vnde & ego cernens turpitudines & fornicationes omnibus publicatas, recessi ab ea: ut quæ sororis scelera uicerat, pœnarũ quoq; magnitudine sororem superaret, quæ tantæ procacitatis fuit, ut cunctos errores adolescentiæ suæ in grauiore iam ætate committeret, & Aegyptiaca Chaldaicaq; uitia libidine sectaretur, spurco amore insaniens in cõcubitores suos, in idola & dæmoniorum ritus: qui cupidissimi sunt Veneris, nihil magis appetentes, quàm ut honor soli deo debitus sibi deferatur, & hominũ mores quàm maximè deprauentur. Spurcis et obscœnis sermonibus propheta adoritur peruicaciam & furorem scelestissimorũ hominũ, apud quos tam facta quàm uerba quantũcunq; turpia inter homines illos turpia amplius non erant.*

21 Et uisitasti scelus adolescẽtiæ tuæ, quãdo subacta sunt in Aegypto ubera tua, (& confractæ sunt) mammæ pubertatis tuæ.

Nec cessauit scelus adolescentiæ suæ, imò reuersa est postquam mihi nupta fuerat, ut & in eremo, & in terra repromissionis suspiraret antiquam libidinem, in qua deuirginata est, fracta sunt ubera, & omnis decor uirginitatis perijt.

22 Propterea Ooliba, hæc dicit dñs deus, Ecce ego suscitabo amatores tuos cõtra te, de quibus satiata est anima tua: & congregabo eos aduersum te in circumitu,

23 filios Babylonis, & uniuersos Chaldæos, nobiles, tyrãnosq; & principes (Pakod, Soa & Koa) omnes filios Assyriorũ, iuuenes forma egregia, duces & magistratus uniuersos, principes principũ, & nominatos ascensores equorum omnes.

24 Et ueniẽt super te instructi curru & rota multitudo populorum: hasta & clypeo & galea armabũt cõtra te undiq;: & dabo corã eis iudiciũ, & iudicabũt te iudicijs suis.

25 Et ponã zelum meũ in te, quem exercent tecum in furore: nasum tuũ & aures tuas præcident: & quæ remãserint, gladio cõcident: ipsi filios tuos & filias tuas capiẽt, & nouissimum tuum deuorabitur igni.

Pœna Israelitarum. *Hactenus scelera, nunc pœna. Quia imitata es turpitudinem Aegyptiorum gentis immundæ, quæ omnium*

bestiarum simulacra ueneratur, propterea adducã eos tra te amatores, quorũ satiata es amplexu, & recessiti ab eorum fœdere, ut quantus prius amor erat, in tanta odia uertereris, ut quorũ dementata es libidine, eorũ hostilibus armis cõfodiaris, & undiq; appetaris. Quorũ, inquam, deos ad libidinem satiandã suscepisti colendos, eorum nunc arma hostilia susçipies. Prius prouinciarũ idola in illorum gratiam coluisti, nunc earum reges, duces, auratos milites, equites & omnes fortes heroũ, quorum in textu nomina uel propria, uel officiorũ, uel regionum scribuntur, quæ & cõmuniter interpretari possunt, contra te prælia cruenta exercentes, frenies cum dolore. Omnes enim armati te obruẽt circũquaq; militares alæ, armatura insigni instructi ad bellũ. Quorum nuper decorem in idolis admirabaris, à quibus dirum & importabili iudicio condemnaberis, quorum auxilia contra uerbum domini requisieras, & quorum ritum feceras pactũ, ab his iudiceris uelut adultera, non meo sed illorum iudicio. Non te lapidabunt, sed præsidente nasum & aures ex uehementia importunæ tracundiæ. Non relinquent ex te quenquam, sed ultimos tuos & de populo residuos gladio deijcient, filios & filias captiuos abducent, & quod residuum fuerit in terra tua domorum & urbium, igne comburent.

26 Et denudabunt te uestimentis tuis, & tollent uasa gloriæ tuæ.

27 Et requiescere faciam scelus tuũ de te, & fornicationẽ tuam de terra Aegypti: nec leuabis oculos tuos ad eos, & Aegypti nõ recordaberis amplius.

Ornatu uestiũ tuorũ te nudabũt, quibus ego te ornaram, & uasis gloriæ tuæ, quæ tibi ad ceremonias templi aurea argẽteaq; concesserã, omnia Babyloniã deportabuntur. Hæc aũt omnia faciã, ut perdita pulchritudine, & uultu ueneficio aliquo deturpato, quiescat aliquando scelus tuũ & fornicatio, quam didicisti & exercuisti in Aegypto, ut postquam nasum auresq; perdideris, amatoribus pristinis placere non possis. Fœditatis enim tuæ oculos tuos leuare nõ audebis ad Chaldæos, quibus tantopere complacere cupiebas, ut dominũ deum tuum posthabueris, ut tandem in superstitionũ omnium, quas olim in Aegypto didiceras, obliuionem incidas.

28 ¶ Quia hæc dicit dñs deus, Ecce ego tradam te in manus eorũ quos odisti, in manus à quibus abhorret anima tua,

29 & agent tecum in odio: & tollent omnes labores tuos, & dimittent te nudã & ignominia plenam, & reuelabitur ignominia fornicationũ tuarum, scelus tuum & fornicationes tuæ.

30 Fecerunt hæc tibi quia fornicata es post gẽtes, inter quas polluta es in idolis earũ.

Iudæos constat semper odio habuisse cæteras gentes, à quarum tamen idolis & ritibus abstinere non potuerant. In horum manus tradendi prædicuntur, à quibus dementati fuerunt, quos & ex animo abhorruerunt, qui omnia hostium crudelium odia perferent. Adulteria enim

enim urbes & excelsa multo labore extructa diruent, & ornamẽta honestatis auferent, nudam, inhonestam, ignominiosam et scortationũ immunditijs pollutã prostituent, cunctis gentibus ludibrium & gaudium futuros, quarum amicitiam superstitionũ consortio & similitudine rituum aucupari conabantur.

31 In uia ororis tuæ ambulasti, & dabo calicem eius in manu tua.

32 Hæc dicit dominus deus, Calicẽ ororis tuę bibes profundũ & latũ: eris in derisum et in subsannationem quæ est capacissima.

33 Ebrietate & dolore repleberis: calice mœroris & tristitię, calice ororis tuę Samariæ.

34 Et bibes illum, & potabis usq; ad feces, & in fragmẽta cõteres, & ubera tua lacerabis: quia ego locutus sum, ait dominus deus.

Ierusalem adultera. Orori tuæ assimilari uoluisti in perfidia idololatriæ, ideo calicem quoque iudicij austeri bibes post eam. Dat enim peccatoribus conuertendis dominus calicem tormentorũ meracissimũ, ut quicquid fellis amaritudinisq; est, auferat à peccatoribus, & pristinæ eos restituat sanitati. Calix autem iste erit profundus & latus, pœnarum magnitudine et diuturnitate. Nouissima quoq; bibet Hierosolyma, quia post Samariam uastatam, & sic quasi fœces tormentorũ eius usq; ad fundũ epotabit: & ad ebrietatem, cum multa fagitatione & labore, non cum suauitate & delitijs bibet. Sic autem bibet ut calicis testas diligenter quasi lingens & lambens, tandẽ etiam confringat in testas, ne uel guttæ particula remaneat: sic tota disperdetur Hierosolyma, & totum tormentorum calicem bibendo exiccabit, tandem integre conterenda.

35 Propterea hęc dicit dominus deus, Quia oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuum, tu quoq; porta scelus tuum, & fornicationes tuas.

Quia igitur hæc fecisti, oblita es mei, & proiecisti me post tergũ tuum, nihil de me curasti, abiecisti omne studium mihi complacendi: ideo ego quoq; abieci te, ut te tibi dimittẽs, tuis uiribus sapientia et iustitia nitaris, id est, nihil possis & facias nisi impiũ, uagando per creaturas omnes, & nullam inueniens requiem, quæ dominũ reliquisti, qui solus est omnis sufficientia.

36 Et ait dominus ad me, dicens, Fili hominis, nũquid iudicas Oollam & Oolibam, & annuncias eis scelera earum?

37 quia adulteratæ sunt, & sanguis in manibus earum, & cum idolis suis fornicatæ sunt: insuper & filios suos quos genuerũt mihi obtulerunt eis ad deuorandum.

38 Sed & hoc fecerunt mihi, Polluerunt sanctuariũ meum in die illa, & sabbatha mea prophanauerunt.

39 Cumq; immolarẽt filios suos idolis suis, & ingrederentur sanctuariũ meum in die illa ut polluerent illud: etiam hæc fecerunt in medio domus meæ.

Hactenus adulteria Ierusalem & Samariæ separatim descripserat, nunc pariter sistit iudicio, & accusatione præmissa, condemnat lege, scilicet adulterarum, lapidandas: breui sententia, Quia mœchatæ sunt cum idolis, & filios proprios occiderunt in gratiam adulterorum. Nec hoc fecerunt foris & in montibus tantum, sed tandem intra ipsum templum, in thalamo mariti tanta & talia flagitia commiserunt: hoc est intra Ierusalem, & ad mœnia illius, in ualle Gebinhom, unde post filiorũ mactationem manibus adhuc filiorum sanguine madentibus templum meum ingressi sunt, mihi quoq; sacrificia oblaturi, non secus ac si de adulteri stratu surgens, proxime maritum accedat, residuum libidinis expletura. Condemnatio adulterarum.

40 Miserunt ad uiros uenientes de longe, ad quos nũcios miserant, itaque ecce uenerunt: quibus te lauisti, & circũlinisti stibio oculos tuos, & ornata es mũdo muliebri.

41 Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te: thymiama meum, & unguentum meum posuisti super eam.

42 Et uox multitudinis exultãtis erat in ea: et in uiris qui de multitudine hominũ adducebãtur et ueniebãt Sabeos de deserto, posuerunt armillas in manibus eorum, & coronas speciosas in capitibus eorum.

Non sufficit ei fornicatio cum propinquis dijs, sed ad peregrina sacra accersenda nũcios misit, ut ritus externos disceret, aliarum gentium diuos ueneratura. Veluti omnem adulteræ habitũ implesti, corpus lauãdo, oculos stibio uel minio linens, mundũ muliebrem præparãs, in lectulo sedens, auida præparataq; libidini, epulas præponẽs: sacrificia mihi offerẽda et thymiama meũ, qd' speciale mihi iussera fieri, tu idolis adulteris tuis offerebas: & quas mihi laudes acclamare debueras et canere psalmos, peregrinis idolis cecinisti, tuãq; salutẽ illis retulisti acceptã. Tandẽ tibi aggregasti homines plus quàm pluri mos, qui de uniuersis locis ueniebant tecũ adulteraturi, audientes te tuos amatores tractare tam suauiter, ut etiã de locis desertis et remotis, Aethiopia scilicet & Sabea uenturi sint, quandoquidem etiam illorum populorum idola susceperis colenda, tanta insania uoluptatum, ut armillas uestras & discriminalia imponeretis manibus & capitibus amatorũ uestrorũ, siue uobisipsis, ut plenæ ornatu magis coram me turparemini, quanto magis illis uos placere cupiebatis. Adulterij cõsortes.

43 Et dixi ei quę attrita est in adulterijs, Nũc fornicabitur in fornicatione sua etiam hęc.

44 Et ingressi sunt ad eam, quasi ad mulierem meretricẽ: sic ingrediebantur ad Oollam & ad Oolibam mulieres nefarias.

Vtraq; alloquitur, Sic attriuistis frontem iam diu, & in adulterijs sic consenuistis & fornicationibus, ut nec modo sitis nec unquam desituræ uel reuersuræ ad dominum, donec hæc uos terra tenuerit. More enim meretricum accessum præbent omnibus ingredi ad eas cupientibus uiris, nullam respuunt superstitionem, sed certatim illas proci polluũt, & ipsæ eis publice prostituuntur scelestissimæ nefariæq; mulieres.

45 Viri ergo iusti sunt: hi iudicabunt eas iudicio adulterarũ, & iudicio effundentium sanguinem: quia adulteræ sunt, & sanguis in manibus earum.

Tradam ergo uos ambas, Ierusalem & Samariam puruendas his quibus ultro uos tradidistis conspurcandas. Iusti enim uiri sunt, in eo quod adulteras ac parricidas me iubente discruciant. Ab illis enim iustè gentibus affligemini & capiemini, quarum idola uana & turpia deserto uestro domino deo colere per libidinem & contumaciam præsumpsistis.

46 ¶Hæc enim dicit dominus deus, Adduc ad eas multitudinem, & trade eas in tumultum & in rapinam:

47 & lapidẽtur lapidibus populorũ & confodiantur gladijs eorum: filios & filias earum interficiẽt, & domus earum igne succendent.

48 Et auferam scelus de terra, & discent omnes mulieres, ne faciant secũdum scelus earum.

49 Et dabunt scelus uestrũ super uos, & peccata idolorum uestrorũ portabitis: & scietis quia ego dominus deus.

Sententia contra adulteras.

Monitu uocis tuæ congrega ad eas ô propheta multos populos, & primum diripiatur earum uniuersa substantia, deinde lapidentur & confodiantur gladijs, filij earum, & filiæ trucidentur, & domus ardeant. Hæc autem omnia fient, ut auferatur de terra impietas, ut totus orbis cognoscat zelũ domini cõtra idololatriam, quàm serioſe uelit solus coli à suis fidelibus, utq; discant ex hoc adulterarum idololatrarumq; iudicio duro omnes gentes procul etiam positæ, earum pœnis eruditæ, similia deuitare: ut postquam iudicium domini durum contra idololatras receperitis quod meremini, tũc cognoscatis solum dominum adorandum, qui honorem suum alteri non cedit, qui solus coli uult & debet.

¶CAPVT XXIIII.

1 ET factum est uerbum domini ad me in anno nono, in mense decimo, decima mensis, dicens:

Nonus annus hic dicitur à captiuitate Iechoniæ regis, cum quo Ezechiel quoq; ductus est Babylonem, quo anno Sedechias regnare cœpit in Ierusalem pro fratruele, ut idem sit annus captiuitatis unius, & regni alterius. Vltimus est autem actus Ezechielis contra Ierusalem, qui contigit prouidentia eo die quo cœpta est obsidio, reuelata prophetæ eodem die.

2 Fili hominis, scribe tibi nomen diei huius in qua cõfirmatus est rex Babylonis ad uersum Ierusalem hodie.

Iubetur annotare diligenter decimam diem decimi mensis, in quo propheta existente in Chaldæa, rex Babylonis cœpit in Iudæa obsidere Ierusalẽ exercitu suo.

3 Et dices per prouerbiũ ad domum irritatricem parabolã, & loqueris ad eos, Hęc dicit dñs deus, Pone ollam, pone inquam,

& mitte in eam aquam.

4 Congere frusta eius in eã, omnem partem bonam, femur & armũ, electa & ossibus imple.

5 Pinguissimũ pecus assume, cõpone quoque strues ossiũ sub ea: efferbuit coctio eius & discocta sunt ossa illius in medio eius.

Pone, inquit, ollam æneam, & mitte in eam aquam, & pinguissimorum animantium corpora in frusta concide, tam femur quàm crus & armum, carnesq; diligenter ab ossibus separa, carnibus quoq; missis in lebetem ossa compone sub lebete, & fac strues ossium & cumulos, ut efferuescat non sem el sed frequenter coctio lebetis, & discoquantur carnes intrinsecus, & ossa subter incendio concrementur: carnes autem in lebete non concrementur subito, sed sensim coquantur. Sic diu Ierusalem obsessa est, ab anno scilicet nono Zedechiæ, usq; ad undecimum, ut fame & peste conficerentur impij, non tantum populares, sed magis magnates ipsi, ueluti frusta carnium magna & meliora.

6 ¶Propterea hęc dicit dominus deus, Vę ciuitati sanguinũ, ollæ cuius rubigo in ea est, & rubigo eius non exiuit de ea: per partes & per partes suas eijce eam: non cecidit super eam sors.

Vis autem scire ô propheta, quis sit iste lebes, uel quæ carnes & ossa, id est quid significent, sic loquere. Væ Hierosolymæ ollæ æneæ, qualem & ciues eius cum nouo minare solent, ciuitati in qua innoxiorum sanguis effusus est, cuius rubigo, id est malitia nunia est: et licet ignis suppositus sit, tamen rubigo eius non exiuit de ea: persenerant enim etiam capti atq; cruciati in pristino scelere. Per partes consumite eam, & sigillatim, nemo remaneat ex illis saluus: nullum frustum tam felix sit, ut euipi posit & saluari, post Iosiam Ioachas, post quẽ Ioakim pater Iechoniæ, qui captus locum Zedechiæ et filio suo quoq; tempore capiẽdo, sic quoque de principibus qui frusta carnium non illepide dicuntur sine ossibus & titudine. Non cecidit super illos sors, ut alij perirent, & alij saluarentur, sed cunctis communis uenit interitus.

7 Sanguis enim eius in medio eius est, super petrã limpidissimam posuit illũ: non effudit illum super terram, ut possit operiri puluere.

8 Vt superinducerẽ indignationẽ meam & uindicta ulciscerer: dedi sanguinẽ eius super petrã limpidissimam ne operiretur.

Plena est enim sanguinis filiorum & filiarum, quos sacrificauerunt, & prophetarum, quos ob uerbum domini occiderunt: quem sanguinem effudit super limpidam petram, ut nec deum latere posset nec hominem, nec operiri puluere, nec à petra imbibi, sed semper clamet ad dominum, nulla foueа recludi possit, diu fundatur quàm maxime potest, ut tantæ rei indignitas tam manifesta inexorabilem prouocet furorem domini, ad innocentem sanguinem uindicandum. Sic est in limpida petra sanguis effusus ab impijs, qui sola habita

ratione

ratione auri & rapinarum, nulli parcunt, sed bella uo lunt, pacem detestantur uiri castrenses, quibus fides est inuisa, & dubia fortitudo.

9 ¶ Propterea hæc dicit dominus deus, Væ ciuitati sanguinum, cuius ego grandem faciam pyram.

10 Congere ossa quæ igne succendas: cõsumentur carnes, conde condimentum aromatibus, & ossa comburantur.

Ciuitatis non unius sanguinis, sed multorum dicitur. Ecce pro multitudine criminũ tuorũ faciã ego grandem torrem uel titionem, & tam molles in te carnes quàm dura ossa succendam & comburam, ut nihil in te remaneat: & quo succedentium lætitia nõ turbetur, fœtore combustorum cadauerũ, addam commixtiones aromatum & condimentorum, ne quis Babyloniorum doleat de urbis cadauerumq; putore.

11 Pone quoque eam super prunas uacuã, ut incalescat & liquefiat æs eius: & conflетur in medio eius inquinamentũ eius, & consumatur rubigo eius.

Cumq; & carnes & ossa cõsumpta fuerint, uacuum lebetem pone super carbones, ut æs quoque illius incalescat, colliquescat & consumatur, ut ære consumpto, rubigo quoque aliter non abstergibilis dispereat. Non enim cessare potest populi principumq; malitia, nisi pariter tota urbe consumpta incendio.

12 Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignẽ.

13 Immunditia tua execrabilis: quia mundare te uolui, & nõ es mũdata à sordibus tuis: sed nec mũdaberis prius, donec quiescere faciam indignationẽ meam in te.

Sed quid prodest fecisse quod iussum est, cum non succesſerit quod intentum est? permanet enim etiam post hanc combustionem immunditia scelesta & execrabilis. Mundare quidem uolui, & nõ es mundata sordibus tuis, nec ultra poteris emundari, donec in te compleam indignationem meam.

14 Ego dominus locutus sum, Venit, & faciam: nõ transeã, nec parcã, nec placabor: iuxta uias tuas, & iuxta adinuẽtiones tuas iudicabunt te, dicit dominus.

Ego dominus hæc locutus sum, & sentẽtia mea nõ potest præteriri: Venit iam urbis obsidio, faciã quod cõminatus sum, nec dissimulabo ut hactenus scelera tua, non placabor nec parcam, etiãsi multiplicaueris preces, sed iudicabo te iuxta opera & cogitationes tuas.

15 ¶ Et factũ est uerbum dñi ad me, dicens,

16 Fili hominis, ecce ego tollo à te desiderabile oculorũ tuorũ in plaga: & nõ plãges, neq; plorabis, neq; fluent lachrymæ tuæ.

17 Ingemisce tacens, mortuorũ luctum nõ facies: corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta tua erũt in pedibus tuis, nec amictu ora uelabis, nec cibos lugentium comedes.

Captam quoque uel de proximo capiendam urbem prædicit, & præostendit alio portento secundum uerbum domini. Desiderabile oculorum hic prædicitur auferendum à propheta, pro quo tamen prohibetur lugere quocunque modo. Hoc autem desiderabile declaratur in sequentibus uxor fuisse. Nihil enim uiro uxore bona amabilius, quæ à deo homini prouidetur, & cui domini lege coniungitur, & unum cum ea corpus efficitur. Prohibentur fluentes lachrymæ, ne dolorem cordis pro amantissima uxore ostendant, sed si fortè nimio fueris mœrore superatus, tacitum habeto gemitum, ne saltem prorumpat in uerba: omnino autem luctum mortuorum non admittas: corona tua circumligata sit tibi, ornatũ capillitij tui non obmittas: comam retineas, quæ tondetur in luctu: & calceamenta quæ reijciuntur à lugentibus, seruato in pedibus, ne ut Dauid nudis incedas pedibus pro mœstitia: non operias uultum, ut fieri solet in luctu, hoc est, amictu non ora uelato, nec refectionibus parentaliorum interſis. Vxor bona.

18 Locutus sum ergo ad populũ mane, & mortua est uxor mea uespere: feciq; mane sicut præceperat mihi.

19 Et dixit ad me populus, Quare non indicas nobis quid ista (significent) quæ tu facis?

20 Et dixi ad eos, Sermo domini factus est ad me, dicens,

Ad populũ meum mane quæ mihi dominus imperarat locutus sum, uesperi autẽ eiusdem diei mortua est uxor mea desiderabile oculorũ, statimq; die altera mane feci omnia quæ mihi fuerant imperata. Interrogatus quare contra morem egissem tanta patiẽtiæ signa prætẽdens, A domino instructus, respondeo.

21 Loquere domui Israel: Hæc dicit dominus deus, Ecce ego polluam sanctuarium meũ, superbiã imperij uestri, desiderabile oculorum uestrorum, & super quo pauet anima uestra: & filij uestri & filiæ uestræ quas reliquistis, gladio cadent.

22 Et facietis sicut feci, Ora amictu nõ uelabitis, & cibos lugentiũ non comedetis:

23 coronas habebitis in capitibus uestris, & calceamenta in pedibus uestris: nõ plangetis neque flebitis, sed tabescetis in iniquitatibus uestris, & unusquisq; gemet ad fratrem suum.

24 Eritq; Ezechiel uobis in portentũ: iuxta omnia quæ fecit, facietis cũ uenerit istud: & scietis quia ego dominus deus.

Iam nunc polluam incursu gentilium hostium sanctuarium meum, ut cunctis pateat alienigenis & prophanis, in quo habebatis superbiam, desideriũ & spem salutis uestræ, & ad cuius obsidionem uestræ animæ formidabant. Filios quoque & filias quos uobis fames uel pestilentia reliquos fecerant, uel remãserant mariti uel uxores Hierosolymis, consumam gladio. Quicquid ego feci pro uxoris charissimæ obitu, & uos facietis. Quando consuetudo seruatur in luctu, medius dolor est: quan

do autem tanta malorum incumbit neceßitas, ut omni ploratu maior ſit, unuſquiſq; de ſua anxietate ſolicitus, ad aliorum, quamuis ſint proximæ, miſerias non ingemiſcit. Stupebitis tantum ad malorum magnitudinem, non attondebitis comam, nec nudis incedetis pedibus, non plangetis, nec amictu ora uel mentum uelabitis &c. ſed tabeſcetis & confundemini, & cõſumemini in iniquitatibus ueſtris, & uix liberum habebitis gemitum, ne offendatis Chaldæorum ſuperbiam, ſi publicè flere ueſtras calamitates & exilium uideamini: ita ut Ezechiel propheta ſit uobis in portentum, & omnia quæ ille non fecit in morte uxoris, uos in euerſione urbis & templi non faciatis.

25 ¶ Et tu fili hominis, ecce in die qua tollam ab eis fortitudinem eorum, gaudium dignitatis ſuæ, & deſideriũ oculorum eorum ſuper quo requieſcũt animæ eorum, filios & filias eorum:

26 in die illa cum uenerit fugiens ad te, ut annuntiet tibi:

27 in die, inquam, illa aperietur os tuũ cum eo qui fugit, & loqueris, & non silebis ultra: eris q; eis in portentum, & ſcient quia ego dominus.

Et adhuc apertius: O, inquit, fili hominis, in tempore quando abſtulero Iudæis fortitudinem & confidentiam templi, & gaudiũ ſolennitatũ & ceremoniarum, ſplendorem uaſorũ pulcherrimorũ ad templum, quicquid in urbe pulchrum habebatur & inſigne, filios quoque & filias, eo tempore quo uenerit ad te de Ieruſalẽ fugiens, uel qui euaſerit, dicẽs urbem euerſam eſſe: tunc tu propheta qui prius tacueras, & gemitũ liberum non habebas, aperies os tuum, & loqueris nõ ad internuntium, ſed circumſedentes & concaptiuos arguẽdo dices, cuncta illis merito proueniſſe, ita ut ſis illis in portentum, ut ſciant dominum deum prouidentia ſua omnia moderantem, qui futura prænouit & ordinat, reuelatq; prophetis, quibus iubet & uult adhiberi fidem. Id quod Iudæi tam Babyloniæ quàm Hieroſolymæ præſtabant minime, perfidia ſua excæcati, donec, ut de talpa dicitur, pereuntes agnoſcerent, quod ſalui ridebant.

¶ CAPVT XXV.

1 ET factus eſt ſermo domini ad me, dicens,

2 Fili hominis, pone faciẽ tuam contra filios Ammon: & prophetabis de eis.

3 Et dices filijs Ammon, Audite uerbũ dñi dei: Hęc dicit dominus deus, Pro eo quod dixiſti euge euge ſuper ſanctuariũ meum, quia pollutum eſt: & ſuper terram Iſrael, quoniã deſolata eſt: & ſuper domũ Iudæ: quoniam ducti ſunt in captiuitatem:

4 idcirco ecce ego tradã te filijs Oriẽtalib. in hæreditatẽ, & collocabũt caulas ſuas in te, & ponẽt in te tentoria ſua: ipſi comedẽt fruges tuas, & ipſi bibent lac tuum.

5 Daboq; Rabbath in habitaculum camelorum, & filios Ammon in cubile pecorũ: & ſcietis quia ego dominus.

6 ¶ Quia hæc dicit dñs deus, Pro eo quòd plauiſti manu, & percuſſiſti pede, & gauiſa es ex toto affectu ſuper terram Iſrael:

7 idcirco ecce ego extendã manum meam ſuper te, & tradam te in direptionem gentium, & interficiam te de populis, & perdam de terris, & conteram: & ſcies quia ego dominus.

Prophetarum more contra nationes uicinas Iudæa, Cap. 26. ruinis urbis Hieroſolymæ & incendio templi inſultando geſtientibus, Ezechiel quoque prophetat, primum contra filios Ammon, quorum metropolis Rabbath, poſtea Philadelphia nuncupata à Ptolomæo Philadelpho, qui rex Aegypti Arabiam tenuit cum Iudæa. Pro eo autem quod inſultauerant proximorum malo, ſanctuario exuſto, & tota Iudæa uaſtata, captiuatiſq; Iudæis, cum condoluiſſe debuerãt, prædicitur ipſis quoque ſua calamitas, quam erant paſſuri à Madianitis, qui filij Kedem Kedmi uel Orientis dicuntur, totam tenentes eremi uaſtitatem Arabiæ adiacentem, diuites camelorum, ouium & caprarum quibus uectitant: dicti quoque Iſmaelitæ, Agareni & Saraceni. Qui, inquam, Ammonitæ cum ſua metropoli Rabbath urbe, à Chaldæorũ quoque exercitu obruendi dicũtur poſt ſubuerſam Hieroſolymam. De qua Ammonitarum deſolatione in ſuperioribus quoque habitum eſt, & nunc pro gratulatione ſua repetitur contra terram Iuda & Iſrael, ſuperuẽturos Madianitas, & collocaturos caulas & tentoria cum ipſis, fruges uaſturos, lac & ubertatem terræ abſumpturos, tandemq; intelligant Ammonitæ malorũ neceßitate adactã dominum deum Iſrael, quæ futura fuerant præſciſſe & improuiſe, ut poſthac deſinant plaudere manibus de fratrum incommodo, quos amaſſe debuerant.

8 ¶ Hæc dicit dominus deus, Pro eo quod dixerunt Moab & Seir, Ecce ſicut omnes gentes, domus Iuda:

9 idcirco ecce ego aperiã humerum Moab de ciuitatibus, de ciuitatibus, inquã, eius, & de finibus eius inclytas terræ Beth ieſimoth, Beelmeon & Cariathaim,

10 filijs Orientis cum filijs Ammon, & dabo eam in hæreditatẽ: ut non ſit ultra memoria filiorum Ammon in gentibus.

11 Et in Moab faciam iudicia: & ſcient quia ego dominus.

Domui Iuda & urbi cum templo Moabitæ quoque uicini inſultabãt, quaſi deſtitutis præſidio dei, & præ dæ Chaldæorum expoſitis, ut cæteræ regiones. Commi natur his quoque dominus humerum robur & fortitudinem illis adimendã, ne hoſtibus Babylonijs reſiſtant, quo minus urbes quaſdam Moabitarum in finibus ipſorũ rum ſitas uaſtaturi ſint. Et ut Moabitarũ quoq; nomen deſiturum ſit, & memoria gentis eliminanda, ut ſciant tam Ammonitæ quàm Moabitæ quod ego ſim dominus

nus, qui Iudam tradidi pro peccato, & in filios Ammon & Moab ultor existã, cuius prouidentia oĩa reguntur.

12 Hęc dicit dominus deus, Pro eo quod fecit Idumæa ultionem, ut se uindicaret de filijs Iuda, peccauitq; delinquens, & uindictam expetiuit de eis:

Contra Idumæos

Esau, Seir, Edom, Idumæa & Duma, idem esse scripturæ docent. Idumæi non tantum uerbo & cordis gaudio se Iudæis hostes exhibuerunt, sed facto & manu ulcisci se tentarunt, siue quod à Iacob supplantati in utero fuerint, siue quod à Dauide & alijs regibus sæpe demoliti sunt, & oppressi misere, licet non sine peccatorũ demeritis. Eos se dominus nũc quoq; percussurũ prænunciat, si quo modo ad pœnitentiã reducãtur, quã negligentes experti sunt ueritatẽ prophetarũ domini, quorum multi grauia illis dudũ mala imminere prophetauerant. Theman & Dedan urbes fuerunt, à quibus regiones nomina sortitæ sunt, quæ & uastitatem perpessæ, domini uindictam tulerunt.

13 ¶Idcirco hęc dicit dominus deus, Extendam manum meam super Idumæã, & auferam de ea hominẽ & iumentũ, & faciam eam desertam ab austro: & qui sunt in Dedan gladio cadent.

14 Et dabo ultionẽ meam super Idumæam per manum populi mei Israẽl: & facient in Edom iuxta irã meam & furorem meum, & sciẽt uindictã meã, dicit dominus deus.

Quando Iudæi ulti se fuerint de Idumæis post captiuitatem Babylonicam, non legimus in sacris. Fortaßis hoc contigit tempore secundi templi, cuius temporis historias prophetæ non scripserunt. A Babylonico autem exercitu cum Aegyptijs deuictos non est dubium. Postea quoq; populus domini dici exercitus Chaldæorum, sed multo uerius Christianorum ecclesia, quæ illam & reliquas uicinas gentes domino congregauit, & subiecit euangelio domini Iesu Christi felici uictoria, non ad iacturam, sed salutem.

15 ¶Hęc dicit dominus deus, pro eo quod fecerũt Palæstini in uindictã, & ulti se sunt toto animo, interficientes & implentes inimicitias ueteres:

16 Propterea hæc dicit dominus deus, ecce ego extẽdam manum meam super Palæstinos, & interficiã interfectores, & perdam reliquias maritimæ regionis:

17 faciãq; in eis ultiones magnas arguens in furore: & sciẽt quia ego dominus, cum dedero uindictam meam super eos.

Contra Palæstinos

Palæstini & ipsi de aureo poculo Babylonis inebriati sæuiunt, & toto animo insultant, inimicitiarum ueterum memores. Cúmque dicat dominus, Mihi uindictam & ego retribuã, ipsi se ulciscũtur Israẽl occidẽdo, dum occurrit opportunitas, antiqua odia adimplentes: propter quæ extenta mea manus interfectores interficiet. Excindam ait Palæstinos, qui aliorum semper excisores & Cerethim extiterunt. Pheleti enim & Cerethi prostratores & excisores interpretantur, & secundum Iudæos quædam Palæstinorum olim erant familiæ, sed communiter magis hæc nomina suscipienda sunt quàm proprie. Vrbes autem maritimas esse, & ad littus maris Palæstinarum urbes notum est, quas excindendas dominus prædicit, nimirum à Babylonijs, sicut & Tyrus & Sidon. Omnes enim eas regiones ac urbes Babylonius unà cum Israẽlitis deuicit & uastauit, quas Israẽl à domino lege Mosaica dudum iussus, excindere noluit.

¶CAPVT XXVI.

1  T factum est in undecimo anno prima mẽsis, factus est sermo domini ad me dicens,

2 Fili hominis, pro eo quod dixit Tyrus de Ierusalẽ, Euge, cõfractæ sunt portæ populorum, cõuersa est ad me: implebor, deserta est.

Cõtra Phœnicia

Post Palæstinam succedit Phœnicis regio, cuius metropolis est ciuitas Tyrus, quæ appellatur Hebræo Syroq; sermone Zor. Quia autem capta Ierusalem ipsa gauisa est, & insultauit confractis portis, per quas maximus olim populus ingrediebatur, sperauitq; se Tyrus ex hoc potentiorem & illustriorem futuram, & de uicinæ urbis damno exultabat: ideo eius quoq; excidium futurum prædicitur de domini uoluntate, ut discamus ab omni mala uolũtate cauere, & nemini male uelle, nec gaudere in dispendio uicini, uel alterius hodie, ne cras nobis intolerabiliora contingant.

3 Propterea hæc dicit dominus deus, Ecce ego super te Tyre, & ascẽdere faciã ad te gẽtes multas, sicut ascẽdit mare fluctuans:

4 & dissipabunt muros Tyri, & destruent turres eius: & radam puluerẽ eius de ea, & dabo eam in limpidissimam petram.

5 Siccatio sagenarum erit in medio maris quia ego locutus sum, ait dominus deus: & erit in direptionem gentibus.

Contra Tyrum

Tyrus celeberrima urbium in mari sita, prædicitur à maris fluctibus obruenda, per mare intelligendo exercitum tumultuosum, inuincibilem, infiniti populi & roboris Babylonici regis, ut quæ in robustißimo monte et petra sita erat in ipso mari, & tutißimus portus erat omnium maritimarũ gentium, ipsa eatenus destruenda sit, ut sola petra sine muris, domibus & hominibus relinquenda sit, sic ut pulueres quoq; non sint remansuri, sed proijciendi in mare. Ad nihil posthac aliquãdiu usui futura, quàm ut ibi piscatorum retia suspendantur. Omnes autem illius diuitias diripiendas à gentibus.

6 Filiæ quoque eius quę sunt in agro, gladio interficientur: & scient quia ego dñs.

7 ¶Quia hæc dicit dominus deus, Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab Aquilone regem regum, cum equis, & curribus, & equitibus, & cœtu populoq; magno.

8 Filias tuas quæ sunt in agro, gladio inter

ficiet: & circundabit te munitionibus, & comportabit aggerē in gyro: & eleuabit contra te clypeum.

9 Et baliſtas cōtra eā ponet in muros tuos, & turres tuas deſtruet in armatura ſua.

10 Inundatione equorū eius operiet te pul uis eorū: à ſonitu equitum, rotarum & cur ruum mouebuntur muri tui, cum ingreſ ſus fuerit portas tuas quaſi per introitum urbis diſſipatæ.

11 Vngulis equorum ſuorum conculca bit omnes plateas tuas: populum tuū gla dio cædet, & ſtatuæ tuæ nobiles in terram corruent.

12 Vaſtabunt opes tuas, diripient negotia tiones tuas. Et deſtruēt muros tuos, et do mos tuas præclaras ſubuertent: & lapides tuos, & ligna tua, & puluerem tuum in me dio aquarum ponent.

Vrbes & oppida Tyro ſubiecta, uici & caſtella in Phœnicis littore, quæ metaphoricos filiæ nominantur, gladio occidentur, & robore tormentorum obtinebun tur & armis bellicis omnis generis, quæ illo tempore in uſu erant ad diruendas urbes & caſtra: ut oſtendatur exercitus babylonici fortitudo terra & mari. Quæ ideo fient, ut rerum fine cognoſcant me eſſe dominum. Baby lonius enim prius quidem ſubditas Tyro in littore ciui tates & caſtella ſubuertit, poſtea obſedit, uallauit & ui cit etiam Tyrū: tantamq; introduxit multitudinē equi tum, ut puluere equitatus & ſonitu ululantis exercitus rotarumq; ſtrepitu, & equorum hinnitu urbis funda menta mouerētur. Et ſic ingrediebatur ciuitatē diſſipa tis muris, quaſi de campo ſecurus ingrediēs victorioſus exercitus, ut plateas conculcent equorum ungulæ, & omnis populus ciuitatis corruat, cum nobilibus quon dam ſtatuis, & immenſis diuitijs, ut ligna et lapides re ſidua incendio, in mare ſint proijcienda. Omnia hæc di cuntur rhetorico & caſtrenſi modo loquendi, conſueto omnibus populis, quo & ſacræ literæ utuntur. Non ad rigorem literæ hæc fieri poterint, ſed maxima urbis perditio ſignificatur, ut ſolent diſſipari ciuitates & regiones.

Tyrus diſſi pata.

13 Et quieſcere faciam multitudinem canti corum tuorum, & ſonitus citharārum tua rum non audietur amplius.

14 Et dabo te in limpidiſſimam petram, fic catio ſagenarum eris, nec ædificaberis ul tra: quia ego dominus locutus ſum, ait do minus deus.

Inepta lætitia & inſolentia exceſſiua canticorum et muſicalium gaudiorum, & libidinum materies omnis ceſſabit, redigeturq; in ſolitudines magnas, quæ fuerat omnium frequentiſſima & celeberrima. Vltra autem non ædificanda dicitur, quod de longo tempore, & ali quot hominum ſeculis intelligendum eſt, locutione po pulari, ut omnia. Extat enim hodie, & interim ſemper, & Chriſti domini tēporibus, ſed peninſula facta eſt ad

Tyrus ho die.

littus maris, quæ fuerat inſula. Quod autem Tyrie ur bis oppugnationem in ſæcularibus hiſtorijs nō legimus, mirum non eſt, cum ſciamus multa dici in ſcripturis fa cta, quæ in Græcis uoluminibus non inuenantur: nec eo rum tanti faciamus authoritatem, quorū perfidiam & mendacia deteſtamur. Poteſt etiam dici non ædificatū dam intelligi de reſtitutione in priſtinum regni ſtatum, cū poſthac Romanis & Græcis ſeruierit ſemper, quam libet etiam Hieronymi temporibus Phœnicis nobiliſſi ma & pulcherrima fuerit, eo teſtante qui uidit.

15 ¶Hæc dicit dominus deus Tyro, Nun quid non à ſonitu ruinæ tuæ, & gemitu in terfectorū tuorum, cum occiſi fuerint, in medio tui commouebuntur inſulæ,

16 & deſcendēt de ſedibus ſuis omnes prin cipes maris: & auferent exuuias ſuas, & ue ſtimenta ſua uaria abiȝcient, & induentur ſtupore, in terra ſedebūt, & attoniti ſuper repentino caſu tuo admirabuntur?

17 Et aſſumentes ſuper te lamentū, dicent tibi, Quomodo periſti quæ habitas in ma ri, urbs inclyta, quæ fuiſti fortis in mari cū habitatoribus tuis, quos formidabant uni uerſi?

18 Nunc ſtupebunt inſulæ in die ruinę tuę, & turbabūtur inſulæ in mari, eo quod nul lus egrediatur ex te.

Nunquid in die ruinæ tuæ & gemitu uulneratorum tuorum et occiſorum non commouebuntur terrore in ſulæ omnes reliquæ? Omnes reges territi humiliabun tur, deſcendentes de ſolijs ſuis, omnem regnandi libidi nem, faſtum & gloriam deponentes. Diademata de ca pitibus, pretioſarum ueſtium fulgorem abiȝcient, & ſtuporis uehementia uertentur in amentiam, humilia ti ſedebunt in puluere, ſimilia formidantes, cum te tantam urbem corruiſſe conſpexerint: nihilq; putent bunt in terræ bonis eſſe perpetuum. Sed lamentum aſ ſument, & flebile carmen, dicentes: Quomodo periſti quæ habitas in mari, urbs inclyta & laudatiſſima robu ſtiſſimaq; inſularum, cuius ciues potentiſſimi ab omni bus timebantur & reuerebantur, quomodo ſubito cor ruiſti? Nunc ſtupebunt ſuper te omnes nautæ & negotiatores maris in die pauoris & ruinæ tuæ, dum nullus ex te negotiator ut prius egreditur, et ſublata eſt omnis tam fortitudo quàm maieſtas, uel dum tot exules tui paſ ſim uidentur mendici, qui fuerant principes.

Tyrus

19 ¶Quia hęc dicit dominus deus, Cum de dero te urbem deſolatā, ſicut ciuitates quæ non habitātur: & adduxero ſuper te abyſ ſum, & operuerint te aquæ multæ:

20 & detraxero te cum his qui deſcendunt in lacum ad populum ſempiternū, & col locauero te in terra infima ſicut ſolitudi nes ueteres cum his qui deducuntur in la cum, ut non habiteris, cumq; dedero glo riam in terra uiuentium:

Exege

Exaggeratio est prædictorum prophetico more, quasi dicatur: Quando te dedero, ô Tyre, urbem in perpetuũ desolatam, sicut ciuitates sunt aliæ, quæ omnino non habitantur, dum abyssus infinitorum hostium te operiet, & detraxero te cum his qui mundo abscõditi sunt, descendentes ad inferna, ad foueas & inferiora terræ, tradidos in manus gladij, ut fiant partes uulpium, ut sint populus sempiternæ miseriæ & fletus, nullam prorsus habentes gloriam & æstimationem apud uiuentes, sed uelut ad nihilum redacti habeantur, tibijpsi facta omnium dissimilima, quasi quæ fueris maxima nihil sis, quia miserrima sis.

21 in nihilum redigam te, & non eris, & requisita non inueniêris ultrà in sempiternum, dicit dominus deus.

Desituam te omni decore tuo, ut quæ fueras gloria maris, nunc confusio sis et horror: quæsita eris & non inuenieris, ut non sit quærentis uitium, eius scilicet qui boni pastoris officium agit, sed tuum, quæ tardius resipiscens ad dominum conuerteris teipsam.

1 CAPVT XXVII.

2 ET factum est uerbum domini ad me, dicens,

3 Tu ergo fili hominis, assume super Tyrum lamentum: & dices Tyro, quæ habitat in introitu maris, negotationi populorũ ad insulas multas, Hæc dicit dominus deus, O Tyre, tu dixisti, Perfecti decoris ego sum,

Tyrus plan gitur. Plangitur à domino per prophetam Tyrus, quia spes erat restaurationis, quam & Esaias prædixit post septuaginta annos futuram. Habitat autem in introitu maris, quia portu tutissimo de alto uenientes naues felicissimum suscipit, & negotiatio est populorum multorum ad insulas multas, quia usque modo omnium propemodum gentium in illa exercentur commertia. Primum autem peccatum Tyri superbia est, qua quicquid bonorum accepit à domino, suæ diligentiæ & uirtuti transscribere audet, dicens, Perfecti decoris ego sum, qua scilicet non est pulchrior alia, & quæ nullo indiget ad splendorem pertinente ornatu.

4 & in corde maris sita. Finitimi tui qui te ædificauerũt, impleuerũt decorem tuum.

Cor medium significat, uel intra, locutione Hebraica. Ædificat ergo finitima sua & terminos esse mari conclusos, hoc est, mari se circundatam undique, quo tutior sit & firmior. Artifices murorũ, turrium & ædium perfecerunt decorem tuũ, ut pulcherrima fis omniũ urbium, ab expertissimis diligentissimisq; artificibus ædificata, ut nihil ad decorem pertinens obmiserint.

5 abietibus de Sanir extruxerunt te cum omnibus tabulatis (maris) cedrum de Liba no tulerunt, ut facerent tibi malum:

Tyrus naues. Loquitur de Tyro tanquam de naui pulchra & pretiosissima, onusta pretiosissimis mercibus, ut postquam unuersam illius suppellectilẽ descripserit, malũ, antennas, remos, uela, proram, carinã, funes, opertoria, pelles,

& cætera quibus nauium optimè instructarũ usus indiget: tunc tempestatẽ illi & uentũ austrum, quo fluctus maximi cõmouebuntur, uenire denuntiet, & eam subiacere naufragio. Per hæc enim significat urbis Tyriæ euersionem à rege Nabuchadnezer, siue, ut multi putant ab Alexãdro, qui sex mensibus ipsam obsedisse & cepisse narratur, postquam Darium uicit in Lycia.

6 quercus de Basan dolauerunt in remos tuos, & transtra tua fecerunt tibi ex ebore filia Assyriorum de insulis Italiæ.

Tanta pulchritudo nauis, ut remos haberet cedrinos nõ undelibet, sed de Basan: transtra eburnea et cellaria, in quibus pretiosiora reponuntur de insulis Chettijm, uel Italiæ illius quæ Græciæ sit uicinior, de omnibus scilicet occidentalium insularum partibus.

7 Byssus uaria de Aegypto texta est tibi in uelum, ut poneretur in malo: hyacinthus & purpura de insulis Elisa, facta sunt operimentum tuum.

Describitur quid Tyro mittat unaqueq; prouintia ad perfectionem decoris sui. Byssus in Aegypto quàm maximè nascitur, ex qua contextũ est Tyriæ nauis uelum, quod malo suspẽditur. Operimentũ autem quod in solis calore atque tranquillo nautis atque uectoribus præbet umbraculum de hyacintho & purpura fit, quæ sunt de insulis Elisa, Ionij maris sic appellans insulas. Decor Tyri.

8 Habitatores Sidonis & Aradij fuerunt remiges tui: sapiẽtes tui Tyre facti sunt gubernatores tui.

Antequam ueniat ad eos qui longè habitant proximarum prouintiarum describit auxilia. Ciues, inquit, Sidonis & Aradij, quæ uicina est insula, remiges tui: gubernatores autem & nautæ alij non sunt, quàm tui sapientes ô Tyre, non aliunde sapientiam emendicare cogeris, & peritiam nauticã: tui in te nati filij & sapientissimi uiri tibi sufficiunt ad omnem ornatum, non est ut aliunde aduocare cogaris exteros.

9 Senes Giblij & prudẽtes eius fuerũt in te reformatores rimarũ tuarum: omnes naues maris & nautæ earum fuerunt in te ad commiscenda commertia tua.

Senes Giblij, hoc est, exercitatissimi artifices compactionum, & eruditissimi fuerunt in te, idonei curatores corroborationũ & refectores sarcta tectorum & fissurarum tuarum, ne quid unquam periculorum ex ruinis patereris nauium tuarum. Omnes quoque naues maris & nautæ earum fuerunt in te, frequentauerũt nundinas tuas, mercium commutationes & negotiationes in te contrahebant. Giblij senes.

10 Persæ & Lydi & Libyes erãt in exercitu tuo uiri bellatores tui: clypeum & galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo.

Fortissimos constat fuisse Persas, quorum rex Cyrus Esaiæ uaticinio prædicatur, qui rege Medorũ subuerso Babylonẽ cepit. Lydos quoque fortissimus rex Crœsus regebat, à Cyro tamen captus. Libyas etiã cum Troglodytis & Aethiopibus uenisse contra Ierusalem, in Para

lipomenon legimus. Qui ut illorum temporum florentißimi erant, & famoſi milites, Tyriæ urbis defenſores eſſe memorãtur, & ad terrendos hoſtes ſcuta & galeas inter murorũ propugnacula ſuſpendiſſe, ut complerent gloriam tuam, fuerunt tibi honori, arma bellica optima aduehebant, quo eſſes firmior.

11 Filij Aradij cum exercitu tuo erant ſuper muros tuos in circumitu: ſed & Pigmæi qui erant in turribus tuis, ſcuta ſua ſuſpenderunt in muris tuis per gyrum, ipſi compleuerunt pulchritudinem tuam.

Aradia. Aradum inſula tota ciuitas, habet contra ſe poſitũ oppidum Antaradũ, uicina eſt Tyro. Hi ſunt in exercitũ conſcripti, & parati ſemper urbis Tyriæ tutores, cuſtodeſq; turrium eius, ad quas ſuſpenderũt pharetras ſuas per gyrũ, complentq; & adiuuãt laudẽ & celebritatẽ tuam. Pigmæi dicuntur Capadoces uel Cubitales.

12 Tharſenſes negotiatores tui, à multitudine cunctarũ diuitiarũ: argento, ferro, ſtanno, plumboq; repleuerũt nundinas tuas.

Tharſis, quibuſdam Cilicia habetur, alijs uerò Carthago, quam coloniã eſſe Tyriorum nulli dubiũ eſt. Ipſi de occidentibus partibus argẽto, ferro, ſtanno & plumbo Tyri nundinas impleuerũt. Videtur quoque totum mediterraneum mare Tharſis dici.

13 Græcia, & Thubal, & Moſoch, ipſi inſtitores tui: mancipia, & uaſa ærea adduxerunt mercaturam tuam.

14 De domo Thogormæ, equos & equites, & mulos adduxerunt ad forum tuum.

Græci uel Hiſpani. Iones qui Hebraicè appellãtur Iauan & Thubal, id eſt Iberi orientales, uel de occidentis partibus Hiſpani, qui ab Ibero flumine hoc uocabulo nuncupãtur, & Moſoch quos Cappadocas intelligimus, ubi & Cæſarea Cappadociæ, Mazaca dicitur. Iſti pretioſum Tyri fecere commertium, ut mancipia, & ænea uaſa ex Corintho adducerent Tyrum, & de domo Thogorma, id eſt, de Phrigia equos & equites & mulos, quorum quondam illa prouintia maximam habuit copiam.

15 Filij Dedan negotiatores tui: inſulæ multæ negotiatio manus tuæ: cornua eburnea & hebenim (pauones) commutauerunt in pretio tuo.

Rhodos inſula. Non raro etiam Hebræis ſcribitur ambigue ר & ד, & ſæpe Septuaginta in ſuo codice unũ legũt pro alio, ut incertum ſit quid uerius. Hoc autẽ in dubio, ubi fidei ratio aliud non cogit, malo ſentire cum Septuaginta. Vt tam nobilem & maximam Cycladum inſulam, in Ionio mari Rhodum, nauali certamine glorioſam, & ob tutißimum portum mercatorum omnium receptaculum propheta non obmiſerit, ut pro דדן legi potuerit olim ררן. Filij ergo Rhodiorũ negotiatores Tyri fuerunt, inſulæ quoque multæ diuerſarum gentium auxerunt mercimonium eius, afferentes dentes eburneos, & cornua unicorniorum, & ligna hebenina, quæ nigri coloris pretioſißima ſunt, & commutauerunt cum alijs Tyri mercibus.

16 Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorũ, carbunculũ, & purpuram, & ſcutulata, & byſſum, & coralia, & uniones propoſuerũt in mercatu tuo.

Vſq; hodie permanet in Syris ingenitus negotiationis ardor, teſtãte expto in omnibus his rebus Hieronymo. Iſtiuſmodi homines negotiatores Tyri ſunt, q polymita purpurã & ſcutulata mercãtur, byſſum quoq; & ferũ & Chodchod, quod Ionathas gemmas tranſtulit.

17 Iuda & terra Iſrael ipſi inſtitores tui in frumento (loci) Minith: balſamon, & mel, & oleum, & reſinam propoſuerũt in nundinis tuis.

Dicitur hic quibus terra Iuda quæ nunc appellatur Palæſtina abundet, balſamo, melle & oleo, reſina, quæ à Iuda & Iſrael ad Tyri nundinas deferũtur, cum optimo frumento.

18 Damaſcenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diuerſarum opum, in uino pingui, in lanis coloris optimi.

A Damaſco quoq; deferebatur uinum pinguiſſimum, uel uinum Helbon, à loco dictum circa Damaſcum, uel album ח pro ה, denique lana præcipua.

19 Dan, & Græcia, & Mozel in nundinis tuis propoſuerũt ferrũ fabrefactũ, ſtacten: & calamus in negotiatione tua.

Ex nomine patriarchæ Dan & tribus & locus in quo habitauit nomen accepit, à filijs Dan acquiſita ciuitas, prius dicta Lais, poſtea Paneas, quondam Cæſarea Philippi. De iſtis autẽ regionibus, & de Vzal, ferrum & ſtacten & calamus ad Tyri nundinas deportata ſunt.

20 Dedan inſtitores tui in tapetibus in ueſtibus præcipuis ad recumbendum.

21 Arabia & uniuerſi principes Cedar, ipſi negotiatores manus tuæ: cum agnis & arietibus, & hœdis ueneruntad te, negotiatores tui.

Idẽ omnino hic nomen Hebræi habẽt, quod ſuprà uerſu decimoquinto, ut ueriſimilior apparcat noſtra opinio prius דדן legendũ fuiſſe, hic uerò ררן, ne cumẽ locum bis celebret, & de uarijs eodẽ contextu, Tapetia multa genera ad multiplicẽ uſum, ſedendi & ſternendi iumẽtis & ædibus, pretiũ quoque augens & artificũ. Arabia & principes Cedar, quæ hodie Saracenorũ regio eſt, abũdat agnis, arietibus, hœdis, & Tyri nũdinas hac illatione multiplicant: ſed & camelorũ fertiliſſima eſt regio, ob paſcuarum eremi latitudinẽ, aẽriſq; temperiem, quibus hoc animal delectatur.

22 Venditores Saba & Reema ipſi negotiatores tui: cum uniuerſis primis aromatibus, & lapide pretioſo & auro, quod poſuerunt in mercatu tuo.

Sabæorũ regio feracißima eſt optimi auri, aromatum & gemmarum, de qua Tyro munera deferuntur, cum odoribus optimis. Raama alibi non inuenitur, nec quæ regio ſit, licet uideatur uicina Arabiæ.

Haran

23 Haran, & Chenne, & Eden negotiatores Saba: Assur, & Chelmad uenditores tui.
24 Ipsi negotiatores tui, multifariam, in pallijs hyacinthi, & polymitorũ, gazarumq; pretiosarũ quæ obuolutæ & astrictæ erant funibus: cedros quoque habebas in negotiationibus tuis.

Mesopotamia. Olim dictæ Charran & Channa urbes Mesopotamiæ sunt, & Eden putãtur esse Nisibis, Edissa & Ctesiphon. A quibus & de Saba & Assyria aderãt Tyro sui quoque negotiatores, & de Chelmad quam Madai uel Mediam Hebræi exponunt. Vnde ueniebant sarcinæ mercatorum obligatæ funibus & acupictæ tapetiæ, & pretiosæ uestes cum procerissimis cedris, &c.

25 Naues Tarsis turmæ tuæ pro mercatu tuo: & repleta es, & glorificata nimis in corde maris.
26 In aquis multis adduxerũt te remiges tui: uentus orietalis cõtriuit te in corde maris.

Talia tibi, ô Tyre, nauibus asportabãtur omnia, cum mari circũdareris, ut nihil tibi defuerit quod ad diuitias pertinet insularũ, quæ tamen glorificatio fuit aggrauatio possidentis, dum non potes moderate ferre diuitias: ideo subditur, Omnes diuitiæ Tyri austro flante urente uento dispereunt, & seculi fluctibus obruuntur. Nihil enim stabile in hoc mũdo & perpetuum. Qui enim uolunt diuites fieri in hoc mũdo, incidunt in tentationem & muscipulas multas, & trahuntur in profundum.

27 Diuitiæ tuæ, & thesauri tui, mercatura tua, nautæ tui, & gubernatores tui qui corroborabant supellectilem tuam, & populo tuo præerãt: uiri quoque bellatores tui qui erant in te, cum uniuersa multitudine tua quæ est in medio tui: cadent in corde maris in die ruinæ tuæ.

Quicquid diuitiarum in te collectum est, merces, thesauri, negotiationum contractus, marinarij, prælati funibus, uel funifices, uel funium gubernatores, sarctores ruinarũ, negotiatores & milites tui, cum toto qui in te populus est, omnes cadẽt, & esse nihili mõstrabuntur, cum ciderit Tyrus, & uniuersa gloria eius finem habuerit ruinarũ. Mixta autem prophetia est inter urbem & nauem, ut ex altero alterum intelligas.

28 A sonitu clamoris gubernatorũ tuorum conturbabuntur suburbana,
29 & descendẽt de nauibus suis omnes qui tenebãt remum: nautæ uniuersi gubernatores maris in terra stabunt,
30 & eiulabunt super te uoce sua, & clamabunt amarè: & superiacient puluerẽ capitibus suis, & cinere conspergentur.
31 Et radent super te caluitium, & accingentur ciliciis: & plorabunt te in amaritudine animæ planctu amarissimo.

Cæsa Tyri. Quando Tyrus ceciderit omnia clamoribus complebuntur, gubernatores turbabũtur, descẽdentq; de classibus suis remiges, nectoresq; & proretæ maris iactati fluctibus terram ausugient, & amarè clamabũt, cinere se conspergent & substernẽt cineres, radentq; super Tyro caput, & faciẽt caluitiũ pro luctu, cilicio induti, flentes & ex animo plangentes calamitates tuas.

32 Et assument super te filij eorum carmen lugubre, & plangẽt te, Quæ est ut Tyrus, quæ obmutuit in medio maris?
33 Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos: in multitudine diuitiarum tuarum, & cõmertiorum tuorum ditasti reges terræ:

Quæ alia ciuitatũ ita conticuit, ut loquendi fiducia non mueniat? Quantis mercibus ô Tyre ditata es, & quid tanto labore quæsisti, ut diebus ac noctibus peritura naufragio cõgregares? Implesti quidẽ populos multos, & opibus locupletasti reges, sed nunc cõtrita es in mari, in profundis aquarum. A mari obuenerunt tibi diuitiæ tuæ, quæ & à mari omnes absorbebuntur.

34 Nunc contrita es à mari, in profundis aquarũ: opes tuæ, & omnis multitudo tua quæ erat in medio tui, ceciderunt.
35 Vniuersi habitatores insularũ obstupuerunt super te: & reges earũ omnes tempestate percussi mutauerunt uultus.
36 Negotiatores populorum sibilauerũt super te: ad nihilum deducta es, & non eris usque in perpetuum.

Insularum iactura. Omnes insulæ uel habitatores terræ, quæ huius seculi fluctibus uerberãtur, stupebunt super te, & reges earũ tempestate perculsi, sentient interitũ tuum, imitantes quoque uocẽ colubri sibilabũt ac dicẽt, Ad nihilũ deducta es, & facta perditio, ut posthac sis protinus cessatura, dum omnis hæc tanta tua gloria tam miseræ tragœdiæ finẽ sit habitura. Ex eo autẽ quod sequitur, Vsq; in seculũ, unius seculi tempus ostẽdit, quod iuxta ætatẽ hominis annorum septuaginta circulo supputatur.

¶CAPVT XXVIII.

1 ET factus est sermo domini ad me, dicens,
2 Fili hominis dic principi Tyri: Hæc dicit dominus deus, Eò quòd eleuatũ est cor tuũ, & dixisti, Deus ego sum, in cathedra dei sedi in corde maris: cum sis homo & non deus: & dedisti cor tuum quasi cor dei. Ecce sapientior es tu Daniele: omne secretũ non est abscon ditum à te.

Ad omnes principes exhortatio. Ad principem quidem Tyri prophetia dicitur, & de eo intelligitur. Videtur tamen generalis esse admonitio & correctio omniũ principũ prosperitate nimia in hoc mundo lasciuientiũ, & deum eatenus non timentiũ, ut sese suorũ subditorũ deos existiment: non quidẽ uerbis, ne ludibrio exponantur sapientibus, sed factis & imperio, ut ab insipiẽtibus timeãtur. Quos omnes sub persona principis felicissimæ urbis Tyri alloquitur, sunt enim tales ferè omnes eiusdẽ sortis & uanitatis, & quanto insania similiores inueniũtur, tãto similiore quoq; cala

nitate finiuntur eorũ regna. Clementer tamen dominus hortatur & prænonet, tanquã non negligendos seruos suos, quos ad hoc elegit, ut suam circa populum expleãt uoluntatem. Loquere, inquit, ad principem Zor, quæ interpretatũ nomen habet Angustiam, licet mutata uocali Petram firmã dici mereatur. Cuius quidẽ urbis, ut fata, & circa eam domini dispensationem in prosperis & aduersis propheta prædixit ad præceptũ domini, sic nunc principis sui & regis fata describit. Potẽtia enim & diuitiæ regum superbiam souent, & corda uana efficiunt, ut sui obliuiscantur, non quid deceat eos, sed quid libeat & possint proponãt. Hos à prophetis domini monerí oportet, ne non tam sibijpsis quàm subditis incommodent, si domini dei & sui obliuiscãtur. Id aũt faciũt, si recordantur uel cogitant, se quidem pastores esse populorum, sed cõductitios seruos dei omnipotẽtis, omnia scientis & iustè iudicantis, cui de officio suo reddituri sint rationẽ districtã & arduam, ne si eius obliuiscãtur, cogitent se dominos & deos subditorũ, & in cordibus ut impij dicant, Nõ est alius deus huius populi & terræ quàm ego, solium dei obsideo, qui nihil curat de terrestribus, ut quæ libeãt omnia liceant mihi: sicut rex Tyri totius maris dominum se putabat. Quem & quos dominus sic tractare solet, fatalibus plerunq; angustijs, & rerum uarijs difficultatibus, in quibus sæpe maximè afflicti, sic uexantur, ut experiãtur se uelint nolint homines & miseros esse, quantũlibet se extollãt, & ut deos se coli mandẽt, ut ab omnibus timeãtur, quos satius esset amari. Sed bene uobiscũ agitur ô reges, quod futura uobis aduersa non præuidetis, nisi à Daniele aliquo uobis ostendantur, ut sub dei potẽti manu uos regi sciatis, qui superbos deijcere solet & pios glorificare.

Fata Tyri.

3 **In sapientia tua & prudentia tua fecisti tibi fortitudinẽ: & acquisiuisti aurum & argentum in thesauris tuis.**

Ideo ô rex Tyri, scias non tibi parandã fortitudinem & diuitias stabiles, uiribus & tyrannide, sed sapientia & intelligentia.

4 **In multitudine sapiẽtiæ tuæ, & in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinẽ: & eleuatum est cor tuum in robore tuo.**

5 **¶ Propterea hæc dicit dominus deus, Eò quòd eleuatũ est cor tuũ quasi cor dei:**

Sapiẽtia & diuitiæ tuæ cum dona domini dei sint, ad reipublicæ salutem promouendam, opus plenum labore & solicitudine, occasio tibi esse debuerant timoris curarum & sancti operis. Tu autẽ pro more huius mundi corrupti, abuteris eis ad fastum & superbiam cordis tui, quasi à teipso ista possideas, & nõ ut seruus omnipotentis dei acceperis, sed ueluti ipse deus haberi postulas & coli, omnia ad tuam gloriam ordinando, quæ dei solius sunt, non ad profectum subditorũ, quos deus ipse iuuat & à te promoueri mandauit.

6 **idcirco ecce ego adducã super te alienos robustissimos gentiũ: & nudabũt gladios suos super pulchritudinẽ sapiẽtiæ tuæ, & polluent decorem tuum.**

Superbiã tuam hoc pacto frangam, ut experimento discas te hominẽ esse mortalẽ, obnoxium aduersitatibus, quas euincere nequeas, immittẽdo tibi uolentes & robustos hostes, quorũ gladijs cades, quãtũlibet sapiẽs sis, mala à me tibi decreta euadere nõ poteris. Facilè enim me uolente polluetur claritas & maiestas tua, & in nihilum redigetur, ut appareat te fortunæ & fato meo subiectũ, non esse dominũ, sed subditũ deo, ut illi seruas benefaciendo hominibus, non tyrannice opprimendo.

7 **Interficient & detrahẽt te: & morieris in interitu occisorum in corde maris.**

8 **Nũquid dicẽs loquêris, Deus ego sum, coram interficiẽtibus te, cum sis homo & non deus, in manu occidentium te?**

Me uolente nulla te munitio defendet à uastatoribus, etiamsi intra maris abyssus te collocaueris, & fluctibus maris uallaueris, non tamen effugies manum meam, quin illic ad foueam perditionis demittens te, & deijciens à fastu tuo, & mortalem hominem ostendens fuisse, dum morti tradent uiolentæ, & cum occisis pessimis sortem tuam. Tunc senties uanitatẽ diuinitatis tuæ, tunc te non esse imuincibilẽ senties, dum ut caducus homo & fragilis cades in conspectu occidentiũ te. Hoc tibi dudum cogitandum erat, ut humiliter sentires, & amanter præesses, ut pastor ouium, non ut ouũ rapax lupus, sciresq; mãsuetudine & clemẽtia peremari regna, & tutum diu non fore quem odissent plurimi, nullumq; uiolentum perpetuũ, deum resistere superbis, humilibus autem fauore adesse.

9 **Morte incircuncisorum moriêris in manu alienorum: quia ego locutus sum, ait dominus deus.**

Grauissimum Hebræis erat quippiam pati ab incircuncisis, maximè autem occidi, quod id in blasphemiam dei cedere arbitrabantur, ut de Saule legimus. Ideo hoc denuntiatur regi Tyri, & omnibus alijs tyrannis: ab his sese occidendos, quos omnium maximè oderant, quorum extrema sua calamitate lætificanda essent corda, & illusione se contemptibili trucidandos. Hæc ideo, ut tem sic firmiter persuadeant sibi usu uentura reges, ut euitari nõ possint, domino sic iubẽte, quem ideo timere discant & colere, ut secundum ipsius beneplacita sic præsint ut prosint, ut uicissim longæui sint & felices, deo amabiles & hominibus.

10 **¶ Et factus est sermo dñi ad me, dicens,**

11 **Fili hominis, leua planctũ super regem Tyri: & dices ei, Hæc dicit dominus deus, Tu signaculũ similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore.**

12 **In delitijs paradisi dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius & iaspis, chrysolithus, & onyx, & beryllus, sapphirus, & carbũculus, & smaragdus: aurum opus tympanorũ tuorum & tibiarum tuarum, in die qua conditus es præparata sunt.**

Alia admonitio regis Tyri, per modum planctus, quæ uidetur

uidetur etiam regem Babylonis, sub quo captiuus detinebatur, & omnes reliquos mundi tyrannos arguere superbiæ nimiæ, contra deum & homines, qui ueluti Lucifer princeps malorũ angelorum, gloria maxima à deo accepta abusus est ad contemptũ dei, cui non solum non gratus erat, sed æqualitatem sibi usurpare tentauit. Eo modo faciunt impij reges, & populorum tyranni, qui cum propter populum reges sint & pastores, ipsi populos propter se cõditos arbitrantur, ad suã libidinẽ & iactantiã: propter quod & potẽter tormẽta patientur. Nihil in terra similius perfectione & gloria dei, omnia nutu suo regentis, sapiẽtia & bonitate omnibus prospicientis & benefacientis, quàm rex hominum iustus, sapiens & fidelis, qui seruos uocat & adsunt, mittit & pergunt, mandat & obediunt: cui si cõtingat sapiẽtia, iam cõpleta est, & illustris sit maiestas illius. Tales aũt reges in paradiso domini cõstituti uidentur, si non sibi, saltem aliis, delitijs scilicet affluentes, honoribus & dignitatibus, quæ etiã illis ut Salomoni dominus fauet, & non imputat, si fideliter officio suo inuigilent, & quæ ad iudicium & iustitiã conseruandã attinent non obmittãt. Splendorem quoque & cultum illustrem inter homines in ornatu uestium & famulorum permittit, ut non indignum officio, si moderatus sit cultus, probat, ut de Salomone. Nec diuitis epulonis uestes & cibi obfuissent, si clementia & bonitas adfuissent. Lapides ergo pretiosi enumerãtur, quibus paludamẽta regia adornata resplendent, ad insignem magnificentiã maiestatis promouendam. Solent autem & reuinciri auro & artificioso insculporum opere, ad gemmarum uires conseruandas, & comduplicandum decorem, & pretium augendum, ad hominũ æstimationẽ. Quæ gemmæ sicut & aliæ creaturæ nobiles, & admirabilium uirtutum, creatæ sunt à domino, tunc, cum omnia producerentur à creatore ad usum hominum. Quorum hominum rectores & excultores, omni gloria & honore uult esse honorãdos, si tamen creatoris sui non obliuiscantur, & ei sic obediant, ut sibi subditos parêre postulant & exigunt.

13 Tu cherub extentus & protegens, & posui te in mõte sancto dei, fuisti, in medio lapidum ignitorum ambulasti.

Tu rex Tyrius ueluti sacrosancta aliqua auis es & regia, multos populos ueluti gallina pullos alis potestatis & ditionis tuæ protegens, fouens & pascens. Talem enim ego te posui, à me regendi gentes onus & honorẽ accepisti, sacrosanctã illam à me maiestatem suscepisti, ueluti in tẽplo meo cõsecratus & initiatus. Omnis enim potestas inter omnes, & principatus à domino est, & qui eum spernit, dominũ offendit. Qui tamen in sancto monte dei iuxta Deuteronomiũ legis, ordinatus esse debet, & in medio ignitorũ lapidũ constitui debet, ut scili cet ob multitudinẽ cœtuum & causarũ, cõsiliarios & præfectos habeat zelosos, feruentes, uirtutum omnium sectatores, à quibus iuuetur, illustretur, consoletur, & dirigatur in opere tanto regiminis.

14 Perfectus tu in uijs tuis à die conditionis tuæ: donec inuenta est iniquitas in te.

15 In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti: & eieci te de monte dei, & perdidi te ô cherub, protegens de medio lapidum ignitorum.

Profectus regiminis tui saluus erit & felix, regnũ tuũ stabile perseuerabit, à die quo ordinatus es ad hoc munus & officiũ, donec inueniatur in te iniquitas. Et hactenus semper profecisti in regno, auctus gloria & decore, usq; quo cœpisti insolescere, superbire, occidere, tyrannum agere, omnia cum uiolentia & iniuria cõfundere & perturbare, negotiationes tuas, ô rex Tyri, ad libidinem tuã, cum orbis grauamine & detrimẽto corrũpere & infamare. Id ubi agendo peccasti in me & omnes populos, quid restare potuit aliud, quàm ut te prophanarem, authoritate exuerem, & maiestate diuinitus data nudarẽ, illustremq; gloriã tuam ex hominum memoria delerem, ut tu cum tuis ignitis lapidibus disperdaris, uel cum illustribus & iustis partem nullam sis habiturus? Regnorum salus.

16 Eleuatum est cor tuum in decôre tuo: perdidisti sapientiam tuam in decôre tuo, in terrã proieci te: ante faciem regum dedi te, ut despiciant te.

Quia itaq; eleuatum est cor tuum, & de donis dei superbiuisti, gratias non egisti de data tibi pulchritudine, iusto iudicio perdidisti tam sapientiam tuam quàm pulchritudinem, & decorem status tui. Proijciam enim te de solio gloriæ tuæ, & de fastigio maiestatis ad terram, aspicientibus trementibus & pariter te despicientibus omnibus regibus terræ. Casus facti.

17 In multitudine iniquitatum tuarum, in iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam: producã ergo ignem de medio tui qui comedat te, & dabo te in cinerem super terrã in cõspectu omnium uidentium te.

18 Omnes qui nouerint te in gentibus, obstupescent super te: nihili factus es, & non eris in perpetuum.

In tantum enim creuit iniquitas & iniustitia tua, & negotiationũ tuarum quæstus impius & iniuriosus iniquusq;, ut sacrosancta fœdera, iuramenta, fidem & ueritatem infregeris, nihil per fas, sed omnia per uiolentam tyrannidem agendo: ideoq; ex teipso prodibit tibi tua perditio, ut totus cum urbe & regno dispereas & corruas cum ignominia & despectu uidentium & stupentium casum tuum, de quo nunquam resurges, sed perditus iacebis usque in seculum.

19 ¶ Et factus est sermo dñi ad me, dicens,

20 Fili hominis, pone faciem tuam contra Sidonem: & prophetabis de ea,

21 & dices, Hæc dicit dñs deus, Ecce ego ad te Sidon, & glorificabor in medio tui, & scient, quia ego dominus cum fecero in ea iudicia, & sanctificatus fuero in ea.

22 Et immittam ei pestilentiam & sanguinem in plateis eius: & corruẽt interfecti in

medio eius gladio per circumitũ: & scient quia ego dominus.

23 Et non erit ultrà domui Israel spina pungens, & spina dolorem inferens, undique per circumitũ eorum qui diripiunt eos: & scient quia ego dominus deus.

Contra Sidonem.

Post Tyrũ sermo fit ad Sidonẽ, unius enim utraq; urbs prouintiæ est. Prædicitur autem à Babylonijs & ipsa capienda, ut malorũ pondere erudita cognoscat quòd ipse sit dominus, qui iudicauerit eam, & sanctificatus fuerit in illa, dum fame eam ac pestilentia gladioq; cõsumpserit, ita ut corruat in plateis, & ultra nõ sit offendiculũ populo dei, frequenter illum impugnando ut antea.

24 ¶Hæc dicit dominus deus, Quãdo congregauero domũ Israel de populis in quibus dispersi sunt, sanctificabor in eis corã gentibus: & habitabũt in terra sua quam dedi seruo meo Iacob.

25 Et habitabũt in ea securi: & ædificabunt domos, & plantabũt uineas, & habitabũt confidenter, cum fecero iudicia in omnibus qui spoliãt eos per circumitũ: & scient quia ego dominus deus eorum.

Cum hoc factum fuerit, Tyro scilicet & Sidone iudicatis à domino, secundũ sua demerita in deum & proximos, iniurioſis & blasphemis, tunc reuertetur populus

Reuersio fidelium.

meus Israel ex gẽtibus Babylonico regno subiectis. Denuoq; sanctificabitur in eis dominus, cũ illis benefacere uidebitur, & recolligere tanquam peculiariter sibi dilectum populũ, de quo curam gerat specialem, quem propter peccata puniat & dispergat: resipiscentem autem & humiliatum reducit & congregat, & in hæreditatibus suis tranquille habitare cõcedit, ut domos iterum ædificent, & uineas plantent: dumq; promissa completerit puniẽdo & redimendo dominus circa suos, cognoscant ipsum esse dominum, cuius uerbum sit infallibile, & firmißimæ promißionis.

¶CAPVT XXIX.

1 IN anno decimo, decimo mense, duodecima die mensis, factũ est uerbũ domini ad me, dicens,

Contra Aegyptum.

Sequũtur multæ prophetiæ cõtra Aegyptum dictæ, quæ ex alia parte Iudææ, in codẽ littore constituta est ad Austrũ, sicut Tyrus & Sidon ad Aquilonem. Quarũ hæc prima facta est, pphetæ anno decimo regni Sedechiæ, mẽsis decimi, die duodecima, q Hebræis dicitur Thebeth, Aegyptijs Tibi, Romanis Ianuarius.

2 Fili hominis, pone faciẽ tuam cõtra Pharaonem regem Aegypti: & prophetabis de eo, & de Aegypto uniuersa.

3 Loquere, & dices, Hæc dicit dominus deus, Ecce ego ad te Pharao rex Aegypti draco magne, qui cubat in medio fluminum suorum: & dicit, Meus est fluuius, & ego feci memetipsum.

Pharaonis nomen.

Vocabulo Pharaonis demõstratur regia maiestas Aegyptiorum, sicut apud Romanos Cæsares & Augusti

fuerunt. Fit ergo uerbũ domini aduersum unumquemlibet regem Aegypti Pharaonem, qui dicitur lacerator, uindicator uel punitor: quem alloquitur sub figura superbißimi regis, qui superbiat cõtra creatorẽ suum, & in Nili inundatione confidat, pluuias de cœlo non magnopere desyderet, authoremq; sui seipsum putet, & riuos Nili à se factos iactitet, quasi draco magnus resideãs inter sua flumina, aususq; sit dicere, Meus est Nilus, ipse feci flumen quo omnis Aegyptus irrigatur.

4 Et ponam frenum in maxillis tuis: & agglutinabo pisces fluminũ tuorũ squamis tuis: & extraham te de medio fluminum tuorũ, & uniuersi pisces tui squamis tuis adhærebunt.

5 Et proijciam te in desertum, tuipse & omnes pisces fluminis tui: super faciem terræ cades, non colligêris, neque cõgregaberis: bestijs terræ, & uolatilibus cœli (*ideſt*) ad deuorandum.

6 Et scient omnes habitatores Aegypti quia ego dominus: pro eo quòd fuistis baculus arundineus domui Israel.

7 Quando apprehenderunt te manu, confractus es, & lacerasti omnem humerum eorum: & innitentibus eis super te, comminutus es, & dissoluisti omnes fortitudines eorum.

Constringam os tuũ, & maxillis frenum & laqueos Sequi pro imponam, quo nimium superbè & magnificè loquebaris. Omnesq; socios tuos ac duces quos pisces uocat, adhærere faciam pennulis & squamis tuis, ut extractos à flumine proijciaris. Nimiũ enim te extulerat in desertum, & cades super faciẽ terræ tuæ, quæ campestris prætorum est. Nec colligetur cadauer tuum, nequaquam sepelieris, sed bestijs & uolatilibus cœli dabo te deuorandum, ut cum hæc uiderint habitatores Aegypti hæc in te per me perpetrata, cognoscant quòd ego sim dominus. Hæc autẽ ideo tibi euenient, quia populũ meum Israel auxilij tui promißione decepisti, quod præstare non potuisti uel noluisti, interim tamen uanis spebus lactasti, ut nequaquam in deo creatore suo, sed in te confiderent. Fuisti eis baculus arundineus, & calamus fragilis, cui innixus cum damno frãgatur manu & humero, & dum in te securi sunt, comminuuntur omnes lumbi eorũ cadentiũ in terrã, & pro sperato auxilio uulnera reportantiũ. Hæc autẽ per metaphoram dicuntur, quasi ad regem Aegypti, eò quòd & ipsa prouintia nequaquam aduersaria fuerit Israeli, sed dum magna promittit, à dei eos auxilio separet, ut dum propriis uiribus eos iuuare resistere non poßint.

8 ¶Propterea hæc dicit dominus deus, Ecce ego adducam super te gladiũ: & interficiam de te hominem & iumentum.

9 Et erit terra Aegypti in desertum & solitudinem: & scient quia ego dominus: pro eo quòd dixerit, Fluuius meus est, & ego feci (*eum.*)

Idcirco

Idcirco inducã ſuper te gladiũ, & cum hominibus et iumentis oĩbus uaſtabo te, ut redigatur terra feliciſſima Aegyptus in ſolitudines, & iterũ ſcient Aegyptij quòd ego ſum dominus, & non dij ipſorum aliquid poßint.

10 Idcirco ecce ego ad te, et ad flumina tua: dabóq; terram Aegypti in ſolitudines gladio diſſipatam, à turre Syenes, uſq; ad terminos Aethiopiæ.

11 Nõ pertranſibit eam pes hominis, neq; pes iumenti gradietur in ea: & non habitabitur quadraginta annis.

Nilus. Nec is cõtentus, blaſphemiam inſaniamq; ſuam, qua ſuos eſſe dicebat fluuios, & omnem abundantiam Aegypti, & ſe creatorem, ſic puniam, ut redigam eam terram in longißimam ſolitudinem gladio dißipatam, à turre Syene, ubi ſunt Nili cataractæ, & uſque ad quem locum de noſtro mari Nilus nauigabilis eſt, uſque ad terminos Aethiopiæ, quibus extrema Aegypti regio iungitur, ita ut nec pes hominis, nec iumenti reperiatur ut tranſeat, & non habitetur per quadraginta annos.

12 Dabóq; terram Aegypti deſertã in medio terrarum deſertarũ, & ciuitates eius in medio urbium ſubuerſarũ, erunt deſolatæ quadraginta annis: et diſpergã Aegyptios in nationes, & uentilabo eos in terras.

13 ¶ Quia hæc dicit dominus deus, Poſt finem quadraginta annorum cõgregabo Aegyptum de populis in quibus diſperſi fuerant.

14 Et reducam captiuitatẽ Aegypti, & collocabo eos in terra Phathures, in terra natiuitatis ſuæ: & erunt ibi in regnũ humile.

15 Inter cætera regna erit humillima, & nõ eleuabitur ultrà ſuper nationes, & immĩnuam eos ne imperent gentibus.

16 Neq; erunt ultrà domui Iſraël in confidentiam docentes iniquitatem, ut fugiant & ſequantur eos: & ſcient quia ego dominus deus.

Aegyptus deſerta. In medio terrarum deſertarum dabo terram Aegypti, Paleſtinos ſignificans, Idumæos, Moabitas, Ammonitas, omneſq; alias, contra quas prophetarunt prophetæ. Simul quoq; tunc Aegyptios uentilabit in nationes & terras, ſed cum clementia & miſerationibus, quia poſt quadraginta annos reſtitutio erit, ut reducantur in antiquum locum, & in urbe metropoli Phathures, unde profecti fuerant, regnum humile denuo inchoabunt, ut non ultra contra gentes eleuentur imperio ſuo, ne ite rum Iſraëlitas decipere poßint, falſa pollicitatione: nec ultra docebit eos iniquitatem, & diuerſorum idolorum culturam. Hæc autem fient omnia, ut tertiò quoq; cognoſcant Aegyptij dominum.

17 ¶ Et factum eſt in uiceſimo & ſeptimo anno, in primo, in una menſis: factum eſt uerbum domini ad me, dicens,

18 Fili hominis, Nabuchodonoſor rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſus Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt: & merces non eſt reddita ei, neq; exercitui eius de Tyro, pro ſeruitute qua ſeruiuit (mihi) aduerſus eam.

19 ¶ Propterea hæc dicit dominus deus, Ecce ego dabo Nabuchodonoſor regem Babylonis in terra Aegypti: & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet ſpolia eius: & erit merces exercitui illius.

20 Operi quo ſeruiuit aduerſus eam, dedi ei terram Aegypti: pro eo quòd laborauerunt mihi, ait dominus deus.

Alia eſt prophetia eiuſdem argumenti, alio facta tempore, de eadem Aegypto, quæ huic loco contexta eſt, licet diuerſis ſit facta temporibus, quale et in Ieremia cernimus, ut præpoſtero ordine tẽpora deſcribantur. Hic enim uiceſimus ſeptimus annus nominatur, poſt decimum annum ſuperioris ſermonis, cum deinde ſequantur dicta & reuelata decimo duodecimoq; anno, & in extrema uiſione uiceſimus quintus annus. In talibus enĩ prophetiarum compilationibus, hiſtoriæ ordo nõ quæritur. Pro intellectu autem literæ notandum quòd Nabuchadnezer Tyrũ oppugnans, exercitũ ſuum iußit ſaxa & aggeres comportare, ut expleto anguſto freto ad inſulam, continuã terræ peninſulam faceret: interim Tyrij pretioſa omnia nauibus impoſita aſportarũt, ut nihil labore dignum Babylonius inuenret. Quia autem dei hac parte obedierat uoluntati, poſt aliquot Tyriæ captiuitatis annos, datur ei Aegyptus merces operum. Ordo præpoſterus.

21 In die illo pullulare faciã cornu domui Iſraël, & tibi dabo apertũ os in medio eorum: & ſcient quia ego dominus.

Eo tempore quo Aegyptus capta fuerit pullulabit cornu domus Iſraël: haud dubium quin regium genus ſignificet per Iechoniam & Sorobabel continuatum, ſub quibus reſtitutus eſt ſtatus Hieroſolymæ, et Iudaicæ gentis uſq; ad Chriſtum. Cum hæc omnia impleta cernentur, ſciant omnes qui audierint, me eſſe dominum, cuius dixiſſe feciſſe eſt. Diſcimus interim etiam Ethnicos, ſi quid bonũ fecerint, non abſq; mercede dei iudicio præteriri, & nos gentilium comparatione condemnari, ſi illi lege faciant naturali, quæ nos etiã ſcripta & à creatore noſtro expreſſe imperata negligimus. Ethnici boni.

¶ CAPVT XXX.

1 ET factum eſt uerbum domini ad me, dicens,

2 Fili hominis, propheta et dic, Hæc dicit dominus deus, Vlulate, uæ uæ diei:

3 quia iuxta eſt dies, & appropinquabit dies dñi: dies nubis, tempus gentium erit.

Eiuſdem argumenti prophetia hic tractatur, ſed clarius, prolixius, & per ſingula. Dicit ſibi præceptum à domino, ut loquatur ad omnes nationes, ſicut Eſaias & Ieremias, quas omnes Babylonius rex uarijs ex cauſis Ad omnes nationes.

inuasit, uicit, cepit, & transtulit, regionesq; lamentabili casu uastauit & redegit in solitudines. Etiam propriam suam gentem Israëliticam destruxit, rebellem usq; ad ultimum eius casum sub Godolia: cuius occisionis occasione contra uerbum domini residui Iudæi Aegyptum ingressi, ibidem cum Aegyptijs omnibus occisi sunt. Vt cerneretur fructus confidentiæ suæ in Aegyptios contra Babylonum, cui obedire iamdudum iussi fuerant à domino per prophetas.

4 Et ueniet gladius in Aegyptum: & erit pauor in Aethiopia, cum ceciderint uulnerati in Aegypto, & ablata fuerit multitudo illius, & destructa fundamenta eius.

5 Aethiopia, & Libya, & Lydi, & omne reliquũ uulgus, & Chub, & filij terræ fœderis: cum eis gladio cadent.

6 ¶ Hæc dicit dominus deus, Et corruent fulcientes Aegyptum, & destruetur superbia imperij eius: à turre Syenes gladio cadent in ea, ait dominus deus (exercituum:)

7 Et dissipabuntur in medio terrarum desolatarum, & urbes eius in medio ciuitatũ desertarum erunt.

8 Et scient quia ego dominus, cum dedero ignem in Aegypto, & attriti fuerint omnes auxiliatores eius.

Contra Aethiopiam.

Cumq; cœperit gladius uastare Aegyptũ, pauor erit in Aethiopia contigua Aegypto, ne ad se usque Babylonicus mucro peruenat. Cadent enim in Aegypto uulnerati, & auferetur multitudo, & urbes cum domibus usq; ad fundamenta: hoc est, funditus destruẽtur, ita ut si quis in Aegypto reperiatur de Aethiopia, Libya, & Lydia, uel cõmixtũ uulgus ex uarijs gentibus de Chub, quã Hispaniam dicunt, & ex cæteris confœderatis sibi populis & regnis, pariter gladio sint casuri. Corruent enim fulcientes Aegyptũ, omnia sustentacula cum socijs eius confœderatis et amicis, quorum sese fœdere erigebant contra Chaldæorum potentiam: ut sic omnis illa Aegyptiorũ contumacia & fastus fiduciaq; fortitudinis destruatur & deprimatur, à turre Syene, qui fortalitiũ est, uel oppidum aut urbs robusta, ut uidetur, magni nominis, usq; ad Aethiopiam. Gladio enim cadet omnis terra Aegypti, ut cognoscant iustitiam domini, & prouidentiæ illius ordinem infallibilem, cum ignis Chaldæorũ unuersa uastauerit, et attriti fuerint uniuersi auxiliatores eius, & ciuitates eius cum populis desertæ erunt.

9 In die illa egredientur nuntij à facie mea in trieribus ad conterendã Aethiopiæ confidentiam, & erit pauor in eis in die Aegypti: quia absq; dubio ueniet.

Eo quoque tempore, post punitam Aegyptum, exibunt nuntij ad terrendum etiam Aethiopes missi, me domino iubente. Ibunt autem in nauibus ad populum sine timore habitantem, ut hostiliter se inuadendos audientes terreantur, & conturbentur, ne similia sibi occurrant fata quæ Aegyptijs, ut quando fuerit uicina prouincia desolata, pauor teneat proximam.

10 ¶ Hæc dicit dominus deus, Et cessare faciam multitudinem Aegypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis. Ipse et populus eius cum eo fortissimi gentium adducentur ad disperdendã terram: & euaginabunt gladios suos super Aegyptum, & implebunt terram interfectis.

11 Et faciã alueos fluminũ aridos, & uendam terram in manus pessimorũ: & dissipabo terram, & plenitudinem eius in manu alienorum: ego dominus locutus sum.

Vt sciremus quis esset iste gladius qui uastaret Aegyptum, nõ enim adhuc nominatus est, & terreret Aethiopiam, sequitur manifestius: Et cessare faciam multitudinem Aegypti in manu Nabuchodonozer regis Babylonis, qui non solus uenet, sed multis cõmitatus nationibus à se subactis, ut omnis Aegyptus occisorum sanguine compleatur. Et tanta erit ira domini, ut siccentur aluei fluminum: hoc est, Nili meatus & Aegypti omnes habitatores occidantur in manu pestilentium siue hominum pessimorum, per regem Babyloncum. Mea enim uerba irrita esse non possunt.

12 ¶ Hæc dicit dñs deus, Et disperdam simulachra, & cessare faciam idôla de Memphis: & dux de terra Aegypti nõ erit amplius: & dabo terrorem in terra Aegypti.

13 Et disperdam terram Phatures, & dabo ignem in Taphnis (Zoan) & faciam iudicia in Alexandria (No.)

Eò mea proficiet indignatio, ut nedũ homines, sed & simulachra Aegypti disperdantur, & cessent idola de Memphis, insigniter superstitiosa ciuitate, Hebreis dicta Noph. Etiam optimates & principes de terra Aegypti non supererunt, quod intelligendum est ad multa tempora. Ingens quoq; terror opprimet Aegyptum. Terra Phatures omnis peribit, & igne exuretur. Taphnis, quæ Zoan dicitur, aliâs Taneas. Faciam quoq; uindictæ meæ durum iudicium in No, quæ nunc dicitur Alexandria. Fortassis non ab re dicta à Septuaginta interpretibus, aliquando Diospolis, aliquando Memphis.

14 Et effundam indignationem meam super Pelusiũ (Sin) robur Aegypti, & interficiam multitudinem Alexandriæ.

15 Et dabo ignem in Aegypto: quasi parturiens dolebit Pelusiũ, & Alexandria erit dissipata, & in Memphis angustiæ quotidianæ.

Sin urbs Aegypti fortissima existimatur, ea quæ inter Pelusium et Damiata appellata, interim dicta Pelusium est, interim Damiata appellata, super quã indignatio domini uentura prædicitur, quamlibet claram tutissimo portu, & claro emporio, ad orientalem riuum Nili, ubi exoneratur in mare. Vbi ostendatur populosissima iam illo tempore fuisse, Perdam, ait, multitudinem Alexandriæ, & dabo ignem, hoc est regem Babylonis in Aegypto, qui instar ignis consecta depopuletur: tunc quasi parturiens dolebit Pelusium. In Alexandria quoq; erit scissura, et diffundentur aquæ Nili

uel murorum uel aggerum. Moris est enim Aegyptijs, propter inundationem Nili, excelsos aggeres construere ad ripas Nili, qui si custodũ negligentia, uel nimia aquarum alluuione rumpantur, subiacentes campos non rigant aquæ, sed opprimunt et depopulantur. Quo significatur Chaldæorum exercitu occupandam Aegyptum, quomodo inundantibus Nili aquis, & supra modum crescentibus, operiri solet atque corrumpi. Et Noph, quæ Memphis dicitur, sentiet hostes diurnos, manifestos uel quotidianos infestatores.

16 Iuuenes Heliopoleos, & Pubásti gladio cadent, & ipsæ captiuæ ducentur.

Legio nostra nullum pertransiit.

Non rarũ est Hebræos nomina externarũ urbium, regionum & populorũ perperã legere, etiam si bene scribant, quod rarius est, ideo hic pro On legunt Ouen, & pro Pubasti Pipeseth, duo urbium nomina. Negari enim nõ potest, quin indocti in multis fuerint Rabini punctatores, quicquid de illis suis Iudæi contendant. In gladio cadent ista oppida, ciuibus abductis in exilium. Alioqui On urbs dicta est etiam postea à Græcis Heliopoleos.

17 Et in Taphnis nigrescet dies, cũ contriuero ibi sceptra Aegypti, & defecerit in ea superbia potentiæ eius: ipsam nubes operiet, filiæ aũt eius in captiuitatẽ ducentur.

Cerrum.

Regio hæc ciuitas est, ea fortassis, quæ hodie Cayrũ generali nomine dicitur, in qua omne regium genus conteretur. Cumq; potentia eius occisis principibus defecerit, tunc obtenebrescet dies, & angustijs omnia complebuntur, tam urbs ipsa metropolis, quàm oppida uicina, quorum homines captiui abducentur.

18 Et iudicia faciam in Aegypto: & scient quia ego dominus.

Dum hæc tam terribilia iusta autem iudicia immisero, & dignas impietatum uindictas de superstitiosissima gente, meq; deorum omnium dominum monstrauero, quorũ nullius uel omnes, impedire hæc illis incommoda non potuerunt suis cultoribus, tunc cognoscent Aegyptij dominum deum uerum, & ipse agnoscet eosdem.

19 ¶ Et factum est in undecimo anno, in primo mense, in septima mensis, factũ est uerbum domini ad me, dicens,

Ordo narrationis.

Alia prophetia ad idem alio tempore dicta, quod hic præmittitur. In prophetis enim historicus ordo nõ seruatur. Neq; enim narrant præterita, sed futura prænuntiant, & pro uoluntate congestoris libellorum ordinata sunt singula, sine curiositate sed simplici studio. Nihil enim refert quo quid loco referatur in huiusmodi scripturis: quin & in lege & historijs Hebræi fatentur non esse requirendum ordinem narrationis, ut patet in libris Iosue, Iudicum, & reliquis.

20 Fili hominis, brachium Pharaonis regis Aegypti confregi: & ecce nõ est obuolutum, ut restitueretur ei sanitas, ut ligaretur pannis, & fasciretur linteolis, & reciperet robore possit tenere gladium.

21 ¶ Propterea hæc dicit dñs deus, Ecce ego ad Pharaonem regẽ Aegypti: & comminuam brachium eius forte, sed confractum: & deijciam gladium de manu eius.

22 Et dispergam Aegyptum in gentibus, & uentilabo eos in terris.

23 Et confortabo brachia regis Babylonis, daboq; gladium meum in manu eius: & cõfringam brachia Pharaonis, & gement gemitibus interfecti coram facie eius.

Robur, quod brachio notatur, confractum est, nec tamen obuolutum neq; ligatum nec fartum linteolis, nec accepit malagma: quod si factum fuisset, recepta fortitudine posset tenere gladium & ad bella procedere. Idcirco clemens & misericors deus, rursum comminuit brachia, ut penitus decidat gladius de manu eius, & in gentes Aegyptius dispergatur, & in terras uentiletur.

24 Et confortabo brachia regis Babylonis & brachia Pharaonis cóncident: & scient quia ego dominus, cum dedero gladium meum in manu regis Babylonis, & extenderit eum super terram Aegypti.

25 Et dispergam Aegyptum in nationes, & uentilabo eos in terras: & sciẽt quia ego dominus.

Iterum explicatur tantæ Aegyptiacæ cladis author rex Babylonius, qui non tam suo arbitrio quàm prouidentia dei roboratur, & dirigitur in expeditionibus suis. Impius licet sit contra impios, ipse quoque tandem luiturus, si quid sine timore dei & modestia exequutus est. Sic enim dominus conterit nunc unum nunc alium tyrannum, & impias gentes uisitat ac digne tractat.

¶ CAPVT XXXI.

1 ET factũ est in anno undecimo, tertio mense, una mensis, factũ est uerbũ domini ad me, dicens,

Post multa prophetata aduersa plurimis prophetijs cõtra Aegyptum, hic quasi Pharaonem consolaturus, ne solum tam miserè se tractandum & à Chaldæo audiens nimium contristetur. Audire iubetur, quanta uastatio maneat uastatorẽ ipsius, regem scilicet Babylonicum, contra quem quidem sermo dirigitur, sed sub Assyriorum nomine. Quod totum regnum tandem ad Chaldæum deuent, & auctum est à Babylonijs, suffectumq; in monarchiam, non destructione terrarum, sed principum & nominis mutatione. Ne igitur conflaretur inuidia populo captiuo Iudaico, & tamen ueritas non taceretur, ad regem Pharaonem dirigitur sermo, in principio & fine, & regnũ Assyriorũ nominatur. Toto tamen contextu clare apparet, Babylonici regni destructionem prædici, quod natum Assyriorum imperio, à Persis ac Medis destructum est, sicut ipsum omnia alia regna destruxerat, & uiolenta manu subiecerat. Contra Babylonem.

2 Fili hominis, dic Pharaoni regi Aegypti, & populo eius, Cui similis factus es in magnitudine tua?

Vt uehementer magnus sis, ô rex Aegypti, tamẽ imminuetur magnitudo tua, & periturum est imperium tuum. Ne id mireris, cum id Babylonico quoq; futurum

sit, & imperio Assyriaco glorioso magno ac uetustißimo: is tibi in malis adsimilabitur, & tibi conformis erit, rex Assyriorum, ac suum illud nunc Babylonicum imperium. Constat enim temporibus prophetæ Assyriorũ regnum non extitisse, sed Babylonicũ dictum tunc fuisse.

3 Ecce Assur quasi cedrus in Libano pulcher ramis, et frondibus nemorosus, excelsusq; altitudine, & inter condensas frondes eleuatum est cacumen eius.

4 Aquæ nutrierunt illum, abyssus exaltauit illum: flumina eius manabant in circumitu radicum eius, & riuos suos emisit ad uniuersa ligna regionis.

5 Propterea eleuata est altitudo eius super omnia ligna regionis: & multiplicata sunt arbusta eius, & eleuati sunt rami eius præ aquis multis. Cũq; extendisset umbrã suã,

6 in ramis eius fecerunt nidos omnia uolatilia cœli, & sub frondibus eius genuerũt omnes bestiæ saltuũ, et sub umbraculo illius habitabat cœtus gentiũ plurimarũ.

7 Eratq; pulcherrimus in magnitudine sua, & in dilatatione arbustorum suorum: erat enim radix illius iuxta aquas multas.

8 Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso dei, abietes non adæquauerunt summitatem eius, & platani (*castaneæ*) non fuerunt æquæ frondibus illius: omne lignũ paradisi dei non est assimilatum illi, & pulchritudini ei,

9 speciosum feci eũ, & multis condensisq; frondibus: & emulata sunt eum omnia ligna uoluptatis, quæ erant in paradiso dei.

Assyriorum potentia.

Describitur potentia Assyriaci regni, sub figura arboris Cedri uel Cyparißi, in monte Libano constitutæ, quæ sit pulchra ramis & condensa frondibus, et ad nubes usq; porrecta, quæ idcirco tantũ creuit, quod abundantißimis aquis irrigetur: ita ut omnes aues nidos fecerint in ramis eius, & sub frondibus illius genuerint omnes bestiæ saltuũ. Et ne dubitaremus quæ essent cœli uolatilia & syluarum bestiæ apertius posuit, Et sub umbraculo illius habitabat cœtus gentium plurimarum. Et ne sigillatim de cunctis arboribus diceret, Et omnia, inquit, ligna paradisi dei nõ sunt assimilata illius pulchritudini. Tantæ enim Assyrius fuit potentiæ & sic cunctas oppresserat nationes, ut se angelorũ fortitudini cõparauerit. Omnia enim metaphorice sub allegoria altißimæ Cedri siue Cyparißi dicuntur ad Assyrium, interfectioq; illius appellatur succisio.

10 ¶ Propterea hæc dicit dñs deus, Pro eo quòd sublimatus est in altitudine, & dedit summitatem suam uirentem atq; condensam, et eleuatũ est cor eius in altitudine sua:

11 tradidi eũ in manus fortissimi gentiũ, faciens faciet ei iuxta impietatẽ eius. Eieci eũ,

Regnum illud Assyriorum tradidi in manu fortißimi gentium, quem regem Babylonicum uocat. Vt quod ipse nicit Assyrium: uel Medorum & Persarum, quod nicit Babylonicum, non propriæ fortitudinis, sed diuinæ inter ligat potestatis. Iuxta impietatẽ, inquit, eius eieci eum: ut occulte Babylonum moneat, non debere esse crudelem, nec opprimere populum dei, qui sibi traditus sit, ne similia patiatur à Persarum regibus & Medorum.

12 & succident eũ alieni & crudelissimi nationum, & proijcient eũ: super montes, & in cunctis conuallibus corruẽt rami eius, & confringentur arbusta eius in uniuersis rupibus terræ, & recedent de umbraculo eius omnes populi terræ, et relinquent eũ.

Nunquam crudelißimos nominatim diceret prophetæ Babylonios, cõstitutus in Chaldæa, ne illos aduersus gentem suam commoueret, nisi dominus præcepisset. Proijcitur quoq; super montes, et in cunctis cõuallibus corruunt rami eius, principes Assyriorum & urbes, cum suis exercitibus excinduntur et confringuntur, in rupibus siue campis eius, & à cũctis relinquitur nationibus, quæ sub illius umbra & regiminis imperio degebant: abijcient enim magistratũ et deinde obedire cõtenent.

13 In ruina eius habitauerunt omnia uolatilia cœli, & in ramis eius fuerunt uniuersæ bestiæ regionis.

Antequam caderet arbor lætabantur supra eam omnes lucres, infra animalia, post casum autem & ruinam ferę immites & animalia regionis, sæui Babylonici reges: semper enim malis succedunt peiores, & non tam bonorum gubernandorum ratio habetur, quàm potentiæ & concupiscentiæ propriæ, fastus & luxus.

14 Quam ob rem non eleuabunt in altitudine sua omnia ligna aquarũ, nec ponent sublimitatem suam inter frondosa, nec stabunt in sublimitate sua omnia quę irrigantur aquis: quia omnes traditi sunt in mortem ad terram infimam in medio filiorum hominum ad eos qui descendunt in lacũ.

In tantam aũt ueniet perditionem, ut omnes arbores quæ putabantur excelsæ, comparatione lapsus Assyrici regni, eleuari & in sublime erigi ultra desistãt, nec stent in altitudine sua: sed illa succisa omnes metu pariter succidantur, quantumlibet irriguæ sint, fœcundæ, & elegantes, omnes tamen illarum reges tradentur in mortem, & ad terram ultimam, hoc est ad infernum. In medio filiorum hominum reliquorum, sine exceptione & priuilegio concident, uastabuntur, & desinent imperare, ac reliquis anteferri: sed obedire discent quæ imperare secundum domini uoluntatem non nouerant.

15 ¶ Hæc dicit dñs deus, In die quando deseẽdit ad inferos induxi luctũ, operui eum abyssо: & prohibui flumina eius, & coercui aquas multas: contristatus est super eũ Libanus, et omnia ligna agri fatigata sunt.

In die quando Assyrius arbor descendet à sua potestate, & deijcietur in ima, ne posthac regnet, sed magis obsequatur & uastetur, inducet dominus luctum super eum, inuoluet eum abyssо aquarum multarum: ut sicut prius

prius alluuione aquarum crescebat arbor, sic nunc obruta deuoluatur ad profunda & dispereat, & ultra non crescere possit tempestate demersa, et ad floritionem ac pulchritudinẽ omnes eam nationes ultra rigare cessent, contristatusq; sit Assyrius et cõtenebratus ob calamitates, ut etiã Libanus, hoc est, alia regna et principatus alti induluerint uicẽ illius, & cõsternati fuerint ac concussi.

16 A sonitu ruinæ eius commoui gentes, cum deducerem eum ad infernũ cum his qui descendebant in lacum: & consolata sunt in terra infima omnia ligna uoluptatis egregia atq; præclara in Libano, uniuersa quæ irrigantur aquis.

17 Nam & ipsi cum eo descenduntad infernum ad interfectos gladio: & brachium uniuscuiusq; sedebit sub umbraculo eius in medio nationum.

Audientes cæteri minores reges casum tanti imperij, quomodo scilicet ad infimam fortunam redactum sit & subiugatum imò uastatũ, consolabuntur seipsos, quia scilicet socium habeant calamitatum suarum tantum regnum, quod æquè ut ipsi opprimi potuerit, et à quo ipsi quondam diucxati fuerant et subditi. Talis enim fit sors tyrannorum, ut mutuum sibi dæmones fiant, & qui fortior fit, opprimat impotentiorem, à quo mox per insidias & malas artes exercetur, donec rependatur quod dederat. Sicq; mutuis conflictibus tandem exhauriuntur uires, ut pariter deficiant, ad inferna descendant, euanescant ipsorum regna & superbiæ. Tyrannorũ fata.

18 Cui assimilatus es tu in gloria et magnitudine inter ligna uoluptatis? Ecce deducam: in medio incircuncisorũ dormies, cum eis qui interfecti sunt gladio: ipse est Pharao, & omnis multitudo eius: dicit dominus deus.

Ad extremum fit auersio & apostropha ad ipsum Pharaonem uel Assyrium: Cui adsimilatus es, ô inclyte atq; sublimis inter ligna uoluptatis? nullus tibi par fuit, omnes enim reges potentia superasti, & tamen cum cæteris regibus, qui erant in comitatu tuo, ad terras ultimas, id est, ad inferos deductus es: inter abominabiles gentes dormies, & iacebis infelix & miser. Talis itaq; est Pharao & omnis multitudo eius, dicit dominus. Quomodo, inquit, Assyrius Cedrus Babylonio succidente decidit: sic Pharao & populus eius à Babylonio succidentur: sic denicq; & Babylonius à successoribus Persis & Medis succidetur, per omnem modum, ut nõ satis uideri liceat de quo intenderit, si non communem omnibus imperijs calamitatẽ, primo seuiendi in alios, deinde uastandi quoq; ab alijs præfigurare uoluit et prædicere. Bortes res Babylonum.

CAPVT XXXII.

1 ¶ Factũ est: duodecimo anno, in mense duodecimo, in una mensis, factum est uerbũ domini ad me, dicens,

Apparet contumaces fuisse uehementer Aegyptios, ideo multis uicibus & modis eos alloquitur, nunc arguendo, nunc mala prædicendo, nunc consolando, nunc totam abijciendo, ut tandem resipiscens saluetur, & reformetur ad bonam mentem, quod per Euangelium prædicatum per apostolos tandem contigit.

2 Fili hominis, assume lamentũ super Pharaonem regem Aegypti, & dices ad eum, Leoni gentium assimilatus es, & draconi qui est in mari: & uentilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina eorum.

Vno anno post captiuitatem extremam Iudæorum sub Sedechia, ut gaudium Pharaonis malis sibi imminentibus auferatur, et suis magis miserijs doleat, quàm aliorum captiuitate lætetur. Leoni autem comparatur Pharao, non unus gentis sed multarum gentiũ. Sed & Draconi, hoc est, maximæ cuiq; beluæ marinæ, ut terram aquasq; possideat, qui irrigatione fluminum erigebatur in superbiã, quæ cornu uocatur, qua cæteras beluas appetebat, & impellebat pro libidine & fastu. Multitudine quoq; exercitus sui omnes aquas maris transiens, regiones terrarum sibi subiugans, Aethiopiã & uicinas cum Syria & Mesopotamia, fatigabat subiugando omnia, ueluti aquas sua inquietudine perturbabat: subiugabat enim populos, & terras uastabat. Pharao leo dictus.

3 ¶ Propterea hęc dicit dñs deus, Expandam sup̃ te rete meũ in multitudine populorũ multorũ, & extrahã te in sagena mea.

4 Et proiiciam te in terram, super faciem agri abiiciam te: & habitare faciam super te omnia uolatilia cœli, & saturabo de te bestias uniuersæ terræ.

5 Et dabo carnes tuas super montes, & implebo colles tuos sanie tua.

6 Et irrigabo terram fœtore sanguinis tui super montes, & ualles implebuntur ex te.

Idcirco expandere se dicit rete suum dominus, super multitudinem eius, extrahere eum sagena sua uel hamo, & proiicere super terram, destituere sua gloria, & tyrannide exuere, qui quasi coluber multis spiritis fuerat inuolutus, ut à cunctis cœli uolatilibus deuoretur, donec satientur. Cumq; nõ solum aues, sed omnes bestiæ terræ eum lacerauerint, reliquæ carnes eius & ossa, montes & ualles camposq; complebunt. Per hyperbolã autem, familiarem prophetis omnibus, hæc dici quis non uidere potest? Ita ut cuncta uermibus scateant. Hæc autem dominus loquitur per metaphoram, ut postquam uolatilia cœli et bestiæ carnibus eius fuerint saturatæ, id est, exercitus eius unuersa multitudo, reliqua pars in uermes & sanem conuertatur. Hyperbole.

7 Et operiã cum extinctus fueris, cœlos: & nigrescere faciam stellas eius: solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum.

8 Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te: & dabo tenebras super terrã tuã, dicit dominus deus.

9 Et irritabo cor populorum multorum,

cum induxero contritionem tuam in gentibus super terras quas nescis.

Contra tyrannos.

Cum, inquit, cœli ipsi tenebris obuoluentur, sol & luna & cætera luminaria nõ dabunt splendorem suum, sed super te cuncta obscurabuntur & nigrescẽt, nihilq; tibi lætum & iucundum erit, sed omnia plena calamitatibus, strage, & uastationibus: dum scilicet irritabo & ad iracundiam prouocabo contra tuam superbiã & ferocitatem cæteras nationes, ut concordibus uotis instent ad tui contritionẽ, quæ superueniẽt tibi, et in te irruent de locis remotis, quæ tu hactenus ignorasti. Sic enim dominus improbitatem tyrannorum uisitare consueuit, ut alij uideant, formident, sentiant, & emendentur.

10 Et stupescere faciã super te populos multos, & reges eorum horrore nimio formidabunt super te cum uolare cœperit gladius meus super facies eorũ: & obstupescent repente singuli pro aĩa sua in die ruinę tuę.

Ad tuum interitum omnes populi & cuncti reges eorum horrore nimio formidabunt, conspiciẽtes gladium meum huc illucq; uolitare, & nulli parcere, ut in tua ruina ruinam similem sibi pertimescant.

11 ¶Quia hæc dicit dominus deus, Gladius regis Babylonis ueniet tibi,

12 in gladijs fortium deijciam multitudinem tuam, inexpugnabiles omnes gentes hæ (*crudeliores gẽtium omnes ipsi*): & uastabunt superbiam Aegypti, & dissipabitur omnis multitudò eius.

13 Et perdam omnia iumenta eius, quæ erant super aquas plurimas: & non conturbabit eas pes hominis ultrà, neq; ungula iumentorum turbabit eas.

14 Tunc purissimas reddam aquas eorum, & flumina eorum quasi oleum adducam, ait dominus deus,

Vt autem scias quis iste sit gladius, audi manifestius: Gladius regis Babylonis, ueniet tibi, in gladio fortũ situe gigantum deijciam omnem multitudinem tuam: qui certe gigantes inexpugnabiles gentes sunt, quæ Babylonij regis tenebantur exercitu, atroces sine dubio & feroces. Istæ, inquam, uastabunt & disperdent superbiam Aegypti, ut nihil in ea remaneat, sed cum hominibus etiam iumenta brutaq; animalia pariter auferentur: & tanta erit solitudo Aegypti, ut nec pede hominis nec ungula iumenti ultra aquæ illius conturbentur, sed quieta sint omnia, & aquæ fluminum eius quasi oleum fluant purissimæ ac nitentes, nullo per eas transeunte, uel fluenta earum turbante.

15 Cum dedero terrã Aegypti desolatam. Deseretur autem terra à plenitudine sua, quando percussero oẽs habitatores eius: & scient quia ego dominus.

16 Planctus est, & plangent eum: filiæ gentium plangent eum, super Aegyptum, & super multitudinem eius plangẽt eum, ait dominus deus.

Hoc autem fiet propter Aegypti solitudinẽ, quæ redigetur in desertum, destituta tanta multitudine hominum suorum, quos dominus percutiet, ut intelligant qui remanserint, quòd ipse sit dominus, qui superbiam humiliat, & uastatores disperdit. Idcirco planctus est Pharaonis, & plangent cum cæteræ gẽtes in circuitu illius, nec solum super regem, sed & super populum, urbes, & totam regni illius gloriosam plenitudinem, quæ tota domino uastante deleta est. Sabbato Aegypti.

17 ¶Et factum est in duodecimo anno, in quintadecima mensis, factum est uerbum domini ad me, dicens:

18 Fili hominis, cane carmen lugubre super multitudinẽ Aegypti: & detrahe eam, ipsam, & filias gentium robustarum ad terram infimam cum his qui descendunt in lacum.

Eodem anno & mense, sed non forte die eodem, ita rursum spiritu domini instigatur ad plangendum, non iam super ipsum Pharaonem, sed super ipsius exercitum fortem & copiosum, diuitiasq; & gloriam, Vt detrahas superbiam eius, & potentissimarum urbium siue gentium robustarum insolentiam & dominatum ad terram ultimam, in profundum inferorũ, ut omnis nominis eorum memoria intercidat.

19 Quo pulchrior es? Descende, & dormi cum incircuncisis.

20 In medio interfectorum gladio cadent: gladio datus est, attraxerunt eam, & omnes populos eius.

21 Loquentur ei potẽtissimi robustorum de medio inferni, qui cum auxiliatoribus eius descenderunt, & dormierũt incircuncisi cum interfectis gladio.

Dicitur ad regem Aegypti, Quomodo pulchrior es? & maiori fiducia superbior, ut audeas sperare posse te euadere mortem? Cum enim Assur & Elam, id est, Persæ, & Mosoch, Capadoces, et Thubal, Hesperia, Idumæi quoque & principes Aquilonis, ac Sidonij, cum tuis exercitibus suis, quorum auxilio horrorem cunctis gentibus præbuerunt, mortui sint & gladio occisi: & gladios suos, more insignium heroum, posuerint sub capitibus suis, belloq; occisi sint, tu solus euadere & non eadem sustinere uoles? Quin potius cum uideris tantam tecum apud inferos multitudinem dormientium, & sepulchrum tuum fortissimorum quondam principum circumdari memorijs, habebis consolationem, leuiora tormenta æstimans consortio plurimorum. Sarcasmus Aegypti.

22 Ibi Assur, & omnis multitudo eius: in circumitu illius sepulchra eius: omnes interfecti, qui ceciderunt gladio.

23 Quorum data sunt sepulchra in latere bus laci: & facta est multitudo eius per gyrum sepulchri eius, uniuersi interfecti, cadentesq; gladio, qui dederãt (*quondam*) formidinem suam in terra uiuentium.

24 Ibi Aelam, & omnis multitudo eius per gyrum

gyrum sepulchri illius: omnes hi interfecti, ruentesq; gladio, qui descenderunt incircuncisi ad terram infimam: qui posuerunt terrorem suum in terra uiuentium, et portauerunt ignominiam suam cum his
25 qui descenderunt in lacum.
In medio interfectorum posuerunt cubile eius in uniuersis populis eius: in circumitu eius sepulchrum illius: omnes hi incircuncisi interfectiq; gladio: dederunt enim terrorem suũ in terra uiuentium, & portauerunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum, in medio interfectorum positi sunt.
26 Ibi Mosoch, & Thubal, & omnis multitudo eius: in circumitu eius sepulchra illius: omnes hi incircũcisi interfectiq;, & cadentes gladio: quia dederunt formidinem suam in terra uiuentium.
27 Et non dormient cum fortibus, cadentibusq;, & incircuncisis qui descenderũt ad infernũ cum armis suis: & posuerunt gladios suos sub capitibus suis, & fuerũt iniquitates eorum in ossibus eorũ: quia terror fortium (*facti sunt*) in terra uiuentium.
28 Et tu ergo in medio incircuncisorũ contereris, & dormies cum interfectis gladio.
29 Ibi Idumæa, reges eius, & omnes duces eius, qui dati sunt cum exercitu suo cũ interfectis gladio: qui cum incircuncisis dormierunt: & cum his qui descendunt in lacum.
30 Ibi principes Aquilonis omnes, & uniuersi uenatores: qui deducti sunt cum interfectis, pauẽtes, & in sua fortitudine confusi: & dormierũt incircuncisi cum interfectis gladio, et portauerũt confusionẽ suam
31 cum his qui descendunt in lacum.
Vidit eos Pharao, & cõsolatus est super uniuersa multitudine sua, quæ interfecta est gladio Pharao & omnis exercitus eius,
32 ait dominus deus:
quia dedi terrorem suum in terra uiuentium, & dormiuit in medio incircuncisorum cum interfectis gladio Pharao & omnis multitudo eius: ait dominus deus.

Lamentationes de mulis.

Quæ sequũtur singillatim de Assur, Elam, Mosoch, & Thubal, Edom & reliquis, uidentur cõceptis sermonibus lamentationes fuisse, & magnorum populorum uel heroum planctus, olim in usu gẽtilibus & fidelibus, dum quaq; occasione siue pro communi bono rerum publicarum, siue pro dilatandis principatibus, siue pro propugnanda patria uulnerati sunt, uel occisi. Sepulti in foueas suas memorantur, quod etiam ad maiorum suorum uel similium uirorum societatem apud inferos congregantur. Quorum sepulchra exornantur quidem foris, intus autem umbra mortis, & humanæ miseriæ re-

gnum conspicitur, uermes & fœtor, dum in loculis reponuntur inualidi & prorsus inermes, qui in uita quidem sua terrori erant uiuentibus: quos & post mortem terrere cuperent, ordinantes gladios suos clypeósque cum galeis reponi in sepulchra, homines incircuncisi corde, & nulla immortalitatis fide uera nobiles apud deum, cupientes glorificari apud posteros, qui per ferociam & crudelitatem in genus humanum, quod opprimere cupiebant, ignominiam per omnia sæcula meruerunt apud uiuentes superstites, in infernis autem supplicium ignemq; sempiternum.

¶ CAPVT XXXIII.

1 ET factum est uerbum Domini ad me, dicens:
2 Fili hois, loquere ad filios populi tui, & dices ad eos: Terra cum induxero super eam gladiũ, & tulerit populus terrę uirum unum de nouissimis suis, & constituerit eũ super se speculatorẽ:
3 & ille uiderit gladium uenientem super terram: & cecinerit buccina, & annunciauerit populo:
4 audiens autem quisquis ille est, sonitum buccinæ, & non se obseruauerit, ueneritq; gladius, & tulerit eum: sanguis ipsius super caput eius erit.
5 Sonum buccinæ audiuit, & non se obseruauit, sanguis eius in ipso erit: si autem se custodierit, animam suam saluabit.
6 Quod si speculator uiderit gladium uenientẽ: & nõ insonuerit buccina: & populus se non custodierit, ueneritq; gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem aũt eius de manu speculatoris requiram.

Contra Iudæos.

Hactenus contra gentes multas prophetauit Ezechiel, nunc iterum contra populum Israel, & peccata eorum prædicat ex reuelatione iussuq; diuino, postquam aliquanto tempore fortassis tacuerat. Non enim semper spiritus prophetarum inspirat, & non eadem semper necessitas loquendi urget. Loquitur autẽ hic ferè eadem quæ in superioribus continentur, ut discamus non erubescere debere doctores ecclesijs eadẽ proponere, uel etiam inculcare, si uiderint semel dicta, non ex integro percepta, uel etiam emendata. At potius similia sunt quàm eadem, ut uel quædam subtrahi, pleraq; addi uideamus, & nonnunquam uerborum discrepantiam sua ratione non carere. Si speculator, inquit, fuerit constitutus in populis, electione & iussu populi, non indignus, quæ æquiualere sæpe solet uocationi diuinæ: imo huiusmodi institutiones consensu ecclesiæ non fiunt sine spiritu domini, qui tamen ab habẽtibus gratiam discernendorum spirituum iudicari debẽt. Si, inquit, super se constituerint populi speculatorem episcopum, doctrinæ uerę præconem, uigilem & excubitorem, ut annunciet gladium domini, iramq; uenientem, & annunciante eo populus audire noluerit, speculator liber erit: et ille qui

De speculatoribus.

admonitus quidem, sed imprudens & negligens oppressus est gladio, ipse sanguinis sui sustinebit reatum: quod si audierit præconem periculi, saluabit animam suam.

Speculator indiligens.

Quod si speculator non tonuerit buccina, & populus ignorans gladium uenturum, nequaquam se obseruauerit, populus quidē in sua morietur iniquitate. Non enim sine causa à domino immittitur excidium, & cum euadere non curat, à domino ne sibi prospiciat impeditur. Nihilominus tamen sanguinem morientis de speculatoris manu requiram, qui officio suo non diligentem adhibuit operā, seruus nequam & infidelis deprehenditur.

7 ¶ Et tu fili hominis speculatorem dedi te domui Israël: audiens ergo ex ore meo sermonem, annunciabis eis ex me.

8 Si me dicente ad impium, Impie, morte morieris: nō fueris locutus ut se custodiat impius à uia sua: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autē eius de manu tua requiram.

Vt autem sciret prropheta Ezechiel generalem hanc narrationem ad se potißimum pertinere, Et tu, inquit, fili hominis non à terra & à populo terræ, ut supra dixi, sed à me cōstitutus es speculator domui Israël, si ergo me dicente ad impium: impie, morte morieris, nisi te emendaueris, & non ei fueris hæc locutus, ille quidem pro pristinis peccatis suis iustè puniēdus morietur, quia autem potuit liberari monitione tua quam intermisisti, sanguinem eius de manu requiram tua.

9 Si autem annuntiante te ad impium ut à uijs suis conuertatur, non fuerit conuersus à uia sua: ipse in iniquitate sua morietur: porro tu animam tuam liberasti.

Quod si tu præceperis impio ut conuertatur à peccatis, & ille non acquieuerit, morietur ipse in iniquitate sua, & tu officio tuo nō defuisti. Ex quibus discimus,

Audire uerbum dei.

quanta sit necessitas audiendi uerbum dñi, & obsequendi mandatis dei, quantumq; discriminis incidat magister, si docere noluerit, uel timore periculi, uel desperatione peccātis, dum reus sit sanguinis, qui liberari potuit & de morte erui, nisi magistri silentio concidisset. Seruatur tamen utrimq; interim prouidentiæ diuinæ ordo, quo digni puniuntur, & electi saluantur: ut liberi quoque arbitrij nulla sit excusatio uel accusatio, dum qui peccat non ignorat se domino peccare, & digne puniri pro peccato. Nec statim sequitur, ut quia propheta prædicit, necessario semper ueniat quod prædixit. Non enim propheta prædicit quicquam ut ueniat, sed ne ueniat: est enim populi dei præmonitor, ut sibi à malis caueant.

10 Tu ergo fili hominis, dic ad domum Israel, Sic locuti estis, dicentes, Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo uiuere poterimus?

11 Dic ad eos, Viuo ego dicit dominus deus, nolo mortem impij, sed ut conuertatur impius à uia sua, & uiuat. Conuertimini cōuertimini à uijs uestris pessimis: & quare moriemini domus Israël?

Alterius argumenti prophetia est. Superius decimo octauo capite sermo ferè similis ad eos fit, qui uolūt agere pœnitentiam & peccata emendare, ut cum fiducia conuertantur ad dominum: hic autem ad eos loquitur, qui magnitudine peccatorum desperant salutem. Vt sit Cornelius sensus dicentiū peccatorū: Cum semel nobis mors proposita sit, & uulneribus nostris nulla medicina succurrāt, quid necesse est frustraneo labore consumi, præsentem uitam cum desperatione transigere? saltem hac fruamur, quia futuram beatam perdidimus. Quibus respondet deus, Non uelle se mortem impij, sed ut reuertatur et uiuat impius. Conuertimini inquit à uijs uestris pessimis, Quare moriemini domus Israël? Vita aūt & mors in hoc loco non hæc signatur, qua omnes communi cum bestijs legē naturæ uel uiuimus uel morte dissoluimur, sed illa de qua dictum est, Placebo domino in regione uiuentium.

12 ¶ Tu itaq; fili hominis, dic ad filios populi tui, Iustitia iusti non liberabit eum in quacunq; die peccauerit: et impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die conuersus fuerit ab impietate sua: & iustus non poterit uiuere in iustitia sua in quacunq; die peccauerit.

Ad generalē transit disputationē, quod et iustū præteritæ iustitiæ non saluent, si nouis sceleribus fuerit occupatus, et peccatorē uel impium antiqua peccata non perdant, si iustitiæ operibus ueteres emendarit errores, deumq; non præterita in utroq; iudicare, sed præsenti.

13 Etiam si dixero iusto quod uita uiuat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem: omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur.

14 Si autem dixero impio, Morte morieris: & egerit pœnitentiam à peccato suo, fecerit q; iudicium & iustitiam.

15 Et pignus restituerit ille impius, rapinam q; reddiderit, in mandatis uitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam iniustum: uita uiuet & non morietur.

16 Omnia peccata eius quæ peccauit, non imputabuntur (recordabuntur) ei: iudicium & iustitiam fecit, uita uiuet.

Si iusto præmia iustitiæ pollicitus fuero, confisusq; ille tale peccauerit, omnes iustitiæ eius pristinæ obliuioni tradentur. In præsenti enim iniquitate sua morietur. Relapsus est enim à fide in deum quem spreuit, ideo non saluabitur. Nec mea est mutata sententia, cum non possim eidem homini peccatori reddere, quod nō nisi iusto promiserā. Econtrario, si peccatori fuero comminatus, & dixero, Adhuc quatuor dies & Niniue subuertetur, deleq; egerit pœnitentiā, & rediuiua in deum fiducia saluetisq; operibus, ut illi, ueterem emendarit errorem, sicut iudicium faciat et iustitiā, pignus restituat, reddatq; rapinam, in præceptis dei, quæ sunt uia uitæ, ambulauerit,

rit, nec faciat quicquam iniustum, nónne uita gratiæ & fauoris diuini uiuet æternum & felix erit? Comminatio enim facta peccatori, iustum punire non debet.

17 Et dixerũt filij populi tui, Non est æqui ponderis uia dñi: & ipsorũ uia iniusta est.

18 Cum enim recesserit iustus à iustitia sua, fecerit́ iniquitates: morietur in eis.

19 Et cũ recesserit impius ab impietate sua, fecerit́ iudicium & iustitiam, uiuet in eis.

20 Et dicitis, Non est recta uia domini. Vnumquęq; iuxta uias suas iudicabo de uobis domus Israël.

Vnde qui dicũt: Non est æqua uia domini, arguuntur quod ipsorum sit potius iniqua sentẽtia, habentium nequam oculum, et nequaquã noua, sed uetera iudicantiũ. Quibus oĩbus demonstratur, nec peccatorem salutẽ spe de mala cõuersatione, nec iustum in sua confidere iustitia qualiuncunq; operum, si relapsus fuerit in perfidiam & in opera mala. Quid uero sit iudicium facere & iustitiam & cætera, hoc in propheta superius dictum est.

21 ¶ Et factum est in duodecimo anno, in decimo mense, in quinta mensis transmigrationis nostræ, uenit ad me qui fugerat de Ierusalem, dicens, percussa est ciuitas.

22 Manus autẽ domini facta fuerat ad me uespere antequam ueniret qui fugeret: aperiretq; os meũ donec ueniret ad me mane, & aperto oreꝫ meo non silui amplius.

Tempus Prophetiæ.

Ciuitas Ierusalem capta est undecimo anno Sedechiæ quinto mense. Hæc autem prophetia duodecimo anno, decimo mense, quinta mensis die, à capto Iechonia facta est. Ex quo ostenditur post annũ & quatuor menses & 25. dies capta iam Ierusalem, uenisse Babylonem unum ciuium Ierusalem, qui nunciaret uastatam urbem. Ante unum autẽ diem quàm ueniret qui ista narraret, uespere facta est manus domini ad Ezechielem, qui cœperat loqui & prophetare: & quicquid nuncius dicturus erat, hic ante prædixerat factum: nec amplius siluit, quia populus credere uerbo illius cœpit, quæ dudum prædixerat futura, iam audiens facta.

23 ¶ Et factũ est uerbum dñi ad me dicens,

24 Fili hominis, qui habitant in ruinosis his, super humum Israël loquentes aiunt, Vnus erat Abraham, & hæreditate possedit terram: nos autem multi sumus, nobis data est terra in possessionem.

25 Idcirco dices ad eos, Hæc dicit dominus deus, Qui in sanguine comeditis, & oculos uestros leuatis ad immũditias uestras, & sanguinem funditis: nunquid terram hæreditate possidebitis?

Capta Ierusalem temploq; subuerso, pauperes terræ de quibus scribit Ieremias, soli relicti fuerant in Ierusalem, qui uineas & agros colerent: qui hæc dixisse dicuntur, secundum D. Hieron. Hebræi uero ad tempora Sedechiæ referunt, ante urbem Ierusalem destructam, tota

antẽ fere terra Iuda & Israëlis in ruinis stante. Semper enim apud illos impietas & perfidia perseuerabat, qua secundũ Rabi Aquibam dicebant: Cum Abraam solum unũ deum coluerit, & ideo tantam hæreditauerit terram, nos qui multos colimus deos, multo plures terras possidemus. Vel secundum alium Iudæũ, Abraam qui tantum obligabatur ad unam legem circuncisionis, possedit terrã, nobis qui multo plures leges accepimus, debetur maior terrarum possessio. Quibus respondet dominus per prophetã: Vos per summa scelera uiuitis uel uixistis, & pro libidine sectanda semper omne nephas committitis, inq; omni iniuria et cæde perduratis, quicquid prohibui committitis, & ad iracundiam certa me malitia prouocatis, & tamen nihilominus ius possidendi terram patribus promissam sanctis sub fœdere quod non seruatis, uobis arrogatis. Simulq; enumerat, quid facientes offendant deum, sex uidelicet genera peccatorum: qui ab immunditijs lege prohibitis & specialiter ab esu sanguinis non abstinetis, manus uestras ad idola extenditis, sanguinem innocentem effunditis: nunquid ista facientes poteritis terram hæreditate possidere? Idololatria Iudęorum. Rabi Aquibą.

26 Stetistis in gladijs uestris, fecistis abominationes, & unusquisq; uxorẽ proximi sui polluit: & terram hæreditate possidebitis?

Nec istis sceleribus contenti, quotidie parati estis ad cædes, incredibiles libidinum committitis turpitudines, unusquisq; uxorem proximi sui polluit. Et cum hæc faciatis, arbitramini uos terram hæreditate retenturos?

27 Hæc dices ad eos, Sic dicit dñs deus, Viuo ego, quia qui in ruinosis habitãt, gladio cadent: & qui in agro est, bestijs tradetur ad deuorandum: qui autem in præsidijs & speluncis sunt, peste morientur.

28 Et dabo terram in solitudinem & in desertum, & deficiet superba fortitudo eius: & desolabuntur montes Israël, eo quod nullus sit qui per eos transeat.

29 Et scient quia ego dñs, cum dedero terram desolatam & desertã propter uniuersas abominationes suas quas operati sunt.

Responde igitur eis, ô propheta: Per meipsum iuro, qui in ruinis illis habitant, gladio cadent, qui in campo, à bestijs deuorabuntur, & qui in præsidijs ac speluncis dei iram uitare non possunt, sed fame & pestilentia morientur. Daboq; terram Iuda in solitudinem, et deficiet superba fortitudo eius, tantaq; per montes uastitas erit, ut nullus per eos transeat.

30 ¶ Et tu fili hoïs: filij populi tui qui loquuntur de te iuxta muros, & in ostijs domorum: & dicunt unus ad alterum, uir ad proximum suum loquentes, Venite & audiamus quis sit sermo egrediẽs à domino.

31 Et ueniunt ad te quasi si ingrediatur populus, & sedent corã te populus meus, & audiunt sermones tuos, & non faciũt eos: quia in canticum oris sui uertunt illos, & auaritiam suam sequitur cor eorum.

32 Et es eis quasi carmen musicum, quod suaui dulciq; sono canitur: et audient uerba tua, & non facient ea.

33 ¶ Et cum uenerit quod prædictum est (ecce enim uenit) tunc scient quia prophetes fuerit inter eos,

Ad contribules.

Alius sermo de contribulibus prophetæ, apud quos uerbum domini non erat in pretio, sed assiduitate uilucrat & in contemptu erat, eatenus, ut passim sibi Iudæi occurrentes in uestibulis & uijs, per irrisionem contumelioseq; despectimq; loquebãtur de prophetijs Ezechielis, quod & Ieremiæ Hierosolymis contingebat. Dicebant aũt: Venite & audiamus, qui sit sermo egrediens à domino. Et sedent coram te in ecclesia populus meus qui meum esse se dicit, & nolunt facere uerbum domini quod audiunt, uoluptate potius noua audiendi & placentia palpantur, ut auditoriũ egressi, negligant audita omnia. Postquam autem aduenisse agnouerint quæ fuerant prædicta, tunc primum suo malo probare cogũtur nõ hominis fuisse uerba, sed domini, qui per prophetam & uirum ecclesiasticum locutus est.

¶ CAPVT XXXIIII.

1 ET factum est uerbum domini ad me, dicens,

Apparet hunc sermonẽ dudum dictum à domino per prophetam, antequam scilicet caperetur Ierusalem, dum adhuc populus impiorum regum tyrannide & perfidia depascebatur magis quàm regebatur, dum falsorum prophetarum mendacijs deciperetur, dum sacerdotum quæstu grauaretur, & omnũ simul luxui & auaritiæ subiaceret. Dirigitur enim hic sermo ad principes & magistros Iudaici populi, infideliter dei populum regentes.

De pastoribus & ouibus.

2 Fili hominis propheta de pastoribus Israël: propheta, & dices ipsis pastoribus, Hæc dicit dominus deus, Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: nónne greges à pastoribus pascuntur?

Pastorum officium.

Pastores sunt qui regunt, pascunt, custodiunt, defendunt greges. Israëlitarũ autem pastores erant, reges & principes, prophetæ & sacerdotes. Væ, inquit, pastoribus, qui quæ sua sunt quærunt, non quæ fidelium, multo minus curant gloriam & beneplacitũ dei, cuius uicarij sunt, uel mercenarij, imò conductitij serui ad profectum gregis. Qui scilicet ordinem naturæ inuertunt, ut cum usus habeat ouiculas pasci à pastoribus, ipsi in hoc toti sunt, ut pascantur ipsi ab ouibus: & quicquid officiorum obligantur gregi, id exigunt imperiose à gregibus sibi præstari. Hoc faciunt quicunq; dignitate, honore, cultu, & maioritate contenti, non quærunt utilitatem subiectorũ, sed suam, quibus satis est ditari, impinguari, dilatari, etiam si oues fame enecentur, uel diripiantur à lupis, quos etiã si arcere aliquãdo uideantur à caulis, id faciunt non ouiũ amore, sed proprio cõmodo incitati.

3 Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis.

Sermo diuinus neminẽ palpat, pastoribus impropert perfidiam & carnalitatem suam, indicat illis quid ligant, quid negligant. Lac gregis est, quicquid à plebe distribuitur præpositis, ad uitæ et status commoditatem, ut qui euangeliũ nunciat, de euangelio uiuat: & lactis potestatem percipiendi habet quidẽ, sed sispeliter pascat oues, non negligat. Lana indui, est sic nuditatem tegere, ut etiam honorem assequatur. Pinguescere, meliora est sectari commoda, uel malo exemplo mactari, meliora est sectari commoda, uel malo exemplo meliores scandalizari. Licuerat has à grege commoditates capere, si oues fideliter pauissent.

4 Quod infirmum fuit nõ consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abiectũ est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.

Ouis infirma est, quæ tentationes ferre non potest, Omnia quæ nõ sibi profuturas credit. Confortatur autem, quando audit, Fili accedens ad seruitutem dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Dum desperans propter commissa, euangelio confirmatur gratiæ per fidem. Ad confortandum cor tuum unctum ille pati, mori, sputis liniri, ligno configi, &c. Ægrotũ pecus sanare, est peccatores corrigere uerbis & operibus. Confractũ alligari, est fractum tentationibus, angustijs, paupertate, debitis & infirmitatibus, adunare. Profligatum ouem reducere, est errantes in fide & moribus scandalizatos uerbo doctrinæ reconciliari ecclesiæ, & ad caulas fidelium reducere. Perdita ouis quæritur, dum prauis moribus & perfidia à salute uera recedens, sibijpsi; consulere non potens, solicitudine pij pastoris, qualis Christus fuit, etiam interposita morte uel grauibus periculis reducitur. Hoc agunt fidi uerijq; pastores: perfidi autem, quales tunc Iudæorum erant, nunc Christianorum, uiolentia imperant, & fortitudine auctoritatis dominantur & opprimunt, uita quoq; impijs scandalizant.

5 Et dispersæ sunt oues meæ, eo quod nõ esset pastor: et factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt.

Quid ni dißiparentur oues, dormiente pastore, uigilantibus lupis? Exponuntur oues periculis uitæ & rerum, si dißipari eas acciderit, & deseri à pastore. Dum prophetæ falsi & sacerdotes cum regibus sua tantum quærebant, non quæ domini, non mirum si gregem per præcipitia idololatriæ & criminum multorũ ruere contigit illis tunc temporibus ac nostris.

6 Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in uniuerso colle excelso: & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat inquam qui requireret.

7 Propterea pastores audite uerbum dñi,

In omnibus montibus, in deorum phanis & delubris idola colentes, deũ se colere credebant, quod, quia auaritiæ fomentum erat, facile à præpositis admittebatur.

Viuo

8 Viuo ego dicit dominus deus, quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinã, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri, eo quod nõ esset pastor (neq; enim quæsierunt pastores mei gregẽ meũ: sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant)

9 propterea pastores audite uerbum dñi.

10 Hæc dicit dñs deus, Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meũ de manu eorũ, & cessare eos faciam ut ultra non pascant gregem, nec pascãt amplius pastores semetipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam.

De pastoribus malis. Ad malos pastores sermo fit domini, Quia ista et ista fecistis quæ supra exposui, & quæ secundo enumerat: Ecce ego ipse ad pastores uenam, nimirum in uirga furoris, ac iustæ indignationis, & requiram gregem meũ de manu eorum, quibus magis expedit ut mola asinaria alligetur ad collum, quàm ut minimum scandalizent de populo meo. Et hæc erit eorũ pœna uel maxima, ut ultra non pascant gregem meum, ne sub occasione ouium sibi ipsos pascant, & opes congregent: & liberabo populum meum de ore eorum. Requiram inquit de manu, & liberabo de ore, quod auidis faucibus deuoratur.

11 ¶ Quia hęc dicit dñs deus, Ecce ego ipse requiram oues meas, & uisitabo eas.

12 Sicut uisitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ouium suarũ dissipatarum: sic uisitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis.

Visitator animarum. Egoipse requiram oues, uisitabo ægrotantes atq; macilentas, dum Christus in hunc mundum pastor bonus uenit ad populum Israël destitutum pastoribus, & palantes per traditiones humanas & pharisaicas, sicut oues sine pastore; pastorum scilicet nõ solum negligentia, sed etiam perfidia dissipatas. Is proprius ouium pastor conbis & caligimis, sed etiam euangelicæ lucis, & unuersalis gratiæ in tempore plenitudinis.

13 Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam: & pascam eas in montibus Israël, in riuis, & in cunctis sedibus terræ.

14 In pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israël erunt pascua eorum: ibi requiescent in herbis uirentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël.

15 Ego pascam oues meas: & ego eas accubare faciam, dicit dominus deus.

Cœlæ ouiũ. Educam electos meos ex hoc mundo maligno, in ecclesiam primitiarum cœlestium, in caulas beatitudinis & euangelicæ libertatis, quæ est filiorum dei, in terram uiuentium deo, in Christo, qui est uita credentiũ. Et ipse eas pascet uerbo salutis in montibus Israël, ubi fluit lac & mel, nectar & ambrosia, ueritatis & iustitiæ cibus, unde impinguantur fidelium animæ semper. Alioqui pascere Israëlem in montibus & pascuis, quid magni est, si Iudaice capiatur? hæc enim felicitas ouiũ est et boum, Et frumento denique & uino reficiri homines, quid magni est in terra Israël? quæ hac parte melior non est Aegypto, & reliquis multis ualde terris. Verbo autem domini utiliter pasci non contigit quibuslibet, nisi Israëlitis. Aeterna felicitate non beantur, nisi credentes domino, & fideles per Christum pastorem animarum fideliũ, ab initio mundi usq; ad finem, sine delectu personarum, sola gratia dei eligendarum.

16 Quod perierat, requiram: & quod abiectum erat, reducam: & quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, consolidabo: & quod pingue & forte, custodiam: & pascam illas in iudicio.

Cura ouiũ. Tunc quod perierat in gentium populis, requiretur: & quod errauerat per idolorũ & cæterorum errorum auia, falsa persuasione scientiæ sæcularis, reducetur: & quod confractũ fuerat, alligabitur: & quod contritũ et infirmum, consolabitur per Samaritanum semiuiui hominis medicũ, qui sanat omnes contritiones suorum: & quod pingue & forte, custodiam: ut nemo quem illi pater dedit, pereat, sed oues dominu custodiantur, ne deuorentur à bestijs, animæ scilicet confidentes illi. Et pascet oues suas in iudicio, sciens cui oui quæ pascua debeantur. Diuersæ enim sunt mansiones apud patrem, & non quenquam iudicat pater, sed omne iudicium dedit filio.

18 Nónne satis uobis erat pascua bona depascí? insuper & reliquias pascuarum uestrarũ conculcastis pedibus uestris: & cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus uestris turbabatis.

19 Et oues meæ his quæ conculcata pedibus uestris fuerant, pascebantur: & quæ pedes uestri turbauerant, hæc bibebant.

Ad oues. Hæc aduersum pastores locutus est, nunc loquitur ad oues, id est ad populum, & ad utriusq; pecoris gregem, id est ouium et caprarum, imò quoq; ad arietes & hircos, qui sunt in gregibus principes, quibus ait: Nónne uobis satis erat, quod legis & sanctarum scripturarum pascuis uescebaminí? sed insuper reliquias pascuarum uestrarum conculcabatis pedibus, ut populus meus turbidas aquas humanarum traditionum, & pharisaicarum cerimonarum, & non aquam eloquiorum dei purissimam biberet, & uestro uitio quod per se bonũ erat, corruptũ turbidum uiolatumq; susciperet. Quod equidem omnes hæretici faciunt, ut carpant eloquia scripturarum, & quantum in se est maculant. Sed & ecclesiastici uiri, qui dogmatum non custodiunt ueritatem, sed de suo corde confingunt, magistramq; habent præsumptionem suam, simili errore retinentur, & reliqua quæ hoc loco Hieronymus.

20 ¶ Propterea hæc dicit dominus deus ad eos, Ecce, egoipſe iudico inter pecus pingue & macilentum.

21 Pro eo quod lateribus, & humeris impingebatis, & cornibus ueſtris uentilabatis omnia infirma (pecora) donec diſpergerentur foras:

Egoipſe iudico uerbi mei ſententia & amuſsi, inter pecus pingue & macilentũ, inter forte & infirmũ: fortia enim lateribus et humeris ſuis impingunt & illidunt infirma pecora, & cornibus uentilant, donec diſpergãt, & foras eijciant oues. Superbia enim epiſcoporum frequẽter pelluntur de eccleſia quos dominus ipſe ſaluauit.

22 ſaluabo gregem meũ, & nõ erit ultra in rapinam, & iudicabo inter pecus & pecus.

Vindex ouium.

Non dimittet gregem ſuum dominus, ut ultra ſint in rapinã perfidis lupis, leonibus, uel mercenarijs, improbisq; paſtoribus: ſed iudicabo inter pecus et pecus, unicuiq; conſulam ſecundum neceſsitatem ſuam: & ſi cui iniuria facta eſt à quocunq; paſtore, uindicabo. Curæ enim mihi ſunt meæ oues, quas agnoſco, quas requiro, quas defendo, quibus uitam æternam do.

23 Et ſuſcitabo ſuper ea paſtorem unum, qui paſcat ea, ſeruum meum Dauid: ipſe paſcet ea, & ipſe erit eis in paſtorem.

Paſtor Dauid Chriſtus.

Vnum dominus ſuſcitabit paſtorem, qui paſtor bonus eſt, Dauid, ſecundũ id quod formam hominis dignatus eſt aſſumere ſeruus domini, ſed iuxta ſuam diuinitatem uerbum patris ab æterno genitum, in quo facta ſunt omnia. Is erit princeps proficientibus pecudibus in rationale animal. Eſt enim electorum rex & ſaluator, in ſolio Dauid patris ſedens, ut regat eccleſiam in iudicio & iuſtitia amodo & uſq; in ſempiternum, cuius regni non erit finis, qui ſic in medio conſiſtit ouium, & in ſuis caulis, ut de quibuslibet & ſingulis curam gerat paternam & ſpecialem, & fidiſsimum paſtorem, qui animam ſuam dat pro ouibus ſuis.

24 Ego autem dominus ero eis in deum: & ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum: ego dominus locutus ſum:

Credentibus per Chriſtum in patrem, & fiduciã habentibus in gratiam dei, per redemptorem & ſaluatorem, dominus deus erit eorum deus, ut ad omnia illorum uota ſancta adſit pro fœdere quod pepigit cum electis, ut ſufficientiſsimum eis bonum: & ipſi erunt ſibi in filios, quibus regem præficiet Chriſtum filium Dauid, omnem habentem poteſtatem in cœlo & in terra, commiſsionemq; habeat ouium, ut nullam perdat earum, quas deus pater illi contradidit, ſed det eis uitã æternã.

25 Et faciam cum eis pactũ pacis, & ceſſare faciã beſtias peſſimas de terra: & qui habitant in deſerto, ſecuri dormiẽt in ſaltibus.

Pactum pacis.

Tunc ſtatuet cum eis pactũ pacis, ut omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat uitam æternam. Sed & nequaquam bellorũ atq; diſcordiæ author erit, quia factus eſt in pace locus eius, ſed pacis Chriſti, quæ exuperat omnem ſenſum. Qui itaq; pacem relinquit ſuis, & charitatem perfectum mandat diſcipulis ſuis, ceſſare faciet beſtias malas perturbationes & uitia, ut in uniuerſo monte ſancto ſuo non noceant omnes aduerſariæ poteſtates, etiamſi exerceant et tentent electos, quibus in fide datur ut reſiſtant diabolo & angelis eius. Et qui in ſaltibus mundi poſiti, in maligno habitare cogũtur, donec peregrinantur in eo, eo paſtore de die & nocte ſecure dormient. Non enim dormit neq; dormitabit cuſtos Iſrael. Dabitur enim libertas conſcientiarum fidelibus, ut ſciant cui crediderant, & certi ſint de depoſito ſuo in illum diem.

26 Et ponã eos in circumitu collis mei benedictionem: & deducam imbrem in tempore ſuo, pluuiæ benedictionis erunt.

27 Et dabit lignum agri fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum, & erunt in terra ſua abſq; timore: & ſcient quia ego dominus cum contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium ſibi.

28 Et nõ erunt ultra in rapinam gentibus, neq; beſtiæ terræ deuorabunt eos: ſed habitabunt confidenter abſq; ullo terrore.

Eccleſia fidelium per uerbũ dei redundabit benedictione, omnium gratiarum cœleſtium, ut nulla deſit, & electione, omnium gratiarum cœleſtium, ut nulla deſit, & irriguo benedictionis fœcundabitur, ad fructus ſalutis optimos proferendos, quibus omnes arbores fructus daſperitatis, illis proderit & proficiet: omnia enim electis cooperantur in bonum. Et profert terra ſanctorum multitudinem, & ueritatis iuſtitiæq; fructus. Et habitabunt in terra abſq; timore, ſed in ſpe pacis, eripiendi à tyrannide uitiorum mundi, & dæmonum, ſoluendi ſub alis clementiæ dei, cui ſe totos credunt, & ſub cuius alas confugiunt.

29 Et ſuſcitabo eis germen nominatũ: & nõ erũt ultra imminuti fame in terra, neq; portabunt amplius opprobria gentium.

Et erunt plantatio laudatiſsima, nouo nomine glorioſa, ut à paſtore Chriſto Chriſtiani dicantur, à baptiſmate uncti, uelut regale ſacerdotium & gens ſancta, populus acquiſitionis, quibus affatim prouidit dei gratia de neceſſarijs omnibus, ad corpus & ſpiritum in præſenti uita & futuro. Omnium gentiliũ errore & tenebris exiguntur, nec uagabuntur ultra per deorũ multitudinem.

30 Et ſcient quia ego dominus deus eorũ cum eis, & ipſi populus meus domus Iſraël: ait dominus deus.

31 Vos autem greges mei, greges paſcuæ meæ homines eſtis: & ego deus ueſter, dicit dominus deus.

Poſt hæc omnia ſcient, quod non ſolum ipſe ſit dominus, quod & ſuprà quoq; dixerat, ſed cum additamento, quod dominus omnium proprie deus eorum ſit, à quo omne bonum conſequi ſperant, qui illis eſt omnis ſufficientia, extra quem nihil quærunt, cui ſoli probari cupiunt, de cuius ueritate & amicitia nihil dubitant, ad quem in omni aduerſitate tam conſcientiæ quàm corporis

poris confugiunt, tanquam ad sacram anchorã. Hoc est enim scire se habere deum qui cum eis sit usq; ad consummationem sæculi. Talis autem est populus, qui dicitur domus Israël, non qui circũcisus est pellicula, qui de Palæstina natus est, uel de semine Abraham secundum carnẽ, sed qui eadẽ fide præditus est, quali & Abrahã, ut sit filius fidei Abrahæ. Vnde & filij uel domus Israël alius dici non potest, nisi qui sic nouit dominum, & sic à domino agnoscitur, ut sit dei populus, & oues pascuæ suæ, sicut ipse est pastor bonus, & deus omnium cognationum Israëlis.

Domus Israël.

¶CAPVT XXXV.

1 ET factus est sermo Domini ad
2 me, dicens,
Fili hominis, pone faciẽ tuam aduersum montem Seir, & prophetabis de eo,
3 & dices illi, Hæc dicit dominus deus, Ecce ego ad te mons Seir, & extẽdam manum meam super te, & dabo te desolatum atq; desertum.
4 Vrbes tuas demoliar, & tu desertus eris: & scies quia ego dominus.
5 Eo quod fueris inimicus sempiternus, et concluseris filios Israël in manus gladij in tempore afflictionis eorũ, in tempore iniquitatis extremæ:
6 propterea uiuo ego dicit dominus deus, quoniam sanguini tradã te, & sanguis persequetur te; & cum (si non) sanguinem oderis, sanguis persequetur te.
7 Et dabo montem Seir desolatum atque desertũ: & auferã de eo euntẽ & redeũtem.
8 Et implebo montes eius occisorum suorum: & in collibus tuis, & in uallibus tuis, atq; in torrẽtibus, interfecti gladio cadent.
9 In solitudines sempiternas tradam te, & ciuitates tuæ non habitabuntur: & scietis quia ego dominus deus.

Contra Idumæos.

Prophetia hæc tota est contra montem Seir, nempe regnum filiorum Esau & Edom, qui dicuntur Idumæi: eo quod tempore necessitatis & angustiæ, quando Iudas capiebatur à Babylonijs insultauerint eis, & eiecto populo Iudæorum sibi putauerint terram traditam ad habitandum & possidendum: & non solum non susceperint profugos Israël fratres suos, sed persequuti sint & concluserint in manus gladij. Prophetatur aũt quod & ipse capiendus sit, & redigendus in solitudinem sempiternam, ut rerum fine cognoscat esse iudicẽ deum, cum uiderit sibi rependi perfidiam, & odiũ quo semper fere batur in fratres, & ubi poterat infestatoribus alijs sese iungebat, sanguinem fundens: ideo à sanguine quoq; persequetur, hoc est à truculentis hostibus, qui in solitudinem redigent Idumæam, ut nemo commoretur in ea, nec homines, nec iumenta, dum habitatores eius occidentur ubiq;, & proiecti non sepelientur, ut polluatur terra, et in perpetuas solitudines redigatur.

10 Eo quod dixeris, Duæ gẽtes, & duæ terræ meæ erunt, & hęreditate possidebo eas: cum dominus esset ibi:
11 Propterea uiuo ego dicit dominus deus, quia faciam iuxta iram tuam, & secundum zelum tuum quem fecisti odio habẽs eos, & notus efficiar per eos cũ te iudicauero.
12 Et scies quia ego dominus, audiui uniuersa opprobria tua quæ loquutus es de montibus Israël, dicens, Deserti: nobis ad deuorandum dati sunt.
13 Et insurrexistis super me ore uestro, et derogastis aduersum me: uerba uestra ego audiui.
14 ¶Hæc dicit dominus deus, Lætãte uniuersa terra, in solitudinem te redigam.
15 Sicuti gauisus es super hæreditatem domus Israël, eo quod fuerit dissipata, sic faciam tibi: dissipatus eris mons Seir, & Idumæa oĩs: & scient quia ego dominus deus.

Causa quoq; peccati tui est, quia dixisti: Duæ gentes duæ regiones illæ Israël & Iudæ, duarum & decem tribuũ, duo regna, montes scilicet Israël deserti nunc sunt à suis possessoribus fratribus nostris, nobis dati sunt ad deuorandum: non considerando quod hæc contra deum blasphemia redundaret, unde sequitur, Lætante uniuersa terra, in solitudinem te redigam. Et est sensus, Cum omnis terra Iudæa receperit pristinum statum, tu permanebis in solitudine sempiterna. Omnis autem ira dei proficit cõtra montem Seir, ut cum fuerit dissipatus, et ipse & uniuersa Idumæa cognoscant, quia ipse sit dominus, quem ante solitudinẽ suam nosse nõ poterat. Sicut dominus ulciscitur inimicitias diuturnas, et fratrum odia, & gaudium de aduersitate proximorum ac uicinorum maleuolentiam: ita uicissim docet conciliari inimicis, multo magis fratribus, & odia charitate mutanda, & quomodo qui gladiũ arripuerit cõtra filios dei, & dolose egerit, tradatur in manus gladij à domino, qui uindex est iniuriarum & odij fraterni.

Vltio odij.

¶CAPVT XXXVI.

1 TV autem fili hominis, prophe-
ta super montes Israël, & dices, Mõtes Israël, audite uerbũ dñi.
2 Hęc dicit dñs deus, Eo quod dixerit inimic⁹ de uobis, Euge, altitudines sempiternæ in hęreditatẽ datę sunt nobis:
3 propterea uaticinare, & dic, Hęc dicit dominus deus, Pro eo quod desolati estis, & conculcati per circumitũ, & facti in hæreditatẽ reliquis gentibus, & ascendistis super labium linguæ, & opprobriũ populi:

Sicut iam ante Idumæis, fratribus Israëlis perniciem & excidium prædixit, sic cregione Israelitis promittit prospera & salutaria. Quia, inquit, insultauit uobis inimicus mons Seir, et putauit quod in perpetuum ipse uos possideret, & altitudines, hoc est, terrã Israeliticam & montana Iudææ quondam domini, nunc desertas habi-

catoribus ceßisse sibi in hæreditatem. Et non solum dixit, sed & aliquanto tempore uos possedit, intantum ut superbe loqueretur contra uos, quod opprobrium essetis cunctis gentibus, parabola quotidiana in omniũ ore diffamantium, quos & iugiter moliebantur uastare & deuorare.

4 propterea montes Israel audite uerbum domini dei, Hæc dicit dominus deus montibus & collibus, torrentibus uallibusq́, & desertis, uastationibus, & urbibus derelictis, quæ depopulatæ sunt & subsannatæ à reliquis gentibus per circumitum.

5 Propterea hęc dicit dominus deus, Quoniam in igne zeli mei loquutus sum de reliquis gẽtibus, & de Idumæa uniuersa: quæ dederunt terram meã sibi in hæreditatem cum gaudio, toto corde, & ex animo: ut eꝫ cerent eam & uastarent:

Non solum monti Seir loquitur, sed & collibus & campis, solitudinibus, dißipatis quoq; urbibus & derelictis: quoniã in igne zeli sui aduersum omnes gẽtes, sed præcipuè cõtra Idumæam locutus est, quæ cum cæteris gentibus tenuit terram meam in possessionem, & gladio tenuit, & toto corde sibi studuit uindicare, ut eijceret legitimos habitatores de ea, terrãq; uastaret, et pro omnu uirili depredaretur & diriperet.

6 ¶Idcirco uaticinare super humũ Israel, & dices mõtibus & collibus, torrẽtibus, et uallibus, Hæc dicit dñs deus, Ecce ego in zelo meo, & in furore meo locutus sum, eo quod confusionem gentium sustinueritis.

7 Idcirco hæc dicit dominus deus, Ego leuaui manũ meam, ut gẽtes quæ in circumitu uestro sunt, ipsæ cõfusionẽ suã portent:

8 uos autem montes Israel ramos uestros germinetis, & fructũ uestrum afferatis populo meo Israẽl: prope eñ sunt ut ueniãt.

Super terram Israël loquere, & dices montibus, collibus, & iugis nemorosis, torrentibus, ubi homines habitant in conuallibus de mandato domini, In zelo & in furore meo, ait dominus, opprobrij uestri ultor existam, & leuabo manum meam ad protegendũ uos, & ad cædendum hostes uestros, ut gentes quæ in circuitu uestro sunt, ignominiam & confusionem suam portent: uos autem, ô montes Israël, secundum pristinum statum germinetis, uirgulta ramosq́; mittatis, quorum fructibus populus meus saturetur Israel, ne semper & populus exulat & terra squalore obtegatur, desertaq́; iaceat, sed iterũ habitetur, & templo gaudeat restaurãdo, sacerdotioq́; glorificando magis quàm fuerat prius. Hanc autem restitutionem Israelis non putetis post longum tempus futuram, prope est, instat, & tempus statim ueniet.

Pro terra Israel.

9 Quia ecce ego ad uos, & conuertar ad uos, & arabimini, & accipietis sementem.

10 Et multiplicabo in uobis homines, omnemq́; domum Israël: & habitabuntur ciuitates, & ruinosa instaurabuntur.

11 Et replebo uos hominibus & iumẽtis: & multiplicabuntur & crescent: & habitare uos faciã sicut à principio, bonisq́; donabo maioribus quàm habuistis ab initio: & scietis quia ego dominus.

At ne uobis uideatur hoc esse difficile, ego ipse ueniam ad uos, & qui à uobis recesseram, conuertar ad uos, ut pristinam culturam recipiatis, et semente omnia compleantur, non sola terra culta agris & uineis, sed etiam homines in ea fide & religione proficient, ut sanctiores futuri sint, & ad idololatriam longe minus propensi quàm antea, glorificandi quoq; nominis diuini studiosiores quàm antea. Multi enim homines in montibus erunt Israëliticæ terræ, & habitabuntur ciuitates quæ prius desertæ erant, tunc uero homines & iumẽta multiplicabo ut crescant. Et habitare uos faciam in ea sicut à principio, quando Mose duce trans Iordanem duce & semis tribus acceperunt possessionem, & sub Iesu filio Naue aliæ nouem & semis tribus terram Iudæam possederunt. Bonisq́; donabo multo maioribus q̃ habuistis ab initio, priusquam captiuitates uarias sentiretis. Quam enim aucta fuerit numero plebs Iudaica usq; ad Christi tempora, & illius destructionẽ, quàm gloriosum fuerit templũ secundũ, ut etiã Romani illud pro tempore donarijs honorarint: & Herodis temporibus splendor gentis, si non degenerasset in crimina, quæ prosperitatis numiæ fructus esse consueuerunt, multis describitur à Iosepho. Maximus autem honor & gloriosissimus status fuerit Iudaicæ gentis ad Christum conuersæ & per Apostolos longe lateq́; ad unius dei uerum cultum in Iudæa & circumquaq; per Euangelij prædicationem adductæ, Euangelia docent, & Acta Apostolorum, & Ecclesiastica. Quàm feliciter autẽ Iudæi pestilentes eum statũ finuerint, non est ut magni referatur, cum sex postma fuerint patrum impiorum, quos dominus maledixit, quibus usus est in gloriam nominis sui, ut est hæc dies. Vt ita liquido constet, populum Israel maioribus bonis donatum post reditum de Babylone quàm antea, ipso Christi mysterium, ab omnibus retroactis sæculis, à sanctißimis hominibus expectatum & creditum, & gloria dei, & fides patriarcharum cum iustitia operum toto orbe aucta, paruum æstimari posßit, quo maius esse in hoc mundo bonũ non potest. Et cum hoc fecero, tunc cognoscent pij inter uos, quod ego sim dominus.

12 Et adducam super uos homines populum meũ Israel, & hæreditate possidebunte: & eris eis in hæreditatem, & non addes ultra ut absq; eis sis.

Et impleberis, inquit, ô terra Israel, populo meo, qui te hæreditate obtenturus & possessurus est, eris eis possessio, & non addes ultra ut absq; liberis sis, donec sete licet totã terrã toto orbe possessurus sis, ut liberis tuis mundus repleatur cum gloria maxima dei tui, quæ & tua est, si tu populus eius eris, ut ipse est deus tuus.

13 ¶Hæc dicit dñs deus, pro eo quod dicunt de uobis, Deuoratrix hominum es, & suffocans gentem tuam:

propterea

14 propterea homines non comedes amplius, & gentē tuam non necabis ultra, ait dominus deus:

15 nec auditam faciam in te amplius confusionem gentium, & opprobrium populorum nequaquam portabis, & gentē tuam non amittes (*impingere facies*) amplius ait dominus deus.

Cum autem multiplicatus fuerit uester habitator, ô montes Israel, tunc nequaquā dicent mimici uestri contra uos, quod homines deuoretis, & absq; liberis sit uestra possessio, sed econtrario multiplicetis homines, & populosissimam prolem uestrā posteritas germinet. Nec audies ô Israel amplius, nec sustinebis confusionem gentium, dicentium dominum deum tuum non omnia possit, iniustum & inclementem, qui suos tueri nequeat, qui affligat homines absq; demerito, qui non sit unus & solus uerus deus, quod in fide eius falsi fueritis, quod prophetæ mentiti sint, & quæ prædicta ac promissa & exspectata non uenerint. Sed nec amittes gentem tuam, aut geberis autē prole nobili & sancta, ut eam capere non possis, sed imperij tui pomeria toto orbe sis extensurus: tantum abest ut ueri Israelitæ aliquando captiuitatem passuri sint, & gentem credentium amissuri, quia dominus loquutus est.

Auctor Israel.

16 ¶Et factum est uerbum domini ad me, dicens,

17 Fili hominis, domus Israel habitauerūt in humo sua, & polluerūt eam in uijs suis, & in studijs suis: iuxta immunditiam menstruatæ facta est uia eorum coram me.

18 Et effudi indignationem meam super eos pro sanguine quem fuderūt super terram, & in idolis suis polluerunt eam:

19 & dispersi eos in gentes, & uētilati sunt in terras: iuxta uias eorum, & adinuentiones eorum iudicaui eos.

20 Et ingressi sunt ad gētes ad quas introierunt, & polluerunt nomen sanctū meum cum diceretur de eis, Populus domini iste est, & de terra eius egressi sunt.

Sermo de eodem, sed latior & clarior in bonorum promissionibus. Domus, inquit, Israel, hoc est, populus Iudæorum, habitauit quondam in terra sua, Iudæa scilicet & Israelitica, quando fuerat educta de Aegypto, sed polluerunt eam in uijs & studijs suis, & idolis, et in tantum extitere polluti, ut immunditiæ mulieris menstruatæ comparati sint, propter quod deus effudit indignationem suam super eos, pro sanguine prophetarum atq; iustorum, quem fuderant super terram, dicente in Euangelio saluatore, Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas, &c. Sed & polluerūt terrā sceleribus suis, quamobrem dispersit eos in terras, & uētilati sunt per orbem, quomodo paleæ uentilantur, & iuxta uias suas & inuētiones pessimas iudicati, ita ut in gentibus quoque ad quas captiui ducti fuerant, polluerēt nomen sanctum dei, eo quod per irrisionem dicerent uniuersæ nationes, Ecce populus dei iste est, qui se iactabat proprie habere uerum deum, & nosse cultum & religionē indubiam, leges iustas, quas nō dedisset omnibus nationibus, qui spernere solebat omnium gentium idola, & se præferebat omnibus, quasi peculiū dei summi. Sic enim audire male meruerant Iudæi, & sic dominus in gentibus blasphemabatur.

21 Et peperci nomini sancto meo quod polluerat domus Israel in gētibus ad quas ingressi sunt.

22 ¶Idcirco dices domui Israel, Hæc dicit dominus deus, Non propter uos ego faciam domus Israel, sed propter nomen sanctum meum quod polluistis in gentibus ad quas intrastis.

23 Et sanctificabo nomē meum magnum, quod pollutum est inter gentes, quod polluistis in medio earū: ut sciant gentes quia ego dominus, ait dominus deus, cum sanctificatus fuero in uobis coram eis.

24 Tollam quippe uos de gentibus, & congregabo uos de uniuersis terris, & adducam uos in terram uestram.

25 Et effundam super uos aquam mūdam, & mūdabimini ab omnibus inquinamentis uestris, & ab uniuersis idolis uestris mūdabo uos.

26 Et dabo uobis cor nouum, & spiritū nouum ponam in medio uestri: & auferam cor lapideum de carne uestra, & dabo uobis cor carneum.

27 Et spiritum meum ponam in medio uestri: et faciā ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini.

Quod cum uidissem ait, nō propter eos, sed propter nomen, id est gloriam maiestatis meæ sanctæ, creator enim omnium sum, peperci eis, ne omnino & in totum occiderentur, & in gentibus dispersi excinderentur: et sanctificaui illos, ut meliores mihi fuerint in terra hostium, quàm fuerant in hæreditate patrū, & gloriæ pristinæ restitui reductos ab exilio in suam patriā, in qua et creuerūt uel crescent plurimū: & licet brachio seculari non tam fortes fuerint uel futuri sint ut prius, quæ illis fortitudo & potētia nō profuit, ut patet de regibus illorum, spiritualibus tamen bonis et fortitudine animi ad unius dei sui cultū uegetiores & instructiores reddidi, ut minoribus ceremonijs, & paucioribus legibus coērceri potuerint in fide unius dei, quàm antea tēporibus regū & tēpli primi. Non ergo propter eos, sed propter meam gloriā & ueritatē reducā eos, & restituā, continuo fouebo eos maioribus nō diuitijs huius mūdi, sed pietate, timore dei, & gratiarū influxu, donec appetat tempus plenitudinis, quando per Christum promissum illis ampliori gratia spiritus sancti & ueritatis agnitione donabo, sic ut supra fideles et electos ex illis, credētes uerbo & prodigijs faciendis in cōspectu illorū ut olim, ab errore cōuersos, effundā aquā mundā baptismi salutaris

Promotio Israelis in spiritualib.

ſtudium innocentiæ, & peccatorum remiſſionem indi-
cantis, & mundabo eos gratia ſpiritus mei, familiariq;
influxu piæ mentis & cogitationis ſanctæ ab abomina-
tionibus ſuis, & ab uniuerſis erroribus quibus fuerant
occupati, & darem eis cor nouũ, ut crederent in deum
unum, & quem miſiſſem ſaluatorem filium Ieſum Meſ-
Spiritus noster dei fidelis. *ſiam. Spiritus autem nouus quem ponet dominus in me*
dio Iſraëlitarum, quis alius eſt, quàm fidei in deum pro-
penſio, data de nouo à ſpiritu ſancto cordibus fidelium,
ut abhorreat à colendo quicquid non eſt deus, & ſum-
mopere deſideret complacere eidem in obedientia legis
ſuæ, & diſplicentia omnium peccatorum, etiam eorum
ſine quibus uiuere non poteſt humana fragilitas, tunc
auferetur cor lapideum, duritia Iudaica per ſpiritum fi-
liationis, ut pro lapideo detur molle, carneũ, tractabile.

28 Et habitabitis in terra quam dedi patri-
bus uestris: & eritis mihi in populũ, & ego
ero uobis in deum.

Tunc ſolide ſubſiſtere poteritis, & pacifice habita
re in terra, quam dominus uobis dedit et promiſit patri
buï. Et fideles omnes pacem cordis & tranquillitatem
conſcientiæ poſſidere poterunt, & in quibuſcunq; hu-
ius mundi fluctibus tuto & iucunde conſiſtere, ut forti
animo aduerſa utiliter & animoſe ferant, & in proſpe-
ris non inſoleſcant, ſed toti ſemper à domino pendeant,
Populus dei. *ut certi ſint ſe populũ dei eſſe, cuius dominus deus eius*
eſſe uelit, & maneat ſemper. Si tales Iudæi fuiſſent Chri
ſti tẽporibus & poſtea, non tanta paſſi fuiſſent, & qui
eo tempore uel in terra Iſraël, uel diſperſi inter gentes,
talem ſortiti ſunt ſpiritum & cor dextrũ, hi in ſua terra
ſub quocunq; cœlo habitent liberi ſunt, ſecuri & bea-
ti, non minus quàm ſi Hieroſolymis domicilium poſſide
rent, & intra templũ ipſum ut Samuel dormirent. Mul
to felicius autem tunc uiuet, quiſquis huiuſmodi fuerit,
in ultima Sarmatia uel Hiſpania cõſtitutus, quàm ſi un-
quam habitaſſent ſine tali ſpiritu ſub Salomone uel Io-
ſia: taceo de reliquis tumultuoſis eius gẽtis et terræ tem
poribus, quæ illi maximi facere et iactare cõſueuerunt.

29 Et ſaluabo uos ex uniuerſis inquina-
mentis uestris: & uocabo frumentum, &
multiplicabo illud, & non imponam uo-
bis famem.

30 Et multiplicabo fructum ligni, & geni-
mina agri: ut non portetis ultra opprobri
um famis in gentibus.

Non ſolum idolorum inquinamenta ceſſarunt in ſe-
cundo templo, & eius temporibus inter Iudæos, ſed &
per Chriſti euãgelium ex Iudæis quotquot crediderunt,
ſaluati ſunt à peccatis omnibus, ſicut et per eoſdem ea-
dem ſalus prædicata eſt gentibus, & perſuaſa mundo
maximo pietatis fructu, non ſolũ in ſpiritualibus, ſed e-
tiam temporalibus, quibus obruit dominus fideles ſuos,
ſi primum regnum dei quæſierint.

31 Et recordabimini uiarum uestrarũ peſ-
simarum, studiorumq; non bonorum: &
diſplicebũt uobis iniquitates uestræ & a-
bominationes uestræ.

Poſt reditum de captiuitate non relapſi ſunt in cri-
mina idololatriæ & occiſionis prophetarum, propter
quæ capti fuerant, ſed tamen ut ſunt res humanæ maxi-
ma pars eorum & multi cum tempore lapſi ſunt in alia
crimina, donec Chriſtum & apoſtolos occidere cœpe-
runt, non boni & electi ex eis, ſed peßimi eorum, qui
& operis ſui mercedem reportarunt.

32 Non propter uos ego faciam, ait domi-
nus deus, notũ ſit uobis: confundimini &
erubeſcite ſuper uiis uestris domus Iſrael.

Quomodo hæc omnia propter ſeipſum dominus e-
gerit, & ad magnificentiam nominis ſui profecerit, te-
ſtatur opus euangelij, quo ſacroſanctum ſemen ſancto-
rum Chriſtus innotuit eſſe benedictio omnũ gentium,
& Apoſtolorum item ac aliorum ſanctorum operæ &
merita glorioſa facta ſunt in toto orbe terrarum, inſpe-
licium autem Iudæorũ prauitas æque agnita eſt & ma-
ledicta toto mundo.

33 ¶Hæc dicit dominus deus, In die qua
mũdauero uos ex omnibus iniquitatibus
uestris, & inhabitari fecero urbes, et inſtau
rauero ruinoſa:

34 & terra deſerta fuerit exculta, quę quon
dã erat deſolata in oculis omnis uiatoris:

35 dicẽt, Terra illa inculta, facta eſt ut hor-
tus uoluptatis: & ciuitates deſertæ, & de-
ſtructæ atq; ſubfoſſæ, munitæ ſederunt.

36 Et ſcient gentes quæcunq; dereliquæ fue
rint in circũitu uestro, quia ego dominus
ædificaui diſſipata, plantauiq; inculta, ego
dominus locutus ſim & fecerim.

Reditus Iudæorum de captiuitate ſub regibus Perſa-
rum & Medorum, licet à principio humilis fuerit, non
tamen ſine gloria dei, quæ creuit etiam apud gentiles,
reges & populos paulatim in immenſum, & in Iudæa
& tota terra Iſrael paßim urbes reſtitutæ ſunt, & po-
pulata eſt regio, donec increuit in multas valde myria-
des Iudæorum, qui in pace perſeueraſſent, ſi illorũ pere-
fidia non repullulaſſet, & odium ueritatis. Quàm ſæ-
rucrit autem terra Iſrael ante ultimam captiuitatem o-
pibus & hominum multitudine, teſtatur Ioſephus, qui
& felicius habitaſſe & profeciſſe potuiſſent, ſi tempus
uiſitationis ſuæ agnouiſſent, ſi paſſa fuiſſet congregari
ſynagoga pullos ſuos ſub alis domini. Veruntamen non
exciderunt domino electi ex Iudæis & gentibus, ſed in
unam eccleſiam catholicam amplam & ſacroſanctam
coaluerunt per euãgelium prædicatum in orbe, quæ ta-
men & ipſa cum uerbo Dei prædicato & credito cre-
ſcit, & cum neglecto negligitur. Talis enim nobis deus
eſt pater, quales nos illi filios exhibuerimus.

37 ¶Hæc dicit dñs deus, Adhuc in hoc in
uenient me domus Iſrael, ut faciã eis: Mul
tiplicabo eos ſicut gregem hominum,

38 ut gregem ſanctum, ut gregẽ Ieruſalem
in ſolennitatibus eius: Sic erunt ciuitates
deſertæ, plenę gregibus hominum: & ſci-
ent quia ego dominus.

Inuenietur

Israel dominū inuenietur. Inuenietur quoq; dominus à domo Israël, postquam multo tempore eum inquisierint diu perditum. Et postquam inuenerunt eum, multiplicabit eos numero et gratia, dum ipsius ueritatem confitebuntur & suam perfidiam, dum redibunt ad Dauid regem suum, & gratiam dei credent & amplectentur, factam toti mundo et credentibus omnibus, Iudæo primū & Græco, ut sancti sint & grex pascuæ dominicæ, qui in sacrosancta Hierosolyma gloriosa conueniat, & solennitates domini eo modo celebret, quo domino deo, qui spiritus est et coli uult in spiritu, placere possit.

¶ CAPVT XXXVII.

1 Facta est super me manus domini, & eduxit me in spiritu domini: & dimisit me in medio campi qui erat plenus ossibus,

2 & circunduxit me per ea in gyrum: erant autem multa ualde super faciem campi, ficca q; uehementer.

Visio ista prophetica ad hoc spectat, ut consoletur populus Israël captiuus in gentibus de reditu ad suam patriam, exemptione à seruitute, & restitutione in pristinum statū, ne tam grauiter seruire cogātur semper. Totaq; assertio eò tendit, ut quomodo uidetur fieri nō posse, quod ossibus aridis & multa uetustate confectis futura aliquādo resurrectio promittitur ex scripturis, Iob 19. Dan. 12. Matth. 10. Roma. 8. & alibi, quam ab omnibus tam Iudæis quàm Christianis credi necesse est: sic & restitutio populi Israël, qui ductus est in captiuitatem, & in toto orbe dispersus, uidetur quidē incredibilis his qui dei nō norūt omnipotentiam, sed tamen futura est, quia tandē additur: Ego dominus locutus sum, et faciam sicut pollicitus sum. Pertinetq; hæc parabola ossiū aridorum, & penitus nullū humorem uitæ habentium, ad præcedentem proximè prophetiā, in qua mōtibus Israël antiquus status repromittitur, ut uisum est. Obmissis ergo opinionibus Iudaicis, quorū Rabbi Samuel dicit significari filios hominū, quibus deus propitiabitur in resurrectione mortuorū, Rabbi Eleazar dicit, quod intelligatur de mortuis Israëlitis qui reuiuiscent, & uenient cum uxoribus & liberis in Ierusalem tempore salutis, id est, Messiæ, quæ nos suo modo in Christi secundo aduentu perficienda credimus. Simpliciter sic literam accipiamus, ut in spiritu se eductū dicat, hoc est, in uisione aliqua hæc illi esse monstrata, quæ & in fine mundi suo modo fient, sed modo qui sequitur ostensa, significabat reditū Iudæorū de Babylone, quē nulli ferè credere uoluerunt per uisionem, & posuit illū in medio campi, qui plenus uidebatur humanis ossibus, nec eum passus est spiritus requiescere, sed fecit omnia ossa circuire, quæ non erant operta humo, sed super campum iacentia: nec solum multa, sed multa numis, & propter temporis uetustatem arida siccaque uehementer, nihil in se humoris habentia.

Reformatio mortuorū.

Simplex intellectus.

3 Et dixit ad me, Fili hominis, putásne uiuent ossa ista? Et dixi, Dñe deus tu nosti.

4 Et dixit ad me, Vaticinare de ossibus istis & dices eis, Ossa arida audite uerbum dñi.

5 Hæc dicit dominus deus ossibus his, Ecce ego intromittam in uos spiritum, & uiuetis:

6 & dabo super uos neruos, & succrescere faciam super uos carnes, & superextēdam in uobis cutem: & dabo uobis spiritum, & uiuetis: & scietis quia ego dominus.

Cumq; interrogasset eum sermo diuinus, utrum existimaret hæc ossa posse uiuere, respondit: Domine deus tu nosti, qui plenam solus habes scientiam futurorum. Dixitq; ad eum dominus, Vaticinare de ossibus, siue super ossa hæc, & dices ad ea: Ossa arida audite. Præcipere potest dominus, æquè non extantibus ut existentibus, multo magis elementis & creaturis insensibilibus, in cuius manu & uoluntate sunt omnia. Aeque potest collapsa restituere, sicut de nouo ædificare, resuscitare, sicut creare. Primum ergo ossa cum ossibus alijs neruorum uinculis uirtute omnipotentis colligantur: deinde implentur carnibus, & desuper ob pulchritudinem cutis extēditur, quæ carnium operiat nuditatem. Et tunc accipiunt spiritū, qui uiuere ea faciat: postquam autem uixerint, tunc cognoscant quod ipse sit dominus.

Restitutio diuina.

7 Et prophetaui sicut præceperat mihi: factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio: & accesserunt ossa, unum quodq; ad iuncturam suam.

8 Et uidi, & ecce super ea nerui, & carnes ascenderunt: & extenta est in eis cutis desuper: & spiritum non habebant.

Dicente itaque propheta quod ei fuerat imperatum, statim facta est commotio, ossaq; in suam sunt applicata compagem, astricta neruis, plena carnibus pelle cooperti, iacebantq; humana corpora spiritum non habentia.

9 Et dixit ad me, Vaticinare ad spiritū, uaticinare fili hominis, & dices ad spiritum, Hæc dicit dominus deus, A quatuor uentis ueni spiritus: & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant.

10 Et prophetaui, sicut præceperat mihi: & ingressus est in ea spiritus, & reuixerūt: steteruntq; super pedes suos exercitus grandis nimis ualde.

A quatuor uentis, id est à plagis mundi quatuor insufflentur hæc corpora, ut olim in prima conditione homini deus in faciem Adæ insufflauerat. Ingressus est ergo spiritus, ut uidebatur in uisione prophetæ in corpora humi prostrata, statimq; uiuere cœperunt, steteruntq; super pedes suos, congregatio hominum multa, grandisq; exercitus ualde.

11 Et dixit ad me, Fili hominis, ossa hęc uniuersa, domus Israël est: ipsi dicunt, Aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, & abscisi sumus.

Hic satis ostenditur hanc uisionem non de generali resurrectione proprie dici, sed de restitutione in genere

Israelitica gentis, quæ dicat, Aruerunt ossa nostra, & perijt spes nostra, omnino desperauimus de reditu in terram nostram, à qua abscisi sumus.

12 Propterea uaticinare, & dices ad eos, Hęc dicit dominus deus: Ecce ego aperiam tumulos uestros, & educã uos de sepulchris uestris populus meus: & inducam uos in terram Israël.

13 Et scietis quia ego dominus, cum aperuero sepulchra uestra, & eduxero uos de tumulis uestris populemeus:

14 & dedero spiritum meum in uobis, & uixeritis, & requiescere uos faciam super humum uestram: et scietis quia ego dominus locutus sum, & feci, ait dominus.

Quibus ista dicentibus tertio Ezechiel prophetare compellitur et dicere ossibus aridis: Hæc dicit dominus, ut neutiquam dubitetis, Ecce ego aperiam, &c. Sicut dicebant se mortuos & sepultos, sic respondet eis, de sepulchris suis se reuiuificandos & reducendos, hoc est, de ea sua terra in qua detinebantur captiui ueluti in carcere, redituros in libertatem, & ad suam hæreditatem ad terram Israël. Hæc autem facta libri Esdræ & Iosephi testantur ad longum, sub Zorobabel, quãdo magna facta est commotio, & regnum Chaldæorum in Medos Persasq; translatum.

15 Et factus est sermo domini ad me, dicẽs:

16 Et tu fili hominis, sume tibi lignũ unum: & scribe super illud, Iudę & filiorum Israël sociorum eius: & tolle lignũ alterũ, & scribe super illud, Ioseph lignum Ephraim, & cunctæ domus Israël sociorum eius.

17 Et adiunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum: & erunt in unionem in manu tua.

18 Cum autẽ dixerint ad te filij populi tui loquẽtes, Nónne indicas nobis quid in his tibi uelis?

19 loqueris ad eos, Hæc dicit dñs deus, Ecce ego assumam lignum Ioseph, quod est in manu Ephraim, & tribꝰ Israël quæ sunt ei adiunctæ: & dabo eas pariter cum ligno Iuda, & faciam eas in lignum unũ, et erunt unum in manu mea.

20 Erunt autem ligna super quæ scripseris in manu tua, in oculis eorum.

Sub Roboam filio Salomonis diuisum est regnum Israëlis in duo. Duæ tribus Iuda ac Beniamin cum Leuitis & sacerdotibus sequutæ sunt Roboam: aliæ omnes Ieroboam de tribu Ephraim, filij Ioseph. Multo tempore regnum Iuda & regnum Ephraim Ioseph & Israël dicta, habuere certamina. Ab Assyrijs autem primum captæ sunt decem tribus in Medos & Persas, post aliquantum temporis etiã Iudas & Beniamin tribus captæ sunt in Babylonem & Chaldæam. Monarchia autem Babylonica est redacta in Persicam & Medorum. Licẽtiam itaq; acceperunt sine discrimine Israelitæ redeundi in

Fata Israelitarum.

Iudæam qui uoluissent. Licet autem maior pars eorum qui redijsse scribuntur in primis Iudæorum fuerit Beniamitarum & Leuitarum, qui & soli describuntur in Ezdra & Neemia: non dubium tamen est de alijs Israëlitis dispersis per Mediam & Persidem, imo per omne regnum Cyri & Darij multos rediisse. Id uero quod Iudæi iamdudum fabulati sunt de Caspijs montibus, ubi inclusi regnum habeant, olim prodituris, mendacium est, magis pro tuendis suis erroribus multis confictum. Præsens igitur prophetia pollicetur, utrunque populum recalcendorum iungendum in unam societatem: sic ut reuersuri de decem tribubus Israelis olim regno, & exregno Iuda, uno nomine appellandi sunt non alio nomine quàm Iuda: idq; signare iubet duobus lignis, inscriptis amborum populorũ nominibus conuertendis in unum, intra manum prophetæ, aspicientibus Iudæis, quicum propheta erant in Babylone, incertum quo tempore.

21 Et dices ad eos, Hęc dicit dominus deus, Ecce ego assumã filios Israël de medio nationum ad quas abierũt: & cõgregabo eos undiq;, & adducam eos ad humum suam.

22 Et faciam eos in gẽtem unam in terra in montibus Israël, & rex unus erit omnibus imperans: & non erunt ultra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna.

23 Neque polluentur ultra in idolis suis & abominationibus suis, & cunctis iniquitatibus suis: & saluos eos faciam de uniuersis sedibus suis in quibꝰ peccauerũt, et emũdabo eos: & erũt mihi populus, & ego ero eis deus.

25 Et seruus meus Dauid rex super eos, & pastor unus erit omnium eorum: in iudicijs meis ambulabunt, & mãdata mea custodient, & facient ea.

26 Et habitabunt super terram quam dedi seruo meo Iacob, in qua habitauerunt patres uestri: & habitabunt super eam ipsi, & filij eorum, & filij filiorum eorum, usq; in sempiternum: & Dauid seruus meus princeps eorum in perpetuum.

27 Et percutiam illis fœdus pacis, pactũ sempiternum erit eis: & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo sanctificationẽ meam in medio eorum in perpetuum.

28 Et erit tabernaculum meum in eis: & ero eis deus, & ipsi erunt mihi populus.

29 Et scient gentes quia ego dominus sanctificator Israël cũ fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.

Dicit se assumpturum filios Israel ex nationibus ad quas captiui ducti sunt, ad multas ualde prouincias Persarum & Medorũ. Reducturumq; eos, non dicit alicubi omnes uel ualde multos, sed quibus corda ad hoc inclinaturus esset, cum tamen omnibus redire concessum esset. In terram, inquit, & in montes Israel, appellandamque unam gentem, qualis & ab eodem tempore nominata

nominata est, ut omnes Iudæi dicantur, ut etiam tribuum suarum nullam iamdudum & à tempore Christi rationem reddere possint: unus quoque regis regendam imperio, non multos, sed unum habituros ducem. A quo tempore non sint ultra polluendi idolorum abominationibus, sed liberati de regnis, omnibus criminibus & perfidijs mundandos, futurosq; dei populũ, ut dominus sit deus eorum: & seruus meus Dauid, hoc est Christus dominus secundũ humanitatem filius Dauid, rex super eos, de quo & angelus loquitur, regnaturum esse super domum Iacob sine fine, qui pascet eos, ut prædictum est: ambulaturiq; sint, qui huic regi Christo obedierint, & ueri Iudæi confessione gloriæ & ueritatis dei, in omnibus iudicijs domini, & illius regis, qui & deus est, quia æternus uniuersalis optimus omnia noscens & potens, præcepta custodituri, habitaturi quoque in ea terra, quam dedit seruo suo Iacob, in qua habitauerunt patres eorum, Abraham, Isaac, & Iacob, & reliqui sancti, in eadẽ terra sint cum filijs & nepotibus habitaturi. Cum sub tali rege in æterno regno fuerint Israelitæ, omnes fidelij fidei patrũ sanctorum, percutiã illis fœdus pacis, quæ exuperat omnem sensum, quam Christus promittit & exhibet discipulis, quos cum in ecclesia fundauerit & stabilierit, tunc multiplicabuntur numero, & uirtutibus proficient, & dabo sanctificationem meam siue sanctuarium in medio eorũ, in perpetuum: quod aliud esse non potest, quàm ea fides & fiducia, qua fideles in ecclesia certi sumus, dominũ deũ esse deum nostrũ, & nos esse populũ suum. Profectusq; est omnium electorum, ut sciant quod ipse sit dominus, & ipse sanctificet electos, non Israel iuxta carnem, sed iuxta spiritum, quando sanctificatio eius in medio credentium facta est in perpetuum. Id autem scient non solus Israel, sed gentes, deum esse sanctificationem fidelium.

Regnum Christi.

CAPVT XXXVIII.

1 ET factus est sermo domini ad me dicens,

2 Fili hominis, pone faciẽ tuam contra Gog terrã Magog, principem capitis Mosoch & Thubal: & uaticinare de eo, & dices: Hęc dicit dñs deus, Ecce ego ad te Gog principẽ capitis Mosoch & Thubal:

Gog & Magog.

Sermo Ezechielis extremus, præter eum qui templi ædificium & ceremonias tractat. Iudæi putant Gog gentes esse Scythicos, immanes et innumerabiles, quæ transCaucasum montem, & Meotidem paludem, & prope Mesiæ impugnaturas, de quibus in Apocalypsi. 20. cap. sic habet: Gog Latinis tectum dicitur, Magog autem de tecto. Omnis igitur impietas & dei cõtemptus cum regnum diaboli dicatur, & sit, ac fidelium electorum dei perpetuus hostis, & infestator robustus, ac crudelis, et Antichristus ipse contra Christum & regnum eius & contra membra Christi infatigabiliter dimicet. Maximè autem hæc pugna uiguerit in Christianos ab idolorum

Antichristus.

defensoribus, imperatoribus, regibus, prouincijs totis, Euangelio Christi repugnantibus: qui tamen omnes deuicti sunt, & continuo uincitur ueritate, quicquid contra Christum & pietatem erigitur. Eãdem hic pugnam impiorum, & pietatis uictoriam & sanctorum prophetico more descripsisse uidetur, sub parabola fortissimorum regum & populorum, qui montẽ Zion & sacram Hierosolymam, illiusq; regem Christum dominum, ingenti strepitu & furore infestare & impugnare moliuntur, sed illustrissimo pietatis & fidelium triumpho uincuntur.

3 & circumagam te, & ponam frenum in maxillis tuis: & educam te & omnem exercitum tuum, equos & equites uestitos loricis uniuersos, multitudinem magnam hastam & clypeum arripientium & gladium.

4 Persæ, Aethiopes, & Libyes, cum eis: omnes scutati & galeati.

5 Gomer & uniuersa agmina eius, domus Thogorma latera aquilonis, & totum robur eius: populiq; multi tecum.

Virtus & clementia dei per uarios errores & improbos affectus, ueluti fundibularius aliquis rotat & circumuoluit impios pietatis hostes, ut semper eam opprimere cupiant & contendant, nunquam aũt præualeant, etiam si quando sibi obtinuisse quiddam uideantur. Premi enim potest ueritas et pietas, opprimi autem non potest. Vertitq; & moderatur dominus ueluti capistro beluam truculentam, ut pergere cogatur quò ipsa non uult: sic uicti sunt à sæculis omnes persecutores pietatis quantumlibet fortes, truculenti, uafri, astuti, & humanæ sapientiæ armis muniti uideantur, & maxima multitudine & principum huius mundi potentia freti.

6 Præpara & instrue te tu, & omnis multitudo tua quę coaceruata est ad te: & esto eis in custodiam.

7 Post dies multos uisitaberis: in nouissimo annorum uenies ad terrã quæ reuersa est à gladio, congregata est de populis multis: ad montes Israel, qui fuerũt deserti iugiter: hæc de populis educta est, & habitauerunt in ea confidenter uniuersi.

8 Ascendens autẽ quasi tempestas uenies quasi nubes, ut operias terrã tu & omnia agmina tua, & populi multi tecum.

Per ironiam dici uidetur: Contrahe, ait, omnem tuum exercitum, & phalangas cõmilitonum, crudelissimam & innumerabilem multitudinem coacerua ad te, & scito, quod etiam si diu te dominus insolẽtem ferat, & pro libidine abutentem tua potestate, uisitaberis tamen, & gladio iustitiæ seueritatisq; diuinæ interficieris, dum regnum pietatis in regione uiuentium inuaseris, in qua fideles per indulgentiam dei denuo post errorum captiuitates promouere in fide & uirtutibus cœperunt, & in unitatem fidei & charitatis congregati sunt, inq; fiducia plena ad dominum tranquille uiuunt in suis con-

scientijs. Multa quidem iniqua crudeliaq; propones consilia & aggredieris, nihil autem absoluere, uel contra dominũ & suos filios dilectos unquã prævalebis, quantumuis agminibus tuis multis & fortibus nitaris, omnibus filijs huius sæculi, qui quasi improba tempestas insurgunt contra ecclesiã, ut operiant terram credentiũ, pios opprimãt dei cultores, sola ueritate iustitiaq; nitentes.

9 Hæc dicit dominus deus, In die illa ascendẽt sermones super cor tuum, & cogitabis cogitationem pessimam:

10 & dices, Ascendam ad terram absq; muro: ueniam ad quiescentes habitantesq; secure: hi omnes habitant sine muro, uectes & portæ non sunt eis.

11 Vt diripias spolia, & inuadas prędam, ut inferas manum tuam super eos qui deserti fuerãt et postea restituti, & super populum qui est cõgregatus ex gentibus, qui possidere cœpit & esse habitator umbilici terrę.

Tempore quo sese exerere potest & audet impietas ipsa cõtra iustitiam pietatis, proponet sibi pessimam cogitationem & institutum crudele, contra simplices ueritatis & dei solius cultores, ac gentilitium errorum asperatores & irrisores, quales olim soli fuerant in sua terra Israëlitæ, in nullius alterius uirtute & fortitudine fidentes, nisi domini dei sui, certe omnipotẽtis, & beneficii sui patris, quoad ipsi filiali affectu & cultu ei domino suo adhæsissent. Hos uelut absq; muro corporeo sine timore habitantes, diripere, spoliare, inuadere & perdere hostis nititur, & inferre manus regnum impietatis & Antichristi, quodcunq; tandẽ illud uel fuerit aliquando, uel sit futurum suo tempore. Nunquam enim cessat bellum Babylonicum contra Hierosolymam. Aduersarius fidelium tanquam leo rugiens semper quærit quem deuoret, restitutos scilicet à perditione sæcularium errorum, & sacrilegarum superstitionum, per Euangelij tubam conuocatos in unitatem fidei & charitatis ecclesiasticæ, in ipsa Hierosolyma, non quidem Iebusaica illa: quæ enim talis ciuitas tantũ fidelium populũ complecti posset? sed cœlesti, sancta & apostolica ecclesia, cuius illa figura tantum erat in meditullio terræ sita, ut ad fines orbis terrarũ diffundatur illius pietas et eruditio sacra.

Antichristi prælia contra sanctos.

12 Saba & Dedan, & negotiatores Tharsis, & omnes leones eius dicent tibi, Nũquid ad sumenda spolia tu uenis? nunquid ad diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam, ut tollas argentum & aurum, & auferas suppellectilem atque substantiam, & diripias manubias infinitas.

Nominantur hic locorum quædam nomina, & fidelium longinquæ regiones, in quibus ablegata idololatria ueri dei uerus cultus uigere cœpit, inter initia conuersionis mundi per apostolos & apostolicos uiros ad dominum. De Saba enim reges uenisse ad dominũ, & Arabum, Tharsis quoque & insulæ, aliud non significant, quàm exteras & remotissimas quasq; ac maritimas nationes, ad quas benedictio seminis Abrahæ peruentura

Terræ benedictẽdæ.

prædicebatur dudum, & in tempore facta comprobatur, quas omnes pro suscepta religione uera ualde multa perpessas aduersa, satis cõstat ex ecclesiasticis historijs. Et ubiq; pati non cessat duras aduersitates ecclesia, secundum uerbum dei uiuere, & sine idolis creatorem colere, & iuxta sacrosanctum dei uerbum conuersari tentans. Quorum spolia populorũ, diuitias fidei & operum sanctorum, hostes pietatis Gog & suus populus Magog, regnum diaboli, uelle auferre non cessant, & pro omni uirili semper satagunt, ut ualeant opprimere scilicet fidem ueram, sanctos & ueros dei cultores, ut si fieri possit in errores intrudant, uel iam inuolutos detineant, etiam electos, & spolient ecclesiam in omne decore suo, & diuitijs charismatum spiritualium, ac uetustorum errorum baratho reddant præcipitandos.

13 Propterea uaticinare fili hois, & dices ad Gog, Hæc dicit dñs deus, Nũquid non in die illo, cum habitauerit populus meus Israël confidenter, scies?

14 Et uenies de loco tuo à lateribus Aquilonis tu & populi multi tecum, ascensores equorum uniuersi, cœtus magnus, & exercitus uehemens.

Impietatis regnum sic admonetur, ut desperet se posse Regnum Christi se regnũ Christi deuncere, quamlibet totis insimul conflatis uiribus suis de Aquilone frigoris & omni terra malitiarum procedere tentet cõtra ecclesiasticam fidei fortitudinem, contra regnum Christi æternum & inuincibile, contra nauiculã fluitantem, in qua nonnunquam etiam apostolis uidetur dominus dormire, cum cor suum sponsi scilicet ad sponsam etiam dormiendo uigilet, & opportune surgens præcipit uentis & tranquillitatem restituit.

15 Et ascendes super populum meum Israël quasi nubes, ut operias terram. In nouissimis diebus eris, & adducãte super terram meã: ut sciant gentes me, cum sanctificatus fuero in te in oculis eorum ô Gog.

Vtcunque ecclesia electorum grauissima sæpenumero potentia obruatur, & penè opprimi timeatur uiolentia impiorũ, ueluti dum olim regnũ Ierusalem à Semnacherib infinito exercitu premeretur, uirtute tamen dei omnipotẽtis, cui se ecclesia totam committit per fidem, occiditur & humiliatur, ut cõfusa et uicta ausugiendi uiæ inueniat facultatem. Vnde et toto orbe glorificatur tam dei bonitas ac potentia, quàm ecclesiæ firma fides et inexpugnata religio.

16 Hæc dicit dominus deus, Num tu ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis in manu seruorũ meorum prophetarũ Israël, qui prophetauerunt in diebus illorũ temporum, ut adducerem te super eos.

Siue id intelligatur de Chaldæorum regno, uel Macedonum, Antiochi, Romanorum uel Turcarum, Tartarorum, Gothorum uel Antichristi cuiuscunque: multi enim sunt aduersarij ueritatis & semper fuerunt, sæpe multa & grauia perpessa est ecclesia à suis et externis, ab hæc

ab hæreticis & tyrãnis, põtificibus & monachis. Qui omnes, superbia, cacumen, culmen, doma & tectum dici possunt. Quibus omnibus semper obstiterunt prophetæ & apostolici uiri, serui dei fideles, quibus nunquã desti tuta est ecclesia neque destituetur unquam.

17 Et erit in die illa: in die aduentus Gog su per terram Israel, ait dominus deus, ascen det indignatio mea in furore meo.

18 Et in zelo meo, in igne iræ meæ locutus sum, Quia in die illa erit cõmotio magna super terram Israel:

19 & cõmouebuntur à facie mea pisces ma ris, & uolucres cœli, & bestiæ agri, & om ne reptile quod mouetur super humum, cunctiq; homines qui sunt super faciẽ ter ræ: & subuertẽtur mõtes, & cadent sepes, & omnis murus corruet in terram.

Ecclesiæ præmiũ.

Quocunq; tempore præsumpserint impij labefactare ecclesiasticã religionẽ, in doctrina & operibus sanctis, semper ira domini in impios tandem desæuit, semperq; commota est terra & habitatores eius, ut utrinq; iudi cium dei cerneretur, & dum impietatis patroni & as sertores ueræ fidei meritorũ suorum præmia assequuti sunt, & adhuc plenius in fine mũdi dum domino uisum fuerit consequentur. Esse autẽ hunc sermonem parabo licum, nemo est qui legens ignorare possit.

20 Et conuocabo aduersus eum in cunctis montibus meis gladiũ, ait dominus deus: gladius uniuscuiusque in fratrem suum dirigetur.

Regnum im pietatis.

Regnũ & potestas impietatis non solum cecidit apo stolorum temporibus Euangelica prædicatione & flu dio ueritatis & uirtutis mundo persuaso, sed omnibus temporibus similia patitur falsitas & error dum impro ba tyrannide adoriri nititur fidem Christi & cultũ iu stitiæ. In cunctis enim montibus superborũ principum & hæreticorum gladio uerbi sui sternuntur impij, & dum falsitatem & mendaciũ propugnare nituntur, mu tuo gladio concidunt & ipsa scripturæ potẽtia proster nuntur errores quantumlibet pertinaces.

21 Et iudicabo eum peste, & sanguine, & imbre uehemẽti, & lapidibus grandinis: ignem & sulphur pluam super eum, & su per exercitum eius, & super populos mul tos qui sunt cum eo.

Armis diuinæ potentiæ & cœlitus iudicantur ij qui domino se opponunt: qui ueritatem domini in æternum manentem loco mouere & subuertere moliuntur, ipsi mole ualida ueritatis opprimũtur, quantumuis multitu dine, atrocitate & uiolentia se muniant.

22 Et magnificabor & sanctificabor, & no tus ero in oculis multarũ gentiũ: & scient quia ego dominus.

Diu quidem & multum pietas uera oppugnata est à mendacio & perfidia tam contra Iudæos ante Christi tempora, quàm à gentibus & hæreticis postea. In no stra quoque secula cõtinuata pugna carnis aduersus spi

ritum, mũdi cõtra Christũ, philosophiæ cõtra uerbum, humanarũ traditionũ contra dei mandata, & quæstus contra pietatẽ. Sed in his omnibus certaminibus semper magnificatur & sanctificatur nomen domini, interimq; gentibus innotescit uolũtas dei sacrosancta, & ueritas inclarescit mundo. Si quid in his difficilibus locis melius cuiquam reuelatur libentißimè cedimus.

CAPVT XXXIX.

1 TV autẽ fili hominis, uaticinare aduersum Gog, & dices, Hæc dicit dominus deus, Ecce ego super te Gog principem capitis Mosoch & Thubal.

Et hæc Iudaici fabulatores exponũt futuris sui Meßiæ temporibus usu uentura, ut interficiatur Gog princeps, Ros, Mosoch & Thubal, in finibus terræ Israel à suo Meßia, ab omnibus uolatilibus & bestijs deuorãdus: habitatores quoq; urbiũ Israel septem annis lignorũ usum nequaquam habituros de succisione syluarum, sed de armis Gog scutis uidelicet & hastis, sagittis, baculis & contis. Ipsum autem Gog sepeliendũ in ualle, & nomen sepulchri illius appellandũ Poliandrion, ubi scilicet multitudo hominũ sit sepulta. Septem antẽ mensibus eum sepeliendum à domo Israel, ut terra mũdetur, & inclytam ac celeberrimã futurã diem quando interfectus sit Gog, constituendosq; qui ossa diligenter inquirant & sepeliant, quo scilicet nihil in terra remaneat insepultum, fœtidũ & pollutũ: infra tempus septem mensium peragrandã terram, & sicubi os hominis iacere perspexerint, titulo prope posito demonstrandum, ut postea sepeliatur à præpositis huic negotio. Nomen autẽ ciuitatis appellari Amona, quæ dicitur Latinè multitudo hominum scilicet sepultorũ, & sic terrã esse mundã. Hoc illi dixerunt D. Hieronymi temporibus, quæ & à modernis Iudæis non negantur, licet parum sperent futura esse. Et nos, si hæc prophetia referẽda sit ad finẽ mundi, uel ad futura post nos tempora, nihil præsumimus, qui de futuris prophetandi spiritũ non habemus. At speramus feliciora aliquãdo tempora successura, quia uerbũ domini stupendo miraculo suo nostris temporibus tam copiosa lectione quàm studiosa inquisitione, dispensatione sua gratuita sic cõmunefacit hominibus, omnium linguarum gratia donata fidelibus, dono admirabili impressoriæ artis, à seculis incõsueto & ignoto, fidelibus cordibus imprimendũ, ut nõ sõlũ Theorica credulitate, sed etiã operum uerè bonorũ & domino placentiũ usu fuerit approbatum, & fructus uitæ in electorum mentibus protulerit: ut sperandũ sit, nõ quidẽ omnes in seculo uel ecclesia iustos & sine peccato futuros, sed tamen orandũ & sperandũ, in hoc mundo paßim non impios multò minus peßimos, sed fideles & sanctos regiminũ hebenas moderaturos. Quòd si uidere non dabitur, interim tamen pio desyderio & fiducia in clementiã dei fruemur, ut malimus meliora sperare de domino, quàm calamitosiora. Si uerò prophetiã hanc completã aliquis credere maluerit, nõ magnopere reclamabit sensus uerborum, si probè accipiatur.

Iudæorum fabulæ.

Fides duplex.

2 & circumagam te, & deducam te (uel in sex diuidã) & ascẽdere te faciã de lateribus aquilonis: & adducã te super montes Israel.

3 Et percutiam arcum tuum de manu sinistra tua: & sagittas tuas de manu dextera tua deiçiam.

4 Super montes Israel cades tu, & omnia agmina tua, & populi qui sunt tecum: feris, auibus, omniq; uolatili, & bestijs terræ dedi te ad deuorandum.

5 Super faciem agri cades: quia ego locutus sum, ait dominus deus.

Impietas frangẽda. *Verbi dei & euangelicæ ueritatis hostes, ab aquilone ascendunt contra ecclesiam, quæ sita est ad suscipiendũ influentiam solis iustitiæ Christi, ab austro respicientis eam. Omne malum enim ab aquilone proficiscitur, sicut ab austro splendor & uis gratiæ diuinæ. Omnia autem munimenta impietatis franguntur, dum montes uel habitacula fideliũ & Israelis contigerint. Aduersus enim electos dei quis stabit? quorum à sinistro latere cadunt mille, & decem millia à dextris eorum. Esca autẽ fiunt auibus, bestijs agri & feris, dum non nisi impia illis placent & dæmonum faucibus oblectamenta præstant, & bestijs sanguinarijs similantur.*

6 Et immittam ignem in Magog, & in his qui habitãt in insulis cõfidenter: & scient quia ego dominus.

7 Et nomen sanctũ meum notum faciã in medio populi mei Israel, & nõ polluã nomen sanctũ meum amplius: & scient gentes quia ego dominus sanctus in Israel.

Destructo rege errorum, qui reliqui sunt in omnibus populis, igne diuini ardoris & spiritus imbuẽtur, quem dominus in terrã mittet, & uult ut uehementer ardeat, ut sciant omnes & intelligant, quod ego sim dominus,

Verbũ dei prædicandum. *& nomen sanctum meum notum fiat populo meo, electis toto orbe fidelibus, qui agnoscent dominum deum suum, dum discussis erroribus falsorum deorum, unius ueri dei iudicia iusta conspicient cõtra impios, & pios redimi ab omnibus malis.*

8 Ecce uenit & factũ est, ait dñs deus: hæc est dies, de qua locutus sum.

9 Et egrediẽtur habitatores de ciuitatibus Israel, & succendent & comburent arma, clypeum & hastas, arcum & sagittas, & baculos manuum, & contos: & succendent ea igni septem annis.

10 Et non portabunt ligna de regionibus, neque succident de saltibus: quoniam arma succendent igne, & deprædabũtur eos quibus prædæ fuerant, & diripient uastatores suos, ait dominus deus.

Iudicium Christi. *De iudicio Christi dici potest, qui ueniens ueniet, & non tardabit. Ipsa autẽ dies pœnarum erit & uindictæ, de qua per omnes prophetas locutus est dominus. Egredientur quoque ecclesiæ fidelium, & arma impiorum confringent & comburent, quicquid aduersum deprehenderint uerbo dei, & contrarium ueritati, quorum pietas & uera fides impugnata fuit ab impijs hæreticis & falsorum prophetarum dogmatibus, quibus non solum imposuerunt, sed & impugnauerunt Christi ecclesiam, montẽ Ierusalem, & urbes Iuda. Multitudo autem armorum per hyperbolen amplificatur, ut uideri potuerit hostes fideliũ inuincibiles fuisse, & uictoriam datam non nisi cœlitus & diuinitus. Quis enim credidisset doctißimum seculum Apostolorum temporibus, potuisse persuaderi à paucis & humilibus piscatoribus? Quis huius mundi sapientibus semper restitit, & errorum conuicit, nisi edocti spiritu sancto & solo uerbo dei? Quis pompam & fastum seculi huius semper depreßit, nisi apostoli & apostolici uiri, uerbo dei & spiritu ueritatis armati?*

11 Et erit in die illa: dabo Gog locum nominatum sepulchrũ in Israel: uallem uiatorum ad orientẽ maris, quę obstupescere facit prætereuntes: & sepelient ibi Gog, & omnem multitudinem eius, & uocabitur Vallis multitudinis Gog.

Nõ occidetur nec uincetur uel sepelietur aduersarius ecclesiæ Christi, nisi in ualle, in humilitate uerborum, mentis & spiritus, apud ueros Israelitas, qui ad orientem proficiscuntur, oriturum sibi solem iustitiæ inquirentes, nõ quæ sua sunt quærentes, nec stantes apud semetipsos, sed proficientes in fide & bonis operibus, quibus fœtor est & horror quicquid non redolet syncere ritatem morum, & gloriam dei. Ibi sepelient Gog, ut falsitas quæ dominabatur orbi, post cœlestem huiusmodi uictoriã, nulli persuaderi amplius posßit. In cordibus fidelium mortua est omnis superstitiosa falsaq; doctrina, ut repullulare non posßit in uerè credentibus & ueris Israelitis, qualis erat Nathanael. Vallis multitudinis Gog propriè est infernus, & damnatorum locus, hæreticorum & sacrilegorum scholæ, in quibus dum olim triũpharet ratio humana, philosophia uana, fastus, ambitio & quæstus, nunc his productis in lucẽ & occisis, illic mortua uidetur & suæ turpitudinis & malignitatis monumenta præstat ac prodit.

12 Et sepelient eos domus Israel, ut mundent terram septem mensibus.

Veri tantũ Israelitæ occidunt, & memoriã obliterant falsitatis ac gloriam, primùm ex proprijs cordibus & conscientia, deinde etiã ex cõscientia aliorũ, quos consolantur & imbuunt uerbo salutis & ueritatis.

13 Sepeliet autem eum omnis populus terræ, & erit eis nominata dies in qua glorificatus sum, ait dominus deus.

Populus terræ sepelit Gog, quem uirtus dei occiderat. Reformatio enim morũ & ueritatis amor, magis à simplicibus & plebeis obtinetur cum abusuum abolitione, quàm à diuitibus & magnis in hoc mundo, quibus semper est & fuit exosa ueritas, & iustitia contraria ipsorum moribus & fastui, qui gloriã domini quærere non possunt, occupati circa suam gloriam, utilitatem, libidinemq; sectandã. Populus hunc diem solennem suscipit, primores

primores detestatur, qui uellet potius triuphare cũ suo Gog, & abuti simplicitate plebis in suam gloriam.

14 Et uiros iugiter constituent lustrantes terram qui sepeliant, & requirant eos qui remanserant super faciem terræ, ut emundent eam: post menses autẽ septem quærere incipient.

Studiose populus domini curabit, ut nihil immunditiarum & impietatum alicubi supersit, ne quis scandalizetur falso & improbo uerbo aut facto summopere curans. Vult dominus ecclesiã suã purã esse in dogmatibus & conuersatione sancta, impollutamq; à regno falsitatis. Id autem cum subitò fieri non posit, ob flagitiorum & errorum inundantiã, ex tanto exercitu impiorum, nemo impatienter ferat dilationem: nõ uno die nec paucis studijs tam inueteratis erroribus tamq; alta radice fixis succurritur ut prorsus eliminentur

Ecclesia pura.

15 Et circumibũt peragrantes terrã: cumq; uiderint os hominis, statuent iuxta illud titulum, donec sepeliant illud polinctores in ualle multitudinis Gog.

Ecclesiarum uisitationes ab episcopis, si intermissæ non fuissent, non tot fœtores & mortes ipsas polluissent: si tamen legitimè, ut tam fides docet quàm ratio, & zelus probatus suadent, perficiatur.

16 Nomen autem ciuitatis Amona, & mundabunt terram.

Locus ubi non hominũ doctrina, sed uirtute diuini spiritus hostes fidei & ueritatis deuicti iacebunt, appellatur Amona, tumultus & fremitus, in memoriã exercitus illic sepulti. Sic autem perfidia sepulta & superbia oppressa, terra munda erit, & homines piè conuersabuntur ac domino adhærebunt, non quod omnium peccatorum illic desit contaminatio, sed ut adsit uera cercatorum illic desit contaminatio, sed ut adsit uera certaq; per fidem peccatorum expiatio.

17 Tu ergo fili hominis, hæc dicit dominus deus, Dic omni uolucri, & uniuersis auibus cunctisq; bestijs agri, Cõuenite, properate, cõcurrite undiq; ad uictimã meam quam ego immolo uobis, uictimam grandem super montes Israel: ut comedatis carnem, & bibatis sanguinem.

18 Carnes fortiũ comedetis, & sanguinem principum terræ bibetis: arietum, agnorum & hircorũ, taurorumq; & pinguium Basan omnium.

Victoria euangelij.

Ad idem alia prophetia uel inculcatio est præfati iam argumenti. Exaggerat magnificentiam uictoriæ qua de falsitate in mundo triumphauit ueritas Euangelij per Christum, quando pinguissimæ hostiæ tot regnorum sacrificatæ sunt, & oblatæ domino, cum omnibus idolis conculcatis in orbe, ut nullum remanserit, pro quibus omnibus hostiam immaculatã patri sese Christus filius dei obtulit pro peccato omnium, restitutusq; est pristinus ille cultus & in primis unius omnipotentis dei & omnium creatoris, qui Noë florebat temporibus, qui ultra non delebitur, nec per aliquam humanæ rationis fal

sitatem expugnabitur. Sed spiritus timoris diuini & uerę pietatis effundetur super omnes homines, ut habitẽt non in terra gentilium, & polluta sordibus superstitionum execrabilium, sed in terra filiorũ Israel, in qua solus deus agnoscitur & colitur ab electis. Bibunt autem & comedunt fideles de sanguine & carnibus perfidorum, dum de illorum oppressione lætantur, & de gloria dei, quam cõspiciunt exaltatam in omni terra, cum uident fortissimas gentes & sapiẽtissimas ad agnitã peruenisse ueritatẽ fidei, & dare deo gloriam, reiectisq; suis idolis, & auita superstitione, ueri dei cultum syncerum amplecti: qui inde non ex animo gratulatur, & spiritu non reficitur, pius non est nec bonus.

Fidelium conuiuiũ.

19 Et comedetis adipem in saturitatẽ, & bibetis sanguinem in ebrietatem, de uictima quam ego immolaui uobis.

Nullus cibus dulcior, & ingenio humano accõmodatior, quàm agnitio ueritatis post tenebras errorum, & post angores conscientiæ fiducia certa salutis, charitas fraterna & beneficiorum dei grata participatio.

Cibus dulcis.

20 & saturabimini super mensam meam de equo & equite forti, & de uniuersis uiris bellatoribus, ait dominus deus.

Mensa domini aliud non est, quàm lectio syncera, & spiritus refectio ex sacris scripturis, ruminatio quoque mysteriorũ dei, simul quoq; gratiarum actio de subuersione infidelium, & de impiorum uindicta, qua pij pascuntur iudiciaq; domini admirantur & laudant.

Mensa domini.

21 Et ponam gloriam meam in gentibus: & uidebunt omnes gentes iudiciũ meum quod fecerim, & manum meam quam posuerim super eos.

22 Et sciẽt domus Israel quia ego dominus deus eorum: à die illa & deinceps.

23 Et scient gentes quoniã in iniquitate sua capta sit domus Israel: eò quòd dereliquerint me, & absconderim faciem meam ab eis, & tradiderim eos in manus hostiũ, & ceciderint in gladio uniuersi.

24 Iuxta immunditiam eorum & scelus feci eis, & abscondi faciem meam ab illis.

Quid clarius factum uidetur, quàm quod eliminata idololatria solus deus Israel colitur ubique? & omnes gentes uno humero adorant eum, quem Moses olim solus adorabat, non minore fide quàm Abraham, Isaac & Iacob. Iudicia quoque dei cernunt omnes gentes, dum ingratissimum Iudaicum populum, uel feces potius illius quondam beatæ gentis uident tam dignè tractari à domino, gratiam autem dei ad gentes diffusam collaudant & admirantur.

25 Propterea hæc dicit dominus deus, Nũc reducam captiuitatẽ Iacob, & miserebor omnis domus Israel: & assumã zelum pro nomine sancto meo.

Conuersio Iudæorum ultima.

Vltimam Iudæorum cõuersionem, cum plenitudinem gentium uiderint ingressam, libenter cum Paulo sperantes, hic quoque prædictam accipere possumus. Quam

tamen etiam completã uidere nos licet, si post idolorum casum, Iudæos multos in orbe ad uerũ deum colendum & Christum agnoscendum conuersos legimus, & pro pediem ablatis à Christianorũ ecclesia abusibus multis, quibus hactenus remorati sunt à Christianismo, putantes talem prædicatam à Christo & Apostolis fidem nostram, qualem iam aliquot sæculis obseruatam passim ab episcopis & religiosis uidere & iudicare potuerunt. Quis enim Iudæorum & Turcarum potuit non enormiter scandalizari in ecclesia, etiam Latina? uidẽs tot idola, imagines diuorum in ecclesijs, tot inuocationes sanctorum, in quorum cultum ecclesiæ extruuntur, & in montibus excelsa & in uallibus, hic iactantur miracula, illic eleemosynæ largiuntur, incuruationes et prostrationes fiunt: deniq; dum sciunt nouitium cultũ istum Eucharistiæ sacræ, redactum in abominandum ritum multis nimium modis, & cætera nimis multa & enormia, contra scripturam sacram quam unà nobiscum suscipiunt & admirantur à nobis falsò exponi, uel frioole transgredi.

Scandala idolorum nostrorum.

26 Et portabunt cõfusionem suam, & omnem præuaricationẽ qua præuaricati sunt in me, cum habitauerint in terra sua confidenter neminem formidantes:

27 Et reduxero eos de populis, & congregauero de terris inimicorũ suorum, & sanctificatus fuero in eis in oculis gentiũ plurimarum.

Impiæ reliquiæ Iudaicæ portant confusionem suam in toto orbe. Conuersi autem ad saluatorem animarum suarum, corporum quoq; suorum redemptionem felicissimam consequuntur, ut habitent in terra domini, quæ æque ubiq; sancta est domino, & de cœlo à domino compluta, inspecta, uisitata, et plantata, sicut est Amorrhæorum patria quæ fidelibus si sufficeret, frustra tota terra à domino creata esset. Sanctificatus est autem in eis dominus, quando Israëlitarum opera & fide uerboq; disseminatus est in omnem terram cultus omnipotentis dei & timor sanctus.

Reliquiæ duplices.

28 Et sciẽt quia ego dominus deus eorum, eò quod transtulerim eos in nationes, & congregauerim eos super terram suam, & non dereliquerim quenquam ex eis ibi.

29 Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eò quod effuderim spiritum meum super domum Israël, ait dominus deus.

Iam omnes gentes norunt & scripturis credentes sciunt, propter peccata maxima Iudæos in orbem dispergi meruisse, promissiones dei completas, tam de Iudæorum abiectione quàm gentium susceptione, & quod omnis gentium salus ex Iudæis est per benedictũ semẽ Abrahæ & Dauidis, cuius benedictione gentes omnes perfundendæ erant, quam nos suscepisse & frui credimus & gaudemus, collecti in unam sanctam & apostolicam ecclesiam, per spiritum sanctum toto orbe terrarum electos sanctificantẽ & suam gratiam palàm ostendentem nõ minus quàm olim sanctissimis ex populo Israëlitico.

Dispersio Iudæorum.

CHVONRADVS PELLICANVS candido Lectori, S.

QVæ nunc sequuntur ad finẽ usq; propheiæ, cum scirem tanta difficultate obstructa, ut omnium ueterum quantumlibet doctissimorum uirorum studia semper terruerint, nedũ Latinorum sed & Hebræorum (Omnes enim uaria tradiderunt ac diuersa, quidam omnino destiterunt ab huius loci tractatione) malui ego quoq; eum dissimulando procedere ad explanationem Danielis, & duodecim prophetarum, ac Iobis, qui soli restabant tractandi, quàm moliri supra uires negotium & in processu tardari. Cum uero incomparabili uiro Huldrycho Zuinglio pissimo pastori nostro succeßissent duo perquàm egregij uiri, Henrychus Bullingerus in his quæ pro cõcionibus ecclesiasticis populo Tigurino quotidie proponuntur, pissimo zelo ac integra pietate: insuper & ad ecclesiarum emendationem. Sed & Theodorus quoq; Bibliander nuncupatarum profectum æditis subinde eruditissimis commentarijs in nouũ Testamẽti complures libros, ex quibus laboriosa uiri illius eruditio & merita eatenus constiterunt paßim à fidelibus, ut nulla nũc opus sit uiri illius commẽdatione. Sed & Theodorus quoq; Bibliander nuncupatus fungitur prophetandi in fratrũ collegio, sacras Veteris Testamenti Canonicasq; scripturas discentiũ, multo cum fructu. Is cum ab initio Isaiæ, per Ieremiam & Ezechielem ad hunc usque locum interpretando peruenisset, tanta eruditione, pietate ac claritate, ut alia omnia, hunc locum difficillimum mihi uisus est explanasse, ut qualicunque e iudicio meo plene satisfecisse uiderer, quamtumlibet pro ipsius modestia quereretur non sese omnia perspicere & sibi satisfacere per singula potuisse. Ego itaq; eiusdem in sequentia octo capitis collectanea assequutus, malui huic operi ea inserere, ipso ignorãte & reclamaturo ut uiderit, quàm propriã tentare industriam uel incertiora minusq; erudita conscribere. Consilium quoq; est gustũ prodere pijs Lectoribus amplissimi ingenij, synceriß imæq; pietatis & omnigenæ eruditionis, in hoc iuuene uiro, quo sacrorũ studiosi omnes hæc lecturi intelligant quid ex hoc homine religiosissimæ frugis sibi promittere posßint atq; sperare debeant. Qui Theodorus cum Bullingero si ecclesiæ Tigurinæ cõtigissent ante operis huius perfectionem, ne dicam inchoationem, nihil mihi prorsus in hac re tentandum putassem. Quos insuper ambos desydero atq; spero, si dominus eis uitã prorogauerit uiresq; præstiterit ut hactenus laborandi in agro dominico, multis dignissima lectu, nedũ in omnes Veteris & Noui Testamenti libros sacros, sed & alia non pauca scitu utilia, & ad scripturæ intellectum necessaria conscripturos. In hunc igitur modum sacras Ezechielis uisiones ultimas hic nobis à deo datus Theodorus exposuit, olim fortaßis, ubi deus uoluerit, posterioribus prælectionis suæ cursibus absolutiora daturus, si orationibus tuis à domino uitam illi incolumem ac diuturniorem obtinueris, Amen. Vale.

Expositio

EXPOSITIO THEODORI Bibliandri sacræ Theologiæ professoris doctißimi.

¶CAPVT XL.

1 IN uicesimoquinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, decima mensis, quarto decimo anno, postquam percussa est ciuitas: in ipsa hac die facta est super me manus domini, & adduxit me illuc.

Loci difficultas.

Vix est locus in tota scriptura sacra qui tantũ habeat obscuritatis quantum ista descriptio de instauratione urbis Ierusalem & templi, deq; distributione terræ in tribus, ut hic meritò illud Poëticum dici posßit: Hic labor, illa domus & inextricabilis error: & quæ reliqua sunt Vergilij uerba de Labyrintho. Habet enim sermonis series multum difficultatis, & altißima mysteria in recessu continentis. Iam quæ lucè inferre debebant, plus insuper difficultatis adiecerunt: interpretationes dicoptißima interdum adferunt. Quidam narrationẽ hanc & commentaria, quæ inter se ualde colliduntur, & ineex Canonicis scripturis exemerunt, ceu opus non boni spiritus: quidam indignam iudicarunt, in qua aliquid operæ insumatur, tot in medio positis, quæ magno cum fructu meditemur. Prioribus assentire nefas duco: quippe quòd hæc scriptura licet difficultatibus intricata, nihil tamen dissonũ continet disertis oracults dei. Ad hæc quibus superiora sunt elaborata. Addc quòd præstantißimi ecclesiarũ uiri, ad Canonicarum ista scripturarũ ordinẽ pertinere semper censuerũt. Posterioribus assentire nequeo, hanc narrationem ad posteritatem ita esse deductam, ut nihil fructus adferat: quũ omnia quæ scripta sunt, ad nostrã eruditionẽ scripta sint. Et sic priscis hominibus oracula diuina utilißimè prodita sint, ut tamen non minore aut etiã maiore cum utilitate ad posteros parata sint. Porrò si eruditionis secularis studiosi tanto labore inquisiuerũt domum Alcinoi, regiam Circes, antrum Polyphemi, specum Trophonij, & illa magis fabulosa, domum Famæ, Inuidiæ, Famis & huiusmodi plura: cur nos pigeat diligentißimè indagare descriptionem hanc dominicæ domus & ecclesiæ, quæ est mater nostra & domiciliũ nostrum, in quo nos oportet saluos fieri per Christũ caput illius beatißimi regni? Proinde missis aliorũ opinationibus, quæ multæ atque diuersæ in cognitionẽ sunt productæ, nos mentem prophetæ & sensum spiritus pia curiositate, uel potius utili meditatione inquiramus, eius implorato auxilio, qui reuelat profunda & obstrusa, inq; tenebris constituta, ut Danielis utar uerbis: tantũ autẽ reuelat teste Paulo, quantum cõducit unicuiq; ad ædificationẽ. Eo docente iam ex parte cognoscemus, olim uerò ex toto, quæ sit illa mystica longitudo, latitudo & profunditas, quam & D. Paulus suspicit ad Ephesios scribẽs. Sanè cõsyderata consuetudine Ezechielis & phrasi, qua spiritus sanctus utitur in propheta loquens, intelligemus hæc præcipuè

inualgata fuisse antiquis ad consolationẽ, & informationem siue admonitionẽ uiuẽdi, & simul ecclesiæ formam statumq; depingi ad eruditionẽ omniũ piorũ usq; ad consummationẽ seculi, quando prophetiæ cessabũt. Etenim sicut in sermone ab octauo capite usq; ad duodecimum, propheta spiritu raptus in terrã Israel angelo ducẽte per omnia penetralia tẽpli uidet scelera Iudæorũ & pœnã irati dei, qui ob impia populi facta deserturus sit domũ suã & urbẽ, ut hostibus omnia subiaceant: ita nunc quadã pictura manifestatur prophetæ, ad consolationem captiui populi, quomodo sit urbs cum templo instaurãda, postquã dominus adflictis Iudæis gratiã peccatorum fecerit, quomodoq; sit rediturus ad ipsos, & domiciliũ cum eis cõtracturus. Admonet etiã 44. & 45. cap. propter peccata adflictos esse, & in seruitutẽ abductos: proinde par esse, ut per miserationẽ dei restituti legibus diuinis obtemperẽt, ne similia mala denuò experiantur. Præterea, sicut in prima uisione animatur prophetа ut muneri subeundo neutiquã diffidat, & de futuris negotijs eruditur quomodo per Chaldæos Iudæorum res atterẽdæ sint, simulq; mystica pictura breuiter comprehenditur, quicqd oracula sacra de prouidẽtia, potentia, bonitate, & in summa de maiestate diuina uerbis disertis prodiderũt: ita in extrema uisione, quæ peculiariter cõsolando populo manifestata est, templũ & urbs & terra restituẽda referũtur, atq; sub allegoriæ inuolucro uniuersa in tabella quasi deliniantur, quæ ad ecclesiæ dei rationẽ pertinent: quemadmodũ tabernaculum quoq; & Salomonicũ templũ Christi & ecclesiæ sacrã politiã adumbrãt. Et loqtur Ezechiel de ecclesiæ ædificio, sicut Esa. 49. 54. & alijs in locis de ampliãda Ierusalem. Item Ieremias 31. Zacharias etiã in pluribus capitulis. Dauid deniq; psal. 83. 86. & alijs in locis meminit, sub Ierusalem & sanctuarij & tabernaculorũ nominibus, quæ explanare uidetur Ioan. 21. Apoc. & Paulus in epist. ad Ephesios. Nec illepide carmina ecclesiarum de templorum dedicatione istam rem sonant, ut non saxa & ligna corruptibilemq; materiã intelligamus, sed omnes partes ecclesiæ, quæ est domus dei. 1. Timoth. 3. spirituali sensu accipiẽtes, spirituale corpus & æternũ cõstituatur. Nõ fuerit inutile huc cõferre, quæ de tabernaculo Mosis, de tẽplo Salomonis, de secundo templo in Ezdra & Iosepho atq; Egesippo traduntur. Is locus & illud admonebit, quàm infeliciter cedat in ædificanda ecclesia, si os domini non obseruetur. Optima enim forma & pulcherrima fuisset, quã ex uerbo domini Ezechiel demõstrat, sicut & Moses fecit. Quanquã uerò in hanc descriptionẽ cõgeri posset quicqd in diuinis scripturis de domo dei proditur, & occasione huius sermonis disseri, quæ sit tota ecclesiæ administratio tum in spiritualibus tum in tẽporarijs negotijs, qui status in hoc seculo & in futuro. Nõ tamen omnia dicere uulgaris est facultatis, nec cõmunis utilitatis, quũ allegoriæ & uniuersa ratio scripturas interpretandi præsentibus auditoribus accõmodari debeat, iuxtà præceptũ Apostoli, qui iubet rectè secare uerbũ dñi, & demẽsum cibũ seruis præbere in suo tẽpore. Verũ nõ est huius loci nec mearũ uiriũ

Ad quid hæc scripta.

Politia ecclesiastica.

Ædificatio felix ecclesiæ.

Nõ sine fructu locus.

ad plenũ differere de formulis illis scripturas interpretandi, ut quiuis scripturæ locus uarie multipliciterq; ad ædificationem auditorũ accõmodetur. Nos simpliciter rem præsentẽ nunc agamus: primùm sermonis proprietatem ad leges Grãmaticorũ expendẽtes, mox ad ecclesiæ statũ accõmodantes, ut sub unũ piæ mentis obtutum ueniat ecclesiæ simulachrũ. Longiorẽ contemplationẽ diuinarũ studiosi rerũ sibi sument, & tractãdi consiliũ periti ecclesiarũ rectores ex circunstantiarũ cõditione capient. Primùm ponitur παρασκευὴ uice exordij notiosa, quemadmodũ primæ uisioni quoq; præmittitur exordiolũ, & alijs nõnullis sermonibus, ut rebus narrandis idonei reddantur auditores. Et nostri & Iudæi colligunt iubileũ fuisse intercedentibus annis quinquaginta à decimooctauo Iosiæ. De cuius anni priuilegio ad conferendam libertatẽ loquitur Leuiticus, Numeri & Deuteronomion. Idoneus est igitur annus iste ad persuadendam populo captiuo liberationẽ, domino uidelicet promittente, qui uehemẽter delectari probatur legibus & institutis suis, ut populus eius libertate fruatur. Annus enim Iubileus limes quidã erat in assignatione tẽporis. Albertus Magnus tradit in Cõmentarijs super isto loco, nouum annũ quadrupliciter accipi: Vsualem qui incipit à Ianuario, sole iam à Capricorno ad nos ascẽdente: Legitimum à mense quem lex uocat primũ, in quo mũdus creatus est, et populus ex Aegypto ductus, is Aprili respondet: Tertio cum sol tangit primũ punctũ Arietis, quod fit XIIII. Kalend. Aprilis: Quarto initium anni dicitur unius gentis, ut hic transmigrationis. Lyra principium anni primũ mensem uigesimiquinti anni dicit, quod in antecedẽtibus etiã solitus est facere. Vndecimo enim Zedekiæ anno, mense quarto, die decima, percussa est ciuitas. Eodẽ die, decima dies primi mensis, uigesimiquinti anni, numero inito à capto Iechonia, fuit decima, quarti mensis, ut est urbs capta. Vt intelligatur ille deus reducturus populũ, qui & adflixit, sanaturus qui uulnerauit. Is expiationũ fuit solennis dies, quo significatur iam per domini benignitatẽ peccatis condonatis reditum promitti ad patrias sedes.

Authoris institutum.

Iubileus Iudæorum.

Annus nouus quadrupliciter.

2 In uisionibus dei adduxit me ad terram Israel, & dimisit me super montẽ excelsum nimis: super quem erat quasi ædificium ciuitatis uergentis ad austrum.

Modũ ostẽdit quo raptus est in terrã Israel, nẽpe quòd uisus sit sibi trãsuehi ad terrã Iudææ. Sicut aũt ab Aquilone malũ uenire ostẽditur, ita salus à Meridie se apperit, quẽadmodũ dicit & Abacuk 3. Deus ab Austro ueniet.

3 Et introduxit me illuc: & ecce uir, cuius erat species quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius, & calamus mẽsuræ: stabat autem in porta.

Angelus erat qui præ se tulit speciem ultra usum humanum. Habuit autẽ ornatũ atque instrumentũ mensoris, funiculũ lineum seu amussim, aut filum mensorium ad sortiendã terram & perticam. Per hoc significatur, consiliũ dei uolentis Israelem restituere adeò firmũ, ut describatur templi & urbis forma, terræq; diuisio. Vbi

Angelus.

ordo intra umbilicum terræ incipit, fortasse insinuat ecclesiam paruis initijs ad ingentẽ crescere amplitudinẽ, quũ synagoga ex magnis initijs ad paucitatẽ redacta sit exiguam. Mensuræ istæ figuram prouidentiã diuinã, in Matthæ quo aperit ecclesiæ statum iam olim in decretis dei deliniatum, cuius nutu & auspicijs oritur, progreditur, ampliatur conseruaturq;, sicut Isaias dicit 49. In manibus meis descripsi te, muriq; tui sunt in conspectu meo. Et Paulus Eph. 1. dicit nos electos in Christo anteq; iaceremur fundamẽta mũdi. Quotquot ergo pertinẽt ad ecclesiam à deo sunt cogniti & prædestinati, atq; certũ in loco ordinati. Siue igitur infimũ siue mediũ siue supremũ quis teneat gradũ, siue à dextra siue à sinistra, quacunq; cõditione sit, meminerit hoc ex uoluntate diuina esse, sicut 1. Cor. 11. Paulus rem ediſſerit & Ephes. 4.

4 Et locutus est ad me idẽ uir, Fili hominis, uide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuũ in omnia quæ ego ostendã tibi: quia ut ostendãtur tibi, adductus es huc: annũtia omnia quę tu uides, domui Israel.

Excitat prophetam, ut præcipuos sensus oculorũ & aurium aduertat, diligenterq; in animo reponat, quæ postea populo suo referre. Per hoc indicatur quantum referat illa cognouisse.

5 Et ecce murus foris extra circuitu domus undiq;, & in manu uiri calamus mensuræ sex cubitorũ & palmo: & mensus est latitudinem ædificij calamo uno, altitudinem quoque calamo uno.

Recte Græci περίβολον, id est, ambitum interpretati sunt. Intelligitur enim murus qui aream templi & cætera templi complectitur. Ea munitio designat ut opinor ecclesiasticũ sit cõplexus. Ea munitio designat autem ecclesiasticũ, quod munitã undiquaq; reddit ecclesiã contra assilium diuinũ, ab omnibus incursibus diaboli tyrannorumq;, & hæreticorum, ut nullus intra pomeriũ intrare possit, nisi cui permissum à deo fuerit. Is autẽ murus ostẽditur firmissimus, latitudine altitudinẽ ipsam æquante. Pertica fuit præterea palmũ minorẽ. Nam mensuræ sanctuarij sicæ. Matthæ runt maiores liberaliores q; prophanis mẽsuris, nimirũ Isaiæ ad insinuandum, largius domino esse admetiendũ, quàm ad priuatos usus. Fuit ergo pertica unius cubiti Geometrici seu nouenũ pedũ. Aedificiũ calami unius, uel cadẽ pertica mensus est longitudinẽ atque latitudinẽ totius ædificij: ut indicetur eandẽ prouidentiã procurare tum dilatationem ecclesiæ tum exaltationẽ. Vel, iste murus æquauit perticã altitudine atque crassitudine utrobiq; existens nouem pedum, quod magis probabile fit.

6 Et uenit ad portã quæ respiciebat uiam orientalẽ, & ascẽdit p gradus eius: & mensus est limen portę calamo uno latitudine, id est, limẽ unũ calamo uno in latitudine.

Primùm stans in extremi ambitus ingressu unico apepellauit prophetam: mox adijt portam orientalem templi. Ascendit non per accliuem locum, sed in pariete, ut attingeret limen superius portæ, quod fuit nouẽ pedum sicut & inferius, ut ubiq; cõstet aptissima harmonia & propor

proportio. Dicitur enim stetisse in imo ingressu, & postea quòd uenerit uel intrauerit ad ianuã, deinde quòd ascenderit. Quadratæ plerunq; ostendũtur substructiones, ut nõ tam pulchritudo quàm robur indicetur. Obseruat autem aptissimum ordinem descriptionis templi, ab extimis ad intima legentis animum perducens.

7 & thalamũ uno calamo in longũ, & uno calamo in latũ: & inter thalamos quinque cubitos: & limen portæ iuxta uestibulum portæ intrinsecus, calamo uno.

Thalamus. Vnum thalamũ describit, quum sex fuerint, sed eiusdem quãtitatis & formæ. Latitudo & longitudo intra parietes habuere perticæ modũ, ostio existente ad portæ intrinsecæ uestibulum. Murus interiacens thalamis & dirimens, crassitudinem habuit duarum ulnarum seu cubitorum & semissis, ut duo parietes interstinguentes habuerint quinque cubita.

8 Et mensus est uestibulum portæ intrinsecus calamo uno.

Atrium illud fuit ad portam à parte interiore, cuius diligenter admonet, quandoquidem & uestibula sunt extra ædificium.

9 Et mensus est uestibulũ portæ octo cubitorum, & frontem eius duobus cubitis: uestibulum autẽ portæ (erat) intrinsecus.

10 Porrò thalami portæ ad uiam orientalẽ, tres hinc & tres inde: mensura una triũ, & mensura una frontium ex utraq; parte.

Vestibulũ. Vestibulũ habuit in latũ octo cubita. Nam hiatus muri fuit latus calamo, utrinq; autem relictum fuit spatiũ cubiti ante thalamos: præterea utrinque cõstitutus fuit postis latus cubitum, ut fores in postibus illis propẽdentes latæ fuerunt decem cubitis. Thalamorũ sex ordo tetẽdit in aquilonẽ & austrum, non antrorsum à porta uersus templi penetralia. Istæ cellæ fortasse indicant uasa gratiæ sapiẽtiæq; cœlestis, id est homines ecclesiasticos, qui ad dominũ accedentes excipiunt, & ad penitiora promouent. Illa nanque diuersitas mansionum, ut aliæ sint exteriores, aliæ interiores, denotant alios in cognitione atque uirtutibus propius, alios longinquius cõsistere, quosdam in primis, quosdã in medijs, quosdã in tertijs, omnes tamen intra complexũ ecclesiæ. Portæ ipsæ cunctis eximiũ habent ornatum & firmamentũ. Nam nulla uis ingruere potest in ecclesiã, quæ labefactet: & recto pectore accedentes statim excipit egregia quædã spectas habens mansiones, utcunque adumbratur hac structura, quatenus nostra mortalitas imaginari potest aut eloqui supra mundanas res, & rationi haud cõprehensibiles. Sed enim cum ista inferiora, quæ à uate proferuntur differte satis, uix tandẽ complectimur, quantũ oportet esse splendorẽ, quantã magnificentiã, quàm augustã cõtemplationem eius domicilij, in quo deus cum electis æterna perfruitur felicitate? Murus extremus habet tres portas, sicut & medius. Nullus aũt est ingressus uel exitus ab occasu, uel quòd auersi prorsus ab ortu gratiæ & iustitiæ non possunt ingredi domum dei, sed ortibus

Manifestationes cœlestes.

subiecti uel certè propinqui, ut Nicodemus: *uel quòd ecclesia non habet exitum & finem, sed tantũ initium.*

11 Et mensus est latitudinẽ ostij portæ decem cubitorum: longitudinem portæ tredecim cubitorum.

Valuæ ianuæ illius patuerunt decem cubitis, eò quòd postes quibus pependerunt, singula cubita tenuerunt. Longa fuit porta, id est alta, (Nam longitudinem sæpe accipit pro altitudine) tredecim cubitis, quæ proportio non est inepta. Cæterũ os portæ fuit altum calami quantitate, id est, sex cubitis.

12 & marginẽ ante thalamos cubiti unius: & cubitus unus finis hinc: thalami autẽ, sex cubitorum erant inde.

13 Et mensus est portam à tecto thalami (usque) ad tectũ eius, latitudinẽ uigintiquinq; cubitorum: ostium contra ostium.

14 Et fecit frontes per sexaginta cubitos: & ad frõtẽ atriũ portæ undiq; per circumitũ.

Spatiũ fuit latũ cubito ante thalamos. Id dicit, ut ostendatur quomodo acciderit tanta quãtitas uestibuli extremitatibus, & iuxta murũ & uersus penitiora templi. Muro propinquius os patuit decẽ cubitis, interius uerò in gremio templi uigintiquinq;. Extẽsum enim fuit ante thalamos duos utrinq; sex cubitorum. Illis si adijciatur crassitudo murorum in thalamis cubita tria ea mensura colligentur. Nõ oportet autẽ intelligere, quòd ualuæ suspensæ fuerint in illis postibus. Fuit præterea ostiũ aut hiatus uestibuli utcrq; mutuũ obuersus circa unãquãq; portã, nisi fortè bifores ualuæ significãtur. Ad uestibulũ illud postes fuerunt alti cubitis sexaginta, ut eminerent uestibuli hiatui decem cubitis. Fornix etiã, ut patulum ostium à terra sublatus fuit quinquaginta cubitis.

15 Et ante faciẽ portæ quæ pertingebat usque ad faciem uestibuli portæ interioris, quinquaginta cubitos.

In omnibus portis tribus atrij exterioris ad postes fuerunt ualuæ. Longitudo autẽ uestibuli ab ingressu usque ad proximũ ostiũ introrsum respiciẽs quinquaginta cubitorum fuit. Vel sensus est, quòd ostium penitius obiectum exteriori fuit longum quinquaginta cubitos.

16 Et fenestras obliquas in thalamis & in frontibus eorũ quæ erant intra portã undiq; per circumitũ, similiter autẽ erãt & in uestibulis: fenestræ per gyrũ intrinsecus, & ante frontes pictura palmarũ (*cælata.*)

Fenestræ clatratæ. *Fenestræ clatratæ, id est repagulis ferreis, et alijs rebus obfirmatæ, fuerunt in thalamis, uestibulis & postibus fortasse introrsum cauis, ut testudines per eas ascenderent: quin per totũ ædificiũ munitæ fuerũt fenestræ, ut domus illustris atq; luculenta fieret. Hæ sunt uiæ, quibus deus cognitionẽ & gratiã omnem infundit. Sunt introrsum uersæ, quòd percipere cõuenit ista charismata, non iterum expellere. Munitæ uerò, ut discamus cauendum esse, ne per casdẽ uias aliqua pernicies admittatur, uelut cum ex artibus philosophorũ creaturæ dei cognoscuntur, simul improuidi Lectores & nimiũ securi uenena-*

tas opiniones hauriunt. Postibus impositæ sunt palmæ ad significandum quòd confessorum constantia & martyrum tolerãtia propugnacula sint ualida ecclesiæ. Palmæ nanq; uictricia sunt symbola.

17 Et eduxit me ad atrium exterius, & ecce gazophylacia, & pauimentũ stratũ lapide in atrio per circumitũ: triginta gazophylacia in circumitu pauimenti.

18 Et pauimentũ in frõte portarũ secundũ longitudinem portarum erat inferius.

19 Et mẽsus est latitudinẽ à facie portæ inferioris usq; ad frõtẽ atrij interioris extrinsecus, centũ cubitos, ad oriẽtẽ & ad aqlonẽ.

In atrio primo seu aula exteriore, aut cauedio, pẽsilis fuit porticus seu fornix colũnis impositus: inferius enim mentio fit columnarũ. Et ille fornix adiũctus fuit muro extremo ad latera portarũ, quæ abruperũt ne cõtinuo ambitu potuerit duci per omnia latera muri. Vestibula nanq; portarũ altiora fuerũt quàm porticus. In illa porticu fuerũt triginta exedræ, uarijs usibus accõmodatæ, ad mansiones templariorum, ad instrumentũ templi, ad conuenticula principũ subita. Porticũ uerò putãt mulieribus destinatã fuisse, quod hodie quoq; Iudæorũ gens in tẽplis obseruat, ut fœminæ in templũ despiciãt æditiore ex loco. Hæc docẽt in extremo circulo piorũ etiam esse quosdã excellẽtiores, & cœlo ꝓpiores. Rursumq; isthic loci gazophylacia sunt uel exedræ, id est cõditoria multiformis gratiæ. Porrò spatiũ istius atrij ab omnibus plagis fuit centũ cubitorũ intra murũ extremũ & mediũ.

Vestibula portarum.

20 Portã quoq; quæ respiciebat uiam aquilonis atrij exterioris, mẽsus est tam in longitudine quàm in latitudine.

21 Et thalamos eius tres hinc & tres inde: & frontem eius & uestibulũ eius secundũ mensurã portæ prioris: quinquaginta cubitorum longitudinẽ eius, & latitudinem uigintiquinq; cubitorum.

22 Fenestræ autẽ eius, & uestibulum, & sculpturæ secundũ mensurã portæ quæ respiciebat ad orientem: & septem graduũ erat ascensus eius, & uestibulum ante eam.

23 Et porta atrij interioris contra portam aquilonis & orientalẽ: & mensus est à porta usq; ad portam, centum cubitos.

24 Et eduxit me ad uiam australem, & ecce porta quæ respiciebat ad austrum: & mensus est frontẽ eius, & uestibulũ eius iuxta mensuras superiores.

25 Et fenestras eius & uestibula in circũitu, sicut fenestras cæteras: quinquaginta cubitorum longitudine, & latitudine uigintiquinq; cubitorum.

26 Et in gradibus septẽ ascẽdebatur ad eã: & uestibulũ ante fores eius: & celatæ palmæ erãt, una hinc, & altera inde in frõte eius.

27 Et porta atrij interioris in uia australi: & mensus est à porta usq; ad portã in uia australi, centum cubitos.

Portæ tres habuerunt eandem planè formam & structuram, septem gradibus per eas ascendentibus. Nam crassitudinẽ extremi quoque muri æquauisse perticam nouempedalem probabile est.

28 Et introduxit me in atrium interius ad portam australẽ: & mensus est portam australem iuxta mensuras superiores.

29 Thalamum eius, & frontem eius, & uestibulũ eius hisdem mensuris: & fenestras eius, & uestibulũ eius in circumitu quinquaginta cubitos longitudinis, & latitudinis uigintiquinq; cubitos.

30 Et uestibulum per gyrum longitudine uigintiquinque cubitorum, & latitudine quinque cubitorum.

31 Et uestibulũ eius ad atrium exterius, & palmas eius in frõte: & octo gradus erant quibus ascendebatur per eam.

32 Et introduxit me in atrium interius per uiam orientalẽ: & mensus est portã secundum mensuras superiores.

33 Thalamum eius, & frontem eius, & uestibulũ eius, sicut suprà: & fenestras eius, & uestibula in circũitu, longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine uigintiquinq; cubitorum.

34 Et uestibulũ eius, id est atrij exterioris: & palmæ celatæ in frõte eius hinc & inde: & in octo gradibus ascensus eius.

Iam expedito atrio extremo trãsit ad mediũ muri & Medium atrium penitius, quod et ipsum tres portas habet obuias portis exterioribus, quæ inter se sunt similes, & has portis exterioribus, quæ inter se sunt similes, & habẽt pleraq; cõmunia cum tribus prioribus, quædã uerò peculiaria. Cæterũ quia desijt antè in porta meridionali, iam in portã meridionalem oppositam transgreditur, inde ad orientalẽ, dein ad septentrionalẽ, in hoc etiam ualde idoneũ ordinẽ obseruans. In istis tribus portis fuerũt seni thalami, postes, palmæ, fenestræ, ut in prioribus. Hoc habent propriũ, quòd uestibula fuerũt ante atrium penitius auersa à sanctosanctorũ. Os uestibuli proximũ muro, in latũ habuit quinq; cubitos, aliæ portæ decem. in longum uerò uigintiquinq;, aliæ duntaxat tredecim. Per singula uerò tria ostia ascẽsus fuit octo cubitorum, alibi duntaxat septẽ. Ita colligũtur in duabus oppositis portis ab oĩbus lateribus quindecim gradus quas falsò putant cõtinuos fuisse in unis scalis templi. Os autẽ uestibuli uersum ad atriũ exterius, habuit longitudinẽ & latitudinẽ pares cum extremis portis. Ostium angustius & altius designat fortasse hunc locũ in domo dei sublimiorẽ esse, quàm cõmuniorem & plurimis patentem.

35 Et introduxit me ad portã quæ respiciebat ad aquilonem: & mensus est secundũ mensuras superiores.

36 Thalamũ eius, & frontẽ eius, & uestibulum eius, & fenestras eius per circumitũ, longitudine quinquaginta cubitorũ, & latitudine uigintiquinq; cubitorum. Et

37 Et uestibulũ eius (respiciebat) ad atriũ exte
rius: et cęlatura palmarũ in frõte eius hinc
& inde: & in octo gradibus ascẽsus eius.
38 Et per singula gazophylacia ostiũ in frõ
tibus portarũ: ibi lauabunt holocaustũ.
39 Et in uestibulo portæ duæ mẽsæ hinc, &
duæ mensæ inde: ut immoletur super eas
holocaustũ, & pro peccato, & pro delicto.
40 Et ad latus exterius quod ascẽdit ad ostiũ
portæ quæ pergit ad aquilonẽ, duæ men-
sæ: & ad latus alterum ante uestibulũ por
tæ, duæ mensæ.
41 Quatuor mẽsæ hinc, & quatuor mensæ
inde: per látera portæ octo mensæ erãt su-
per quas immolabunt.
42 Quatuor autẽ mensæ ad holocaustũ, de
lapidibus quadris (extructæ:) lõgitudine cu
biti unius & dimidij, & latitudine cubiti
uniꝰ & dimidij, & altitudine cubiti uniꝰ:
super quas ponent uasa in quibus immo-
latur holocaustum & uictima.
43 Et labia (papilli) earum palmæ unius, refle
xa intrinsecus per circumitum: super men
sas autem, carnes oblationis.

Porta septentrionalis habuit quædã propria, quæ hic referuntur. Primùm carnificinã seu mactationẽ cum sua porta, in postibus illius portæ in qua pecudes prosternebantur: id est, septum in quo nos oportet concludi, ut uehementiori quadam ui nostræ carnis pecuinus motus frãgatur. Ad hanc portã positũ fuit idolũ zeli, ut suprà

Octo mẽsæ. octauo cap.

in quibus cõcidebant in frusta uictimas, & instrumẽta ponebãt: quæ sic fuerunt dispositæ. In porticu ad murũ mediũ sitæ fuerũt utrinque aræ binæ dorsis sese nimirũ cõtingẽtibus. Extra portã, Vor der stägen vssen/ ad postes fuerũt etiã binæ utrinq; aræ, ut in summa fuerint octo destinatæ mactandis uictimis pro peccato & multa, Für pyn vnd schuld. Et quaternæ utrinque mensæ fuerũt, quadro lapide ac certa mẽsura cõstructæ. Passim quoq; in colũnis & parietibus lanienæ fixi fuerunt paxilli, quibus pecudes excoriandæ suspensæ sunt. Ad aquilonarem portã interioris atrij officina erat, & res illic collocatæ sunt, quæ mortificationẽ carnis atq; abnegationẽ nostri designant. Si enim uolumus propius accedere ad dominũ, nõ in promiscua turba cõsistendũ erit, sed ad interiora penetrandum, nobis in carne mortificatis, quod opus durũ & asperum est, et Borealibus flatibus persimile, qui asperi quidẽ sunt, cæterum salubres, quos optat sponsa in Cãticis, Surge aquilo et perfla hortum meũ. Oportet autẽ coerceri quibusdã septis pe tulantiã nostrã, & maiore ui, malleo uidelicet domini, hoc est, tactu manus diuinæ per uerbũ externũ, uel alio medio: mox suspendi ad cruces, & tergus ueteris hominis diripi, ut induti Christũ noua reddamur creatura, & nõ iam in carne uiuentes, sed in Christo resuscitati, reliquum domino uiuamus, uel potius Christus in nobis uiuat. Sũt nanq; in ecclesia degentes, quibus dominãtur

Septa petulantiæ.

beluini affectus, ut mala committant facinora, uel certè prauorũ operum libidine æstuent. Tales nõ possũt superatis octo gradibus & per angustiorẽ portã ingressi penitius atrium permeare, ut sint ministri sacri, & hostiæ rationabiles, uiuæ, quæq; crementur super altari placabili Christo, in odorẽ suauitatis domino Sabaoth. Octo mensæ indicãt uaria media, quæ domãdis furoribus carnis parata sunt à domino, certum etiã modum habẽtia. Et quoniã in obscurissima prophetia diuinari maiorum exemplo, religiose tamen licet, fortasse octo cõditiones beati uiri, quas saluator disertè recitat, Matt. 5. Luc. 6. maximè sunt accommodatæ, in quibus spiritus carnem repugnantem subigat, & in partes sectam holocaustomati præparet. Si enim frequentes fuerimus in meditatione paupertatis, misericordiæ, pacis, desyderij iustitiæ, &c. caro ipsius imposita mensis ferinã naturã relinquet, hactenus, ut grata inde fiat hostia domino. Et istæ cogitationes spiritus nõ sunt à natura nostra, sed operæ dei elaborata, qui dat uelle & perficere. In atrio interiori sunt habitationes Leuitarũ. Nam supra uulgarem consuetudinẽ sapere atq; uelle uiuereq;, illis conuenit qui ecclesiæ præsunt. Et illi rursum sunt mansionibus distincti, quemadmodũ ecclesiarum præsides, alius alteri præpollet dotibus uarijs spiritus.

Mactatio spiritualis.

44 Et extra portam interiorem gazophyla
cia cantorum in atrio interiori, quod erat
in látere portæ respicientis ad aquilonem:
& facies eorũ contra uiam australem, una
ex látere portæ orientalis quæ respiciebat
ad uiam aquilonis.
45 Et dixit ad me, Hoc est gazophylacium
quod respicit uiam meridianam: sacerdo-
tum qui excubant in custodijs templi.
46 Porrò gazophylacium quod respicit ad
uiam aquilonis, sacerdotum erit qui excu
bant ad ministerium altaris: isti (sunt) filij
Sadoc, qui accedunt de filijs Leui ad do-
minum, ut ministrent ei.
47 Et mensus est atrium longitudine centũ
cubitorũ, & latitudine centũ cubitorũ per
quadrum: & altare ante faciem templi.

Numerus certus gazophylaciorũ nõ ponitur, sed duo duntaxat hic indicãtur, unum iuxta portã aquilonarẽ respiciens austrũ, alterũ iuxta portam orientalem respiciens aquilonẽ. Genus ministrorũ refertur ad Zadok, qui à Leui descendens, per Phinees sacerdotium suscepit, depulsa familia Eli in Abiathar. Nam hi authores fuerũt populo recedẽdi à domino, illi firmiter adhæserunt deo. Hoc pacto ministri ecclesiæ insigni religionis prærogatiua debent esse cõmendati, & iustitiæ uocabulum in tota uita præ se gerere. Hoc etiã atrium à quatuor partibus abfuit templo centũ cubitis, ab orientali autem parte quadratã habuit aream ante templũ. Et in oriẽte ara holocaustorũ Christũ nobis repræsentans, in quo nos totos uelut ὁλοκλήρους consumi par est.

Ministri ecclesiæ sancti

48 Et introduxit me in uestibulũ templi: &
mẽsus est uestibulũ quinq; cubitis hinc, et

quinq; cubitis inde: & latitudinem portæ trium cubitorũ hinc, et triũ cubitorũ inde.

49 Longitudinẽ autẽ uestibuli, uiginti cubitorũ: & latitudinẽ undecim cubitorũ: & octo gradibus ascẽdebatur ad eũ. Et colũnæ erant in frõtibus, una hinc & altera inde.

Templi partes.

Iam describit templum ipsum quoq; pluribus partibus compactum, iterum rectissimũ secutus ordinem. Quum enim in descriptione atrij penitioris ultimo dixerit, iuxta portam orientalem cameram sitam, et aram in prospectu atrij, iam transit ad proximã portam in orientali parte templi: & primò imaginari oportet in concipienda forma templi duos muros duci ab oriente in occidentem parellelos, interuallo uiginti cubitorũ inter eos decurrente. Hoc septuaginta cubitorum spacium longum, iam interstinguit tribus partibus: uestibulo ab oriente, quod habet undecim cubitos: dein sacro quadraginta cubitorum: in occidentali parte sanctum sanctorũ est seu adytũ templi, etiam uiginti cubitorũ. Id templũ repræsentat tabernaculũ Mosis Exod. 26. Ita fermè Salomon extruxit domũ domini 3. Reg. 6. In quibus dã abludit structura huius tẽpli à tabernaculo, et à Salomonis templo, quòd status populi dei paululũ est immutatus post restitutionem Israelis, ut iam gentes cum Iudæis agant in regno dei, & alia quædã externa uariata sint. Aliud latus fuit ab austro in aquilonẽ latũ undecim cubitis, longum uero uiginti cubitis. Nã postes referũtur habere quinos cubitos utrinq;, & ostiũ ternos hinc, et ternos inde. Ita colliguntur sedecim cubita. Oportet igitur binos fuisse cubitos muri utrinq; inter murũ lateralẽ & postes, uel in media porta interstitium fuisse quatuor cubitorum. Certè ualuæ indicantur biſores. Scalis adibatur uestibulum, cuius gradus non numerantur. Ad postes uero utrinq; collocata fuit colũna. Si uolumus propius ad domum accedere, iterũ gradus occurrunt ad uestibulũ ducentes, quibus extra populare sortem altius eleuemur. Numerus graduum incertus est, quod in consilio dei sit collocatũ quis ascendat, quantis gradibus & quatenus. Columnæ utrinq; cõstitutæ designãt singulari opus adminiculo esse, ut adeamus sanctum domini. Sanctum ab oriente in occidentẽ longũ fuit quadraginta cubitis, ab austro in meridiẽ uiginti cubitis, quod spaciũ circa ingressum ita colligitur. Inter murũ lateralẽ et ostiũ utrinque fuerũt sex cubiti, totam latitudinẽ tẽpli ab extremitatibus complectentes, portiones uidelicet parietis, uestibulum & sanctũ dirimentis. Porta refertur decem cubitorum, ut latera seu humeri sint quinum cubitorũ: ita colliguntur uiginti cubiti. Ostiũ ergo fuit octo duntaxat cubitorũ, & ualuæ utrinq; præcelluerunt uno cubito. Sanctũ sanctorũ quaquauersum patuit uiginti cubitis. Quid uero in penetralibus tẽpli fuerit nondũ exponit: sed adiuncta quædã ædificia cõsequenter commemorat.

CAPVT XLI.

1 ET introduxit me in templũ, & mensus est frontes sex cubitos latitudinis hinc, & sex cubitos latitudinis inde, latitudinem tabernaculi.

2 Et latitudo portæ, decem cubitorũ erat: & latera portæ quinque cubitis hinc, & quinq; cubitis inde: & mensus est longitudinem eius quadraginta cubitorum, & latitudinem uiginti cubitorum.

3 Et introgressus intrinsecus, mensus est in fronte portæ duos cubitos: & portã sex cubitorum: & latitudinem portæ, septẽ cubitorum.

4 Et mensus est longitudinem eius uiginti cubitorum, & latitudinem uiginti cubitorum, ante faciem tẽpli: & dixit ad me, Hoc est sanctum sanctorum.

Ingressus templi.

*Ingressus in templum sacrum ita fuit constitutus. Postis in medio reductum, patuit sex cubitis, ualuæ sestium in medio reductum, patuit sex cubitis, ualuæ sestium in medio reductum, patuit sex cubitis, ualuæ sestium

Laterum descriptio uel in primis obscura est, nec mirum quando quicq; gens habet aliquid proprij in ædificando: & temporibus ista mutantur, sicut uestes atque mores. Quibus accedit Hebrææ linguæ rarior usus, & scriptoris breuitas. In hoc si uelis cõparare scriptores, inter sese diuersos, sibi rationiq; repugnãtes, adhuc magis inuolueris, ut illorũ dicta legens per salebras & ruderа incedat. Hi etiã per labyrinthũ errantibus uidẽtur lumina claudere. Proin necessum est uerba ipsa prophetæ diligentius expendere, rationemq; aptam ædificandi aptare, & sextum caput 3. libri Regum adhibere, si quo pacto formã deprehendere templi posimus. Latera seu costas iam uocat totum ambitum per tria latera, eumq; triplicem tribus tabulatis extructum. Iam partem seu cameram in hoc ambitu, quas trigintatres primo aspectu fuisse apparet ex uerbis, quum Salomonicum habuerit trigintaocto, si Iudæis credimus. Regum historia dicit tantum adiuncta fuisse latera templo circa Hechal & Debir. Vestibulũ tamen coniectura nostra etiã adijcit, cæq; tabulata fuisse distincta stratis seu pauimentis imo medio tertio inæqualis latitudinis, quod altius atque altius ascendẽdo murus stringebatur, & illud accedebat costis, unde imum quinque cubitis habuit, supremum septem. Sic igitur habet ista structura. Fuerunt tristega triplici ordine secundũ altitudinẽ muri per tria latera, septentrionale, occidẽtale & australe ducta, ut ita fuerit latus ad latus, sed tabulatũ super tabulatum. Trabes quibus mediũ & tertiũ sustinebatur, non fuerunt infixi parietibus templi, sed templi murus habuit Mũnah absides seu abscessus, uel ut Germanicè appellẽ absetz/ ra parte muro qui clausit latera crasso quinq; cubitos, ita ut medio tabulato de muro cõcesserit cubitus & supremo etiã alter cubitus. Sic murus templi circa fundamenta habuit crassitudinem sex cubitorum, suprema in parte quatuor, & imum tabulatũ laterum quatuor cubitos obtinuit, mediũ quinq;, supremũ sex. Salomonicus ambitus amplior fuit uno cubito. Circa orientem iuxta ostiũ uestibuli fuit ingressus per cochleam, quæ ad summam partem templi ascendens, ostijs suis & in tabulata laterum uersus occidentẽ missit, & ad austrũ uel septentrionem in cœnacula quoque porticus, qualia multa subinde habuit: siquidẽ centũ uiginti cubitorũ altitudinem habuisse legitur in libro Præteritorum. Dicit ergo annularẽ ascensum fuisse in tristega, eaq; ampliata, quo magis ascendebatur, ut haberet murus templi crassiorem partem iuxta fundamenta calami, id est, sex cubitorũ mensuram, utq; absidis decrementum in superioribus addereture costis, quæ claudebantur quaquauersum muro crasso quinque cubitos. Ea fuit crassitudo pauimenti totum templum contegentis, ut refertur in libris Regũ. Hic tantũ dicitur, quod uiderit fundamenta unius calami, sed altitudinem non exprimit.

Costæ ædificij.

Trabes.

Cochlea.

12 Et ædificiũ quod erat separatum coram solario uersum cp ad uiã respicientẽ ad mare, latitudinis septuaginta cubitorum: paries autem ædificij quinque cubitorum latitudinis per circumitũ: & lõgitudo eius, nonaginta cubitorum.

13 Et mensus est domus longitudinẽ, centum cubitorum: & quod separatum erat ædificiũ, & parietes eius, longitudinis centum cubitorum.

14 Latitudo autem ante faciem domus: & eius quod erat separatum cõtra orientem, centum cubitorum.

15 Et mensus est longitudinẽ ædificij contra faciem eius quod erat separatũ ad dorsum, ethecas (אתוקחא *siue cubicula*) ex utraque parte centum cubitorũ: & templum interius, & uestibula atrij.

16 Limina & fenestras obliquas, & thalamos in circumitu per tres partes, contra uniuscuiusq; limen, stratumcp ligno per gyrum in circumitu: à terra quoque usq; ad fenestras, & fenestræ clausæ.

17 super ostia & usq; ad domũ interiorẽ, & forinsecus: & omnẽ parietẽ in circumitu intrinsecus & forinsecus, ad mensuram.

18 Et fabrefacta cherubim & palmæ, & palma inter cherub & cherub, duasq; facies habebat cherub.

19 Faciẽ hominis iuxta palmã ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmã ex alia parte: expressam per omnẽ domũ in circũitu.

20 De terra usq; ad superiora portæ, cherubim & palmæ cælatæ erant, & paries tẽpli.

21 Templi limen, quadrangulum: & facies sanctuarij, aspectus contra aspectum.

Oportet ædificio templi, quod ab omnibus plagis à muro medio æquali spatio reductum est, quadratam aream tribuere centenum cubitorum. Eam mensurationis radicẽ obseruantes, facilius & certius multo quàm Hebræi & nostrates imibimus rationẽ structuræ. Velut in istis uiginti cubitis spatij seu latitudinis, aut plateæ erigunt aliud ædificiũ collaterale, quum tamen septuaginta cubitorum latitudo templi cum costis nondum sit collecta, nisi mensura laterum ineptissima ut ipsi demonstrant. Ponũtur sanè ad latus septentrionale & australe templi medij ædificia gazophylaciorum, & ipsa trium tabulatorũ, ut à muro templi usque ad murum istorum interiorem intersint decem & nouem cubiti, exactissima ratione, nempe circa fundamenta, quatuor cubiti latitudo costarum, quinque cubitorum muri crassitudo, dein decem cubiti ad parietem istorum gazophylaciorum, quæ ministris templi fuerũt destinata, ut utrinque fuerit latitudo seu spatium uacuum cubitorum uiginti. Ita procliue est & minime inuolutum, latitudinem ab aquilone in austrum deprehẽdere: uiginti latitudo templi est, duodecim parietes, octo costarũ initialis uel inferior latitudo, decem parietes costarum, uiginti platea utrinq; ad templi corpus cum lateribus, quod & propterea separatum ædificium dicitur. Ita collecti sunt septuaginta cubiti. Si iam utrinque gazophylacijs tri-

Quadrata area tẽpli.

Separatum ædificium.

buamus quindecim cubitos adſumpto parietum modo, colliguntur centum cubita ab angulo ſeptentrionali uſque ad angulum auſtralem oppoſiti lateris, ultra templi corpus ſeparatũ, & quadrat belle ſtructura uerbis atq; demonſtrationi propheticæ. Indicat ingreſſum ad ambitum de quo uerſu undecimo, quippe quod fuerit in cochlea, quæ duxit in ſuperiores partes ſeu mãſiones templi, ut ad murum templi, quo loco eſt abſis & ſpatium relictum, patuerit oſtiũ quinque cubitorũ latum ad ipſa latera. Illo intellecto in medio & tertio tabulato tam in auſtrali parte quàm in ſeptentrionali, ita linea ducta ab occidentali parte in muro claudente latera ſecundũ latitudinem templi & platearũ, quæ in occidentali plaga eodem iſto muro fuerunt occluſæ, ſeptuaginta cubita reperiuntur: ſi autem extendatur uſque ad extremũ gazophylaciorum ſeptentrionalium & auſtralium nonaginta fient, & utrinque muri craßitudine quinque cubitorum adiecta, rotundantur centum cubiti. Si uerò longitudinem nonaginta cubitorum accipiamus ab occaſu ad ortum, relinquẽtur utrinque decem cubiti pro area cochlearum, quæ uiam præbuerunt aſcendendi ad cœnacula thalamorũ & ad tectum. Certè omnibus comprehenſis, quæ templo quaſi corpori fuerunt appenſa, quadratum opus menſura demonſtrat æqualiũ laterum & rectangulum, complectens quaquauerſum centũ cubitos. Deſcriptionem gazophylaciorũ iſtorum differt ad ſequentia, ut reliquũ templi ornatum iam abſoluat. Et in genere dicit, nihil præteritum eſſe ab angelo, cuius ratio non ſit inita, quin ueniſſe in modum menſurarum, templũ intimum, ueſtibula atrij, ſancti limina, feneſtras clatratas, pilos ſiue cameras adfixas in tabulatis triplicibus. Hoc etiã interim indicat, quod in libris Regũ planius dicitur, templum fuiſſe tabulis & quidem cedrinis contiguatum in adyto & in hechal, à ſolo uſque ad cœlum ſeu pauimentum ſuperius, ſed & feneſtras & parietes ſuper limina uſq; ad oſtia ipſa. Præterea ſculptas, ait, per omnes parietes domos & ualuas, etiam figuras fuiſſe palmarũ & cherubim biformiũ, opere ſic uariegato, ut alternatim iam cherubim, iam palmæ collocatæ eſſẽt, idq; etiã in pariete ipſius hechal. Limen illius, ait, quadratũ, quum ſint rotunda, cõcaua, ſtriata & aliarũ formarũ: item ſpeciem ſancti, quoad ſculpturas attinet, fuiſſe planè ut in adyto.

22 **Altaris lignei trium cubitorũ altitudo: & longitudo eius, duorum cubitorum: & anguli eius, & longitudo eius, & parietes eius lignei: & locutus eſt ad me, Hæc eſt menſa coram domino.**

Altare lignẽum.

Altare ponitur ligneum, ſed nimirum laminis aureis obductũ, ſi uidetur, ad incenſum conficiendũ. Nõ enim uidetur menſa propoſitionis intelligenda, quũ neq; panes propoſitionis, neq; arca ſupereſſet ſicut prædixerat alicubi Iſaias uel Ieremias, nec propitiatorium, nec candelabrũ, quæ omnia ipſe Chriſtus exhibet in ſeipſo. Mẽſa uerò poſita eſt corã domino, in qua oratio noſtra aſcendat ſicut ſacrificiũ ueſpertinũ. Dicit igitur latum fuiſſe duobus cubitis, altum uno amplius, comprehenſa

quoq; menſura angulorũ. Et cum maior altitudo ſignificetur, tamq; diligenter angulorũ meminerit, materiæq; lignæ, crux Chriſti nobis inſinuatur, ſuper quam offerendæ ſunt laudes & uota noſtra domino deo & patri. Dicit enim: Hæc menſa eſt corã domino. Sculpturæ cherubim & palmæ, angelicas ſubſtantias atque uictrias præferũt, ut palatij cœleſtis deſignationẽ accipiamus.

23 **Et duæ ianuæ erant tẽplo, & ſanctuario.**

24 **Et duæ ualuæ cum ualuis, binæ ſeſe complectentes ianuæ, duæ ad ianuam unam, duæ quoq; ad ianuam alteram.**

25 **Et cælata erant in ipſis oſtijs templi cherubim, & ſculptura palmarum, ſicut in parietibus quoq; expreſſa erant: & groſſiora ligna in ueſtibuli fronte forinſecus.**

26 **Feneſtræ quoque obliquæ, & ſimilitudo palmarũ hinc atq; inde in humerulis ueſtibuli: ſecundũ coſtas domus, & trabes.**

Ianuas quoque deſcribit, duas tribuens & ipſi hechal tanquam adytorum & ſanctoſanctorũ, ut pleriq; Cõmentarij ſunt opinati, quo eſſet oſtium extra & intra obductum clauſis foribus, ut eſt hodie quoq; uidere in ædibus priuatis, ſicubi eſt craßior murus, & in portis oppidorum. Non diſſecet ſingulas ianuas intelligendas in ſingulis oſtijs, quæ fuerint biſores, ita ut eis ſingulæ utrinque alæ eſſent, ſed fractæ, totæq; ualuæ partibus quaternis complicarentur, quod deſignat alijs ampliorẽ, alijs angußiorem adytum patefieri ad penetralia numinis ſuperni. Porrò cum nullas ualuas appenſas referat ipſi ueſtibulo, intelligere poſſumus obicem ligneum ſeu peſſulum obductum fuiſſe ſecundũ oſtium illud. Poſſumus intelligere peſſulo clauſum oſtium ipſius hechal etiam, cum nuſquam ſeratorum mentio fiat: & ſanè moris fuit orientalibus præfertim iſto tempore ianuas obſirmare uectibus, etiam portas in urbibus. Sic intelligimus obicem appoſitum fuiſſe ad humeros in ortum & occaſum ueſtibuli fuiſſe claratas feneſtras & palmas, ſimiliter in lateribus ſeptentrionem & meridiem: itemq; in ueſtibuli ſecundo pturam Cherubim & palmarum, ſiue iſti trabes excluſerunt ab ingreſſu templi, ſiue trabales fuerunt loricæ quibus murus cõplexus eſt. Non autẽ dubiũ eſt, quin ſa cramenta grandia contineantur in penetralibus templi: ſed mens reformidat, & religione loci ſtupeſcit. Equidẽ in præſentia præclarè mecum putarem agi, ſi cognitio hiſtoriæ atque grammatica conſideratio mihi cõſaret. Præterea in tabernaculo Moſis & templo Salomonis, ad quorum inſtar fermè hoc opus conſtruitur, erit locus magis idoneus myſteria rimandi. Vtinam ſe intenderent ad hoc ſpectaculum totius orbis celeberrimum atque ſanctißimũ præclara ingenia, quanto ſtudio deſcripſerunt ſitum orbis, & cœli machinam, etiam ſtatuas & picturas, omniaq; ſuperba tyrannorum monumenta complexi, quanto ſtudio enarrarunt poetarum fabulas & gentilium ſacrorum arcanos ſenſus. Ita fiet, ut locus non minore cum uoluptate inſpiciatur quàm fructu. Et ita demum allegoriæ intellectum ſolidum &

& cohærentẽ adeoq; genuinũ licet cõcipere, si prius literæ intellectũ assecuti fuerimus. Quem quia paulò minus negligũt Hieronymus & Gregorius, Lyranus autẽ parũ feliciter sectatur, uidere est quàm friuolas ex Pithagoricis numeris collectas significationes proferant.

¶ CAPVT XLII.

1 Et eduxit me in atrium exterius per uiam ducentem ad aquilonem, & introduxit me in gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium, & contra ædem uergentem ad aquilonem.

2 In facie longitudinis, centũ cubitos ostiũ aquilonis: & latitudinis quinquaginta cubitos:

3 cõtra uiginti (cubitos) atriũ interioris, & cõtra pauimẽtũ stratũ lapide atriũ exterioris, ubi erat porticus iuncta porticui triplici.

4 Et ante gazophylacia deambulatio decẽ cubitorũ latitudinis, ad interiora respiciẽs uiæ cubiti unius. Et ostia eorũ ad aquilonẽ:

5 ubi erant gazophylacia in superioribus strictiora: quia (deficiebãt) porticus (quæ) ex illis (eminebant) de inferioribus, & de mediis ædificij.

6 Triftega enim erant, & non habebãt columnas, sicut erant colũnæ atriorũ: propterea (arctabãtur) eminebãt de inferioribus & de mediis à terra (cubitis quinquaginta.)

Supplet iam quod omissũ est suprà de gazophylacijs seu ecthetis tẽpli ab aquilonari plaga & australi: quod negotiũ indiget attẽtissima quoq; cõsideratione. Primũ dicit se ductum exterius, nõ in atriũ uulgi extremũ, sed à templi, ut ita dicam, corde in oriẽtali parte, mox deflexisse ad aquilonẽ, et gradũ fixisse, ubi camera est sita ad murũ mediũ uersus aquilonẽ, ibiq; contemplatũ harmoniam & mirificã structuræ cõpagem, in omnibus membris cõuenientẽ sibi atq; quadratẽ, ut pulcherrimè mutuum respondeãt extrema intimis, summa infimis, posteriora prioribus, media terminis, paruis magna, parrentiã ecclesiæ partiũ, ut illud ædificiũ in omnibus membris insistat sibi, omnia rationẽ conuenientẽ atq; decentissimam obseruẽt, uniuersis mira proportione inter se cõmissis, ingenio summi totius creaturæ opificis. Dicit ergo se cõstitisse ad aquilonarẽ cellã, quæ sita sit cõtra tẽpli separatũ corpus, & eius adiũcta latera, qua centũ cubitorũ longitudo excurrit ab ortu in occasum, quem locum etiã respiciũt 50 cubiti altitudo uestibulorũ ante pauimentũ in extremo atrio, & interuallũ uiginti cubitorum inter templũ & adiunctũ ædificiũ. Isthic, inquit, loci fuit camera, obiecta cameræ in ternis tabulatis, nirũ his in septentrionẽ, & illis in austro imuicẽ recta in linea obiectis, tẽplo tamen intermedio, ut quæ dicuntur de aquilonari latere, similiter extiterint in australi. Illorum triplicium laterũ structura sic habet. Lõgitudo ab ortu in occasum fuit centũ cubitorũ secundũ lõgitudinẽ templi: latitudo à muro costarum cubitorum quindecim utrinq;, denis cubitis intercedẽtibus inter ista ædificia, & templi costas, quæ hic uia dicitur decẽ cubitorũ: murus quo costæ claudũtur, & hoc spatiũ decem cubitorũ ab occidẽte fuit quinq; cubitorũ. Si eam crassitudinẽ tribuamus illorũ ædificiorũ parietibus, imum tabulatũ habuit latitudinẽ quinq; cubitorũ, mediũ trium, supremũ unius. Sic enim per absides arctatum fuit ædificiũ, ut ab exteriori parte ambitus relinqueretur unius cubiti. Nã in ædificãdo uel parietes æqualiter excitãtur uel p absides ptrudũtur, ut suprà factũ est in costis, uel arctãtur. Die mur ist inzogẽ worde vom grund vff: hoc Hebræi dicunt ירבל deficiebat, & אוצל arctabatur magis magisq; murus superior ab inferiori parte uno cubito, ut haberet circuitũ, nec tñ colũnis impositũ quẽad modũ factũ est in pauimẽto extremi atrij, quanq; suprà dũtaxat indicarit pauimentũ adiũctũ fuisse muro extremo, et dispositia in eo triginta gazophylacia, præter sex thalamos. Sed hæc ædificãdi ratio fuisset inepta, & murus occidẽtalis per 70 solũ cubita est ductus usq; ad ista ædificia, quæ nimirũ habuerũt angustiorẽ parietẽ, quippe quæ nec altis tabulatis fuerũt cõpacta, nec molẽ graiorem pertulerũt. Proin si tribuatur parieti crassitudo ubiq; duorũ cubitorũ & semissis, amplitudo ædificiorũ intra gremiũ erit in fundamẽtis decem cubitorũ, in medio octo, in summo sex cubitorũ. Cæterũ hæc patuerunt ab aquilone, altera utique ab austro.

7 Et peribolus exterior, secundũ gazophylacia, quæ erant in uia atrij exterioris ante gazophylacia: longitudo eius, quinquaginta cubitorum.

8 Quia longitudo erat gazophylaciorum atrij exterioris, quinquaginta cubitorum: & ecce (& lõgitudo) ante faciem templi, centum cubitorum.

9 Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab oriẽte ingredientium in ea de atrio exteriori:

10 in latitudine periboli atrij, quod erat cõtra uiã orientalẽ, in faciẽ ædificij separati. Et erant ante ædificium gazophylacia:

11 & uia ante faciem eorum iuxta similitudinem gazophylaciorum, quæ erant in uia aquilonis: secundũ longitudinẽ eorum, sic & latitudo eorũ: & omnis exitus eorũ, & similitudines, & ostia eorum

12 secundũ ostia gazophylaciorũ quæ erãt in uia respiciente ad notum: ostiũ in capite uiæ, quæ uia erat ante uestibulũ (cantionis) separatũ per uiã orientalẽ ingrediẽtibus.

Ecclesiæ corũ tesq; oppositæ inuicẽ. hæretici.

Iam absoluit quadratũ & intestinũ templi ædificium, in uiam seu podiũ illud ambiẽs gazophylacia, fuit ascensus per scalas proprias: uel, quod cõformius est, ab ortu & occasu ponticulus affixus muro transijt à costis templi ad hæc tabulata. Iam describit quomodo in orientali plaga ante templum quadrata fuerit area complectens altare holocaustorum, ut suprà dixit. A templo uersus

Area ante templum.

ortum utrinq; fuit sepes siue murus, siue potius cãcelli
ein gedder quinquaginta cubitorũ spatio protracti,
usq; ad gazophylacia, nõ duo ista quæ supra indicauit,
quorum alterũ custodibus domus, alterũ custodibus al-
taris fuit destinatum, hoc ad latus atrij medij orientale,
istud ad aquilonare. Sed intelligẽda sunt alia sacerdotũ
habitacula seruientiũ altari, quæ ab ortu in occasum pa
tuerunt quinquaginta cubitis utrinque ad altare: ut ista
mensura iuncta cancellis lineam expleret centum cubi
torum à muro medio ad templũ intestinũ, essetq; linea
ducta ab austro in aquilonẽ interstitiũ camerarũ itidem
centum cubitorum, altari posito in hac quadrata area.
Ingressus fuit ab ortu quod necesse est uenientibus ex
atrio exteriori per murũ mediũ in parte inferiori gazo
phylatiorũ, qua cancellis cõtigua sunt ante templũ &
adiunctis lateribus, ut ingrediens primum recta incedat
secundũ dextram uersus templũ, deinde deflectat in se-
ptentrionem aduersus camerã illic positã, ex opposito
etiam gazophylaciorũ australis lateris. Via illis fuit in
austro sicut cameris aquilonaribus. Eadẽ lõgitudo fuit,
eadem latitudo, idem exitus, consimilis ratio structuræ,
cõsimiles aperturæ. Ingressus tamen gazophylacijs fuit
australibus secundũ aperturas eorũ spectantes utiq; al-
tare, in principio uiæ secundũ septem recta tendẽtẽ in
ortus, qua parte solet ueniri ad cameras. Aditus idẽ seu
oppositus septentrionali significatur, sed alijs uerbis.
De crassitudine parietũ nihil dicit, nec de latitudine, nec
de altitudine, nec de numero, nisi hæc uerba in hanc sen
tentiam rapiamus, Sicut longitudo sic latitudo: ut cõten
ta fuerint æqualibus lateribus. Paries quinq; cubitorum
non incõgruẽs est: quæ est crassitudo parietũ latera tem
pli claudentiũ. Non fuerũt extructa tabulatis, nec distin
cta in plures habitationes, sed unum & continuũ habi
taculum fuit in utroq; latere. Hoc ædificio sic cõstituto,
conuenit gazophylacium intra istam aream ad murum
orientalem collocare ad australem plagã, ut respiciat al
tare: sed gazophylaciũ aquilonare extra septũ oportet
ita statuere, ut prospectus sit per cãcellos ad ingressum
templi. Sacrificia de porta muri medij ad altare holo-
caustorũ portata sunt, uel uia per latera templi septen-
trionalia, uel inter cancellos & gazophylacia, uel per
atrium medium usq; ad portam orientalem.

13 Et dixit ad me, Gazophylacia aquilonis,
gazophylacia austri, quæ sunt ante ædifi-
cium separatum: hæc sunt gazophylacia
sancta, in quibus uescũtur sacerdotes qui
appropinquant ad dominũ in sancta san-
ctorum: ibi ponẽt sancta sanctorũ, & obla
tionem & pro peccato, & pro delicto: lo-
cus enim sanctus est.

14 Cum autẽ ingressi fuerint sacerdotes, nõ
egredientur de sanctis in atriũ exterius: &
ibi reponẽt uestimẽta sua in quibus mini-
strant, quia sancta sunt: uestientur q; uesti-
mentis alijs, & sic procedent ad populũ.

Vsus indicatur, quod ibi sancta sanctorum sacerdotes
perceperint, id est cõsecrata, ibiq; uestes sacras cum pri

uatis permutarint, ut alia ueste domini ministeria exer
querẽtur, alia prodirẽt si agendũ esset cũ populo. Quo
admonemur ecclesiæ ministros aliũ decere habitũ quan
do cum numine superno cõgrediũtur, aliũ quãdo cõuer
sandũ cum plebe, cui seipsos monẽ & mores et uitiũ accom
modabũt, ad finẽ tamen bonũ & honestũ spectantes.

15 Cumq; cõpleret mensuras domus inte-
rioris, eduxit me per uiã portæ quæ respi-
ciebat ad uiam orientalẽ: & mẽsus est eam
undique per circumitum.

16 Mensus est autẽ cõtra uentum orientalẽ
calamo mensuræ: quingentos calamos in
calamo mensuræ per circumitum.

17 Et mẽsus est cõtra uentũ aqlonis quingen-
tos calamos, in calamo mẽsuræ per gyrũ.

18 Et ad uentũ australem mensus est quin-
gentos calamos, in calamo mensuræ per
circumitum.

19 Et ad uentũ occidentalẽ mensus est quin
gentos calamos, in calamo mensuræ.

20 Per quatuor uentos mensus est murum
eius undiq; per circumitũ, longitudinem
quingentorum cubitorũ, & latitudinem
quingentorũ cubitorũ, diuidentem inter
sanctuarium & uulgi locum.

Si hæc de muro tertio & extremo structuræ dicũtur,
ratio geometrica nos cogit intelligere, latera fuisse quin
gentorum cubitorũ, non calamorũ, ut totũ propemodum
natur. Sed loquitur de externo muro circundante prope
indicauit altũ calamo, & crassũ calamo. Eius unus dun
taxat aditus indicatur ab oriẽte: si quis tamẽ à quatuor
plagis patuisse cum Iudæis sentiat, nihil absurdi sequi
tur. Is locus ab omni latere patens ter mille cubitis, dire
mit sacrũ à prophano, ut locus maiore ueneratione esset
religione, quàm reliquum urbis Hierosolymitanæ, quæ
& ipsa dicitur urbs sancta. In hunc locũ & gentibus &
alijs expiatione indigẽtibus ius fuit ingrediẽdi, cruce tan
men consecratus. Hoc amplexu capacissimo indicatur
quamo maior hominũ multitudo cõfluxura sit ex gen-
tibus in gremiũ sanctæ ecclesiæ, quàm ex Israele. Sexcu
plo nanq; longiora sunt latera istius muri promiscuam
turbam recipientis, quàm atrij Israelitici.

¶ CAPVT XLIII.

1 ET duxit me ad portã quæ respi-
ciebat ad uiam orientalem.

Iam planissimo sermone logitur id, cuius
gratia Iudæis captiuis longo sermone de
scripsit formã instaurandi templi, nempe ut cõsolaretur
eos & moneret, sicut in principio istius prophetiæ ad-
monui. Ostendit igitur, dominum sceleribus Iudæorum pe
esse compulsum, ut desereret sedẽ suam, & urbem Ieru
salem atq; templum traderet immanissimis hostibus di-
ruenda, hominibus partim interfectis, partim in seruitu
tem abductis. Nunc autem dominũ reconciliatũ per cle
mentiã suã curaturũ, ut omnia restituatur, & se deus in
uetus domiciliũ recipiat. Simul indicat, quibus actibus
quæritur

queant tacitum inquilinum retinere, nempe innocentiuita, & studio pietatis. Hæc quidem Iudæis discere ex Ezechiel profuit quum ista proderentur: nobis autem posteris domus dei sacramenta panduntur, in qua superna maiestas cum uniuerso genere mortalium familiari conuersatione degit.

2 Et ecce gloria dei Israel ingrediebatur per uiam orientalem: & uox erat ei quasi uox aquarũ multarũ, & terra splendebat à maiestate eius.

3 Et uidi uisionem secundũ speciem quam uideram, quando ueni ut disperderem ciuitatem: & species secundũ aspectũ quem uideram iuxta fluuium Chobar: & cecidi super faciem meam.

4 Et maiestas dñi ingressa est templum per uiam portæ quæ respiciebat ad orientem.

5 Et eleuauit me spiritus & introduxit me in atrium interius: & ecce repleta erat gloria domini domus.

Sicut migrantẽ supra cap. 8. & sequẽtibus indicauit, ut primum desereret propitiatoriũ, inde limen templi, inde atrium, tum mediam urbem, postremò montem: sic iam redeuntem describit cum magna pompa, & domicilium suũ occupantẽ. Porrò restituto Israele & regno dei, quæ est ecclesia, dominus manet cum suis usque ad consumationẽ seculi. Non enim possunt hæc iuxta historiam intelligi, siquidẽ olim ista omnia subuersa sunt, ob immensa scelera perfidæ gentis Iudæorum.

Restitus di templi.

6 Et audiui loquentem ad me de domo, & uir stabat iuxta me.

7 Et dixit ad me, Fili hominis, locus solij mei, & locus uestigiorũ pedum meorum, ubi habito in medio filiorũ Israel in æternum: & non polluent ultra domus Israel nomen sanctũ meum, ipsi, & reges eorum in fornicationibus suis, & in cadaueribus regum suorum in excelsis suis.

8 Qui fabricati sunt limen suũ iuxta limen meum, & postes suos iuxta postes meos: & murus erat inter me & eos: & polluerũt nomen sanctum meum in abominationibus quas fecerunt: propter quod consumpsi eos in ira mea.

Subuersa Ierusalem.

Causas ostendit ob quas subuersa sit Ierusalem, ob fornicationẽ idololatriæ, & quod per sacrilegã superbiam adeò non internouerint inter sanctũ & prophanum, ut cadauera principũ proximè deum conderentur. Hodie quoque durat ista superbia, ut primatũ corpora in loco cello altariq; super cadauer extructo, & prorsum esse nefas persuaserunt aulici adulatores, generosum sanguinem inter plebem computrescere.

9 Nunc ergo repellãt procul fornicationẽ suam, & cadauera regum suorum à me: & habitabo in medio eorum semper.

Nunc dicit qua lege sit acturus cum eis consuetudinem: uidelicet, si abijciant procul istas sordes. In ecclesia Christi etiam cadauera principum proxime deum reponuntur, quum in gratiam gentis aut ad decorandam familiã, aut omnino emolumenti gratia diui creati sunt, à quibus opem peteremus, quam solus dominus præstare uult & potest.

10 ¶ Tu autẽ fili hominis ostende domui Israel templũ, & cõfundantur ab iniquitatibus suis: & metiãtur exemplar fabricæ:

11 & si erubescant ex omnibus quæ fecerũt figuram domus, & exemplar eius exitus & introitus, & omnem figuram eius, & uniuersas descriptiones eius, cunctamq; formam eius, & omnes leges eius ostende eis, & scribes in oculis eorũ: ut custodiant omnes descriptiones eius, & formã illius, & faciant ea.

Iterũ dicit quod ante consolandi & emendandi causa dixerat. Propone, inquit, formam restituendi templi populibus tuis, si animaduerteris eos non depuduisse, uerum pœnitentia duci, ac emendationem uitæ meditari. Sic enim certo certius est ut liberentur, ac domũ meam ad illud exemplũ ædificẽt. Proinde signa illis ob oculos figurã templi, situm loci, fundaměta, bases, aditus, exitus, recessus, formas omnes rerum adhibitarũ, institutaquoque & leges administrandi cultus. Nam istorũ usus erit, ut reducti ad patriã, solum reparẽt ædem sacram, & cultu legitimo iterum mihi seruiant. Hæc nobis etiã dicuntur, ut diligenter inspiciamus effigiem templi, ac animo insculpamus, & intellectum nostrũ pietatemq; in hac diuina theoria exerceamus.

12 Ista est lex domus, In summitate montis omnis finis eius in circumitu sanctũ sanctorum est: hæc est ergo lex domus.

Iterũ dicit quod in principio admonuit, ædificiũ hoc fuisse impositũ monti, ut rem quadrantẽ umbræ agnoscamus, & ecclesiã super montem adeoq; super firmã petram inædificatam recognoscamus. Vniuersum ædificium sanctum sanctorũ uocat. Omnia enim membra ecclesiæ tam à Gentibus quàm à Iudæis Christus sanctificauit, ut splendidè Paulus non uno in loco disserit.

13 Istæ autem mensuræ altaris in cubito uerissimo, qui habebat cubitum & palmũ: in sinu eius erat cubitus, & cubitus in latitudine: & definitio eius usq; ad labiũ eius, in circũitu palmus unus: hæc quoque erat fossa (altitudo uel constitutio) altaris.

14 Et de sinu terræ usq; ad crepidinẽ (aream) nouissimam duo cubiti, & latitudo cubiti unius: & à crepidine minore usque ad crepidinem maiorem quatuor cubiti, & latitudo cubiti unius.

15 Ipse autem ariel quatuor cubitorũ: & ab ariel usque sursum, cornua quatuor.

16 Et ariel duodecim (cubitorum) in longitudine per duodecim (cubitos) latitudinis: quadrangulatum æquis lateribus.

17 Et crepido (*area*) quatuordecim (*cubitorum*) longitudinis per quatuordecim (*cubitos*) latitudinis in quatuor angulis eius: & corona (*limes*) in circũitu eius dimidij cubiti, & sinus eius unius cubiti per circumitũ: gradus autem eius uersi ad orientem.

Altare holocaustorum.

Altare describit nimirũ holocaustorũ, quod supra demõstrauit collocatũ in quadrata area ante templũ: nũc eius structurã & formã depingit. Nec dubium est, quin Christũ figuret alijs rationibus atq; alijs, & catholicũ templũ, & ostiũ, sacerdotẽ & sacrificiũ, & altare placabile, ut Isaiæ 60. appellatur, super quo nostra holocausta & oblationes deo cõficiamus: ita enim demum deo grata sunt. Ingeniosus aliquis & sagax atq; nasutus uestigator arcanæ scripturæ, scripturæq; oracula in promptu habens, hic agnosceret & indicaret generationes Christi secundũ utranque indolẽ, diuinã & humanam, quibusq; rebus ac argumẽtis utraq; cõprobetur, tempora etiã dispensandæ carnis, nec non quibus uenerit salutifer, itemq; progressus in cognitione Christi ac pietatis incremẽta. Sed nobis nõ est datũ tam altè scrutari tanta mysteria, tantamq; mensurã charismatis collati sectantibus, locus sobrie mederateq; delibãdus est. Cõstat hoc

Altare Christus.

altari Christũ nobis repræsentari, qui omnia nostra reddit grata patri cœlesti, nec fieri potest, ut quicquã gratum acceptumq; sit deo, nisi per filiũ. Sed huius altaris pulchra & magnifica fabrica est ex aliquot partibus compacta. Materia nulla indicatur. Et Iudæis minimè assentiri lubet, qui aiunt altare aureũ describi, ad incensum offerendum, idq; aureum, & aliud præterea coctili extructũ lapide ad holocausta. Quin unũ, ut dictũ est, faberrimè adornatũ altare proponitur, quod & mensum esse admonet eadẽ mẽsura, qua usus est in tota illius templi machina, nempe cubito sancto, qui cõtinet cubitum prophanũ & præterea palmum minorẽ, id est, sex palmos, quum uulgaris duntaxat quinq; palmos contineat. Altaris huius forma cõcipienda est ab altaribus nostræ ætatis, quæ in choris templorũ sita, ternis aut quaternis gradibus exaltata fuerũt. Altitudo fuit undecim cubitorum, latitudo in summa superficie duodecim cubitorum adiuncto & palmo maiore, ut margo esset pro retinendis cineribus & alijs, ne quid decideret, sicut in alueoli ora solet cingulum seu limbus apponi. Altitudo inferne colligenda est, forma uerò superne. Primum fuit basis seu pes, seu fundamentum, seu, ut ipse uocat gremiũ, altũ uno cubito: deinde crepido minor alta duobus cubitis: deinde crepido maior alta quatuor cubitis: tum ariel altũ quatuor cubitis. Ariel metaphoricôs dicitur uel mõs dei, uel leo dei, quod rectissimũ est, ut scribatur אריאל *sed alia eiusdem soni propemodũ metaplasmo uariantur. Dicitur aũt leo dei, quod pecudes immolatas absumeret ritu leonis. Eius meminit Isaias 29. Synecdochicôs partẽm pro urbe Ierusalem ponens. Circa extremitatem areæ altaris,* vmb den alterstein *fuit cingulum, quod reddebat concauitatem. In angulis erecti fuerũt ferrei nimirũ paxilli,* negel/oder zapffen/oder zän. *Crepido maior excesßit duodecim cubitos arielis quaquauersum uno cubito, ut eius latera essent quatuor decim cubitorũ. Crepido minor lõgitudine superaut alterã crepidinẽ omniquaq; dimidio cubiti, ut sit quinque decim cubitorũ: nisi uelimus zonam duntaxat circumductam fuisse & quasi coronã: sed prior sententia melior est. Basis altaris* der fũß oder antritt/oder der satz. *excesßit cubito, unde decẽ & septẽ cubitorũ erit. Ad altare duxerũt gradus ab orientali plaga minimũ decẽ & octo, Sic enim tribuũtur singulis cubitis bini gradus, et ascẽsus fit ad decimũ cubitũ, ut tres tantũ cubiti arielis supra gradus extẽt. Et hæc de opificio altaris. Nunc de initiatione usuq; breuiter & religiosè explicandũ est.*

18 Et dixit ad me, Fili hominis, hæc dicit dominus deus, Hi sunt ritus altaris, in quacunq; die fuerit fabricatũ: ut offeratur super illud holocaustum, & effundatur super eum sanguis.

19 Et dabis sacerdotibus Leuitis, qui sunt de semine Sadoc, qui accedunt ad me, ait dominus deus, ut ministrẽt mihi uitulum de armento pro peccato. Et assumens de sanguine eius, pones sup quatuor cornua eius, & super quatuor angulos crepidinis areæ, & super coronã (*limitem*) in circũitu: & mundabis illud & expiabis.

20 Et tolles uitulum qui oblatus fuerit pro peccato: & combures eum separato loco domus extra sanctuarium.

21 Et in die secũda offeres hircum caprarũ immaculatum pro peccato: & expiabunt altare, sicut expiauerunt in uitulo.

22 Cumq; compleueris expians illud, offeres uitulum de armento immacularum, & arietem de grege immaculatum.

23 Et offeres eos in cõspectu domini: & mittent sacerdotes super eos sal, & offerẽt eos in holocaustum domino.

Quum in omnibus religionibus nouum templum aut Dei altare, ara legitimo ritu ac ceremonijs initiaretur, & hoc in lege diuina sanctum esset ad typum futurorũ in Christo negotiorũ, iam dedicatio & præparatio altaris describitur ad usus sacrificãdi. Non quod saluator indigueritexpiatione uel ob genitiuam maculam, uel primarium admissam noxam, agnus immaculatus existens, nec dolum habens in ore suo, ut late Isaias describit, nec ulli criminiobnoxius: sed æqualis patri existens, seipsum exinaniuit, factus sub legẽ, ut eos qui eram sub lege redimeret, assumptaq; carne factus nobis frater, insinuauit se in participatum nostri peccati atque pœnarum, pro nobis etiam factus maledictum, ut iustitiæ diuinæ satisfaceret, nobis uitam in primis parentibus perditam repararet. Proin opus fuit expiatione primum, ut nostris peccatis persolutis quæ in se receperat, deo patri nos reconciliaret, ac ara fieret in qua sola nostra uota, dicta, facta, laudes, gratulationes, supplicationes grata fiant domino. Nec est possibile quicquã placere deo, quod in ipsa ara non fuerit immolatum. Quod intelligentes nostri maiores

res

res ad finem precum suarum adiecerunt, Per Christum dominum nostrum, aut simile quiddam. Dedicatio facta est per cruciatus quos saluator pertulit omnimodos tem poribus carnis suæ. Oportuit enim Christū pati, & ita intrare in gloriam suam, ut saluator discipulis indicauit Luc. 24. in Mose & alijs prophetis. Item Philip. 2. Factus est obediens usque ad mortem crucis. Quamobrem dedit ei pater nomen, quod est super omne nomen &c. Nec est datum aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat saluos fieri. Act. 10. Ipse ergo dominus & altare & hostia initiatoria est. Agni, uituli, hirci fit mentio, ut typum & rem complectamur, Christum scilicet esse uictimam illam, quam præfigurabat hircus ab Abrahã mactatus pro Isaac, esse agnum paschalem, esse uitulũ, breuiter illum re esse quod sacrorũ omnes partes & species præfigurarint. Conspergitur autẽ sacrificiũ sale, ut intelligamus sapiẽtia cœlesti opus esse, qua sub uelamento typici sacrificij arcanos intellectus subesse ueniat in mentem, nec insipidã carnẽ literæ fructũ ullum afferre. Quin post aduẽtũ Christi opus est salẽ diuinũ adhibere ministros ecclesiæ, quando quidẽ nullum sacrificiũ erat sine sale, ut mysteria Christi domini rite percipiamus.

Nomen Christi.

24 Septem diebus facies hircũ pro peccato quotidie: & uitulũ de armẽto, & arietẽ de pecoribus immaculatos offerent.

25 Septem diebus expiabũt altare, & mundabunt illud: & implebunt manus suas.

26 Expletis aũt (septem) diebus, in die octaua & ultra facient sacerdotes super altare holocausta uestra, & quæ pro pace offerũt: & placatus ero uobis, ait dominus deus.

Septem dies initiationi tribuuntur, qui numerus sacerrimus est, requiei & perfectionis symbolum. Vnde intelligi datur, altare hoc dedicatũ omni tẽpore cõuersationis inter homines, quæ plena est omni genere malorum, usq; ad illud punctũ temporis, quo dixit: Cõsummatum est, & caro mea requieset in spe. Præterea diximus ad plenũ esse hoc sacrificiũ peractum, ut iam ab octaua die, quæ est resurrectionis, & deinceps omnibus seculis in ecclesia dei offerantur sup isto placabili altari laudes, hymni, uota, preces, opera pietatis & misericordiæ, & holocausta integre cremata, corpore, anima, spiritu, quæ ignis geminæ charitatis erga deũ & proximũ cõsumat. Quæ omnia patri acceptissima sunt per filiũ, de quo dicit: Hic est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea. Itẽ proposuit in Christo omnia sibi reconciliare, id est, ad originẽ pristinæ necessitudinis inter deum & homines cuncta reducere. Ideo dicit uerbũ dñi & isto loco, sic in altari proposito & initiato suas oblationes offerentibus, præsens ero atq; propitius.

Sacrificiũ plenum.

1 ¶ CAPVT XLIIII.

2 TCõuertit me ad uiã portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad orientẽ: & erat clausa. Et dixit dominus ad me, Porta hæc clausa erit: non aperietur, & uir nõ transiet per eam: quoniam dñs deus Israel ingressus est per eã, eritq; clausa principi.

3 Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panẽ corã dño: per uiam portæ uestibuli ingredietur: & per uiam eius egredietur.

Posteaquam altare ipsiusq; dedicationẽ absolutè descripsit, iam quo ritu & legitimis institutis cultus diuinus administrari debeat circa illud altare docet. Ac primum de saluatore loquitur, qui primatũ iure optimo in omnibus tenet, summus pontifex & rex ecclesiæ suæ. Huic refertur aperiri honoris causa porta, quæ nulli præterea pateat quàm deo Israel & principi, hoc est, Meßiæ, cui dedit pater possessionẽ terminos terræ, psalmo 2. Si autẽ nulli hoc ostiũ patet quàm dño deo Israel, & huic principi etiã panditur, cõsentaneũ est et ipsum esse dominũ, æqualẽ patri deo Israelis. Fores intelliguntur palatij, in quo sedes est maiestatis diuinæ. Christus enim aperuit iter ad cognitionem dei, ac perfruitionem æternæ beatitudinis. Nam post lapsum primorum parentum clausa erãt cœli palatia, & paradisi amœnitas præclusa impenetrabilibus custodijs, nec cõcessum fuit cuiquam mortaliũ atriæ cœlestis regiã accedere, donec ueniret cui repositũ erat, saluator, prosperitas & expectatio gentium cunctarum. Christus hic recapitulauit omnia, & moriens in ligno damna ligni sustulit, ac soli ferratos postes reserans, uiam in patriam cœlestem aperuit, muniuitq; planißimã, latroni dicẽs: Hodie mecum eris in paradiso. Cognitio quoq; dei ante aduentũ Christi pertenuis fuit, & maximè diuini haud ita liquido perspexerunt negotia saluatoris, ut postea sunt cognita etiam à non optimis hominibus, qui modo lectores sunt ac auditores attenti historiæ euãgelicæ. Proin filius dei mundũ ingrediens, per uterum uirginalem conceptu sacri flaminis, quæ uia nulli nec ante nec post calcata est, tum docendo, tum agendo nubilũ Mosaicæ legis ceu sol clarißimus discußit, umbras fugauit, figuras exposuit, quæ expectabãtur sub obscura spe affatim præstitit, & quasi genus mortaliũ in rem præsentẽ duxit, ut nihil amplius hæsitẽt aut requirãt quàm exhibitũ à patre filiũ, in quo resplẽdet gloria patris, in quo habitat omnis plenitudo & diuitiæ, sapiẽtiæ atq; diuinitatis. Is ergo quando dixit in cruce moriens, Consummatũ est, uelum templi scißum est, & arcana ueteris legis patuerũt, atque liber accessus mortaliũ generi permißus est ad soliũ supernæ diuinitatis. De hac re multus est sermo in eloquio sacro, quod nemo ueniat ad patrẽ nisi per filium. Dicitur autem ibi sedere ad comedendũ panem. Posuit enim dominus mensam suam in cõspectu patris, in qua cõuiuas admittit quoscunq; uisum est. Hanc enim prærogatiuam obtinuit, ut nemine prohibente pro suo arbitrio recipiat in æternæ felicitatis consortiũ, qui syncero affectu ad istas inæstimabiles epulas suspirant.

Christus pontifex summus.

Recapitulata omnia in Christo.

Mensa domini.

4 Et adduxit me per uiam portæ aquilonis in cõspectu domus: & uidi, & ecce impleuit gloria domini domum domini: & cecidi in faciem meam.

Deinde ostenditur quales ministros deus in sua domo, quæ est ecclesia, requirat, qualésue auersetur. Qui lo-

cus pertinet ad omnes in genere filios ecclesiæ, qui sacerdotes simul sunt, ut Isaias dicit, & post ipsum Petrus apostolus, conditiones bonorum sacerdotum in se habere debent omnes, ut possint offerre ac sacra domini obire. Præcipuè tamen obseruanda est hæc scriptura presbyteris & episcopis in gradu ecclesiastico constitutis, quibus rebus studere debeant, à quibus oportet alienissimos esse, quales denique sint ordinandi ministri ecclesiarum aut repellendi, quæ res in scripturis sacris dilucide præscripta est, potissimũ in literis apostolicis ad Timoth. & Titũ. Multa quoq; in pontificijs sanctionibus tradũtur impedimẽta sacerdotalis dignitatis. Sed nec curata sunt diuina, nec obseruatæ humanæ constitutiones in deligendis episcopis ecclesiarum, uniusq; habita ratio emolumenti: quod in perniciem certissimam populi tetendit, & adhuc maxima detrimenta inuehet, ubicunq; in ministerijs sacris conferendis dominabitur priuata ratio. Audiendum est igitur consilium, adeoq; præceptum dei, si uolumus religionem esse saluam & incolumem. Repellit domini sententia omnes alienigenas quocunque pacto, & incircuncisos tum corde tum carne, quiq; publicæ defectionis à deo fuerint assensores, ut Leuitæ quoque si ambitũ munus honorificẽtius, puta offerendi panem propositionis, similam, adipem, sanguinem, non admittantur, sed reijciantur ad infima sordidissimaq; ministeria, quæ seruis fœminis peregrinisq; possũt miungi, uelut pauimentũ uerrere, abluere uictimas, lauare uestes, iugulare pecudes, deportare alueum uictimæ, atque similia: tales etiam indigni sunt magistratu ecclesiastico. Alienigenæ sunt omnes qui degenerant à patre cœlesti, qui religioni syncerę aduersantur, aut certè nõ fauent ex animo, qui peregrinis sacris delectantur. A domino aberrasse dici possunt, qui tempore persecutionis negarunt ueritatẽ, aut in errore publico plausibile dogma hæreseos amplexati sunt. Horũ nemo dignus cathedra ecclesiastica, nisi pœnituerit satisq; fecerit, ut liquido appareat ex omni cõuersatione ob admissa peccata eum dolere, ac in meliorem partem plane mutatũ esse. Porrò incircũcisi corde sunt, qui malis affectionibus obsequuntur, superbi, auari, iracundi, uacui fide, uacui amore sancto, imprudentes, stolidi, & quæcunq; sunt id genus excrementa male cõstitutæ mentis. Carne incircũcisi sunt, qui auribus turpia expetũt, indociles, asperi monẽtibus meliora, qui labijs obscœna uel ad gratiam composita loquuntur, non pollentes exhortari sana doctrina, nec qui resistent ueritati ualentes redarguere, qui oculorum olfactus tactusq; sensum ad omnes illecebras extendunt, & carnis desideria explere usque conantur. Hi omnes non debent sacris muneribus decorari, & si per stultitiam quorundã uel per malas artes ad fastigium ecclesiasticum peruenerunt, in numerum debent redigi laicorum, ut minima tantum obire possint munia, quæ uulgò etiam possunt cõmitti, & quibuslibet citra detrimentum & offensam religionis. Minimè uerò gentium eis credi cõuenit authoritas concionandi, sacramentaq; corporis & sanguinis domini administrandi, ac per baptismum initiandi: & in

Studia episcoporum.

Alienigenæ repellũtur.

Aberrare à domino.

Incircũcisi dupliciter.

summa, gubernacula ecclesiarum dei non tuto illis committuntur, quibus oraculũ sacrũ iunctione diuina interdixit: nec sperare licet meliorem faciem status Christiani, quoad reditio fiat ad has leges olim per spiritum sanctum præscriptas instituendæ ecclesiæ, in qua hodie si amputari debeãt cultro diuini uerbi omnia superflua & resecanda, uerendum est in plerisq; prælatis uix resmansuram portiunculam minimam οὐδὲ μὴ χοῖρ ὑγιᾶς. Huic disertationi quando fœcunda est salutaris monitis, præmittitur proœmiolum, ut attentioribus animis omnia recipiamur. Habet autem litera quomodo abduxerit angelus prophetam à porta templi paululum uersus aquilonem, ibiq; uidit gloriam domini templum impleuisse, quod sæpe dicitur, ut intelligamus longè ampliorem gloriã in ecclesia esse quàm in synagoga. Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis, & uidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre. In Christo habitat omnis plenitudo sapientiæ & diuinitatis, qui habitans inter homines energiam diuinam declarauit, manens etiam sua uirtute in ecclesia usque ad consummationem seculi.

5 Et dixit ad me dñs, Fili hominis, pone cor tuũ, & uide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia quæ ego loquor ad te de uniuersis ceremonijs domus dñi, & de cũctis legibus eius: & pones cor tuũ ad introitũ templi, per omnes exitus sanctuarij.

Animus primũ aduertẽdus est, ita enim demum sensus habiles sunt ad percipiẽda cœlestia. Iubetur autẽ oculis lustrare ac auribus interpretationẽ accipere, quũ cuncta recondũt arcanos sensus, & magna sacramẽta reuelata diuinarum. Dominus autẽ loquitur tam, non angelus, ut omnia maioris sint ponderis & authoritatis.

6 Et dices ad exasperantẽ me domũ Israel, Hæc dicit dominus deus, Sufficiant uobis omnia scelera uestra domus Israel:

7 eò quòd inducitis filios alienos incircũcisos corde & incircũcisos carne, ut sint in sanctuario meo, & polluãt domũ meã: & offertis panes meos, adipem & sanguinẽ, & dissoluitis pactum meum in omnibus abominationibus uestris.

8 Et nõ seruastis præcepta sanctuarij mei: & posuistis custodes obseruationũ mearũ in sanctuario meo uobismetipsis.

9 Hæc dicit dñs deus, Omnis alienigena incircuncisus corde & incircũcisus carne non ingredietur sanctuariũ meũ, omnis filius alienus qui est in medio filiorũ Israel.

10 Sed & Leuitæ qui lõgè recesserũt à me post errore filiorũ Israel, & errauerũt à me post idola sua, & portauerũt iniquitatẽ suam:

11 erunt in sanctuario meo ædituí, & ianitores portarũ domus, & ministri domus: ipsi mactabũt holocausta, & uictimas populi: & ipsi stabunt in conspectu eorum, pro ut ministrent eis.

12 Pro eo quod miniſtrauerunt illis in conſpectu idolorũ ſuorũ, & facti ſunt domui Iſraël in offendiculum iniquitatis: idcirco leuaui manum meam ſuper eos, ait dominus deus, & portauerũt iniquitatẽ ſuam.

13 Et non appropinquabũt ad me, ut ſacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne ſanctuarium meum iuxta ſancta ſanctorum: ſed portabunt confuſionẽ ſuam, & abominationes ſuas quas fecerunt.

14 Et dabo eos ianitores domus in oi miniſterio eius, & in uniuerſis quæ fient in ea.

Reſtituens ad Iſraelẽ.

Domus exaſperans appellatio eſt Iudæorum, qua ſuprauſus eſt ſæpiſſime. Et hic commode inſeruntur uerba conſolatoria, reſtituendum ſcilicet Iſraelem cum religione: ac monitoria uerba, ne in poſterum cõmittant fla gitia, ob quæ irritatus iam dominus patrio ſolo eiecerit. Hoc autem grauiter crimen impingitur, quod indignos ad ſacerdotalem dignitatẽ admiſerint. Et eſt ordo ſermonis: Contenti eſtote ita grauiter peccaſſe ante captiuitatem, introducendo alienigenas in ædem ſacram, poſthac nullus quoquo pacto exterus ingrediatur ad me, etiam ſi Leuita quiſpiã id muneris ambiat: eſt enim ad uiliſſima redigẽdus miniſteria, de qbus iam diximus.

15 ¶Sacerdotes autem Leuitæ filij Sadoch, q cuſtodierũt ceremonias ſanctuarij mei, cum errarent filij Iſraël à me: ipſi accedent ad me, ut miniſtrent mihi: & ſtabũt in conſpectu meo, ut offerant mihi adipẽ & ſanguinem, ait dominus deus.

16 Ipſi ingredientur ſanctuarium meum, & ipſi accedent ad menſam meam, ut miniſtrent mihi, et cuſtodiãt ceremonias meas.

Miniſteri probati.

Iam uidendum eſt, quos probet miniſtros oraculum ſacrum, nimirum ex contrario qui ſint nati ex deo, qui ſapiunt cœleſtia, qui ueræ pietati faueant ex animo, qui ſint corde atq; carne circũciſi, nihil in ſe habẽtes quod corrumpere queat pietatis legitimã adminiſtrationem. In primis uerò, qui tempore perſecutionis aut erroris plauſibilis apud multitudinem, non declinauerũt uel ad dextram uel ad ſiniſtram, ſed firma fide ac ſtabili propoſito in religionis unicæ ac germanæ profeſſione perſteterunt. Iſti filij Zadoc, qui tales ſemper fuerunt, aut ſi quid peccarunt id penitus emendarunt, maiora debent obire munia. Quibus & huiuſmodi leges uiuendi & agendi præſcribuntur, quæ & à Moſe traduntur, præcipuæ capite 21. & ſequentibus, Leuitici. Non uero ignoramus legem eſſe ſpiritualem, & quæ in cortice literæ continẽtur, umbram eſſe futurorum, Chriſto corpus ex hibente. Verum iſta ſpiritualis ſententia legis non eſt, quæ nihil ſonet πρὸς ἕτερος, longiſſimeque recedat à uerbis: ſed mens dei ac ſana ratio, quæ ſubeſt uerborum inuolucro ad inſtitutionẽ uitæ pertinens, eam inquirentes breuiter delibabimus omnia. Plenior autẽ tractatio cum theologorũ perquiſitione, rectius pertinet ad ſcripturam Moſis interpretandam.

Lex ſpiritualis.

17 Cumq; ingredientur portas atrij interioris, ueſtibus lineis induẽtur: nec aſcẽdet ſuper eos quicquã laneũ, quãdo miniſtrant in portis atrij interioris & intrinſecus.

18 Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, & fœminalia linea erunt in lumbis eorum, et non accingentur in ſudore.

19 Cumq; egredientur atriũ exterius ad populum, exuent ſe ueſtimentis ſuis in quibus miniſtrauerant, & reponent ea in gazophylacio ſanctuarij, & ueſtient ſe ueſtimentis alijs: & non ſanctificabunt populum in ueſtibus ſuis.

Veſtes ſacerdotales.

Quomodo uerſari debeant in ſcripturarum tractatione ac cœleſtium meditatione primo loco docet. Nempe cum adyta ſubeunt diuinitatis, ut non gerant ueſtes ex uellere ouillo, quæ eſt ſtolidiſſima animantium: quo ſignificatur non ſtupidam mentẽ, nec brutales ſenſus adferendos, uerum tenuiorem lini ueſtitum. Linea etiam frontalia in capitibus, ingentem numinis reuerentiã habendam admonẽt, ut nos oraculis diuinis ſubmittamus, et regendos præbeamus, quemadmodũ fœmina eſſe marito ſubdita per uelamen admonetur. Fœminalia ſeu ſub ligacula docent affectus coẽrcendos, ut non pro libidine torqueãtur eloquia diuina. Veſtibus non debent eſſe laxis, quibus ſinus percipiendi indicantur: nec tamen uiolenter ſtrictis, nempe ut non ſint etiam uanis religionibus uel potius ſuperſtitionibus addicti, enggebri ſenCæterũ quãdo prodeunt in cœtũ alius cõuenit habitus, tunc enim uultus, geſtus, habitus, ſermoq; auditoribus eſt accõmodandus. Sunt enim quædam uulgaris perquiſitionis, quædam ſpectant duntaxat ad perfectiores, ut Paulus dicit: Sapientiam loquor inter perfectos. Non eſt autem coram ſimplicioribus, qui adhuc lacte indigẽt, de ſublimioribus ſubtiliter diſputandũ, ne indignis aut certe parum idoneis myſteria eloquiorũ dei proijciantur.

20 Caput autem ſuum non radent, neq; comam nutrient: ſed tondentes attondent capita ſua.

Cultus corporis.

De cultu corporis dicit quòd modũ tenebunt, ne ſint ſordidi neq; luxurioſi, non ruſticã hypocriſim affectantes, nec unguenta olentes & exquiſitiorem curã gerentes corporis. Raſi ſunt idolorum ſacerdotes, raſi monachi, qui habitus eſt religioſorũ, de quibus Paulus Col. 3. Demittere uero cæſariem, & auro gemmiſq; intexere, luxurioſum eſt. Mediocritas dictat ad iuſtam mẽſuram tondere pilos, ſic balneis moderate utentur, ſic alijs ad corporis cultum pertinentibus.

21 Et uinũ non bibet omnis ſacerdos, quando ingreſſurus eſt atrium interius.

In potu modum ſeruabunt, ut etiam abſtineant quum uolent altius ſcrutari arcana diuinarum rerum, ne mens oppreſſa uino, uel cibis grauata, ſit minus habilis arduis contemplationibus.

22 Et uiduam & repudiatam non accipient uxores, ſed uirgines de ſemine domus Iſraël: ſed & uiduã quæ fuerit uidua à ſacerdote accipient.

Connubiũ sacerdotũ.

De connubio sacerdotum diligenter etiam cauit eloquium diuinũ, quod multum in ea re situm sit utranq; partem. Sicut enim mulier pia decus est uiri sui, teste Salomone, sic impudicæ infamiam sæpe conciliarunt uiris alioqui præclaris. Ingenium quoque mulieris plurimum pollet quomodo uir sit ingeniatus. Vetat igitur ducere isto loco uiduam, asuetam uidelicet alteri uiro & repudiatam, quæ uel ob mores intolerandos reiecta est, uel si ob uiri morosum ingenium sit quidem repudiata, non deerunt tamen hominum clancularij sermones, suspiciones uituperationesq;, ut persona ministri labẽ inde contrahat, et functio nõnihil eleuetur. Certe minime tutum est eiusce modi ducere. Scorta hic non nominantur, sed facile ex uerbis positis excluduntur. Virgo ducenda ostenditur, quæ institutione formari potest aptissime: aut sacerdotis relicta uidua, prioris uiri magisterio bene instituta. Profecto illud docetur circunspiciendũ esse quaquauersum, & probatam uxorem esse ducendam ministro dei, de qua re Paulus luculenter disserit.

23 Et populum meum docebunt quid sit inter sanctum & pollutũ: & inter mundum & immundum ostendent eis.

Doctrina sacerdotũ.

Hoc præcipuum est officium, ut doceant plebeculam quid distent sacra prophanis, quid licitum aut illicitum, quid fas aut nefas, quid uirtus quid uitium, quid concessum à deo, quid uetitum, & omnino quæ sit bona uoluntas domini in utranque partem. Nihil de rasura, nihil de cœlibatu fœdissimo, nihil de cantionibus mercenarijs præcipitur.

24 Et cum fuerit controuersia, stabunt in iudicijs meis, & iudicabũt leges meas, & præcepta mea in omnibus solẽnitatibus meis custodiẽt, & sabbatha mea sanctificabunt.

Opportunitas obseruanda.

Componere debent controuersias, non iudicantes ex affectu, nõ ex respectu personæ, non iuxta hominũ constitutiunculas, sed ad normam diuinarũ legum. Nec uult ut committant in legem sanctam à Paulo promulgatam temporibus Euangelij: ne obseruentur dies, nouilunia, tempora & anni: ne Christiani iudicentur in cibo & potu, aut parte diei festi, quæ umbra futurorum fuerint. Est tamen opportunitas quædam obseruanda in religione administranda, ut licet omni tempore iustum sit cogitare & agere diuinas res, quia tamen illud nostra imbecillitas non fert, certis temporibus quædam partes præstantes & eximij emolumenti diligẽtius pertractentur. Quæ feriarum solennitas, & sabbathi religio Deo placet, & hominibus necessaria est. Illius ergo rationẽ habebit diligentem Christi minister, ut consilium sumatur ex gloria dei, & hominum salute promouenda.

25 Et ad mortuum hominem non ingredietur, ne polluatur: nisi ad patrẽ & matrem, & filium & filiam, & fratrem & sororem, quę alterum uirum non habuit: in quibus contaminabuntur.

26 Et postquam fuerit emundatus, septem dies numerabuntur ei.

27 Et in die introitus sui in sanctuarium ad atriũ interius ut ministret mihi in sanctuario, offeret pro peccato suo, ait dñs deus.

Difficilis intellectus est, quos mortuos uitare debeat Ministeriales. minister ecclesiæ. Fortasse intelligendi erunt, quos saluator dicit sepeliendos à mortuis, ut præcipiatur sacerdotem alienum esse debere à conuersatione malorũ, quicarentes fide, uacui Christo, nõ habent in se illã uitam, nec potest ab ipsis sperari melior fruges. Ad parentes tantum & filios et cognatos permittitur accedere, non sine contagione tamen, quæ sit expianda. Quapropter licet ius propinquitatis permittat consuetudinem cum illis mortuis, ut cum eis cõuersentur, noxam tamen adcunt, quæ uenialis et quotidiana cẽseri potest, quæ precibus et supplicatione ardenti expiari debet, præsertim quando numinis oraculum ingrediuntur, ut nihil macularæ contractæ secũ reportent, unde septem dies post purgationem etiam tribuuntur.

28 Erit autẽ eis hęreditas, ego hæreditas eorum: & possessionem non dabitis eis in Israël, ego enim possessio eorum.

29 Victimam & pro peccato & pro delicto ipsi comedẽt: & omne (anathema) uotum in Israël, ipsorum erit.

30 Et primitiua oĩm primogenitorum, & omnia libamẽta ex omnibus quæ offerun tur sacerdotum erunt: & primitiua cibo rum uestrorum dabitis sacerdoti, ut repo nat benedictionem domui suæ.

Quum uero ministerijs sacris addicti, nõ possint subsidium uitæ sustentandæ parare prophanis commercijs, nec se debeant etiam negotijs huius sæculi miscere qui militant Christo: de hoc etiam dicitur: nempe quod temporarum rerum occupationibus non debeant abstrahi à cura cœlestiũ, sed uiuere ex liberalitate populi, ut quæ domino deo reddantur pro acceptis beneficijs, ministris dei alendis cædant. Referuntur autem species, in quibus olim consistebãt redditus sacerdotum. Cæteruum istis manentibus, uel pro locorum & temporum conditione mutatis, firmum semper stat ac immotum, ut qui seruiunt altari, uiuant de altari: qui ministrant euangelio, uiuant de euangelio.

31 Omne morticinum, & captum à bestia de auibus & de pecoribus, non comedent sacerdotes.

Hoc unum est ex quatuor illis quæ obseruanda Christianis decreuit concilium Hierosolymitanum, Act. 15. post mota controuersia de obseruatione legis. Sensus uidetur esse, ut nõ uiuant ministri dei ex rapto, non ex oppressione pauperum, non sanguine ac sudore inopum ac innocentium interitu. Atq; istis paucis regulis fere omprehendit Ezechiel institutum Christianæ politiæ, in quæ ceu capita & loculos colligere quis possit, quæcunque de ratione uiuendi magistris ecclesiarum in sacris uoluminibus præscribuntur, quod opus ad grandem modum excresceret, & hic singula degustasse sat fuerit.

¶ CAP.

1 ¶ CAPVT XLV.

Vmq; cœperitis terrã diuidere sortito, separate primitias dño sanctificatũ de terra lõgitudine uigintiquinq; millia, & latitudine decem millia: sanctificatũ erit in omni termino eius per circumitum.

2 Erit ex hoc ad sanctificatũ quingẽta, per quingẽta, quadrifariã per circumitum: & quinquaginta cubitis in suburbana eius per gyrum.

3 Et à mensura ista mensurabis longitudinem uigintiquinq; milliũ, & latitudinem decem millium, & in ipso erit templũ, sanctum sanctorum.

4 Sanctificatum de terra erit sacerdotibus ministris sanctuarij, qui accedunt ad ministeriũ domini: & erit eis locus in domos, & in sanctuarium sanctitatis.

Distributio terræ.

Iam deinceps terræ promissæ sortitionẽ describit, interiectis tamen & alijs pertinentibus adhuc ad templi negotia. Et planè alia terræ distributio hic constituitur, quàm sit apud Iosue, quemadmodũ & mutatus ceremoniarum ordo introducitur. Nam longitudo hic ab occasu in ortũ accipitur, latitudo ab aquilone in meridiem: aliter collocantur tribus quàm ante, quæ omnia per picturam demonstrari felicius possunt, quàm uerbis tractari, sicut & tota machina templi restituendi: in medio terræ locus sanctus deligitur, cum quo principis iungitur portio. Tribuũ portiones hic æquales sunt, & aduenis omnibus decernitur etiam sua portio. Porrò locus consecratus ab occasu & ortu habet principis possessionem cõtiguam. Ipsum spatium uigintiquinq; millium calamorum æquis lateribus extentũ, quintam duntaxat partem promiscuæ turbæ concedit, duplum Leuitis & sacerdotibus, id est, duas quintas latitudinis, in quorum sorte templũ cõstituitur. Quæ omnia ecclesiæ nimirum sacramenta recondunt, quæ in fine libri, si dominus gratiam dederit, indagabimus. Iam terræ duntaxat partiborũ eruatur multũ habet difficultatis, multò plus autẽ ut nucleus diuinæ sententiæ percipiatur. Terram Israel

Plagæ terræ Israelis.

in capite 47. à quatuor plagis certis circunscribit terminis, facto initio ab aquilone, Damasco, Hemath &c. Ab ortu Galaad, Damasco, Iordane, mari Genasar &c. Ab austro aquis contradictionis Cades usque ad mare nei cõcluditur ab occasu. Quæ loca cum sua quantitate magnum. Inde usque ad Hemath linea maris mediterra infra diligentius indagabimus. Tota iam terra primo distribuitur in tres portiones, quarum ad aquilonẽ prima complectitur sortes septem tribuum. Deinde ab occasu

Calamus. Cubitus.

ad ortũ spatiũ est uigintiquinq; milliũ calamorũ latum, id est, duodecim fermè Germanicorũ milliarium. Calamus enim habet sex cubita. Cubitus sesquipedem: quini pedes autẽ passum reddunt, & passus mille quartam miliaris Germanici partem. Deinde portio ad austrum sortes quinq; tribuum continet. Medium spatium æquandum est, ut ab occasu & ortu tantũ separetur principi, quo longitudo sit eadem cum latitudine uigintiquinq; millium calamorum. Hoc spatium designatum ubi Ierusalem uolunt, sed falso: nam in tres sectiones iterum discerpitur, quarũ minima urbi tribuitur, sicut paulò inferius ostendetur. Portio principis se in ortum & occasum à sanctificato loco protẽdit ad extremos fines terræ Israel, quantum portiones tribuum utrinque. Locus dedicatus rebus diuinis rursum in tres partes distribuitur, ut latitudo decem millium calamorũ ad aquilonem sacerdotibus cedat, in quo spatio medio itcrum separandi quingeni calami pro templi pomerio, & in umbilico illius templum spatio quinquaginta cubitorum relicto, quod uacet ædificijs & omnibus impedimentis. Inde decem millia calamorum Leuitis dantur. Postremò ad meridiem dedicati loci quinq; millia calamorũ prophanæ multitudini assignantur. Portiones tribuũ quàm latæ sint non exprimitur, sed æstimandæ erunt ex comprehensæ totius terræ magnitudine, ut secluſis in meditullio uigintiquinq; millibus calamorum, reliquum in duodecim portiones æqualis latitudinis, ab aquilone in austrum distribuatur. (Figura istius descriptionis talis in præsenti accipiatur loco.)

5 Vigintiquinq; autẽ millia longitudinis & decem millia latitudinis erunt Leuitis qui ministrant domui: ipsi possidebunt uiginti gazophylacia.

6 Et possessionem ciuitatis dabitis quinq; millia latitudinis, & longitudinis uigintiquinq; millia, secundum separationẽ sanctuarij omni domui Israel.

Gazophylacia.

Vigintigazophylacia, uel quod in confinio sacerdotum positi tantam habeant templi partem, ut uiginti gazophylacia exterioris atrij sita sint in ipsorum sorte, uel quod probabilius est quod in ministerio tẽpli uiginti gazophylacia pertineant ad ipsorũ curam. Porrò uidetur hic à propheta doceri obseruandam esse in ecclesia isonomiam & æquabilitatẽ, atque deliniari status optimus politiæ sacræ, ut nec inferiores negent debita maioribus, nec maiores nimiũ degrauent plebem, neq; suum officium negligãt, sed inter subditos etiam uiolentiam coërceant, atque iustam pacem tueantur. Suprà dictum est ministros sublcuandos ex populi liberalitate, quod animo recto factum oportet, si modo uolent uiri boni esse, atque benedictionis diuinæ fieri participes.

7 Principi quoq; hinc & inde, in separationem sanctuarij, & in possessionẽ ciuitatis, contra faciem separationis sanctuarij, & contra faciem possessionis urbis: à latere maris usque ad mare, & à latere orientis usque ad orientẽ: longitudinẽ autẽ iuxta unamquanq; partem à termino occidentali usq; ad terminum orientalem.

8 De terra erit ei possessio in Israel: & non depopulabũtur ultrà principes populum meũ: sed terrã dabunt domui Israel secundum tribus eorum.

9 ¶ Hæc dicit dominus deus, Sufficiat uobis principes Israel: iniquitatē & rapinas intermittite, & iudicium & iustitiam facite, separate confinia uestra à populo meo, ait dominus deus.

Principis locus. Iam principi locus etiam assignatur & possessio tributur, qua cōtētus uiuat, nec maioribus æquo tributis, uectigalibus, decimis, exactionibus, & si qui sunt alij tituli iuris principalis, populū degrauet, nō lædat ipsorū famā, capita, fortunas, nō deijciat possessionibus præter fas & ius, ut olim fecit Achab. Quin ipsos esse debere docet administros æqtatis et iustitiæ, & suū cuiq; interciues istius amplissimæ et sanctissimæ urbis distribuere.

10 Statera iusta, & ephi iustum, & batus iustus erit uobis.

11 Ephi & batus æqualia, & unius mēsuræ erūt: ut capiat decimā partē cori batus, & decimam partē cori ephi: iuxta mensuram cori erit æqua libratio eorum.

12 Siclus autē uiginti obolos habet. Porrò uiginti ficli, & uigintiquinq; ficli, & quindecim ficli: mnam faciunt uobis.

13 Hæ sunt primitiæ quas tolletis: sextam partem ephi de coro frumenti, & sextam partem ephi de coro hordei.

14 Mensura quoque olei, batus olei, decima pars cori est: & decem bati corum faciunt: quia decem bati implent corum.

15 Et arietem unum de grege ducentorum de his quæ nutriunt Israel in sacrificiū, & in holocaustum, & in pacifica: ad expiandum pro eis, ait dominus deus.

Diligenter præcipitur, ut rationē habeant ponderum & mensurarum, in quibus transiguntur hominū commercia præcipuè, in illisq; sunt maximæ fraudes & iniustitiæ. Proinde iubētur ad rectum modum cuncta redigere. Mensuras istas breuiter his nostris uocabulis designabo, nam deo uitam concedente, proprium libellum de his componam: est enim ea res obscura, cæterū ualde necessaria diuinis scripturis intelligendis. Et satis indicat uel iste locus, quantum conferant diuinis scripturis omnes artes humanæ, Geometria, Arithmetica, Architectura, ponderum & mensurarum cognitio &c. Epha & bathum ait æquandū esse, ut sit liquidæ speciei mensura eadem, & utraq; mensura sit decima pars Homer, quæ ualet triginta quadrātalia nostra, d: ussig fierteil. Vt bathus habeat tria quartalia, ita & epha. Siclus ualet quatuor drachmis, id est, floreno dimidio. Mna iusta habet sexaginta siclos, ualens triginta florenis. Eam diuidit in partes tris: quasi diceret, Quū uos habeatis triplicem libram, in qua re multæ latent fallaciæ, ut ematur pro libra, & deinde lis moueatur ob libræ diuersitatem. Hæc omnia iungite ut expleatur iusta libra. Corum habet proportionē ad homer, quæ est sex ad decē. Nam qui de homer confert sextam bathi, aut de coro decimā bathi, tantundem offert. Cæterum postquam magistratibus sæcularibus officium suum ostendit ab exemplo principis ecclesiæ: nunc sacerdotibus etiam terminum statuit ad coërcendā cupiditatem. Quum autē princeps ecclesiæ Christus sit, iuxta tropologiam uel catagogen deflexit ad magistratus erudiendos, quandoquidē Christus exemplum est omniū priuatorū & magistratuum, tam sæcularium rerum quàm spiritualiū. Illis ostendit etiā ne pudeat neu pigeat religionis curam gerere, siquidem ipsorum possessio loco sanctificato coniuncta est, & Christus nō tam rex quàm summus sacerdos indicatur. Ante sanctificatum locum utrinque sita principis possessio docet eum pro statu ecclesiastico debere ponere omnes facultates suas. Sacerdotibus etiam præcipitur, ut modum teneant in percipienda liberalitate populi. Sexagesimas aridæ & liquentis materiæ possint accipere, & ducentesimum caput gregis, qua ratione plebecula non grauatur. Hæc licet futurorum in ecclesia fructibus spiritualibus figuræ sint, & diuersos professus uirtutum possint significare, admonent tamen æquitatis etiā. Opus est omnino, ut ecclesiæ ministri subleuentur ex populi munificentia, & bene atque prudenter à maioribus institutū est, ut decimæ referrentur in ærarium ecclesiasticum, qua pensitatione nemo grauatur, imò exigua est, si populi Iudaici tributa sacra expendamus, aut gentium cōsuetudines, quæ quintas etiam reddebant, pleræq; uero decumas Herculi dedicabant. His adiectū est à pijs hominibus munifice, ut coëmptæ sint possessiones iusto contractu, & confectis tabulis super istis: quæ iure Ciuili citra furti crimen negari non possunt, & præcepto domini, ut uerbū nostrum sit, est est, non non. Illis commodè sustentari possunt ministri ecclesiæ, & pauperum inopia subleuari, si rite dispensentur incumbentibus in hoc magistratibus etiam summa fide. Sacerdotes uerò moderatos se gerant, mumores uerbi Pauli, Si habeamus uictum & uestitum, his simus contēti. Vltra id si fors ferat, ut exigatur aliquid à populo, uelut subsidiū in pauperes, aut in alium usum ecclesiæ, mediocritas est tenenda & æquitas, ne alius abundet, alius indigeat. Hæc regula minimè seruata est inter ecclesiasticos nomine, quum Papa, Episcopi, Abbates, Cardinales, nonicorum & Nonnarum collegia rapuerūt, quæ spectabant ad usum ecclesiasticorū præsidū & pauperis turbæ, quibus non uacat, nec licet suis manibus uictum parare. Id uerò cum turpissimè prodigerent, res adeo plebeculam deuoluta est, ut nihilominus presbyterū sustineret, & excogitatæ sunt uariæ technæ ad deglubandū populum, uel potius arrodendum, missarum & oblationum & indulgentiarum nundinationes, exequiæ, trigesimi, septimi, anniuersarij, noualia, confessionalia: & quis enumeret omnes species exactionum? Atque istis grauissimè peccant, & grauioribus sunt digni pœnis, quàm Ananias atque Saphira, Actorū quinto, qui fraudem in suis facultatibus adhibentes contra ecclesiam, subita morte tum sunt extincti.

Libellus de ponderibus & mēsuris.

16 Omnis populus terræ tenebitur primitijs his principi in Israel.

17 Et super principem erunt holocausta, & sacrificium, & libamina in solēnitatibus, &

& in calendis, & in sabbathis, & in uniuersis solẽnitatibus domꝰ Israël: ipse faciet pro peccato sacrificium, & holocaustum, & pacificas: ad expiandum pro domo Israël.

Collectæ ecclesiasticæ.

Vniuersus populus obstrictus est ad hæc spontanea seu primitiuorum munera, ut deponat apud principem. Debent enim omnes fideles Christi conferre pro statu ecclesiæ conseruando, quæcunq; possunt, consilium, operam, opes, sapientiam, literaturam, robur corporis, & cætera quæ à domino accepimus. Et ea Christo commendari debent, qui dispenset: sic enim demum recte administrabuntur: ipse preces & alia nostra donaria patri opportune offerat, & pro tota etiam ecclesia dispenset uti liter. Sic in precibus ecclesiasticis super oblationibus, id est collationibus in pauperes & orationibus, additũ est, ut procurentur per Christum, quo grata sint. Possumus etiam interpretari pro principe, ut oremus pro gloria Christi amplianda, ut impẽdamus nostras facultates pro ueritate patefacienda, pro hominum salute, qui Christi sunt. Sic discipuli orantes, Act. 3. non orant ut ipsi eximantur periculis & persecutionibus, sed ut constanter possint agere apostoli in ueritate illustranda, & gloria Christi asserenda. Sed priori expositioni suffragatur id quod sequitur. Penes principem erunt, per ipsum procurabuntur holocausta, &c. Diuersitas oblationũ nascitur uel ex materia, quãdo cõferebatur aurum, argentũ, pecudes, lana, frumentum, frutices, oleũ, &c. Vel ex modo sacrificãdi, ut holocaustũ totum cremabatur igne sacro, alia nõ: itẽ erat thnupha, & thruma, &c. Vel ex causa. Nam erant alia pro ignorantia, alia pro expianda pollutione ac lustratione, alia pro acceptorũ beneficiorũ gratia, &c. Hæc significant diuersos fructus charismatum, quos princeps ordinabit ad idonea tempora, non sabbathi & nouilunij et huiusmodi, sed cõstituta pro cõmodo populi, & pro ueritate atq; cognitione dei quàm latissime spargenda. Istis autem expiabitur ecclesia, quando Christus illa cõuertit in utilitatem filiorũ ecclesiæ. Deberunt autẽ duæ feriæ principales, Paschatis & Tabernaculorum, ritu nonnihil uariante à ueteri consuetudine. Quum ergo Iudæi non negent, reædificato templo ad aduentũ Messiæ ista offerenda, cogentur fateri cerimonias Mosaicas esse mutabiles, nec ita præceptas à deo ut perpetuò seruarentur, sed magis spirituali sensu esse diiudicandas. Eorum usum rectum sequitur libertas ecclesiæ. Et Moses tradidit cultum, qui tempore isto seruaretur, figuram etiam præferens futurorum. Ezechiel autem, sicut & alij prophetarũ, differit quomodo post aduentum Christi cultus diuinus sit futurus lõge perfectior quàm typicus ille.

Oblationũ uel ex materia diuersitas.

Feriæ principales.

18 ¶Hæc dicit dñs deus, In primo mense, una mensis sumes uitulum de armẽto immaculatum: & expiabis sanctuarium.

19 Et tollet sacerdos de sanguine quod erit pro peccato: & ponet in postibus domus, & in quatuor angulis crepidinis (*areæ*) altaris, & in postibus portæ atrij interioris.

20 Et sic facies in septima mensis pro uno-

quoq; qui ignorauit, & errore deceptus est, & expiabitis pro domo.

21 In primo mense, quartadecima die mensis erit uobis paschæ solennitas: septem dies azyma comedetur.

22 Et faciet princeps in die illa pro se & pro uniuerso populo terræ uitulũ pro peccato.

23 Et in septem dierũ solennitate faciet holocaustum domino septem uitulos, & septem arietes immaculatos quotidie septem diebus: & pro peccato hircum caprarum quotidie.

24 Et sacrificiũ ephi per uitulũ, & ephi per arietem faciet: & olei hin per sigula ephi.

Paschales feriæ quomodo peragendæ.

Iam feriæ paschales quomodo peragendæ sint ostendit, quibus adduntur præcidaneæ & succidaneæ oblationes, quæ in lege Mosis nõ continentur: ut significetur quàm prolixe atq; large peccatum mundi saluator noster expiauerit, omnibus multo uberius peractis, quàm Mosis figuræ & patrũ portenta umbratilia prænuntiauerint. Septem dies primi mensis sunt præcidaneæ feriæ paschatis antequam agnus immoletur, tollens peccatum mundi, quibus sanctificatur ecclesiæ domus, ut nemo relinquatur in ea delicto alligatus. Quotquot enim Christum suscipiũt, eius sanguine sanctificantur, ut eis nulla sit damnatio. Superliminare ianuæ aspergitur sanguine, quum ingressus quoq; & imitatio in ecclesiam Christi sacratissima est per baptismi sacramentum. Crepidines quatuor altaris aspersione sanguinis consecrantur, quo indicatur omnem creaturã ex quatuor elementis merito Christi sanctificari. Eas ferias præcidaneas in septenario cõsistentes possumus intelligere totũ illud tempus quod saluator in carne humana degit super terras antequam moreretur. Et ualde pueriles atq; stultæ quæstiones sunt theologorũ, Vtrũ una gutta sanguinis Christi potuisset abluere peccata mundi, & utrum uoluntas moriendi sine opere sufficeret pro generis humani redemptione. Quis Christi cognitionẽ adeptus dubitet, singulas istas partes operum saluatoris, quòd deserto solio gloriæ suæ in terras descendit factus obediens patri, quòd circuncisus est, factusq; sub legem, ut qui sub lege erant redimeret, quòd tanta pertulit annis triginta, quòd se humiliauit sub crucis patibulum, tanti esse meriti corã patre, ut mundi peccata plenissime redemissent? Sed uoluit nobis testatissimam facere suam erga nos bonitatem, ut moreretur. Decimoquarto dein die mensis, ut typus agni paschalis præsignauit et historia Euangelij factũ testatur, princeps Christus obtulit seipsum pro se et pro omni populo terræ: non quod ipse peccatum fecerit, ut supra in altaris dedicatione dictũ est plenius, uerum Christus filius dei per omnia æqualis patri, carnẽ induit humanã, quæ peccato et pœnis fuit eatenus obnoxia, quòd nostræ causæ consortẽ se fecit. Vt ergo adsumptam carnem in cœlos reduceret, oportuit causam tollere, nempe peccatum totius mundi, propter quod ianua cœlestis atrij fuerat mortalibus præclusa. Et hæc ualde confirmant nostras mentes, Christum cumulatissime rependisse

Quæstiones Scholasticæ.

Conscientiarum confirmatio.

morte suâ nostra omnia scelera, & genus humanum patri reconciliasse. Postea comeduntur azymæ, placentæ synceritatis & ueritatis, de quibus loquitur Paulus Rom.5. Subduntur & succidaneæ hostiæ, quæ princeps conficit ex oblationibus populi fidelis.

25 Septimo mense, quintadecima die mẽsis in solennitate faciet sicut supra dicta sunt per septẽ dies: tam pro peccato, quàm pro holocausto, & in sacrificio, & in oleo.

Tabernaculorum festiuitas.

Mense septimo dies propitiationũ & tabernaculorũ festum eodem ritu peragendum ostenditur per omnia quo feriæ paschales celebratæ sunt. Id solenne populus fidelis peragit, si peccatorũ pœnitentiã ueram gerat, & fructus dignos pœnitentiæ proferat, non respiciens ad Aegyptum, sed extra mundum & illius inquinamenta, degens sub tugurijs temporarijs, semper memor non habere nos hic locum manentẽ, sed tendere ad promissam terram, ad patriã cœlestem, in qua æternam sedem demum figamus. Ciborum sacrificium & olei condimentum non sine significatione sacramenti sunt, quam ut suspicari iam licet inferius indicabo.

¶CAPVT XLVI.

1 HAec dicit dominus deus, Porta atrij interioris, quæ respicit ad orientem, erit clausa sex diebus in quibus opus fit: die autem sabbathi aperietur, & in die calendarum aperietur.

2 Et intrabit princeps per uiam uestibuli portæ deforis, & stabit in limine portæ: & facient sacerdotes holocaustũ eius, & pacifica eius: & adorabit iuxta limen portæ, & egredietur: porta autem non claudetur usque ad uesperam.

3 Et adorabit populus terræ ad ostiũ portæ illius in sabbathis & in calendis coram domino.

De rebus ecclesiæ.

Splendide ac copiose de rebus ecclesiæ atque Christi loquitur Ezechiel, quemadmodum prophetæ omnes de his temporibus præcinuerunt, & non solum formã spiritualis domus ædificiumq; describit, uerumetiam Hierarchiam regni & sacerdotij Christiani depingit, ostendens ferias populi noui & sacrificia, tum quæ princeps pro se ac populo facit, tum quæ populus conferens fructus charismatum pro suo principe, uel ad ipsum qui dispensat ad beneplacitum dei, ordinatq; ad utilitatẽ ecclesiæ catholicæ. Pars istius negotij præcedenti sectione tradita est, pars isto explicatur capite. Porta illa est de qua supra, per quam ingressus est ad cognitionẽ dei & æternæ beatitudinis participatum in deo: quæ soli principi honoris gratia patet, illiusq; priuilegiũ est, pro arbitrio suo per illam iter habere. Cæterum populo terræ hoc etiam obuenit ex prærogatiua principis, ut diebus sabbathi ac nouilunij per ostium inspectare possit, & corã domino orare. Nunc enim ex parte cognoscimus, neque reuelata facie dominum contemplamur. Sabbathum est Christianũ, dũ à terrenis & corruptibilibus operibus mundi feriantes, diuina duntaxat opera agimus: Nouilunium uerò, quãdo ex tenebris in lucem à stulio dei producti, ambulamus ut decet filios lucis, omnibus tenebrarum operibus reiectis. Patet autem usq; ad uesperam uel usque ad consummationem seculi. Tunc ingresso spõso cum omnibus copijs claudetur ianua, & interius coram omnia contemplabimur.

Sabbathum Christianũ.

4 Holocaustũ autem hoc offerret princeps domino: in die sabbathi sex agnos immaculatos, & arietem immaculatum:

5 & sacrificium ephi per arietem, in agnis autẽ sacrificiũ quod dederit manus eius: & olei hin, per singula ephi.

6 ¶In die autem calendarum uitulum de armento immaculatũ: & sex agni, & arietes immaculati erunt.

7 Et ephi per uitulum, ephi quoque per arietem faciet sacrificium: de agnis autem, sicut inuenerit manus eius: & olei hin, per singula ephi.

Die sabbathi offert holocaustũ corporis, & sex agnos opera pia & fidei, quibus additis epha ad arietem, ut uescendum agno intelligamus, sicut dicit Ioan.6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis. Ita enim demum fructus holocausti percipitur, si fide sumatur. Agnis autem sex, modus molæ non definitur, ut unusquisq; pro sua uirili domino seruiat. Additur & oleum misericordiæ atque bonorum operum, ut luceant lucernæ ardentes in manibus nostris. In Nouilunio additur & uitulus, ut auctus sit sacrificium quando ambulamus in luce, quàm dum solum à nostris operibus desistimus sabbathismum domini obseruantes &c.

8 Cumq; ingressurus est princeps, per uiã uestibuli portæ ingrediatur, & per eandem uiam exeat.

Princeps nunquam discedit è conspectu domini, & principis formam in eadem linea iterat suum accessum atq; discessum. Nostra uerò diuinæ cognitionis aut fruitionis in hac terra perceptio est adhuc transitoria, nec diu persistimus in contemplationibus cœlestis numinis, sed mox deflectimus abrepti cogitationibus humanis, ut tantũ in nobis diuini sit, quantũ nos sol deus illustret: haud secus atque luna suum lumen à solis obtutu accipit, ubi ad lineam ecclipticam est deflexum, splendor magis magisq; minuitur. Quin prophetia dicitur euacuãda. 1. Corint. 10. De Christo autẽ scribitur: Prouidebam dominũ in conspectu meo semper, Act. 2. Psal. 21.

9 Et cum intrabit populus terræ in conspectu domini in solennitatibus: qui ingredietur per portam Aquilonis ut adoret, egrediatur per uiam portæ meridianæ: porrò qui ingreditur per uiam portæ meridianæ, egrediatur per uiam portæ aquilonis: non reuertetur per uiam portæ per quam ingressus est, sed è regione illius egredietur.

10 Princeps autẽ in medio eorum cum ingredien

grediẽtibus ingredietur: & cum egredien
tibus egredietur.

11 Et in solẽnitatibus & festis erit sacrificiũ
ephi per uitulũ, & ephi per arietẽ: in agnis
autẽ erit sacrificiũ, sicut inuenerit manus
eius: & olei hin, per singula ephi.

Perpetua cõuersatio principis Christi cũ populo suo
designatur, quicquid illis accidat seu aduersum seu læ=
tum: quemadmodũ dicit, Manebo uobiscũ usque ad con
summationem seculi. Et, Si duo uel tres fuerint congre=
gati meo in nomine, ero in medio uestrum.

12 ¶ Cum autẽ fecerit princeps spontaneũ
holocaustum, aut pacifica uolũtaria dño:
aperietur ei porta quæ respicit ad orientẽ,
& faciet holocaustũ suum, & pacifica sua,
sicut fieri solet in die sabbathi: & egredie=
tur, claudeturq; porta postquam exierit.

Vota prin cipiũ.

Non solũ statis ferijs ostium patet principi diebus sab
bathi, & nouilunij, sed etiã ad conceptiua sacra. Nunc
igitur ostẽdit uates, quo pacto uota suscipiat & perfol=
uat princeps. Nõ enim par est, ut aliquod ipsius uotum
irritum fiat. Ad omne autem uotum ipsius fores patent
quouis tempore. Vota possumus intelligere cum pecca
torem cõuersum ducit ad patrẽ filius, sine quo nemo ue
nit ad patrẽ, illumq; insinuat in fauorẽ diuinæ maiesta=
tis, pro illo spondens. Quicunq; uerò ad Christũ uenit,
eum non eijciet foras. Cæterum quocunq; tempore pec
cator cõuersus egerit pœnitentiã, statim suscipitur. Ad
omnem nutum etiã principis patent fores. Omnia etiã
quæ rogauerimus in nomine Christi, accipiemus. Post
principis egressum claudũtur ualuæ, quòd nemo sit præ
ter filium qui mortalibus cœli palatia reseret.

13 Et agnum eiusdem anni, immaculatum,
faciet holocaustũ quotidie domino: sem=
per mane faciet illud.

Sacrificiũ iuge.

Agnus fuit iuge sacrificiũ, quod offerebatur quotidie
mane ac uesperi. Hoc non possumus aliud intelligere
quàm Christum anniculũ. Christus enim heri & hodie
& in secula, Heb. 13. sine labe, Isaiæ 54. Ioan. 1. Is seipsum
quotidie offert, quia memoria passionis recens est, &
non minor effectus passionis hodie, quàm erat quum in
ara crucis penderet. Offertur autẽ & à populo in my=
sterio, si per fidem Christo affixi sunt, illum patri pro=
ponant, qui tanta opera pro ipsis gessit, ut intuens in
uultum Christi, nobis propitius sit atque placatus. Hac
ostia efficacissima gratiosi erimus, & acceptissimi ora=
tores coram domino. Et hoc notandũ, quòd sicut Chri=
stus iam à seipso immolatur, qui semel seipsum obtulit:
ita nos eum in sacramẽto patri offerimus, & obtendi=
mus pro peccatis nostris, nimirum spiritualiter & in si
de. Hic quoq; mola fidei manducationẽ portendit, &
pinguedo fomentũ lucernæ, ut professioni nostræ adium
gamus uitæ innocentis splendorem, decorantes patrem
cœlestem coram hominibus.

14 Et faciet sacrificiũ super eo cata mane ma
ne sextã partem ephi: & de oleo tertiã par=
tem hin, ut misceatur similæ: sacrificiũ do

mino legitimum, iuge atque perpetuum.

15 Facietagnũ & sacrificiũ, & oleũ cata ma=
ne mane: holocaustum sempiternum.

Caro abnegãda.

Cumq; tẽpus est nos de somno surgere, penitusq; ope
ra noctis & carnis abnegare, ac indui opera diei, tum
quia tẽpora Christi unus dies sunt salutis, tẽpusq; acce
ptabile, in cuius aurora ipse Christus sol iustitiæ oritur,
nec iam mane & uespera, differẽti scilicet populi Iudai
ci & Gentilis, quin utriq; se in tempore sacris oblatio=
nibus domino recõcilient per filij merita, ne occasus to
tius mũdi eos deprehẽdat. Recte quoq; discimus, anteq;
aliquid terreni adoriamur operis, rem diuinã peragen
dam esse, regnumq; dei primum quærendum.

16 ¶ Hæc dicit dominus deus, Si dederit
princeps donum alicui de filijs suis: hære
ditas eius filiorũ suorum erit, possidebũt
eam hæreditarie.

Liberalitas principis Christi.

17 Si autẽ dederit legatũ de hæreditate sua
uni seruorũ suorũ: erit illius usq; ad annũ
remissionis, & reuertetur ad principẽ: hæ=
reditas autem eius filijs eius erit.

Hactenus de officio principis disseruit, quatenus per=
tinuit ad sacerdotij & regni administrationẽ. Nunc de
liberalitate atq; donatiuis principis loquitur. Nõ enim
solum oportet principẽ fungi suo munere simpliciter,
sed conuenit etiã esse munificũ, ut homines ad res præ=
claras incitentur, dum honor & præmia sunt proposita
uirtuti. Princeps igitur Christus in immensum liberalis
ostẽditur, citra tñ iniuriã cuiuslibet, nec imitãs Cæsarẽ,
qui ab alijs rapiebat, quod alijs donaret, ut exemplum
interim præbeatur principibus largiendi, qui cum dele
ctu & citra iniustitiã conferant sua beneficia. Christus
ascendens in altum, dona dedit hominibus, quæ recẽsen
tur à Paulo 1. Cor. 11. & Ephes. 4. Sed alia conditione
seruis, alia lege filijs confert: his æterna possessio, illis
temporaria adeoq; breuis temporis usus fructus concc
ditur. Interdum omnes homines in regno Christi serui
dicuntur, ut in parabola, qua introducitur rex abiturus
peregre, conferens seruis cunctis talenta, quibus fœne=
rentur, Matth. 25. Item, Non est seruus maior domino
suo. Et, Cũ feceritis omnia, dicite, hoc est, sentite apud
uosmetipsos, serui sumus inutiles. Interdum populus ec
clesiæ in seruos & amicos aut filios distribuitur, ut Io=
an. 15. Vos amici mei estis, &c. & 13. Filioli &c. Chri
stus de suo cõfert omnia: illis qui uero corde atque per=
fecto ei adhærent, suntq; destinati ad uitam æternam,
præstantiora confert, ut apostolis, ut Mariæ Magdale=
næ, quæ præstantiorem partem elegerat, quæ non aufe=
ratur ab ea. Serui sunt qui uel apertè mali sunt, uel pie=
tatem simulant, quibus bona temporaria conferuntur,
opes, ualetudo, honores &c. Item prophetia, sanatio
quoque & linguæ, sed ad tempus omnia ista concedun
tur. Linguæ enim cessabũt, & prophetia euacuabitur.
Hæc usurpant male grati homines ut diutissimè, usq; ad
annum deror aut Iubilei, quãdo nouæ tabulæ scribũtur,
& ad possessores alios transeunt bona. Illud est tempus
mortis, uel quandocunq; dominus repetit suum, & alij

Id est li=
beratio.

confert. Talis fuit Simon, Act. 8. cui dicitur, Nõ est tibi sors et hæreditas in sermone isto: & diues ille epulo, qui audit, Accepisti bona tua in terris, hic uerò Lazarus mala. Et in summa, Filij qui ex deo nati sunt hæreditabunt uitam æternã: serui, qui uel metu officiũ suum faciunt, uel omnino negligunt, etiã si fruantur ad tempus muneribus dei, qui sinit solem suum oriri super bonos & prauos, est tamen ille usus fructus temporarius, tandem illis adferens magnam damnationem. Et hic sensus melior est, quàm si de utroq; interpretemur populo, ut Iudæi sint serui, Ethnicorũ populus filij regni.

18 Et nõ accipiet princeps de hæreditate populi per uiolentiã, de possessione eorũ: sed de possessione sua hæreditatem dabit filijs suis: ut non dispergatur populus meus unusquisq; à possessione sua.

Vna est hæreditas naturalis, filij dei, quam communicat cum illis, qui adhæserint ut membra unius corporis uni capiti.

19 ¶ Et introduxit me per ingressum q erat ex látere portę in gazophylacia sanctuarij ad sacerdotes, quæ respiciebãt ad aquilonem: & erat ibi locus uergẽs ad occidentẽ.

20 Et dixit ad me, Iste est locus, ubi coquent sacerdotes pro peccato & pro delicto: ubi coquent sacrificiũ, ut nõ efferãt in atrium exterius, & sanctificetur populus.

21 Et eduxit me in atrium exterius, & circunduxit me per quatuor angulos atrij: & ecce, atriolũ erat in angulo atrij, atriola singula per angulos atrij.

22 In quatuor angulis atrij atria (coniuncta uel fuliginosa) dispositi: quadraginta (cubitorum) per longũ, & triginta per latum: mensuræ unius quatuor erant.

23 Et paries per circumitum ambiens quatuor atria: & culinæ fabricatæ erãt subter porticus per gyrum.

24 ¶ Et dixit ad me, Hæc est domus culinarum in qua coquent ministri domus domini uictimas populi.

Culinæ sacerdotũ & populi.

Alia est culina sacerdotum, aliæ populi. Eæ sunt officinæ temperandi sacrificia, ut fiant edulia idonea. Sacerdotum unus locus est ad latus aquilonare gazophylaciorum collateraliũ ad templum ipsum in occidente, nimirum quòd excoqui adhuc aliquid terreni debeat: sicut & officinæ mactandi ad aquilonem sunt in atrio exteriori, quæ plaga mũdi duritiem portẽdit. Præterea in ortu maior lux & perfectio est, quàm in occasu, ut excocta demum proferãtur in cõspectu domini. Populi culinæ sunt in quatuor angulis atrij exterioris, longæ nonaginta cubitis, latæ triginta. Anguli symbolum sunt unionis per Christũ lapidem angularem, ut quæ populo præponũtur uescẽda in primis cognitione angularis lapidis Christi, & amoris fraterni copula sint adaptata. Temperãtur etiã coniunctione utriusq; testamẽti, quibus unius Christi negotia continentur.

CAPVT XLVII.

1 ET conuertit me ad portam domus, & ecce aquę egrediebãtur subter limen domus ad orientem: facies enim domus (respiciebat) ad orientem: aquæ autem descendebãt desubtus à latere templi dextro à meridie altaris.

2 Et eduxit me per uiam portæ aquilonis, & conuertit me ad uiã foras ad portã exteriorem, uiã quæ respiciebat ad orientẽ: & ecce aquæ redundantes à latere dextro.

3 Cum egrederetur uir ad orientẽ, qui habebat funiculum in manu sua, & mensus est mille cubitos: & traduxit me per aquã usque ad talos.

Post descriptionẽ templi & eius περιοχῆς, fluuium de sancto sanctorum egrediẽs describit, in quo seruatur pulcher ordo, et dispẽsationis diuinæ series, ut cõstituta ecclesia, salutares aquæ inde deriuẽtur atque uiuificent. De his aquis Ioël. 3. Zach. 13. & Apoc. 21. & 22. quæ omnia de ciuitate Ierusalẽ author istius libri uidetur ab Ezechiele sumpsisse atq; ad ecclesiã aptasse. Significat autem gratia & remissio peccatorũ, quæ est per Christum in ecclesia, & deriuatur in homines per Euãgelij prædicationẽ. Isaiæ 55. Cognitio ipsius saluabit multos. Et, Oportet in nomine ipsius prædicare remissionẽ peccatorũ. Ioan. 1. Ipse baptizabit aqua & spiritu. Et Paulus plurimus est in ostendenda peccatorũ ablutione atq; sanctificatione per Christũ, quum nõ sit aliud nomen in quo oporteat nos saluos fieri. Huius lauacri diuini symbolum duntaxat est sacrum baptisma ecclesiæ, indicans interioris hominis Christũ administrare purgationem, sicut elemento aquæ corpus abluitur. Cæterum cælestis fluminis incremẽta & effectus etiã luculẽter monstratur. Oriũtur in sancto sanctorũ, ubi deum & principem nostrũ sedem habere indicatũ est, ut sciamus Euangelium exire à deo, quod subinde saluator testatur, se non sua sed patris uerba referre. Paulus quoq; reuelatiõ, ait, temporibus præfinitis. Deuergit in dexterã, quæ pars felicioris est ominis, ut intelligamus dexterã dei non deesse fluuio, per quam alueus deriuetur prosperrime.

4 Rursum cp mẽsus est mille, et traduxit me per aquã usq; ad genua: & mẽsus est mille, & traduxit me per aquam usq; ad renes.

5 Et mensus est mille, torrentẽ quem non potui pertransire: quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis qui non potest transuadari.

6 ¶ Et dixit ad me, Certe uidisti fili hoĩs. Et eduxit me, & cõuertit ad ripã torrẽtis.

Eiusmodi incrementis progressum est Euangelium, ut primò traderetur in Ierusalem, deinde in Iudæa, mox in circumiacentibus regionibus, tandẽ permeans in omnes fines terrarũ. Possumus etiã discere, quo lẽgitis in Euangelij doctrina fuerimus progressi, tanto maiora semper sese mysteria diuinitatis aperire.

Cumcp

7 Cumq; me conuertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraq; parte.

8 Et ait ad me, Aquæ istæ quæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, & descẽdunt ad plana deserti, intrabunt mare, & ad mare exibunt, & sanabuntur aquæ.

9 Et erit omnis anima uiuens quæ serpit, quocunq; uenerit torrens, uiuet: & erunt pisces multi satis postquam uenerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur: & uiuent omnia ad quæ uenerit torrens.

Fructus & uis Euangelij, ut pulcherrimas uirtutum & pietatis arbores, omnisq; honestatis exempla profe- Maria Iu- rat, alatque: mira est fœcunditas ecclesiæ hominum, qui nunquã sunt effœti operibus bonis, ingreditur & mare Genesaret Tyberiadisq; ac mare mortuũ, amara dulcia reddens, mortua uiuifica, omnibus quamuis labem adi- mens. Sanat enim Euangelium publicanos, meretrices, peccatores quantoscunq;, et toti Oceano mũdi salutem adfert, nisi homines suapte culpa repellant, obicibus gratiam diuinã à se amouentes. Videtur subindicari exitum ex lacu Asphaltite in Mediterraneũ esse mare uel Persi cum, siue apertus fuerit siue subterraneus meatus.

10 Et stabũt super illa piscatores, ab Engaddi usq; ad Enagallim ficcatio sagenarum erit: plurimę species erunt piscium eius, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ.

Apostoli pi- Piscatores Apostoli, quibus dicitur, Faciam uos pisca- scatores. tores hominum, sagena uerborum Christi uaria genera piscium ex pelago mundi contraxerunt, Matth. 13. Non ulmos & salices & populos, quæ pulchram duntaxat speciem præferunt, cæterum nihil pomorũ: sed arbores alet, quæ omnigenes fructus præbeant, eosq; uberrimos, omni tempore, non hyeme, non ulla tempestate illos impediente. Primitiæ quæ domino consecrantur. Omnia enim quæ facimus in noie Christi faciẽda docet Paulus.

11 In littoribus autẽ eius, & in paluſtribus non sanabũtur, quia in salinas dabuntur.

Vbi fuerint paludes & cœnosa stagna his fluentis salutiferis destituta, uel quæ nollent admittere fontem sanctum, non sanabuntur, sed in salsuginis sterilitatem uertentur, ut mare Sodomæ: quicunq; enim non hauerint cœlestem aquam sapiẽtiæ à Christo, nec imbuentur ipsius spiritu, nihil habebunt uitale. Vt cunq; igitur hypocritæ se operibus uestiãt, nõ habent meritũ apud deum, sed omnia ipsorum dicta, facta & conatus, mera sunt uanitas, quandiu per aquas Christi non rigantur.

12 Et super torrentẽ orietur in ripis eius ex utraq; parte omne lignum pomiferũ: non defluet folium ex eo, & nõ deficiet fructus eius: per singulos mẽses afferet primitiua, quia aquę eius de sanctuario egredientur: & erũt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.

Isaias 65. Dies ipsorum sicut dies ligni erunt. Multa ibidem de ecclesia differit iste uates, eiusdem cum præsenti loco sententiæ. Omnia, ait, sunt utilia, & externa uitæ species, & interna mentis probitas, si gratia Christi gignat alatq;.

13 Hæc dicit dominus deus, Hic est terminus in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israël: quia Ioseph duplicem funiculum habet.

14 Possidebitis autem eam singuli æquè ut frater suus: super quã leuaui manũ meam, ut darẽ patribus uestris: & cadet terra hæc uobis in possessionem.

15 Hic est autem terminus terræ: ad plagam septentrionalem, à mari magno uia Hethalon, uenientibus Sedáda,

16 Emath, Berotha, Sabarim, quæ est inter terminum Damasci et confinium Emath, domus Thichon, quæ est iuxta terminum Auran.

17 Et erit terminus à mari usque ad atrium Enon terminus Damasci, & ab aquilone ad aquilonem, & terminus Emath: plaga autem septentrionalis.

Diuisio terræ designat portiones in regno dei, et quæ sit possessio principis. Quæ sortitio, ut habet magna religionis nostræ mysteria, ita infeliciter ab omnibus fermè est tractata, quantum ego diuinare possum. Zieglerus longitudinem constituens centum sexaginta, latitudinem sexaginta, sequitur Ptolomeum & bonam rationem. Nec diffidendum est ueteribus, qui hæc diligenter inuestigarunt, atq; ad posteros transmiserunt, quorum traditioni historia sacra quadrat, omnibus diligenter collatis, & experientia hodie quoq; Palæstinã adeuntium consentit. Iudæi singulis tribubus uigintiquinque millia calamorum latitudinem dispartientes, terram reddunt ab aquilone ad austrũ duplo maiorem. Eamq; in ortum & occasum extra suos limites in magnum modum protendunt. Præterea in calamorum & passuum & miliarium ratione ineptissima, satis ostendunt, quàm sint idonei authores talium rerũ. Hieronymus Cosmographiæ parum hic memor, etiam male cohærentem facit diuisionem, longius protendens terram in ortum & occasum, quàm ferat Geographia diuina & Ethnica. Præterea in calamo explicando, parum diligens est, tribuens illi palmum supra iustum modum. Proinde secutus rationẽ efficatiorem authoritate, ab illis dissentire audebo, et meliora inquirere. Atqui locus dignissimus est, in quo se pietatis studia exercerent, tũ quod sentẽtiæ propheticæ fiant ita certiores, tum quòd fiduciã in deum augebit, ne scisciteмur subinde quid edamus, quid bibamus, siquidem prouidẽtia diuina tam in angusto territorio innumerũ populũ aluerit, ut nihil prorsum deesset, quandiu numinis reuerẽtiam tenerent. Verumq; apparebit, quod uulgus ore tractat, utinam & animo pensitaret, si tempore messis ratio exacta ineatur, non meti singulos manipulos seu dragmata per singulos homines. Apparebit etiam ex isto loco, ut artes liberales deseruiant literis diuinis. Circũscriptio igitur terræ mox recuperãdæ in duobus differt ab ea, quæ est Numeri 34. & in Iosue, Diuisio terræ Israel. Geographia diuina & humana.

ordine uidelicet ac locorum nomenclatura. Moſes inci-
piens ab auſtro per occaſum & aquilonẽ finit in orien
te: ſed Ezechiel terram diſtribuit, initio facto ab aqui-
lone, qua parte Iudæi primùm ſint ingreſſi terram ſuam
redeũtes è Babylonica captiuitate. Præterea Moſes plu
ra loca terminorũ ponit quàm Ezechiel. Nam ſatis fuit
Ezechieli demonſtraſſe recuperaturos terrã Chanaan,
intra illos limites quos Moſes poſuerat, nec ultra Iorda
nem collocandas duas tribus cum dimidia ut quondam,
ſed terram Philiſtinorum & aliorum Allophilorum pro
iſta portione ceſſuram. Ponit præterea à Moſe præter-
miſſa, unum & alterum locum aliter denominat, quòd
iſto tempore ſic planius potuerit negotiũ innoteſcere.
Sed hic loca diligẽtius inueſtigare, aut authores inter ſe
pugnantes, uel rationi obluctantes redarguere, non eſt
propoſitũ, quod eſt opus alterius temporis, & utinam
ſuſcipiatur à rectis ingenijs, quæ Euſebij, Hieronymi,
Ziegleri aliorumq; laboribus adiuta, Geographiam ſa
cram reddant abſolutiorem. Verum antequam prophe
tæ noſtri uerba exequar, totius terræ, quam olim Iudæi
tanto numero poſſederunt cis ultraq; Iordanẽ, ſpatium
conferam ad colonum, & quid ſingulis familiarum pa-
tribus arandũ obuenerit demonſtrabo: in quo menſuris
utar Romanis, ad Germaniæ quoque cõſuetudinẽ redu
ctis. Miliare Germanicum facimus quatuor Italicorum.
Italicum habet mille paſſus, & ſinguli paſſus quinque
pedes. Calamus ſeu pertica menſoria, fuit ſex cubitorũ.
Cubitum habuit ſeſquipedem, hoc eſt uigintiquatuor di
gitos. Iugerum longum pedes ducentos quadraginta, la-
tum centum uiginti. Sit igitur longitudo Palæſtinæ ſiue
Iudææ longa in auſtrũ & ſeptẽtriones milliaria Italica
centum ſexaginta, Germanica ucrò quadraginta, lati-
tudo in occaſum & ortum ſexaginta milliaria Italica,
Germanica quindecim. Si iam ducatur longitudo in la-
titudinem, ut fieri ſolet in numerãdis tegulis, fient mil-
liaria quadrata totius terræ, nouẽ millia octingẽta, eaq;
Romana. Quot uerò iugera ſint in miliari Romanenſi
quadrato ſic deprehendetur. Ducatur longitudo mille
paſſuum in latitudinem, fient paſſus decies centena mil
lia, uel ut uulgò loquimur millies mille, hoc eſt pedum
quinquies mille millia. Hoc diuidatur in pedes iugeri,
qui ſunt longitudine per latitudinem aucta uigintiocto
millia & octingenti, & inuenientur milliaris Italici iu
gera centum ſeptuagintatria, cum una quarta ac una
ſexta uel duæ tertiæ. Totius autem terræ iugerum mille
millia, ſexcenta millia, ſeptuaginta ſeptem millia & ſe-
ptingenta. Imponãtur huic terræ colonorum ſexies cen
tena millia qui militiæ ſint idonei (quantus numerus du
ce Moſe profectus eſt ex Aegypto) ſinguliq; capient iu
gera duo & dimidium. Vel ut ad minimam proportio-
nem deducamus minutias non tamen prorſum exacte,
ſed quibuſdam in diuidẽdo numero demptis duabus ſe-
ptimis, hoc eſt, paulò minus una quarta, ut ſit portio
uniuſcuiuſq; patrisfamiliãs iugera duo cum dimidio &
una quarta uel tribus quartis. Montiũ latera, & dorſa
deputentur uinetis, paſcuis, lacubus, deſertis, & ſanè
parce diſtribuimus omnia. Nõ potuerũt autẽ expellere

Geogra-
phia ſacra
utilis.

Miliaria.

Iugera in
ſe ducere.

Allophilos, ut Chananæi, Iebuſæi, Philiſtæi, multũ terræ
habitarint, adeò potentes, ut bella geſſerint cum Iudæis
multa, dubio & nutante Marte. Illis duntaxat minutias
aßignemus, hoc eſt, quintam partem terræ, ſingulis re-
manent duo iugera. Sequentibus annis Iudæorum creꝛ
uit numerus, ut ſub Dauide eſſent octies centena millia
Iſraelitarum, & de Iuda quinquies centena millia pu-
gnatorum. 2. Reg. 24. quæ ſimul iuncta fiunt millies mil
lia & trecenta millia, numero duplicato, & præterea
centena millia. Cõmunicato igitur agro cum iſtis, non
totum iugerum ſingulis cedet. Dimidium iugeri deputetur ſationi frumenti ad panes. Nec ſit ager reſtibulus
per uices, ſed qui annuatim ſeratur. Reliquum arcnæ
& leguminibus, lino, canabi, fabæ, piſo, lenti &c. tri-
buatur. Vtq; uberrime proueniat frumentũ, dimidium
iugeri exhibebit ſex medimnos farris purgati, Sechs
mütt Kernen. Inde eſt decerpenda decuma, munificen
tia in pauperes exteros, uectigalia & tributa regũ. Sin
gulis uiris attribuatur uxor & terni liberi, ſingulis ſors
dabit paulò minus medimno, quũ ſingulis hominibus in
annũ quaternis fermè opus ſit medimnis ad panis uſum.
Quòd ſi hoc opus dei, qui uſque hodie operatur conſe-
deremus, uidebimus deum optimũ maximum, ut illam
multitudinem in deſerto fouit citra humanã opem per
annos quadraginta, ita collocatã in terram promiſſam
per miraculum aluiſſe, unde noſtra pectora firmemur,
ne qua ſolicitudo nos capiat unquam defuturа nobis ad
uitam ſuſtentandam neceſſaria, ſi numen cæleſte obſer-
uauerimus. Porrò cum tot oppida tradantur huius ter-
ræ, neceſſe eſt haud magno interuallo diſſita fuiſſe: con
tulerint autem ad uictum aliquid negotia & mercium
permutatio, celebriſq; concurſus ad templum etiam ex
gentibus. Id tum omne nequaquam magni æſtimari po
teſt in tanto populo. Nũc, quod pertinet ad Ezechielis
interpretationem perſequar. De latitudine terræ ultra
Iordanem ſita, decerpãtur uerſus ortũ quindecim millia
paſſuum, ut cis Iordanem ſuperſint quadraginta quinq;
milliaria Italica, noſtratia uerò undecim et quarta pars,
id eſt unum Italicũ miliare. Longitudo eſt, ut antè, cen-
tum ſexaginta miliarium. Proponit primùm: Hæc eſt
terra quam diuidetis per duodecim tribus Iſraelis, ita ut
Ioſeph duos funiculos accipiat, uel per appoſitionẽ fiũ
niculorũ. Ea enim fuit Geodoſia iſtius tẽporis, ut exten
to funiculo certæ menſuræ diuiderẽt agros. De loco ſan
ctificato cap. 45. dictum eſt, ubi negotium iſtud inchoa-
uit. Terminus ſeptentrionalis ſecundũ iſta loca ducitur
à mari mediterraneo, iuxta urbem Hethlon, Zedada,
Hemath, quæ Syria uidetur Antiochena, Berotha, quæ
& Berotai 2. Reg. Sibarim, Hazer Hathicon, Hauran,
Hazer Enon, in extremo angulo Damaſcenæ regionis.
Et epilogo iam lineã conſtituit, ab Hazer Enon in orien
te, ad extremam Hemath uerſus mare.

18 Porrò plaga orientalis de medio Auran,
et de medio Damaſci, & de medio Galaad,
& de medio terræ Iſrael, Iordanis diſter-
minans ad mare orientale, metiemini eriã

Ad
plagam orientalem.

Ad ortum lineam non ſtatim ab Hazer enon deſcendentem ponit, ſed interius uerſus occaſum, ut incipiat inter Hauran & Damaſcum, & deſcendat inter montem Galaad & terrã Iſraeli poſſeſſam, habẽs Iordanem fluuium, mox & maria orientalia, Galilæũ Tiberiadis, & ſalſum ſiue Sodomeum.

19 Plaga autem auſtralis meridiana à Thamar, uſq; ad aquas cõtradictionis Cades, & torrens uſq; ad mare magnũ, & hæc eſt plaga ad meridiem auſtralis.

Ab auſtro linea ducatur à Thamar ſecundũ aquas iurgiorum Cades, quæ & Cades barnea, habens & fluuiũ Rhinocoruram influentem inter Aegyptum & Palæſtinam ſuper Gazam ad mare mediterrancum.

20 Et plaga maris, mare magnum à cõfinio per directum, donec uenias Emath: hæc eſt plaga maris.

Occiduus limes eſt mare magnum, id eſt Syriacum ſeu mediterraneum à flumine Rhinocorura & urbe Beerſabee, quæ Ptolomæo Berſama, uſq; ad Hemath in Septentrionem.

21 Et diuidetis terram iſtam uobis per tribus Iſrael.

22 Et mittetis eam in hæreditatem uobis, & aduenis qui acceſſerint ad uos, qui genuerint filios in medio ueſtrũ, & erũt uobis ſicut indigenæ inter filios Iſrael: uobiſcũ dividentpeſſeſſionẽ in medio tribuũ Iſrael.

23 In tribu autẽ quacunq; fuerit aduena, ibi dabitis poſſeſſionẽ illi, ait dominus deus.

Portiones ſunt æquales. Nam eadẽ eſt gratia in uniuerſis eccleſijs, una fides, unũ baptiſma, una doctrina, unus Chriſtus, unus deus. Peregrinis atq; pſelytis addicũtur etiã ſuæ portiones, haud ſecus atq; Iudæis, quod in primitiua diuiſione terræ non eſt obſeruatũ. Et eſt euidens argumẽtũ gentes nõ minus eſſe municipes ciuitatis dei atq; regni cœleſtis & Meſſiæ quàm ſint Iudæi. Recenſetur aũt quiſq; ad eccleſiã cum qua degit etiã tempore captiuitatis. Tribus certũ habent locum, & ſentẽtia diuina conſtitutũ. Ita ſingulæ gentes adeoq; ſinguli homines gradũ quem in eccleſia tenent ſancta, non fortuitu acceperunt, ſed decreto maieſtatis diuinæ.

Portiones æquales.

1 ¶ CAPVT XLVIII.

THæc nomina tribuũ à finibus aquilonis iuxta uiã Hethalon pergẽtibus Emath atriũ Enan terminus Damaſci ad aquilonem iuxta Emath, Et erit ei plaga orientalis mare, Dan una,

2 Et à termino Dan, à plaga orientali uſq; ad plagam maris, Aſer una:

3 & iuxta terminum Aſer, à plaga oriẽtali uſq; ad plagam maris, Nephtalim una.

4 Et iuxta terminũ Nephtali, à plaga orientali uſq; ad plagam maris, Manaſſe una.

5 Et iuxta terminũ Manaſſe, à plaga orientali uſq; ad plagam maris, Ephraim una.

6 Et ſup terminũ Ephraim, à plaga oriẽtali uſq; ad plagam maris, Ruben una.

7 Et ſuper terminũ Ruben à plaga oriẽtali uſque ad plagam maris, Iuda una.

Duodecim portiones.

Ea terra diuidẽda eſt in duodecim portiones æquales, ſeptem ad aquilonem conſtitutis, quinq; ad auſtrũ, ut ſit in medio locus ſanctificatus uigintiquinq; milliũ, ut infra typus oſtendet. Hoc ſpatium quidam deffiniunt per cubita, quidã per calamos. Si cubita ſunt, cõſecratus locus habet quaquauerſum milliaria Italica ſeptem & dimidium, nam mille cubita cõtinent trecẽtos paſſus. Hoc ſpatio detracto à centũ ſexaginta milliaribus, ſingularum tribuum portiones à ſeptentrione in auſtrum habebunt milliaria duodecim & dimidiũ, & quartã fermè. Portiones principis ad occaſum & ortum milliaria decem & octo, & dimidium cum una quarta. Sin calami ſunt intelligendi, uigintiquinq; millia exhibẽt milliaria Italiæ quadragintaquinq;, Germanica undecim & unã quartam. Nam mille calami paſſus habent mille octingentos, id eſt milliare, & octingẽtos paſſus. Hoc interuallo detracto, portiones tribuum erunt latæ milliaria nouem & dimidiũ cum una duodecima, hoc eſt, decem milliarium fermè latitudinẽ. Principi autem nihil relinquetur inter locum ſanctificatũ, & mare mediterraneũ atque limitem orientalem ſupra poſitũ, ut hac quidem partitione abeat exors, quod indiciũ erit euidentiſſimũ quàm late pateat principis portio, nempè à mari ad mare, extra ſortes tribuũ, & locũ ſanctificatũ, hoc eſt, quàm latè patet totus orbis terrarũ, iuxta Pſalmi ſecundi uerbum, Tibi dabo poſſeſſionẽ terminos terræ. Nec omnino ueritati quadrat, ut tam exiguum ſpatium, non habens dimidij milliaris latitudinem Germanici, longitudinem non duorum plenè, ſacerdotibus & leuitis tribuatur, utq; in tam anguſtum locum urbs conſtituatur, pauciſſima terræ portione in uſum ſuburbanorum adiecta. Præterea in menſuris ſemel & iterũ calami fit mentio, ueluti quod area templi dicitur habere quingentos calamos, id eſt paſſus noningentos. Cubiti nõ fit hic mentio. Tribus ita collocãtur, ut ad aquilonem extrema ſit Dan, proxima loco ſanctificato Iuda: in auſtrum extrema Gad, proxima ſanctuario Beniamin.

Principis portio.

8 Et ſuper terminũ Iuda, à plaga orientali uſque ad plagã maris, erũt primitiæ quas ſeparabitis uigintiquinq; millibus latitudinis & longitudinis, ſicuti ſingulę partes à plaga orientali uſque ad plagã maris, & erit ſanctuarium in medio eius.

9 Primitiæ quas ſeparabitis domino: longitudo uigintiquinq; millibus, & latitudo decem millibus.

10 Hæ autem erunt primitiæ ſanctuarij ſacerdotum: ad aquilonẽ lõgitudinis uigintiquinque millia, & ad mare latitudinis decem millia, ſed & ad orientem latitudinis decem millia, & ad meridiem lõgitudinis uigintiquinque millia, & erit ſanctuariũ domini in medio eius.

11 Sacerdotibus sanctuariũ (erit) de filijs Sadoc, qui custodierunt ceremonias meas, & non errauerũt cum errarent filij Israel, sicut errauerunt & Leuitæ.

12 Et erunt eis primitiæ de primitijs terræ sanctũ sanctorũ, iuxta terminũ Leuitarũ.

13 Sed & Leuitis similiter iuxta fines sacerdotum uigintiquinq; millia lõgitudinis, & latitudinis decem millia. Omnis longitudo uiginti & quinq; millium, & latitudo decem millium.

14 Et non uenundabunt ex eo, neq; mutabunt, neque transferẽtur primitiæ terræ, quia sanctificatæ sunt domino.

15 Quinq; millia autem quæ supersunt in latitudine per uigintiquinq; millia, prophana erunt urbis in habitaculũ, & in suburbana, & erit ciuitas in medio eius.

16 Et hæ mẽsuræ eius: ad plagã septentrionalem, quingenti & quatuor millia, & ad plagam meridianã, quingenti & quatuor millia: & ad plagam orientalẽ quingẽti & quatuor millia: & ad plagam occidentalẽ, quingenti & quatuor millia.

17 Erunt autẽ suburbana ciuitatis, ad aquilonem ducenti quinquaginta, & ad meridiem ducenti quinquaginta, & ad orientẽ ducenti quinquaginta, & ad mare ducenti quinquaginta.

18 Quod autẽ reliquũ fuerit in longitudine prope primitias sanctuarij, decẽ millia in orientem, & decem millia in occidentem, erũt iuxta primitias sanctuarij, & erũt fruges eius panes his qui seruiunt ciuitati.

19 Seruientes autem ciuitati, seruient ei ex omnibus tribubus Israel.

20 Omnes primitiæ uigintiquinq; milliũ, per uigintiquinq; millia: in quadrum separabuntur in primitias sanctuarij, & possessionem ciuitatis.

21 Quod autem reliquum fuerit, principis hinc & inde primitiarũ sanctuarij, & possessionis ciuitatis è regione uigintiquinq; millium primitiarum usque ad terminum orientalem, sed & à mari è regione uigintiquinq; millium usque ad terminũ maris coniunctum cum partibus principis erit, & erunt primitiæ sanctuarij, & sanctuariũ templi in medio eius.

22 De possessione aũt Leuitarũ, & de possessione ciuitatis in medio partiũ principis erit: inter terminũ Iuda, & inter terminũ Beniamin, & ad principem pertinebit.

23 ¶Et reliquis tribubus, à plaga orientali, usq; ad plagã occidentalẽ, Beniamin una.

24 Et iuxta terminũ Bẽiamin, à plaga oriẽtali usq; ad plagã occidentalẽ, Symeon una.

25 Et iuxta terminum Symeonis à plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Issachar una.

26 Et iuxta terminũ Issachar, à plaga oriẽtali usq; ad plagã occidẽtalẽ, Zabulon una.

27 Et iuxta terminum Zabulon, à plaga orientali usque ad plagã maris, Gad una.

28 Et super terminum Gad, ad plagã austri in meridiem, & erit finis de Thamar, usq; ad aquas contradictionis Cades, hæreditas iuxta mare magnum.

Locus sanctus non totus urbis ædificio conuenit, ut Leoquidam putarunt, secuti nimirum Ioan. Apocal. 21. qui facit ambitum urbis duodecim millium stadiorum, miliarium mille & septingentum. Vigintiquinque autem millia calamorum in se ducta, faciũt milliaria duo millia centum & uigintiquinq;. Sed in tres portiones distribuitur. Vna sacerdotibus assignata est, lata decem milbus calamorum, id est, milliaria Italica decem & octo, ut latior sit aliarum tribuum portionibus. Iuxta est portio Leuitarum uersus austrum decem millium, deinde quinque millia pro urbis ædificio, id est, latitudo nouem milliarium. In sacerdotũ loco extra urbem interiacente quoque Leuitarum portione est templũ, cuius aream in media latitudine constituendam puto, ad limitem autem Leuitarum. Vrbis Zona iterum diuidenda est uersus ortum in tres portiones, quemadmodũ locus sanctificatus ante fuit diuisus ab aquilone in austrum. In medio enim quinque millium urbis ædificio atribuũtur, & utrinq; decem millia in suburbana: urbi per omnia latera ponerium est circundatum, sicut & templo lattum calamos ducentos & quinquaginta.

29 Hæc est terra quam mittetis in sortem tribubus Israel, & hæ partitiones earum ait dominus deus.

30 ¶Et hi egressus ciuitatis: à plaga septentrionali quingẽtos & quatuor millia mensurabis.

31 Et portæ ciuitatis in nominibus tribuũ Israel: portæ tres à septentrione, porta Ruben una, porta Iuda una, porta Leui una.

32 Et ad plagã orientalẽ, quingẽtos & quatuor millia, & portæ tres, porta Ioseph una, porta Beniamin una, porta Dan una.

33 Et ad plagam meridianã, quingentos & quatuor millia metieris, & portæ tres, porta Symeonis una, porta Issachar una, porta Zabulon una.

34 Et ad plagã occidẽtalẽ, quingẽtos & quatuor millia, & portæ eorũ tres, porta Gad una, porta Aser una, porta Nephtalim una.

35 Per circumitũ, decẽ & octo millia, & nomen ciuitatis ex (illa) die, dominus ibidem.

Hunc locum concludit epilogo, hanc esse terram, quam sortito inter se diuidãt. Vrbi quadrãgulæ æquatium laterum in singulis oris ternas portas aptat, easq; minatim recensens. Nec tamen situs earũ certus est, quæ dexiorum

dextrum, quæ sinistrum, quæ medium locum obtineat. Non separatur asyla fugitiuorum, nimirum quod mera sit libertas ubi spiritus est, & quod charitas in ecclesia dominetur, quæ nihil perperam agit: & Esaiæ 11. Non occident amplius in monte sancto meo: & alibi apud prophetas de pace ecclesiæ multa dicũtur. Portæ singulis tribubus dispensatæ, indicant omnibus terræ nationibus ostiũ pariter patere ad deum, quod est Christus. In fine totius libri nomen urbis editur, quod sit ciuitas & domiciliũ dei, Gotstatt, quod nomen dirigit mentem in cognitionẽ illius descriptionis. Diuisio ista quantum ad homines pertinet, demõstrat sortitionẽ in regno dei, quæ est ecclesia catholica. In ea diuersæ gentes & populi distinctas habent ecclesias, qualis Bernẽsis, Constantiẽn. Basilienſis, Tigurina. Vltra Iordanẽ nõ ponuntur aliquæ tribus, ita cõtinentur filij ecclesiarum intra unum septũ, nulla est separatio, nullumq; schisma debet illos dirimere, unde qui per sacrilegas factiones hæresum discedunt, nõ erant ex nobis. Quid sibi uelit sanctũ in medio, quid portiones sacerdotũ & Leuitarum maiores tribuum sortibus, quid urbis portio propemodum æqualis tribubus, quid suburbana, qd proportionalitas in loco urbis ad totũ locum sanctificatũ, cur Leuitarum sors inter sacerdotalẽ & urbis, quibus ministris competant suburbana, nunc nõ possum uel per nebulã intueri, quare utar consilio D. Hieronymi, ut ista potius intuear tacitus & admirer, imò adorem, quàm ut eloquio crasso eloqui coner. Quemadmodũ duodecim etiam portæ arcanum sensum tegere uidentur, & minime dum nobis uulgatũ. Sed quod templũ est extra urbem reædificatã, satis apertã habet significationẽ, nempe Christũ filium dei, quo litatur pro totius orbis peccato extra cœlestem Ierusalẽ pati. Eximaniuit enim se forma serui assumpta, & descendit in terras. Templum etiã & ara in quo catholicũ sacrificiũ pro totius generis humani expiatione offeretur, extra mœnia Ierusalẽ designatur etiã terrestris. Quod Apostolus in literis ad Heb. 13. suggerit, explicans typum uaccæ extra castra cõficiendæ, Num. 19. Iesus ut sanctificaret populũ per suum sanguinẽ, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum impropериũ eius portãtes. Per ipsum igitur offeramus hostiã laudis. Nomen ciuitatis augustißimũ editur, Dominus ibi, quod perpetuã consuetudinẽ in ista ciuitate sit transacturus, & neutiquam eam deserturus, ut olim Ierusalem, sicut noster uates suprà cõmonstrauit. Hoc Ezechiel non uno in loco ante dixit in persona dei loquens de Israelis restitutione, Habitabo in medio ipsorum, ita & Ierem. 7. Ezech. 43. Reliqua mysteria non ausim hoc tempore rimari, quæ dominus aperiet, quũ ita fuerit utile. Is si alimerito ingẽtes illi referendæ sunt gratiæ: cui laus & gloria sit in secula seculorũ, Amen. Feria septima post Ioannis Baptistæ, Anno dominicæ incarnationis 1533. Aetatis huius Theodori uigesimosexto.

Ecclesiæ distinctæ.

Sanctum in medio.

Templũ extra urbem.

FINIS.

SVMMA VERSVVM M. CCLXXIII.

COMMENTARIA IN DANIELEM PROPHETAM.

CAPVT PRIMVM.

1 

IN NO tertio regni Ioacim regis Iuda, uenit Nabuchodonosor rex Babylonis (in) Ierusalẽ, & obsedit eam.

Duplices hic Daniel sanctus propheta uisiones descripsit: quasdã, quas reges Barbari uiderũt, quas interpretatus est, de quibus ac alijs quæ deus ad exaltandos ministros suos, & ad prouehendã suam gloriã fecit, tractatur usq; ad septimũ caput: alias ipse uidit & explanauit sub diuersis regibus, de quibus deinde usq; ad finẽ libri. Iam autẽ dudũ didicimus, non oportere nectere multos scrupos, ob numeros & ortographiã & propriorũ nominum hinc inde discordiã in sacris literis, quos ob anti quariorum dormitationẽ, & temporis longitudinẽ facilè admissos per incuriã, nõ præiudicat ueritati historiæ, multò minus fidei & charitati in deũ & proximũ. De numeris & nominibus.

Qui nobis dictus est Ioakim, Hebræis Iehoiakim scribitur, dictus etiã prius Heliakim & Sellum: fuit autẽ filius Iosiæ, frater Ioachas & Zedekiæ, pater Ioachin, qui & Iechonias patri succeßit, tribus tantũ mensibus. Quis tantã nominũ uarietatẽ sine errore semper describeret? sic quoq; de annorũ numeris. Fuit autẽ is Ioakim primum institutus rex Iudah à Pharaone Nechao pro fratre Ioachas captiuo in Aegyptũ: deinde captus Babyloniam & remissus, tandẽ regni undecimo anno, quarto autẽ post fidẽ præstitã & nõ seruatã, secũdo capitur & occiditur, qui hic dicitur tertius annus, quia principium quarti erat, & undecimus à morte Iosiæ. Nabuchadnezer aũt qualis fuerit rex, abundè testãtur literæ sacræ. Seruus domini à prophetis dicitur, & flagellum fuit iustitiæ diuinæ cõtra reges improbos, non solum Iudaicos, sed etiã gentiũ aliarũ. Talis autẽ fuit, qualem dominus habere uoluit eo seculo monarcham, non omnino malũ, sed clemẽtia insignẽ, qua reges cõmendantur, & quam, si uel modicũ sapiũt, si non præstare saltẽ fingere consueuerũt. Obsidionẽ aũt instituit Hierosolymæ, non tam sua uolũtate & arbitrio, quàm prouidẽtia dei, qui amicis suis prophetis eã longè antea prænũtiauerat ad iustitiæ diuinæ cõmendationẽ, qua dignè tandẽ pdit eos, quos toties præmonitos ad meliora cõuertere nõ potuit. Seruus dei.

2 Et tradidit dominus in manu eius Ioacim regem Iudæ, & partẽ uasorũ domus dei: & asportauit ea in terram Sannaar, in domum dei sui, & uasa intulit in domum thesauri dei sui.

Modestia tyranni.

Traditus scribitur domini scilicet uoluntate nõ aduersariorum fortitudine. Diutius enim populi impietas à domino ferri nõ debebat: & rex Ioiakim sufficienter admonitus fuerat à Ieremia, et fidẽ fregit Babylonio. Satis tamen ea urbis captiuitate modeste usus est, nõ eam destruxit, partem tantum uasorum abstulit, nõ omnia, regem auectum paulò post remisit, uasa nõ in suũ usum uertit, sed in Gazophylaciũ dei sui reposuit. Terra Sennaar ex Genesi scitur esse Chaldæorũ regio. Patet etiã à priscis temporibus semper domus deorum & templa thesaurorum custodiæ fuisse dicata, consilio auarorum sacerdotum.

3 Et ait rex Asphenez præposito eunuchorum, ut introduceret de filijs Israël, de semine regio, & tyrannorum

4 pueros in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina, & qui possent stare in palatio regis, ut doceret eos literas, & linguam Chaldæorum.

Senatus sapientum.

Nihil tam utile regnis conseruandis & reipublicæ saluti, atq; plurimorũ sapientum senatum habere, & ad id diligenter instituere iuuentutẽ, eam quæ tam corporum forma quàm generis nobilitate idonea uideretur et apta disciplinis, linguarum peritiæ & morum candori: ne uana ne ludereturstudium pædagogorum, dum docentur qui discere possunt & proficere. Suspecti sunt deformes uultus: & in neglecto domicilio negligens habitat inquilinus. Vult ergo rex pueros elegantis formæ, bonæq; indolis, & sapientũ & potentũ filios in utilibus reipublicæ

Institutio puerorum.

studijs instituí, ut suo tempore regi à consilijs esse possint, & negotijs regni assistere, linguarũ scilicet cognitione, eloquentia, sapienti sententiarum grauitate, et iudicio maturo rerum difficilium, magnarumq; causarum: quibus omnibus pietas & innocentia præeminent, & addunt consummationẽ, dei dona adornant atq; naturæ. In primis autem Chaldæorum linguã discendam iubet, in qua regno toti præesset, in qua Chaldæorũ erãt descripta mysteria, quã diffundi in regna uoluit, ut quodq; imperium suam linguam, Græci Græcam, et Romani Latinam prorogari uoluerunt: quã & sic didicerunt Iudæi, ut redeuntes natiuam suam Hebraeã ignorarent, ut conqueritur Neemias.

5 Et constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de uino unde bibebat ipse, ut enutriti tribus annis, postea starent in conspectu regis.

Cibus studiosorum.

Insigni liberalitate & beneuolentia tractari uoluit tantus rex studiosos, & bonæ spei adolescentes, ea moderatione de suo cibo potuq; demensum ac annonam lautiorem cõstituẽs, ut nec onerati edulijs inepti fierẽt, nec ieiunijs macerarentur: sunt aũt reuera bonæ indoles cibis delicatioribus fouendæ ad mensuram, & ut nulla crapula perdantur ingenia. Præscripsit etiam tempus prudenter, ut parce expendatur, horas quoque suas & præstitutum discendi tempus bene locent, ne quando proficiendi intercipiatur ante tempus occasio. Non uult perpetuo discipulos futuros, sed aliquando post triennium discendo bene locatum ad docendum alios, & ad se excitandum protrahi, uel ut ad standum coram rege & ministrandum tunc sint idonei.

6 Fuerunt ergo inter eos de filijs Iudæ, Daniel, Ananias, Misael, & Azarias.

7 Et imposuit eis præpositus eunuchorum, nomina: Danieli, Baltassar: Ananiæ, Abdenago. Sidrach: Misaeli, Misach: & Azariæ, Ab-

Ex filijs Israël indifferenter quo ad tribus multi selecti fuerant ad sortem erudiendorum, quorum tamen delectis fuerant ad sortem erudiendorum, quorum tamen de tribu Iuda hic quatuor nominantur, Hebraicis nominibus, domini dei nomen non irreligiose complectentibus. Daniel enim, iudicem deum: Misael, interpellatũ deum: Hannanias, miseratorem deum: Azarias, adiutorem deum interpretatur. Quæ nomina, uerè dei laudes uocata propria Hebraicam linguam, intolerabilia fortassis erãt hostium auribus, ideo prophana eis noua nomina Chaldaica indiderunt, more uictorum, qui & urbium & regionum, multomagis seruorum & mancipiorum nomina immutare solebant, sicut & Eliakim et Mathanias reges Iuda superati, alia nomina susceperunt, ut dicerentur Iehoiakim, et Sedechias, quod & frequentissimũ in sacris litteris & prophanis legitur. Quid autem Chaldaica nomina sonent Chaldæis, ut difficile est scire, sic quoque inutile, inuenitur tamen, si quis requirat, in nouis interpretationibus nominum Biblicorum.

8 Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de portione cibi regalis, neq; de uino potus eius, & rogauit eunuchorũ præpositum ne contaminaretur.

Babylonij abstrahere moliuntur Danielem & socios à cultu ueri dei blanditijs, beneuolentia, honoribus, esculentis delicatioribus: ipsi uero renituntur fide, prudentia, fortitudine, continentia, & superiores euadunt, superstitione gartiam dei. Non autem abstinebant sancti superstitione aliqua sperantes se inedia sua animas ita posse purificare & defecare, ut reuelationum illis contingeret sublimitas, sed quia sub lege erant, religiose quæ in lege deus præceperat obseruare studebant, & quia ad tenuitatem uictus assueti erant, & adolescentibus uini potus aduersus est, & familiaritatis commertium inducit cum impijs: idcirco cum cibos legitime restituerẽt, etiã à uino cauebant, à fomite peccandi abhorrentes. Sane Daniel iam grandæuus & extra periculum constitutus, uinum bibisse infra ostendetur. Ambiuit ergo gratiam eunuchi, ne imperio illius cogeretur contra institutum transire di legitimam dietam, ut quod secundum deum fieri debebat, gratia quoque humana liceret: ne uel cibis gentilium contra legem pollueretur, uel magistri sui leges contempsisse uiderentur.

9 Dedit aũt deus Danieli gratiã & misericordiã in conspectu principis eunuchorũ.

Nihil aspere locutus est eunuchus, nec illi gratificante dño, ut non contemneret uti gi, pectus illius puerum, nec execraretur uti diuersæ religioni addictũ, sed

sed indolem potius admiraretur generosam, qui exul fa
ctus liberè loqueretur non improba. Hæc autem benefi
cio domini aguntur, à quo gratia datur etiam humana
hominibus non procacibus & capitosis, in cuius pote=
state est cor & affectus hominis.

10 Et ait princeps eunuchorum ad Danie-
lem, Timeo ego dominum meum regem
qui cõstituit uobis cibum & potum: qui si
uiderit uultus uestros macilentiores præ
cæteris adolescẽtibus coæuis uestris, con-
demnabitis caput meum regi.

Timeo, inquit Eunuchus ego: quasi dicat, Esto tu re=
gem non timeas, ego cui mores illius sunt notiores, quan
tum sæuiat in rebelles, illum timebo, & tanto periculo
me non exponã: alioqui nisi metus regis obstaret, nihil
non in tuam gratiã facere paratus. Is uobis uictum pro
sua uoluntate cõstituit, ut corpore optimè ualeatis, &
decoro aspectu corã illo compareatis. Si itaque uultus
uestri præ tristitia uel inedia quacunque seueriores &
minimè alacres apparuerint præ cæteris æqualibus ue
stris, obnoxium facietis caput meum regi.

11 ¶ Et dixit Daniel ad Malasar, quem con
stituerat princeps eunuchorum super Da
nielem, Ananiam, Misaelem & Azariam:

12 Tenta nos obsecro seruos tuos diebus
decẽ, & dentur nobis legumina ad uescen
dum, & aqua ad bibendum:

13 & cõtemplare uultus nostros, & uultus
puerorũ qui uescuntur cibo regio, & sicut
uideris, facies cum seruis tuis.

Cibi simplicitas. Eunuchi repulsam passus Daniel, ad alium se exoran
dum uertit, seruilioris conditionis ministrum regis, qui
iussu principis Eunuchorum cibos ministrãdi officium
habebat, & iam non prætexit religionem, nec cibum
regium pollutũ nominat, sed simpliciter promittit, ui=
ctu leguminum habitiores se fore quàm regio cibo: &
ne falsa illos arbitretur loqui, rogat, ut periculũ faciat
diebus aliquot, incredibili fidei magnitudine audẽs non
solum sibi corpulentiam polliceri esu uilioris cibi, sed
& tempus statuere. Credebant sanè non solo pane ho=
mines pasci, sed magis uerbo ac benedictione dei, fiducia
quoque mandati diuini ferebantur, quod nõ essent dere
linquendi. Secus autẽ sentiendum, si absque diuina le=
ge prævia abstinere à certis cibis statuissent: præter na
turam autem est, rubere buccas, nitere cuticulam parsi
monia cibi & potu aquæ. Deus autem naturæ magister
est, & ex minimis maxima condere potest. Intra decem
dies autem perfectè agnosci potuit, num corpora uictu
macrescerent uel pinguescerent. Gratia Dei præstatur
hominibus robur & forma.

14 Qui audito sermone huiusce modi, ten-
tauit eos diebus decem.

15 Post dies autẽ decem apparuerũt uultus
eorũ meliores & corpulẽtiores præ omni=
bus pueris qui uescebantur cibo regio.

Fides non fallitur. Non fallitur fides fidelium, sed in tentationis medio
succurrit prouidentia dei, & cor mutat ac inclinat pro
uoto. Nõ suo sensu, sed dei instinctu acquieuit precibus
minister regis, ut decem illos diebus tentaret, post quos
miraculum appareret, fidei uirtus cõmendaretur, & ut
periculo carere uiderentur præcepta dei diligenter ob=
seruata: qua sua potentia ut quotidie ex paruis granis
magnæ arbores procreãtur, & uarij fructus, & ramos
profert granum sinapis, sic ex cineribus defunctæ car=
nis glorioſum nobis corpus restituet.

16 ¶ Porrò Malasar tollebat cibaria: & ui-
num potus eorũ: dabatq; eis legumina.

Non ultra tentat seruos dei, sed commutat illis le=
gumina cibo regio, stultam nimirum illorum sapientiam
existimans, quorum uirtutem imitari nolebat, sed tan=
quam rapinam delitias pueris paratas auferebat. Ita pijs
seruiunt impij aulici regis pessimi, modo suis commo=
dis consulant.

17 Pueris autẽ his quatuor dedit deus scien
tiam & disciplinã in omni libro & sapien-
tia: Danieli autem intelligentiã omnium
uisionum & somniorum.

Præmia inclyta dominus largitur eis, qui pro timore
dei pauca patiuntur, & spiritu diuino uincunt cupidi=
nes, quæ & hic recensentur, ut & alij munerum largi=
tate illecti ad uirtutes pelliciantur. Virtutes quidẽ admi
rabiles sunt, tanta fide mundi illecebras oblatas contem
nere, sed multò excellentiora sunt animi dona, sapiẽtia,
scientia, prophetia, gratia dijudicãdi uisiones & som
nia: quæ reuera non modica fuit gratia, quia nihil con=
tra uerbum dei ac fidem ex somnijs colligebat, ut impij
& curiosi solent, nec curiositate cognoscendi futura
permouebatur. Possunt sanè dijudicari somnia à medi=
cis, ad deprehendendũ causas morborũ, & inclinatio=
nes naturæ ad uitia uel uirtutes, diurnas solicitudines: fu
turorum autẽ præsagia somnia bene considerãda sunt,
num ex diuino uel maligno spiritu proficiscantur. Mul
tum enim à confusaneis illis distant, proxima autem ui=
gilantium uisioni. Quid autem portendant, dijudicare
eorum est, quorum est spirituum discretio.

Virtutes sanctorũ.

Sõnia dijudicanda.

18 Completis itaque diebus, post quos di-
xerat rex ut introducerentur: introduxit
eos præpositus eunuchorum in cõspectu
Nabuchodonosor.

Fideles suos deus indies magis ac magis exaltat. Ac=
cenderat in ipsis lucernam, quæ luceret coram multis,
proinde producuntur à rege examinãdi. Vincunt ergo
expectationẽ regis, & cunctis sapientiores iudicãtur,
iubenturq; regi assistere, publicisq; munijs fungi. Non
omnes autem iusserat introduci, sed præcipuos, & in il
lis admirabiles erant quatuor Hebræi.

19 Cumq; eis locutus fuisset rex, non sunt
inuenti tales de uniuersis, ut Daniel, Ana
nias, Misael & Azarias, & steterunt in con
spectu regis.

20 Et omne uerbum sapiẽtiæ & intellectus
quod scisciatus est ab eis rex, inuenit in
eis decuplum super cunctos ariolos & ma
gos qui erant in uniuerso regno eius.

Eruditio regis. Mirabile est potuisse tantũ tot gentiũ debellatorem non solum conferre cum doctißimis, sed etiam disiudicare. Non enim cuiuslibet fuerit discernere inter doctos, præsertim in Chaldæorum doctrina. Et quis iudicabit inter sapiẽtes, nisi etiam ipse sapiens sit? Sciscitabatur autem rex nõ curiosa tantũ & inutilia, ut Herodes, sed uerba sapientiæ & scientiæ, & comperiebat illos decuplo super alios excellere, erant enim præditi non humana tantũ sapientia, sed etiam diuina, nõ ea philosophia & sophistica disciplina, quam Græcorũ pollicetur eruditio, sed iuxta doctrinã gentis Barbaræ, qua tunc Chaldæi philosophabantur præcipue.

21 Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis.

Aetas Danielis. Durauit Daniel à temporibus primæ captiuitatis Iudaicæ quæ transmigratio dicitur, usque ad monarchiam Cyri, ultra septuaginta annos, magnusq; semper fuit habitus, & quasi princeps inter Iudæos. Sic enim populum suum in calamitate illa consolabatur deus: & quoniam mira prædicturus erat per illum, & gloriam suam uindicaturus, ideo dignitatem ac sanctimoniam eius notam uolebat fieri omnibus. Nec hic dicitur Daniel statim mortuus à principio regni Cyri, sed uixisse etiam usque ad imperium Cyri.

CAPVT II.

1 IN anno secundo regni Nabuchodonosor somniauit Nabuchodonosor somnia, & contritus est spiritus eius, & somnium eius fugit ab eo.

Sapientia diuina & humana. Sapientiam humanã nihil esse comparatione diuinæ, omnia quoque huius mundi imperia quamlibet excelsa & magnifica uideantur, uana esse & fragilia, regnum autem Christi, quod principio humile uidebatur, fore inuictum, maximum ac perpetuum, id per somniũ regi proponitur, sed per solum uirum dei explanatur. Secundus hic annus dicitur regni iam suscepti ac perfecti in omnes Barbaras nationes, non Iudææ tantum & Chaldæorum, sed Assyriorum quoque Aegyptiorum & reliquarum omnium, quas domino concedente superarat. Tunc enim uidetur ab imperio confirmato nouam numerationẽ incepisse, quando & iam quietus somniauit rex somnia multa solicitudine anxius, de futuro rerum statu, ut hac occasione deus uteretur ad ueritatis manifestationem. Cõterritus est autẽ spiritus illius, tanto scilicet in seipso pauore correptus, ut & cor eius præterrore quasi pulsatũ agitari et tremere cœperit, unde & obliuione deletum est insomnium & confusum: uel sic expergefactus est, ut ultra dormire nõ ualuerit. Rex autem facilè pro sapiẽtia sua intellexit ex insolito pauore & repetitione non esse uulgare somniũ uel contemnendum, unde & suam deus gloriã augere uoluit apud gentes, & captiuorum Israelitarum solatium procurare, quod & in Pharaone legimus, ut Ioseph & Daniel domino domini omnibus præferrentur.

2 Præcepit autem rex ut conuocarentur arioli, & magi, & malefici, & Chaldæi: ut indicarẽt regi somnia sua. Qui cum uenissent steterunt coram rege:

Incantatores Videntur Incantatores dici, qui uerbis rem peragunt, Ariolos Magi qui de singulis philosophantur, Maleficos qui sanguine utuntur & uictimis, & sæpe contingunt corpora mortuorum, Chaldæos uerò Genethliacos esse puto, quos uulgus Mathematicos. Consuetudo autem magos pro maleficis accipit, qui tamen apud istas gentes sapientes habentur & philosophi, ad quorum consilia & præuisiones reges & principes illarum omnia faciunt, unde & tales Christum ad apparitionem stellæ requisierunt.

3 & dixit ad eos rex: Vidi somniũ, & mente confusus ignoro quid uiderim.

Vmbra quædam, & ut ita dicam, aura somnij atq; uestigium remansit in corde regis, ut referentibus aliis poßit reminisci eorum quæ uiderat, et nequaquam eum deciperent mentientes. Non autem Daniel et socij illius uocantur, tametsi longè sapientiores, ex inuidia Iudaicæ gentis, & dispensatione dei, ut ab omni ostentatione & ambitione alieni, latere magis interim optauerint cum populo suo, quàm delitiari in regio palatio. Ingressi autem steterũt coram rege, rati regem de præstigijs suis rogaturũ aliquid, magna fidutia uenerunt, & magnam spem regi fecerũt. Ipse autem queritur se sic mente concussum, ut recolligere seipsum nõ potuerit, scire quidem se diuinum aliquod & insolitum uidisse, sed ex ordine recensere non posse, non tamen dubitare magnum aliquod arcanum continere.

4 Responderuntq; Chaldæi regi Syriace, Rex in sempiternum uiue: dic somnium seruis tuis, & interpretationem eius indicabimus.

Hucusq; quæ lecta sunt sermone narrantur Hebræo, Hebraica & Chaldaica Ab hoc loco usque ad uisionem anni tertij regis Baltassar, quam Daniel uidit in Susis, Hebraicis quidem literis sed lingua scribuntur Chaldaica, quam uocat hic Syriacam uel Arameam, parum distantem ab Hebraica & Chaldaica: qua doctiores fortaßis Chaldæi usi sunt, differentes ut Latinum & Italicum. Blande autem & adulatorie salutant regem, aulicorum more, ueluti præsagientes uel cupientes perpetuum fore regnum. Superuires autem aureos montes pollicentur simpliciter, sine deo inuocato reuelatore secretorum.

5 Et respondens rex ait Chaldæis, Sermo recessit à me: nisi indicaueritis mihi somnium & coniecturam eius sanguinis supplicio peribitis uos, & domus uestræ publicabuntur.

Ardor quidem cognoscendi somnium in rege nimius fuit, sed solent Astrologi nonnunquã ferè æque impossibilia scitu promittere, dum aduentantis hominis quæsturi horam & momentum applicant ad suum horoscopum, & quæstionum uariarum prædicunt causas, quales uerisimile est istorum quosdam aliquando promisse. Qui ex tanti regis curis aßiduis, attenta cõstellatione illi propria, secundũ suas regulas, quicquid arduum regi tanto

gi tanto monarchæ contigisset ignorare non debebant, maxime tam horribile somnium ob quod tanta anxietas non solum regi, sed totius regni primatibus & sapientibus accidisset. Si uera esset illorum ars, & arrogans semper iactatio illorum qualis & usque hodie Geomanticis adest, ex fortuitis incertißimisq; notis ac punctis astrorum perpetuos motus calculari: non ergo tam fuisset irrationabilis quæstio regis, ad tam stultos iactatores artium sacrilegarum. Comminatur autem illis mortem, quod Syrus scriptor Sanguinum perditionem dixit, ut iudicio sanguinis pereant & capite plectantur, si non utrunq; reseruerint, somnium scilicet & interpretationem eius, & ut publicentur illorum domus, fiscoq; uel usui publico applicentur.

6 Si autem somnium & coniecturam eius narraueritis, præmia & dona, et honorem multum accipietis à me: somnium igitur, & interpretationem eius indicate mihi.

Sciebat non minus auaros, quàm uitæ auidos & mortem abhorrentes, ideo liberalißima illis dona promittit, & stipendij auctarium quo illos allebat. Addidit quoq; pro ambitione eorum ampliſſimos honores, nulla illis excusatione relicta.

7 Responderunt secundo, atque dixerunt. Rex somnium dicat seruis suis, & interpretationem illius indicabimus.

8 Respondit & rex, & ait: Certè noui quòd tempus redimitis, scientes quòd recesserit à me sermo.

9 Si ergo somnium nõ indicaueritis mihi, una est de uobis sententia, quòd interpretationẽ quoq; fallacem & deceptione plenam composueritis ut loquamini mihi donec tempus pertranseat. Somniũ itaque dicite mihi, ut sciam quòd interpretationem quoque eius ueram loquamini.

Dolus fallendi. Dißimulant strenue inscitiam, promittunt magnifice quod uires suas excedit, confidunt regem ab instituto somnij, hoc enixius urgent regem ut illud edicat, quod uires suas excedit, confidunt regem ab instituto suo posse abduci. Quia enim rex confessus erat obliuionem somnij, hoc enixius urgent regem ut illud edicat. Proinde dolum rex sapiens statim agnouit, non se permittens ambagibus & uaniloquijs ab inquisitione abduci. Subolet quid moliantur, rem scilicet procrastinari & occasiones inferere quo causa discedatur, & urgere ad obliuionem somnij. Magna res est teneri desiderio ueritatis, sed necessaria est prudentia, ut cum incideris in seductores, ne falsa pro ueris recipias. Minatur autem rex unam fore de omnibus illis sententiam, id est omnes similiter occidendos, ut mendaces & impostores, quales absque dubio erant. Et quod nunc regi præstare nõ possunt eloqui & profiteri.

10 ¶ Respondentes ergo Chaldæi coram rege, dixerũt: Non est homo super terrã, qui sermonem tuum, rex, possit implere: sed neque regum quisquam magnus & potens, uerbum huiuscemodi scisciatur ab omni ariolo, & mago, & Chaldæo:

11 Sermo enim, quem tu quæris, rex, grauis est: nec reperietur quisquam qui indicet illum in conspectu regis: exceptis dijs, quorum non est cum hominibus conuersatio.

Confitentur magi, cõfitentur arioli, & omnis scientia secularis literaturæ, præscientiam futurorũ non esse hominum, sed dei. Ex quo probatur, prophetas dei spiritu locutos, qui futura cecinerunt. Verum quidem fatentur, quod homo talia docere non possit arcana: hoc autem nesciebant, quanta deus electis suis largiatur, qui cum uulgo non sint cõnumerandi, & quod non habitet deus cum hominibus sæculi & diuitiarũ aut libidinum amatoribus, cuius delitiæ sunt cum filijs hominum conuersari, & mentem suam instillare electis, qui sunt templum dei. Similiter in hoc errant, quod nullus rex tale quippiam quærat, cum ipsi talia extra angores positi de sua arte promittere consueuerint: secreta scilicet naturæ scire, & somniorum causas indagare, subindeq; & somnia, & illorum interpretationes: uerum cum arctantur ad ueritatem certam comprobandam, iam in talibus deprehenduntur nulli. Confessio magorum.

12 Quo audito, rex in furore & in ira magna præcepit ut perirent omnes sapientes Babylonis.

Non sine causa rex tantis impostoribus succensens eos interire iubet, conculcari sal infatuatum & inertia onera terræ, doletq; pestes tantas humani generis tanto sumptu fouisse, & cum opera illorũ opus haberet rex, nihil reddi commodorum: præcepit ergo perdi sapientes Babylonis. Quod autem omnes sapientes Babylonis occidi iubet, furiam resipiscit & tyrannidem, licet omnes intelligi possit pro multis, uel pro talium artium superstitiosarum professoribus.

13 Et egressa sententia, sapientes interficiebantur: quærebaturq; Daniel & socij eius, ut perirent.

Crudele edictum erat ad mortem quæri etiam Danielem, cum suis socijs, quibus uti contemptioribus apud illos propter inuidiam nihil de quæstione regis propositũ erat, quin & accersiti sapientes omnium nomine uidebantur respondisse, non extare qui regi edisserat imperata. Soli primum ingressi fuerant, quasi soli præmia percepturi, postea autem in periculo uoluerunt habere consortes, quos in spe gloriæ refutauerant.

14 ¶ Tunc Daniel requisiuit de lege atque sententia ab Arioch principe militiæ regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis.

15 Respondit & dixit ad Arioch, qui à rege potestatem acceperat, quam ob causam tam crudelis sententia à facie regis esset egressa. Cum ergo rem indicasset Arioch Danieli,

Daniel plenus fide in deum, & fortitudine animi, audet de consilio regis inquirere, intrepide temeritatem redarguere, precibus sapientiam à deo petere, & ubiq; Danielis fides fortis.

gloriam deo tribuere inuenitur, humiliter quoque de se sentire, placide charitatis erga inimicos suos officio fungi, exactissime ueritatem mysteriorum docere: atq; ita omnibus uirtutibus præditũ, ex humili initio ad summi honoris culmen euehi uidemus. Occurrit ergo innocentia fretus spiculatorũ magistro Arioch, cuius etiã nomen leoninam feritatem sonat, sciscitaturq; mansuete & prudenter, quid sibi uelit hoc edictum supra modum crudele, nõ dubitans haud uulgarẽ causam esse regi contra tam charos & sapientes. Discens aũt regem ignauia Chaldæorũ exasperatũ, in hoc regẽ taxat quod lex acce lerata sit. Nam licet illi regi non potuerint satisfacere, se tamen id à deo posse impetrare promittit. Arioch autẽ uictus potentia diuini spiritus, totũ negotium exposuit, desiderium scilicet regis ad somnij cognitionem, quamq; delusus sit à magis familiariter acta recenset, & accedere permittit ad regem.

16 Daniel ingressus rogauit regẽ ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi.

Nõ semper latitandum sanctis.

Postquam diu delituerat humilis & minime ambitiosus Daniel apud suos, captata occasione quærendæ & promouendæ gloriæ Dei, idolaq; & superstitiones confundendi animaduertit domini uoluntatem esse regem accedere, ideo nihil reueritus iram regis, nihilq; cunctatus tempus impetrat inquirẽdi à domino mysterij, quod prouidentia dei rex non negat. Conciliabat autem Danieli regis gratiam, quod non petebat primum sibi narrari somnium, ut magi, ac sine arrogantia promittebat gratiam dei sibi sine dubio affuturam. Gloriantur enim sancti in deo sancte, sicut impij absq; deo impie.

17 ¶ Et ingressus est Daniel domum suam: Ananiæ ç & Misaeli, & Azarię sociis suis, indicauit negotium:

18 ut quærerent misericordiã à facie dei cœli super sacramento isto, & non perirent Daniel & socij eius, cum cæteris sapiẽtibus Babylonis.

19 Tunc Danieli mysterium per uisionem nocte reuelatum est, & benedixit Daniel deum cœli.

Daniel locum & tempus postulat, et captat, nõ quo tractatione & sagacitate mentis occulta perquireret, sed quo occultorum dominum precaretur. Et ideo Ananiam cum sociis iungit sibi ad preces, ne solus de suo merito uideatur præsumere, ut quorum erat comune discrimen, communis esset & oratio. Domi suæ orant, non necessario conuocant synagogam. Sapientia petenda est à domino, deus uult orari pro donis suis, ut sua esse cognoscantur. Non angelos, non defunctos orant, sed dcũ cœli, patrem in absconditos, et rebus cunctis præsidentẽ. Petunt autẽ miserationes, nequaquã sua sanctimonia confidentes. Iuncti uno spiritu orant apostolico more, perseuerando usq; ad profundã noctẽ. Cæteris somno præ mœrore pressis, et metu mortis supra modũ anxijs, illi sanctis desiderijs orantes cõsolantur. Voti igitur cõpos non fit elatior, sed humili gratáq; confessione muneris autorem celebrat. Benedicere enim deũ cœli, est gratias agere.

Orationis efficacia.

20 & locutus ait: Sit nomen domini benedictum à sæculo & usq; in sæculum: quia sapientia & fortitudo eius sunt.

Ad distinctionem eorum qui uersantur in terra, & qui dæmoniacis artibus atq; præstigijs terrena deludit, Daniel deo cœli benedixit, omnium bonorum fonti & autori. Hæc sunt uota sanctorum omnium, in prosperis & aduersis domini nomen benedici & sanctificari, qui semper sibi similis est, semper benefacit, liberat, & exaudit, ideo semper laudandus. Cuius sapientia & fortitudine omnia gubernantur & regunur, quæ summa sunt in deo, in regibus uero & sapientibus mundi tenuis tantum est & exigua illorum umbra. Vota bonorum.

21 Et ipse mutat tempora & ætates: transfert regna atq; constituit: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam.

Non ergo miremur, si quando cernimus & regibus reges & regnis regna succedere, quæ dei gubernantur, mutantur & finiuntur arbitrio: causasq; singulorũ nouit ille, qui conditor omnium est: & sæpe reges malos patitur suscitari, ut mali malos puniãt: simulq; subditos dit & generali disputatione præparat auditorem, sonium quod uidit esse de mutatione & successione regorum. Dat sapientiam sapientibus, uel quia nulla est uera sapiẽtia, nisi quæ desuper datur, uel ut audiẽs sapientiã fiat sapiẽtior, et qui habet, plura accipiat: animæ enim quæ feruet amore sapientiæ libenter infunditur dei spiritus, in peruersam autem animã non introibit sapientia. Successio regnorum.

22 Ipse reuelat profunda & abscondita, & nouit in tenebris constituta, & lux cum eo est.

Quæ nobis profunda sunt, deo proxima sunt: et quæ nobis tenebræ, ipsi luce clariora, qui & lux est omnem illuminans hominem uenientem in hunc mundum. Itaq; futura prædicere solius dei opus est, quod nec angeli, nec dæmones ex se habent, tametsi subtilitate & perspicatia naturæ multa statim cognoscant, ex quibus futura coniectant.

23 Tibi deus patrum meorũ confiteor, teq; laudo: quia sapientiam & fortitudinẽ dedisti mihi, & nunc ostendisti mihi quæ rogauimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis.

Ne sui uideatur meriti quod impetrauit, refert ad patrum iustitiam, & ad ueritatem dei, qui seminis eorum etiam in captiuitate miseretur. Quod autem quatuor rogant uni ostenditur, ut & arrogantiam fugiat, ne solus impetrasse uideatur, & agat gratias quod mysterium somnij solus audierit.

24 Post hæc Daniel ingressus ad Arioch, quem cõstituerat rex ut perderet sapientes Babylonis, sic ei locutus est, Sapientes Babylonis ne perdas: introduc me in conspectu regis, & solutionem regi narrabo.

Imitatur clementiam dei, qui pro persecutoribus deprecatur, & non uult eos perire, propter quos fuerat ipse

ipſe periturus. Vera ſapientia non eſt ſanguinaria, nec uindictæ auida: ſolidiori enim fundamento nixa eſt, quàm ut ab alijs ſuperari metuat.

25 Tunc Arioch feſtinus introduxit Danielem ad regẽ, & dixit ei: Inueni hominem de filijs tranſmigrationis Iudæ, qui ſolutionem regi annuntiet.

Superborũ uoces.

Dei gratiam ſuperbus Arioch ad ſuam refert dilectionem, & inuenisse ſe arroganter dicit, cum Daniel ultro ſe obtulerit ut introduceretur ad regem. In quo uanitas oſtenditur nuntiorum, qui cum bona nuntiant, ſua uideri uolunt: qui autem ſolutionem ſomnij reprobant, utiq; ante narraturus eſt ſomnium.

26 Reſpondit rex, & dixit Danieli cuius nomen erat Baltaſſar: Putáſne uerè potes mihi indicare ſomnium quod uidi, & interpretationem eius?

Dubitabundus rex, & inter ſapientes Babel ac Ieruſalem nullum diſcrimẽ habens, anxius interrogat, num poſſit interpretationem afferre, tametſi propheta præcedente die dixiſſet ſe indicaturum regi. Seruat autem ordinem quæſtionis rex, ut primum ſomnium quod ſe Magi ignorare reſponderant, & poſtea interpretationem quærat ſomnij, ut cum ſomnium audierit, & quæ uiderat reminiſcendo recognouerit, tũc credat & interpretationi, quæ uariam recipit coniecturam.

27 Et reſpondens Daniel coram rege, ait, Myſterium quod rex interrogat, ſapientes, magi, & arioli, & auruſpices nequeũt indicare regi.

Sermo ſanctorum.

Sermoni prophetæ ad regẽ deeſt adulatio, nec ſapientibus Magis obtrectat, ſed excuſat magis, ut in uita conſeruet: negat eos præſtare potuiſſe quod ab eis petebatur: modeſtia quoq; ſumma negat ſe quoq; potuiſſe, niſi dominus reuelaſſet, gloriam domini dei ſui præferens minime iactabundus. Myſterium autem uocans ordinem ſomnij reuelati, oſtendit quicquid occultũ eſt et ab hominibus ignoratur, poſſe myſterium nuncupari.

28 Sed eſt deus in cœlo reuelans myſteria, qui indicauit tibi rex Nabuchodonoſor, quæ uẽtura ſunt nouiſſimis temporibus. Somnium tuum & uiſiones capitis tui in cubili tuo, huiuſcemodi ſunt,

Eruſtra igitur ab hominibus quæris in terra, quod deus ſolus nouit in cœlo, & occulte retrahens eum à multorum deorum cultura ad unius dei notitiã dirigit. Abſq; adulationis uitio ueritate ſociata blãditur regi, quod illi à deo myſteria ſint reuelata, quæ nouiſſimis temporibus ſint uentura. Nouiſſimi autẽ dies ex eo numerandi ſunt tempore, quo Danieli ſomnium reuelatũ eſt, uſq; ad conſumationem mundi, niſi Hebraico more pro poſterioribus capiantur.

Cauſæ ſomnij.

29 Tu rex cogitare cœpiſti in ſtratu tuo quid eſſet futurum poſt hęc, & qui reuelat myſteria, oſtendit tibi quæ uentura ſunt.

Indicat cauſas ſomnij, quod idcirco ei deus futurorũ myſteria reuelauerit, quia ipſe rex uoluerit ſcire futura: & ut Nabuchodonoſor diuinæ inſpirationis mire tur gratiam, non ſolum quid in ſomnio uiderit, ſed ante ſomnium quid tacitus cogitarit exponit. Tanta denicq; eſt clementia dei ut etiam prophano regi, diſpenſationis ſuæ qua mundum regit, myſteria reuelaret.

30 Mihi quoq; non in ſapientia quæ eſt in me plus quàm in cũctis uiuentibus, ſacramentum hoc reuelatũ eſt: ſed ut interpretatio regi manifeſta fieret, & cogitationes mentis tuæ ſcires.

Somnia in quibus aliqua uentura ſignãtur, et quaſi per nubilũ ueritas demonſtratur, non patent coniecturibus, & humanæ mentis arbitrio, ſed dei ſolius ſcientiæ. Honorat autem regem, dicens, deſiderio ſuo dominum deum gratificari uoluiſſe.

31 ¶ Tu rex uidebas, & ecce quaſi ſtatua una grandis: ſtatua illa magna, & ſtatura ſublimis ſtabat contra te, & intuitus eius erat terribilis.

32 Huius ſtatuæ caput, ex auro optimo erat: pectus autem & brachia, de argento: porro uenter & femora ex ære.

33 Tibiæ autem ferreæ: pedum quędã pars erat ferrea, quædam autem fictilis.

34 Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis (de monte) ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos.

35 Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt uento: nullusq; locus inuẽtus eſt eis: lapis aũt qui percuſſerat ſtatuã, factus eſt mons magnus, & impleuit uniuerſam terram:

36 hoc eſt ſomnium. Interpretationẽ quoque eius dicemus coram te, rex.

Somnij expoſitionẽ Daniel ipſe explicat. Primo aũt depingitur ſtatua, deinde eius per lapidem corruptio proponitur. Verè autem nihil niſi figura eſt mundus ille & imago magna, in quo regna mundi ſunt, quorum ſplendorem ac maieſtatem homines ſtupent, tyrannidẽ autem & gladium exhorreſcunt, quo conſolationem boni habeant, merita autem ſupplicia mali recipiant ordinatione diuina. Sic quoque habet ratio mundi, ut prima quæq; pulcherrima, poſteriora deteriora ſint. Vides enim caput aureum, ſuccedit pectus argenteum, deinde lumbi ærei, inferiora autem ferrea ac fictilia: tandem ſequitur contritio rerum ſcilicet mundanarum quæ loco ſuo permanere non poſſunt. Dei autem omni potentia & uirtus dicitur lapis ſine manibus, qui regna potentiſſima uno momento deijcit & confringit, qui eadem quoque eſt uirtus & regnum Chriſti.

Statua figura mundi.

37 ¶ Tu rex regum es, & deus cœli regnũ & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi:

Solas quatuor præcipuas monarchias deſcribit, illas ſub quibus Iudæi adfligendi erant. Exponens aũt ſtatuæ

partes à capite incipit, quod aureum apparebat, & regnum Babylonicũ significabat, sub Nabuchodonozor, qui inuictißimus ultra quadragesimum annum regnauit, & senex quietum regnum filio Euilmerodach reliquit. Domino tradẽte accepisse dicitur in uocibus prophetarum, cui quæ non seruiret gens quæcunque, exterminanda prædicitur ex domini uolũtate. Comparatum arbori pertingenti ad cœlum, Aquilæ magnarum alarum, sub qua iustitia maior uiguerit quàm sub sequentibus. Semper enim iniquitati priorum seculorũ aliquid posteriora addiderunt.

Babylonicum regnũ.

38 & omnia in quibus habitãt filij hominũ & bestiæ agri, uolucres quoque cœli dedit in manu tua, & sub ditione tua uniuersa constituit, tu es ergo caput aureum.

Nulla unquam monarchia etiã Romana, sic uniuerso orbi præfuit, ut nullã prouintiã relinqueret indomitã. Vnde hyperbolicus hic sermo est, & solius est Christi dignitati seruatũ, ut spiritu suo & uirtute ab ortu solis usque ad occasum suorũ corda plenè regat & pascat fidelium animas atq; defendat. Vbiq; autẽ monetur Babylonius, quod à deo cœli habeat imperiũ suũ, non ab idolis suis, sed neque suis id sibi uiribus acquisierit.

Monarchia nulla.

39 Et post te consurget regnum aliud minus te, & regnũ tertiũ aliud æreum, quod imperabit uniuersæ terræ:

Medorum uidelicet atq; Persarũ, quod argenti habet similitudinẽ, minus priore, & maius sequẽte. Tertium autem regnũ Alexandri fuit Macedonis, successorumq; Alexãdri, quod rectè æneum dicitur. Inter omnia enim metalla æs uocalius est, & timnit clarius, sonitusq; eius longe lateq; diffunditur, ut nõ solũ famam & potentiã regni, sed & eloquentiã Græci sermonis ostenderet.

Medorum, Græcorũ.

40 & regnum quartum erit forte uelut ferreum. Quomodo ferrum comminuit & domat omnia, sic comminuet & conteret omnia hæc.

Perspicue hoc pertinet ad Romanum imperium. Ferrum est quod cõminuit & domat omnia, sed pedes eius & digiti ex parte ferrei, & ex parte sunt fictiles, quod ex fine illius sub Gothis & alijs manifestißimè comprobatur. Sicut enim in principio nihil Romano imperio fuit fortius & durius: ita in fine rerũ nihil imbecillius, quando & in bellis ciuilibus, & aduersum diuersas nationes, aliarum gentium barbarorum indigemus auxilio. Hæc Hieronymus.

Romanorũ.

41 Porrò quia uidisti pedum & digitorum partem testeam figuli, & partem ferream: regnũ diuisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod uidisti ferrum mixtum testæ ex luto.

42 Et digitos pedum ex parte ferreos & ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidũ, & ex parte contritum.

Diuisum hoc regnum fore dicit, & in seipso dißidere: à fratricidio cœpit, bellis intestinis continuatum est, diuisum tandem in orientale & occidentale, discerptum à Turcis. Vtcunque grauia sæpe perpessum, subsistit tamen ueluti in plãta ferrea. Victi enim sæpe Romani, iterum triumpharunt de omnibus ferè gentibus. Reguios semper plurimos habuit, tanquam pedum digitos inter se perpetuis bellis confligentes, quotidie noua bella, noua fœdera.

43 Quod autẽ uidisti ferrum mixtum testæ ex luto, cõmiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebũt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ.

Iudæi tentauerunt se commiscere regno Romano, amicitiam illorum ambiendo & assequendo multipliciter, sed infeliciter illis cesßit, & ad suã perniciem, Romanis tam atroci ambitione inflãmatis ad bellum, ut nulla ratione parcere uoluerint Iudæis amicis suis, qui sibi ipsis parcere non potuerunt, homines alieni à charitatis affectu, nescij fœderis & immisericordes, ut meritò non solum ferreum, sed etiam fictile sit dictum.

44 In diebus autem regnorũ illorum suscitabit deus cœli regnũ, quod in æternum non dissipabitur, & regum eius alteri populo non tradetur: cõminuet autẽ & consumet uniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum:

In fine horum omniũ regnorum, auri, argenti, eris & ferri, absciſus est lapis dominus atque saluator sine manibus, id est absq; coitu & humano semine, de utero uirginali, & contritis omnibus idolorum regnis, factus est ipse mons magnus, & impleuit uniuersam terrã. Quod Porphyrius Iudæi & impius Porphyrius male ad populum referunt Israel, quem in fine seculorum uolunt esse fortißimum, omnia regna conterere, & in æternũ regnare, quod de Christiano regno uerius intelligitur in quo Christus rex regum factus est, & Israelis legitimum semen obtinuit totum orbem, non armorum potestate, sed fidei uirtute, quod regnum dicitur regnum cœli.

45 Secundum quod uidisti, quòd de mõte absciſus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentũ, & aurũ, deus magnus ostẽdit regi, quæ uentura sunt postea, & uerum est somniũ, & fidelis interpretatio eius.

Rursum reuelationẽ somnij non sui dicit meriti, sed ut interpretatio regi manifesta fieret, & ut doceret regẽ quod deus solus esset colendus. Initio regnũ Christi humile, & lapidi ad ædificium ab ædificãtibus reprobato comparatũ, in tantũ crescit ac mons magnus erit, ut impleat terrã. Potest etiã dici lapis impolitus, & qui sponte nõ extractus è mõte cadat. Mons etiã iste mons Sion est, & Iudæorum populus, è quo Christus crucifixus in populum creuit totum mundum replentem.

46 ¶ Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciẽ suã, & Danielẽ adorauit, & hostias, & incensum præcepit ut sacrificarent ei.

Rex Chaldæorũ auditis mysterijs, cogitauit exactißi me somnium esse declaratum ac dissolutũ, non humana industria, sed reuelatione diuina, gratũq; se exhibet deo &

& prophetæ suo, nõ erubescens procumbere ad dei beneuolentiã sibi præstitã per seruum suũ, deo in homine religiose gloriam dando. Nec cõtentus sua adoratione, præcipit & cæteris, ut ei sacrificent oblationes & odoramenta libent, addens promissiones magnificas, quæcunq; scilicet esset petiturus. Quãuis autẽ hæc terrena spectare uani sit hominis & mundani, scripta tamen sunt, ut præmia intelligamus quãta sint, quæ deus repo suit diuinam sapientiam amplectentibus.

47 Loquẽs ergo rex, ait Danieli, Vere deus uester, deus deorũ est, & dominus regum, reuelans mysteria: quoniã tu potuisti aperire hoc sacramentum.

Causa adorandi. Causas adorandi, & immolandarum hostiarum, incensi quoque & sacrificij ipse rex exposuit, dicens Danieli: Vere deus uester deus deorum est &c. Ergo non tam Danielem quam in Daniele deum adorat, qui mysteria reuelauit, quandoquidem & iam ante Daniel anteuerterat regẽ, ut nõ crederet aliqd se posse huiusmodi, sed à deo solo hæc quærenda, qui daret quando & quibus uellet, magisq; in gratiam regis hæc reuelasset, quàm in gloriam Danielis.

48 Tunc rex Danielem in sublime extulit, & munera multa & magna dedit ei, et constituit eum principẽ super omnes prouincias Babylonis, & præfectũ & magistrũ super cunctos sapientes Babylonis.

49 Daniel aũt postulauit à rege, & cõstituit sup opera prouintiæ Babylonis, Sidrach, Misach & Abdenago: ipse autem Daniel erat in foribus regis.

Honor sapientiæ. Honoratur diuina prouidẽtia Daniel à rege inter magistratus & signiferos, ueluti Chaldæorũ præcipuus, ut suos iuuare possit. Libertas quoq; prophetæ ostenditur in accipiẽdis muneribus, ut magis eleemosynarũ collector uideatur pro pauperibus, quàm accumulator thesaurorum. Non enim peccãt sancti, sic dona accipiẽtes, ut se & alios sustẽtent, & nullis sint onerosi. Nõ suscepta dona pensiculanda sunt, sed animus recipientis.

¶ CAPVT III.

1 Abuchodonosor rex fecit statuam aureã altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorũ sex, & statuit eam in campo Dura prouintiæ Babylonis.

Docuit deus iam nunc omnem sapientiam præter diuinam esse uanam, & omnia regna præter Christi regnum esse caduca: nunc omnem externã religionem ut pestiferam docet abijciendã, & solum ueri dei cultum obseruandũ. Notandum uerò quomodo regem Babel potentia ex parte ueterũ deum agnouisset ex prædicatione Danielis, gentilibus tamen uitijs irretitus, diaboli tentationibus acquieuit, suam imaginẽ coli præcipit, suaq; præceptа diuinis uult placitis præferri. Tandẽ tamen delictũ suum publica pœnitentia & pia confessione abolet. Dicitur autem hæc gesta historia sextodecimo anno post explanatum prædictum somniũ. Cum longe lateq; illius imperio subessent omnia, placere sibi cœpit, rerumq; à se gestarũ cupiebat memoriã posteritati cõmendari, & seipsum in deorũ numerũ referre uoluit, pro gentilium more. Obseruat autẽ rex impius, ut spectaretur augusta proceritas, ideo magis amat sublimitatẽ superbus, quàm uel longitudinẽ uel latitudinẽ. Non magni facit si multis prosit se per charitatem diffundens, & per perseuerantiam diu duret: sed hoc unũ spectat, ut cõspicua sit, & quamplurimis uisa, cuncta excellet, hanc etiam ob causam posuit eam in campo plano & habitabili. Sublimitas.

2 Itaq; Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus & iudices, duces & tyrannos, & præfectos, omnesq; principes regionũ, ut conuenirent ad dedicationẽ statuæ quam erexerat Nabuchodonosor rex.

Principes cõgregãtur ad adorandũ statuã, ut per prin cipes seducantur & gentes. Qui enim diuites sunt & potentes, dum timẽt carere diuitijs & potẽtia, facilius supplãtantur. Seductis aũt magistratibus, subditi quoq; populi maiorũ exemplo pereunt. Quo autẽ uenerabilius fieret stultum illud simulachrũ, ad auri & artificij preciũ addit etiã initiationis ceremonias: cognoscebat enim rex astutus uulgi ingeniũ, & quibus artibus allici queat. Abhorrent enim simpliciores, & res nõ tanti faciunt, quas nullis externis pompis augustiores uident: at sublimia & rara stupent: unde quæ alioqui contemptiora sunt, lenocinio & larua quapiã ceremoniarum admirabilia fiunt. Talia quoq; Salomon adhibuit tẽplo, & Moses tabernaculo, & regum coronationibus promore adhibentur, quod non est intolerabile, si legitima tantũ autoritas quæreretur: multum enim refert quàm obseruẽtur hi qui præsunt. Diligenter autẽ nomina magistratuum connumerantur, quorũ uarietas necessaria regnis, etiã pro gentiũ consuetudine uarie nominãtur. Stultitia regum & populorum.

Satrapæ primi post regẽ principes erant in regno Babyloniorũ, præfectorũ præfecti tanquam fratres regis. Signei illis dicebantur, q exercitui & militibus præsunt imperatores scilicet. Præsides singularũ prouintiarum Toparchæ illis dicti, quasi in prouintijs suis regis uicarij. Adargazaræi exactores sunt, legũ scilicet custodes, qui alios ad suã operã solicitãt, & singulis quid faciendum præscribunt. Quinti sunt Gedabræi quæstores, uel thesaurarij, collectores tributorum. Sexti sunt Dethabraæi, qui à cõsilijs regi sunt, Legisperiti, cancellarij & signatores. Septimi Thiphtaæi clauium custodes, sic ut includãt & soluãt à carceribus, spiculatores quoq; & lictores. Tota autem illa multitudo tunc pendebat non ab æquo & iusto, sed à gratia regis cui adulabantur. Nomina magistratuum.

3 Tũc cõgregati sunt satrapæ, magistratus & iudices, duces & tyrãni, & optimates q erant in potestatibus cõstituti, & uniuersi principes regionũ, ut cõuenirẽt ad dedicationem statuæ quam erexerat Nabuchodonosor rex. Stabãt aũt in cõspectu statuæ quam posuerat Nabuchodonosor rex,

4 & præco clamabat ualenter, Vobis dicitur populis, tribubus & linguis,

Quamlibet impia iubenti regi omnes pariter obediunt, deficiunt à uero deo, & declinant ad mutum & inanimatũ simulacrum, à quo nec salutem, nec pœnam expectat homo, uiliores facti imagine. Rex autem per præconem promulgans edictum, gemina ratione reluctantes infestat: à dextris & sinistris pugnat satan, uoluptate & tormentis, ut qui delitijs nõ irretiuntur, pœnis grauissimis cedant.

5 In hora qua audieritis sonitũ tubæ & fistulæ, & citharæ, sambucæ & psalterij, & symphoniæ, & uniuersi generis muficorum, cadentes adorate statuã aureã quam constituit Nabuchodonosor rex.

6 Si quis autem non prostratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacẽ ignis ardentis.

7 Post hæc igitur statim ut audierunt omnes populi sonitum tubæ, fistulæ & citharæ, sambucæ & psalterij, symphoniæ & omnis generis muficorum: cadẽtes omnes populi tribus, & linguæ adorauerunt statuam auream quam cõstituerat Nabuchodonosor rex.

Musica laudata.

Musica multum momenti habet ad animos componendos & cõcitandos, religiosis quoque affectibus non parum seruit. Tuba uel cornubus cõuocãtur populi, quod pastoralibus fistulis minus cõuenit. Omnia organorũ genera aderant ad lætitiam, & ad dignitatem spectaculi promouendam. Ex altera autem parte, qui obsequi noluissent iguis terroribus maximis terrebãtur. Iubentur autẽ cadere & adorare, simplicis populi abutendo obedientia, pro qua solidãda etiã principes insistũt, & ipsi fingendo honorẽ regi perferendũ, quo ipsis liceret per regem populo imminere, & obediẽtibus ac timentibus onera quæcunq; imponere, qui eatenus regi deferunt, ut populo illudant & dominentur. Domini autẽ dei omnipotẽtis honorẽ nec cogitant neque credunt, sed soli regi suo placere cupientes, ut tyrannisare illis liceat, de uera religione prorsus nihil curãt. Interim uerò tres serui dei cum Daniele uidentes maximam ceremoniarum pompam, quando sine dubio cum tanto strepitu musico non defuerũt libamina, thymiamata, cum oblationibus & sacrificijs non solum animalium, sed etiam argenti auri & gemmarum, omnia ad regis fauorem ordinata erant sine timore uel amore ueræ pietatis & dei. Videbant isti pij & abhorrebant animo, nihilq; fingere contra deum in regis gratiam audebant, longè alia musica utebantur & oblectabãtur, cum in cõscientia pura, ob suam in deum fidem, & moribus animi optime compositis, uiuerent, & deo sacrificia laudum indesinentia offerrẽt. Optima enim harmonia est, quæ optimos quosq; delectat, agnitio scilicet ueritatis, creatori optimo maximo gratias referre pro agnitis tot beneficijs, ueritas, iustitia, fides, gratiarumactio, innocentia uitæ, amicitia ad pios, beneficentia ad egentes.

8 Statimq; & in ipso tempore accedentes uiri Chaldæi accusauerunt Iudæos.

Quos præpositos in Babylone regis operibus indolebãt, quorũ offendebãtur peregrino cultu, & auersiõne idolorũ, nacti occasionẽ criminãtur & accusant ad regem. Armat itaq; se satan cõtra ministros dei, grauiq; apud regẽ accusatione, cõfidẽs expugnatis illis ueră religionẽ auferendă de medio. Exosi erant serui dei ob insignem iustitiã & innocentiã collegis, sanctiusq; uiuebãt quam ut ullam in illis maculã inuenirent omnes æmuli.

9 Dixeruntq; Nabuchodonosor regi, Rex in æternum uiue,

10 Tu rex, posuisti decretũ, ut omnis homo qui audierit sonitũ tubæ, fistulæ & citharæ, sambucę & psalterij, & symphoniæ, & uniuersi generis muficorũ, prosternat se, & adoret statuam auream:

11 si quis autem nõ procidens adoraueris, mittatur in fornacem ignis ardentis.

12 Sunt ergo uiri Iudæi, quos constituisti sup opera regionis Babyloniæ, Sidrach, Misach & Abdenago: uiri isti contempserunt, rex, decretum tuum: deos tuos non colunt, & statuam auream quam erexisti non adorant.

Per adulationem aulicum more sese commendant, & sanctis detrahunt: approbant constitutionem regis ac petunt, ut legũ sanctimonia inuiolabilis sit. Nihil enim ita ad perturbandas respublicas facit, atque legum contemptus & uiolatio. Eapropter apud Persas admodum seueri reges erant in illis conseruandis. Dicunt ergo hi, Si legem impunè uiolari permiseris, periclitabitur auctoritas tua, erisq; & in cæteris, si qua præceperis, contemptus, illos denique euexisti ut præsint, & qui fortè apud suos agebant, nunc apud te in magna sum gloria, qui tua tamen mãdata transgredi docent: tanta enim olim à dijs tuis abhorrent, quos tu colis, quos præcipis colendos, qui tibi tot fortunas domi & foris concesserunt, qui te, regnum & urbem custodiunt, quos illi adorare recusant. Cumq; nemo tuorum non pareat tuis legibus, soli isti ex omnibus gentibus obsistũt: quid eximplo hoc cum regi tum regno pernicios ius esse queat? Ob singularem autẽ dignitatem Danielis, cui dabãtur maximum honorem detulerat, ipsum cum tribus socijs accusare non ausi fuerunt.

13 Tunc Nabuchodonosor rex in furore & in ira præcepit ut adducerẽtur Sidrach, Misach & Abdenago: qui confestim adducti sunt in conspectu regis.

14 Pronuntiansq; Nabuchodonosor rex, ait eis: Veréne Sidrach, Misach & Abdenago deos meos nõ colitis, & statuam auream quam constitui non adoratis?

15 Nũc ergo si estis parati, quacũq; hora audieritis sonitũ tubæ, fistulæ, citharæ, sambucæ & psalterij, & symphoniæ, omnisq; generis muficorũ, prosternite uos, & adorate

rate statuam quam feci: quòd si non adoraueritis, eadẽ hora mittemini in fornacem ignis ardentis: & quis est deus qui eripiet uos de manu mea?

Rex ut semel locum dedit satanæ idolo fabricato, constitutáq; lege tam impia, dignus erat qui grauius caderet. Auditis enim accusatoribus in iram exarsit, nec taliari colloquio & minis uel precibus eos posse expugnari. Meliora, ait, de uobis mihi polliceor, quos hactenus tam fidos expertus sum. Inuitus de uobis pœnam sumo, si rei estis, sumenda tamen est nisi resipueritis. Spero autem quod etiam si hactenus deliqueritis, quod libẽs condonabo, nunc destituri sitis, & adhuc obedientiam exhibituri illa hora qua coram imagine omnis multitudo ad musices concẽtum adoratura est: sin peruicaces perduxeritis, scitote parato igne actum esse de uobis, uanámq; esse fiduciã, quam in deum uestrũ habetis. Ille me regem regum esse sinet, & à meo iugo nullos excipiet.

Ira regis improba.

16 Respõdentes Sidrach, Misach, & Abdenago, dixerũt regi Nabuchodonosor, Nõ oportet nos de hac re respondere tibi.

17 Ecce enim deus noster quẽ colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberare.

18 Quòd si noluerit, notũ sit tibi, rex, quia deos tuos nõ colimus: & statuam auream quam erexisti non adoramus.

Virtus sanctorum.

Virtus sanctorum cum ipsis crescit tentationibus, & uera se confessione testatur: libero sermone sine adulatione dicunt, responsione indignum esse, tantum abest ut illi morem gerere uelint. In alijs per omnia morigeri existentes hac in re tibi nõ respondemus. Prima quidem tibi obsequia pendemus, sed post deum, cui nihil præferre possumus. Oportet enim deo magis obedire quàm hominibus. Nobis omnipotens deus est, qui toties liberatis nostris patribus, etiam liberare nos poterit. Tantus est deus noster, ut ab illo diuelli nequeamus, etiam si immeritis modis moriendũ sit. Contra illius mandatum pro

Obedientia magistratui.

cumbendo uel genu flectendo ante imaginẽ minime obtemperabimus. Præceptis quidem & exemplis scripturæ monemur magistratui obedire, uno duntaxat excepto, si præcipiant quod diuino honori et præcepto præiudicet. Sicut autem illorum fidem rex deijcere conatus est, extenuando potestatem dei: ita uicissim illi se roborant, illam prædicando, quod ipsos eripere facillime ut omnipotens ualeat.

19 Tunc Nabuchodonosor repletus est furore: & aspectus faciei illius immutatus est super Sidrach, Misach, & Abdenago. Et præcepit ut succenderetur fornax septuplum quàm succendi consueuerat.

20 Et uiris fortissimis de exercitu suo iussit ut ligatis pedib⁹ Sidrach, Misach, et Abdenago mitterẽt eos in fornacẽ ignis ardẽtis.

Religionis potentia.

Vide nunc religionis ueræ potentiam, uictoriam & miracula: Vincitur rex, domatur ignis, ridẽtur tormenta, fordescunt deliciæ. Exurere rex statuit pios, sed seipsum nocentissimo excandescentiæ & iræ incẽdio perturbat ac persequitur. Imperat orbi, & sibijpsi imperare nequit, uictum se & uultus iudicio prodit. Ex amico in hostem mutatus, ex homine in leonem uersus, furit et sæuit, modumq; nescit, septies maiorem augeri ignem iubens. Interim tres illi alacres, nec ignem nec mortem formidant, corpore ligari se sinũt, spiritu liberrimi morti obijciuntur, & immortales animas suas esse non dubitant. Non autem eluxisset dei potentia, nisi extremis periculis fuissent obnoxij seruuli, é quibus humana potentia liberari non poterant: sic omnia fieri decebat, ne suspicioni & fraudi esset locus.

21 Et confestim uiri illi uincti cum braccis suis, & tiaris, & calceamentis & uestibus, missi sunt in mediũ fornacis ignis ardẽtis:

Vestium uarietas.

Vestes illæ uariæ explicantur, nec mirum, mutãt enim uestes cum regiones tum tempora. Vult dicere author, quantumlibet in uestibus esset ornatus & precium, tanta tamen sæuitia & furor tantus, ut auaritia & spoliandi cessaret cupiditas, nullæq; reliquiæ superstites manerent. Sicut & hoc sæuitiæ indicium est, quod non in partem ignis, sed in medium fornacis proijciuntur.

22 nam iussio regis urgebat, fornax autem succensa erat nimis. Porro uiros illos qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis.

Colligunt quidam hic, quosdam misericordia motos obstitisse regi, admirãtes uirtutem ac fortitudinem horum trium, qui pro patrijs legibus seruandis tam constantes erant, non tamen precibus illorum flexũ regem, sed sermonem illius uicisse. Cum ergo flagraret incendium, & esset grauissima flamma persecutionis, tempus erat diuini auxilij, ut & serui dei consolationem acciperent & ultio hostibus retribueretur. Hæc enim dei cõsuetudo, ut maior sua gloria enitescat, ita et ex Aegypto cum maxime obduratus esset Pharao, & suos liberauit, et Pharaonẽ cum suo exercitu in mari rubro submersit ac perdidit. Eos uiros interfecit flamma ignis, de quibus supra dixerat, Et uiris fortissimis de exercitu suo præcepit ut ligatis, &c. Non ergo fortuitu quoscunque ministros perdidit rex sua insania, sed uiros fortes, de exercitu suo, & ad bella promptissimos, ut non solum miraculum pertimesceret, sed exercitus sui damna dolens sentiret.

Gloriã dei auget hominũ malitia.

23 Viri autẽ hi tres, id est Sidrach, Misach, & Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati.

Grande miraculum, ligati mittuntur in fornacem, & cadunt in medium ignis præcipites, ardent uincula, quibus ligati sunt, & unctorum corpora timens flamma non tangit. Huc usque Hebræi legunt. Quæ sequuntur usq; ad finem Cantici trium puerorum in Hebraico non habentur.

24 Tunc Nabuchonosor rex obstupuit, & surrexit propere, & ait optimatibus suis: Nónne tres uiros misimus in mediũ ignis

competitos? Qui respondentes regi, dixerunt, Vere rex.

Hebraica hiulca uidentur.

Videntur Hebraica hiulca esse, & omittere nonnulla ad historiæ seriem pertinentia: neq; enim uel preces uel gratiarum actio uel angeli aduentus describuntur, quæ à Græcis adiunguntur undecunq; tandem deprompta, sed nihil desyderatur quod ad miraculum attinet, rege ipso rem omnem enarrante. Tunc igitur cum ministri regis ab igne occidebantur, qui grassabatur in eos, qui liberi erant, et celeritate sua ne fugerẽt apprehendebat, territus est rex & obstupuit, animaduertitq; seruos dei incolumes, & tanquam aurum in fornace cum angelo dei etiam ambulantes. Hic igitur apparet solidæ religionis potentia, uirtus, & victoria, superstitionis autem et idololatriæ pernicies ac uanitas. Flagellatus igitur rex iterum per misericordiam dei resipiscere incipit, exauditæq; sunt preces sanctorum, qui hoc inimicis precabantur, ut robur ipsorum cõteratur, sic tamen ut nomen dei in toto orbe glorificetur, quod multo gloriosius factum est, rege erroris sui palinodiã canente quàm conuerso in cineres. Obstupescit autẽ, cernens tantam ueræ religionis uim, ut & suos ab igne tueatur, & hostes ulciscatur. Socios quoq; facit criminis, nimirũ quòd ipsorum consilijs et statuam erexisset, & sanctos coniecisset in ignem. Fatentur quoq; illi studiũ suum, & rex miraculum celebrare compellitur, & cõfiteri uanam esse suam potentiam, uanam religionem idolorum.

Resipiscentia regis.

25 Respõdit, & ait, Ecce ego uideo quatuor uiros canentes, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio dei.

Quartus in fornace.

Habent illi secum quartum quendam, qui illorum uincula soluit, qui impedit ignem ne officium suum faciat, ut ueluti in horto deambulent, nulla adustione, nulla macula illis inusta. Et aspectus quarti similis est filio dei: Nec mirũ, si ad cõsolationem seruorũ suorum dominus Immanuel appareat, qui antea etiam & Abrahæ & Israëli, ac Mosi assumpta ad tempus specie aliqua uisibili & corpore, quod & angeli solebant, qui etiam à prophetis angelus magni consilij & angelus testamenti est dictus, qui sicut hunc regem obstupefecit, sic Paulũ prostrauit, ex utroq; persecutore confessorem fecit.

26 Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostiũ fornacis ignis ardentis, et ait, Sidrach, Misach, & Abdenago serui dei excelsi, egredimini, & uenite. Statimq; egressi sunt Sidrach, Misach, & Abdenago de medio ignis.

Festinat rex ad liberandum eos, quos perdere frustra tentauerat: nominatim & amicè euocat, & quia uerè pœnitebat, etiam flamma suam sæuitiam reprimebat, et licet ad ostium accederet, illæsus tamen permansit, ubi aliorum corpora in fauillas conflagrabant. Nec egressi antea sunt quàm iuberẽtur, ne ambitiosi & contentiosi esse uiderentur & ignem timuisse.

27 Et congregati satrapæ, & magistratus, & iudices, & potentes regis, contemplabantur uiros illos, quoniã nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorũ non esset adustus, etiam sarabala eorum non fuissent immutata, & odor ignis non transisset per eos.

Despicitur nunc aurea statua, conticescunt musicorũ laudes, impietas succumbit, conuertitur omnis potentiã multitudo ad hoc spectaculũ: eratq; hoc miraculũ ferè maius mortuorũ resurrectione, & ac si immortalia eor Mortalia corpora haberent ita igne fortiores fuerunt, sed erant mortalia & nihilominus mortem uicerunt: nec solum corpora illæsa perstiterũt, quæ nec sunt nidore uexata, sed nec in uestibus macula uisa est. Vt discamus deo fidere, nihil illi impossibile, qui nunquam suorum obliuiscitur, ut ne pilus quidem capitis nostri periturus sit citra uoluntatem patris, qui est in cœlis.

28 Et erumpẽs Nabuchodonosor, ait, Benedictus deus eorũ, Sidrach uidelicet, Misach, & Abdenago, qui misit angelũ suum & eruit seruos suos qui crediderunt in eũ: & uerbum regis immutauerunt, & tradiderunt corpora sua ne seruirent & nearent omnem deum, excepto deo suo.

Rex ille peccatum suum non solis Babylonijs sed toti orbi confitetur, multo clarius & uocalius, q̃ statuam millies illa pretiosiorem collocasset. Ea enim in uno loco mansisset, & à paucis cognita, fortasse uix ad sæculum unum duratura: at scripta ista confessio dogma ac edictũ cunctis sæculis inq; toto orbe celebratur. Confitetur illius patratorẽ miraculi dcũ Sidrach, Misach, et Abdenago, benedictũ esse & omnipotentẽ, ab omnibus adorandũ, qui angelũ suum miserit, et omnũ seruorum suorum curam gerat, qui sperantes in se minime confundit, sed præsentissimus adest inuocationibus piorũ. Docet magis deo obtemperandũ q̃ cuicunq; regi: commendat piorum animi fortitudinem, & corporum suorum spontaneam proditionem ad complacendum domino, qui illa non solum seruare, sed & corrupta resuscitare potest, eorum scilicet, qui illi seruiunt & mandatis inhærent, soliq; uni fidunt deo omnipotenti & uero.

29 A me ergo positum est hoc decretum, ut omnis populus, tribus, & lingua quæcunq; locuta fuerit blasphemiam contra deũ Sidrach, Misach, & Abdenago, dispereat, & domus eius uastetur: neque enim est alius deus, qui possit ita saluare.

Grauiter peccauerat cogendo bonos ad idololatriam, ideoq; decretum mutat, et ab impietate euocat, adiecta summa pœna, dissecandi corpus, & publicandi domos. Qua in re egit officium digni magistratus, qui debet esse bonis, terrori malis, incitator ad uirtutes, & exterminator flagitiorum.

30 Tunc rex promouit Sidrach, Misach, & Abdenago in prouincia Babylonis.

31 ¶ NABVCHODONOSOR rex omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in uniuersa terra, pax uobis multiplicetur.

Historia

Historia quidem quæ consequẽter nunc scribitur manifesta est, & non magna interpretatione indiget, quòd ad offensam Dei Nabuchodonosor uersus in amentiam, septem annis inter bruta animalia uixerit, et herbarum radicibus alitus sit, ac postea misericordia dei restitutus in regnũ laudauerit & glorificauerit regem cœli, quia omnia opera eius uera, & uiæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare. Efficatius autẽ est hoc miraculum ad admonendum homines humilitatis & timoris dei, quàm si priuato homini accidisset: idcóque à summo monarcha descriptum est, & transmissum omnibus populis quibus imperabat, prædicando deum omnipotentem, res humanas moderãtem misericorditer, gratia sua alios dirigentem, & iustitia sua impios corrigentem. Habet autem formam epistolæ, quæ inter præfandum salutat, & summatim caput dicendorũ præmittit. Pacem inter salutandum imprecatur, & se militiæ finẽ imposuisse fatetur, mansuefactus timore & agnitione dei ueri.

Humilitas discenda regibus.

32 Signa et mirabilia fecit apud me deus excelsus, placuit mihi prædicare signa eius, magna sunt: & mirabilia eius, quia fortia: & regnum eius, quia regnũ sempiternũ: & potestas eius in generatiõe et generationẽ.

Dignum est ut prodigiosa opera dei, quæ in me expertus sum, cunctis recenseam, cõmunis nostri omnium domini & excelsi dei magnalia, qui nõ potest esse paruus & infirmus, qui tanta facere potest, cuius regnum perpetuum est: ad quem ut omnes respiciant hortor, illum reuereantur, illi seruiant, exemplumq; meum emendet omnes ne tam grauia patiantur.

CAPVT IIII.

1 EGo Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, et florens in palatio meo:

Prosperitas incauta.

Eram enim et ego beatus, si quis alius uspiã, omnia prouotis succedebant, sed ignorabã q̃ grauis mihi ruina imminebat. Vnde merito deus horrẽdi somnij uisione ita terruit, ut desipere mihi insuauiaq; omnia fieri cœperint: eratq; qui me terreret futurorũ quæ nescibã metus. Ea est hoĩm felicitas si uel summa sit, ut minimo periclitetur momẽto, etiam somniũ aliquod in medio cursu beatũ sistit ac moratur.

2 somnium uidi quod perterruit me: & cogitationes meæ in stratu meo, & uisiones capitis mei conturbauerunt me.

Somnium diuinitus immissum, nõ naturaliter accidens, commonefecit me imminere mihi maximũ periculum et pœnã arrogantiæ. Valde enim admirabile opus est, tantum regẽ in bestiam demutari, quod dignũ erat præsignari, ut manifestè opus dei cõprobetur. Non obscurum erat somniũ, sed quasi interdiu ac uigilans spectaret ita somnuabat: et idcirco dicit, Visiones capitis mei, eo quòd uisui seruientes nerui è cerebro feruntur: sic gerit deus curam humani generis, tanquã pater solicitus pro filijs.

3 Et per me propositum est decretum, ut introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, & ut solutionẽ somnij indicarent mihi.

Somnium diuinum.

Vt diuinum esse somnium cognosceretur, & consunderetur humana sapientia, prouidentia dei contigit, ut primùm iterum diuerteret ad Babylonios sapiẽtes, quos iam antea expertus erat rerum diuinarũ ignaros. Quorum tamẽ ostentationẽ iterũ cognoscimus, ut cõpareant primi nõ assumpto Danicle. Veniũt aũt Magi, Astrologi, Chaldæi, & Gazarent, uel aruspices uel diuini.

4 Tunc ingrediebantur arioli, magi, Chaldæi, & aruspices, et somniũ narraui in conspectu eorum: & solutionem eius non indicauerunt mihi:

5 donec ultimo ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Baltassar secundum nomen dei mei qui habet spiritũ deorum sanctorum in semetipso: & somnium coram ipso locutus sum.

6 Baltassar princeps ariolorum, quoniam ego scio quod spiritum sanctorũ deorum habeas in te, & omne sacramentũ non est impossibile tibi: uisiones somniorũ meorum quas uidi, & solutionem earũ narra.

Sapientia diuina.

Hic iterum ostenditur in uiro dei sapientia diuina, de quo & rex amplius quiddam sibi promittit, honestiq; de eo loquitur, dicens: Donec Daniel uenit ille, cuius tanta est dignitas, ut olim dei mei, quem honorabam, nomine cohonestatus fuerit, nec solũ nomen gestarit, sed etiam inhabitantem habeat spiritum sanctum: magister enim est omnium Magorũ, et omnia sciens arcana. Non est ô Daniel, ut te nunc per modestiam demittas, scio quantũ tibi datum sit, quantumq; poßis: proinde tu dic et explica quod ignorant illi. Non aũt iterum somnium inquirit ut antea, sed solã interpretationẽ somnij, quod non memoria elapsum sibi fuerat.

7 Visio capitis mei in cubili meo, Videbã & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia.

8 Magna arbor & fortis: & proceritas eius contingens cœlũ: aspectus illius erat usq; ad terminos uniuersæ terræ.

9 Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius: & esca uniuersorũ in ea: subter eam habitabant animalia et bestiæ, & in ramis eius conuersabãtur uolucres cœli: & ex ea uescebatur omnis caro.

Somnij interpretationem ex ipso Daniele in sequentibus discamus, interim uerba expendamus: uisionẽ certam fuisse, & admiratione dignam: arborem procerißimam, umbra iucundißima, fructus suauißimus, qui tamen iubetur angelico præcepto succidi. Videbat deinde eandẽ arborem ut bestiam pasci, cor amittere hominis, id est sensu humano destitui, & ferinum cor indui. Hæc autem fiunt ut cognoscatur diuinæ maiestatis sublimitas, & ut ipse solus rex sit regũ omniũ, ut sicut nulla sapiẽtia cõparanda est diuinæ, ita etiã nulla potestas.

10 Videbã in uiſione capitis mei ſuper ſtratum meum, & ecce uigil ſanctus de cœlo deſcendit:

Angelus uigil.

Rectè angelus uigil dicitur, quia incorporeus, nunquam dormiens, ſed ſemper uigilans: tamen per unum dictum multi intelliguntur. Angeli uigiles dicuntur, ad ſignificandum, quòd ſingula facta explorent, ac cognoſcant: ſancti uero quòd non deflectantur, quo minus ſententiam latam exequantur, quaſi inſtituti & ſanctificati ad hoc ut nobis ſeruiant, & imperata à deo faciant.

11 Clamauit fortiter, & ſic ait, Succidite arborem, & pręcidite ramos eius: excutite folia eius, & diſpergite fructus eius: fugiant beſtiæ quæ ſubter eam ſunt, & uolucres de ramis eius.

12 Veruntamen germen radicũ eius in terra ſinite, et alligetur uinculo ferreo & ęreo in herbis quæ foris ſunt, & rore cœli tingatur, & cum feris pars eius in herba terræ.

Arborem iubet ſuccidi, & præſcindi ramos eius maiores & minores, diſpergere fructus, ne ſub ea ultra beſtiæ cibum inueniant, et ut aues diſſipatæ arbori non inſideant, ſed uaſtatam uitent & fugiant. Radicem tamen arboris, unde denuò ſuccreſcere poſſit, nõ uult excindi: ſpem recuperandæ felicitatis non adimit, ſed promittit reuerſurã arborem in ſtatũ et decus ſuum, & ad amplitudinem ramorum & fructuum. Interim tamen præſignat ſtaturum truncum arboris, hoc eſt regem ſpoliandum honore, inter gramina & herbas, ſicut uinctus catenis ferreis & æreis, ut rore tingatur, pernoctaturũ in uinculis & in agro foris ſub rore & imbribus, ſocium futurum ferarum, & non niſi gramina comeſturum.

13 Cor eius ab humano cõmutetur, & cor feræ detur ei: & ſeptem tempora mutentur ſuper eum.

Septem tempora.

Non aliter tunc uiuet ſic uinctus in pratis & cum feris, quàm ſi cor haberet beſtiale, & humano corde careret, ſine ſenſu humano & intellectu: nõ quòd reuera cor humanum auferretur, ſed actus humani ceſſarent, & ueluti beſtia inter beſtias uictitaret. Septem tẽpora ſuper eum mutata intelliguntur, non certo de annis, ſed uel de menſibus uel quatuor anni partibus, uel de duabus, æſtate ſcilicet & hyeme: aliquot enim temporibus pluuia et ros inundabunt ſuper illum, ſicut ſuper beſtias.

14 In ſententia uigilum decretũ eſt, & in ſermone ſanctorũ petitio: donec cognoſcant uiuentes quoniam dominatur excelſus in regno hominum, & cuicunq; uoluerit, dabit illud, & humillimum hominem conſtituerit ſuper eum.

15 Hoc ſomnium uidi ego Nabuchodonoſor rex: tu ergo Baltaſſar interpretationem narra, quia omnes ſapiẽtes regni mei non queunt ſolutionẽ edicere mihi: tu aũt potes, quia ſpiritus deorũ ſanctorũ in te eſt.

Hoc autem negotium ſic eueniebat ſicut uigiles, id eſt, angeli decreuerãt: miniſtri enim dei ſunt, facientes quod ab illo eis præcipitur. Et in ſermone ſanctorum petitio. Sancti qui in regno degebant paßim, audientes tantam regis ſui flagellationem à deo inductam, rationabile eſt dominum deum pro illo oraſſe. Iam enim multi credebant in dominum, cuius potentiam & prouidẽtiam iam didicerant, quem & tunc precabantur, ut regi ſuo propitiaretur, & redderet ſenſum humanum quem ademerat. Hoc inſigni exemplo & portento intelligentes excelſum eſſe deum, qui omnia ſic regat, ut cui uoluerit regnum auferat & reddat, interdũ etiam ei præferat abiectißimum hominem, ut arrogantia ſuperborum regum ulciſcatur, & gloria dei illuceſcat.

16 Tunc Daniel, cuius nomen Baltaſſar, cœpit intra ſemetipſum tacitus cogitare quaſi una hora: & cogitationes eius conturbabant eum. Reſpondens autem rex, ait, Balthaſſar, ſomnium & interpretatio eius non conturbent te. Reſpondit Baltaſſar, & dixit, Domine mi, ſomnium his qui te oderunt: et interpretatio eius hoſtibus tuis ſit.

Tacitus intellexit Daniel ſomnium eſſe cõtra regem, & timorem cordis uultus pallore ſignabat, dolebatq; pro eo, quòd ei plurimũ honoris detulerat, et ne uidere tur inſultare, & lætari contra regem, denicq; cum dolore et ſtupore id quod intelligebat loquitur ad eum: cunctatione ergo utili & prudenti auidiorẽ facit regem ad ueritatis auditionem. Statim autẽ rex pro ſua ſagacitate ſubolebat graue quiddã portendi. Vbi enim innocentem prophetam terrent diuina iudicia, quanto magis rem impium? Rex aũt prophetam hortatur, et ſciens facit, quicquid tandem uelit ſomnium. Propheta autem eleganter promitigat, orans, ut in hoſtes regis recidant infauſta illa. Quibus uerbis non diuinæ uoluntati contradicit, neque ſimulator eſt, ſed declarat regis fortunæ ſe compati, et nihil minus quàm ultionem orare, quia enim uiſionem terribilem intelligat, oret ne illi eueniat.

17 Arborem quam uidiſti ſublimem atq; robuſtã, cuius altitudo pertingit ad cœlum, & aſpectus illius in omnem terram,

18 & rami eius pulcherrimi, & fructus eius nimius, & eſca omnium in ea, ſubter eam habitãtes beſtiæ agri, & in ramis eius commorantes aues cœli:

19 tu es rex, qui magnificatus es, et inualuiſti: & magnitudo tua creuit, & puenit uſq; ad cœlũ, & poteſtas tua in terminos terræ.

Somnium enarraturus pulchrè digerit, primùm declarans ea quæ ad felicitatem regis ſpectabant, deinde ea quæ ad iudiciũ eius, poſtremũ pœnitẽtiam. Primo ergo dicit, per arborẽ procerã, quæ cœlum attingebat, & terram occupabat, & auibus cœli ac beſtijs quietem præſtabat, ſignificari regẽ Nabuchodonoſor, ualdè magnificatum in regno ſuo, propter frequentes clariſſimaſq; victorias. Erat enim monarcha orbis, & terror nominis eius, ut Oroſius ait, uſq; ad Hiſpanias peruenerat. Ramos eius pulchros, id eſt principes potentiſſimi: & fructus uberes, annui ſcilicet prouẽtus, quos ſponte populus præſoluebat

soluebat, & ut dona regi offerebat. Per bestias sub umbra arboris recubantes, subditæ gentes intelliguntur, quæ omnes sub illius regimine quiete uiuebant, numismatis illius imagine signatis commertia habebant, larga ab ipso stipendia recipiebant.

20 Quod aũt uidit rex uigilem, & sanctũ descendere de cœlo, & dicere, Succidite arborem, & dissipate illam, attamen germen radicũ eius in terra dimittite, & uinciatur ferro & ære in herbis foris, & rore cœli conspergatur, & cum feris sit pars eius, donec septem tempora mutentur super eum:

Iudicium regis. Nunc de iudicio & humiliatione regis prosequitur somnium. Vox illa uigilis ac sancti decretũ est dei altissimi, qui in hoc angelus suis utitur, qui descendere dicuntur, ut apertè cognoscant an tanta sit arrogantia & ingratitudo regis, quemadmodum & apud Mosen de Sodomitis dicitur. Proinde clamant: Succidite arborẽ, hoc est, deijciatur à dignitate sua rex, et humilietur. Eiectus enim ob furorẽ & melancholiam ab hominibus, ita deuastari dictus est: & cum iam nec à summis nec ab infimis agnosceretur, præcidi dicti sunt rami maiores, & excuti rami minores, & fugere uolucres & bestiæ. Verè manus dei excelsa, rectum iudicium, ut & subditos amittat qui dei non uult esse subditus, & quoniam peccatus est, & cum illis portionẽ suam accepit, ut uesceretur fœno & gramine uelut bos, putrefactisq; uestibus cõplueretur caro eius & obrigesceret: idq; per septem tempora ferret, quæ uolũt esse tres annos cum dimidio, tametsi alij septem annos dicant, id est donec plane resipiscat. Quod aũt additur, Attamen germen radicũ eius in terra dimittite, ostendit iudicio misericordiam adiungi, ut si uel in flagellis resipiscat dei potestatem agnoscendo restituatur rex in suam dignitatem, quia nollet eũ radicitus eradicare, sed ad pœnitentiam prouocare.

21 hęc est interpretatio ô rex sententiæ altissimi, quæ peruenit super dñm meũ regem.

22 Eijcient te ab hoĩbus, & cũ bestijs ferisq; erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes, & rore cœli infunderis: septem quoq; tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur excelsus super regnũ hominũ, & cuicunq; uoluerit det illud.

23 Quod autem præcepit, ut relinqueretur germen radicum eius, id est, arboris: regnũ tuum tibi manebit, postquam cognoueris potestatem esse cœlestem.

24 Quam ob rem, rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum: forsitã (erit prolongatio prosperitatis tuæ) ignoscet deus delictis tuis.

Consilium fidele. Et hæc quidem somnij expositio fidelis, sed subdit prophęta consilium non minus fidele, quomodo hanc plagam euadere possit, nẽpe misericordia & iustitia. Nam si erga deũ iustus fuerit se humiliando, & propter deum etiam benefaciat pauperibus & afflictis, pro irato deo benignum et propitiũ habiturũ promittit. Iustitia autẽ nostra uera ex fide est: fidei thesauro peccata redimimus: fides postea per charitatem operatur bona opera & eleemosynas, alioqui expers fidei misericordiam ad salutem habere non potest. Peccata autem non tam externis operibus quàm ab interna fide, imo clemẽtia dei propter Christi merita delentur. Externa nobis eius fidei testimonium dant, quæ nos uidemus, at deus cor spectat. Quamuis autem requiramus cum fide charitatem, lenitatem, modestiam, sobrietatem, ac cæteras uirtutes, hunc autem honorem quod iustificemur soli fidei tribuimus ex scripturis edocti, scientes quod in hoc non nobis sed deo & filio eius omnis gloria detur. Charitatis opera ex fide.

25 Omnia hæc uenerunt super Nabuchodonosor regem.

De se ut de alio loquitur, prophetæ admonitionibus non omnino acquiescens, nec perfectè ut decuit pœnitens rex, deprehensus est in media iniquitate, tunc scilicet, quum glorias suas ac triumphos magnificentiamq; ebuccinaret, & deo gloriam quem agnouerat non daret, cœlesti uoce damnatur. Satis diu expectauerat pœnitentiã, sed quia indies magis ac magis increscebat superbiæ morbus, cauteriũ adhibet & durius increpat.

26 Post finem mensium duodecim, in aula Babylonis deambulabat.

27 Respondit q̃ rex & ait, Nónne hęc est Babylon magna quam ego ædificaui in domum regni, in robore facultatis meæ, & in gloria decoris mei?

Deambulat, quod otiosorum & priuatorũ hominum est. En rex tot nationum, prouinciarũ, totq; linguarum, quasi in toto regno nihil sit negotij, deambulat otiosus, & laudum suarum præco. Huius autem otij bellos fructus uide, arrogantiam & blasphemiam. Ego, inquit, in uirtute mea ædificaui: ubi ergo diuinum auxilium? et in gloriam, ait, decoris mei, id est mihi, meisq; delicijs, non in bonum reipublicæ, non in salutem hominum, imò ut tantam extrueret innumerorum pauperũ facultates exhausit. Perstringit oculos fastus, ut præter se nihil admiretur, nihil cernat, nihil obseruet, deus nullus illi est, qui uitam & mentem dederat. De Babyloniæ autem urbis magnificentia uide Iosephum & multos historicos. Inq; religiosissimi eruditissimiq; Ioannis Oecolampadij Commentarijs prolixioribus, unde hæc ubi uidetur desumimus ut breuiter possumus. Reges otiosi et superbi

28 Cúmque sermo adhuc esset in ore regis, uox de cœlo ruit, Tibi dicitur Nabuchodonosor rex, Regnum tuum transibit à te,

29 & ab hominibus eijcient te, & cum feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te: donec scias quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicunq; uoluerit, det illud.

Ita semper negligentes & non uigilantes iudicium domini apprehendit. In exemplum sunt uirgines fatuæ, & Iudiciũ dei in negligentes.

ſcrui tumultuantes, Sodomitæ, & qui tempore diluuij erant. Deſcendit è cœlis uox, quam effugere non potuit: & iam impleri incipit, quod ante multos menſes comminatus erat deus, ut eijceretur ab hominibus. Obſerua æquitatem iudicij, Nimium exaltatus multum humiliatur, dona dei nunc adimuntur. In exilium homines eiecerat multos, nunc ipſe quoque abijcitur ab hominibus: delicatis cibis abuſus, nunc beſtijs fit compaſcuus: induebatur purpura, nunc horrido pilo totus obtegitur: ungebatur balſamo & ſuccis, nunc imbribus et rore cœli abluitur. Non dicit tamen ſcriptura factum beſtiam, ſed ſocium beſtiarum, mentemq; eius mutatam, manuacus enim factus ſeipſum pro beſtia habebat, imaginaria hominis potentia læſa.

Iuſtum dei iudicium.

30 Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt, & fœnum ut bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum eſt: donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & ungues eius quaſi auium.

Decretum eſt à deo tempus mutandum ſuper eum, in quo ros & pluuiæ tranſirent ſuper eum, æſtas, hyems, frigora, gelu. Inhorruit item pilus, & totam cutem operuit dẽſis uelaminibus, ſicut aquila uberiore pluma contegitur: non enim pennatum intelligimus, ſed inſolito modo tectum: nec auium unguibus armatum, ſed ſicut auium unguibus, ut humanæ formæ propterea nihil ademptum ſit.

31 Igitur poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum leuaui, et ſenſus meus redditus eſt mihi: & altiſſimo benedixi, et uiuentem in ſempiternum laudaui, & glorificaui: quia poteſtas eius poteſtas ſempiterna, & regnum eius in generatione & generationem:

Declarauit in potentiſſimo rege illo deus, quid & quantum poſſit, quod felices cognoſcere non poſſunt: cum omnia pro arbitrio ſuccederent regi, inflabatur, blaſphemabat, totique mundo onus erat. Vt autem per ſeptem illa tempora, qualiacunq; fuerint, anni uel menſes, uel partes anni, humiliatus eſt, & benignitate dei à mania iterum liberatus, & ab intemperie animi pacatus, leuauit oculos in cœlum, uidit ſuam conditionem, agreſtem formam, & quantum ſe deus humiliaſſet aduertit, & propter quam ſuam arrogantiam tantam pœnam tulerit, agnouit quàm euanida & inſtabilia ſunt humana omnia, & ſoli deo omnis gloria danda: non obmurmurat deo, ſed benedicit, glorificat, poteſtatem ac regnum dei æternum, & potentiſſimum magnificat, reſtitutus per dei gratiam priſtinæ intelligentiæ. Intelligentia, inquit, data eſt mihi, humanũ cor, quod ab ipſo ablatum pro ferino receperam.

Tempora ſeptem in ſuperbum.

32 & omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt. Iuxta uoluntatem enim ſuã facittam in uirtutibus cœli quàm in habitatoribus terræ: & non eſt qui reſiſtat manui eius, & dicat ei, Quare feciſti?

Finitæ & paruæ potentiæ ſunt omnes homines, dei autem potentia immenſa eſt & ineffabilis, facit quæcunque uult, nec eſt qui impediat, uel debeat eius rationem petere: qui ſola uoluntate facit quod uult, ſine errore, ſine impedimento.

33 In ipſo tẽpore, ſenſus meus reuerſus eſt ad me, & ad honorẽ regni mei, decoremq; perueni: & figura mea reuerſa eſt ad me: & optimates mei, & magiſtratus mei requierũt me, & in regno meo reſtitutus ſum: & magnificentia mea amplior addita eſt mihi.

34 Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico, & glorifico regem cœli: quia omnia opera eius uera, & uiæ eius iudicia: & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare.

Cum dominus ſenſum reddidiſſet, ipſum ſtatim glorificaui pro beneuolentia ſua quam expertus ſum: iterum enim uenit in regnum, iterum agnitus ſum, iam non ut fe- Cleriſſ. ra effugabar, ſed homo reputabar. Moxq; ut hæc fama ad conſiliarios meos peruenit, occurrerunt & quæſiuerunt me, multoq; glorioſior factus ſum quàm unquam fuerim. Iam nihil mihi adſcribo, Dei ucri eſt, quicquid ſum & poſſum, quicquid toto mundo geritur, illius prouidentia ordinatur: apud illum ueritas eſt, non uanitas, omnia ſapienter geruntur ab illo, omnes uiæ eius & opera bonitatem teſtantur & ſapientiam: adhæc iudex eſt omnium, & uniuerſos ſuperbos humiliat.

¶ CAPVT V.

1 BAlſaſar rex fecit grande conuiuium optimatibus ſuis mille: et (coram mille uel ſecundum diſciplinã uinum bibebat) unuſquiſque ſecundum ſuam bibebat ætatem.

2 Præcepit ergo iam temulentus, uti afferrentur uaſa aurea & argentea quæ aſportauerat Nabuchodonoſor pater eius de templo, quod fuit in Ieruſalem: ut biberent in eis rex & optimates eius, uxores & concubinæ.

3 Tunc allata ſunt uaſa aurea quæ aſportauerat de tẽplo quod fuerat in domo domini in Ieruſalem: & biberũt in eis rex & optimates eius, uxores & concubinæ illius.

4 Bibebant uinum, et laudabant deos ſuos aureos & argenteos, æreos, ferreos, ligneos & lapideos.

Multo nunc clariorem Deus facit ſuam gloriam, regnum impiorum Babyloniorum deſtruendo, Iudæos reducendo iuxta prophetarum oracula, idq; manifeſtato iuſto iudicio ſuo. Quandoquidem Baltaſſar maloru gur- Baltaſ. ges, à peccato in peccatum prolapſus, imprudens & luxui deditus ac crapulæ cum ſui ſimilibus principibus libidine eneruatis, nullam reipublicæ admittebat conſideratione: grande ſiquidem conuiuium celebrabant et ei borum lautitia & hoſpitum multitudine, qui erant mille optimatis

optimates, eo tempore cum à Medis & Persis Babylonia obsideretur. Cinctus autem erat leuissimis adulatoribus, quibus nihil gratius ebrietate ac Venere. Non aderat Daniel, sed iuuenes consiliarij, quos contẽptis senioribus audiebat. Accessit maius malũ blasphemia, & sacrarum rerum prophanatio. Iubet enim proferri in suos impuros usus uasa olim diuino cultui cõsecrata, quod Iudæis omnibus acerbissimũ intulit tunc dolorẽ: & apud ethnicos quoq; sacrilegum habebatur prophanare uasa diuino cultui dicata. Nec solũ Iudæos irridebãt cum suo deo uero, sed etiã Persas et Medos obsidentes urbẽ, quia ad uiginti annos necessaria sibi parasse intra urbis mœnia Babylonij iactabant. Arbitrabãtur enim se inuictos, & suos deos etiam ligneos & ferreos uero deo præferebant, se uero muris fidẽtes toti orbi inexpugnabiles credebant. Vidit deus superbum illud cor, quod ipsum & omnia contemnebat, noluitq; diutius inultam relinquere incomparabilẽ superbiam. Oportebat Babylonios obsessos pœnitẽtiam agere, sed magis insaniebant. In periculis autem lætari & blasphemare, pœnitentiamq; negligere, certissimum subuersionis indicium est. Dicitur autem Nabuchodnezer pater Baltaßar, cum sit auus, ut cõmuniter sentitur, intercedente Euilmerodach, quorũ primus regnasse dicitur quadraginta tribus, secundus uiginti tribus, tertius & hic ultimus tribus tantũ annis.

Legitur Babylonici.

5 In eadem hora apparuerũt digiti, manus hominis scribentis contra candelabrũ in superficie parietis aulæ regiæ: et rex aspiciebat articulos manus scribentis.

Impietas supra modũ.

Eo hora qua supra modum increscebat impietas, & blasphemabatur nomen domini, & sibi securus uidebatur rex impius, scribitur iam decreta sententia dei, post quam indulgentiæ tempus expectandum non erat. Ad hoc igitur apparet manus: quasi dicat, Non mitto nunc prophetam ad cuius uocẽ resipiscere liceat, sed iudiciũ scribo indelibile & irretractabile. Videntur autẽ in pariete scribere contra candelabrum digiti, ne & manus et id quod scribebatur longius à lumine nõ apparerent. Et scribunt in pariete aulæ regiæ, ut intelligat rex ad se pertinere quod scribitur.

6 Tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eũ: & compages renũ eius soluebãtur, & genua eius ad seinuicem collidebantur.

Mox ut sola scriptura & iudicij suspicio ante oculos uersatur superbissimi regis, tremit toto corpore et horrescit, quantumlibet ebrius. Vere enim erat manus domini extenta in illũ, quã & sentiebat toto corpore, usq; ad iuncturas cingulosq; lumborum, & genuum collisionem, uelut dissolutus.

7 Exclamauit itaq; rex fortiter, ut introducerent magos, Chaldæos, & aruspices. Et proloquẽs rex, ait sapientibus Babylonis: Quicunq; legerit scripturã hanc, & interpretationẽ eius manifestã mihi fecerit, purpura uestietur, & torquem auream habebit in collo, & tertius in regno meo erit.

8 Tunc ingressi omnes sapientes regis, nõ potuerunt nec scripturam legere, nec interpretationem eius indicare regi.

9 Vnde rex Balsasar multum conturbatus est, & uultus illius immutatus est: sed & optimates eius turbabantur.

Indurationis impiorum.

Neq; instantibus periculis ad deũ cõfugiunt impij, sed ad solitas artes & ad sua idola: at nemo est qui uel iuuare, uel solari, uel docere in illa hora poterat. Minatur, pollicetur, sed inhil proficitur, nemo est q scripturã legere posit: incipiũt enim & alij uidere scripturã manus, ne quis spectrũ fuisse putet ac illusionẽ. Oẽs aũt pariter impij turbãtur, et digni supplicijs adiudicãtur. Tam facile uolente deo lætitia mundi uertitur in mœrorem.

10 Regina autem pro re quæ acciderat regi & optimatibus eius, domum conuiuij ingressa est: & proloquens ait, Rex inæternũ uiue: Non te conturbent cogitationes tuę, neque facies tua immutetur.

11 Est uir in regno tuo, qui spiritũ deorum sanctorum habet in se: & in diebus patris tui illuminatio & scientia & sapientia secundum sapientiam deorum inuẽta est in eo: nam & rex Nabuchodonosor pater tuus principem magorum, incantatorũ, Chaldæorum, & aruspicum constituit eum, Pater inquam tuus, ô rex:

12 quia spiritus amplior, & prudẽtia, intelligẽtia q, et interpretatio somniorũ, et ostensio secretorũ, ac solutio ligatorũ inuentæ sunt in eo, hoc est in Daniele: cui rex posuit nomen Baltassar: nũc itaq; Daniel uocetur, & interpretationem narrabit.

Mulier sapiẽtior rege.

Hanc Iosephus auiam Baltassaris scribit, Origenes matrem. In confusionem autem regi cedit, ab anicula consolationem, robur & consilium suscipere, prudentiore optimatibus. Diuino igitur instinctu laudum sancti Danielis fit nuncia: una memor beneficiorũ Danielis. Regem appellãdo dicit, Siquidẽ nihil aliud te urget q̃ interpretatio scripturæ, nõ est quare tãtopere mœreas: Ecce enim est uir in regno tuo, patri olim tuo acceptissimus ob incõparabilem sapientiã, quem tu negligis: Ecce hic posset quod alij nequeũt præstare: hunc uoca et satisfaciet uotis tuis. Circũspectè aũt regina loquitur, tacens exulem ex Iudæis, at indubitatas sancti uirtutes non tacens, donis spiritus præditũ, angelis parẽ, mentis perspicatia, sapientia & intelligẽtia clarũ, quẽ & honoribus pater extulerit summis, etiã sacro nomine insigniuerit.

13 Igitur introductus est Daniel coram rege. Ad quẽ præfatus rex ait, Tu es Daniel de filijs captiuitatis Iudæ, quẽ adduxerat pater meus rex de Iudæa?

14 Audiui de te quoniam spiritum deorum habeas: & scientia intelligentia q, ac sapientia ampliores inuentæ sunt in te.

15 Et nunc introgressi sunt in cõspectu meo sapientes magi, ut scripturã hanc legerẽt,

& interpretationem eius indicarent mihi: & nequiuerunt sensum huius sermonis edicere.

16 Porro ego audiui de te, quod possis obscura interpretari, & ligata dissoluere: si ergo uoles scripturã legere, & interpretationem eius indicare mihi, purpura uestieris, & torquẽ aureum circa collũ tuũ habebis, & tertius in regno meo princeps eris.

At rex arrogans ignarus omnium horum erat, dubitanter loquitur, num quid possit in hac re: adhuc plus fidei habens suis Chaldæis, quàm uero prophetæ. Fatetur tamen suorum ignominiam, ut uideas diuinam gloriam ubiq; sibi primas uindicare. Vocatur autem hic Nabuchodonosor pater, quamuis auus fuerit: neq; id rarum in scriptura. Attende etiam hoc, quod non quærit consilium quomodo periculum euadat, uel melior fiat, sed solius scripturæ interpretationem, etiam in maximo terrore, magis uanæ quàm solidæ scientiæ rationẽ habens, ut uix exactiorem impij & iam condemnari merentis typum inuenire queas.

Pater & auus confunduntur.

17 Ad quæ respondens Daniel, ait coram rege, Munera tua sint tibi, & dona tua alteri da: scripturam autem legam tibi rex, & interpretationem eius ostendam tibi.

Æmulemur Danielem, regis dignitatem & munera contemnentem, qui absq; pretio proferẽs ueritatem, iam illo tempore præceptum euangelicum sequebatur, Gratis accepistis, gratis date: alioqui & tristia nuncians indecens erat libenter dona suscipere.

18 O rex, deus altissimus regnum & magnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo:

19 & propter magnificentiam quam dederat ei, uniuersi populi, tribus & linguæ tremebant, & metuebãt eum. Quos uolebat, interficiebat: & quos uolebat, percutiebat: & quos uolebat, exaltabat: & quos uolebat, humiliabat.

Proponit principio regi peccati magnitudinẽ, eo quod grauius peccant qui nullũ antea corripi uiderunt. Hinc est quod interfectori ipsius Cain decernitur pœna septuplo grauior: interfectori autem Lamech septuagies septies maior. Ita & hic Baltasar multo grauius peccat, cognoscẽs quæ deus auo fecerit ob illius superbiã, qui tamen non ita abusus erat uasis domini, sicut Baltasar. Quod autem dicitur, Quos uolebat interficiebat, &c. communi usu loquendi accipiendum quasi dixisset: Imperabat pro omni uoto suo, domino illi fauente, & plenam obedientiam populorum procurante, ut esset uictoriosus & omnibus reuerendus, cui nemo resistere auderet, domino omnia pro sua sapientia disponente, non arbitrio regis, sed prouidentia dei.

Peccatum Baltasar.

20 Quando autem eleuatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiã, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est ab eo:

21 & à filijs hominum eiectus est, sed & cor eius cum bestijs positũ est: & cum onagris erat habitatio eius, fœnũ quoq; ut bos comedebat, & rore cœli corpus eius infectũ est: donec cognosceret quod potestatẽ haberet altissimus in regno hominũ, & quẽcunq; uoluerit suscitabit super illud.

Dominus semper superbis resistit, & gloriam suam alteri non concedit: uult esse & haberi dominus dominantium, et seruos suos humiliari, quibus solis dat gratiam, et sine qua nihil sunt nec possunt. Hoc exemplis docuit & admonuit ab exordio mũdi, & semper: insigniter aũt in Pharaone, Salomone, & Nabuchodonosor magno.

In signum

22 Tu quoq; filius eius Balsasar, nõ humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia:

23 sed aduersum dominatorem cœli eleuatus es: & uasa domus eius allata sunt coram te: & tu, & optimates tui, & uxores tuæ, & concubinæ tuæ uinum bibistis in eis: deos quoq; argenteos, & aureos, & æreos, ferreos, ligneos, & lapideos qui nõ uident, neq; audiunt, neque sentiunt laudasti: porrò deum qui habet flatum tuum in manu sua & omnes uias tuas, non glorificasti.

Tu igitur cum hæc de parente cognouisses, non debuisti aduersus dominatorem cœli eleuare cor tuum, & insultare maiestati illius, eaq; facere quæ fecisti. Interim autem dissimulabat rex se scire Danielem, & spiritui sancto resistebat, scienter gloriæ dei detrectans, et apertus hostis, cum cõtumelia insigni, uasa dei prophanans, cum cuius nutu non est respiratio, uita uel successus in rebus.

24 Idcirco ab eo missus est articulus manus, qui scripsit hoc quod exaratum est.

Hæc, inquit, causa est, quare scriptura in pariete scripta est, ut tibi cui ex beneficijs & longanimitate hactenus uiluit deus, nunc ut potens iudex innotescat. Habes quod peccatum tuum sit causa huius scripturæ, sed de hoc nulla est tibi cura, proinde audi iudicium domini de te.

25 Hæc est autem scriptura quæ digesta est: Mane mane, thecel, pharsin.

26 Et hæc est interpretatio sermonis Mane: numerauit deus regnum tuum, & complenit illud.

Tria tantum uerba in pariete scripta signauerat Mane, Thecel, Phares: quorum primum Numerum, secundum Appensionem, tertium Diuisionem sonat. Non solum ergo lectione opus fuit, sed interpretatione eorum quæ legerat, ut intelligeret quid hæc uerba præcederent, quod scilicet numerasset deus regnum illius, atque complesset, & appendisset in statera iudicij sui, et uiolenta morte ac præmatura eum hostium gladius iugularet, imperiumq; eius in Medos diuideretur & Persas. Cyrus enim rex Persarum, iuncto sibi Dario auunculo subuertit imperium Chaldæorum. Sunt & nostri dies numerati, neq; est qui diem uel momentum unum possit præ

Tria scripta in pariete.

Numerus

sit præterire. Et quia ignoramus horam illam, omnes nobis horæ tanquam ultimæ suspectæ sunt habendæ, ut uigilantes ad domini aduentum reperiamur.

27 Thecel: appensus es in statera, & inuentus es minus habens.

Deus opera tua bona & mala in libra iustitiæ suæ appendit, & deprehendit te malè collocasse dies uitæ tuæ, indignum cui ultra parcatur & concedatur regnum, impleta est mensura peccatorum, ut olim Amorrhæorum. Et nos alienu à fide et charitate inueniendi, nulli erimus, & seuerius iudicabimur.

28 Phares: diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis.

Iusto dei iudicio reus inuentus es, ô Balsasar, & indignus misericordia, dignus autē cui auferatur talentum creditum, ideo alijs illud dabitur, Persis & Medis.

29 Tunc iubēte rege, indutus est Daniel purpura, & circundata est torques aurea collo eius: & prædicatum est de eo quod haberet potestatem tertius in regno suo.

Fides regū. Non legimus hic pœnitere regem, sed promissionem tamen seruare sanctissimè, regum more illius temporis. Suscipit autem honorem propheta expers auaritiæ, ad confirmationem prophetiæ, ut notior fieret Persis & Medis ad solatium filiorum dei. Fideles autem pretiosas uestes non magnificiunt, neq; sinistrè iudicant indutos, nec damnant, sed pro charitate & necessitate uti illis sciunt, sicut Hester. Danielis autem omnis hæc gloria in gloriam ueri dei, qui in illo uicerat, cedebat.

30 Eadem nocte interfectus est Balsasar rex Chaldæus.

Anni regū Babel. A quodam aulico occisum ea nocte regem Hebræi tradunt, qua festum deo suo celebrabat, caputq; eius Cyro obsidenti allatum, qui inde animosior factus, ciuitatem occupauit. Aliqui illum decem et septem annos regnasse dicunt, Iudæi non nisi triennium. Vt constet numerus septuaginta annorum captiuitatis Iudaicæ & regni Babel, sicut dixit Ieremias. Nam Nabuchodonosor octauo anno regni sui Ioachin cepit, quem Euilmerodach post triginta septem annos exemit carceri. Vnde colligitur quadraginta quinque annos regnasse Nabuchodonosor. Euilmerodach autē à Iudæis dicitur regnasse uiginti tribus annis: qui si iungātur, faciūt sexaginta octo, quibus duo additi septuaginta efficiunt. Gentiliū scriptores uariant, nos aūt propheticis scripturis tutius adhæremus.

¶ CAPVT VI.

1 ET Darius Medus successit in regnum, annos natus sexaginta duos.

2 Placuit Dario, & constituit super regnum satrapas cētum uiginti, ut essent in toto regno.

Post gloriam dei auctam sub Chaldæorum regno, consequenter etiam uincentibus Persis & Medis, celebrat nomen suum, dum iterum Daniel, & alij honorantur, et libertas datur populo Iudæorum, facultas quoque redeundi ad propria. Hic autem Daniel narratur seruatus à faucibus leonum, & illius hostes eorundem sæuitia perditos. Hic Darius, cum historici plerique uarient, ueri- Darius Medus. similiter dicitur ab Hæbreis nō toto anno regnasse post Babylonam captam, statimq; successisse illi Cyrum, qui tamen uiuenti adhuc pro sua modestia libens illi cesserit regni titulum, utq; præcipuum in Babylone palatium illi esset, ubi & præsens miraculum acciderit, in Babylone scilicet & non in Media. Absq; dubio ergo Cyrus & Darius uictoriam sibi superne concessam cognouerunt: unde & Ezræ primo Cyrus gratias agit deo. Innotuit illis sine dubio uirtus & dignitas Danielis & sociorum suorum, ideoq; cum primis Daniel consilijs adhibitus fuit, cuius institutione præfecturas regni tanti commodissimè disposuit, sicut Salomon & Moses, in satrapas centum & uiginti. Siue in quatuor partes regnum diuiserit, siue in tres, accommodatissima est distributio. Præfecit autem uiros idoneos authoritate præditos, non iuuenes annis uel sensu. Iam in tanta rerum nouatione, cum pleraq; diripiuntur & deuastantur, necesse est, ut omnia iterum in debitum ordinem redigantur.

3 Et super eos principes tres, ex quibus Daniel unus erat: ut satrapæ illis redderent rationem, & rex non sustineret molestiam.

Istis triumuiris danda erat ratio expensi & recepti, ne forte princeps incommodum sentiat, id quod & in quauis republica utile foret. Furari enim de fisco nō simplex furtum est, sed sacrilegium, si spectes à quibus bona fisci compilentur, & in quem usum pertineant.

4 Igitur Daniel superabat omnes principes et satrapas: quia spiritus dei amplior erat in illo. Porrò rex cogitabat constituere eum super omne regnum:

Præcipuæ authoritatis Daniel erat inter tres, aliorū Danielis authoritas. incitator. Adeoq; re ipsa toti regno præerat cōsilio suo, & reliquos cessantes extimulabat. Enimuero rex Darius animaduertebat fidem, diligentiam & iustitiam eius, & maiore honore dignum censebat, quia conspicua in ipso gratia spiritus sancti & abundantior apparebat. Sicut enim Ioseph profuit sapiētia sua Aegyptijs regibus, ita Daniel Persis & Medis.

5 unde principes & satrapæ quærebant occasionē, ut inuenirent Danieli ex latere regis: nullamq; causam & suspicionē reperire potuerūt, eo quod fidelis esset, & omnis culpa & suspicio non inueniretur in eo.

Quia inter duos principes, inter quos erat tertius, hunc primum facere rex cogitabat, hinc inuidiæ & insidiarum nata occasio est. Varijs enim modis accusare illum quærebant, uel ut ambientem regnum, uel ut fraudulēter thesauros regios dispensantem, uel negligentius munere suo fungentem, sed maior erat prophetæ innocentia ac fides, quàm ut in ullo posset carpi. Pie enim uiuentes etiam in præsenti sæculo felicius agunt, & deprehendi nequeunt. Qui enim affectionibus suis imperat, nullam accusatoribus ansam relinquet, quantumlibet inuidiam declinare non possit. Daniel autē deum timens, et hominū iudicia cōtemnens, iustitiæ et officij sui Accusatores aulici.

memor erat, interim prouidus & cautus, ne & ipse argui mereatur.

6 Dixerunt ergo uiri illi, Non inueniemus Danieli huic aliquã occasionem, nisi forte in lege dei sui.

7 Tunc principes & satrapæ illi surripuerunt regi, & sic locuti sunt ei, Dari rex, inæternum uiue:

Vita integra.

Felix conuersatio, in qua inimici nullam reperiunt occasionem, nisi fortè in legitimis dei sui. Pulchre dicit, Surripuerũt. Non enim hoc locuti sunt quod agere cogitabãt, sed per honorem regis inimico suo priuatim moliũtur insidias, sciẽtes cenodoxiæ morbo regẽ laborare, et egerrime ferre sui contemptũ. Ideo ut regi maneat salua sua dignitas, tale decretum statuunt, quo maximam in populo obedientiam confirment. Itaq; hoc facile ambitioso regi persuaserũt, cum non sit rarum apud Persas reges ut deos salutari, quod Daniel facturus non esset.

8 Consilium inierunt omnes principes regni tui, magistratus & satrapę, senatores & iudices: ut decretum imperatorium exeat, et edictum, Vt omnis qui petierit aliquam petitionem à quocunq; deo & homine, usque ad triginta dies, nisi à te rex, mittatur in lacum leonum.

Barbara postulatio.

O barbaram postulationem, & beneficium omnibus modis absurdum, confundens eum qui se eo honorari putabat. Nam si hoc bonum & utile erat, oportebat semper facere: sin malum, neq; in trecentis triginta diebus facere conueniebat. Deniq; si bonum, quid tantam multitudinem prætexitis hoc decreuisse? nam etiam absq; illa annuere oportebat: sin malum, neq; toto mundo præcipiente parere fas erat.

9 Nunc itaq; rex, confirma sententiam, & scribe decretum: ut non immutetur quod statutum est à Medis & Persis, nec præuaricari cuiquam liceat.

Constitutiones seruandæ.

Non imprudenter egissent Medi, constitutiones sanctißime obseruantes, si quidẽ piæ fuissent, nullatenus enim sunt contemnendæ. Sed disciplinæ rigor in legibus impijs locum non habet. At adulatores aulici circunueniendo reges, adigunt ad iniquas leges condendas, quas postea capti mutare non audent in præiudicium piorum & quæstum impostorum. Sic Dario regi hic impositum est, qui nõ contra Danielem mali quidpiam moliebatur, sed consiliarij impij aliò spectabant. Hæc autem permissione dei fiunt, ut inde illius gloria honestetur cum opprobrio perfidorum.

10 Porrò rex Darius proposuit edictum, & statuit.

11 Quod cum Daniel cõperisset, id est constitutam legem, ingressus est domũ suam: & fenestris apertis in cœnaculo suo, contra Ierusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturq; corã deo suo, sicut & ante facere consueuerat.

Ingens certamen nunc est Danieli aduersus iniquas, sed elucescit interim eximia uirtus: fidem enim suã egregia professione testatur, non solum nõ obtemperans impio edicto, sed & aperte improbat. Domum suam ingressus, & apertis fenestris more quo solebat orabat dominum deum sedulitate maiore, quia septuagesimus tunc annus instabat, ut dimitteretur populus ad reparandam ciuitatem. Non autem præ metu ingreditur domũ, alioqui & fenestras clausisset. Orat uersus Hierosolymam secundum legem & mores: confitetur quoq; hoc est, deo gloriam tribuit, quem & exaltat se humiliando, & peccatorem confitendo. Id quoq; laudabiliter agit ter in die, mane, meridie & uespere, quantum nõ delicet horarum suffurari poterat. Nec id tunc tam inceperat, sed sic fecerat etiam antea: ideo opus ad gloriam dei spectans, propter hominis timorem intermittere non uoluit nec debuit: deo enim magis obediendum quàm hominibus.

12 Viri ergo illi curiosius inquirentes, inuenerunt Danielem orantem, et obsecrantem deum suum.

Daniel iam plus quàm octogenarius uenerabilis senex, de omnibus illis & toto regno bene meritus, dolis & impia ingratitudine quæritur ad mortem, pro hoc uno, quod dominum deum suum adorat, id illi pro crimine capitali arripiunt, quibus uirtus religionis flagitium est, & occasionem accusationis quærunt in sanctissimo opere. Scrutantur autem & congregantur, ut multitudine testium redarguant & conuincant, conglobati inquieti, ut curiosius inquirant.

13 Et accedentes, locuti sunt regi super edicto, Rex, nũquid nõ constituisti, ut omnis homo qui rogaret quenquam de diis & hominibus usq; ad dies triginta, nisi te rex, mitteretur in lacum leonum? Ad quos respondens rex, ait, Verus est sermo iuxta decretum Medorũ atq; Persarum, quod præuaricari non licet.

Non primum accusant charissimum regi, sed confidentiam illaqueant nihil tale suspicantis, disputando de legis firmitate, quam lex facile confirmat. Sunt enim iustæ leges ueluti sepes, quæ si uno in loco interrupta fuerit, ingressus patet omnibus bestijs: ideo sanctæ dicuntur & inuiolabiles, ac superiores esse debent regibus. Hic autem impium edictum, ut non raro nostris quoque temporibus uidetur, pro sancta lege obtruditur.

14 Tunc respondentes, dixerunt coram rege, Daniel de filijs captiuitatis Iudæ, non curauit de lege tua & edicto quod constituisti: sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua.

Cum legi subiectum regem obtinuissent cauta circunuentione, nunc Iudæos rebelles, & externarum legũ contemptores habiti, ut erant, etiam Danielem uocant filium captiuitatis Iudaicæ. Non cum simpliciter dicentes inobedientẽ, sed nullo modo cor apponentem & cogitantẽ ut obediat, sed ter in die orantẽ apertis fenestris.

Quod

15 Quod uerbũ cum audisset rex, multum contristatus est: & pro Daniele posuit cor ut liberaret eum, & usq; ad occasum solis laborabat ut erueret illum.

Intellexit rex se propria responsione esse deceptũ, & quod causa insidiarũ esset inuidia. Itaque ne cõtra suam legem facere uideretur, non authoritate regia, sed ratione atque consilio uult Danielem de discrimine liberare, & in tantũ nititur ac laborat, ut rex potẽtissimus usque ad solis occasum cibum nõ accipiat. Et illis tanta in malo pertinacia est, ut nec uolũtate regis moueãtur, nec iniuria boni uiri, & morte innocẽtis. Adeò pertinaces illi in legibus impijs cõseruandis, ne deus adoretur, sed homines, pro libertate spiritus conculcanda, ad constringendas conscientias, ad mortalem culpam, ad opprimendam gloriã dei. Contra ueritatem fidei & morum huiusmodi leges impiæ sunt. Leges autẽ quarum obseruatione deus colitur, non abrogari possunt, nec uariari, quales quod solus deus adoretur, super omnia colatur & ametur, cor seruetur mundũ ab odio, auaritia, adulterio, immisericordia. Præter utrasq; etiam aliæ ponuntur ad gubernandos populos uel domus, hæ si fidei & charitati non præiudicant, etiamsi ab hominibus constituantur, tanquam diuinæ propter authoritatem magistratuũ quos deus instituit, celebrari & laudari merentur. Quicquid autem diuinæ legi aduersum est, non lex uel iustitia est, sed tyrannis & impietas.

Pertinacia improborũ.

16 Viri autẽ illi intelligentes regem, dixerũt ei, Scito rex, quia lex Medorũ atque Persarum est, ut omne decretum quod constituerit rex, non liceat immutari.

Sicut rex intelligebat principes impios sanctum Danielem accusare propter inuidiã, sic & illi intelligebãt regis animum, quod uellet Danielem de præsenti morte eruere: unde iuxta legem Medorũ atque Persarum dicunt regis iussa non posse fieri irrita.

Mysteria regum.

17 Tunc rex præcepit, & adduxerũt Danielem, & miserunt eum in lacum leonum. Dixitq; rex Danieli, Deus tuus quem colis semper ipse liberabit te.

Cedit multitudini & malitiæ quam agnoscebat, & consentientibus aduersarijs, mortem amici non audet negare: quodq; ipse obtinere non potuit, dei tradidit potentiæ. Nec ambigue loquitur, ut dicat, Si potuerit liberare te: sed audacter & confidenter, Deus, inquit, tuus quẽ colis semper, ipse te liberabit. Audierat enim tres pueros, qui inferioris à Daniele gradus erant, flammas uicisse Babylonias, & Danieli multa mysteria relata, unde et diligebat eum, hominemq; captiuum habebat in honore maximo. Non multum Pilato absimilis, timebat ne principatum amitteret, maluitq; tentare deum, quam credere, & innocentiam tutari officio religio quam sciebat.

Religio Darij.

18 Allatusq; est lapis unus, & positus est super os laci: quem obsignauit rex annulo suo, & annulo optimatũ suorum, ne quid fieret contra Danielem.

Obsignauit annulo suo lapidẽ, quo os laci claudebatur, ne quid cõtra Danielem molirẽtur inimici, credidit enim dei potẽtiæ uirum sanctũ. Et qui de leonibus securus est, de hominibus pertimescit. Obsignat autem & annulo optimatũ suorum, ne quid suspitionis cõtra eos habere uideretur. Habitat igitur Daniel inter leones, fide & innocẽtia munitus, qua uelut Adã præest animantibus: sanctimoniamq; testari cœperunt efferi leones, quam infamare non erubuerũt pessimi principes.

19 Et abijt rex in domũ suam, & dormiuit incœnatus, cibiq; non sunt allati corã eo, insuper & somnus recessit ab eo.

20 Tunc rex primo diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit:

Quanta regis beneuolentia, ut cibũ nec die nec nocte caperet, somnum oculis non cõcederet, sed cum periclitante propheta dolet & luget ex animo. Interim autẽ seruus dei periclitatur, & in tempore opportuno fert deus auxilium: accusatores inuidi magis periculo inuoluuntur, & rex misericors misericordiam à deo consequitur, & agit pœnitentiã, respuens cibũ, & musicam ac somnum, hoc est, regia oblectamenta omnia.

21 appropinquansq; lacui, Danielem uoce lachrymabili inclamauit, & affatus est eũ, Daniel serue dei uiuentis, deus tuus cui tu seruis semper, putásne ualuit te liberare à leonibus?

Lacum uocat depressam in altum foueã, uel arentem cisternam, in qua leones nutriebantur. Festinus autẽ ac solicitus primo diluculo pergit ad lacum, credens eum uiuere. Quamprimum fas erat liberare Danielem surrexit, non ministros misit, nec simulauit dolorẽ, sed eiulabunda uoce clamauit, & ait Danieli, Serue dei uiuẽtis: istis se uerbis accusans, & ministrum dei innocentem pronunciãs: quasi dicat, O Daniel, declarasti te nõ esse meum seruum, neque mancipium hominum, sed tuum deum uiuentẽ præ oculis habuisti, qui utinã pro tua te fide seruarit, ut potuit & confido.

22 Et Daniel regi respondens, ait, Rex in æternum uiue.

23 Deus meus misit angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerũt mihi: quia coram eo iustitia inuẽta est in me: sed & coram te rex delictum non feci.

Honorat honorantẽ se, & ei uitã imprecatur æternã. Nec recedit à sanctis moribus liberatus à leonibus, sed deum ubiq; glorificat. Non simpliciter, inquit, uiuo, sed deus me liberauit, hoc autẽ per angelũ & ministrũ effecit. Non leonũ feritas immutata est, sed rictus eorũ & rabies conclusa est ab angelo, & idcirco clausa. Dicere uult Daniel, O rex, inde discas iustitiã dei, quia corã diuino iudicio inuẽtus sum innocẽs, & neq; in te peccaui: peccassem aũt in te, si adorassem, & in peccatis tuis te confirmassem, ut taceã quantã fidem in omnibus operibus meis & functionibus seruaui, id quod & aduersarij testari coguntur. Interim quoque accusatores suos pessimos non accusat, sed solum suam indicat innocentiam.

Danielis constantia in sanctimonia.

24 Tunc uehementer rex gauisus est super eo, & Danielem præcepit educi de lacu, eductusq; est Daniel de lacu, & nulla læsio inuenta est in eo, quia credidit deo suo.

25 Iubẽte autem rege, adducti sunt uiri illi, qui accusauerunt Danielem: & in lacũ leonum missi sunt, ipsi & filij, & uxores eorũ: & non peruenerunt usq; ad pauimentum laci, donec prævalerent in eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt.

Miraculum circa sanctum & fidelem.

Videns magnum dei miraculum, lætatus est, & amici innocentis nomine, & nunc rectius iudicare incipit, iubens Danielẽ extrahi, & impios accusatores in illius locum leonibus obijci. Cæterum ne suspectum sit quod actum est, omnis nõ, id est, nulla læsio in eo inuenta est: non enim audebant leones contingere sanctum dei: contrà uero calumniatores mox deuorati sunt. Deuoratas autem fœminas esse cum pueris miraculum astruit. Iam hanc pœnam iuste luisse mulieres cum pueris hinc patet, quia sicut accusatores regẽ amicissimo per fraudem orbarant, ita nunc uidẽt etiam sibi dilectos pœnam secum luere. Quia, inquit, credidit deo suo: hoc in laudẽ fidei spiritus sanctus diligenter adiungit. Nam quia Daniel regi respondérat iustitiam in se inuentam, ne hoc diuinæ laudi præiudicet, & secus ac decet exponeretur, dicit, Quia credidit deo. Hoc est quod & Abrahã iustificauit Non igitur preces domuere leones, ieiunia non obstrinxere rictus leonum, sed iuxta epistolam ad Hebræos meritò hoc fidei ascribitur.

26 Tunc Darius rex scripsit uniuersis populis, tribubus, & linguis habitãtibus in uniuersa terra, PAX uobis multiplicetur:

27 A me ergo constitutum est decretũ, ut in uniuerso imperio et regno meo tremiscant & paueant deum Danielis. Ipse est enim deus uiuens & æternus in secula: & regnũ eius non dissipabitur, & potestas eius usq; in æternum.

28 Ipse liberator atq; saluator, faciens signa & mirabilia in cœlo & in terra: qui liberauit Danielem de lacu leonum.

Gloria dei adducta in gentibus.

Iam nunc suo tempore dei gloria sole clarior progreditur, publico enim rescripto rex fatetur peccatum suum, & gloriam dei ueri prædicat. Præceperat Nabuchodonosor, ne nomẽ dei blasphemaretur, ille uult etiã ut colatur, omnesq; tremant à facie dei Danielis: quasi dicat, Didici ego quoq; tandem, quatenus sanctas esse leges oporteat, & quãdo dispensandæ. Multo iustius est, ut deo quàm homini obtemperetur. Ego mortalis sum puluisq; ac cinis: deus uiuit, & fons est utæ, permanens in uniuersa sæculà, ille punire, ille præmiare potest. Ab eius igitur facie timendum. Huic qui seruiunt, perpetuo

Regnũ dei.

bene habebunt: regnum enim eius perpetuum. Viuit & regnat etiã quando absens esse putatur, & uigilat quando dormire creditur. Certa qui sectãtur, uana relinquãt. Facit & multa alia mirabilia deus in cœlo & in terra quæ condidit: at hoc unum sufficit ad commonefaciendum, quantũ de potentia ac bonitate dei sentire deceat.

29 Porrò Daniel perseuerauit usq; ad regnũ Darij, regnumq; Cyri Persæ.

Vsq; ad primum annum Cyri regis, qui Chaldæorum destruxit imperiũ Daniel potens fuit in Chaldæa, postea uero à Dario secum in Medos translatus est, relicto filio Cyri Cambise in Babylone.

¶ CAPVT VII.

1 ANno primo Balsasar regis Babylonis, Daniel somniũ uidit: uisio autem capitis eius in cubili suo: & somnium scribens, breui sermone comprehendit,

2 summatimq; perstringens, ait, Videbam in uisione mea nocte, & ecce quatuor uenti cœli pugnabant in mari magno.

Hæc uisio ac sequens primo & tertio anno Balthasar regis accidisse memorantur, somnia scilicet, quæ singulis sint uisa temporibus, quorum solus propheta conscius est. Scribuntur autem ut apud posteros eorum quæ uisa sunt memoria perseueret. Hanc autem uidit eo tempore, quo iam à negotio quietus, & regalibus negotijs non oneratus, contemplationi uacabat & precibus. Visio autem capitis dicitur certa & indubitata, non phantastica & confusa, sed quæ digna esset conscribi ad perpetuam memoriam, tanquam summam maximarum rerum propter quod dicitur Caput sermonũ, res magnas breuibus complectens. Primus autem annus indicat adhuc tunc uigere Iudæis calamitates ex iniquo rege, qui Danielem nesciebat, quem de salute sui populi anxium propheta dominus consolatur uisione, qua disceret propediem finiendum imperium tam durũ, & qualis mundi facies futura esset. Annunciabantur autẽ multa grauia, ideo nocturna est uisio: nox enim tribulationem in scriptura designat. Summa autem uisionis est, in mari magno quatuor uentos cœli pugnare, id est, in hoc mundo plurimas affectiones fore, ut per mare magnum mundum, per uentos persecutiones intelligas, quæ quoquo te uerteris instent.

3 Et quatuor bestiæ grãdes ascẽdebant de mari diuersæ inter se.

Ostenditur satis clare, quid mare sit & uenti, cum di Quatuor cit in sequentibus, quatuor ascendisse de mari bestias, regnacq; significare reges quatuor: quatuor aũt reges, regna sunt et monarchiæ, nõ soli principes singulares, sed cum eis consiliarij, armigeri et cæteri subditi, per quos regna administrantur cum successoribus ipsis, & toto statu regnorum. Ecce, inquit, non satis erat spatiosum hoc mare huius uitæ innumeris curarum fluctibus, morborum molestijs, ac cæteris difficultatibus turbulentum esse, nisi etiã de mari exeant bestiæ quatuor ad affligendum humanum genus.

4 Prima quasi leo, & alas habebat aquilæ: aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, et super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.

Primum animal leo, non leæna, regnum Babylonicum, designat,

Leonis na-tura.

designat, sicut supra per caput aureum, & in Ieremia: Ascendit leo de cubili suo. Leo enim inter feras regnat, unde & nomen quidam accepisse putant. Crudelis est, ubi exasperatur, generosum tamen animal, & non nisi in summa fame humilibus & miseris infestum, dolis & suspicione caret. Aquilinæ hic alæ ob pernicem cursum affirmantur. Dicitur enim aquila grandis magnarũ alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & uarietate. Quamuis autem leo præferatur alijs feris, innumeras tamen sub Babyloniorũ tyrannis sanguinarijs passi sunt Iudæi, & idcirco etiam consolatio adijcitur, regnũ hoc desiturum. Videbam donec alæ euellerentur, id est, deficerent omnes exercitus & prouinciarum populi, qui regem sicut alæ corpus tegebant & custodiebant, euanescereq; imperium Chaldæorum. Super pedes autem quasi homo stetisse dicitur, & cor datum ei. Si de Nabuchodonosor intelligimus, perspicuum est, casu suo & restitutione in regnum didicisse, non se leonem esse, sed hominem, intellectumq; recuperasse quẽ amiserat. Sin generaliter de regno Chaldæorum hoc sentiendum est, quod interfecto Baltasar, et Medis Persisq; imperio succedentibus, Babylonij ipsi homines et humilis fragilisq; naturæ sese esse intellexerint.

5 Et ecce bestia alia similis urso in parte stetit: & tres ordines erãt in ore eius, & in dentibus eius, & sic dicebant ei, Surge, comede carnes plurimas.

Persis Persarũ regnũ.

Hæc secunda bestia urso similis, ipsa est de qua in uisione statuæ legimus, Pectus eius et brachia de argento, Persici regni symbolum, animal leone tardius & ineptius, in senectute sua immite & inuidum: unde in scripturis propter insidias & crudelitatẽ leoni sæpius iungitur. Incipiebant Iudæi meliora sperare post Chaldaicũ imperium oppressum & finitum, regnantibus Persis et Medis: sed eos quoque senserunt infestos tandem, quum primum tractabiles extitissent. Impedierunt enim conditum ædificantiũ templum, exegerunt tributa grauia, & persequuti sunt Iudæos. Etiam multũ sanguinis effuderunt hi reges de suis & hostium stragis, teste Iustino & Orosio, ut et Persæ ipsi inter crudeles bestias connumerari possint. Tres ordines dentiũ in ore, intelligi possunt tres principatus, in quos diuisum est regnum Persarum. Daturq; ei potestas amplius sæuiendi: dicunt enim ei: Surge, comede carnem plurimam, quo significatur insatiabilis ingluuies, & perpetua uexatio, qua mundum oppressit, quam tamen tyrannidem ferè tolerabilem fuisse cum sequentis sæculi maiora mala.

6 Post hæc aspiciebã, & ecce alia quasi pardus, & alas habebat quasi auis quatuor super se: & quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei.

Macedonũ regnum Pardus.

Tertium regnum Macedonum, de quo in statua legimus, Venter & femora eius ex ære, Pardo bestiæ uelocissimæ cõparatur, quæ præceps feratur in sanguinem, & saltu in mortẽ ruit. Alas habebat quatuor: nihil enim Alexãdri uictoria uelocius fuit, qui ab Illyrico et Adriatico mari usq; ad Indicum Oceanum & Gangem fluuium, non tam prælijs quàm uictorijs percurrit, & in sex annis partem Europæ et omnem sibi Asiam subiugauit. Quatuor autem capita dicit duces eius, qui postea successores regni extiterunt, Ptolomæum, Seleucum, Philippum, & Antigonum. Quodq; additur, Et potestas data est ei: ostendit non Alexandri fortitudinis, sed diuinæ uoluntatis fuisse.

7 Post hæc aspiciebam in uisione noctis, et ecce bestia quarta terribilis atq; mirabilis, & fortis nimis: dentes ferreos habebat magnos, comedens atq; comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans: dissimilis autem erat cæteris bestijs quas uideram ante eam, & habebat cornua decem.

Romanorũ regnum.

Quartum imperium Romanorum est, de quo in statua dicitur, Tibiæ eius ferreæ, pedũ pars quædã ferrea, quædã fictilis, et tamen ipsius ferri nunc meminit, dentes eius ferreos & magnos esse contestans. Nulli autem bestiæ cõparatur, ut tãto formidolosior habeatur. Quicquid ferocius in animalibus cogitauerimus, hoc Romanos intelligamus. Comedit & comminuit omnia, & reliqua pedibus conculcat, quia omnes nationes spoliauit, cruẽtis uictorijs, tributoq; uel seruituti subiugauit. Dissimilis cæteris dicitur, quia in prioribus bestijs singula formidinum signa erãt, in hac omnia sunt. Cornua decem, angelus interpretatur decem reges, qui numerus magis unuersitatis multitudinem significat, sicut & septenarius, quàm ut decem tantum reges subsint Romanis, uel successerint, cum in sola Europa plus quàm decem reges nominare possimus, præter liberas communitates multas, & fortissimos populos. Solent enim scripturæ plenitudinis numerũ sic enunciare, ut non hic locum habeat superstitiosus numerator interpres. Principio autem declinãtis imperij bifariam sectum est, nunc multifariam. Et cornua illa omnia impetunt populum Dei: operatur enim in illis uirtus draconis, sicut & in Antichristo, etiam si infirmius. Vnum autẽ hodie regnum censentur quæcunq; terræ olim Romæ subditæ, quæ nunc uel proprios reges habent, uel liberè regnant: factæ plura nunc cornua, hoc est, decem, in quibus draco operatur, sanguinarius homicida ab initio dictus.

Decem reges.

8 Considerabã cornua, et ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum: & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius: & ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.

Cornu Antichristus.

Cornu istud omnes ecclesiastici indicãt Antichristum debere accipi, sed quid per Antichristum intelligatur, dissentiunt. Videtur contra Christũ esse ac semper fuisse quicquid contra simplicitatem, pietatem, fidem, charitatem, & Christi doctrinam tyrannicè defenditur, tenetur, fouetur, & instituitur, & triumphat, quicquid & quisquis tandem huiusmodi sit. Quod pietati Christianæ aduersatur, Antichristus uere dicitur, hostis scilicet fidelium, suam tantũ gloriã quærens & defendens, non Iesu Christi: quicquid aduersatur sanæ doctrinæ & Christianæ cõuersationi, gloriæ et uolũtati diuinæ, qualis

sine dubio est, qui in templo dei sedet, in Christi nomine Christum oppugnans, quæstum instituens & fastum defendens, destruens exemplo & doctrina quicquid Christus & apostoli docuerunt. Cornua quidem habens similia agni, sed ut draco loquitur. Hæc illa sæua potestas est,

Regnum diaboli.

inter cornua exoriens, regnum diaboli, quicũq; & qualescunq; sint, per quos antiquus hostis domino permittente suam exerceat tyrannidem, ubi non tam personæ perstringuntur quàm studia. Tria autem cornua uastari ab uno, est Antichristum ipsum omnia regna supprimere uiolẽter, ad impia uota urgere, labefactare in tota terra pietatis iudicium & profectum, iuribus suis & legibus præiudicare uerbo Dei & mandatis apostolicis & Christi, captiuare homines quantũlibet magnos & multos, imperatis sine exceptione grauare mundum, transferre ad suam libidinem & gloriam imperia & regna quæcunq;, anathemata fulminare in omnes iußis nõ parentes: ut uelit ab omnibus adorari, & ut deus terrenus si dijs placet, coli, uenerari, & timeri: dominatur, belligeratur, prædatur, strages facit, seq; monarcham haberi cupit, etiam si ad infernum turmatim animas præcipitet: qui purgatorium ignem accendit, eius incantationibus & indulgentijs pro uoto reextinguit, sed nõ gratis. Et ecce oculi quasi oculi hominis, &c. In hoc differt ab alijs cornibus, quod oculos habet, & speciem gerit hominis, non trucem uultum & efferum, sed blandum, benignum, humanum, & religiosum in speciem, ut beatißimi patres dici uelint. Vnde & in Apocalypsi Ioannis huius uisionis paraphraste, dicitur habere cornu simile agni, quia sub ouilla pelle sanguinarium leonem occultet. Quales hodie uidemus esse, qui uel aperte se contra Christũ uerbis & factis iactant, uel qui Christũ professum uerbo, factis abiurant. Non est necesse eos protrahere, satis prostant, & oculis non captis clare uidẽtur, utcunq; nolint digito impij demonstrari. Qualis autem uox draconis sit, id est, qualia impiorum contra Christi doctrinam impia sint dogmata, sciet qui in Alkorano, & nouis Canonibus & Decretalibus, traditiones humanas Christo aduersas perlegerit.

Simile agno.

9 **Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: uestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda: thronus eius flammæ ignis: rotæ eius ignis accensus.**

Multi throni quos uidit Daniel, uidentur esse hi quos Ioannes uigintiquatuor thronos nũcupat. Vetus autem dierum ille est, qui apud Ioannem solus in throno sedet, filius quoq; hominis, qui uenit ad uetustum dierum, ipse est qui apud Ioannẽ leo dicitur de tribu Iuda, radix Dauid, & cætera his similia. De quibus Paulus Apostolus loquitur, Siue throni, siue dominationes. Et in Euangelio: Vos sedebitis super duodecim thronos, iudicãtes duodecim tribus Israël. Sedens autem & uetustus dierũ dicitur deus, ut æterni iudicis habitus demonstretur. Vestimentum eius quasi nix candidũ, & capilli ut lana mundißima, purum ostendunt syncerumq; iudiciũ, et nullam personam in iudicando recipiens. Senex dicitur ut maturitas comprobetur sententiæ et iudicij maiestas. Thronus eius flammæ ignis, ut peccatores tormentorum magnitudinem pertimescant, & iusti saluentur, sic tamen quasi per ignem. Rotæ uel currus eius ignis accensus, ut omnia dei flammea sint. Ignis est enim consumens deus, & ante eum ignis præcedit, ut inflãmet in circuitu omnes inimicos eius Antichristianos.

Vetus dierum.

10 **Fluuius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius: millia millium ministrabant ei, et decies millies dena millia assistebãt ei, iudicium sedit, & libri aperti sunt.**

Fluuius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius, ut ignem peccatores traheret in gehẽnam: millia millũ, &c. non uult quo iste ministrorum dei numerus definitus sit, sed quod maiorem multitudinem humanus sermo non explicet. Duplex autem angelorum officium est: aliorum qui iustis præmia tribuunt: aliorum qui singulis præsunt cruciatibus. Conscientiæ & opera singulorum in utrunque partẽ uel bona uel mala omnibus reuelantur. Liber iste de quo sæpe legimus, liber uiuentiũ est et conscientiarũ.

11 **Aspiciebam propter uocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur: & uidi donec interfecta esset bestia, & perisset corpus eius, & traditũ esset ad comburendum igni,**

Mirabar an iustißimus iudex Deus omnipotens, tantam impietatem et blasphemias magnas contra uerbum dei et Christi uerißima dogmata inultam relinquere, et sui nominis gloriam negligere uellet, quod olim nõ consueuerat ad Pharaonem, Sennacherib, Goliad & alios. Attendebam quanta esset dei patientia, nec auerti me à cõtemplatione, donec dei iudiciũ affore cognoscerem, quo & suis succurrere solet, & remunerare certantes legitimè. Videbam autẽ donec interfecta est bestia, quæ bestium scilicet & ultimum regnum, cum suo corpore, hoc est, donec animal illud cum decem cornibus & cornu paruulo interficitur & occiditur: uincit enim agnus, ut est capite 17. & 19. Apo. Et uidi bestiam ac reges terræ & exercitus eorum congregatos ad faciendũ prælium cum illo (is est rex regum) & cum exercitu illius, & apprehensa est bestia, & cum illo pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso: in quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, et qui adorauerunt imaginem eius, qui sunt corpus illius bestiæ, qui pro possillanimitate & per hypocrisim nomen dederunt Antichristo.

Contemplatione.

12 **aliarum quoq; bestiarum ablata esset potestas: & longitudo uitæ cõstituta esset eis usq; ad tempus & tempus.**

Aliæ bestiæ sic interierunt, ut per aliquot tempora sequutæ sint aliæ: hæc autem sic perit ut nulla prorsus sequatur. Nec tam subito perierunt ut ista. Vltimũ enim regnorum est quartum, in quo & Antichristus. In alijs regnis quamuis perirent reges, & dominationes auferrentur, subditi tamen à uictoribus gratiam assequuti, sæpe in multa tempora adhuc uiuebant. At ubi iudiciũ sederit reges cum subditis in stagnum ignis proijcientur. Vnde & angelus exponit, Et potestatem eius auferent, & dißi-

Antichristus regnum eius.

& dissipabunt ac disperdent usq; in finem. Et hæc erit portio calicis impiorum, qui Antichristum quàm Christum sequi maluerunt. Quanto autem tempore iusti grauissimam illam afflictionem ferant, additur: Viuent sic anxij & oppressi usq; ad tempus & tempora, hoc est, ut uidetur non modico tempore, soli tamen Deo noto quando finiendum.

13 Aspiciebam ergo in uisione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hois ueniebat, & usq; ad antiquum dierum perue
14 nit: & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius, potestas æterna quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.

Regnum Christi.

Qui in somnio Nabuchodonosor lapis scribitur abscissus sine manibus, creuisse in montem magnum, & comminuisse testam, &c. nunc sub persona filij hominis introducitur, ut assumptio carnis humanæ significetur in filio dei, qui sicut assumptus est ab Apostolis in cœlum, sic ueniet, quemadmodum uiderunt eum euntem in cœlum. Quod autem dicitur, oblatũ eum omnipotẽti deo, & accepisse potestatem, & honorem, & regnum, iuxta illud Apostoli accipiendum est: Qui quum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualẽ deo: sed semetipsum exinanuit formam serui accipiens in similitudinem, &c. Regnat enim Christus non solum per fidem & gratiam in pijs & fidelibus hoc tempore, sed tandem peracto iudicio cum sanctis imperabit in cœlesti regno, in corpore & anima beatificandis.

15 Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his, & uisiones capitis mei con-
16 turbauerunt me. Accessi ad unum de assistentibus, & ueritatem quærebã ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationẽ sermonum, & docuit me:

Ad huiusmodi uisionem, à Domino monstratam pius propheta & uir desyderiorũ, expauit corde, & captus est desyderio intelligendi mysterium satis inuolutũ. Idq; per uisionem quoq; requirit ab angelo apparente, ut de omnibus uisis & auditis claram assequatur intelligentiam, ne frustra uidisse uelut somnium uideatur.

17 Hæ quatuor bestiæ magnę, quatuor sunt
18 regna, quæ consurgent de terra. Suscipient autem regnum sancti dei altissimi, & obtinebunt regnum usq; in sæculum sæculorum.

Regnum sanctorum dei.

Quatuor regna de quibus supra diximus, fuere terrena, & piorum religionem non parum semper diuexarunt multipliciter, ut testantur literæ sacræ & gentilium historiæ, cum Iosepho. Sub quarto autem regno, Romano scilicet, incipiet piorum & fidelium deo regnum in Christo diffundi in totum orbem: quod regnum est spiritus, consistens in sanctimonia fidei & charitatis, in cultu uero unius dei, quod nõ solum non finietur in hoc sæculo, sed & in sæculo animarum, & ad mundi consummationem ac iudicij diem perficietur in cœlis.

19 Post hoc uolui libenter discere de bestia quarta, quæ erat dissimilis ualde ab omnibus, terribilis nimis: dẽtes & ungues eius ferrei: comedebat & comminuebat, & reli qua pedibus suis conculcabat:

Latius explanat desyderium sciendi singillatim mysteria quarti regni, includentis tam regnum sanctorum, quod est Christi regnum perpetuum & spirituale, quod non est de hoc mundo, quàm etiam regnum eius quod dicitur Antichristianum, semper persequens pietatem ueram, & uerbi dei ueritatem infallibilem & sacrosanctam. De quo in superioribus dictum est.

20 & de cornibus decem quæ habebat in capite: & de alio quod ortũ fuerat ante quod ceciderant tria cornua: & de cornu illo quod habebat oculos, & os loquens grandia, & maius erat cæteris.

Cornu aliud quod inter decem prodierat, cuius terrore & potentia, ac uehementissimis uiribus tria cornua uel tria regna humiliata sunt, ut nemo illi resistere potuerit, habens oculos & os, loquens grandia, maius dicitur futurum cæteris, regnũ scilicet Antichristi: quod si impietatem spectes Saracenorum, & Christianorum solo nomine, quæ creuit in toto mundo, ex negligentia, contẽptu, et deprauatione sacræ scripturæ, suppositione autem traditionum humanarum in locum uerbi dei, maximum illud regnum uidebis, quia totum in orbem per multa diu nimium sæcula propagatum. Cornu oculatum.

21 Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellũ aduersus sanctos, & præualebat eis:
22 donec uenit antiquus dierum, & iudiciũ dedit sanctis excelsi, & tempus aduenit, & regnum obtinuerunt sancti.

Quomodo hoc regnum Antichristi bellum continuum gerat cum sanctis qui sunt in regno Christi, expositione non indiget, & à Christi temporibus, imò ab initio mundi, ab Abel primo iusto semper persequutiones passi sunt fideles ab impijs. Prævaluisse autem sanctis dicitur in mundi huius existimatione, & carnalium iudicio, non reuera. Sancti enim uicerunt regna, & adepti sunt repromissiones. In aduentu autem eius, qui dicitur antiquus dierum, quum Christus uenerit iudicare mundum, tunc sancti prævalebunt, et non erit eis luctus neq; timor, quæ prima abierunt. Hoc non solum certo credimus post iudicium uniuersale Christi futurum, sed etiam speramus non modica ex parte complendum, dum uerbum domini, & euangelicæ doctrinæ indubitata ueritas in totum orbem fuerit cum maxima claritate & gloria prædicatum non solum uerbis, sed etiam spiritu dando à domino lectoribus sacrarum literarum, ut omni errore & superstitione sublatis, in libertate ucra spiritus domino pariter sint seruituri quotquot dominus elegerit, etiam si ad integram mundi totius reformationem perueniri in hoc mundo non possit. Speranda tamẽ nobis meliora sunt à domino, cuius mirabili gratia, ueritatis amor, Bellum Antichristi cũ sanctis. Speranda maiora.

& pietatis zelus incepit iam, medio impressuræ, qua disseminatur uerbũ dei in immensum, ac præter solitum uidetur passim increscere, dilatari & hominum corda in melius commutari.

23 Et sic ait, Bestia quarta regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit uniuersam terrã, & conculcabit, & comminuet eam.

24 Porrò cornua decem ipsius regni, decem reges consurgent: & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, et tres reges humiliabit.

25 Et sermones contra excelsum loquetur, et sanctos altissimi cõteret: et putabit quod possit mutare tempora & leges, & tradentur in manu eius usq; ad tempus & tempora & dimidium temporis.

Tempora mutari.

Ex prædictis satis claret quod hic dicitur, præter id quod additur: Et putabit, scilicet Antichristus, mutare tempora & legem, hoc est, tam doctrinam apostolicam quàm ceremonias mutabunt Antichristiani. Tempora enim mutari aliud non uidetur, q̃ solennia sacrarũ feriarum, et sacrorũ cœtuum festiuitates mutare ad suum beneplacitum, iuxta humanas traditiones, & contra dei legem, & euangelicam libertatẽ. Leges quoq; diuinas aboleri per humanas præsumptiones, opus est Antichristianum. Tradentur autem hæc ambo cum reliquis sacrilegijs in manus Antichristiani imperij, ad tempus & tempora ac dimidium temporis. Quod qui exacte calculare hactenus conati sunt, uidentur plane deducti ad inconuenientia, siue tres cum dimidio dies, annos, uel centenarios annorum intellexerint. Possunt quidem non falsa dici, sed quàm solida ac certa nescio.

26 Et iudiciũ sedebit, ut auferatur potentia, ut conteratur, & dispereat usq; in finem.

27 Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum altissimi: cuius regnum, regnũ sempiternũ est, & omnes potentatus seruient ei & obedient.

Antichristus destruendus.

Impietas Antichristiana suo tempore iusto Dei iudicio damnabitur, & destruetur, improbaq; potestas mundi auferetur, ut nusquam comparitura sit amplius. Dum scilicet Christus cum electis suis regnabit sine impedimento in regno cœlesti, cum electis & sanctis sine fine. Si uero talis aliqua fidelium consolatio, & uniuersalis reformatio statuum et regnorũ futura sit ante finẽ mundi, dominus nouit: nostrũ est idipsum uehementer desyderare, & totis uiribus anniti ut regnũ dei propagetur, & fidei synceritas morũq; sanctimonia per dei clementiam augeatur, ut quotquot nunc in uinea domini laboramus, undecima scilicet hora, plenũ cum sanctis patriarchis & reliquis sanctis omnibus laboris pretium asse quamur. Nunquam enim desperandũ est nec oscitandũ fidelibus, quin quicquid nostra manus agendũ apprehenderit, quicquid concesserit opportunitas ad sancta exercitia constanter ab omnibus dei seruulis peragendũ est. In omni opere dei nunquam cessandum, etiam si sæpiũ plures sanctos spes magni fructus pro tanto eluserit.

28 Hucusque finis uerbi. Ego Daniel multum cogitationibus meis conturbabar, & facies mea mutata est in me, uerbũ autem in corde meo conseruaui.

In huius capitis fine mihi quoq; confitenda est non modica cunctatio huius explicationis, si unquam hactenus dubitare contigit: non quidem de fidei opera quantum dominus dedit, sed ob difficultatẽ loci, in quo alios quosque fideliter laborasse uidi, & non ausos quidpiam profiteri. Obscurus locus uidetur, & admodum inuolutus, opto ut clarius ab alijs intelligatur, & solidius explicetur. Hactenus liber Danelis Chaldaico Syriacoq; sermone conscriptus est: cætera quæ sequuntur usq; ad finem uoluminis Hebraice legimus in Biblijs Iudæorum.

¶CAPVT VII.

1 ANno tertio regni Balsasar regis, uisio apparuit mihi, ego Daniel: post id q̃d uiderã in principio.

Ex uerbis ipsis ubi dicitur, Post apparitionẽ quæ mihi in principio scilicet apparuit, patet hãc uisionem esse expositionem uel suppletionem præcedentis uisionis, de regnis Medorum & Græcorum, de quibus hanc uisionẽ intelligendam angelus docet infra nec Persu uigesimo. Superior uisio facta fuit primo anno Balthasar, hæc autem anno tertio, qui & secundum Hebræos ultimus fuit regni Chaldaici, in quo & liberatio expectabatur ad septuagesimũ annum captiuitatis, iuxta prophetiam Ieremiæ, quasi sic dominus per prophetam loquatur: De proximo quidẽ Babylonij hostes uestri conterendi sunt, sed et eorum uictores Persæ, nec uos remittẽdi estis ad propria sine flagellis, nec tuto persæuerabitis. Imminet enim uobis hostis alius periculosissimus, Antiochus Epiphanes, rex Syriæ futurus, impius in deum, atrox & durus in Iudæos. Ne ergo propediem feliciores effecti, animo superbiatis & insolescatis contra dominũ, sed curetis de transigendis cum fauore Dei calamitatibus huius mundi, nunquam cessaturis, deq; appetendis & ambiendis bonis sæculi futuri et cœlestis: filios uos dei memineritis, qui in hac uita corripiuntur: reprobi uero, quos deus hic non uisitat, in longe peiora tempora & pœnis ineffabilibus reseruantur. In illis autem duabus uisionibus duo mala maxima reuelãtur, quæ Iudæis post reditum acciderunt, nempe templum sub Antiocho uiolatum, & deinde sub Tito desolatum. Aliud enim templum deus approbat, Christum scilicet ipsum, Christus templum quem plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitauit & illius ecclesiam: adorariq; uult magis deus in spiritu & ueritate, quàm in Garizim uel Ierusalem.

2 Vidi in uisione mea cũ essem in Susan castro quod est in Aelam regione: uidi aũtem uisione esse me super portam (Hiamen) Vlai.

Susis ciuitas.

Per uisionem putabat se Daniel esse in Susis, quæ Metropolis tunc erat Elimaidis regionis, quæ & Persia dicitur. Castrũ autẽ hic dicitur Susis, tam firmo ædificio, ut castrũ esse uideatur, & arx robustissima, cum sit Metropolis

tropolis Elamitarum, sita ad mare Persicum, centum et uiginti stadiorum ambitu, Cyri regia. In uisione autem ostensum est Danieli, quod esset apud flumen Euleum, quod Hebræi raro exacte nomina exprimẽtes Vlai nuncupant, propter scilicet portam fluentem, quæ dicebatur porta uel porticus Vlai, per quam ad flumen exitur de ciuitate, quod oritur in Medis, & per Mesobatenen lapsus circuit arcem Susarum ac Dianæ templum, unde reges bibunt, & ob id in longinqua illius aqua portatur ne frustra putetur illius commemoratio.

Et leuaui oculos meos, et uidi: & ecce aries unus stabat ante paludẽ, habẽs cornua cornua excelsa excelsa, & unum excelsius altero atq; succrescens.

4 Postea uidi arietẽ cornibus uentilantem contra occidentem, & contra aquilonem, & contra meridiem: & omnes bestiæ non poterant resistere ei, neq; liberari de manu eius: fecitq; secundum uoluntatem suam, & magnificatus est.

Cyri regnũ. Persarum potẽtiam describit, qui rege Cyro duce monarchiam obtinuerunt. Orientem autem à tergo relinquens Persa, omnes proximos impugnauit, ad meridiem Arabas & Aegyptios, ad occidentem Assyrios & Palæstinos, ad septentrionem Lydios, Cappadoces, Armenos, & tandem etiam Scythas: nullæ ei bestiæ regnorũ obstare poterant, sed ubiq; triũphos erigebant. Quãuis autem Cyrus à Tamiri occisus apud Scythas magnã cladem suorum fecerit, saluum tamen stetit regnum Persarum, filio Cyri succedente Cambyse regũ potentissimo. Quod autem duo cornua uidit, unum alio excelsius, significat reges duos, Persarum Cyrum, et Medorum Darium: iunxerãt enim exercitus cõtra Chaldæos. Et principio Persæ numero militũ Medis multo inferiores, sed exercitio militari superiores & clariores euaserũt. Mortua tamen Cyrus cessit semper Dario. Alterum ergo cornu Cyri scilicet, posteriore tempore prædicitur superius & excelsius futurum, quod & factum est.

5 Et ego intelligebam: ecce autẽ hircus caprarum ueniebat ab occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram: porrò hircus habebat cornu insigne inter oculos suos.

6 Et uenit usq; ad arietem illum cornutum quem uideram stantem ante (paludem uel flumen) portam, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ.

7 Cumq; appropinquasset prope arietem, efferatus est in eum, & percussit arietem: & comminuit duo cornua eius, & non potuerat aries resistere ei: cumq; eum misisset in terram, conculcauit, & nemo quibat liberare arietem de manu eius.

Succeſſio regnorum. Sicut in flumine aquas priores sequẽtes deuoluunt, sic regnum à successore opprimitur. Inuicti censebantur caprarum, à Græcis enim primum Persia maximas cla-

des accepit in campo Marathonio & Thermopoli: florentissimum tamen adhuc mansit usq; ad Darium ultimum, quẽ Alexander Macedo uicit. Qui ab occasu grassatus, uersus orientem, meridiem & septentrionem, tanta uelocitate militauit, ut uolare & terram non tangere uideretur. Eratq; Alexãder ille cornu istud prominens, fortissimum & unicum, coadunatum regnum, & fortissimi exercitus, qui tã miserabili exitio trucidauit Darium, ut à lachrymis abstinere non potuerit, & corpus illius religiose sepeliri iusserit. Lege Iustinum, & uidebis huius loci expositionem, quomodo nemo eruere potuerit arietem Darium ab implacabili feruore Alexandri, quomodo cornua Persici regni comminuerit.

8 Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: cumq; creuisset, factũ est cornu magnum, et orta sunt quatuor cornua sub ter illud per quatuor uentos cœli.

Alexander Macedo. Cessit monarchia Alexandro, & ex omnibus terris fe lices nuntij eum adorant. Atqui nec ipse subsistit, perijt enim ueneno adhuc iuuenis, & fractum est cornu illud, id est, regnum magnum, pro quo ascenderunt quatuor regna, Macedonicum, Syriacum, Asiæq; & Aegyptiacum. Videre igitur licet etiam infelicissimo omnium uictore, quàm mutabiles & transitoriæ sunt res humanæ.

9 De uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum: & factum est grande contra meridiem, & contra orientem, & cõtra (elegantiam) fortitudinem.

10 Et magnificatũ est usq; ad fortitudinem cœli: & deiecit in terram de fortitudine & de stellis, & conculcauit eas.

11 Et usq; ad principem fortitudinis magnificatum est: & ab eo tulit iuge (sacrificium) & deiecit locum sanctificationis eius.

12 Robur autem datũ est ei contra iuge (sacrificium) propter peccata: & prosternetur ueritas in terra, & faciet, & prosperabitur:

Antiochus Epiphanes. Hæc de Antiocho Epiphane dicta paulò post commodius tractabuntur, angelo ipso interprete, & multo clarius in capite undecimo. Obses enim fuit Romæ, nec à patre designatus rex, sed inuasit regnum, & potens factus est in meridie, hoc est, deprædatus est Aegyptũ: deinde & contra Persas pugnauit, sed minus feliciter. Nullos autem magis afflixit quàm Iudæos et Ierusalem, quorum terra dicitur hic elegans, inclyta, pulchra & desyderabilis sicut himnulus propter ubertatem. Et quoniam populus dei erant, uocati sunt exercitus cœli & stellæ. Nec contentus erat affligere populum, nisi & principem populi illius Deum Israel blasphemaret, præciperetq; tolli sacrificium, prophanari templum, ueritatem impugnaret, & iniquitati patrocinaretur: cæterũ hoc usq; ad præstitutum tempus, sub illo nimirum magna futura erat tribulatio, hæc autem mox dilucidius.

13 Et audiui unum de sanctis loquentem: & dixit unus sanctus alteri, nescio cui loquẽti, Vsquequo uisio & iuge (sacrificium) & peccatũ desolationis quæ facta est: & sanctua-

rium, & fortitudo conculcabitur.

Audiui unum angelum, qui sanctus dicitur, loquentem ad alium angelum aliquem adstantem, quem nominare non studuit, uel aliqua ratione non debuit, fortassis angelus testamenti fuit, reuelare assuetus mysteria fidei prophetis & patriarchis, aliquando carnem induiturus & inter homines conuersaturus. Petit itaq; angelus alter ab isto loquente prophetis, quanto tempore desolandum sit templum sub Antiocho, cessante ueri dei cultu, & quandiu exercitus cœli, hoc est, populus Israël, conculcandus sit, & iuge sacrificium, quod quotidie offerri debebat secundum legem, esset negligendum, peccatum impietatis obtenturum, & religionem sanctam calcandam. Hoc est enim quod dicit, Vsquequo uisio iugis sacrificij & præuaricationis uastationi subiacebit, & omnia sacra conculcabuntur?

Angeli colloquuntur.

14 Et dixit ad me, Vsq; ad uesperam mane, (dies) duo millia trecenti: & mũdabitur sanctuarium.

Legamus Machabæorum libros, & Iosephi, ubi scribitur Antiochum Hierosolymam & uniuersa uastasse, reuersumq; anno ab hinc tertio, in templo posuisse statuam Iouis Olimpij, & usque ad Iudam Machabæum, id est, usq; ad annum centesimũ quadragesimum octauum, per annos uastitatis Ierusalem sex, contaminationis autem templi tres, duo millia trecentos dies & tres menses esse completos, post quos templum purgatum est à Machabæis, qui sic dixisse legunt ur: Ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare sancta & renouare: cõgregatus est igitur omnis exercitus, & ascenderunt in montem Zion, & uiderunt sanctificationem desertam, altare prophanatum, portas exustas, & in atrijs uirgulta nata, sicut in saltu uel in montibus, pastophoria diruta, tunc sciderunt uestimenta sua, & planxerunt planctu magno, ut plane uideatur adimpletio huius prophetiæ. Hunc locum plerig; ad Antichristum referunt, et quod sub Antiocho in typo factum est, sub illo in ueritate cõpleri. Deniq; Antiochus qui cõtra principem principum, surrexerat, id est dominum dominantium, etiam in regno Persarum Dianæ templum spoliare cupiens pretiosissimis donarijs, ibi quoq; amisso exercitu sine manibus cõtritus est, id est, tristitiæ morbo perijt.

15 Factum est autem cum uiderem ego Daniel uisionẽ, & quærerẽ intelligentiam, ecce stetit in cõspectu meo quasi species uiri.

Videbat uisionem per picturam & imaginem, et illius intelligentiam nesciebat. Non ergo omnis qui uidet intelligit. Orandus est humiliter deus, ut nobis rerum diuinarum intelligentiam tribuat, ad discendũ paratis, quæ Deus scire nos uult, qui ea benignitate est ad nos, ut pulsantibus aperiat, & petentibus abunde largiatur. Non uiri sunt angeli, sed in specie uidentur uirorum: sicut Abraham tres uisi sunt uiri, & Christi diem uidit, & lætatus est.

16 Et audiui uocem uiri inter Vlai: & clamauit, & ait, Gabriel fac intelligere istam uisionem.

Virum istum qui præcepit Gabrieli, ut Danielem faciat intelligere uisionem, Michaelem autumant Iudæi. Gabrielis autem nomen ab heroico robore accipitur, quod per illum confert deus, ad confortandum eos qui per illũ docentur: quamlibet reuera spiritus Christi ipse, qui confortat ac illustrat.

17 Et uenit, & stetit iuxta ubi ego stabã: cũq; uenisset, pauens corrui in faciem meam, & ait ad me, Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis (complebitur) uisio.

18 Cumq; loqueretur ad me, obstupui prono in terra: & tetigit me, & statuit me in gradu meo.

19 dixitq; mihi, Ego ostendam tibi quæ futura sunt in nouissimo maledictionis: quoniam habet tempus finem.

Spiritus bonus.

Habent hoc boni spiritus, ut primo accessu claritate sua nonnihil terreant: unde & Daniel hic terretur, & faciem præ pauore demisit: non inflatur, non attollit supercilium, sed humiliatur, ut de deo summa, de se uero prope nihil sentiat, deo det gloriam, sibi uero confusionem. Vbi igitur Daniel angelum audiuit loquentem, magnis turbatus est & humiliatus. Crescit enim cum diuinæ illustrationis incremento modestiæ gratia. Non autem angelus dure appellat timidũ, sed blande exhortatur ob carnis sarcinam minus assueti colloquio numinis, ideo filium hominis nominat. Assum, inquit, ad manifestandũ tibi quæ populo euenient propter iram dei, ut scias quod neq; ob suam impotentiam uincentur, neque Antiochus uirtutis abundantia exuperaturus sit, sed quia deus illis impietatis supplicia intentaturus est.

20 Aries quẽ uidisti habere cornua, rex Medorum est atq; Persarum.

21 Porrò hircus caprarum, rex Græcorum est: & cornu grãde quod erat inter oculos eius, ipse est rex primus.

22 Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo: quatuor reges de gente eius consurgent, sed non in fortitudine eius.

Tres illi uersus supra expositi sunt de Cyro & Alexãdro, qui quatuor reliquit successores: neq; de his præcipua mẽtio est, sed properat ad sæua illa Antiochi tempora, de quibus nunc sermo habendus. Cornu aũt grande, rex est Alexãder, primus princeps illius monarchiæ, quo tricesimo secundo ætatis suæ anno mortuo in Babylone, surrexerunt pro eo quatuor duces eius, qui sibi imperium diuiserunt. Aegyptum enim Ptolemæus Lagi filius tenuit, Macedonas Philippus, qui & Aridæus frater Alexandri, Syriam, Babylonẽ et omnia regna orientis Seleucus Nicanor, in Asia regnauit Antigonus. Nullus autem magnitudini Alexandri potuit coæquari.

Cornu grande.

23 Et post regnũ eorum cum creuerint iniquitates, consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones:

Ex uno de illis, hoc est ex regibus Syriæ, egressum est cornu paruulum, Antiochus ille Epiphanes, principio obses Romæ, deinde insidijs regnum obtinens. Ostendit autem

autem angelus primo quare deus tam sæuum flagellum excitauerit Israelitis, deinde tyrannidem regis impij describit, demum cõtritionem illius. Dicit igitur, Cum consummati fuerint prævaricatores, hoc est, ubi in summa flagitia Iudæi peruenerint, impleta mẽsura, extincta fide & charitate, iustitia publica cõculcata, non solũ populo corrupto, sed etiã principibus & sacerdotibus legem nauseantibus, gentiliũ mores & sacrilegia suscipientibus, apostatæ à legitimis patrum facti omnibus modis, ut etiam maluerint gentilium fabularũ nominibus appellari q̃ patrum sanctorũ. Princeps enim sacerdotũ Iesu uocari uoluit Iason, cuius frater Onias, Menelai nomen accepit. Ambo pecunia data sacerdotiũ emerunt, ludos & gymnasia more gentiũ instituebant, præputia fictitia adhibebant nudi, omnia quæ legis erant negligebant, irridebant, impediebant: sacerdotes neglectis sacrificijs externis dijs Herculi sacrificia mittebãt Tyrum. Quid igitur addi poterat ad iniquitatẽ? Vtiq; graue flagellũ exigebat impietatis atrocitas. Accipiunt ergo merita præmia apostasiæ suæ Iudæi, & discunt q̃ male semper cesserit sibi diuinarum legũ contẽptus. Iam de Antiocho subdit, multum illum ualuisse dolis & armis, impiũ in deum & sanctos, sicq; magnificatum & prosperatũ aliquantis facie uel impudens dicitur, mire audax ad quoduis facinus patrandũ, ut 2. Machab. 9. & 11. Vndequaq; dolis & mendacijs occasiones opprimẽdi & inuadendi quærebat. Hoc est intelligere ænigmata, acute peruidere qua parte quibúsue modis ac uijs posit incommodare.

Apostatæ Iudæi.

24 Et roborabitur fortitudo eius, sed nõ in uiribus suis: & supra q̃ credi potest uniuersa uastabit, et prosperabit, & faciet: Et interficiet robustos, & populum sanctorum

Magna quidem & intolerabilis futura est illius potentia, quæ tamen nihil efficeret nisi deus populi peccata sic punire decreuisset: proinde uim omnẽ calliditate sua parabit, astutior futurus quàm potentior, & plus astu quàm exercitu efficiet, mirabiliter omnia uastabit templum domini, et quicquid mirabile in tẽplo rapiet. Nam ut regressus de Aegypto re infecta, impeditus à Romanis, timens ne Iudæi deficerent, cœpit urbem illorũ, præcepitq; militi ut nemini parceret, toto triduo occisis octoginta millibus, quadraginta millibus captis, ut apud Machabæorum libros legitur. Abstulit aureas lucernas, arcam auream, mensam & sacrarium, nec uelis abstinuit: cesserunt q; ei omnia prospere, sicut uoluit & proposuit, non irritato conatu suo in aliquo. Deuastauit autem non solum fortes principes terræ, sed etiam populum sanctorum, innocentibus quoq; non parcens, sicut de septem legitur fratribus Machabæis.

Antiochi uictoria cõ, tra Iudæos.

25 secundum uoluntatẽ suam, & dirigetur dolus in manu eius: & cor suum magnificabit, & in copia rerum oĩm occidet plurimos: & contra principem principum consurget, & sine manu conteretur.

Vt sibi uidebitur, & quicquid libet faciet, succedet enim feliciter dolus. Vnde & magnificabitur in corde suo, & contra deum loquetur, auferens quotidianas immolationes. Ita autem prosperabitur, ut etiam exercitui cœli, id est iustis negotium facturus sit, & quosdam qui ob uitæ doctrinæq; puritatem ac fulgorem stellæ dicuntur prosternet. Nam quamuis quosdam à ueritate abducere nequeat, occidet tamẽ, ut proximis lucere desinãt, & qui ueritatẽ amplectentur, in terram proijcientur: conabitur enim totum Iudaismũ abolere. Vbi autẽ statuto tẽpore sæuierit, diuina ultione periturus est Antiochus, Dei enim erit ultio in ipsum. Antichristi maligna studia hic pulchrè deliniuntur, quamuis non primum sonet litera in illum. Antichristus autem dici meretur, & est, quisquis egressus ecclesiam fidelium in loco dei sedet, nomenq; dei blasphemat, & uerbi dei assertores ac Christi ecclesiam persequitur. Satis liquidum est uidere uolentibus Antichristi potestatẽ totũ orbẽ occupasse: superest, ut Christus ecclesiæ suæ succurrat aduẽtu suo, spiritu oris sui absq; manu quasi oua conterens, neq; enim humana uel industria uel potẽtia aliqd in hac re potest.

Antichristi studia.

26 Et uisio uespere et mane, quæ dicta est, uera est: tu ergo uisionem signa, quia in multos dies erit.

Dixi, inquit, angelus conterendum Antiochum sine manu hominis, sed diuina fortitudine: & ne consolatione destitutus animum despondeas, breuitatem indicaui temporis, nempe per sex annos cum dimidio. Non enim perueniet ad plenam hebdomadam, & templum ipsum contaminabitur per dimidium illius temporis. Visio igitur uesperi & matutini duorũ millium et trecentorum dierũ minime fallet. Librumq; obsignãdo ostende prophetico more, quod hanc prophetiam pauci intelligent, donec enim impleatur tunc tãdem intelligetur. Vel simplicius, Obserua ne temporis prolixitate dispereat.

Duo millia & trecenti dies.

27 Et ego Daniel langui, & ægrotaui per dies: cumq; surrexissem, faciebã opera regis, & stupebam ad uisionem, & non erat qui interpretaretur.

Infirmantur serui dei, ne gratiarum sublimitate extollantur. Non dicit de Susis se rediisse, sed solũ surrexisse, operaq; regis fecisse, à cõtemplatione mysteriorum dei ad uitam actiuam redijsse, ipse bene memor & obstupescens, quod alij capere non poterant.

¶ CAPVT IX.

1 IN anno uno Darij filij Assuerĩ de semine Medorum, qui imperauit super regnum Chaldæorum.

Hic est Darius, qui cum Cyro Chaldæos superauit, nõ ille cuius secundo anno templũ ædificatum est, uel quem Alexander superauit. Additur enim nomen patris, & uictoriæ gloria, quia primus de semine Medorum subuertit regnum Chaldæorum. Hic autem annus notatur primus regni suscepti cum Cyro super monarchiam Babylonicam, filius Astijagis, qui primus regnauit in Babylone, & Chaldæa post Babylonios superatos, in qua tamen non diu uersatus est. Vult igitur dicere propheta, statim post subuersum regnum Babylonicum.

2 Anno uno regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo domini ad Ieremiam prophetam, ut complerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni.

Daniel legit Ieremiã.

Prædixerat Ieremias septuaginta annos desolationis templi, cuius nunc librum Daniel legere non ueretur. Duæ autem prophetiæ sunt apud Ieremiam, una dicit septuaginta annis duraturum regnum Babylonis, & hæc iam impleta erat: altera habet septuaginta annis futurã desolationem templi, hæc post decem & nouem destructi Babylonici annos implenda erat, Cyri tres, Cambysis quatuordecim, & Darij Histaspis duos. Hæc lectio prouocat Danielem ad rogandũ, ut quod per suam deus promiserat clementiam, per horum impleat preces, ne negligentia & superbia pariat offensam.

3 Et posui faciẽ meam ad dñm deum rogare & deprecari in ieiunijs, sacco & cinere.

Dominus adorandus.

A rebus terrenis omnibus conuertit se ad deum, non ad angelos sibi plerunq; loquentes per uisionem, nec ad patriarchas defunctos, uel ad Ieremiam ipsum, quẽ sanctißimum & deo gratißimũ prophetam non ignorabat: sed dominum deum illum alloquitur, illi confitetur, ab illo petit. Quærere orationẽ, est captare occasionẽ loci temporis ac argumenti necessarij ac sancti, de corde puro ac feruente. Omnibus quoq; modis se humiliat, ieiunando, ne caro obesior spiritum interturbet: symbola autem pœnitentiæ sunt cinis & saccus, ut mortalitas consyderetur, et prima hominum præuaricatio in paradiso. In primis aũt corda scindi oportet, & misericordia fratres iuuandi, animam humiliari, deo gloriam, sibi & populo confusionem tribui.

4 Et oraui dominum deum meum, & confessus sum, & dixi: Obsecro domine deus magne & terribilis, custodiens pactum & misericordiam diligẽtibus te & custodientibus mandata tua.

Confessio duplex.

Oratio humilis sit, ne irrisio habeatur. Confitetur autem dupliciter, dei laudando potentiam, iustitiam & misericordiam: se uero & populum condemnando, ut flagitiosos & pessimos. Orat Daniel dominum, non quòd ipse tam malè haberet in Babylone, uiuebat enim honestè, sed populi calamitate permouebatur, & desolatione templi, neglectuq; diuini cultus. Exorditur autẽ à laudibus dei, quasi dicat: Nihil aduersus te, ô deus, proferre possum uel uolo, non tecum contendere, nec tuis laudibus derogare, uel honori, potentiam, bonitatem & ueritatem tuam tam nos quàm patres nostri semper experti sumus, id quod & inimici nostri senserunt, fœdus tuum semper seruasti cum sanctis qui te diligebãt, pactũ quoq; suum tecum initum seruabant: nos autem pactũ nostrum non custodiuimus, fidem promissam frequenter fefellimus, prouocauimus pietatem tuam ad iracundiam.

5 Peccauimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, & recessimus: & declinauimus à mandatis tuis & à iudicijs tuis.

Peccata populi, quia unus è populo, enumerat ex persona sua, & gradus peccatorũ enumerat, inq; transgressionis fastigiũ Iudæos peruenisse fatetur, ut sint omnibus modis inexcusabiles. Peccauimus, inquit, per naturæ et cupidinũ imbecillitatem: inique egimus, per amorem nostri contra proximos nostros ipsos opprimendo: impie egimus, tuam prouidentiã & bonitatem negando: rebellauimus, legibus & iußis tuis non obtemperando, & desciscendo à pollicita toties tibi fide: à mandatis tuis declinauimus, non ambulando in semitis præfixis à te nobis: & iudicia tua iusta & terribilia non timuimus. In summa qcqd tibi placet nobis displicuit & exosum fuit.

Peccatorũ enumeratio.

6 Non obediuimus seruis tuis prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo regibus nostris, principibus nostris, patribus nostris omniq; populo terræ.

Quos ad nos iugiter prophetas misisti non solum non attendimus, sed insuper & occidimus, qua in culpa fuimus oẽs pariter. Reges nostri & principes, primoresq; familiarũ, qui populo tuo exemplũ pietatis & obedientiæ præstitisse debuerãt, hi primi in transgressione legis inuenti sunt, à qbus semina fructusq; impietatis prodierũt in populũ, et præcipitiũ gregis, post lapsum pastorũ.

7 Tibi domine iustitia: nobis autẽ cõfusio faciei, sicut est hodie uiro Iuda, & habitatoribus Ierusalem & omni Israel, his qui prope sunt, & his qui procul in uniuersis terris ad quas eiecisti eos propter iniquitates eorum, in quibus peccauerunt in te

Tu nos multipliciter absterruisti à peccatis, hortãdo, corrigendo, benefaciendo, monendo, puniẽdo, paternam fidelitatẽ & iustitiæ amorẽ ostendendo nobis, firmißimum fœdus tuũ ad nos, quod tu semper firmißimè cõservasti, & fefelliſti nunq;, cum nostrorũ non indigeres, & sine te nihil prorsus possemus, tamen in grandem confusionem nostrã nos te superbe posthabuimus, ingrati, superbi, perfidi, proditores fœderis, pacti, & prorsus degeneres filij, electionis nostræ obliti. Toti mũdo iusta fabula perfidiæ facti sumus, ut qui fuimus gloriosus deo omnipotentis populus, nunc ut spurij et degeneres quasi ex diabolo filij et nati uideamur, præ cũctis nationibus, quæ tibi gratiores sunt pro generalibus beneficijs, quàm nos simus pro peculiaribus et maximis. Talis hodie confusio tenet Iudæos omnes, & ciues quondam Ierusalem, urbis electæ à domino, pro qua saluanda tot magnificata miracula ædidit dominus. In confusione enim sunt maxima toto in orbe, prope Ierusalem & remotè ab illa, in oĩbus terris ad quas dispersi sunt: hoc aũt patiũtur iusto iudicio tuo. ppter iniquitates et præuaricatiões ipsorũ.

Confusio tuorum.

8 Domine, Nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris qui peccauerunt tibi,

Iustus es ô domine deus, & innocens, nos aũt impudentissimi, bitate & contumelia quã patimur digne confundimur, et erubescimus de nobis regibus ac principibus nostris, qui ferè omnes posthabitis tuis legibus impie tuam plebem gubernauerunt, & in ea quæ nunc aduersa patiuntur protruserunt, & tantæ calamitatis causa fuerunt.

domino

9 domino deo nostro misericordia & propitiatio, quia recessimus ab eo,

Vtcunq; autem peccauerimus nos tui serui & filij, ac rebelles fuerimus, tu tamen maxime clemens & miseri cors, indulgere nobis non desinis: maior est propitiatio tua quàm præuaricatio nostra, qui non cessas prouocare nos ad pœnitentiam & uitæ emendationem, cui tamen in hoc ipso sine tua gratia obsequi non possumus, à quo solo est quicquid bonum.

10 & non audiuimus uocẽ domini dei nostri ut ambularemus in lege eius quã proposuit nobis per seruos suos prophetas.

Repetita oratio.

Non est uitãda in oratione ad deum repetitio eiusdem orationis uel laudis, si ex corde prodeat, quod gratia et spiritus impulsu deuotioneq; correptum gestit explicare quod sentit, & ad sufficientiam non potest ut uellet. Quin & in oratione dominica sanctificari nomen Dei multa meludit. specialibus deinde uerbis clarius explicata. Multum se peccasse memor, repetita quoque confessione indulgentiam ambit. Non, inquit, audiuimus ad uocem domini dei nostri, non obsequuti fumus mandatis illius, noluimus incedere in lege eius, doctrinã eius non suscepimus, propositas nobis illius leges contempsimus, & quicquid prophetarum suorum studio & opera nobis allatum est, contumaciter abiecimus, spreuimus monita, ac monitores in despectum dei occidimus.

11 Et omnis Israël præuaricati sunt legem tuam, & declinauerunt ne audirẽt uocem tuam, stillauit super nos maledictio & detestatio quæ scripta est in libro Mosi serui dei, quia peccauimus ei.

Nec in toto populo Israëlitico inuenti sunt iusti, qui non transgressi fuerint legem tuam, sed pariter declinauerunt, omnes inutiles facti sunt, nõ fuit qui faceret bonum. Ideo iustissimè incidit super nos et stillauit maledictio & iuramentum, id est summa ignominia, ut in prouerbium inciderimus extremæ infelicitatis, catenus, ut iurantes & maledicẽtes dicant: Eueniat nobis ut Iudæis xerat euenturum nobis, Deuter. 27. ad longum, quorum illis contemptissimis, id certe quod lege sua deus prædinihil non nobis incidit malorum.

12 Et statuit sermones suos quos loquutus est super nos & super principes nostros q iudicauerũt nos, ut superinduceret in nos magnum malum quale nunquam fuit sub omni cœlo, secundum quod factum est in Ierusalem.

13 Sicut scriptum est in lege Mosi, omne malũ hoc uenit super nos: & non rogauimus faciem tuam domine deus noster, ut reuerteremur ab iniquitatibus nostris, & intelligeremus ueritatem tuam.

14 Et uigilauit dominus super malitiam, & adduxit eã super nos: iustus dñs deus noster in omnibus operibus suis quæ fecit, non enim audiuimus uocem eius.

Id est, Verba sua compleuit, & ut minatus est perfecit. In tempore enim ultus est, & declaratuit iustitiam suam. Licet enim diu distulerit pœnã, satis mane tamen euigilauit ad nos puniendum: tantaq; mensura rependit malitiæ nostræ, ut sicut non fuit in orbe deo gratior populus, & item non deo suo ingratior, & contumacior, sic nec uspiam aliquando uisa est seuerior pœna, et euersio atrocior, quàm ea quæ nobis digne contigit, & Hierosolymæ nostræ quõdam speciosissimæ urbi. Non enim potuit mentiri uerbum domini, promissa pijs beneficia, & impijs clades, ut conscripta fuerunt in libro fœderis, mutari & euanescere impossibile fuit. Nihilominus tamen tamopere flagellati, ad percutientem nos non sumus reuersi, non emendati, non supplices illi digne fuimus, pro impetranda clementia indulgentissimi patris, cum propensior longe sit ad condonandum pœnitentibus, quàm ad puniendum peccantes. Verba dei implera.

15 Et nunc domine deus noster qui eduxisti populum tuum de terra Aegypti in manu forti, & fecisti tibi nomen secundum diem hanc, peccauimus, iniquitatem fecimus.

16 Domine secundum oẽm iustitiam tuam, auertatur obsecro ira tua, & furor tuus à ciuitate tua Ierusalẽ, & à mõte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, & iniquitates patrum nostrorum, Ierusalem & populus tuus in opprobriũ sunt omnibus per circumitum nostrum.

17 Nunc ergo exaudi deus noster orationẽ serui tui, & preces eius: & ostẽde faciẽ tuã super sanctuarium tuum quod desertũ est: propter temetipsum

18 inclina deus meus aurẽ tuã & audi, aperi oculos tuos, & uide desolationẽ nostrã, & ciuitatem super quam inuocatũ est nomen tuum: neq; enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.

Crebris affectibus permixta confessione semper idem petit. Non enim uerborũ rutorem & cõpositionem sermonis dominus aspicit, sed desyderia cordis, si corde cõtrito totos nos exinaniamus, ut tunc suaue oleat holocaustum nostrum, si nihil in nobis pecuinum uiuificetur, si indignitas nostra probe agnoscatur, & beneficia Dei non cadant in obliuionem, reijciantur quoq; non in merita nostra, sed in misericordiam suam. Potentissimus autem is persuadendi apud deum locus est, si diuinam gloriam prætexas ex corde, quod est in nomine eius petere: sic omnes sancti orant, & malũt repelli preces suas, seq; totos perire, quàm ut uel minimũ diuino honori decedat. At quàm pauci sic affecti sunt, ut non sit mirum preces nostras raro exaudiri. Propheta ergo fatetur populum peccasse, sed nihilominus esse populum dei, parumq; deo honorificum putat, si populus eius omniũ sit contẽptissimus: id aũt esse, si perpetuo auertat deus faciem suã humano more loquẽdi. Orat ergo, ut aurẽ inclinet, aperiat oculos, cũ in deo omnia sint præsentissima. Planè aũt cõfitetur nullam esse humanam iustitiam, so- Affectus in oratione.

la misericordia dei saluandos fideles. Quòd uero dicitur in fine decimiseptimi uersus, Propter dominum, Hebræi exponunt, Propter Abraham, qui tibi placuit: quidam, Propter teipsum. Intelligi quoq; potest propter Christũ filium tuum, dominum nostrum, per quem preces nostræ exaudiuntur, etiam dum Moses orat pro populo, qui se reuelaturus erat in templo, legemq; docturus.

19 Exaudi domine, placare domine: attẽde & fac, ne moreris propter temetipsum deus meus: quia nomẽ tuum inuocatum est super ciuitatem & super populum tuum.

Efficatia orationis prophetic.

Quanto affectu orauerit sanctus propheta, clare liquet, tot acclamationibus obsecrãdo, ut etiã iuxta Christi parabolã, de lecto media nocte dominus surgere cogatur, et amico dare propter improbitatẽ panes quotquot indiguerit. Verũ non dat huiusmodi gratiã & affectum orandi dominus etiã sanctis, nisi dum exaudire decreuerit, quantũlibet iubeat sine intermissione orare quomodo scilicet est orandũ, corda sursum semper leuare, & dominũ in omnibus actionibus munquã obliuisci, in deũ omnia ordinare, ad illius gloriam tam uerba quàm facta. Nec hic locũ habet curiosa exornatio uerborũ uel sententiarũ, alioqui dixisset, Audi, attende, propitiare, & cito fac: licet etiã is loquendi modus non careat ratione & ornatu suo. Inuocari autẽ nomen dei super urbem et populũ, aliud non est quàm ut dei peculiũ & hæreditas esse dicantur, de dei uero & legitimo cultu famari, & gloriari, fide et obediẽtia dei populus agnosci et haberi.

20 Cumq; adhuc loquerer, & orarẽ, & confiterer peccata mea & peccata populi mei Israël, ut prosternerem preces meas in conspectu dei mei, pro monte sancto Dei mei:

21 adhuc me loquente in oratione mea, ecce uir Gabriel quem uideram in uisione à principio, cito uolans tetigit me in tempore sacrificij uespertini.

Quia cor plenum erat uotis, ideo multis et diu uerbis precabatur, & in oratione perseuerabat. Fert aũt benignus deus, ut quamuis arcana cordis prospiciat, ipsi tamen tanquam homini ignoranti loquendo mentẽ aperiamus, quo magis nostra pietas inardescat, & corde humiliemur corã deo, peccata confitendo, non solum sua, sed etiã populi, pro quo suas preces effundit. Nec sine affectu magno populũ suũ uocat, cuius uidelicet in captiuitate patronus fuerat et pastor: prætexit quoq; quod maximè debebat, gloriã dei, orans pro mõte sancto, in quo scilicet colatur ac prædicetur. Sequitur ergo quantũ ualuerint tam sanctæ preces, cõtinuatæ usq; ad tempus oblationis uespertinæ. Visitatur enim à Gabriele, quem et supra uiderat, qui in uiri et herois specie apparuit. Is ubi tempus exauditionis appetijt subito & alacriter aduolare uisus est, ad significandam promptam alacritatẽ ad seruiendũ filijs dei. Confortatione aũt magna opus erat, quia mala summa genti Iudæorum prædicuntur, tametsi interim Christi aduẽtus & salus gentium admisceatur.

Populus dei.

22 Et docuit me, & locutus est mihi, dixitq; Daniel, nunc egressus sum ut docerem te intelligentiam.

23 In exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem ueni ut indicarem, quia (uir) desyderiorum es: tu ergo animaduerte sermonem, & intellige uisionem.

Tam obscura est uisio, ut propheta angeli doctrina indigeat. Nunc ad te, inquit, missus sum à deo, & egressus à facie dei, nõ ut ab eo recederẽ, sed ut ad te uenirẽ. Statim enim ut rogare cœpisti, dei misericordiam impetrasti, egressaq; est semẽtia. Et ego idcirco missus sum, ut exponerẽ tibi quæ ignoras, quia uir desyderans bona fratribus tuis, & gloriam dei, & promissorũ sacrorum impletionem gentis quoque liberationem & quicquid deo gratum est, tu es, ideoq; amabilis, & dei amore dignus. Tu ergo animaduerte uerbum, & intellige uisionem. Si hic Danieli dicitur, diligenter attende, ut audias & intelligas quod uides, quid nos facere oportet in hac tam obscura uisione, quorum oculi ignorantiæ tenebris & caligine uitiorum obcæcati sunt?

Expositio uisionis.

24 Septuaginta hebdomades abbreuiatæ (determinatæ) sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consumetur præuaricatio, & finem accipiat (signetur uel claudatur) peccatum, & deleatur iniquitas, et adducatur iustitia (sæculorum) sempiterna, et impleatur (claudatur) uisio et prophetia: et ungatur sanctus sanctorum.

Non sine pauore ac cunctatione hos quatuor sequentes uersus explicare aggredior, quos multi doctissimi pijssimiq; uiri pro dignitate tractare horruerũt, imò quidam desperauerunt. Conabimur tamen breuibus tenere sensum, quem prolixe tractatũ Lector inuenies apud plures, quorũ sententiã nostro præferre licebit dum uiderit uerior: prodest autem multorũ sententias appendisse. Is breuiter sensus uidetur. De aduentu Christi prædicatio est, qui post septuaginta hebdomadas mundo spectandus paruit de matre uirgine uerbũ patris omnipotẽtis incarnatum, per cuius merita & mortẽ, consummata sunt & repropitiata peccata electorũ dei, per ipsum diuinitati credentiũ, finẽq; accepit peccatũ, ne ad damnationem imputetur, fidelibus. Deleta quoq; est iniquitas idolatriæ per totum orbẽ terrarum, prædicato Euangelio & uerbo domini, de Sion exeunte, ac uocante omnes gentes ad gratiã & pœnitentiã. Annuntiata est numquam ante data uel promissa iustitia sempiterna, quæ legis Mosaicæ iustitiam uinceret, impletaq; est uisio & prophetia: quicquid de futura per Christum restituenda salute dictum est pater tenter impletum est, & tunc cœptum uideri perfectum uel perfici. Lex enim & prophetæ usq; ad Baptistã Ioannem, quando unctus est sanctus sanctorũ, id est, Christus, qui est templũ illud, in quo diuinitas habitauit corporaliter, & sanctuarium dei, & propitiatorium illud aureum in sancto sanctorum. Vngebantur siquidem prophetæ, sacerdotes, & reges, sed defecerunt ista unctiones, ubi plenitudo omnium donorũ in Christo conspicua facta est. Palam igitur indicat angelus propheta ubi fuerint impletæ septuaginta hebdomadæ, esse et Christũ. Nisi

Niſi quis claudi, & ſigillari, & confirmari, uel finiri, (quandoquidem & ueteres ח legiſſe uidentur pro ת in uerbo לכלאם) peccata, idē eſſe probabiliter dicat quod implere menſurā peccatorum Iudæos in Chriſto, crucifigendo ipſum, & ſpiritui ſancto in apoſtolis reſiſtendo, tunc enim impleuerūt menſuram patrum impij Iudæi. Electi uero ac reliquiæ benedicti ſeminis ſanctorum, iuxta omnū prophetarū præſagia, qui in Chriſtū credide runt, fide in illū purificati ſunt, & ſempiternā iuſtitiam aſſequuti. Hebdomadæ aūt hæ non dierū, non Iubileorū, nec ſeculorū ſunt, ſed annorū, ut ſeptem annorum tēpus una habeatur hebdomada, ut eſt Leuit. 25. Numerabitis ſeptem hebdomadas annorum. Faciunt ergo ſeptuaginta hebdomadæ illæ annos quadringentos nonaginta.

25 Scito ergo & animaduerte: ab exitu ſermonis ut redeatur, et ędificetur Ieruſalem, uſqꝫ ad CHRISTVM ducē, hebdomades ſeptem & hebdomades ſexaginta duæ: reuertetur & ædificabitur platea, & muri (ruptura) in anguſtia temporum.

Calculatio hebdomadarum. Iubet diligenter calculandas hebdomadas, ab eo tempore incipiendas, quando licentia per edictū regis Perſarum exibit, de reædificanda urbe Ieruſalem, quod contigit anno uicesimo Darij Hiſtaſpis, olimpiade circiter ſeptuageſimaprima. Sicq; finientur prope natiuitatem Chriſti, cum iam triginta duobus annis Herodes alienigena regnaſſet, & pontificalis unctio, & principatus Iudaicus iuxta prophetiā Iacob in tribu Iuda deſiiſſet, olimpiade ſcilicet centeſima nonageſimaquarta. Quod ſi quis numerationē inchoet à ſecundo anno eiuſdem Darij, quando templum extrui cœptum eſt, & ſeptuaginta annu deſolationis primi tēpli finiti, nihilominus contra Iudæos liquet Chriſtum uenisſe poſt expletas has ſeptuaginta hebdomadas: In plenitudine ſcilicet tēporis, in quo miſit deus filium ſuum, Chriſtum ducem, in cuius regni aduentū uſq; res Iudaicæ duraturæ erant, quæ iam nunc Danieli iterum florituræ prædicuntur, à reditu ſcilicet Neemiæ cum ſuis in Ieruſalē, & ab extruendo ite rum templo & urbe, uſq; ad regnum alienigenæ. Quòd igitur platea & muri in anguſtia temporū, hoc eſt cum maxima difficultate extruenda dicuntur, hoc factum comprobat liber Neemiæ.

26 Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur CHRISTVS: & non erit eius (populus qui eum negaturus eſt.) Et ciuitatē & ſanctuarium diſſipabit populus (cum) duce uenturo: & finis eius (cum inundatione) uaſtitas, & uſqꝫ ad finem belli ſtatutæ deſolationes.

Hebdomas ultima. Poſt ſeptem hebdomades & ſexaginta duas non reſtat niſi ſeptuageſima hebdomada, quæ nobis Chriſti tempus, & temporis plenitudinem ſatis clarè deſignat. Ipſa enim præbet initium, regno Chriſti in benedicta ſua humanitate. Quā hebdomadā alia nulla ſequitur, ut nulla deinceps numeratione ſit opus. In hac ergo ultima hebdomada, quando Chriſtus uenturus eſt, recedet ſceptrū de domo Iuda, & legislator, qui uerſatur inter Iudæos, deſtructūq; unctio, & iudiciū non erit in ea: quia uſq;

ad Herodem, Chriſti, id eſt, ſacerdotes erunt rectores Iudæorum, ſcilicet ab olimpiade ſexageſimaquinta, uſque ad olimpiadem centeſimam octogeſimamſextam, annis ſcilicet quadringentis octogintatribus in medio tranſactis, quando Herodes & ſui poſteri regnauerunt uſque ad nouißimam Hieroſolymitarum captiuitatem, abſque ſacerdotalis generis ſucceſsione, ſed à Romanis imperatoribus uendebatur ſacerdotium, qualecunque tunc id erat, plane impium & ſanguinarium. Igitur in ultima hebdomada contingent quæ hic prædicuntur ab angelo, ſiue Chriſtum dominum intelligas occidendum, & perfidos Iudæos repudiandos, & à Romanis urbem perdendam, nunquam reſtituendam, ſiue à Pompeio Ieruſalem captam, Iudæis libertatem ablatam, Romanos dominantes: ueneno enim à Pompeianis rex Ariſtobolus necatus eſt, Alexander ſecuri percuſſus, cuius frater Antigonus captus eſt, Hircanus cum quadraginta optimatibus occiſus, hoc eſt, Chriſtos uel unctos omnes occiſos eſſe. Et non ei, ſcilicet populo Iudaico, erit ſacerdos uerus, uel iudex aut rector: & ſanctuariū uaſtabit populus, exercitus Titi poſt Chriſti mortem, uel Herodes ac Pōpeius, qui capta urbe occidit duodecim millia Iudæorum, & cum militibus in ſancta ſanctorū ingreſſus eſt, ut Egeſippus ſcripſit, poſt quē Craſſus oīa pretioſa diripuit. Deinde Herodes & Soſius ciuitatem expugnant, occiſis ſine delectu ſenibus, pueris, fœminis: et finis eius cum inundatione. Multo enim plura ſub Herode mala paßi ſunt, quàm in quacūq; priſtini tēporis captiuitate pertulerint Iudæi. Et Archelaus quoq; templū fœdauit, occiſis ferè nouem millibus in ſeditione, ut eſt apud Ioſephum. Præſides denq; improbos habuerunt cōtinuo deteriores: ſic ergo calamitates magis ac magis increſcebant, & inundabant illis, ita ut tandem totam ſubmerſerint: unde ſe exponit, Statutas eſſe deſolationes uſque ad finem belli, paßim enim occidebantur, neq; finis cladium erat. Occiſi Cæſareæ fuerūt, ſi Ioſepho credimus, uiginti millia, Alexandriæ quinquaginta millia, in Damaſco decē millia, in belli exordio decē & octo millia, & cætera, ut horror ſit numerare tot homicidia, etiā ſi dimidia pars uera ſit perpeſſæ cladis, ut ſaltem hoc pateat, quod ad finē belli ſtrages cōtinuæ fuerint & calamitates. Patet ergo quomodo poſt ſexagintanouē hebdomades ad interitum inclinaturæ eſſent res Iudaicæ.

Iudæorum fata.

27 Confirmabit autem pactū multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium: & (ſuper alam abominationum deſolatio) erit in templo abominatio deſolationis: & uſq; ad conſummationem & (conſciſionem) finē perſeuerabit deſolatio, luxta uaticinium Iacob, tunc uenturus erat Silo, id eſt Meßias, quando ablatum eſſet ſceptrū, hoc eſt, regimen & regnū à Iuda, quod hic poſt ſexaginta hebdomades, in ipſa ſeptuageſima futurū prædicitur. Tūc enim Chriſtus ſub Herodis tempore ueniens, non nouum fœdus ex integro ſtatuit, ſed uetus confirmauit, iam ante patribus promiſſum: idq; effuſo in holocauſtum proprio ſuo ſanguine, ad uitam æternam obſignandū electis. Quis enim

Aduentus Chriſti.

non crederet sibi dimissa peccata, uidens proprio filio suo deum non pepercisse, sed tradidisse pro peccatis suis delendis in mortem, qui suo sanguine confirmaret, quos sanguis taurorum & hircorum non poterat sanctificare, qui huius oblationis typus erant. Cessauit autem huiusmodi oblatio bestiarum, et figurale sacrificium, quod agnus in cruce immolatus expleuit, ut non sit ultra sacrificium corporale offerendum, quasi pretium redemptionis nõ sit solutum pro nobis, sed gratiarum actio soluenda est deo patri per Christum dominum, & fides salutis acceptæ per Christum domino offerenda ab electis, cum laudibus & confessione gratiæ Dei, & salutis nostræ. Quomodo autem dimidia hebdomada cessare faciat sacrificium, intelligi potest, si status Iudaicus à tempore Herodis usq; ad finem belli sub Tito uel Hadriano, pro hebdomada ultima suscipiatur. In cuius medio Christus cum suis firmauit pactum, & abstulit carnale sacrificium, seipso perficiente omnia sacrificia, quando & uelum templi scissum est, & polluta sunt Christi sanguine omnia Iudæorum in polluto templo sacrificia, deoq; abominabilia, quia exhibita à pollutis innocentis Christi sanguine sicut eodem sanguine fideles & pij mundati sunt, cum fuerit in ruinam impijs, & resurrectionem fidelibus datus Christus. Et super auem uel alam abominationum uastatio aderit. A Pilato enim aquila abominanda Iudæis posita in templũ, occasio præsens fuit, et causa maximorum malorum, quibus deinde laborarunt Iudæi, usq; ad internecionem urbis, templi & totius populi. De qua ala uel aquila uidetur Dominus prædixisse, Matth. 24. Cum uideritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele, stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Tunc qui in Iudæa, &c. Et usque ad consummationem & excisionem stillabit super pereuntem: hoc est, continuo erit super pereuntẽ Israëlem uel Ierusalem desolatio & consumptio. Reliquas captiuitates prophetæ prædicunt finiendas, in hac nullum finẽ præscribunt, quin potius duraturã addunt usq; ad consummationem. Non enim lapis relinquẽdus erat super lapidem, nec unquam restituẽda dicitur Ierusalem in pristinum statum, quantumlibet per allegoriam propheticam dicatur gloriosissima futura, & ex auro gemmisq; ædificanda pro habitatione omnium fidelium, in qua Christus sit inæternum regnaturus. Hoc aũt Iudæos non delectat, qui corporalia expectant à suo Messia, uera spiritus expectatione & felicitate priuati. Huius loci difficilis explicatio si non probabitur Lectori, inquirat aliorum scripta, ex quibus nos quæ probabiliora uisa sunt qua potuimus breuitate perstrinximus. Origenes insignissimus in Matthæum hunc locum egregie discussit, post quem Hieronymus diuinus: nostris uero temporibus, clarissimus Ioannes Occolampadius in hunc locum: quem iam præuenerat insigni eruditione, studio, ac zelo docendi utilia, hodie quoque superstes Heinrychus Bullingerus, tunc adolescens, nunc domini benignitate in Tigurina ecclesia dignissimus antistes & episcopus, successor sanctæ memoriæ Huldrychi Zuinglij uiri incomparabilis, cuius quoq; iacturã tãto fert leuius hæc nostra ecclesia, quanto is illius partes diligentius strenuissimeq; & æquè feliciter ac erudite administrat.

Sacrificij cessatio.

Aquila abominationis.

Origenes.

Hieron.

Occolampadius.

Henrychus Bulling.

¶ CAPVT X.

1 ANno tertio Cyri regis Persarũ, uerbum reuelatum est Danieli, cognomento Baltassar, & uerbum uerum, & fortitudo magna: intellexitq; sermonem, intelligentia enim (est opus) in uisione.

Incipit narrare Daniel à suis sæculis usque ad finem mundi, quantæ aduersitates & calamitates fidelibus & electis Dei immineant. Iterum tamen copiosius & illa gentius Antiochũ perstringit, sicut et peculiariter multis indicant, Isaias Sennacherib, Ieremias Nabuchodanosor, Christus dominus urbis uastationem & gemis. Toto aũt hoc capite attẽtos nos facit spiritus sanctus, ostendẽs Danieli quomodo se idoneũ quis præstet discipulum diuinæ sapientiæ atq; doctorem, quantaq; cœlestis disciplinæ uirtus sit & efficatia. Is autem annus tertius Cyri intelligitur à principio monarchiæ suæ, quæ incæpit ex Babyloniorum subiectione et captiuitate: qui tertius annus quibusdã uidetur ultimus fuisse Cyro, post quem Cambyses quatuordecim annis regnauit. Primo aũt anno quo ceperat Babylonem licentiam dedit Iudæis redeundi: septimo deinde mense extructa ara cœperunt sacrificare: anno autem secundo sequente, templum fundare cœperunt, quo & à uicinis accusati, à Cyro impediti sunt à constructione templi. Ideo tertio anno statim Daniel dolet, orat, & consolatur, uidetq; futura non solum suo tempore, sed etiam quæ in postremis futura sunt sæculis. Tanta autem authoritate præditus erat, ut Baltassar appellaretur. Totum autem negotium quod uidet uerbum nominat, & postulat credi ab omnibus, uelut indubitatum ac infallibilis ueritatis, quod & non solum uiderit, sed etiam intellexerit.

Cyrus duo imperia.

2 In diebus illis ego Daniel lugebã trium hebdomadarum diebus,

3 panem desyderabilem non comedi, & carro & uinum non introierunt in os meum, sed neq; unguẽto unctus sum: donec complerentur trium hebdomadarum dies.

Mœret seruus dei multis diebus, orans dominum pro templi exstructione, Lugere autem est cibo delicatiore abstinere, & tollendo impedimento interposito à rege ne templũ exstruatur. Lugere autem est cibo delicatiore abstinere, & à consuetis cessare operibus, precibus addictus. Notatur autem Daniel senex uinum bibisse, à quo adolescens abstinuerat, & pro regionis cõsuetudine pro balneis usus fuerit unguentis. Non parum autem iciunia conducunt his, qui diuinis uolũt mysterijs proficere: hoc est omnium rerum intemperãtiam fugere, ad nullam libidinẽ cibum sumere, sed ad opera sancta semper stare idoneos, ne quacunq; crapula corda grauentur. Ea autem dicta mensa cuilibet seruetur, quæ pro diuinis exercitijs reddit magis idoneum, iuxta naturarum discrimina, quum non omnibus omnia conueniant.

Lugere quid.

4 Die aũt uicesima & quarta mensis primi eram iuxta fluuiũ magnũ, qui est Tigris,

Potest

Potest fieri ut statim ad ultimum diem ieiunij fuerit propheta prope ripam Tigris, id tamen non scribitur, sed dies uicesimus quartus notatur, in quo uel in uisione, uel reuera fuerit ad flumen magnum: alioqui quo mense ieiunauerit tribus septimanis non scribitur. Secessum autem cõtemplationis gratia quæsisse uidetur, quod urbes turbis & strepitu plenæ sint. Vnde docemur internorũ affectuum tumultus uitare qui obstant mentis tranquillitati, quo minus diuinam lucem recipiat. A celeritate autem nominatur flumen Tigris, ueluti rapidissimum.

5 Et leuaui oculos meos, & uidi: & ecce uir unus uestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo:

Veritatis studiosi mentis oculos eleuent, & superna contemplentur. Vnde & Daniel hic angelum conspicatur, qui multa illum docet, ut non negetur hic uir apparens fuisse angelus. Potest tamen ueri similiter dici, Christum dominum apparuisse in humanitatis forma propediem assumenda: qui & lineis indutus dicitur, ut Christum sacerdotem maximum esse ab ipso uestitu agnoscatur, ut sit בדים Baddim eximia purissimi lini uestis, alba ut nix. Lumbis aũt præcinctis apparêre, est strenuorũ & præparatorum ad ministerium: ut alij gladijs, ita ille auro purissimo præcinctus est. Aurum autem Ophaz præciosissimum est, ac purgatum.

Christus apparuit.

6 & corpus eius quasi chrysolitus, & facies eius uelut species fulguris, & oculi eius ut lampas ardens, & brachia eius: & quæ deorsum sunt, usque ad pedes, quasi species æris candentis: & uox sermonum eius ut uox multitudinis.

Chrysolitus aureis notis insignitus lapis ex nomine notatur. Hebræis Tharsis nominatur, à colore marino, dum exaltantur fluctus, ueluti cœlestis quoq; color. Christi quoq; iam nunc facies splendet ut sol, uestimenta illius candida facta sicut lumen, in fulgure lux est & terror. Suis Christus iucundus apparet, impijs cum terrore: sanctos illustrans, prophanos inflammans. Oculi eius sicut faces ignis, quibus perspicacitas & acrimonia intellectus signatur. Brachia eius & crura, uel quæ circa pedes sunt accedebant ad formam æris: opera nimirum & Angelica quoq; opera efficacissima ostendit, uel unus ille prostrator exercitus maximi apud Isaiam. Sicut ergo æs uel chalybs radiat si opponatur soli: sic sanctorum opera fulgent. Et uox uerborũ eius ut uox multitudinis: angelorum siquidem uox tubæ cõfertur, & uerbo Euangelico nihil est uocalius. Omnes credentes resonant non aliud quàm eloquia Christi.

Christi corpus.

7 Vidi autem ego Daniel solus uisionem: porrò uiri qui erant mecum non uiderũt uisionem, sed terror magnus irruit super eos, & fugerunt in absconditum.

Verbi dei efficacia est ad humiliandum & prosternendum, deinde ad consolandum ac erigendum. Daniel & qui cum eo erant uiri, ad primam apparitionem sic turbantur, ut partim fugiãt in latebras, partim trepidẽt, et similes mortuis fiãt. Vis probare te an uere discipulus sis in schola dei, uide quantũ in timore dei profeceris.

Verbi Dei efficacia.

8 Ego autem relictus solus uidi uisionem grandem hanc: et non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, et emarcui, nec habui quicquã uirium.

Sancti sustinent in timore, & idcirco consolationem accipiunt, impij pœnam metuunt, non deum, seq; illi nõ subijciunt: & dum crucẽ fugiunt, cœlestiũ etiam donorum non fiunt participes. Præ formidine destituitur omnibus uiribus, colore uultus & formæ. Secedit enim sanguis anxio pectori, quod metu laborat. Proximum, ait, erat, ut deficiens caderem in terram. Quid autem aliud homo faciet audiens quanta dei maiestas, & quanta sua humilitas?

9 Et audiui uocem sermonum eius: & audiens iacebam cõsternatus super faciem meam, & uultus meus hærebat terræ.

Maior erat pauor quàm ut ad solum auditum auerteretur. Nihil alacritatis in me erat, sed obstipo & uersus terram deiecto capite similis eram, ueluti graui somno oppressus, nec aspicere quenquam, nec loqui, nec caput erigere ualens. Non loquentem angelum, sed terram spectabam: audiendo non excitabar, sed sopiebar, rerum omnium ex integro oblitus.

10 Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum.

11 Et dixit ad me: Daniel uir desyderiorum intellige uerba quæ ego loquor ad te, et sta in gradu tuo: nunc enim sum missus ad te. Cumque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens.

Casurũ subito me manus apparens tangebat, cõfortabat, ac somnolentiam depellebat, ut loquentem iterũ intelligerẽ. Alloquebatur autem uerbis blandissimis, non contemnens humilitatem meam pro immensa beneuolentia sua deus. Proprio uocat nomine, & sibi affirmat esse dilectissimum, quia propensissimus sit ad populi bonum promouendũ, quod domino in primis placere solet. Excute, inquit, somnum & immodicum mœrorem, ut intelligere tibi reuelanda possis: sta in gradu tuo erectus & attentus: missus enim sum nunc ad te, diu quidem nuper orasti, nunc autem domino placet, ut te exaudiat et cõsoletur. Stat igitur propheta, ordinem suum seruans, paratus discere reuelanda à domino, remanẽtibus interim reliquijs imbecillitatis, ut cõtremiscat ac paueat. Non sunt sine timore dei eloquia uel audiẽda, multo minus docẽda.

Prophetæ habitus.

12 Et ait ad me, Noli metuere Daniel: quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu dei tui, exaudita sunt uerba tua, & ego ueni propter sermones tuos.

Quia per tres hebdomadas dierũ orauerat ieiunans, nullum à deo accipiens responsum, timebat uotis suis dei indignationem obstare. Docetur ergo de clementia dei ad se, qua mox orãs fuerit exauditus, missо ad ipsum

Oratio exaudita.

nuntio dei. Quia autẽ quoq; pro populo orauerat adhuc trepidat, meritoq; charitatis fraternæ, uisitatione dei & cõsolatione maiore mulcetur. Nunc, inquit, propter uerba precum tuarum ut te consoler adsum. Ad intelligendum & affligendum, id est, cum affligeres te ac ieiunares, cupiens populum tuum consolari, uenu in uerbis tuis, hoc est, propter uerba precum tuarum.

13 Princeps autem regni Persarum restitit mihi uiginti & uno diebus: & ecce Michael unus de principibus primis uenit in adiutorium meum, & ego remansi ibi iuxta regem Persarum.

14 Veni autẽ ut docerẽ te quæ uentura sunt populo tuo in nouissimis diebus: quoniã adhuc uisio in dies.

Excusat familiariter dominus apud seruum, quare tandiu distulerit. Non solum, inquit, causa tui populi sed etiam Persarum acta est ante me hisce tot diebus. Petebas populum tuum omnino dimitti, Persarum autem salus postulat, ut cohabitantem populum tuum longiore tempore secum retineat. Afficior quidem Israëli, sicut et Michael, qui tuo populo semper adest, qui adiuuit me, id est, hunc meum erga uos fauorem magis declarauit. De creto autem ãñi diutius relinquar apud regẽ Persarum, eo quòd & populus meus illic adhuc manebit, in gloriam dei, in ueritatis incrementum ac fidei. Assum tamen nunc te cõsolaturus, ut reuelem multis posthac tempori
Christus ad prophetam. bus euentura. Christus ergo est, qui mittitur ad consolationem prophetæ, cui angeli assistum & obsequuntur. Princeps autem regni Persarũ angelus est eius regni bonus, sicut & Michael Israëlitarum. Vt aũt causæ nostræ sunt apud deum, tales & angeli cõparent, Christi quoq; mysterium indicatur, qui iudex est, & electorũ suorum intercessor: iudex est Persarum & Iudæorum: et Michaelem patronum sui populi, suum adiutorem facit, quo cõmodius fauere uideatur, quia & Iudæorum causa sua magis erat. Deniq; sententiam profert incorruptam pro Persis, quamuis Michael pro Iudæis esset, se relinqui uelle ad dei gloriam apud Persas, quia & populus suus illic manebat. Non autem Michael statim ab initio uenit, sed post uiginti et unum dies, quia propheta licet ignorans petebat contra gloriã dei, quam angelus Persarum promoueri cupiebat apud suos, & qui officio suo nolebat deesse. Manet aũt Christus apud Persas, benefaciendo illis per fidelem populum, à quo in fide & moribus, doctrina & exemplo proficiebant: olim Apostolorum temporibus, etiam Christi, ijdem mysterium Euangelij audituri, & per epistolas apostolorum commonendi.

15 Cumq; loqueretur mihi huiuscemodi uerbis, deieci uultum meum ad terram, & tacui.

Quamuis propheta iuberetur non metuere, tamen metus eius apud dominum excusatur. Pudefit autem, & facie terram prospicit, quia eius tam sedulas preces uidebat non exuditas, & neq; pro se neque pro populo loqui audet, sed obmutescit, ostenditq; se inuitum fungi prophetico munere.

16 Et ecce quasi similitudo filij hominis tetigit labia mea: & aperiens os meũ locutus sum, & dixi ad eũ qui stabat contra me, Domine mi in uisione tua immutati sunt dolores mei in me, & nihil in me remansit uirium.

17 Et quomodo poterit seruus domini mei loqui cum domino meo? nihil enim in me remansit uirium, sed & halitus nõ remansit in me.

Angelus ille maximus qui Christus est, aliquo se modo declarat hominem, labia tangens blanditer, fiduciam præbens homini, loquendi & exponendi infirmitatem suam quæ accidit ex aspectu maiestatis. Propheta autem agnoscens tenuitatem suam, se uelut seruum cum domino loqui non posse fatetur. Vide autem num & hic loquendi modus uarietatem personarum in una diuina natura insinuet. Loquente filio respondet propheta, quasi duobus absentibus: Quomodo, inquit, poterit seruus domini illius loqui cum domino illo? Poterat dicere stanti secum: Quomodo potero ego seruus tuus tibi añe loqui?

18 Rursum ergo tetigit me quasi uisio hominis, & confortauit me,

Hoc est, iterum et tertiò tetigit me, tangendo manus, confirmando crura, labia contingendo: nunc simpliciter ipsum ut homo quispiã totum tangit ac cõfortat. Profecto & hoc loco incarnati Christi mysterium, qui sua ista maxima & ineffabili beneficentia fideles tos reparauit, patribusq; multo beatiores reddidit.

19 & dixit, Noli timere uir desyderiorũ, pax tibi: confortare, & esto robustus. Cumq; loqueretur mecum, conualui,

Denuo confortat pro fratribus anxium, iubeiq; non metuere: quia deo gratus sit, securus de salute sua: priusquã quoq; robur recipit audiendi diligenter & discendi. Cognouit autem nimirum electos dei per Christum in me relinquendos, ac afflictionem illam gaudia sequutura.

20 & dixi, Loquere domine mi, quia confortasti me. Et ait, Nunquid scis quare uenerim ad te? & nunc reuertar, ut prælier aduersum principẽ Persarũ. Cum enim egrederer, apparuit princeps Græcorũ uenies.

Non hactenus expediebat ut uenirem ad te, nunc aũt uenio ad te, non ut regem Persarum pro fidelibus & electis in illa gente militantem relinquam, sed reuertar ad tuuandum illius fortunas, quamdiu secum tenet & humaniter tractat populũ meum. Feliciter enim pugnauerunt Persæ, Iudæis inter se habitantibus, uno bello Scythico excepto, in quo Cyrus occubuit, quia consilio malo templum extrui prohibuerat. Vbi autem populus meus remigrauerit, & ego cum populo meo rediero, tunc principes Græcorum magna clade Persas pessundabit. Angelus enim Græciæ ultionem expetit de Persis, propter infestatos indigne Græcos, qui licet incredueli adhuc essent, iustiores tamen quàm Cyri & Darij posteritas erant, habitaturi

erant, donec regnum Græciæ florens Assyrios se insistantes profligaret & uinceret.

21 Veruntamen annunciabo tibi, quod descriptum est in scriptura ueritatis: & nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps uester.

Rem tibi omnem pandam & sententiam à Deo conscriptam: Neque Persarum regnum neque Græcorum subsistet. Vos autem Iudæi tametsi multum affligendi, quandiu hæc regna salua consistunt, non tamen excindemini: causam enim uestrā pluris habeo, quam per uos agam in orbe: Vester est Archangelus, qui me sibi uendicat, qui me apprehendit, quem uicissim ego quoque confirmo: Per uos uera sapientia & religio disseminabitur: Extat perficienda ex uobis natiuitas Messiæ, qui donec ueniat mittendus, Iudæos suo in statu seruabit. De inde, electorum ex eis opera tota gens Israelitica felicissimè gubernabit orbem sacrosanctis scripturæ canonicæ legibus, doctrina & religione certa.

Messiæ natiuitas.

¶ CAPVT XI.

1 EGo autē ab anno uno Darij Medi stabam ut confortaretur et roboraretur.

Verba hæc nondum Danielis sunt, sed angeli, hoc est, eius qui prophetis uerbum domini reuelare consueuerat, & nunc Danieli futura prædicit, Christi scilicet spiritus, & uerbum dei omnipotentis. Ideo superioribus cohærent, & caput ineptè distinctum ostenditur. Ego, inquit, angelum uestrum Michaelem adiuui, in primo anno Darij, & ego destruxi regnum Babylonis, uictores feci Persas, ut Iudæi liberarentur & corroborarentur: deus autem est, qui transfert regna & mutat tempora, exaltat & humiliat.

2 Et nunc ueritatem annunciabo tibi. Ecce adhuc tres reges stabūt in Perside, et quartus ditabitur opibus nimijs super omnes: & cum inualuerit diuitijs suis, concitabit omnes aduersum regnum Græciæ.

Historiarum memoria necessaria est ad intellectū huius capitis, rerum scilicet gestarum in Aegypto, Perside, Syria & Græcia, usq; ad Romani imperij potentatum, quæ ex Iustino & Iosepho disci commodius possunt. Sub tribus, inquit, regibus consistet feliciter, & non minuetur regnum Persarum: hi sunt Cyrus, Cambises filius, qui & ipse Artaxerses appellatur in Ezdra, & Assuerus in libro Hester, & Smerdes magus, paruo tempore tyrannidem tenens. Et quartus hic Darius Hystaspis, qui omnium locupletissimus fuit, durior exactor prioribus, in quo non defecit regnum Persarum, sed in Dario Arsami, decimo post hunc Darium rege, ab Alexandro occiso, post annos cētum quadraginta quatuor. Huius autem Darij secundo anno templi structuram resumpserunt Iudæi, sexto anno eius absoluti, septimo autem anno Ezdras redijt cum multis, uicesimo autē anno Neemias missus ab eo murum reædificauit Hierosolymis, & duodecim annis perfecit, post quod tēpus infaustum bellum cum Græcis gessit, & regni sui anno tricesimo sexto mortuus est. Tot ergo reges angelus numerat sub quot Iudæi capti tenebantur in Persis, & opus domini impediebatur, templi & urbis structura, de quo cura prophetæ erat in primis.

Regnum Persarum.

3 Surget uerò rex fortis, & dominabitur potestate multa: et faciet quod placuerit ei.

Transit per saltum obmissis ferè decem regibus Persarum, ad regnum Græcorum, quibus in Syria regnare incipientibus grauissima Iudæi passi sunt. Alexander quidem post minas excidij contra Ierusalem, à deo monitus resipiscens, beneficijs Iudæos prosequutus est: qui hic prædicitur rex fortis dominaturus maxima potestate totā Asiam, Syriam, usq; ad Indos subiugando, idq; intra exiguū tempus. Fecit autem iuxta uoluntatem suam, quia prospere cesserunt ei omnia, & totum regnū Persarum subuertit.

Regnum Græcorū.

4 Et cum steterit, conteretur regnum eius, & diuidetur in quatuor uentos cœli: sed non in posteros eius, neq; secundum potentiam illius, qua dominatus est: lacerabitur enim regnum eius etiam in externos, exceptis his.

Humanæ fragilitatis exemplū sunt potentissimū regnū Persarū, & monarchia Alexandri, qui cum lachrymaretur, esse adhuc mundos quos non subiugarat, repente moritur Babylone: sicq; dispersum est in quatuor uentos cœli regnum eius. In Aegypto enim primus regnauit Ptolemæus Lagi filius, in Macedonia Philippus, qui & Arideus frater Alexandri: Syriæ, Babylonis, & superiorum locorum rex Seleucus Nicanor, Asiæ & Ponti cæterarumq; prouinciarū ad septentrionē Antigonus. Ipse autem Alexander liberos non habuit, ideoq; diuisum sic regnum in quatuor imbecillius factum est. Etiam hi quatuor, dum aduersum se dimicant, & intestino bello furēq; debacchantur, scipsos quoq; extirpant, et alij quoq; obscuriores reges exurgūt. Nam Cappadocia, Armenia, Bithinia, Heraclia, & Bosphorus, de potestate Macedonum recedentes, diuersos sibi reges constituerunt.

Miseria regum.

5 Et cōfortabitur rex austri, & de principibus eius: prævalebit super eū, et dominabitur ditione: multa enim dominatio eius.

Ptolemæum indicat Lagi filium, qui in Aegypto succeßit, uir prudentißimus & fortißimus, tantaq; potentiæ, ut Pyrrhum regem Epirotarū expulsum restitueret in regnum, Cyprumq; obtinuerit, & Phœnicen, & uicto Demetrio filio Antigoni, Seleuco regni sui partem ablatam restituerit, Cariam quoq; obtineret cum multis insulis ac terris. Idcirco autem Daniel Macedoniæ & Asiæ obmißis regnis, Aegypti et Syriæ regum acta describit, quia in medio Iudæa posita, nunc ab illis, nunc ab istis regibus diuexata est, & subdita tenebatur.

6 Et post finem annorum fœderabuntur: filiaq; regis austri ueniet ad regem aquilonis facere amicitiam, & non obtinebit fortitudinem brachij, nec stabit semen eius: et tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam adolescentes eius, & qui confortabant eam

in temporibus.

Ptolemæus Philadelphus.

Post multos annos Ptolemæus Philadelphus bibliothecæ Alexandrinæ institutor, & translationis Septuaginta interpretum author, amicitias facit cum Antiocho Theo, filio Antiochi Soter, & nepote Seleuci. Filiam suam Berenicen, Theo uxorem dat, ut inter fratrem ac uirum amicitias iungat, ducens eam usq; Pelusium, cum infinita auri & argenti multitudine, quæ dotis nomine dabat. Antiochus autẽ ea susceptа consorte regni, priorem uxorem Laodicen, cum qua filios habuerat, Seleucum Callinicum, & alterum Antiochum, pro concubinis habere cœpit. Tandem neglecta Berenice, resumpsit in consortem Laodicen, quæ ipsum maritum ueneno interfecit, Berenicen cum filio nato principibus dedit occidendam, filiumq; Seleucum Callinicum patris loco regno præfecit. Non ergo amicitia illa stetit inter patrem & uirum: nec semen eius stare potuit in regno Syriæ, occisa Berenice cum illis qui eam adduxerant, maritoq; rege occiso uxoris alterius ueneno, per quem præualere potuisset ad Syriam Aegyptiaco regno copulandum, sed non obtinuit. Confortari in temporibus, est gesta temporum feliciter perficere, & felici æuo perfrui, uotisq; prosperari, quod Philadelpho hac in re non contigit.

7 & stabit de germine radicum eius plantatio. Et ueniet cum exercitu, & ingredietur prouinciam regis aquilonis: & abutetur eis, & obtinebit.

8 Insuper & deos eorum, & sculptilia, uasa quoq; pretiosa auri & argenti, captiua ducet in Aegyptum: per annos stabit tutus à rege aquilonis.

9 Et intrabit in regnum rex austri, & reuertetur ad terram suam.

Ptolemæus Euergetes.

Germanus occisæ Berenice Ptolemæus Euergetes benefactoris irritatus sororis casu, prouinciã Callinici cum maximo ingressus exercitu abusus est, id est, obtinuit nõ solum Syriam, sed etiam Ciliciam, & superiores partes trans Euphraten cum Iuda. Cumq; audiret in Aegypto interim seditionem moueri, diripiens Seleuci Callinici regnum, quadraginta millia talentorum argenti tulit, et uasa preciosa quæq;, simulachraq; deorum duo millia quingenta, et principes uinctos obsides: sicq; prævalens Seleuco rege aquilonis, redijt in suum australe regnum, gentis benefactor appellatus.

10 Filij autem eius prouocabũtur & cõgregabunt multitudinem exercituum plurimorum: & ueniet properans & inundans: & transibit ac reuertetur & concitabitur usq; ad regiam eius.

Ptolemæus Philopater.

Hæc in diebus Ptolemæi quarti, qui Philopater dicitur acciderunt, qui quanta Iudæis aduersa intulerit, Machabæorum libri testantur. Hunc Callinici filij, afflictionibus Aegyptiorum prouocati, adoriri conantur, collecto exercitu, quorum tamen Ceraunius perit in Asia, cuius frater Antiochus magnus repentino bello Philopatoris urbes oppressit, ipsamq; Aegyptum aggreditur, ut aquarum diluuium omnia inundans, perueniens etiam ad munitissimas urbes, nempe usque ad Raphiam ipsam: ubi eum crebris legationibus retinet Aegyptius, donec è Græcia conducat exercitum, quem dolum ut uidit Antiochus, magis est prouocatus contra Philopatorem ut inuadat durius.

11 Et prouocatus rex austri egredietur, & pugnabit aduersus regẽ aquilonis, & præparabit multitudinem nimiam, & dabitur multitudo in manu eius.

12 Et capiet multitudinem, & exaltabitur cor eius, & deijciet multa millia: sed non prævalebit.

Philopator amissa Syria, proditione Theodotij pronocatus, collecto magno exercitu pedestri & equestri, assumptaq; sorore sua Arsinoë, erupit usq; ad loca Raphiæ, ubi Antiochus castrametatus erat, in foribus Aegypti, omnem Antiochi prostrauit exercitũ, uix fuga perpti, omnem Antiochi prostrauit exercitũ, uix fuga perpti, desertum elapsi: tuncq; facile spoliasset eum regno, si fortunam uirtute iuuasset. Contentus autem recuperatione urbiũ, quas amiserat, factaq; pace, inde materiam quietis arripuit, quia aduersarium suũ capere non potuit, licet multa millia occidisset Syrorum.

13 Cõuertetur enim rex aquilonis, & præparabit multitudinẽ multo maiorẽ quàm prius: & in fine temporum annorum quoq; ueniet properans cum exercitu magno & opibus nimijs.

Antiochus magnus contempta Philopatoris ignauia, Antiochus magnus. qui uxorẽ Eurydicen, quæ & soror erat, occiderat, Agathoclem concubinum Agathocleam concubinam habentem, incredibilẽ de superioribus locis Babylonis excercitum cõgregauit, mortuoq; interim Philopatore aduersum filiũ Ptolemæum Epiphanem rupto fœdere mouit exercitum, qui tunc quatuor annorum erat: & obuexaretur, facta pace cum Philippo rege Macedonum, Antiochus aduersus Agathoclen et Epiphanẽ dimicans, hac conditione, ut proximas ciuitates regno suo singuli de regno Ptolemæi iungerent. Quãuis autem Aegyptij multos legatos mitterent ad Antiochum, ut abstineret à regno pupilli, omnes tamen spreuit: unde hic dicitur, Veniens uenit, hoc est, nullis impedimentis iter obstitit, quando & sex millia armatorũ tunc læsa scribuntur.

14 Et in temporibus illis multi consurgent aduersus regem austri: filij quoq; præuaricatorum populi tui extollentur ut implere uisionem, & corruent.

Pugnantibus contra se Antiocho magno, et ducibus Ptolemæi, in medio Iudæa posita, in contraria studia scindebatur, alijs Antiocho, alijs Ptolemæo fauentibus, sic ut Onias sacerdos assumptis Iudæorum plurimis, fugerit in Aegyptum, à Ptolemæo honorifice susceptus, regionem Heliopoleos dono regis suscepit, in qua et templum extruxit simile ei quod erat Hierosolymis, quod & permansit usque ad imperium Vespasiani, annis ducentis quinquaginta. Ipsa quoque urbs Oniæ dicta dimicantibus postea Iudæis cõtra Romanos ad solũ usq; deleta est cum

cum tẽplo. Sub occasione ergo Oniæ, Iudæorũ multi Aegyptũ fugerunt. Asserebat enim Onias se Isaiæ implere uaticinium, scribentis: Erit ara domini in Aegypto, & titulus domini in terminis eius. Et hoc est quod nũc dicit: Filij præuaricatorũ populi tui, qui dereliquerunt legem domini, uolentes in alio loco quàm à domino iussum erat deo uictimas immolare, extollentur in superbiam, & uisionem id est, domini præceptum & prophetiam se implere iactabunt, sed corruent. Cumq; Antiochus teneret Iudæam, missus Scopas Aetholi filius aduersus Antiochum fortiter dimicauit, cepitq; Iudæam, & optimates Ptolemæi partiũ secum adducens, rediit in Aegyptum.

15 Et ueniet rex aquilonis, & comportabit aggerem, & capiet urbem munitissimã: & brachia austri non sustinebunt, & (consurgent) electi eius: & ad resistendum, non erit fortitudo.

16 Et faciet ueniens super eum iuxta placitum suum, & non erit qui stet contra faciem eius: & stabit in terra inclyta, & consumetur in manu eius.

17 Et ponet faciem suam ut ueniat ad tenendum uniuersum regnum eius, & recta (faciet) cum eo: & filiam fœminarum dabit ei, ut euertat illud: & nõ stabit, nec illius erit.

Scopa dux

Antiochus uolens Iudæam recuperare, Scopam Ptolemæi ducem iuxta Paneadem inito certamine fugauit, & cum decem millibus armatorũ obsedit clausum in Simosos, sed incassum, nam fame coactus est se dedere Scobit aggerem, significat quòd præsidium Scopæ in arce Hierosolymorũ adnitentibus Iudæis multo tempore oppugnarit, & multas alias urbes ceperit, quæ prius à Ptolemæi partibus tenebãtur, in Syria, Lycia, et Cilicia. Quodq; intulit: Et stabit in terra inclyta, & perficietur in manu eius, Iudæam significat, & proprie Ierusalem, quia dño placuerit, quam Antiochus assequitur, Iudæis assimilantibus se quasi sponte eum reciperent: sed non poterat grata illis esse amicitia eius, scientibus Romanos iam tunc bellum parare contra Antiochũ. Ipse aũt Iudæã diuisis tributis, ut partim sibi partim Ptolemæo cedant, facit eam dotem Cleopatræ filiæ, quam Ptolemæo Epiphani uxorẽ dat in dolo, si forte regno potiri queat. Nec desistit, sed cum omni sua potentia Aegyptũ aggreditur. Recta autẽ cum eo faciunt, hoc est, omnia iuxta suam uoluntatẽ eueniunt. Filia enim fœminarũ, id est, omnium mulierũ formosissima, dabitur Epiphani, ut permittat regem, sed hoc non succedet: plus enim Cleopatra amabit sponsum Epiphaniũ quàm patrem Antiochum.

18 Et conuertet faciem suam ad insulas, & capiet multas: & cessare faciet princeps opprobrium suum, & opprobrium eius conuertetur in eum.

19 Et conuertet faciem suam ad imperium terræ suæ, & impinget & corruet, & non inuenietur.

Videns se non posse obtinere Aegyptum Antiochus, quia Ptolemæus Epiphanes & duces eius sentientes dolum cautius agebant, uertit se ad Asiam & nauali certamine aduersus plurimas insulas dimicans cepit Rhodũ & alias multas. Cui L. Scipio Nasica cum fratre suo Publio restiterunt. A quibus uictus Antiochus, intra Thaurum regnare iussus est, & inde fugit ad Apamiam ac Susam, & ultimas regni sui partes penetrauit. Cumq; aduersus Elimeos pugnaret, cum omni deletus est exercitu. Et hoc est quod hic dicitur, Multas capiet insulas, et princeps per antonomasiã Romanus uictor, eum Asiam perdere coget, ut opprobrium eius conuertatur in caput eius, & ad extremum fugiens ad imperium terræ suæ impegerit atq; corruerit, & locus eius non sit inuentus. Antiochi occasus.

20 Et stabit in loco eius (iracundus uel transgressor) uilissimus, indignus decore regio: & in paucis diebus conteretur, non in furore nec in prælio.

Successit Antiocho magno Seleucus Philopator, frater Antiochi Epiphanis, tyrannide patre superior, uiribus impar, & nihilominus tributa exigebat: cætera sæuitiæ eius exempla tradit secundus Machabæorum. Dicituq; diebus paucis contritus esse. Non dicit quòd diebus paucis regnarit, duodecim enim anni ei tribuuntur, sed ad opprimendum illum non opus erat magno exercitu nec toruis aspectibus. Creditur enim Antiochi Epiphanis fratris sui, qui Romæ obses erat, fraudibus extinctus, ut ipse dimissus regno succederet. Seleucus Philopator

21 Et stabit in loco eius despectus, & non tribuetur ei honor regius: & ueniet cum prosperitate, & obtinebit regnum in fraudulentia.

Huc usq; ordo historiæ se sequitur, & inter Porphyrium, ait Hieronymus, et nostros nulla contentio est. Cætera quæ sequuntur usq; ad finem uoluminis, ille interpretatur super persona Antiochi Epiphanis, qui post Seleucũ undecim annis regnauit in Syria, obtinuitq; Iudæam, sub quo legis dei persequutio, & Machabæorum bella narrantur. Nostri hæc omnia de Antichristo prophetari arbitrãtur, qui ultimo tẽpore futurus est. Quisquis tandem Porphyrius fuerit, uero propius uidetur de Antiocho illo litera exponenda quàm aliter, quanquam eundem Antiochum Antichristorum typum fuisse non possit negari. De quare si licet, Hieronymi uerba lectu dignissima non negligas, post Porphyrium. Videamus igitur literam. Stabit, inquit, in loco Seleuci frater eius Antiochus Epiphanes, cui primum ab his qui in Syria Ptolemæo fauebãt non dabatur honor regius, sed postea simulatione clementiæ obtinuit regnum Syriæ, Roma dimissus, ubi obses fuerat, fauoreq; Romanorum, cum regnum deberetur filio Seleuci. Porphyrius

22 Et brachia pugnãtis expugnabunt à facie eius, & cõterẽtur: insuper & dux fœderis.

23 Et post amicitias, cum eo faciet dolũ: & ascendet, & superabit in modico populo.

24 Et abundantes & uberes urbes ingredietur: & faciet quæ non fecerunt patres eius,

& patres patrũ eius: rapinas & prædam & diuitias eorum dissipabit, et contra firmissima cogitationes inibit: & (hoc) usque ad tempus.

Quamuis multi potentes sese isti opponant, non tamen prævalebunt, sed conterentur, imò & ipse dux fœderis Ptolemæus uincetur Philometor, filius Cleopatræ, sororis Antiochi huius, quem Philometorẽ sic spoliauit, ut modico populo ingressus omnem sibi Aegyptũ subiugauerit, ditissimas urbes ingressus, fecerit quæ non fecerunt patres sui: omnes enim eorum diuitias dissipauit, tamq; callidus fuit, ut prudentes cogitationes eorum qui duces Philometoris pueri erant, sua fraude subuerteret, nisiq; cum Romana potentia protexisset, totus cõtritus fuisset rex Aegypti. Per brachia itaq; duces & potentes accipimus, per inundationem uerò incursiones populorum. Erant enim in Syria & Aegypto qui Antiochum illum ægrè suscipiebant, & uel Seleuci filium, uel Philometorẽ regnare maluissent. Aliquanto autem tempore sic fraudibus aget, sed non multo post magis grassabitur, & cum Philometore puero consobrino suo, tutoris quidem nomine, aget quouis rege imperiosius. In hac autem prima profectione, nõ fuit ualde onerosus Iudæis, sed fraudulenter cõciliare studuit: unde quidam ad eum confugierunt. Qui tamen pro partium cõtentione mutauit sacerdotium summum, coniunxit se factiosis hominibus, instituit ludos Hierosolymis, quales erant Antiochiæ, unde iustam dei iram sibi Iudæi accerserunt.

25 Et concitabitur fortitudo eius & cor eius aduersum regem austri in exercitu magno: & rex austri prouocabitur ad bellum multis auxilijs & fortibus nimis: & non stabit, quia inibunt aduersus eum consilia.

26 Et comedentes panem cum eo, cõterent illum, exercitusq; eius opprimetur: & cadent interfecti plurimi.

27 Duorum quoq; regum cor erit ut malefaciant, & ad mensam unam mendacium loquentur, & non proficient: quia adhuc finis in (aliud) tempus.

Antiochus primùm in Aegyptum profectus fuerat parua manu blandus & dolosus, nunc secundo scribitur intrasse contra sororis filium cum exercitu magno, elato corde, armatus. Sed & rex austri Philometor, id est duces Ptolemæi prouocabuntur, ait, ad bellum, multis auxilijs & fortibus nimis, & non potuerunt resistere Antiochi fraudulentis consilijs, qui simulabat pacẽ cum sororis filio. Versutus enim Antiochus donis & artibus consiliarios et mensæ regiæ conuiuas corruperat, ut proderent regem adolescentem, & rei militaris ignarum: & hoc esse quod significatur duos fuisse reges, quorum cor fuerit fraudulentum, ut mutuam sibi malefacerent, & maximo odio sese persequerentur, capitales inuicem inimici. Sic tamen euenit, ut & Antiochus & Philometor in eadem mensa comederint, pacifica uerba loquentes: ille enim omnia se agere in commodum nepotis, hic uerò non nisi à suis impulsum descendisse in

Antiochus uersutus.

prælium causabatur: uel idipsum principes Aegyptij prætendere poterant, officij & fidei illorum esse ut tuentur pupillum diligentissime. Neutri tamen cessit pro animi sententia. Nam nec Philometor Antiochum perdere, nec contra Antiochus nepotem, populum seditiosum metuens. Nec tunc permissus est sæuire. Bellum enim hoc alio præfinito tempore finiendum erat, & hoc est quod dicitur, Quia adhuc finis ad statutum tempus.

28 ¶ Et reuertetur in terram suam cum opibus multis: & cor eius aduersum testamentum sanctum, & faciet, & reuertetur in terram suam.

Redit Antiochus, nunc quoq; totius Aegypti spolia portans, triumphans, et superbiens, et quasi omnia tuta essent in Aegypto. Adijcit etiã animũ contra fœdus sanctuarij, hoc est contra templũ fœderis, in quo scilicet arca fœderis fuit, ut etiam illud diripiat, quia per Menelaũ didicerat magnam ibi esse uim pecuniæ. Spoliauit ergo tunc templum, et auri tulit quàm plurimum, positoq; in arce præsidio Macedonum, redijt in suam terram.

29 Statuto tempore reuertetur, & ueniet ad austrum: & non erit priori simile nouissimum.

Post biennium rursum contra Ptolemæum Philometorem exercitum congregauit, et uenit in austrũ. Cumq; duo fratres Ptolemæi, Cleopatræ filij obsiderentur Alexandriæ, legatos cõstat uenisse Romanos, quorum unus Marcus Popilius, cum eum stantem inuenisset in littore, & senatus consultum dedisset, quo iubebatur ab amicis populi Romani recedere, & suo imperio esse contentus, & ille ad amicorum responsionem consilium dissimulasset, orbem dicitur fecisse in arenis baculo, quem tenebat in manu, & circumscripsisse regem, atq; dixisse: Senatus natus & populus Romanus præcipiunt, ut in isto loco respondeas, quid consilij geras. Quibus dictis ille perterritus ait: Si hoc placet senatui & populo Romano, recedendum est, atq; ita statim mouit exercitum. Peressus autem dicitur esse, non quòd interierit, sed omnẽ arrogantiæ perdiderit ausum.

30 Et ueniẽt super eum trieres Chittim (&) Romani, & percutietur, & reuertetur, & indignabitur contra testamentum sanctuarij, & faciet: reuerteturq; , & cogitabit aduersum eos qui dereliquerunt testamentum sanctuarij.

Hæc plenius in Machabæorum gestis legimus, quod postquam eum de Aegypto pepulerunt Romani, indignans, uenerit Ierusalem contra testamentum sanctuarij, & ab his inuitatus sit qui dereliquerant legem dei, & se ceremonijs miscuerant Ethnicorum. Eodem ferè tẽpore capta opportunitate Hierosolymã cepit, fecitq; maximam hominum stragem, scilicet octoginta millibus captis, & ueundatis non paucioribus. Ingressusq; templum, mille & octoginta talenta è templo abstulit, & deinde Antiochiam redijt. Spoliauit autẽ tunc templum omnibus ornamentis, lucerna aurea, arca aurea, mensa, sacrario, & cortinis. Et hoc est quod dicit Daniel: indignabitur

Spoliat templ.

gnabitur contra testamentum sanctuarij, hoc est, propitius erit omnibus impijs, collocato Ioue Olympio in templum: porcos iussit immolari, & iuge prohibuit sacrificium & circuncisionem. An non erant Iudæis tanta mala per prophetã prædicenda? sed nondum malorũ finis.

31 Et brachia ex eo stabunt, & polluent sanctuarium fortitudinis, & auferent iuge (sacrificium): & dabunt abominationem in desolationem.

Significãtur hi qui ab Antiocho missi sunt post biennium, quàm templum expoliauerat, ut tributa exigerent à Iudæis, & auferrent cultum dei, & in templo Ierusalem Iouis simulachrum, & Antiochi statuas ponerent. Quæ nunc abominationem desolationis uocat, quando ablatum est holocaustum & iuge sacrificium triennio toto, positis custodibus in arce Ierusalem & præfectis, qui sanctos & religiosos dei cultores persequerentur.

32 Et impij in testamentũ simulabunt fraudulenter: populus autẽ sciens deum suum obtinebit & faciet.

33 Et docti in populo docebunt plurimos: & ruent in gladio & in flamma & in captiuitate & in rapina dierum multorum.

Et hoc in Machabæis legimus, quod quidam simulauerint se legis dei esse custodes, & postea cum gentibus pactum fecerint, alij uero permanserint in religione. Quanta autẽ Iudæi ab Antiocho passi sint, Machabæorum libri referunt, & triumphi eorum testimonio sunt, qui pro custodia legis dei flammas & gladios, seruitutẽ & rapinas, & pœnas ultimas sustinuerunt.

34 Cumq; corruerint, subleuabuntur auxilio paruulo: & applicabũtur eis plurimi fraudulenter.

35 Et de eruditis ruent ut conflentur in eis: & eligantur & dealbentur usque ad tẽpus præfinitũ: quia adhuc (aliud) tempus erit.

Parvulum auxilium Mattathiam significari arbitrabellauit, & cultum ueri dei, & salutem sui populi cruuum autem uocat auxilium, quia occisus est in prælio Mattathias, & postea Iudas filius eius pugnans pro pietate cecidit, & cæteri fratres eius Machabæi aduersariorum fraude decepti corruerũt. Lege Machabæorum libros. Hæc autem omnia idcirco facta sunt, ut probentur & eligantur, perspicuiq; fiant in populo pro gloria dei sancti, & dealbentur usq; ad tempus præfinitũ, quia in aliud tempus erat dilata uictoria. Quomodo hæc ad Antichristi tempora referri possint, facile intelligit qui Antichristianum Antiochum quis sit non ignorat.

36 Et faciet iuxta uoluntatem suam rex, & elevabitur & magnificabitur aduersus omnem deum, & aduersus deum deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia: perpetrata quippe est definitio.

Hæc de Antiocho intelliguntur Epiphane, qui erectus est contra cultum ueri dei, uenitq; in tantam superbiam, ut in templo Hierosolymis simulachrũ suum poni iusserit. Quodq; sequitur: Et dirigetur, donec compleatur ira, quia in ipso erit consummatio: sic intelligunt, tandiu eum sic posse malignari & impia agere, pietatem omnem ac uirtutem calcare, donec impleat mensuram suorum criminum, & irascatur in eum dominus, in beatq; eum interfici. Siquidẽ Polibius et Diodorus, qui bibliothecarum scribunt historias, narrant eum non solum contra deum fecisse Iudææ, sed auaritiæ facibus accensum, etiam templum Dianæ in Elimaide, quod erat ditissimum, spoliare conatũ, oppressumq; à custodibus templi & uicinis circum gentibus, quibusdamq; phantasijs atq; terroribus uersum in amentiã, tandẽ morbo horribili interijsse. Et hoc ei accidisse cõmemorant hi gentiles scriptores, quia templum Dianæ uiolare uoluerit. Nos autem dicimus etiam si acciderit ei, ideo accidisse, quia in sanctos dei cultores, & in despectum dei Israel, & templum multam exercuerat crudelitatem, polluendo multipliciter locum sanctum & gentem. Epiphanes Antiochus.

37 Et deum patrum suorum non (intelliget) reputabit: & erit in cõcupiscentijs fœminarum, nec quenquam deorũ curabit: quia aduersum uniuersa consurget.

Super deum patrum suorum non intelliget, &c. Id est, Nullum deum uerebitur Antiochus: etiam quos maiores sui coluerant, hos ipse blasphemat, sacrilegaq; perfidia abijcit omnem dei timorem, se ucluti deum coli & haberi cupiens. Dicitur quoq; fuisse Antiochus luxurio sissimus, in tantumq; dedecus per stupra & corruptelas uenisse regiæ dignitatis, ut mimis quoq; & scortis publice iungeretur, & libidinem suam populo præsente compleret.

38 Deum autem Maozim in loco suo uenerabitur: & deum quem ignorauerunt patres eius colet auro, & argẽto, & lapide pretioso, rebusq; pretiosis.

39 Et faciet ut muniat Maozim cũ deo alieno quem cognouit, & multiplicabit gloriam: & dabit eis potestatem in multis & terram diuidet non gratuito.

Satis ut uidetur consequenter & non ridicule mihi hoc Porphyrius exposuisse uidetur de Modin patria Machabæorum, unde fuit Mattathias & filij eius, in quem locum in despectum religionis ueræ, & piorum Iudæorum duces Antiochi Iouis posuerunt statuam, Iudæosq; compulerunt ut ei uictimas immolarent, id est, deo Modin. Non enim rarum est, imò regulare, d pro s poni Syris, ut Mosin et Modin idem locus dici potuerit, & similes impiorum procacitates nostris quoq; temporibus non uno loco cognouerimus factas, restitutis idolis, propter quæ eliminanda sancti uiri uitam tradiderant. Passim etiam legimus Antiochũ Iudæos & Samaritas ad suorũ quos pro libito suo elegit et habuit deorũ culturã cõpulisse in summa dei despectũ. Hæc aũt omnia faciet, ut muniat: uel, super hæc omnia muniet arcem Porphyrij expositio inidonea.

Ierusalem, & in cæteris urbibus ponet præsidia, ut Iudæos astringat, & cogat adorare deum alienum, haud dubium quin Iouem significet. Quem cum illis ostenderit, & adorandum illis esse persuaserit, tunc dabit decem optis honorem & gloriam plurimã, & faciet eos improbos defectores cæteris qui in Iudæa fuerint dominari, et pro præfaricatione huiusmodi remuneranda possessiones diuidet, & bona multa distribuet. Quomodo id ad Antichristum pertineat, non est ut nostri sæculi pijs & impijs declaremus, manifestior est Antichristianorũ impia crudelitas, quàm ut multis debeat explicari.

40 Et in tempore præfinito præliabitur aduersus eũ rex austri: & quasi tempestas ueniet cõtra illum rex aquilonis in curribus & in equitibus & in classe magna: & ingredietur terras, & conteret & pertransiet.

41 Et introibit in terram gloriosam, & multæ corruẽt: hæ autem solæ saluabuntur de manu eius, Edõ, & Moab, & principium filiorum Ammon.

Vndecimo anni regni sui rursus cõtra sororis filium Ptolemæum Philometorem dimicauit. Qui audiens uenire Antiochum, congregauit multa populorum millia. Sed Antiochus quasi tempestas ualida in curribus & equitibus, & in classe magna ingressus est terras plurimas, & transeundo uniuersa uastauit, uenitq; in terram inclytam, id est Iudæam, arcemq; muniuit de ruinis murorum ciuitatis, & sic perrexit ad Aegyptum. Multos autem corruisse intelligi potest de Iudæis scandalum passis in fide, ad instantiam Antiochi, & ad illi cõplacendum, alioqui in fide fragiles, uel de cæde quæ contigit fidelium in terra Israël, ubi qui in deum ex Iudæis impij erant, accusabant regi paternarum legum pios zelatores, qua occasione multi piorum afflicti sunt & occisi, conscientia & corporibus concidentes, qualis & in Antichristi persecutione tyrãnis futura semper prænunciata est à maioribus nostris, & nunc oculata fide conspicitur. Deniq; Antiochus festinans cõtra Ptolemæum regem Austri, Idumæos, Moabitas & Ammonitas, qui ex latere Iudææ erant, nõ tetigit, ne occupatus alio prælio Ptolemæum redderet fortiorem. Quomodo autem Antichristus, qui & Mahumetarum factio, monachis sanctis in illis tribus regionibus pepercerit, diuus Hieronymus uidere non potuit, testantur autem tempora succedentia iamdudum.

Antichristi tyrãnis.

42 Et mittet manum suam in terras: & terra Aegypti non effugiet.

43 Et dominabitur thesaurorum auri, & argẽti, & in omnibus pretiosis Aegypti: per Libyam quoq;, & Aethiopiam transibit.

Hæc quoq; de Antiocho intelligimus. Cum enim in eodem ferè climate sint Aegyptus, Aethiopia & Libya, licet Aethiopiam non tenuerit, captis tamen Aegyptijs etiam istæ prouinciæ conturbatæ sunt. Vnde non dicit quod ceperit eas, sed per Libyas Aethiopiasq; transierit. Vbi enim aurum odorabat eò bellum ducebat, quia auarissimus erat, hinc est quod ad opulentos Aegyptios & Aethiopas uadit, qui illius potentiæ nequaquam resistent.

44 Et fama turbabit eum ab oriente & ab aquilone: et ueniet in ira magna ut conteras & interficiat plurimos.

45 Et figet tabernaculũ suum Apadno inter maria, super montem inclytum & sanctum: & ueniet usq; ad summitatem eius, & nemo auxiliabitur ei.

Antiochus pungnans contra Aegyptios, & pertransiens reliquas dictas gentes, audiet sibi ab aquilone et oriente prælia concitari, unde & regredicns capiet Arabios resistentes, & omnem in littore Phœniciis uastabit prouinciam. Confestim quoq; perget ad Artaxiam regẽ Armeniæ, qui de orientis partibus mouebitur, & interfectis plurimis de eius exercitu, ponet tabernacula occultationis suæ, id est, requietionis uel palatij sui, quasi securus de uictoria inter media maria, super montem inclytum & elegantissimum. Fortassis gloriosus ita montem dici poterit inter maria, in Elimaida prouincia, quæ est ultima Persarum ad orientem regio. Vbi uolens spoliare, ut dictum est, Dianæ templum, quod infinita donaria pretiosa haberet, fugatus à Barbaris mortuus est in Tabes oppido Persidis. Qui uero de Antichristo hæc exponunt in monte Olueto occidendo inter duo maria, Mediterraneũ & Sodomiticum uel mortuum, uideant quomodo reliqua concordent. Nec necesse est mysteriũ Christi uel Antichristi ex omnibus ubiq; locis probare. Satis enim Christus, apostoli & Apocalypsis Ioannis in dicant Antichristi flagitia & persecutiones: ideoq; hæc de Antiocho explanata non obsunt catholicæ ueritati, sed attestantur prophetiæ prædictionis ueritati, & intricatis expositionibus, non cogunt de futuris intelligere & asseuerare, quæ iam docentur in præteritum fuisse completa.

CAPVT XII.

1 IN tempore autem illo cõsurget Michael princeps magnus, qui stat super filios populi tui: & ueniet tempus angustiæ quale nõ fuit ab eo ex quo gentes esse cœperũt usq; ad tempus illud. Et in tempore illo saluabitur populus tuus, omnis qui inuẽtus fuerit scriptus in libro.

Viderit hoc loco diuus Hieronymus quid sequutus fuerit hac parte Porphyrium calumnuando: ego gratiam habeo scriptori Hieronymo, quod tam diligenter adnotauit Porphyrij expositionem, quæ saluo aliorum iudicio, exiguitati rationis & iudicij mei rationabilior uidetur, habereq; consequentiam aptiorem, maxime cum non cogamur ex hoc loco astruere solum ultimi iudicij diem, cum uniuersali iudicio satis clare & certissime firma alijs in scripturis diuinis comprobandis. Eodem is ait tempore, non post multa annorum millia Antiochus uadens in Persidem, Lysiæ, qui Antiochiæ præcerat, reliquit exercitum, ut aduersum Iudæos,

deos, ueri dei cultores, uehementer usq; tunc grauatos & oppressos totis uiribus pugnaret, urbemq; eorũ ter
salẽ subuerteret. Quæ omnia narrat Iosephus, huius hi=
storiæ autor Hebræus, quod talis fuerit tribulatio qualis
nunquam, & tempus aduenerit quale non fuit ex quo
gentes esse cœperũt usq; ad illud tempus. Destituti enim
Prophetæ uitarunt. tunc erant Iudæi prohetarum solatio, & gens tota in
testinis odijs, simultatibus et seditionibus agitabatur mi
serrime, & à domino deo suo propter peccata sua tunc
uidebantur totaliter derelicti, ut testantur libri Macha=
bæorum. Tunc princeps angelus Michaël fidelis propu=
gnator populi surrexisse uisus est, & astitisse mirabili=
ter electo populo dei, potentissimo auxilio diuino inspe
rate collato. Reddita enim Iudæis uictoria, cæsis Antio=
chi ducibus, ipsoq; Antiocho Epiphane in Perside mor
tuo, saluatus est populus Israël: omnes qui scripti erant
in libro dei, hoc est qui legẽ dei fortissime defenderunt,
& fide sua in deum testati sunt ipsorum nomina scripta
esse in cœlo, qui periclitantem de pietate fidei electam
gentem magnanimi in deum fiducia defensarunt, & ob=
tinuerunt claram auxiliante deo per angelos sanctos ui
ctoriam: & econtra, qui deleti sunt de libro, & Antio=
chi fuerunt partium.

2 **Et multi de his qui dormiunt in terræ pulue**
re euigilabũt: hi in uitam æternam, alij in opprobrium ad contemptum ut uideant semper.

Tunc, ait, hi qui de Iudæis sub Mattathia & Iuda
Machabæo ad eremum confugerant et latitabant in spe
luncis & cauernis petrarum, quasi in terræ puluere me
taphoricôs dormiebant, & operti erant malorum pon
dere, & quasi in sepulchris miseriarum reconditi, ad in
speratam uictoriam de terræ pulucre surrexerunt, &
de humo eleuauerunt caput: obseruatores quidem et ze
latores legis diuinæ resurgentes, & gloriam ac uitam
non unquam intermorituram: præuaricatores autẽ pa=
ternarum legum & pietatis ueræ osores et impij in op=
probrium sempiternum.

3 **Qui autem docti fuerint, fulgebunt qua-**
si splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Magistri & doctores propugnatoresq; pietatis, qui
legis notitiam habuerunt, & alios erudierunt confir=
mauerunq; in unius ueri dei cultura, fulgebunt quasi
cœlum, & qui inferiores populos exhortati sunt ad cu=
Tempia & Oratoria. stodiendas ceremonias dei, ad instar astrorum splende=
bunt in perpetuas æternitates. Nõ enim sufficit scire pie
tatis scientiam, nisi & alios doceas, et uitæ periculo, ubi
res fidei & gloria dei postulat, ostendas ac comprobes.
Hunc autem locum Theodotio & uulgata æditio sic ex
primũt: Et intelligentes fulgebunt quasi splendor firma=
menti, & de iustis plurimi quasi stellæ in æternum et ul
tra. Id quod sententiam arbitror esse generalẽ de omni=
bus omniũ temporum fidelibus doctoribus ueritatis. At
si cui expositio aliorum de resurrectione hoc loco asse=
renda generali magis uidetur probabilis, libenter cedo.

*Quod autem scripsimus ex Hieronymo, arbitramur et=
iam eidem nõ male placuisse, morem autem gessisse eis,
quibus non fuit hæc ausus persuadere pertinatius. Abun
det hic & in alijs sine præiuditio fidei & ueritatis cla=
ræ quisq; suo sensu.*

4 **Tu autem Daniel claude sermones, & si-**
gna librum usq; ad tempus finis: plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.

*Angelus qui mandato domini Danieli multiplicẽ re
uelauerat ueritatem, ipsam occultã esse significans quã
clocutus est, præcepit ut inuoluat sermones, & signet li
brum ut legant plurimi, et quærant historiæ ueritatem,
& propter obscuritatis magnitudinem diuersa opinen=
tur. Quod autem ait: Pertransibunt, id est, percurrent
plurimi, multorum signat lectionem. Solemus enim dice
re, Percurri librum, Pertransiui historiam.* Vult igitur Liber aperiendus.
*Christo ueniente aperiendum librum, & ubi à deo fue=
rint docti, à multis intelligendum. Neq; enim ulli sacros
libros aperire & intelligere censebũtur, etiam si omnia
feliciter explanent, nisi timore domini præditi fuerint,
quo qui carent, consequenter etiam fide & intellectu
scripturarum carent.*

5 **Et uidi ego Daniel, & ecce quasi duo alij**
stabant: unus hinc super ripam fluminis, & alius inde ex (altera) ripa fluminis.

6 **Et dixit uiro qui erat indutus lineis, qui**
(stabat) super aquas fluminis, Vsq; quo finis mirabilium?

*Vidit Daniel duos angelos stantes ex utraq; parte su=
per ripam fluminis, qui cum hic ponatur absq; nomine,
secundum præteritã uisionem putatur esse Tigris: &
tamen non interrogat eos qui stabant super utranque ri
pam, sed patienter expectat quid ultra reuelare digne=
tur dominus. Offertur igitur ei alia uisio, qua ostenditur
ei, alio interrogãte, quid ipse rogare cupiat. Vnus enim
duorum stantium super ripas interrogat tertium, appa=
rentem desuper aquas fluminis, qui Christus dominus in
telligi potest, indutum lineis, & sic ipsum quærendo al
loquitur, Vsquequo finis istorum mirabilium? Quo tem
pore complenda sunt mirabilia ista quæ in præsenti iam
descripta uisione dicuntur? Quousq; pro unius dei so=
lius & ueri cultũ & religione fideles & electi tantas
perferre calamitates cogẽtur? Quousq; Iudæos pios tot
mala manent? ut pro idolis suis impij tam crudelia moli
antur in credentes uero deo, ut iam audiuimus ab Antio
cho impijssimo dira multa illos passuros.*

7 **Et audiui uirum qui indutus erat lineis,**
qui (stabat) super aquas fluminis, cũ eleuas-
set dexteram & sinistram suam in cœlũ, & iurasset per uiuentẽ in æternũ: quia in tem pus, tempora, & dimidiũ (temporis). Et cum cõpleta fuerit dispersio manus populi san cti, complebuntur uniuersa hæc.

*Pro consolatione Danielis & fidelium omnium, uir
ille indutus lineis, qui stabat super aquas fluminis, suo
eas calcans pede, qui orationes Danielis in conspectu
dei obtulerat, quando ei uiginti & uno diebus Persa=*

rum angelus resistebat, responsurus ueritatem, eleuat ad assertionem maximam, non tantum unam, sed ambas in cœlum manus, post dextram etiam sinistrã, & iurat per uiuentem in æternum, quod tanta persecutio fidelium unius dei cultorũ, & satanæ regnum in mundo cum idolorum cultura post hac non diu durabit: sicut & templi prophanatio per Antiochum, & cultus diuini à deo instituti, ceremoniæ, ac Iouis idolum stans in templo non diu stetit, sed post tres annos statim eliminata à tẽplo est tota ista abominatio, & purgatum est, instauratum, & reconciliatum domino. Nec longo post tempore duratura sit in orbe idololatria, sed per Christum & apostolos post non longum tempus in totum sit cessatura, ut non tanta cogãtur pij homines perferre aduersa propter dei amorem et cultum ut antea. Interim autem populus sanctus disseminabitur in orbem terrarum, & unius dei cognitio magnam regnorum omnium partem occupabit, domino perficiente suum mysterium incarnandi filium suum, & Euangelium gratiæ & gloriæ dei ebuccinante in omnem terram: tunc enim cadet omnis superstitio sacrilega nefandi cultus idolorum, tunc in Christi spiritu refrigerium sentient & obtinebunt electi.

Idololatria eliminata.

8 Et ego audiui, & non intellexi. Et dixi, Domine mi, quid erit post hæc?

Non clarius hæc Daniel intelligebat quàm apostoli, cum regnum suum illis prædicebat, arbitrati temporalem illis promitti felicitatem, & regni potentissimi & sæcularis pompam. Ideo propheta quærit, quid post hæc tandem futurum sit, & quem hæc omnia finem olim habitura. Nihil enim ardentius desiderant omnes sancti, quàm regnum dei aduenire, sanctificari digne nomen dei altissimi, ut iuxta uoluntatem domini uiuatur in hoc mundo, id quod ad Messiæ tempus omnes prophetæ & sancti futurum sperabant.

Regnũ dei.

9 Et ait, Vade Daniel: quia clausi sunt, signatiq; sermones usq; ad tempus finis.

Iubet ut indutus lineis in typo Saluatoris, idem quod & Christus respondebat apostolis, Danielem quiescere ab huiusmodi quæstionibus: quasi dicat, Vade Daniel ad tua negotia tractanda quietus. Non est enim tuum noscere tempora uel momenta, quæ pater posuit in sua potestate: quandoquidem nec filius hominis illa sic nouit, ut omnibus uelit noscenda edicere. Non enim prodest promouendæ dei gloriæ omnia quæ uentura sunt præscire etiam à pijs, multo minus ab impijs. Debent enim occulta & obsignata esse mysteria aduentus Christi & uniuersalis salutis, tam primi quàm secundi, satis tibi de primo reuelatũ est, & satis tectũ. Non poterãt hæc omnia clare intelligi, donec fideles perfecta esse conspexerũt.

Quæstiões de maximis

10 Eligentur & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi: & impie agent impij, neq; intelligent omnes impij, porrò docti intelligent.

Sufficit interim te scire & pios omnes, oportere in hoc mundo, & quoad domino placuerit & quantum, semper fideles, sanctos & electos purificari, & purgari uelut aurum in fornace multis tribulationibus, quas & apostolis Christus crebro promittendo prædixit, & per spiritus sancti gratiã & fide purificante corda electorum ad uitæ innocentiam dealbari, ac assidua tentatione probari, ut & Paulo & illi similibus contigit. Id autem fit non omnibus ex æquo, sed multis & diuersis modis, quibus omnia quæ in hoc mundo aduersa occurrunt cooperantur in bonum, qui nouerunt in prosperis & aduersis semper dominum amare et colere, quos à iustitia fidei in deum non abstrahit, nec mors nec gladius & cætera. Impij autem & deum ignorantes uel contemnentes, sine timore, lege, charitate, & fide uiuentes pro carnis libidine & athei, hi tales semper imbunt, & de malo semper proficient in peiora, quo tandem iusto iudicio dei, & suapte malitia clarum fiat, eos iuste damnari cum diabolo & angelis illius in æternum supplicium.

Passiones sanctorum.

11 Et à tempore cum ablatum fuerit iuge (sacrificium) & posita fuerit abominatio (desolantis) in desolationem: dies mille, ducenti nonaginta.

In superioribus audisti aliquando iuge sacrificium auferendum, & intra septuagesimam hebdomadam Christum dominum occidendum, & finem habituum non solum sacerdotium uetus, sed etiam sacrificia templi deo abominabilia futura ob mortem Christi, qua completa est & sanctorum de Israële iustitia, & impiorum de Israële religio, ut à morte Christi nulla in templo illi gratæ sacrificia deo sint futura sacrificia, propter improbitatem Iudaicam Christum crucifigentium, & propter obedientiam & innocentiam Christi domini crucifixi pro salute fidelium electorum. Post illud enim tempus & hoc sacrificium, abominatio uera domino deo erit ille locus, & sic prophanabitur, ut continuo ob cædes sanctorum illic peragendas, magis ac magis promoueat malum impiorum, et loci fata horribilia, donec post non magnum tempus totius impiæ gentis & abominabilis templi desolatio compleatur. Dies enim mille ducenti nonaginta magnus quidem numerus, sed breue tempus significat, dimidiæ hebdomadis annorum, quia non longo tempore Ierusalem & plebs Iudaica post sacrificiũ Christi in crucem durauit. Infra quod tempus etiam abominatio in templo uisa est, de qua Christus.

Sacrificia iuge.

12 Beatus qui expectat & peruenit usq; ad dies mille trecentos triginta quinq;.

Potest quidem tempus dierum mille trecentorum triginta quinq; significare multa, tutius tamen libũ signatum dimittimus, & prophetæ ignorantiam pariter in his rebus agnoscamus. Semireq; sufficiat nobis perseuerantiæ & longanimitatis studium in tentationibus dum ingruerint, etiam si longissimum spatium tribulationis addatur, ita ut apparere iam septimus septenarius uideatur, à uirtute tamen non excidamus. Talibus enim beatitudo promittitur, id est, omnia bona regni Christi.

13 Tu autem (Daniel) uade ad (finem) præfinitum: & requiesces, & stabis in sorte tua, in finem dierum.

Offenditur

Ostenditur sanctos dei homines perseuerantiæ & longanimitatis uirtute præditos esse debere, ut operũ diuinorum finem expectent æquanimiter, & in bono opere semper procedant, ac perpetuum sabbathum conscientiæ suæ seruent, quieti in domino, cuius prouidentia gubernantur in bonum electorũ & gloriam dei, semperq; meminerint se aliquando staturos in sua sorte ad tribunal Christi, & de omni uita sua rationẽ in die iudicij reddituros. Quidam Iudæorum putauerunt anno à destructione templi per Titum 1335. certißimam ex hac prophetia redemptionis periodum affore, & iam non habent quid dicant, quos frustra confutaremus, quandoquidem iamdudum & in alijs suis calculationibus errasse conuincuntur, sicut & in illa, propter quod toties calculando decepti, anathemate feriendum decreuerunt, si quis ex ipsis dies Meßiæ & futuræ redemptionis supputare audeat, miseri semper futurum credentes quod ante tria millia annorum dominus futurum olim promiserat, Daniel per hebdomadas definierat, & Aggæus post modicum adesse prædixerat, & fideles iam à mille quim gentis completum sentiunt & sunt experti.

Anno Christi 1335. ccc. exxx. consummatum Iudæor.

FINIS.

SVMMA VERSVVM CCC LVII.

COMMENTARIA IN OSEE PROPHETAM, QVI INter duodecim primus habetur.

CAPVT PRIMVM.

1 VERBVM dñi q̃d factũ est ad Osee filium Beeri in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz, Ezechiæ regũ Iuda & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Israel.

Historia Prophetæ huius.

Prophetarũ aliorũ more titulũ habet præfixũ Osee liber, prophetijs multis quas cõplectitur, reuelatione et mandato dei dictis uarijs temporibus & causis. Quas omnes tandem congestas in libellũ unum, digno sibi nomine insigniuit, ut nõ aliud nec habeatur nec nominetur quàm uerbũ domini dei omnipotentis, cui indubia ueritas adsit, & sacrosancta habeantur dicta, ueluti diuina oracula non humana. Quantumlibet enim homo fuerit & etiã peccator, qui suo spiritu loquens mentiri potuerit: fuit enim filius Beeri, secundũ Iudæos prophetæ nimirũ filius, et Hierosolymis natus, quanquã de tribu Isachar secundũ quosdam, alijs dicentibus de tribu Ruben, quia patriæ suæ nomen non adnotatur: tamen quæ hoc libro conscripta sunt diuinam habent authoritatem. Non fuit filius Ela, ut quidam uoluerũt, regis Israël, sed Beeri. Et temporibus Isaiæ, Amoz, & Micheæ prophetauit: licet ante Isaiã cœperit aliquandiu, sub regibus Iuda, Osia & Iotham, satis bonis & pijs, sub Achas quoq; scelestißimo omnium, & Ezechia pijßimo. Porro in regno Israël tunc regnabat Hieroboam filius Ioas pronepos Iehu. Facta autem dicitur ab Hebræis hæc prima prophetia quadraginta annis ante captiuitatem Samariæ, et decem tribuum circa finem uitæ Ieroboam.

2 Principium loquendi domini in Osee, & dixit dominus ad Osee, Vade, sume tibi uxorem fornicationum, & filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra à domino.

Hæc quæ statim sequitur prophetia, prima earũ fuit, quas postea illi dominus prædicandas inspirauit, & ueluti primitiæ uerbi dei, quod loquutus est dominus per hunc prophetam, cum ante eum multi prophetæ fuerint in Iuda et Israel, per quos multa locutus est ad suum populũ dominus de mane consurgens, & nunquam destituẽs sanctis prophetis, ne essent excusabiles. Præcipit autem Dominus Osee prophetæ ut uxorem sumat sibi eam, quam fornicariam fuisse constaret omnibus: in quo peccare non potuit, domini uoluntati & mandato obediens. Et ut fortaßis fornicariam redemisse à diffamia honorificum non habeatur apud homines, potest tamẽ non solum licite fieri, sed & laudabiliter apud deum. Vt non sit necessarius tantus labor nostrorum doctorum, ac etiam Iudæorum excusandi prophetam, qui uisionem tantum fuisse dicunt: quanquam non negem uisionem & ostentum fuisse potuisse, ut multis alijs prophetis. Parabola enim esse debebat clemẽtiæ diuinæ, quæ non abhorruit eligere sibi sponsam synagogam Iudaicam, à qua tamen sustulit filios non bonos & filias. Dicuntur autem fornicationum filij, non quod extra matrimonium nati sint, id enim non quadraret mysterio, nec prophetã decuisset: sed quia infamiam matris euadere non potuerũt, cuius etiam improbitatem genio suo testati sunt, non sectando patris probitatem, sed incontinentiam matris. Dum interim fornicaria quæ fuerat, pudicitiam assumere potuerit, quam antea non habuerat: præsertim cum beatus Osee non libidinis gratia, sed uoluntate dei coniunctus ei fuerit, ut quod in isto carnaliter legimus, in deo factum spiritualiter probaremus: quod & in Ezechiele uidimus. Scortatum autem & apostatam esse à domino non solum populum regni Israëlitici & reges, sed etiam Iudam, probatione non indiget: tempore enim quo hæc dicebantur, uterq; à domino recesserat.

Excusatio prophetæ non necessaria.

Fornicationum filij.

3 Et abijt & accepit Gomer filiam Debelaim: & concepit, & peperit ei filium.

Vxor uocata est Gomer, quod consummationem significat, & quasi permolitum scortum ostendit finiendum statim regnum Israëlis, & non usq; adeo diu posteà Iudam quoque, qui filiæ ambæ sunt uoluptatum, similes maßis pinguium caricarum compactarum. Nutu ergo domini statim uxor prophetæ filiam generat, in typum

synagogæ prauarum filiarum matris, Oola & Ooliba-ma, de quibus in Ezechiele.

4 Et dixit dominus ad eum, Voca nomen eius Iezrahel: quoniam adhuc modicum & uisitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu, & quiescere faciam regnum domus Israël.

Iesraël filia dicitur prophetæ.

Iesraël duplici ratione illam uocari filiam præcipit. Primo quia iniquo animo & non syncero zelo, sed regnandi libidine incitatus Iehu auus Ieroboam mu aserat crudelitate maxima regnum Israel, & decretam sibi à domino prouinciam uindicandi sanguinẽ Naboth, prosecutus est impio corde, & pharisaico spiritu, non amore obsequendi deo, quem postea nunquã uere coluit, sed in uijs prædecessorum suorum impijs ambulauit, sed per crudelitatem uindicandi sibi regnum, & ostentandi zelum dei, quẽ ex corde non habebat, omnes filios Achab occidi iußit, cũ ipse illis non factus fuerit multo melior. Sic equidem dominus seueriora iudicia cõmendat prælatis populorũ, ut tamẽ nolit ea nisi pio & syncero proposito exequi: nihil fieri debet ex odio, superbia, crudelitate & improbo quocunq; affectu, sed quod iustũ, iuste uult exequi, & ueræ fidei et charitatis lege teneri, etiã in ipso actu præliandi, non solum peccata uindicãdi malorũ. Licet igitur à domino Iehu iussus esset arripere regnũ, et delere improbos, idipsum tamen fecit non ex alio affectu quàm dominandi, impius manens, & domini dei sui contemptor corde & factus. Ideo nunc Iesraël uocatur filia prophetæ à domino, ut significetur futura uindicta peccatorũ, non solũ occisi Naboth, sed etiam iniquo animo illud peccatũ uindicantiũ, & omniũ peccatorũ, non solum regum Israël omnium, sed totius quoq; regni, cuius metropolis ab antiquo erat Iesraël, cuius crimina multa, ut idololatria, pauperũ oppreßio, ebrietas et quæ hinc sequuntur, nunc præsignantur punienda super domum Iehu, quæ propediem finienda erat, Zacharia filio Ieroboam occidendo, et regno sic infirmando, ut regnum aliquandiu nimis debile futurum sit, & post paucos annos misere delendum. Alia ratio quare Iesraël dicta fuerit prophetæ filia, postea uidebitur.

5 Et erit in illa die conteram arcum Israël in ualle Iesraël.

Post Iesraël uindicatum iudicio domini iusto, arcus, fortitudo & regnum Israël sic frangetur & debilitabitur sub impijs regibus Manahen, Sellum, Pakea filio Romeliæ, & Hoseä filio Ela, ut per Salmanasar regem totum regnum in captiuitatem ducendũ sit, deuicto prius exercitu Israëlis per Assyriorum regem, in ualle quæ est prope Iesraël. De utrisq; lege Hieronymi commentaria. Occiso enim Zacharia filio Ieroboam, usq; ad nonũ annum Osee filium Ela, sub quo captæ sunt ultimæ tribus, computantur quadraginta & nouem, statimq; Assyrij ceperunt Ruben, Gad, & dimidiam tribum Manasse trans Iordanem, & deinde ciuitates multas Samariæ, Neptalim quoq;, ad extremum reliquas.

6 Et cõcepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei, Voca nomẽ eius Absq; misericordia: quia non addã ultra misereri domui Israël, sed obliuione obliuiscar eorum.

Prima proles filius Iesraël, significabat iram diuinæ ultionis contra reges Israël & regnum: nunc secunda nascitur de ea quæ fuit fornicaria filia, quæ secundum nomen de mandato domini impositum significat excidium totale gentis decem tribuum, quod scilicet in primum suum statum, ordinem, regnum, hæreditatem & cultũ nunquam esset restituendũ. Ideo nominatur, Non misericordiam consecuta: ueluti si dicere liceret immisericordabilis: quia illarum tribuũ omnium nunquam uelit dominus misereri: non quod omnes damnandi essent, & in obliuionem dei uenturi, quos constat tempore Cyri hausisse licentiam redeundi de Media et Persia, sicut & de Chaldæa, temporisq; successu multi redierint, ut ante Christi tempora de omnibus tribubus in tota terra israëlitica multi habitauerint. Et illi qui primum quidem redire noluerint, sua malitia ordinati fuerũt ad gloriam dei propagandam in gentibus, inter quas dispersi, multo fidelius domino sine ceremonijs adhæserunt, minus idola coluerunt, & decalogi præcepta diligentius custodierunt, quàm uel ante captiuitatem suam sub suis regibus, uel Iudæi ipsi Hierosolymam reuersi sub Cyro & Dario. Non tamen unquam pristinum suum statum, nec etiam nomen recuperaturi erant, quia secundum Ezechielis prophetiam non solum unum lignum futuri erãt ex duobus, sed pariter à tribu Iuda cognominãdi omnes Iudæi prædicebãtur. Non regnum habituri corporeum & finibile, sed firmißimũ & laudabile magis quàm unquam etiam sub Salomone habuissent, sub suo Mẽßia filio Dauid: Christo domino nostro Iudæis & gentibus toto orbe imperante, non solum uiuis & mortalibus super terram, sed etiam mortuis & immortalibus in cœlis ibus. Quale regnum dei & Christi, qui non agnoscit & appretiatur super omnia ac suscipit, omnium etiam temporalium bonorum sese reddit indignum, cuius exemplum iam diu pertulit infelicißima fex Iudæorum, & ipsa raëliticæ gẽtis reliquiæ misere dispersæ in oẽs nationes.

7 Et domui Iuda miserebor, & saluabo eos in domino deo suo: & non saluabo eos in arcu & in gladio & in bello & in equis & in equitibus.

Post prædictã à propheta Hosee Israelitici regni desti tionem et abiectionẽ, per futurã proximo captiuitatem hic Iudaici regni sub melioribus regibus liberationẽ imminentẽ prædicit, pollicẽdo domui Iuda misericordiam, in domino deo suo fiduciã habentibus, quando Assyriorum exercitus ad orationes Esaiæ, et Ezechiæ regis, & ad fidẽ populi tunc cõuersi ad dominũ, percußus est ab angelo una nocte, usq; ad centũ octogintaquinq; millia: non in arcu & gladio, & bello, & in equitũ multitudine, sed angelica fortitudine, & diuina tantũ uoluntate.

8 Et ablactauit eam quæ erat absq; misericordia. Et concepit, & peperit filium.

9 Et dixit, Voca nomen eius, Non populus meus: & ego non ero uester.

¶ Et erit

Post captiuitatẽ regni Israëlis, cum iam ueluti à lacte depulsus esset populus decem tribuũ, non amplius parentis lacte & prophetarũ oraculis, et regum legibus exco leretur ut antea, sed siliquis potius porcorũ in lõginqua regione cum prodigo filio infeliciter seruiẽs uesceretur, & immundo pane inter gentes: nata est etiam alia prograuius in totã gentẽ residuã Iudæorũ desæuit ipsorũ demeritis propter peccata Manasßis, & sequentiũ, regno quoq; Iudæ infelicißimũ partũ robustißimorũ criminum edẽte, post tantã à domino misericordiã susceptã tot miraculis ingratißima semper. Vocat igitur deus hũc filiũ infelicißimũ, Non populus meus, indicãs propter Manasses & aliorũ peccata tunc perpetrãda, et posteris quoq; temporibus aggrauanda in immensum, futurum ut omnino uerè nominandus sit aliquãdo, Non populus domini: & ipse dominus nolit postea se ostendere, uel etiã haberi eorum deus, sed imperpetuum sit abiecturus eos. Quod non intelligi potest cum aliarũ prophetiarũ & promissionũ dei iactura, quæ passim Israëlitarũ felicitatẽ sub rege Dauid Messia Dauidis filio certo adfuturã promittũt: sed referendũ est pro more prophetico ad eos, qui regnũ Christi et benedictionẽ patriarchis, et prophetis promissam amplecti et credere recusabunt. Quandoquidẽ contra totius orbis dispersione factã fuisse maximã acceßionẽ Iudaicæ uel Israëliticæ gentis ad Christũ, quibus & apostoli epistolas scripserũt, et officiũ latius disseminandi euangeliũ concrediderunt. Induratis tamen interim uehementer multis Iudæorũ, quorũ uidetur deus nõ esse eorũ deus, et ipsi non dei se esse populũ negare non possunt.

Iudæos.

10 ¶ **Et erit numerus filiorum Israël, quasi arena maris quæ sine mensura est, & non numerabitur. Et erit, in loco ubi dicetur eis, Non populus meus uos: dicetur eis, Filij dei uiuentis.**

Non arbitror hoc loco inanem esse Hebræorum distinctionem, tametsi quidam Hebræorum adtribuant superioribus quæ sequuntur, quibus & annectenda sunt, sed ut aliud argumentum post superiora gratius intelligatur. Breuis est enim dictio huius prophetæ, & exactissime connexa, paucis uerbis & breuibus sententijs amplissimas causas complectens, ut etiam paucis explicari nequeat literæ simplicitas qualiscunq;. Igitur post abiectionẽ synagogæ à suo regali statu, & à felicitate quam domino deo suo ingrata iactabat magis quàm fruebatur promittitur uerorum Israëlitarum collectio felix sub regno Messiæ, & filiorum dei infinitus numerus, synceriß ima deuotio & fides eorum in dominum, domini dei immensa quoq; gratia & beneficentia ad electos fideles suos, à quibus in spiritu & ueritate digne colendus sit, nulla facta mentione de templo, & sacrificijs, uel Iudaipercr Messiam, maximus numerus eorum ucrorum cultorum dei, qui omnia in deo possunt, qui eos confortat, & uinci se fide & oratione sinit, quod est Israëlitam dici. Erit, inquit, numerus eorum ueluti arena, quæ est in lit-

Stilus hu ius pro phetæ.

Restitutio ne co sacerdotio Israëlis.

tore maris, sine mensura numeri, sic ut in omnibus ferè locis, in quibus gentes uiuebant sine timore dei, dominũ ignorantes, & simul in orbem uniuersum dispersi Iudæi duodecim tribuum, pariter uerissime dicti Non populus dñi, ibi suo tempore, plenitudinis scilicet, dicetur quod sint filij dei uiuentis. Quis enim negare potest à Christi temporibus sic cecidisse falsorũ deorum superstitiones, ut ex eo tempore per euangelij prædicationem increuerit & obtinuerit cultus non alterius cuiusquam dei, nisi solius unius ueri & uiuentis dei creatoris & gubernatoris cœlestium & terrestriũ omnium? quem & alium gens nulla hodie fatetur & credit, quàm deum Abraham, Isaac, Iacob, Mosis, Samuelis, Heliæ & Helisæi, omniumq; fidelium, qui pater est domini nostri Iesu Christi, consubstantialis filij eius, & uerbi incarnati.

11 **Et cõgregabuntur filij Iuda, & filij Israël pariter, et ponẽt sibimet caput unũ, et ascẽdent de terra: quia magnus dies Iezrael.**

Obmißis friuolis Iudæorum expositionibus, simpliciter sensum uerba produnt huiusmodi. Ad Christi regnum Iuda & Israël congregabuntur pariter, & agnoscent regem sibi promissum à sæculis: unum, non duo regna erunt, quibus ut alibi dicitur aduena coniungetur, & expectatio gentium implebitur, ut sit unus deus, & unus rex Dauid Messias, cui seruiant in libertate spiritus omnes gentes, & ascendent de sua terra in orbem uniuersum, qui illorum pariter erit: fient enim utraq; unum, ex Israël & gentibus, unius dei, una ecclesia populorũ colentium dominum. Benedictio enim seminis Abrahæ & Dauidis omnibus gentibus communis erit, ut omnes docibiles dei fiant, et semen dei, quod Iesraël dicitur hoc loco, et deinceps in alia significatione: ut semen dei Christus cohæredes deo patri constituat & filios regni dei, quotquot non ex sanguinibus neq; ex uoluntate uiri, sed ex deo nati erunt. Hi Christum dominum filium Dauid præpositum sibi regem eligent, ad hoc prædestinati & electi, ut electi à domino & tracti à patre, statuant sibi regem, quem ab æterno deus pater cõstituit regem super Sion montem sanctũ suum, dans illi gentes hæreditatem suam, & possessionem eius terminos terræ, quem & fecit hæredem uniuersorũ, per quem fecit et secula. Si quis uero intelligat reditum Iudæorum & Israëlis in Iudæam sub Zorobabel, idipsum ceu imperfectum bonum accipiat figuram esse eius, de quo iam dictum est, more aliorum quoq; omnium prophetarum.

Christi regnũ congregandum.

CAPVT II.

1 **Dicite fratribus uestris, Populus meus: & sorori uestræ, Misericordiam consecuta.**

Cohærent & hæc quoq; præcedentibus. Solet sæpe Imperatiuus accipi pro Impersonali. Vt sit hic quoq; sensus: Veniet propediem tẽpus et occasio, quando utrisq; populis conuersis ad dominum dicetur, quando iubebuntur expostulare cum uetere synagoga, tam conuersi ex Iudaismo, quàm ex gentilitate, quarum una nomen cõsecuta est nouũ, ut dicatur, Populus meus, quæ prius dicebatur Nõ populus: altera dicatur, Miseri

cordiam consecuta, quæ dicebatur antea Non misericordiam consecuta. Ambæ enim in regnũ Christi, unus populus & unius regis & capitis membra subditiq; facti nomina mutauerunt, legitimaq; proles facti sunt, quum prius filij dicerentur fornicationum, hoc est fornicariæ ignobilis & inhonestæ matris filij & filiæ.

2 Iudicate matrem uestram, iudicate: quoniam ipsa nõ uxor mea, & ego nõ uir eius. Auferat fornicationes suas à facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum.

Expostulatio cum synagoga.

Dicetur autem tunc illis ut iuste audeant postintq; expostulare & contendere cum sua matre Synagoga Iudaica, quæ non absq; causa dicitur mater omnium fidelium, cum tamen ipsa fuerit sponso marito et domino deo suo ferè semper infidelis, & raro carens omni idololatria, ut etiam mater eorũ Rachel idola Laban furto abstulisse legatur. Et sub Mose rebellis semper fuisse non falso ei improperatur, quanto magis cum mortuus fuisset: ut sapientissimus quoq; Salomon regni sui tempora infamauerit hac lue, & deinde Roboam, ut de Ieroboã taceatur. Eam ergo matrem synagogam filiæ conuersæ ad dominum iubẽtur arguere à dño dicente per prophetam: Contẽdite cum uestra matre, quam fornicariam sibi pater uxorem susceperat, improperateq; ei perfidiam suam, quia ipsa non uxor mea est, & ego non sum maritus eius, non mihi seruat fidem, adulteros non unum sed multos sectata est, omnium gentium deos spurco amore adamauit me omisso, imò aspicientem & irascentem minume uerita, sed quasi de industria irritando, eodem tempo idolis suis & mihi offerẽdo sacrificia sua, sub Achab rege & alijs multis, donec lupanar suum stetit, Salomonicum templũ, quod sanctuarium et sanctum sanctorum dominus haberi uoluerat, & nominauerat. Non igitur uxor esse poterit, nisi auferat scortationum suarũ omnia idola à facie mea, & adulteria sua cum doctrinis & moribus gentilium, quæ etiam in secundo templo ei adhæserant, de medio uberum suorum. Nolo enim zelotypus coniugalem, ab alijs pollutam non tango, amoris ac synceri pectoris consortem non fero.

3 Ne forte expoliẽ eam nudatã, & statuam eam secundum diem natiuitatis suæ, et ponam eam quasi solitudinem, & statuã eam uelut terram inuiã, & interficiam eam siti.

Alioqui si non se emendauerit, & emundauerit, despoliabo eã omni uestitu & ornatu suo, & nudã exponam omnibus ludificandã, & priscas illius fornicationes prostituam omnibus despuendas, et adulteria quibus libidinata fuit, cũ mater fieret maximorũ populorũ, improperabo illi, et reuocabo in recentẽ memoriã pristinas abominationes suas, ponamq; eam in solitudinem, & desertum, ueluti inuiam inaquosam, aridam rore clementiæ, & sine fluentis gratiarum & influxibus imbrium, sic ut fame & siti uerbi dei & prophetarum irriguo desituta moriatur. Quod ei synagogæ quoad impios Messiæ contẽptores & crucifixores euenisse omnibus constat.

4 Et filiorũ illius non miserebor: quoniam filij fornicationum sunt,

5 quia fornicata est mater eorum, confusa est quæ concepit eos, quia dixit: Vadã post amatores meos q dãt panes mihi & aquas meas, lanam meam & linũ meum, oleum meum & potum meum.

Fornicariæ quoque matris liberi peribunt cum matre meretrice, quoniam filij fornicatricis sunt, genuinas illis impuerarum ex patre diabolo, perfrictæ frontis & impudentis, duræq; ceruicis. Eiusdem matris filijs non misebor, sunt enim conspurcatæ matris, et hodie Iudæi dicuntur & illegitimi filij. Scortata est enim mater eorum, et turpiter adulterando concepit illos filios, sibiq; similimos educauit, genium maternum referentes, et nullo illi meliores, ut disciplinam recipere uelint uel ualeant. Dixit enim, hoc est, proposuit & firmiter statuit rebellare mihi per omnia, totum illud amare quod mihi displicet, non obtemperare iussis, prophetas occidere, uerbum domini ridere, idola cordis sui sectari, nulla fiducia se domino credere, externarũ gentium auxilijs frui & mei, omniaq; beneficia mea maxima & clara alijs non mihi accepta referre semper: quæ ut mulieribus grata per singula nonunantur á propheta. Quæ quidem priscæ synagogæ peccata iam nunc quoq; imputantur Iudæis, similiter ut illa erat hodie quoq; peruicacibus, & scripturis sacris credere nolentibus, nec agnoscere tempus uisitationis prædictum ab omnibus prophetis.

6 Propter hoc ecce ego sepiam uiam tuam spinis, & sepiam eã maceria, et semitas suas non inueniet.

Frustra post hanc quam nunc patieris captiuitatem dices, ituram te post amatores tuos qui omnium rerũ tibi abundantiam præbeant. Sepiam enim ego uiam tuã spinis, ne possis ire quo desyderas: multarum interdictionum, ponam, & sepem opponam eunti, ut assuetas tibi idolatriæ semitas non inuenias. Id uero factum est primum quidem per dei magnalia, uisa in Chaldæa & Persida, sub Nabuchodonosor, Cyro et Dario, quanquam imperfectius, sed longe completius per Euangelium eliminata spurcitia idolorum, ut uelit nolit idola ex eo tempore colere non potuerit, à quibus dudum sub prophetis nuquam sibi uoluit temperare, ut rerũ necessitate tandem compulsi reuersi fuerint ad dominum. Synagoga enim Iudaica, non antea spreuit idola, quàm cum uideret dei sui gloriam à gentibus quoq; magno consensu, etiam sub secundi templi temporibus honorari, confiteri & coli, ut Danielis & Ezdræ libri testantur & Iosephi.

7 Et persequetur amatores suos, & non apprehendet eos: & quæret eos, & non inueniet, & dicet: Vadam & reuertar ad uirum meum priorem: quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc.

Anxiè donec licet & potest insequetur semitas superstitionum gentilium, & eas pro uoto assequi non poterit: quæret idola sua, & nulla inueniet, quæ etiam Chaldæorum exercitu omnia uastante deleta iam erant, ut nouæ religioni occasio præstaretur, sub Nabuchadnezzer, & Dario, id literis sacris testantibus. Tunc ergo tu Iudaica

daica quoq; synagoga cõpulsa est ipsa gentiũ probitate resipiscere, & dominũ deum suum clementissimũ sponsum & maritum repetere, & ad toties spretum suppliciter regredi, & non tam amore bonitatis suæ, quàm proprij cõmodi, quia scilicet recogitabat olim sibi melius fuisse, cum domino adhæreret suo modo, quàm interim cum repulsisset omnino.

8 Et hæc nescíuit quia ego dedi ei frumentum, & uinum, & oleum, & argentũ multiplicaui ei, & aurum (quæ) fecerunt Baal.

Gratiã dei non agnouerũt Iudæi.

Præimprobo & adulterino furore suo & amore synagoga, hoc est, impij Iudæi non poterant capere magnitudinem gratiæ meæ ad illam, beneficia nõ ponderabant, nec pro dignitate agnoscebãt electionis suæ prærogatiuam, & quicquid bonorũ habebant in huius mundi diuitijs, frumentũ, uinum, oleum, argentũ & aurum referebãt improbe & iniquissima ingratitudine ad Baal quem colebant, non ad me qui eduxerã ex Aegypto, & optima hæreditate eam donaueram. Locus est contra ingratitudinẽ idololatrarũ, qui accepta à deo uero & unico beneficia referunt accepta duis.

9 Idcirco cõuertar, & sumã frumentũ meũ in tempore suo, & uinũ meũ in tempore suo, & liberabo lanam meã & linũ meum, quæ operiebant ignominiam eius.

Ingrati punientur.

Mutabo igitur ego quoq; meã sententiã, & mea munera mihi redimam, nec tot bona patiar posthac seruire tam turpi meretrici, et è manibus eius eripiã quæ uxori maritus dederã. Tempore enim messis & uindemiæ speratas fruges adimã, & toto anno penuria nõ ferẽda grauabo: uestes & linteamina liberabo, ne ultra ignominiã operiãt meretricis. Quæ omnia aufert dñs, ut quem ex copia datorẽ ingratissima nõ senserat, sentiat ex penuria. Legẽ, prophetas, fidẽ, sacramẽta, & canonicarũ scripturarũ dominicũ agrũ Iudæis colendũ traditũ & neglectũ, auferã ab eis, & dabo genti facienti fructũ eius.

10 Et nunc reuelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius, & uir nõ eruet eam de manu mea,

11 & cessare faciã omne gaudiũ eius, solennitatẽ eius, neomeniã eius, & sabbathum eius, & omnia festa tempora eius.

12 Et corrumpã uineã eius, & ficũ eius: de quibus dixit: Mercedes hæ meę sunt, quas dederunt mihi amatores mei. Et ponã eos in saltum, & comedet eos bestia agri.

Iudæorum reprobatio manifesta.

Non eget explicatione hæc sententia, quam tam Iudæi quàm nostri intelligũt iamdudũ completã, quando totus orbis uidet errores, stultitias, superstitiones & perfidiã Iudæorũ. Et à tot seculis tantã suã cladem euadere nunquam potuerunt, nec hodie ab eis spes aliqua uel de longinquo uidetur, nisi redeãt ad agnoscẽdũ beneficia dei, per Christũ mundo donata, sibi quoq; nõ negãda, si gloriam dei magis quàm suam inquisierint, & ueritatẽ diuinorũ eloquiorũ quæ hodie uenerãtur ab omnibus gentibus, maximè uerò à Christianis, atq; promissionẽ complectam cernãt, quam gentes orbis totius iamdudum uiderunt & amplexatæ sunt. Cessasse gaudiũ omniũ solennitatum suarũ iamdudũ uastato templo et Hierosolyma confitẽtur necessariò. Vineã quoq; domini sabbaoth domum Israel corruptã dudũ uidimus. Ceremonias uelint nolint secundũ legem à mille quingẽtis annis expirasse sciunt. Omnia aũt ista passa est improba synagoga, quia ingrata fuit deo, & tẽpus uisitationis suæ nõ cognouit, ideo uastationẽ omnis terræ suæ sensit, quam prædixerant dudũ Moses prophetæ & Christus. Insignis enim malitia est idolis tribuere quod à domino suscipitur.

13 Et uisitabo super eã dies Baalim, quibus accendebat incensum, & ornabatur inaure sua & monili suo, & ibat post amatores suos, & mei obliuiscebatur, dicit dñs.

Idololatria Iudæorum uindicata.

Satis duriter puniti sunt Iudæi, propter idololatriam suam, captiui ducti in Assyrios & Chaldæos. Quanquã autem redeuntes sub Cyro & Dario, postea idola non resumpserint, æqualibus tamen multis criminibus polluti sunt, & maioribus, contemptu scilicet legis dei, in quorũ locum traditiones suas posuerant, auaritia, odio, homicidijs & prophetarũ iniurijs, donec Christũ quoque dominũ crucifigerent, & apostolos persequerẽtur. Propter quæ omnia etiã antiqua illis idololatria nõ mẽnus imputatur, ob ingratitudinem nephandã pro tot beneficijs, & inexpiabile crimen occisionis Meßiæ sui, & sublationis in crucẽ regis sui: ut nõ indignè illis nunc ut dudum improperetur sacrificatio idolis exhibita, & quia tãto desiderio uoluptatis ferebatur, ut omnẽ memoriam amiserit maritalẽ, & oblita sit fuisse se cõiugem.

14 Propter hoc, ecce ego lactabo eã & ducã eam in solitudinẽ, & loquar ad cor eius.

In aduẽtu Christi domini aperietur Iudæis electis spes salutis, & dñs ueluti denuò blandietur eis, & lactabit, ut post pœnarum magnitudinẽ, dolores pristinos repromissione mitiget prosperorũ. Educam, inquit, in solitudinem, educã ex malis, sicut prius de Aegyptiaca eduxeram seruitute in eremum, & loquar ad cor eius uerba euangelica cõsolatoria, ut tristitiã gaudio temperem.

15 Et dabo ei uinitores eius ex eodẽ loco, & uallem Achor ad aperiendã spem, & canet ibi iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de terra Aegypti.

Apostoli mittendi uinitores?

Sicut exeũtibus Aegyptũ præmisit Mosen & Aaron, sic nunc pollicetur uinitores se illis missurũ, qui de ipso sint genere Iudæorum: apostolos scilicet & apostolicos ex Iudæis uiros multos, qui uineã ecclesiæ sanctæ toto orbe diffundendã plãtent & rigent, ut Paulus & Apollo, domino incrementũ dante. Et ubi erat in toto mundo uallis Achor cõturbationis & anathematis, ibi spes salutis aperietur credẽtibus per Euangelium Iesu Christi domini nostri. Deniq; sicut in exitu de Aegypto, trãsito mari Rubro, in prima uictoria populi dei, laudes domino cantatæ sunt, & in sequẽtibus sæpe uictorijs: sic conuerso orbe ad dominũ, Israelitis quoq; ueris domino manifestato & credito, mœror totus uertetur in gaudium, & cantiones spirituales in cordibus fideliũ resonabũt, nõ iam in templo Iudaico, sed in toto orbe Christiano.

16 Et erit in die illa, ait dñs: uocabit me, Vir meus, & non uocabit me ultra Baalim.

Christus ecclesiæ sponsus.

Ea fidelium Israelitarũ ecclesia, audito salutis & gratiæ euangelio, tanta fiducia amoris diuini cognita per uerbũ dei, filiũ incarnatũ & traditũ pro peccatis, non ultra regetur timore seruili ad dñm complacendũ, nõ ut prius Baal suum, hoc est, dñm appellabit, sed amabiliore uocabulo & synceriore, maritum suum & sponsum uocabit amicissimũ, quem solo syncero amore demereri cupiat non timore seruili. Odiet maximè omniũ idola quæ coluerat, ut memorias quoq; eorũ deleat & delubra.

17 Et auferã nomina Baalim de ore eius, & non recordabũtur ultra nominis eorũ.

Idola in obliuionem.

Nomina omnium idolorũ in obliuionem reijcientur, & idola sic cõfringentur & delebũtur, ut nulla ferè superstitio futura sint uestigia: sunt enim in toto mundo deleta. Vtinã non nouorũ diuorũ nomina & imagines successissent in ecclesia, quas prisci patres ecclesiæ primitiuæ usque ad Hieronymi & Epiphanij tempora, multa solicitudine curarũt delenda: quas, ubi in quæstũ uersa est pietas, & uerbũ domini neglectũ, antiqui hostis fallacia postliminio reduxit, cum infinitis incommodis fidei & externorum rituum atq; morum in ecclesia sancta.

18 Et percutiã cum eis fœdus in die illa cum bestia agri, & cũ uolucre cœli, & cum reptili terræ, & arcum, & gladiũ, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter.

Pactum nouum.

Nouum pactũ inibit tunc dominus, & testamentũ nouum, cum noua ecclesia ex gentibus & Iudæis collecta, ut habitet lupus cum agno, Gentilis cum Iudæo, eodem sensu & spiritu agnoscent dominũ, & adorabunt uerè ac dignè, una tantũ charitatis lege contenti, à qua lex dei pendet & prophetæ, qua seruata bella cessabunt omnia, & arma bellica cõflabũtur in uomeres, & summa in tranquillitate fideles in domino exultabunt, & fiducia certa in dominum iugiter perfruentur.

19 Et sponsabo te mihi in sempiternum, & spõsabo te mihi in iustitia & in iudicio, & in misericordia, & in miserationibus,

20 & sponsabo te mihi in fide, & scies dñm.

Pro sponsalibus istis nouis noui fœderis & testamẽti, non necessariæ erũt ceremoniæ, nec Mosaici tabernaculi, nec Salomonici templi. Vt quid, tunc dicet, mihi multitudinem uictimarũ? &c. sed pendebit fœdus & sponsaliorum contractus nouus & sempiternus, nulla correctione indigens in uera iustitia, summa diligentia colenda, fide scilicet in dominum deum nunquam intermoritura: & in iudicio, ut iuste & tranquille uiuamus cum proximo, beneficentia mutua charitatẽ exercendo, non tantũ uerbo & lingua, sed in cõmiserationibus multis, dum mutuũ donamus errata, ut nobis dñs quoq; & pater filijs suis peccata remittat. Hæc sunt enim ueræ fidei fructus, sine quibus uera fides non est, qua colitur deus, & proximus amatur in deo, sicut Christus amauit nos. Et scies dominũ. Tunc autẽ Israel cognoscet dñm, cum non suũ tantũ & Iudææ dñm intelliget, sed per eos toti mundo creator & prouisor uidebitur, quando à maximo usq; ad minimũ erũt à deo docti, omnes humero uno dominũ agnouerint, & præter deum unum uerum & patrem nullum coluerint uel inuocauerint.

Nouæ sponsalia.

21 ¶ Et erit in die illa: exaudiã dicit dñs, exaudiam cœlos, & illi exaudient terram.

Si hoc modo fideles domino adhærebũt, & sic despondebuntur animæ piorũ Christo, saluatori animarũ, non dubium quin bona omnia spiritualia & corporalia effluxim exuberabunt electis. Si enim fideles domino adhæserint, obedierint, sese commiserint plena fide, & responderint uotis domini dei sui, ipse quoq; dñs cœlestibus imperabit corporibus, cœlis & astris, & salutaria cuncta inuehẽt motu, calore & influentia, à domino gubernanda ad suum nutum. Cœli quoq; exaudient terrã, rorem & pluuiã, & cætera terræ cõmoda suis quæq; temporibus ex ordine deferent & influent summa fide.

22 Et terra exaudiet triticũ & uinũ, & oleũ, & hæc exaudient Iezrahel.

Terra quoque respondebit per omnia iactis ab homine seminibus seminarijs, & omnibus inde nascituris fructibus aptissimã se præbebit, ut ad omnem sufficientiã fideles habeant uictum & amictũ, & his sint domino largiẽte contenti. Omnia autem terrena ista non ad alium nobis usum donantur, quàm ut domino seruiamus fide & charitate, quod nemo agit nisi per semen domini iactum in corda fidelium, quod hic dicitur Iesrahel: semen scilicet dei, cuius fructus germinãt in salutem à dño seminati, nisi si superueniẽs inimicus homo noctu zyzania superser-
mat, errores scilicet fidei & morum.

23 Et seminabo eam mihi in terrã, & misericordiam quæ fuit Absq; misericordia. Et rebor eius quæ fuit Absq; misericordia, Et dicam, Non populo meo, Populus meus es tu: & ipse dicet, Deus meus (es tu.)

Epilogus uidetur esse præcedẽtis ꝓphetiæ. Seminabo mihi, ait dominus, huiusmodi agrum, ecclesiã electorum ex Iudæis & gentibus congregandã. Et misercbor eius gentis quam abieceram in gentes, & quæ clementiam meam sua ingratitudine offenderat, ut ei nequaquã misereri debuerim sua culpa, qua excesserit omniũ gentium impietates, ei tamen propter ueritatẽ meam & patrum fidem reconciliabor, etiã eius quæ dicta est, Non populus meus gentilitati placabor: ut per misericordiã saluetur, & gratiam tanto tempore expectatã in filij meritis suscipiant, & inserantur naturali oliuæ, ut pariter oleum clementiæ nanciscantur, & pariter in ecclesiam unicam adunati cõfiteantur me dominum deum suum, quem uitæ innocentia & iustitia fidei semper colant. Hoc loco allegant Iudæi quendam Rabbi Eleazar dicentem: Non relegasset deus Israelem inter gentes, nisi ut proselyti augerentur unius dei cultores.

¶ CAPVT III.

1 ET dixit dñs ad me, Adhuc uade, & dilige mulierẽ dilectã amico & adulteram: sicut diligit dñs filios Israel, & ipsi respiciunt ad deos alienos, & diligũt uinacia uuarum.

iubetur propheta cõsequentia quadam breuissimi sermonis, et ideo obscuri sed elegantis, ut adhuc diligat adulterã mulierem, uti prius amauerat fornicariã: nihil aliud significãdo quàm dei dilectionẽ in filios Israël gratuitam, cum tamen ipsi interim non cessent ad deos alienos idolaq; respicere, & mueteratam malitiã perfidiæ suæ non deserere, sed amare & admirari creaturas conditore neglecto: non uinũ uetustum & optimũ gustare, sed uuas non recentes, sed ueteres: uana scilicet sectari, non sacra. Tale aliquid arbitror significare amatores doctorum uuarũ. Hieronymus dæmones interpretatur, qui lapsi de propria dignitate, et nihil antiquæ gratiæ possidentes aridi sunt, & ueteri siccitate marcentes.

Dilectio dei ad Israe lem.

2 **Et (comparaui) fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei:**

Conduxi et comparaui mihi, ait propheta, ac merce de promissa obtinui, ut cohabitare mihi, nõ ut cum propheta dormiat, sed ut cõtenta mercede sua adulterare desistat, ne passim cæteris copuletur. Cõducitur autẽ quinque argenteis mulier, ut fortassis quindecim dies maneat cum propheta, & hordeo uescatur, uili cibo, non enim tritico digna uidetur. Varia cõminiscuntur Iudæi circa numerũ quindecimũ, de quindecim Psalmis gradum, uel de quindecim diebus Nisan, quindecim iustis, uel quindecim dies quibus Moses pro reconciliandis instetit ad dominũ illos educendo ex Aegypto. Quibus responderi nũc possit, non iniqua sententia, sed illis nimiũ bene nota, quindecies centũ annis duraturã suã captiuitatẽ, quibus fruitis agnoscent, sed nimis tarde, suã perfidiam, & Christi mysteriũ. Gomor secundum Hebræos trigintaq; sata, Letech uero dimidio tantum, quæ faciunt iuncta quadraginta nouem, multo quidem cibo satis, sed uili & bestiali. Doctrina fortassis notatur Thalmudica, cũ cæteris friuolis dogmatibus et fabulis, quibus hactenus miseri Iudæi instituũtur à puero, ne canonicã scripturã cœlestẽ mannam in sua suauitate gustent. In huiusmodi locis sine offensione pius Lector ingreditur. Merces, in summa, est quã, plibidine aliquantisper satianda adulter spondet ut cohabitet: sic impios quoq; dño assidẽtes, ne peccent in grauioribus, non sine mercede dimittit clementia dei.

De numero quindecimo.

Thalmud.

3 **& dixi ad eam, Dies multos (assidebis mihi) expectabis me: nõ fornicaberis, & nõ eris uiro: sed & ego (expectabo) te,**

Nec alijs amatoribus turpiter te prostitues, nec mihi uiro, à quo conducta es, legitime coniungeris. Ac ne putes factã tibi iniuriã, ut me expectes, quandoquidem & ego te diutissime expectaui, multis certe annis. Sedet ita que populus Iudæorũ post aduentum dñi saluatoris, uiri sui expectãs aduentũ, qui dũ adesset eidẽ, placere fastuosis Iudæis nõ potuit, ob humilitatẽ & paupertatẽ, qui in suo Messia nihil nisi suã gloriam & diuitias desiderant. Non quidẽ idolis seruiendo Israël fornicatur, cũ id non possit, dño tamen nõ probatur, nec illi coniungitur, quia Messiam occidit filiũ dei, & Christũ domini. Vir quoq; sedet, imò expectat adulteræ pœnitẽtiam, ut postq; plenitudo gentiũ intrauerit, et nouissimus crediderit Israel

Israel sine idolis.

superstes, is qui fuerat caput uertatur in caudam, et cauda in caput perueniat, ut tũc fiat unus grex & unus pastor, pactumq; fœderis seruetur, quod habet, ut tu meus sis populus, & ego unicus deus tuus.

4 **quia dies multos sedebũt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine (statua) altari, & sine ephod, & sine theraphim.**

Plurimi certè dies sunt mille quingenti ferè anni, ex quo Israel totus sine rege et principe, sine sacrificio & ara, sine summo sacerdotio, & oraculis quibuscunque, misere sedet, imò non sedet, sed de loco ad locum propellitur, nusquam habens stabile domicilium, uitã suam improbo commertio & dura seruitute redimens, exosus omnibus, & omnes odiens.

5 **Post hæc reuertentur filij Israel, & quærent dominum deum suum, & Dauid regem suum, & pauebũt ad dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum.**

Reuertentur tandem dño uocante per uerbum suum clarum fidelibus Christianis, quod ipsi nõ sine uelamine legere possunt, & tamen non intelligunt. Nõ quidem à Dauide uocabũtur uel redimentur illi, ne Messiã sibi ad huc in carne mortali uenturũ augurentur qui cõuocet, sed eum qui Dauid rex, id est Messias hic dicitur, flebiliter ipsi tandem quærent, et inueniẽt regem suũ: hoc est, iamdudum regnantem in mundo agnoscent, & ad eum diuertent, ut illi subdantur, sub illius alis & protectione trãquille uiuere sub sua uite possint, in terra domini dei sui. Hoc uero nõ fiet, nisi prius dominũ deũ quæsierint, illius gloriã & laudem ex scripturis sanctis intelligant, quid de eo digne sperandum & credendum sit, quomodo digne et in spiritu colendus sit, et regnũ Christi quod æternũ necessario est sicut & uniuersale, nõ possit esse corporeũ, & spirituale cultũ præferant corporali. Tũc expauescent ad iudicium graue & iustũ dñi dei sui contra seipsos, qui fieri potuerit, ut tanto tempore gloriam Christi nõ uiderint, et iustitiã dei, quæ ingratissimos homines, et prophetis dei semper incredulos merita pœna affecerit, et ueritatẽ suam iamdudum uindicauerit, perficiendo quæ promiserat. Tandem quoq; conuersos ad dominũ, & Christo subiectos, non spernet illos deus patrum suorũ, sed adfluenter bonis omnibus consolabitur. Sunt qui caput hoc interpretentur cum Iudæis de captiuitate Babylonica & felici reditu sub Zorobabel.

Reuersio ultima Iudæorum.

¶ CAPVT IIII.

1 **AVdite uerbũ domini filij Israël, quia iudicium domino cũ habitatoribus terræ: non est enim ueritas, & non est misericordia, & non est scientia dei in terra.**

Sermo propheticus ad Israëlem, breuibus planè & zelosè exponens uitia populi quæ Ieremias et Ezechiel eadem sæpe et multis eloquerẽtur uerbis et parabolicis: non frustra iratũ dominũ tam grauia minari, & inferre supplicia, quia hoc iudicij ueritas & æquitas, & gentis corruptio exigat, ut qui tam impij sunt, à dño graui-

puniantur uel sint puniẽdi. Clamat igitur ardẽter & si deliter ad filios Israel, ad ecclesiã dei, ut uerbũ dñi dei sui nõ surda aure dissimulẽt, exhortãdo eos ad resipiscẽtiã, & ad morũ emendationẽ, quãdoquidẽ posthac dñs nolit tam corruptissimos mores in suo populo ferre, sed rigide inuadere impios decreuerit, iam nunc & nequaquã resiliturus sit à cœpto iudicio suo, ueraci & iusto: uelit enim ulcisci crimina, quibus conspurcata sit gens quam ad sanctimoniã elegerit. Iudicio ergo cõtendet dñs cum Israelitis, & uult exponere illis causas urgẽtes indignationis suæ in eos, quæ sunt magnæ & multæ. Et iam non protrahit propriã causam idololatriæ, in qua ab Achas tempore et prius enormiter peccauerãt, sed ueluti perfidiam in deũ interim dissimulãs, improperat malitiã quã humanã iustitiã cõculcãt, ut qui fortior sit & seuerior, is maior & superior, ut quæ libeãt possint. Cessauit enĩ ueritas, ut mendacijs frater fratrẽ decipiat, perfidiã in uerbo & opere ad imposturas cõponant, ut mutuũ sibi credere non possint, sine rerũ famæq; periculo: fœdera nõ sint fœdera, sed causæ crudelius & cautius nocẽdi. Nõ est probitas & amor boni & iusti, fastũ quisq; suũ, luxũ & quæstũ promoueri cupit, per fas & nefas, cum iniuria ac detrimẽto aliorũ: interim pauper innocẽs, uerus, simplex & pacis amãs iacet, opprimitur & cõculcatur. Et scientia dei nõ est in terra. Causa tanti mali est, qa sacerdotes et pphetæ, reges, principes et populi deũ ignorare uolũt, de illius ueritate et iustitia, de præceptis & lege dei audire nolũt, minimè reuerẽtur: dixerũt in corde suo, Nõ est deus, et si sit, sup cœli cardines ambulat, nõ nostra cõsiderat: sectari uolumus nostras cupiditates, alligari diuinis legibus nõ uolumus, nescimus dñm, sicut et Pharao dicebat. Nõ aliter uiuitur q̃ si nullũ esse deum certo sibi persuasissẽt, sic omnia iniquitate cõfunduntur, ut nõ sit qui uindicet uel indoleat uicem piorũ.

Contentio dei cum Israelitis.

2 Maledictũ & mendaciũ, & homicidiũ, & furtum, & adulteriũ inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.

Execrationes & falsa iuramẽta absq; horrore fiũt per nomen omnipotẽtis dei, quem nõ uerentur, quia nõ credunt. Mendacio cõtaminantur colloquia in cõtractibus & familiaria, ut qui cui credat uel quid non inueniat, dum aliud sentitur, aliud pronũtiatur: homicidiũ fit sine horrore talionis, sine uindice magistratu: bella nõ urgentia suscipiuntur, pro auro & rapinis, proq; fauore uel odio: furtũ non reputatur in crimen, si nesciatur, & grue sit, secus si paruum & à pauperibus admissum, tunc enĩm exiciale est, & dignissimũ furca: fraudatq; fama et rebus qui potest proximũ suum: adulteriũ sine legum timore cõmittit, qui potentior est & peruicatior. Hæc autẽ crimina non uulgari modo succreuerunt, sed inundarunt, & uniuersos hominũ ordines perruperũt, eatenus statũ ecclesiæ corruperũt, ut qui se murũ opponat et correctorẽ inueniatur nemo. Sãguis sanguinẽ tetigit, uix potest scelus sceleri cedere, impietas obtruditur impietati & uincitur: innoxiorũ sanguis effunditur, & sine legibus uiuitur: omnia cõmiscẽtur iniurijs uerborũ & operum, nouis criminibus ueteres cumulantur.

Peccata Iudæorum.

3 Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, & in uolucre cœli: sed & pisces maris congregabuntur.

Terra ipsa tãtis malis oppressa, quæ ferre nõ sustinet, Pœnæ peccatorum. aliter nõ expiabitur q̃ habitatores impios euomẽdo, uel recusando uictũ & necessaria ministrare impijs dei contẽptoribus, cui ipsa diligẽter obseq̃tur & seruit. Lugere aũt terrã, est præ hominũ inertia raritate & solitudine nõ coli, nõ calcari, nõ germinare optima quæq;, dũ pauci fiũt coloni, dũ fame, peste, gladio truncãtur habitatores, dũ bestias nõ alit, dũ nõ frequẽtatur, dũ multa præbet & nõ est q̃ recipiat, dũ desolatur et culturã ab hominibus bonis nõ suscipit, dũ ornatu aërijs & aquarũ bestituitur, ut in antiquũ chaos redacta uideatur, qualis secundũ Hebræos fuit terra Iuda & Israel quinquaginta duobus annis, qualis Hieronymi tẽporibus uidebatur in Illyrico, Thratia, Macedonia, Pannonia, omnisq; terra à Propontide & Bosphoro usq; ad Iulias alpes, ubi hominibus & iumẽtis cuncta caruerũt. Nostro seculo eadem uidẽtur et plura. Plura aũt timẽtur, ppediẽ à Turcis infera mala Christianis dũ tãta crimina deus ferre nõ põssit, ut allegorico sensu uane occupemur dũ literã palpamur, mittit qd' populus, ut correctionis locus eis ablatus sit.

4 Veruntamen unusquisq; non iudicet, & nõ arguet uir: populus enim tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti.

Cum igitur in tãtis sceleribus perseuerẽt, & impudẽti deũ fronte cõtemnant, nõ est tamen quisquã qui arguat flagitia, qui dñi timorem docere uelit uel audeat. Totus enĩ populus eò cõtumaciæ impudẽtiæq; pueuit, ut nihil pudeat eũ, nolitq; corrigi à sacerdote, uerbũ dñi audire recuset, pphetas letali odio psequatur, ut nemo audeat monere ad uirtutes & pietatẽ, quin æquè sacerdos cõmittit qd' populus, ut correctionis locus eis ablatus sit.

5 Et corrues hodie, & corruet etiã prophe ta tecũ nocte, & tacere feci matrẽ tuam.

Quia tales estis, ideo sine dilatione corruetis, nõ fraude Diabolica cõsilia uel insidijs aut clãculo, sed clara luce ducemini in ca ptiuitatem. Non solũ aũt populus, sed & prophetæ mendaciorũ, & deceptores timidi aut cõsentientes, nobiscũ meritò corruent magna ex parte, quorum si qui residui fuerint captiui ducentur, idq; noctu perficietur, quia in angustijs multis abducentur, & in tenebris captiuitatis & exilij in exteras hostium regiones. Sic enĩm tota frequentia & populus synagogæ, mater scilicet cum filijs conticescet, cum tam Ierusalẽ quàm Samaria cũ oppidis & uillis silebunt, sine hominibus bestijs & iumentis in maxima solitudine constituta: quin & si me rogauerint pro uenia, non audiam, quia minimè conuertuntur.

6 Cõticuit populus meus, eò quòd nõ habuerit scientiam, quia tu scientiam repulisti, repellã te, ne sacerdotio fungaris mihi, & oblita es legis dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego.

Obmutuit gens mea & conticescit, æterno silentio, legem meam nõ audiens neq; legens, ideo mei ignorantia adfectata laborat, nõ uult enĩm scire uoluntatem meam, uocatq;

Iudæi muti. uocata iniuſt & præuaricationis cõuicta, nõ habet quid reſpondeat, abominata eſt enim ſcientiã uiarũ domini, exuit oẽm bonũ ſenſum. Quid ni ergo abijciatur à dño & cõtemnatur, quæ uerbum dñi abiecit blaſphemat ac abominatur? ut poſt hoc non ſolũ non ſit gens ſancta, ſacerdotalis populus, & regale ſacerdotiũ, ex cunctis electus populus, uelut peculiaris deo, ſed & ſacrificia ſua nõ ſuſcipiã, cultũ templi auferã in totũ, quia hæc omnia ſine fide qua carent placere non poſſunt. Et ſicut obliti eſtis & ſpreuiſtis legẽ dñi dei ueſtri, ſic ego ueſtri obliuiſcor, & non ſolũ ueſtri, ſed filiorũ quoq; ueſtrorũ, non memor ero amplius, & in hunc quem nunc ſtatũ tenetis reſtituemini nunquam. Qui enim ignorat ignorabitur. Quia enim neſcierũt & non intellexerunt, in tenebris ambulant, & lux dñi illis non amplius lucebit &c.

7 **Secundũ multitudinem eorum ſic peccauerunt mihi: gloriã eorũ in ignominiam commutabo.**

Vt auctus numero eſt Iſrael & diuitijs, ſic aras paſſim multas extruxerũt, diuorũ quidem nominibus, ſed reuera illis, qui ea affectant contra dei gloriã & cultum, dæmonibus, in quorũ uictimis peccauit mihi. Ideo gloriam eorum in qua ſibi gloriabãtur, & idola ſua quæ domino præferebãt uel æquabant, cõmutabo in ignominiam, ut & ſacerdotes illi capiantur, & populus.

Sacrificia improbo rum.

8 **Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatẽ eorũ ſubleuabũt animas eorum.**

De ſacerdotibus & ſacrificulis in ſpecie, & improbis impoſtoribus dicit. Sacrificia pro peccatis populi immolant ſacerdotes, & ex eis nutriũtur, ideoq; abutuntur ad ſuam libidinẽ peccatis populi, ut etiã oblationes crescant pro peccatis, quæ in ſe recipiũt recõcilianda apud deum addẽdo occaſiones peccatis ad peccata, ut ſic exhauriant populũ, quem ueluti panẽ deglutiũt, cõſentientes ſceleribus delinquentiũ, non ſolũ non arguendo, ſed blandiẽdo & palpãdo, indulgentiaſq; ſed pro pecunia promittendo, more modernorum Romanenſium.

9 **Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos: & uiſitabo ſuper eum uias eius, & cogitationes eius reddam ei.**

Aequaliter ergo populus & ſacerdos indignantis dei ſententiam ſuſtinebunt, pares enim in iniquitate ſimili quoq; pœna plectẽtur. Sacerdos enim nequam facit populum facinoroſum. Viſitabit ergo & puniet nõ ſolum opera, quæ uiæ hominũ et cõſuetudines dicũtur, quibus ingreduntur, ſed & cogitationes quibus ut talia agerẽt tractauerũt media & cõſilia oportuna. Non ſolũ enim opus, ſed & cogitatio mali operis pœnas luet.

Inſõmoda idolatriæ

10 **Et comedẽt, & nõ ſaturabũtur: fornicati ſunt, & nõ (proficient) ceſſauerũt, quoniam dñm dereliquerũt in (non) cuſtodiendo.**

Qui omniũ bonorũ largitorem cõtemnit, non mirum ſi uictu fraudatur ſufficiente, ut comedat quidẽ, ſed non ad ſufficientiã. Sine benedictione enim domini ſunt, qui dominũ non uerentur. Commoda multa ex idololatria quærent, ſed pauca & nõ diu accipient, ut uires quoq; perfidorũ hominũ in fornicatione deficiunt, cum fornicandi deſideriũ nõ quieſcat. Fornicatæ ſunt tribus Iſrael & Iuda, & reliquerunt dominũ ſuum, non cuſtodiẽdo quæ iuſſerat, dicens: Dominũ deum tuum ſolum adorabis, & ſoli illi & nulli alij deo uel diuo ſeruies.

11 **Fornicatio, & uinum, & ebrietas auferunt cor.**

Sententia eſt, ſicut & alias ſæpe cõſueuit inſerere eruditus & elegãs æque ut pius propheta, Sicut uinum & ebrietas eum qui biberit mentis ſuæ impotẽ facit, ita & fornicatio ac uoluptas peruertit ſenſum, animumq; debilitat ac ſtolidum reddit, & de rationali homine brutum efficit animal. Cumq; ita cor ſuũ loco motũ fuerit, facilẽ omnẽ religionẽ poſtponit & cõtemnit, deos ſibi fingẽs ad libidinem more ueterũ: quicquid gratius amplexabitur, hoc colet, ſectabitur, & adorabit pro deo. Sententia egregia.

12 **Populus meus in ligno ſuo interrogauit & baculus eius annunciauit ei: ſpiritus enim fornicationũ decepit (eos) & fornicati ſunt à deo ſuo.**

Amor quidẽ uinũ & delitiæ corda multorũ capiunt: populus autẽ meus ligno & baculo capitur, ſtultiſſima conditione ſcortationis. Sicut & uirgarũ commixtione Nabuchadnezer uſus eſt diuinando, dum iret cõtra Ammonitas et Ieruſalẽ. Cauſa aũt huiuſmodi amẽtiæ & ſtultæ diuinationis & fornicationũ ſpiritualiũ, eſt ſpiritus deceptor abſtrahẽs homines à dño deo ſuo. Fornicationẽ aũt idololatriã uocari creberrimũ eſt et uehemẽter accomodũ in ſcripturis. Quotidie quoq; qui nõ cuſtodiendo legẽ & ſcripturas ſanctas dñm derelinquũt, inſaniũt & inebriantur, ac fornicationis ſpiritu poſſidentur. Stultitia Iudæorũ.

13 **Super capita montiũ ſacrificabãt, & ſuper colles accendebãt thymiama: ſubtus quercum & populũ, & terebinthũ, quia bona erat umbra eius. Ideo fornicabuntur filiæ ueſtræ, & ſpõſæ ueſtræ adulteræ erunt.**

In lege præceperat dñs non ſacrificari debere ſibi niſi in loco quẽ elegiſſet, in quo lucus & arbores nõ plãtentur, ne uoluptuoſa religio, & ſenſibus grata oculorũ uel aurium & tactuũ, maturitatẽ unius & ueræ religionis euertat. Ecõtrario Iſrael ſacrificabat in mõtibus & collibus, incẽſum adolebat ſuauiſſimũ, quia enim excelſum deũ amiſerat, terræ excelſa quærebat. Et mentis pietate euacuatus lenocinia ſenſuũ perquirebat. Nõ his diſſimiliter in Chriſtianorũ tẽplis factũ eſſe nemo inficiabitur, ut delicatior religio excogitari nõ potuerit, pro omniũ ſenſuũ oblectamẽtis, cum interim cõfitemur deũ ſpiritũ eſſe ac ſpiritualiter colendũ. Fidẽ enĩ & deuotionẽ negligẽtes, ceremonijs et ſenſuũ noſtrorũ libidine, aſpectu auri, argẽti, imaginũ, colorũ, ramorũ & odorũ florum, cantuũ et organorũ pro dei uero cultu fruebamur, ſicut hic Iudæi umbrã quærẽtes perdiderãt ueritatẽ. Dum uerò foris in mõtibus Iſrael fornicatur cum idolis, iuſto dei iudicio filiæ eorũ & ſponſæ domi parẽtibus abſentibus fornicãtur cum ſcortatoribus et adulteris: id quoq; nos uidimus uſu cõtigiſſe in Chriſtianorũ ſupplicationibus. Excelſa Iudæorũ prohibita.

14 **Non uiſitabo ſuper filias ueſtras cum fuerint fornicatæ, & ſuper ſponſas ueſtras cum**

adulterauerint: quoniam ipſi cum meretricibus (ſecedebant) cõuerſabantur, & cum effœminatis ſacrificabãt, & populus non intelligens uapulabit.

Fornicationes Iudæorum.

Cum fornicarentur filij Iſrael à deo ſuo, cum idolis in excelſis foris, filiæ eorũ & ſponſæ uel nurus abſq; omni uindicta domi quoq; fornicãtur, quibus illud nemo poterit imputare. Huiuſmodi enim diſcunt à parentibus, & in cultu deorum ſceleſtes homines & ſuperſtitioſi: cum ſcilicet mariti neglectis domi uxoribus, cũ meretricibus uadunt ſacrificatũ in ualles & ſyluas ad lucos paratos & exquiſitos prope delubra in mõtanis, ut ibi comedãt bibãt & libidinẽtur: ſicq; depereat omnis honeſtas, uerecundia, pudicitia, ſanctimonia, ut ratio quoq; ipſa & communis ſenſus à libidine ſuperetur atq; ſubuertatur. Quomodo autẽ populus qui ſic uiuit & corrũpitur, ut beluas ſuperet ſtoliditate, non corrueret & uapularet? Quanquã & hæc quoq; deſertio dei, cum impius populus traditur à deo in deſideria cordis eorũ, in immunditiam, ut cõtumelijs afficiãt corpora ſua &c. grauis uaſtitas eſt uindicta & punitio dei, cum impune malignari ſinuntur & pollui criminibus: dei ultio fit ex emendationis deſperatione proueniens horrendo iudicio dei.

15 Si fornicaris tu Iſrael, non delinquat (ſaltem) Iuda, & nolite ingredi in Galgala, & ne aſcenderitis in Bethauen: neq; iuraueritis, Viuit dominus.

Idololatria diſſuadetur.

Si ſemel, ô Iſrael, errore deceptus es, ut uitulos colas et excelſa adeas ſacrilegio impij Ieroboã initiatus, ſacerdotes tibi excelſorũ eligens, qui dediſſet pecuniã, & regi placato muneribus probatus eſſet, ſaltẽ tu Iuda, qui Ieruſalem habitas & poſſides, habesq; ex lege Leuitas, & exerces tẽpli ceremonias, nõ debes ſororis tuæ Oollæ in fornicatione exẽpla ſectari, & cũ ea idola colere. Non ingrediaris in Galgal, in qua Saul inũctus eſt in regẽ, in qua primo caſtrametatus eſt populus, promiſſam terrã ingreſſus ſub Ioſue, & ſecũda circũciſione purgatus, à quo tẽpore locus ille ſacer habebatur celebris, ubi excelſum extructum frequentabatur à Hieroſolymitis, & Iudæis cæteris. Et ne aſcẽdatis in Bethauen, quæ dicebatur prius Bethel, domus dei. Poſtquã autẽ uituli illuc poſiti ſunt, appellata eſt à ſanctis prophetis Bethauen, domus iniqtatis. Cumq; idola colatis, & ſitis impij, dño ueſtro immorigeri, nõ credentes, ſaltẽ ne in dei noie iuretis, ne ſacroſancto nomini eius faciatis iniuriã, uſurpãdo illius nomẽ in iuramẽtis, cuius nõ creditis ueritatẽ et iuſtitiã.

16 Quoniam ſicut uacca laſciuiens declinauit Iſrael: nunc paſcet eos dominus quaſi agnum in latitudine.

Sicut enĩ uacca uel buccula laſciuiẽs & abijciẽs iugũ: ita Iſrael declinauit à dñi ſeruitute. Sic quoque non poſt multos hos dies in cãpo latiſſimo Aſſyriorũ et terra ſpacioſa, quaſi agnus in latitudine paſcetur: hoc eſt, in Medorũ et Perſarũ terrã ducetur, palabũdaq; errabit, luporũ rapacitati obijcietur, et boni paſtoris patiẽtia excluſa apd' exteros et impios populos ad interitũ paſcetur.

17 Particeps idolorũ Ephraim dimitte eũ.

O Iuda, quia, ut uides, Ephraim, id eſt regnum & populus Iſrael, ſemel idolorum amicus & particeps factus eſt, et impietatis ſuæ merces illũ manet eximia grauiſq; captiuitas, dimitte eũ, ne exemplũ ſequaris improbæ ſororis, ne uel tu deſeras dñm, nec idololatriã illius apprehendas, ne ſimili pœna mulcteris in exiliũ relegandus.

18 Separatum eſt conuiuium eorum, fornicatione fornicati ſunt: dilexerunt afferre, ignominiam protectores eius.

Iſraelitarũ ſacrificia, cibus, cõuiuia, cõmeſſatio & crapula, iniqua ſcilicet ipſorum religio, aliena eſſe debet à tua, recedẽdũ tibi eſt ab illa. Illi enim idolis ſuis ſeruiũt, dæmonibus immolãt, quotidie fornicãtur, & amãt fornicari, imò principes & protectores eius, id eſt reges, dilexerunt ignominiã inferre populo ſuo. Symbolũ proprium inſtruũt à quo tu te abſtrahere debes. Vicio enim principum infelix populus ſuſcepit cultũ idolorũ, quorũ immundus ſpiritus ligauit Iſraelẽ in alis ſuis, et eum libere uolitare nõ patitur. Cõfundẽtur igitur in ſacrificijs ſuis ad ignominiã principũ ſuorũ. Vani enim uanis, & inanibus inanes copulantur. Studio enim ſuo Iſrael in cultu idolorũ nõ ſectatus eſt gentiles, ſed ad ſui potius imitationem omnes præiuit, & erroris uiam monſtrauit.

19 Ligauit eum ſpiritus in alis ſuis, & confundentur à ſacrificijs ſuis.

Nihil agũt idolorũ cultores quãm uentũ in ſinum claudere ridiculoſo ſtudio & impoßibili opera. Huiuſmodi eſt eorũ religio ſupſtitioſa, qui quæ ſibi neceſſaria eſſent uel cõmoda, idolis uel uanis offerũt ſacrificulis idolorũ, unde nullã experiãtur utilitatẽ, ſed meritã confuſionẽ ac pœnitẽtiã dũ ſe fruſtra ſua diſtraxiſſe nimis aliquãdo tarde ſenſerint, ſi tamen aliquando ſentire poſſunt.

¶ CAPVT V.

1 AVdite hoc ſacerdotes, & attendite domus Iſrael, & domus regis auſcultate: quia uobis iudicium eſt, quoniã laqueus factus eſtis (ipſi Miſpa) ſpeculationi, & ſicut rete expanſum ſuper Thabor.

Ad ſacerdotes totius populi Iſraelitici, et ad illius principes pariter ſermo eſt increpatorius, qui cũ corripere & regere ex officio errãtes deberẽt, uerbo doctrinæ, et poteſtatis autoritate, quam uelut cõſules regũ habebãt, & regis palatiũ frequentabãt, deq; religionis ſtatu & iuſto iudicio decernẽdo ad populum, diſcernẽdi officio fungerẽtur. Ipſi uerò traditionibus humanis, & legibus grauibus illaqueabãt plebẽ, ut in multis offendẽtes caperentur ad ſuum cõmodũ, & ad uulgi iacturã nõ modicã, ut reuera nõ ſpeculatores & principes dicẽdi fuerint, ſed uenatores, quales multi ſolent in mõte Thabor inſidiari auiculis innocẽtibus, ad ſuã gulã & libidinẽ ſatiandam. Eſt aũt Thabor mons Galileæ in cãpeſtribus ſitus, rotundus atq; ſublimis, & ex omni parte finitur æqualiter. Ad uos loqtur ſermo dei, durũ uos manet dei iudiciũ, q infideliter fungimini ueſtro officio, in perniciẽ et grauamen cõmiſſi uobis populi, quẽ uos decipitis nõ dum eitis, occiditis nõ ſeruatis, laqueo capitis quos ueſtro pericnlo

riculo eximere debebatis, rete expanditis eis, quos ut speculatores de longe commonefacere iussi estis.

2 Et uictimas declinastis in profundum, & ego (castigator) eruditor omnium eorum.

Victimas suas hi sacerdotes uitulorum alienis dijs offerebant, & populum declinare docebant à domino deo suo, more adulterarum, quæ inescantur officijs et donis: quo in suo studio profundauerunt eatenus, ut continuo peiores fierent, & impostoris suis detinerent infelicem populum. Hos, inquit, dominus, ego omnes ad unum corrigam, & subdam disciplinæ, ut sese emendent, ne perdere cogar, si nõ se emendauerint, tam sacerdotes quàm populum, cum principibus.

Victimæ impuræ.

3 Ego scio Ephraim, & Israel nõ est absconditus à me: quia nũc fornicatus es Ephraim, contaminatus est Israel.

Nolite arbitrari magnitudine sceleris uos à me penitus recessisse et à me negligi irato. Ego scio Hieroboam, à quo seductus est populus, & omnes reges successores eiusmodi regiminis & criminis, scio etiam populum qui illos uolens secutus est, uitulos aureos adorãdo, & domum Dauid spernendo, à diuino ac legitimo cultu præuaricãdo, parémque impietatem pari studio compleuerunt, fornicando à deo, & idolorum spurcitijs sese contaminando.

4 Non dabunt cogitationes suas ut reuertantur ad deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum, & dominum non cognouerunt.

Spiritus fornicationis, qui operatur in filijs diffidẽtiæ, sic corda illorum possidet captiua, ut reuerti nolint, & non possint ad dominum. Obliti sunt enim creatoris sui, & dilexerunt creaturas magis quàm deum, cordiũ suorum adinuentiones sectati sunt diligentius quàm legem domini, quam proiecerunt retrorsum. Instituerunt enim religionem peregrinam idola erigendo ad cultum, per omnia impie uiuendo, & sacrificijs expiando uelle seruire mihi aliter quàm præcepi.

Fornicationis spiritus.

5 Et respondebit arrogantia Israel in facie eius, & Israel & Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet etiam Iudas cum eis.

Quicquid igitur contra dominum tentauit Israel, remilietur eius contumacia, ut populus & reges iniquitate sua pariter corruãt & infirmẽtur, ut qui fortes erant in scelere, infirmi ad dominum redire cogantur. Id non solum decem tribubus accidet ut capiantur, sed etiam Iudæ, id est, duæ tribus, quorum imitantur scelera imitantur & pœnam.

Respõdere in faciem.

6 In gregibus suis et in armẽtis suis uadent ad quærẽdum dominũ, et non inuenient: ablatus est ab eis.

7 In domino præuaricati sunt, quia filios alienos genuerũt: nũc deuorabit eos mensis cum partibus suis.

Tam Iudas quàm Israel post stragem Assyriorum in tota terra decẽ tribuum & regni Iuda residui pauci ibunt cum gregibus & armentis ad dominum requirendum,

Pauci reliquiæ.

ut quem præuaricationibus offenderant, hostijs placare nitantur, non autem inuenient quem requirunt, quia à recedentibus & ipse discessit, ut illorum uictimis nõ delectetur: præuaricati sunt enim à domino, nec deo filios suos genuerunt, sed dæmonibus, quibus illos consecrauerunt, & per ignem transducendo lustrauerunt uel combusserunt temporibus Achas & Achab, quorum temporibus frequenter damna plurima & grauia ab Assyrijs pertulerunt. Statim ergo & non post multum temporis Assyrius aduenier atq; Chaldæus, deuorabitq; nõ solum filios, sed etiam hæreditarias portiones suas, quas ad funiculum distributionis à domino acceperant possidẽdas. Per singulos fere menses hostis aduenier, & donec totam uastauerit non desinet.

8 ¶ Clãgite buccina in Gabaa, tuba in Rama: ululate in Bethauen, post tergũ tuum Beniamin.

Denunciatur uicina captiuitas alio sermone, regni Israelitici. Vult autem omnes audire qui in circuitu sunt, ideo claro auditu opus esse, Clangore scilicet buccinæ, quæ pastoralis est, & cornu recuruo efficitur. Tuba uero de ære efficitur, uel argento, qua in bellis & celebritatibus concrepabant. Gabaa autẽ & Rama sunt in tribu Beniamin, uicinæ Hierosolymæ. In Bethauen autem ululatu opus est, quia uicina ei captiuitas imminet. Dicitur autem post tergum Beniamin, quia uersus septentrionem & orientẽ, quia à facie dicitur pars meridionalis.

Captiuitas prædicitur.

9 Ephraim in desolatione erit in die correptionis: in tribubus Israel ostendi fidem.

Regnum Israel quod dicitur Ephraim, in desolatione erit, instatq; uicina captiuitas. In die correptionis atque supplicij decem tribuũ Israel, ostendi mea fidelia uerba, quæ per pphetas cõminatus sum, ut quod sermone prædixeram opere cõprobarem, internetionẽ cõminando, quã et exhibebo certissimè. Nõ enim uana est promissio legis. Si audieritis, bona terræ comedetis, &c. Perspicue enim omnibus patebit, quàm uerus sit sermo dei, ut sine respectu personarũ Israele perdito Iudam præstoletur, donec iustam peccatorũ mensuram etipse compleuerit.

Regnum Ephraim.

10 Facti sunt principes Iuda quasi transferentes terminum: super eos effundam quasi aquam iram meam.

Ductis Israelitis in captiuitatem, principes Iuda qui dolere illorũ uicem debuerant, & suos ad pœnitentiam cohortari, ne æque perfidos similis pœna opprimeret, cogitare ceperũt de rapiendis sibi hæreditatibus Israelitarum, & de dilatãdis suis terminis. Comminatur igitur eis dominus per prophetã Assyriorum uel Babyloniorum aduentum, qui ueluti aquarũ impetus occupabit Iudæam, ut iram domini pro peccatis ipsi quoq; sentiant. Transferunt principes Iuda terminos, quos posuerũt patres eorũ, sub Iosue, dum aliarũ tribuũ sibi sortes rapere deliberant, deniq;, quãdo immutant mẽdacio ueritatẽ: & aliud nunc quoq; episcopi ecclesiarum, ut dicit Hieronymus prædicant quàm ab apostolis acceperunt.

Rapere fines fratrũ.

11 Calumniam patiẽs est Ephraim, fractus iudicio: quoniam cœpit abire post sordes,

Opprimitur Ephraim ab Assyrijs impijs, populus domini ab alienigenis, iniqua quidē uoluntate hostiū, sancta autē prouidentia & iustitia dei, pro tanto calumniā passus, quia peioribus se aduersarijs conceduntur in rapinam, & iudicio hostium cōculcatus & confractus dicitur Ephraim, é sedibus paternæ hæreditatis eiectus. Hanc autē iniuriā patitur iuste, quia à regibus & falsis prophetis seductus abijt post idola, & dominum dereliquit, aureos uitulos fabricando & colendo.

12 Et ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Iuda.

Sustinentia dei. Quomodo tinea uestimēta cōsumit, putredo autē & caries lingna longo tempore, sic deus Israelē & Iudam suffert longo tempore, & admonet ad pœnitentiā ac salutem, cuius tamen lōganimitate, ipsi sibi nō cessant thesaurisare iram in die ire. Primus igitur consumptus est Ephraim, deinde domus Iuda, reseruato tamen de Iuda, cui reposuit dominus, & qui esset expectatio gentium.

13 Et uidit Ephraim languorem suū, & Iudas (plagā suam) uinculū suū, & abijt Ephraim ad Assur, & misit ad regē (Iarib) ultorē, & ipse non poterit sanare uos, nec soluere poterit à uobis uinculum (plagæ.)

Auxiliū dei petendum. Intelligens Ephraim infirmitatē roboris sui, & exercitus paruitatem, & Iudas quoq; uinculū, quo cum decem tribubus peccato fuerat colligatus, non à deo qui soluere poterat, sed à rege Assyriorū quæsiuit auxiliū, sub rege Israel Manahen, sub Achas uero ipse Iudas. Qui rex Assyriorū uindex dicitur & Iarib, quia uirga furoris diuini ad tempus ordinata à domino, suo quoq; tempore comburenda. Quin Ephraim captiuus ductus est in Persas et Medos, à quibus aduersante deo liberari non potuit, nec uinculū soluere captiuitatis. Iudas enim frustra aduersus duos reges Assyriorum auxilium flagitauit, quandoquidem multa hominum millia rex Israel eo non obstante occidit de tribu Iuda.

14 Quoniam ego quasi leæna Ephraim, & quasi catulus leonis domui Iudæ: ego ego capiā & uadā: tollam, & nō est qui eruat.

Iudiciū dei ualidum. Ostendam quàm uobis me aduersante omne hominum auxiliū uanum sit. Ero enim ipsi Ephraim fera crudelissima, indignationē meā grauem effundā in regnū Israel & Iuda. In leæna uel panthere, Assyriorū regnum contra Samariā, in leone contra Ierusalem, aliquanto post tempore fortißimum regnum ostenditur Chaldæorum. Omnia autē hæc fient quidē malitia regum, & utriq; populorum, istis patientibus, illis impugnantibus, iusto tamen iudicio dei, cui seruiunt hominum quantumlibet peßimæ prauitates. Ipse dominus est, qui malū omne in ciuitate facit, sed benefacit & bonum. Ipsius uoluntate sancta, diripitur Israel, transfertur captiuus, conflagratur templum, auferuntur ceremoniæ, & nemo eripere potest quenquam de manu domini, si ipse decreuerit quempiam iudicare secundū sua peccata.

15 Vadens reuertar ad locū meū: donec defeciatis, & quæratis faciem meā. In tribulatione sua mane consurgent ad me.

Locum dei, magnificentiam & maiestatem eius debe mus accipere, ut nequaquam pro dispēsatione humana uel pro locali motu descendat ad homines, irascatur, mi sereatur, obliuiscatur, fiatq; quasi panther leo uel ursa mis, sed res sic spernat humanas, ut permittat eos, imò agat, ut quos antea protegebat, postea hostibus pijciat, nec ut tabescāt deficiāt & intereāt, sed postea quærā faciē domini, & dicāt, Illumina faciem tuā & salui erimus. Sinit interim suos dñs perturbari uarijs tentationibus, in quibus aliquoties recessisse ab eis uidetur, & ipsorum curā & gratiā negasse, dum aduersa uidentur omnia, & consolationis spes nulla occurrit. Hoc aūt fit à dño, ut quærāt dñm tanto ardētius, & faciē illius lumiles et anxij quærāt. Id igitur uerbo dñi edocti, & consolatione promissionū in scripturis animati, sciant in huiusmodi angustia certa fiducia implorandā illius clementiam, & sine cunctatione uel dilatione aut quocunq; impedimento, non ad alium, sed ad se recurrendū esse, hoc est enim diluculo anxium uenire ad dominum.

CAPVT VI.

1 Venite & reuertamur ad dñm: quia ipse cœpit, & sanabit nos: percutiet, & curabit nos.

Sic fideles anxij dicunt in corporalibus & spiritualibus angustijs fatigati, qđ & prophetæ temporibus, dum paßim ab aduersarijs Syris, Assyrijs, Moabitis & Babylonicis crebro infestarētur, caperētur, occiderētur. Nihil, inquiūt, aliud nobis sic afflictis egenōq; est, nulla idolis sacrificia immolāda, nō armis res exigenda, non humanū præsidiū inquirendū ab infidelibus, sed redeundū nobis est ad dñm anxijs, qui in prosperis recesseramus à timore illius cultu & legibus, & ab omni iustitia, ne iudiciū & æquitatē, quam uult dñs, faceremus. Cogitandū nobis est, à quo nobis inflicta sint hæc aduersa, quòd tot cōfringimur malis, & præda exponimur hostibus: & ut ad nos redierimus, uidebimus planè à dño deo nostro, à quo recesseramus, inflicta nobis hæc incōmoda esse, ut semel cōmoniti, qui in prosperis de eius uolūtate minimè cogitabamus, regrediamur ad illū, qui solus quæ inflixit uulnera iterū sanare potest & uult, sic enim promisit, sic consueuit. Ipse unus est qui percutit & castigat populū suū, & omnē filiū quem diligit.

2 Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & uiuemus in cōspectu eius.

Per aliquot quidem dies adfligit nos, sed iterū sanabit & incolumitati propediē restituet, post dies calamitatū harum iterū succurret, et ueluti mortuos, uitæ restituet. Die aūt tertio, hoc est sine dilatione, dū maximè dolemus, restituet nos plenè incolumitati, ut salui et lati corā eo uiuamus, et grati cōplacere illi optemus, & cauere ab omni illius offensa, neminē postea respicere dignati deorū, sed ad illius legem uitā nostrā instructuri.

3 Sciemus, sequemurq; ut cognoscamus dominum, quasi diluculū præparatus est egressus eius, & ueniet quasi imber nobis, temporaneus & serotinus terræ.

Multa hactenus ignorauimus, dum legem tuam nolue non

non didicimus uel nesciuimus, & ex ea bonitatis tuæ o-
Ereditio ex pera nõ considerauimus: nunc autẽ uexatione & disci
adueſis. plina tua eruditi, scimus te solum deum & patrem no
strum esse, castigatorẽ & medicũ: ideo posthac te solũ
quæremus, & scientiã uiarũ tuarũ, quam prius noleba
mus, nunc diligẽtius sequemur & amplectemur, certi
quod nobis posthac placidus, serenus ac lætus occurres,
non aliter quàm dum sol aureus in aurora progreditur,
& omnia exhilarat, solatur, cõfortat & perficit, sic pa
ratus & obuius mihi erit aduẽtus tuus. Veniet quoque
statim & succedet uelut imber tẽporaneus, quẽ sperare
non audebã, influxus gratiæ & cõsolationis & benefi-
ciorũ tuorũ, quo ariditas terræ nostræ tarditas animorũ
nostrorum & duritia cordis & deuotionis irrigabitur,
& secundabitur ad fructus spiritus & uitæ.

4 Quid faciã tibi Ephraim? quid faciã tibi
Iudaꝫ misericordia uestra quasi nubes ma
Vtendum da uita. tutina, & quasi ros mane pertransiens.

A generali cõsolatione, qua tunc quoq; Israelitæ spe-
cialiter doceri et institui debebãt, reuertitur ad populũ
dei filios Israel. Quos quidem uellet quammaximè cõso
lari & perfectè deũ sequi, colere & secundũ legẽ scire,
& habere præ oculis: sed ut id nõnunquã incipiant non
tamen perseuerant. Sæpe tentata est per prophetas &
reges reformatio status Israelitici, & ueræ religionis ce
pta sunt exordia per Iosaphat, Ezechiã, Iosiã, item per
Eliã, Iehu & alios. Sed quid facio uobis Israel & Iudaꝫ
quomodo succurrere posſũ morbo sæpius sanato, et sem
per redeuntiẽ probitas & beneficẽtia uestra est ueluti
nubes matutina, ad horã durãs: & sicut ros mane quidẽ
consurgẽs, sed ad solis statim radios diffugiẽs, sic subitò
uestra disparet iustitia, quia ueræ fidei humore carebat
in tam indisposita terra semen uerbi prophetici.

5 Propter hoc dolaui in prophetis, occidi
Effodetur deus suis. eos in uerbis oris mei, & iudicia tua quasi
lux egredientur.

Nunc sequũtur dei iudicia propter huiusmodi leuita-
tem uestrã, & fidem momentaneã, relapsumq; frequen
tem, grauem & pernicioſum. Laboraui & cõmoneſeci
per seruos meos prophetas, quos mittebã & mitto, ma-
milias & magister, nihil obmittẽs quod ad uestrã emen
dationem proficere sperabã: qua in solicitudine & dili
gentia mea non paucos prophetas misi ad uos, quos non
ignorabam à uobis occidendos, illorũ uitæ non parcens,
uolens remediũ ferre uestræ perfidiæ, emollire duriciem
ceruicis uestræ uerbis oris mei, quæ uobis dicenda &
proponẽda mandabã, si quo modo iustitia fidei in uobis
creſceret, & opera ueræ iustitiæ in uobis prodire cõtin
geret, & clarior aliquãdo appareret iustitia, uel uestra,
si cõuerteremini ad bonã mentẽ, uel mea, si contumaces
& parricidas inuaderem plagis multis.

6 Quia misericordiã uolui, et nõ sacrificiũ,
Sacrificia ingrata. & scientiã dei plus quàm holocausta.

Si quãdo ad horã reuertebamini ad me, uerbis prophe
tarum uel uerberibus hostium admoniti, sacrificijs qui-
dem multis placare me incipiebatis, & demereri fauorẽ
meũ ceremonijs gratulatorijs, cum ego nõ illa, sed pro-
bitatem, iustitiã, æquitatẽ, fidem, timorẽ, ueritatẽ & be
neficentiã mutuã exigerẽ: hæc sunt enim sacrificia qui-
bus oblector, quæ exigo, ut discernetis facere uoluntatẽ
meã, & scire me solũ deũ, puro & fideli corde colendũ,
nõ enim holocaustis oblector nisi fideliũ. Fides est enim
& cognitio uera mei, quam respicio & amplector.

7 Ipſi autẽ sicut Adam transgressi sunt pa-
ctum, ibi præuaricati sunt in me.

Israel autẽ & Iudas nõ aliter egerũt quàm primus ille
Adam, qui cum mandatum accepisset leue & salutare, Inobedientia
adhærẽdi mihi et obsequẽdi, uno tantũ fructu abstinẽdi, hominũ ad
cum liberũ fecisſem illi de reliquis omnibus edendi, ipse deum.
pactũ illud trangressus est, tanto ardẽtius desiderãdo ue
tita, quãto arctius prohibueram. Sic uos nihil magis am
plecti cõsueuistis, quàm quod maximè mihi displicet, et
cum tot ceremonias uobis ad placitũ uestrũ cõcesserim,
uos nõ cõcessas ardẽtius sectamini: ut quæ odi omnia uo
bis placeãt, & quæ mãdaui, toto animo refutetis: cũ to
ti in hoc sitis, ut præuaricetis leges meas, & ex aduerso
mihi incedatis, & quæ maximè mihi grata sunt minimè
perficiatis: & sacrificia quæ odi, paſsim offerre uelitis.

8 Galaad ciuitas operantium idolum, sup
plantata sanguine.

Trans Iordanem in terra Galaad urbs quoque Galaad Ramoth
erat, Leuitica & refugij, in qua non solũ Iehu sanguinẽ Galaad.
sanguini miscuit iniqua uoluntate domino obsequutus
sine fide uera & timore dei, sed ad suam libidinẽ & glo
riam, regem occidẽdo, regnũ fortaſsis ante tempus inua
dendo, & nimiũ crudeliter criminoſos damnando, cum
ipse impius esſet, & dominũ non timeret: & eadem in
urbe Ramoth Galaad idololatriã quoq; erexerãt, quam
propheta ex spiritu dñi uehementer deteſtabatur. Sicq;
propter utrunq; flagitium breui sentẽtia maledicit Ga
laaditis, idololatria turpi & sanguinis effusione cõspur
catis deprauatis et peruersis. Præuidebat enim prophe
ta illos Galaaditas cum socijs primum capiendos, & ad
Assyrios deportandos in exilium.

9 ¶ Et quasi fauces uirorũ latronũ, partici-
ceps sacerdotũ, in uia interficientiũ (pergen
tes) ad Sichem: quia scelus operati sunt.

Contra sacerdotes prophetalis correptio est, ad hunc Sacerdo-
sensum, quem Hieronymus ab Hebræo didicit, quem & tes Bethel
hodie Iudæi tenẽt & docẽt. Sacerdotes Bethel, imò sana impij.
tici Bethauen obseruabãt ueluti latrones uias, ut fideles
deuotos ascendentes ad sacrificandũ Hierosolymis spo-
liarent, & uelut hamo piscatorio implicarẽt suis erro-
ribus, & retinerent in sacrilego cultu uitulorũ suorũ. Id
autẽ agebant cõmuni cõsensu & societate impij sacer-
dotes, similes latronibus habentes lacertos & humeros,
hoc est uires percutiẽdi, & scelus operãdi præ alijs, qui
ad innocẽtiæ studiũ plebem uerbo & exẽplo reuocare
debebant. Vel id dicũtur egisſe, quãdo per Sichem, quæ
postea dicta est Neapolis, Israelitis cundũ esſet Ieruſalẽ,
ubi solũ licebat uictimas immolare. Ibi occidebant pios
& scelus operabãtur. Id quoq; fit semp, dũ impij sacer-
dotes populi, aduersantur uero dei cultui, propter suum

quæstũ, ut etiã sine horrore neci tradere pios uerbi dei cultores audeãt, religionis prætextu, quã minime habẽt.

10 In domo Israël uidi horrendum: ipsius ibi fornicationes Ephraim, contaminatus est Israël.

Habet hic propheta breues sed acres correptiones criminosorũ, ut consequentiam sententiarũ singularum inuestigare & sectari sensui genuino repugnet. Scelus horribile improperat domui Israël, de quo tota terra horrere uehementer posit. Lapsum scilicet Israël in idololatriam, & dominum deum suum post tot beneficia prodidisse, tamq; abominandam fedamq; idolorum culturam enormiter & supra modum horrendam à tempore Ieroboam, qui primus rex de tribu Ephraim uitulorum fornicationibus conspurcauit Israëlem.

Lapsus Israelis.

11 Sed & Iuda pone messem tibi, cum conuertero captiuitatem populi mei.

Cum ego cogitarem benefacere Israëli, & sub Ieroboam nepote Iehu restituissem illi terrã à Syris ablatam, etiam Iudas irritauit me, & exorsus est sibi messem sub Achaz, plantauit plantationem perniciosam, & mercedem sibi reposuit mali operis, quem suo tempore recipiet, nõ multo postea tempore ducendus in Chaldæã, sicut propediẽ Israël in Assyrios est capiendus. Videmus breuissimis duabus sententijs Osee dixisse, quod Hieremias & Ezechiel postea prolixis orationibus, dum urgeret necessitas, tractauerunt latis paradigmatis et exemplis.

Cõparatio huius prophetæ ad alios.

¶ CAPVT VII.

1 CVm sanare uellẽ Israël, reuelata est iniquitas Ephraim & malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium, & fur ingressus est, spolians, latrunculus foris.

Vituperat Israelitas apud quos studiũ dei nihil proficiebat: semper enim ad ingeniũ redibãt prophetas nõ audientes. Cũ ait populũ meũ Israël sanare conatus sum nõ solum olim in exitu de Aegypto, sed etiã alijs uicibus mittendo prophetas insignes, & claros magnis miraculis, Moſen, Samuelẽ, Heliã, Eliseũ, Esaiam, & cæteros, patefacta semper magis ac magis est improbitas & perfidia illius, peiorq; subinde euasit, et regni illius, Samariæ scilicet malitia semper creuit. Operati sunt enim tam rex q̃ populus mendaciũ & perfidiã contra dominũ & legem eius, mendaciũ contra uerbũ domini, intus & in cõscientia perfidi, sine fide in dominũ, foris aũt summa impudentia, interdiu in syluis, noctu aũt in domibus spolia prædasq; agentes, fures etiã intra urbẽ impune insidiantur, & occulta fraude decipiũt, latrones audacter aliena diripiũt. Vt sic Israëlitæ domi et foris, in conscientia et foro perfidiã sectarentur, qui semel domini timorẽ abiecerãt.

Prophetarũ missio.

2 Et ne (forte) dicant in cordibus suis omnẽ malitiam, eorum me recordatum: nunc circundederunt eos adinuentiones suæ, corã facie mea factæ sunt.

Sic exciderunt Israëlitæ à fide & iustitia, ut nequaquã cogitent uel credant in cordibus suis, etiã si loquantur, nosce me, & in recenti habere memoria speciali

Perfidia Israelitarum.

prouidentia & omniscientia mea omnes eorũ malitias: credunt enim me nescire iniquitates illorũ, ideo inuolati sunt & circundati adinuentionibus suis, pleni sunt & onusti iniuria in proximos, & perfidia nefandam dominũ. Quæ certè digna uindicta mea non carebunt, iusto meo iudicio exposita & cognita punientur: æquitatẽ enim uidet uultus eius, id quod suo tempore sentient.

3 In malitia sua lætificauerunt regem, et in mendacijs suis principes.

Exultauerunt in rebus peßimis, et in impietate regi Roboam cõsentiendo per omnia: lætificarunt ipsum, cum potius sacrilegis ausibus illius, cõfisi in domino, resistere debuerint, & diuinis legibus potius obedire, quàm humanis traditionibus cõtra legem dei. Et mendacijs suis prophetæ falsi, & populus insipiens lætificauerunt principes, primores regni, omnes una malitia & perfidia contra dominum excæcati. Per omnia enim uulgus se principi conformare consueuit & assentiri.

4 Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente: quieuit paululum ab incensus à coquente: quieuit paululum ab incitãdo à commixtione fermenti, donec fermentaretur (totum.)

Rex principes, & populus recesserunt pariter à fœdere legis, quod est adulterari. Idololatria & iniquitatibus suis feruent ut clibanus succensus à pistore, ut panem coquant impietatis: qui excitato iam igne & ardente, quiescit aliquanto tempore. Paululum enim introducta idololatria cõquieuit Ieroboam, ne uim faceret populo, sed suæ cũ dimitteret uoluntati, donec fermentaretur in pietas & omnem peruasisset populũ pedetemim. Quid enim necessitate fit cito soluitur, quod sponte arripitur diutius perseuerat: hoc est quod dicitur, Desistit à subagitando, donec fermentatio compleretur.

Populus impius.

5 Dies regis nostri, cœperunt principes furere à uino: extendit manum suam cum illusoribus.

Hoc pacto populus applausit regibus Israëliticis. Tem Regibus pus hoc est felix regibus nostris, incumbendum nũc erit eis & principibus suis commessationi & uoluptati, expotibus feruescendum erit, & bibendũ principũ audacia à regibus erit adiuuanda, ut pariter omnes inepti&, & insoleſcant, populus gaudeat & principum notitiæ respondeat, nouiter institutam religionem uitulorum comprobando, dei lege post posita. Sic enim indulgentia regis & principũ populi corrumpuntur ad omne nephas.

6 Quia applicauerunt quasi clibanum, cor suum, cum insidiaretur eis: tota nocte dormiuit coquens eos, mane ipse succensus quasi ignis flammæ.

Acceßit populus faciliter uotis & solicitationibus re Deceptus populus gis & principum, feruorẽ impietatis suscepерunt in cor suum uelut clibanus succensus, alioqui propensi semper ad superstitiones lege prohibitas. Sic enim per insidias cepit affectus illorũ æstutus Ieroboam, et sequentium regum, qui talia à primo didicerant, ut sic in noctem ignorantiæ & errorum inducti, sensum omnem diuini timoris uelut dormiẽtes exuerẽt. Ab huiusmodi enim pistore iam

iam cor succensum erat, ut sponte iam curreret, quo regis uolũtas solicitabat, igne insaniẽtis libidinis ad idola noua toti ardentes ut flamma.

7 Oẽs calefacti sunt quasi clibanus, & deuorauerũt iudices suos: omnes reges eorũ ceciderunt, non est qui clamet in eis ad me.

Impietas regum & populorũ.

Postquam autẽ artificio iniquitatis abducti sunt à domino, ut eum amplius non timerent, uersus est calor impietatis populi in suos principes, & principum insania inuasit tandem reges, sic domino omnes puniẽte, donec reges quoq; suos occiderẽt, pretiũ impietatis retribuentes. Hoc enim in infelicissimo regno, quod dominũ abierat, in usum ferè receptũ erat, reges priores cum suis totis familijs extingui, tandem à principibus successiue occidi. Ea potissimum ratione, quia dominũ deum suum ignorare uolebant, & colere renuebant, tam ipsi quàm populus, quantumlibet crebro exhortati uerbis & miraculis dei, opera & officio prophetarum.

8 Ephraim in populis ipse cõmiscebatur: Ephraim factus est subcineritius panis, q non reuersatur.

9 Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit: sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit.

10 Et humiliabitur superbia Israel in facie eius: nec reuersi sunt ad dominũ deũ suũ, & non quæsierunt eum in omnibus his.

Pœna impiorum.

Pro hac impietate Israelitarũ, duro illos deus iudicio iudicauit, ut commixti fuerint inter gentes, ut quorum sacrilegijs participabant, eorũ crudelitatibus obijceren tur. Cõparatur etiã pastillo in furno cocto, quod subtus comburitur, & supra nõ pinsitur, si non uertatur ad ferorem caloris. Sic enim domino abominabilis factus est Israel, & gratiã gentiũ non inuenit, sed iram & exitiũ. Comederunt ergo Assyrij & Chaldæi fortitudinẽ eius, & quicquid habebat uiriũ deuorarunt: tantæq; fuit uecordiæ, ut deuoratũ esse se nesciret, uel perditionis suæ causam uoluerit ignorare, ideoq; usque ad senectam in cœpto errore permansit, & sese emendare nõ cogitat, utcunq; multis quotidie se incõmodis affici sentiat.

11 Et factus est Ephraim quasi colũba seducta, non habens cor: Aegyptum inuocabant, ad Assyrios abierunt.

Columba.

Comparatur Ephraim colũbæ amenti & insensatæ, sola hæc ablatos pullos nõ dolet, non requirit: sic regnum Israel per partes uastatũ populũ nõ sentit, sed negligens est salutis suæ. Cum homo pius simplex esse debeat sicut columba, & astutus quasi serpens, ut per simplicitatem nulli nocere uelit, nec aliorũ patere insidijs, sed hominẽ exhibeat temperatũ, cum prudentia absq; bonitate malitia sit: simplicitas autem absq; ratione stultitia. Aegyptios quidẽ externã gentem inuocabũt pro auxilio, qui dominum abiecerunt, ideo ab Assyrijs capientur, illuc exules pertrahentur, & in captiuitatem abibunt.

12 Et cum profecti fuerint, expandã super eos rete meum, quasi uolucrem cœli detraham eos, cædam eos secundũ auditionem cœtus (tenorem legis) eorum.

Vindicta dei.

Ostendit hic quoq; deus, quòd cõmutãtes loca oculos eius uitare nõ possumus, & semp dei regimur potestate. Cum, inquit, profecti fuerint in Assyrios, etiã ibi mihi uelint nolint subdentur, ibi quoq; extendã rete meũ: & si exaltati fuerint ut uolucres aquilæ, inde detrahã illos, non in perditionẽ, sed ut cædã uelut filios rebelles, non pœnarũ magnitudine, sed in timore, & suppliciorũ terroribus emendentur: & sicut iuncto consilio & consentiẽtes rex principes & populus idola fabricati sunt, ita me irato omnes pariter uastabuntur.

13 Væ eis, qm̃ recesserũt à me: uastabũtur, quia prꝛeuaricati sunt in me: & ego redemi eos, & ipsi locuti sunt cõtra me mendacia.

14 Et nõ clamauerũt ad me in corde suo, sed ululabãt in cubilibus suis: super triticũ & uinum ruminabant, recesserunt à me.

Contemptus dei.

Domus Israel recesserũt & resilierũt, & ueluti meticulosi prꝛeuaricati sunt in dominum, adorãtes uitulos aureos, relinquẽtes eum qui se redemerat ab Aegypto brachio excelso, ipsi locuti sunt cõtra dominũ mẽdacia, dicẽtes: Hi sunt dij tui Israel, & non clamauerũt ad dominũ in cordibus suis, sed in idololatriæ fornicationibus uolutabãtur, siue quia dæmonũ cultũ sequitur libido & luxuria: qui dæmones colebant consequenter instar porcorum in cœno libidinũ uersabãtur. Pulchre autem cantica colentiũ diuos & idola, nõ carmina sed ululatũ appellat, nec aliud in deo laudãt nisi beneficia eius, seipsos quærendo non deum. Quibus etiã temporalibus bonis donati à me copiosè, sic ut tritico & uino incumberent copiosissimè ruminãdo, indeq; seipsos pascendo, tamen corde & affectu suo recesserunt à me, contra me se uerterunt hominum ingratissimi & pertinacissimi.

15 Et ego erudiui eos, & cõfortaui brachia eorum: & in me cogitauerunt malitiam.

Ego quidẽ erudire eos uolui per prophetas cœlesti sapientia, robur cõtuli cõtra hostes ualidissimos, quorum regiones, urbes & regna illis cõtradidi, ut robori corũ resistere hostes non potuerint, ipsi tamen suas cõtra me erexerũt ceruices, & qd' solũ facere potuerũt, cogitauerunt cõtra me malitiã, nulla bonitatis meæ fiducia freti.

16 Reuersi sunt, ut essent absque iugo: facti sunt quasi arcus dolosus: cadent in gladio principes eorum, à furore linguæ suæ: ista subsannatio eorum in terra Aegypti.

Absq; iugo

Quomodo à principio fuerunt ante Mosen sine iugo, sic iterũ annitũtur irritare fœdus, & abijcere seruitutẽ meã, nationibus misceri, ut absq; iugo & frenis deferantur per præcipitia: et mutati sunt in arcũ dolosum, nõ dirigẽdo uota sua ad deum uerũ, sed per falsos prophetas quasi ab improbis sagittarijs à uero scopo abducebãtur. Vnde principes eorũ qui infelicẽ populũ deceperunt cadẽt gladio, ꝓpter furorẽ linguæ suæ, qua deos appellauerunt uitulos aureos, ut hoc agerent in ꝓmißionis terra, quod didicerãt in Aegypto. Vide si placet hoc loco Hieronymũ de mysterio corporis & sanguinis Christi loquentẽ more priscorũ non Parisiensiũ theologistarũ.

CAPVT VIII.

1 IN gutture tuo sit tuba quasi aquila super domũ domini, pro eo quòd transgressi sunt fœdus meum, & legem meam præuaricati sunt.

Aquila Assyrij.

Præcipitur prophetæ ut in gutture suo sit tuba ut uocem exaltãdo pluribus audientibus clamet aduenturum regem Assyrium & Chaldaicũ. Quasi aquila super domum domini, hoc est, ueniet Chaldæus, cũ suo exercitu, ultio domini dei super omnem terrã, & super domum suam, tam raptim & uelociter, ut aquilæ imitetur uolatum, festinantis ad prædã. Veniet autẽ ad Ierusalem, in qua templum dei est, ut destruat atq; subuertat: de qua aquila etiã Ezechiel. Veniet autem nõ aliã ob causam, quàm quòd transgressi sunt fœdus meũ, & meas ceremonias dereliquerunt, legem acceptã & sacrosanctam præuaricati sunt, & mihi subdi minimè uoluerunt.

2 Me inuocabunt, Deus meus cognouimus te Israel.

Tempore aũt angustiarũ obsidionis et captiuitatis me inuocabũt, et dicent, Deus meus cognouimus te, nos qui Israel appellamur, de familia Iacob, qui tibi placuit, sumus, & tu noster es dñs, quem inuocamus nunc necessitate adacti unicum & solum saluatorem nostrum.

3 Proiecit Israel bonum, inimicus persequetur eum.

4 Ipsi regnauerũt, & non ex me: principes extiterũt, & nõ cognoui: aurũ suum, & argentũ suũ fecerũt sibi idola, ut interirent:

Principum crimina.

Quibus respondet dominus, Quomodo uocamini Israel, cum proieceritis bonum uestrum, dominũ deum, à quo cognominatus est Israel, ideoq; inimicus uester Assyrius persequetur uos atque comprehendet, qui me rege deserto petierunt dari & præfici sibi regem, sicut & gentes reliquæ, & fecerunt cõtra uoluntatem dei. Propter quod & Samuel dura regis imperia illis expo suit, & filios eorũ & filias regibus seruituras prædixit, statueruntq; sibijpsis principes absq; meo cõsilio & beneplacito. Nec sufficit eis hoc scelus, quin argentũ suum & aurũ quod meo beneficio acceperunt in diuitias & ornatum, hoc in contemptum meum idolis cõsecrarunt & donauerunt, imò ex eis idola sibi fabrefecerunt, ut tot flagitijs mererentur tandem excindi. Licet autẽ Saul & Ieroboã de domini uoluntate prælati fuissent regno, & iussi regnare, sicut & Dauid, hoc tamen processit non nisi ex temeraria uoluntate populi, qui regem postulauerant, & non acquieuerant obedire illis, nisi dum eis placebat, Saulem indignè contempserant semel & iterum, Dauidem multo indignius tardéq; susceperant: proprio cõsilio sibi contra promissionẽ Dauidi factam, quam sciebant omnes, elegerũt Ieroboã, quem nondum sciebant ordinatũ ad uindicandũ peccata populi à domino, qui & magis ad Salomonis punitionẽ, quàm ex gratia aliqua surrogatus est.

5 proiectus est uitulus tuus Samaria, iratus est furor meus in eis: usquequo nõ poterunt emundari?

Hortatur habitatores Samariæ, imò totius regni populos, ut uitulos ad cultum prostantes abijciãt, super quos iratus sit dñs: illisq; nõ audiẽtibus cõuertitur ad alios, et quasi ad tertiã personã loquitur, Vsquequo nõ poterũt emundari? Quæ ista, inquit, insania est, cum offeratur toties locus pœnitẽtiæ, illos ad sanitatẽ nolle cõuerti?

6 Quia ex Israel & ipse est: artifex fecit illũ, & nõ est deus: quoniã in aranearum telas erit uitulus Samariæ.

Vitulus uitulo.

Exponit qui iste sit uitulus. Ex Israelis, inquit, præuaricatione emersit, non ab illis illum gentibus acceptis sicut Baal, Chamos & Moloch. Vos ipsi & rex uester Ieroboã, quod in Aegypto didiceratis, fecistis in Israel, deũ scilicet quẽ uos uestris manibus formastis, opus manuũ artificis adorãtes, stolidi & impij. Quomodo enim is deus uester esset, qui factus est à uobis? Contritione, fragmenta & sarmenta propediẽ erit uitulus ille uester deus Samariæ. Vel, secundũ Hieronymũ, ut aranearum fila dissoluuntur, ita is uitulus redigetur in nihilũ, ipsiq; uituli authores erunt Israeliticæ uastationis causæ.

7 Quia uentũ seminabũt, & turbinẽ metẽt: culmus stans nõ est in eo, germen nõ faciet farinã: quòd et si fecerit, alieni comedẽt eã.

Rebus uanis dediti fuerãt, ideo incidẽt tandẽ in tumultus magnos & pericula. Cõparat aũt uentо turbini & culmis nõ stãtibus: et si steterint, farinã tamen nõ habentibus: & si farinã fecerint, ab alijs deuorabitur. Sic enim uana sunt omniũ hominũ cõsilia, ut qui semel deũ uerũ deserũt, uanè omnia aggrediãtur, & omnẽ ludãt operã, qđ etiã Hebræis est Ventũ seminare, Turbinẽ metere, Manipulos carere farina, Farinã deuorari ab alienis.

8 Deuoratus est Israel: nũc factus est in nationibus quasi uas immundum.

Desijt esse populus et regnũ Israel, multis captiuitatibus succesßiue attenuatus, donec totus deficeret, et inter gentes spargeretur, magno opprobrio gentis & patriũ suorũ ac dei sui. Velut uas immundũ, inutile & abominabile, quod ueluti Iechonias in Ieremia dicitur, inhonoratum, cuius nulla est utilitas: sic enim mixtus est Israel idolis & nationibus, ut proprium nomen amiserit.

9 Quia ipsi ascenderunt ad Assur, onager solitarius sibi: Ephraim munera dederũt amatoribus suis.

Liber onager.

Factus iam Israel uas immundum, relicta fiducia in deum suum desertus & captus, pro auxilio impetrãdo tandem ascenderunt ad hostes Assyrios, imitantes onagrum solitarium, nequaquã ut oues pascendi à domino, sed abutentes carnis libertate, educti in exteras nationes, hominibus & idolis seruituri, quos propheta plangit munera frustra dedisse Assyrijs, & cõduxisse mercede amatores suos: de quibus Ezechiel, Omnibus meretricibus dantur mercedes &c.

10 Sed & cum mercede conduxerint nationes, nunc cõgregabo eos, & quiescẽt paulisper ab onere regis & principum.

Cumq; dederint dona gentibus, & mercede ad auxiliandum sibi cõduxerint nationes, cõgregabuntur ad purgandam

gnam, & uicti pariter abducentur. Paulisper aũt beneficiũ cõsequentur, ut nõ soluãt stipẽdia regibus & principibus, donec ueniãt in Assyrios, ubi nequaq; sub tributo

11 uiuent, ut liberi, sed in ultimã seruitutem redigentur.

Quia multiplicauit Ephráim altaria ad peccandũ: facta sunt ei aræ in delictum.

Aliud obijcitur crimen, est enim confisa oratio. Rex Ieroboam aras idolis extruxit, nimiũ multas, deinde reliqui reges addiderũt, nõ in quibus domino immolarent, sed in quibus peccatis peccata augerent. Ideo uertũtur eis in delictũ, ut quãto plures fuerint, tãto illius scelera multiplicẽtur. Deinde ut supra dixerat, Quid faciã tibi ô Ephraim? quid faciam tibi Iuda? uelut ambigens quo medicamine sanaret infirmum, & quibus consilijs peccantem retraheret ad salutem, inquit.

Aræ exstructæ.

12 Scribam ei multiplices leges meas, quæ uelut alienæ computatæ sunt.

13 Hostias offerẽt: immolabũt carnes & comedẽt, & Dñs nõ suscipiet eas: nunc recordabitur iniquitatis eorũ, & uisitabit peccata eorũ, ipsi in Aegyptum cõuertentur.

Sed quid prodest ultra alias leges scribere, cum cõtemptserit eas quas antè susceperit. An non cõtemptus dei est, quando me iubente ut unũ in Ierusalem esset altare, ipsi per omnes montes & colles idola fabricati sunt, quibus irritarent dñm? Altaria quoq; idcirco fecerũt, nõ ut mi

Studiũ uitæ humanum.

comederẽt & saturarẽtur, propter se magis quàm propter deum. Omne enim studiũ uictimarũ in eo habẽt, ut deuorẽt hostias, nõ ut per eas placeãt deo, nec suscipiet nec probabit eas, quas non illi sed suo uentri immolauerunt & gutturi. Vnum autẽ esse altare in ecclesia, & unã fidẽ, & unũ baptisma Apostolus docet, quod hæretici deserẽtes, multa sibi altaria fabricati sunt. Inter iniquitatem et peccatũ hoc interest iuxta D. Hieronymũ, quòd iniquitas ante legem, peccatũ post legẽ est. Et qui permanent in delictis, iniquitates eorũ dñs recordatur, quas ante legem cõmiserãt, ipsam nescientes: peccatorũ aũt nõ recordabitur, sed faciet ultionẽ, quia sciẽter mala cõmiserunt, quia in Aegyptũ reuersi sunt ad auxilia postulãda, uel illorũ deos colendo, quos prius coluerãt.

14 Et oblitus est Israel factoris sui, & ædificauit delubra: & Iudas multiplicauit urbes munitas, & mittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit ædes illius.

Templa deorum.

Israel obmisso & non curato dño deo suo, ædificauit delubra in excelsis, totos colles & montes ac umbrosas arbores, idolis cõsecrãs. Iudas quoq; intelligẽs Israelem à dei amore recessisse, & esse uisitata peccata eorum, non est conuersus ad dominũ, sed in urbiũ munitionibus confisus est, quas dñs destructurũ esse se dicit, & usque ad fundamentũ illius uoraturũ. Vtinã has cõminationes Christiani aduertissent, & nõ Iudæis etiã ipsis, ne dicam gentilibus superstitiosiores facti fuissẽt in ædificijs suorum diuorũ & ararum innumerabiliũ, ut etiã iactẽt se Romani, centũ aras esse in una æde diuo Baptistæ dedicatas, si tamen nõ sunt ut alia multa mentiti.

¶ CAPVT IX.

1 NOli lætari Israel, noli exultare sicut populi: quia fornicatus es à deo tuo, dilexisti mercedẽ super omnes areas tritici.

2 Area & torcular nõ pascet eos: & uinum mentietur eis.

Populus regni Israel, cum recessisset à domino, legem abiecisset, & idola colenda more gentilium suscepisset, recessisset q; in profundũ malitiæ, iactauit se ueluti apostatam à domino, unã gentem se factã cum alijs multis gentibus, & mixtam cæteris, iugum abiecisse creatoris. Propheta ergo corripit eos, & dicit: Ne gaudeas uel læteris, ne: te putes esse similem cæteris nationibus quæ aduersum tibi habes & senties deũ tuum. Aliter enim nescies deũ, aliter punitur recedens à deo. Quia seruus qui scit uoluntatẽ domini sui, & non facit eam, uapulabit multum. Mercedem fornicationis tuæ areas multas & torcularia reputasti, ut rerũ omniũ abundãtia fruereris: ideo area & torcular, triticũ uinumq; nõ facient: mentietur enim eis torcular, siue negabit uinũ suũ, nec tantũ reddent quantum optares uel indigeres.

Defectio Israelis.

3 Non habitabunt in terra domini: reuersus est Ephráim in Aegyptum, & in Assyrijs pollutum comẽdit.

Insuper post famem à domino offenso immissam, etiam habitatores terræ recedent de terra benedicta & optima, quæ domini terra dicitur, & ducentur in terrã alienam, ne habitẽt in ea quam suis idololatrijs & omnibus uitijs polluerunt. Aliqui enim ausugient in Aegyptum, uel illac captiui ducentur: alij in Assyrios ducentur, ut illic in miseria uiuant, & uescantur pollutis.

4 Non libabunt domino uinum, & nõ placebũt ei: sacrificia eorũ quasi panis lugentium: omnes qui comedent eum, contaminabuntur: quia panis eorũ animæ ipsorũ, non intrabit in domum domini.

Cum fuerint in Assyria uel Perside, absque altari & templo, nõ libabunt dño uinum, sed dæmonibus: & non placebunt ei qui libant dijs alienis, & idolothyta comedunt, & parentalibus intersunt, ubi cibus manducatur lugentiũ immundus, & polluens edentes. Nõ enim dño offerre gaudent, sicut nec dño placẽt, sed animabus suis, sibimetipsis, suæ gulæ, & suæ prouident uoluptati. Dño enim polluta non placent, nec suscipit sacrificia eorum, qui pertinaciter in suis peccatis persistunt.

Sacrificia dæmonibus facta.

5 Quid facietis in die solenni, in die festiuitatis domini?

6 Ecce enim profecti sunt à uastitate: Aegyptus cõgregabit eos, Mẽphis sepeliet eos: desyderabile argentũ eorum urtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum.

Cum à sæuissimo hoste captiui ducemini, quæ mea solennitas erit ait dñs? quam ego placabilẽ hostiã habebo? tunc enim me de meis hostibus Assyrius uindicabit, & iniuriæ modum ponet quam sustineo à filijs, quos digne flagellando tractabit: illisq; tacentibus filijs, dñs sibijpsi

respõdet, & diuinis oculis intuetur quæ facturi sint. Ecce, inquit, miseria & uastitate premẽtibus Assyrio atq; Chaldæo, captos ligare cupiẽtibus Israelitas, ipsi ad Aegyptũ confugerũt, ibi Memphis sepeliet eos, tunc Aegypti metropolis atq; No, quæ Alexãdria postea dicta est. Illuc enim profugi ueniẽtes occidẽtur, diripieturq; quicquid desyderabile secũ transtulerãt in argento et reliqs diuitijs. Ibi enĩ postea à Chaldæis sunt occisi. Vrtica aũt & lappa, uillas, tabernacula, & totã suã domi hæreditatem obtinebit longa solitudine uastandã, ut ubi domus fuerant & horti, ibi urticæ nascantur & spinæ.

7 Venerũt dies uisitationis, uenerũt dies retributionis: scitote Israel stultũ prophetã, insanũ uirũ spiritualẽ, propter multitudinem iniqtatis tuæ, & multitudinẽ amẽtiæ.

Prophetæ cõtempti.

Tempus uastationis eius populi, qui semp dño rebellauit ueniet, dies retributionis et iustæ uindictæ ô Israel. Nunc tua uerba cognosce, qui prophetã tibi uera dicentem in nomine domini, stultum, furiosum & insanum uocabas, & uirum spiritus, arreptitiũ scilicet & stulto spiritu inflatum. Vt patet de principibus Israel ad Iehu, Quid uenit ad te iste uesanus? Igitur propter multitudinem iniquitatũ tuarũ, qbus in scelere diu debacchatus es, non prophetam meum, sed te potius insanum esse cognosce, qui ad hoc laborasti, ut mea uerba calcares & odires. Intelligi quoq; potest de falsis prophetis quibus libentius credebãt, cum reuera uẽtosi essent & iniquitatum patroni, propter quas essent pariter puniendi.

8 Speculator Ephráim cum deo meo: propheta laqueus ruinæ factus est sup omnes uias eius, insania in domo dei eius.

Idcirco deus reges dedit et prophetas, ut speculatores essent, & curã habentes de populo dei, corripiendo delinquentes, & in uiã uirtutis & pietatis dirigẽtes, ipsi autem tam reges quàm prophetæ falsi, laquei facti sunt speculationi, & rete expansum magis innocẽtibus & pijs quàm impijs & immorigeris. Etiã populus Israel laqueus appellatur, propter insaniã idololatriæ, qua multi irretiũtur & corruũt in Bethel, ubi idolũ posuerunt, quod sciebant domino uehementer contrarium.

Laqueus Israel.

9 Profunde peccauerũt, sicut in diebus Gaba: recordabitur iniquitates eorum, & uisitabit peccata eorum.

Ab excelso domino deo suo in profundũ recesserunt, corruperunt uias & mores suos, in barathrũ impietatis sic demersi sunt, ut uincant etiã maxima olim gesta scelera, quale est quod factũ est in Gabaa, cum uxore Leuitæ. Ideo recordabitur iniquitatis eorũ, cuius nunc patientiã putatur oblitus, & uisitat peccata eorum & uulnera, quæ longo tempore cõputruerunt. Sacerdotes & prophetæ mali, speculatores perfidi sunt, & dicũtur laqueus tortuosus, scandalũ prauæ doctrinæ & cõuersationis, idola sensuũ & cupidinũ suarum proponẽtes simplicibus, ut domino non perfectè adhæreant, & suo ipsorum commodo seruire doceant.

10 ¶ Quasi uuas in deserto inueni Israel: quasi prima poma ficulneæ in cacumine

eius uidi patres eorum: ipsi autẽ intrauerunt ad Beelphegor, & abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.

Idolatræ & prophanatores.

Cum totus orbis desertũ esset, atque dei notitia in hominibus intercidisset & cultus legitimus, inueni uelut uuam domũ Israel ubi nõ solet crescere, ibi decerpsi & uindicaui mihi nõ satis adhuc maturã, sine ipsorũ meritis, eo scilicet tẽpore, cũ in initijs adhuc rariores auditis colligi consueuerũt. Sicut prima poma ficulneæ, in cacumine eius uidi patres ipsius. In Abraam enĩ, Isaac & Iacob inuẽtus est hic populus, & gratuito electus, ipsi aũt ex Aegypto liberati, statim cũ Madianitis & Moabitis fornicati sunt, ipsorũ ritibus idola colẽdo, cõtra recens datũ mandatũ illis à dño redemptore. A quo abalienati sunt, & cõfusioni suæ astricti, hoc est idolo sacrilego & turpi, ut nõ minus domino abominati fuerint & exosi, quàm idola ipsa, quæ contra dominũ amauerunt. Habet tamen etiã hunc sensum litera. Secundũ amorẽ quo eos amauerã dum eligerẽ ex multis populis, iam nunc mihi facti sunt abominabiles, dum cogor uidere eos sic auerti à me, & leges contemnere meas, ac agere studiosè quod maximè detestor. Quanto magis quoq; amabam, tanto magis sese mihi abominabiles reddebant. Ad uerbũ est enĩm, Erunt abominati secundũ amorem eorum.

11 Ephraim quasi auis auolauit, gloria eorũ à partu, & ab utero, & à conceptu.

Totus hic propheta est uelut cõpendiũ sermonũ, quos posteriores prophetæ latius explicarunt, Israeliticũ ve gnum & populũ cõparat aui auolanti de nido suo, degeneranti à maiorũ suorũ ingenio, à parentũ fide & pietate. Quorũ gloria nõ sit à propria uirtute & pietate, sed tameũ quia sanctorũ & deo dilectorũ & probatorũ patrũ filij sint, quos olim deus elegerat, & promissis magnificis affecerat, propter quos & benefacere filijs statuisset. Alioqui populus ipse malus erat semper, ingratus, rebellis, dureceruicosus, & ab utero natiuitatis suæ improbus ac indisciplinabilis: quos tamẽ eos perpetuò & semper dẽis immeritos licet, nõ tamen eos perpetuò & in finem laturus, sed à suo quoq; nido ut auicula pullis omnibus orbanda auolaturos & capiendos.

12 Quòd si & enutrierint filios suos, ablsq; liberis eos faciam in hominibus: sed & uæ eis, cum recessero ab eis.

Auxit quidẽ eos in filios, & numero multiplicauit, sed ob malitiã suã orbauit eos, & eiecit præ alijs hoibus, diuiraq; improbos sæpe seruitute distraxit, attenuauit, occidit. Omnino enim uæ eis, & ultima quoq; maledictione infelices crũt Israelitæ dũ ab illis recessero, si & pro accipiatur. Vel, Incarnatio mea ex eis, quemadmodum Græcorũ quidã transtulerunt, nõ absq; ratione & probabilitate. Cum enĩ illis saluberrima esse debuerit uerbi dei incarnatio, gratia redemptionis per Messiã promissa dudũ, tempus uisitationis suæ: ipsi sua incredulitate, fastu & cõtemptu uerterũt eam, quo ad eorũ multos, in maximã infelicitatẽ animarũ suarum & corporũ, sibiipsis, qui id egerũt & filijs suis, quos eadẽ maledictione

aſpergi coram Pilato non formidauerunt, quam & fe-
runt iam tanto tempore ſine ſpe liberationis, niſi con-
uertantur ad dominum.

13 Ephráim, ut uidi, Tyrus erat fundata in
pulchritudine: & Ephráim educet ad in-
terfectorem filios ſuos.

Alius aphoriſmus, uel ſeorſum poſita ſentẽtia, tamen
ad idẽ tendens. Qualis olim fuerit Ephraim aliter expli
cat, id eſt, populus Iſrael. Tam pulcher erat Iſrael, &
ſic uidebatur dei omnipotẽtis & pij uallatus præſidio,
ut Tyrus mari cingitur, uel ſcopulus aliquis duriſſimus
in terra fixus, omnes contemnit procellas, & de turbi-
nibus uentiſq; non curat. Educet autẽ iudiciũ dñi pro-
pter peccata ad captiuitatem filios ſuos, & in regna di
ſperget & hoſtes, qui occiſioni ut ſeruituti ſubdãtur.

14 Da eis domine: quid dabis? Da eis uul-
uam ſine liberis, & ubera arentia.

Sterilitas Israelis.

Aliud dictum prophetiçũ contra Ephraim, ſi his quæ
deus pro benedictione donauit male abutantur, & in
contrariũ quàm ab eo data ſunt cõuertãtur, expedit ut
auferantur. Ephraim autẽ gloriabatur de conceptu, de
partu in utero, & multitudine filiorum, ideo prophe-
ta non tam optãdo quàm prædicẽdo, dicit: Da eis dñe
quod dabis, quod ſcilicet merẽtur, exiliũ uel paucitatẽ.
Vel intelligitur ut ſibi ipſe reſpondeat, Quid dabis eis?
& infert ſtatim: Da eis ſterilem uuluã, & ubera ſine la
cte uel arentia, auſer ſuperbiæ eorũ cauſas, ut nõ in ſua
multitudine, ſed in gratia & fauore tuo gloriẽtur. Me-
lius eſt enim filios nõ habere, quàm ſine uirtute habere,
& tam miſerè toto orbe contemptibiles & oppreſſos
uel etiam occidendos ut merẽtur, tamq; domino deo ſuo
immorigeros, & degeneres à uirtute maiorum.

15 Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia
ibi exoſos habui eos: propter malitiã adin
uentionum eorum de domo mea eiciam
eos: non addam ut diligã eos, omnes prin
cipes eorum recedentes.

Galgali ſua pertinio.

Propheta infeſtus uidetur Galgali, ob cultũ inſignem
idoli, ob loci quoq; ſuperſtitionẽ, quia ibi quoq; tanq; in
religioſiori loco regnũ auſpicati fuerant, quod eis nõ be
ne dñs uerterat, quem cõtemplerãt uerũ præſentiſſimũ
regem ſuum. Ibi malitiæ ſuæ ſpecimen præbuerũt, ibi Sa
muel eis iram dñi nuntiauit, eo loci nõ pauca perpetuò
ſcelera cõmiſerũt, ibi occaſio cœpta eſt tranſgreſſionis
multiplicis, quæ ſub omnibus ferè regibus cõtinuata eſt,
patuitq; malitia adinuentionũ eorum, & perfidiæ ma-
gnæ, unde abdicari meruerunt, de domo & familia dei
excuti ac diſſipari in oẽm terrã, ut poſthac illos amare,
& tot ſignis paterni fauoris proſequi nolit, ſed electos
de ſancta & optima terra, quæ propriè dei dicitur hæ-
reditas, deſtinauerit lõgo, lato, miſerabiliq; exilio. Lucu
lenter oſtendẽdo irã ſuã, & iuſtũ iudiciũ iudicis, quem
propitiũ pientiſſimumq; patrẽ agnoſcere & colere no
luerũt. Quòd aũt nõ addat diligere eos, & omnes reges
Iſrael à deo fuerint recedẽtes, perſpicuũ eſt, quos et uſq;
hodie uidemus in captiuitate, etiã ſi boni quidã reges
fuiſſent in Iuda, tamen admodũ pauci irreprehẽſibiles,

Iudæi non dilecti.

ſed uirtutẽ quoq; habitã multis flagitijs dehoneſtantes
ut plurimũ: ut liquidò pateat quãtũ diſplicuerit domino
regiæ poteſtatis petitio, cũ à ſancto Samuele ſine omni
periculo regerentur ex uerbo domini.


16 Percuſſus eſt Ephraim, radix eorũ exicca
ta eſt, fructũ nequaq; facient. Quòd & ſi ge
nuerint, interficiã amãtiſſima uteri eorũ.

17 Abiiciet eos deus meus, quia non audie-
runt eum: & erunt uagi in nationibus.

Ephraim arbor.

Metaphoram ſumit contra Ephraim ab arbore, cuius
ſi radices aruerint, fructũ afferre non poterit, & ſi pau
lulum fecerit, ſtatim in ipſo flore ſiccatur: ſic Ephraim,
deum in quo fundatus per fidem erat perdidit, ideo fru
ctum iuſtitiæ nõ produxit, quod et ſi fecerit, interficiã,
inquit, amãtiſſima uteri eius, & abijciã in exilia, ut ua
gi ſint in nationibus, ut in ſuperioribus dictum eſt. Non
enim uoluerunt obſequi mãdatis, ſed auerſo ſemp hume
ro contumaciã ſeruarunt, dominũ deum ſuũ abominati,
cum uniuerſis beneficijs & mãdatis illius. Actũ igitur
eſt de ipſis ne amplius populus ſint, & fructus adferãt
ſanctitatis, ſaluo tamen dei promiſſo de Meßiæ benefi-
cio. Summa, inquit, ſummarũ, dominus abijciet populũ
omnẽ qui emendari noluerit, qui prophetarũ dictis non
crediderit. Errones enim erunt in orbe toto, & unum
dominũ deſerentes idola multa & muta ſectabuntur.

¶ CAPVT X.

1 
Itis frondoſa (uacua) Iſrael, fru-
ctus adæquatus eſt ei: ſecundũ
multitudinem fructus ſui mul
tiplicauit altaria, iuxta ubertatẽ
terræ ſuæ exuberauit ſimulachris.

Iſrael uitis.

Similitudo alia ſcribitur ad regnũ Iſrael. Comparatur
enim uiti, quæ putata à uinitore non eſt, ſed in flagella
frondeſq; luxuriat, & humorẽ quem debuerat in uina
mutare, uana frondium & foliorũ ambitione diſperdit.
Ideo Hebræi quoq; in hunc ſenſum dicũt, uaciã uitem,
& ſine fructu uitẽ, Iſraelem dici, quæ creuerit quidẽ in
multitudine populorũ, ſed nõ reddiderit fructũ agricolæ
deo, quin magis labruſcas protulit. Ex abũdãtia enĩ ſuc
ci inertis, & diuitiarũ felicitate, degenerauit in inſolen
tiã falſi cultus diuini, ut impẽſis nõ pepercerit, ſed aras
paßim multas extruxerit in dei offenſam, ut terræ abun
dantiã uicerit numerus idolorũ, ut magnã ſibi religionẽ
detuliſſe uideri uellet, ſi multas paßim ſtatuas erexiſſet.

2 Diuiſum eſt cor eorũ, nunc interibunt:
ipſe confringet ſimulachra eorum, depo-
pulabitur aras eorum.

Diuiſit cor ſuum à dño, & ſeparauit ſe ab obſeruãtia
legis dei: uel à rege Oſee ſe populus magis impius ſepa
rauit, idola colere uolens, cum rex ille permiſiſſet Hie-
roſolymã adire cum oblationibus, cum prius in malitia
ſemp rex & populus cõcordarint, ideo nunc interibũt
propediẽ captiuandi: altaria quoq; ſubruenda ſunt, &
ſtatuæ in tota terra uaſtandæ, ab ipſo domino, cuius uo
luntas ab hoſtibus eſt completa.

3 Quia nunc dicẽt, Nõ eſt rex nobis: non
enĩ timemus dñm: & rex qd faciet nobis?

Postquam cõfregerit deus simulachra Israel, & depopulatus fuerit aras & statuas, tunc exules patria dicẽt: Non est rex nobis, sed ablatus est, quia nõ timuimus deũ uerum & dominum, quem quia abiecimus, homo rex quid nobis prodesse poterat? cum tamen cor, sensus & fortitudo regum non sit nisi à domino.

4 Loquuti sunt uerba iurãdo uane, feriendo fœdus, & germinabit quasi amaritudo iudicium super sulcos agri.

Vana idolatria. Dicebantur olim uerba, & excusationes uariæ fingebantur pro cultu uitulorum ab auaris & improbis sacrificulis, ad populũ decipiendũ, uana quoq; iuramenta & fœderum pactiones pro stabiliendo regno Israelitico interponebãtur, ne ad legis audientiã & legitime deum colendum Hierosolymam ascenderent, unde toti regno prodijt ingens & pernitiosa corruptio. Vt sicut quotidie paßim absinthiũ nascitur in agris, sic mala plurima in populo iugiter pullulãt, & ueluti agrũ uepribus & nociuis germinibus replent, & sic obducunt, ut nullum locum inueniat iudiciũ, omnia libidine transigãtur, sine timore legis & amore æquitatis.

5 Vaccas Beth auen coluerunt (reuerebãtur) habitatores Samariæ: quia luxit sup eũ populus eius, & editui eius super eũ exultauerunt in gloria eius, quia migrauit ab eo.

Bethel & Camarim. In Bethauen, id est Bethel, uaccas aureas coluerũt habitatores regni, & urbis Samariæ, quas cum irrisione nõ uitulos sed uaccas appellauit, ad confusionẽ Israelis. Formidauit autẽ Samaria se quoq; capiendã, cũ uideret uitulũ Bethel ablatũ in Assyrios, luxerũtq; se perdidisse deum suũ, qui illũ coluerãt, maximè autẽ sacerdotes & sacrificuli ipsius uituli, Chamarim, quos monachos nigros Iudæi intelligunt, quales in gentilitate uarijs nominatos nominibus fuisse idolorũ diuorumq; cultores, satis constat: postea mutata religione, status hominũ permanserũt, & uitia cũ imposturis. Qui olim gaudebãt de idolis quæ colebãt, nũc lugẽt illorũ ablationẽ & captiuitatem, quia quæstus pariter cum impostura cessaßet.

6 Siquidem & ipse in Assur delatus est, munus regi ultori (Iarib) confusio Ephraim capiet, & cõfundetur Israel in uolũtate sua.

Idolorum rapina. Inter cætera munera Assyrijs regibus transmissa, aureus quoq; uitulus directus est, & deportatus ipsi Senherib, qui fortaßis alio nõie Iarib dictus est, & tamen reuera ultor fuit malitiæ Israelitarũ, & ultionẽ pertulit angeli ultoris. Ceßit aũt idoli huius rapina in magnum dedecus & confusionẽ Israelitarũ, qui deũ suũ uendiderunt pro fauore regis Assyriorũ. Quæ enim maior cõfusio inferri potuisset, quàm gratiã redimere hominis mortalis, proditione & alienatione dei facta, communi pariq; cõsilio pariter stultitiã cum perfidia iungentium?

7 Silere fecit Samaria regem suũ quasi spumam super faciem aquæ.

8 Et disperdentur excelsa idôli, peccatum Israel: lappa & tribulus ascẽdet super aras eorum: & dicent mõtibus, Operite nos: & collibus, Cadite super nos.

Obmutuit præ confusione, & compescuit Samariam rex suus, idolum scilicet, cum grandi irrisione omnium translatum in Assyrios. Sicut enim spuma quæ super aquam est, uel bullæ inundationum citò dissoluuntur: sic regnum decem tribuum uelociter finietur, & peribunt omnia illius excelsa in quibus Israel peccare consueuerat, sic, ut eisdẽ in locis, in signũ horridæ solitudinis, lappa & tribulus ascensura sint, ut parietes tanũ & exepta & tribulus ascensura sint, ut parietes tanũ & exetrema ædificiorum uestigia relinquantur. Tanta enim tunc uastatio erit gentis & regionis, urbium & delubrorum, hominũ & idolorũ, ut præ angustiarũ magnitudine & horrore dicturi sint homines mõtibus ut se operiant, & latibulis ut præbeant habitaculũ, & collibus ut cadãt super eos: nõ minore angustia corripiẽdi, quàm si cœlum rueret, terræq; per omnia miscerẽtur.

9 Ex diebus Gabaa peccauisti Israel, ibi steterunt: non comprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis.

Ex eo tẽpore quo Israel tã crudeliter uindicauit scelus Beniamitarũ in Gabaa, sacrilegiũ autẽ in deũ suũ noluit uindicare, quod ex domo Michæ prodijt, & totas tribus infecit, peccauit mihi omnis Israel. Iam tunc enim stare cœpit in uijs suis impijs, desertis legibus diuinis, nihili habẽtes externos cultus amplecti, omnia cõtra legẽ dei sui agere, gentibus aßimilari, idola uenerari & colere, ut ex illo tempore non fuerint tot aduersitatibus affecti propter scelus Gabaa, sicut tunc ipsi putabãt, sed propter idola potius, quæ semper coluerũt, etiã sub fugitiuorũ, & ob neglectũ legis dei à filijs iniquitatis.

10 Iuxta desyderiũ meũ corripiã eos: cõgregabũtur super eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates suas.

Toto animi desyderio & sine retractatione castigabo eos & corripiam, multos populos conuocabo cõtra Israelem, à quibus multipliciter uastabũtur, cum cõuexerint ipsi quoq; duas iniquitates, idola colẽdo & carnis libidines sectãdo, cõtra deum & homines iniurioße duobus uitulis prostitutis, dei & Dauidis superioritatẽ abijciẽdo. Si quis hic duos sulcos uel duo iuga legere mallit, is erit sensus. Volui ut unũ traherent iugũ, Iudas & Ephraim, pari me fide & cultu prosequerẽtur, essentq; cognati & in bono unanimes: sed id male cessit: unanimes enim sunt pariter in perfidia, et iniquis moribus, nunquã alterum fascinauit, ut ambo sint exterminandi.

11 Ephraim uitula docta diligere triturã, & ego trãsiui super pulchritudinẽ colli eius: ascendam super Ephraim. Arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob.

Vitula docta arare. O Israel, nõ aliter tu dño seruis, quàm uitula docta triturare, scilicet, p tuo cõmodo et uictu, nec etiã aliud agis didicisti et cupis quàm nõ tam arare, quàm comedere, bibere, libidinari: pro terrenis tantũ dño seruis, nõ tamen eo modo quo debeas, sed multo labore sacrificiorũ & ritũ, quem nõ imposui. Imponã ergo collo tuo iugũ commodũ & aptũ, iungã aratro boues, subiugabo Ephraim exactoribus, qui illũ inscẽdent, & ei pro uoto dominabuntur, cõpellentq; ad opus, eisq; uehẽtur. Iudas quoq; agricul-

agriculturæ seruiet, & grauem obire cogetur laborem, occando scilicet agrũ. Sulcos aũt cõfringet & occabit labore: hoc est, tam Israëlis regnũ quàm Iuda, mihi nolentia seruire subdã seruituti Assyriorũ, Medorũ, Chaldæorũ. Prudens in his & alijs locis Lector attendat, ut si nõ certitudinẽ sensus, quod difficile est, saltem suspitionem uerisimilium inuestigare conemur. Alioqui arare, est admonere populum. Confringere sulcos, est cor aptare.

12 Seminate uobis in iustitia, metite in ore misericordiæ, nouate uobis nouale: tempus autem requirendi dominũ, donec ueniat qui docebit uos iustitiam.

Agricultura iustitiæ.

Seruat ab agricolis semel cœptam translationem, exhortando fideles ad fidem exercitandã per bona opera sine intermissione, ut magis ac magis proficiant, donec dñs abundanter rependat. Seminare enim ad iustitiã, est sanctis cogitationibus fidem confirmare in se & proximis, seminãq; ueritatis per uerba dei legendo & prædicando spargere. Metere autem secundum benignitatem & beneficentiã, est sanctis & uerè bonis operibus exercitari, fidei fructus multos colligere ac reponere. Nouare autẽ nouale, est de nouo incipere et augere prouentum, neglecta refarcire, uel post messem exactam iterum arare & excitare solũ, nouare culturam, ne se quispiam summum studij apprehendisse confidat. Toto enim hoc tempore, quo beneficio dei uiuere datur, dñs requirendus est, donec ueniat, & fidelibus seruis fructũ pij laboris expẽdat, laborũ nostrorũ incrementa largiatur, desuper rorando iustitiam, & per omnia dirigendo sanctum institutum fidei charitatisq; quod suggessit.

13 Arastis impietatẽ, iniquitatẽ messuistis, comedistis frugẽ mendacij: Quia confisus es in uijs tuis, in multitudine fortium tuorũ.

Fructus iniquitatis.

Vos aũt, ô domus Israël, longe secus ac præceperam egistis. Me enim iubente facere fructus iustitiæ & misericordiæ, uos arastis impietatẽ, idola colendo, dñm relinquẽdo: ideo metetis iniquitatẽ, de malo semine et improbo labore malas quoq; fruges suscipiendo, non pacẽ & auxiliũ regũ, sed bellũ et exilia fertis: de quibus fecerunt non solum panem subcinericium, sed fraudulentum atq; mendacem, qui uana spe deciperet comedentem.

14 Cõsurget tumultus in populo tuo: et oẽs munitiones tuæ uastabũtur sicut uastauit Salman domũ Arbel (eius qui uindicauit Baal) in die prælij, matre super filios allisa.

Rabinorum delirium.

Vtcunq; Iudæorũ Rabini destinxerint sensum, quem non semel ægre intelligunt, placet magis translatio Hieronymi Septuagintaq; interpretum: utræq; ut uidetur, uetustiores punctationibus Iudæorũ. Vt is sit sensus idoneus & clarus: Quia confisus es, ô Israël, in uijs idolatriæ tuæ, & non in dño, & in multitudine fortitudinis tuæ, quam uel ipse habere te putasti, uel ab Aegyptijs requisisti, non in fiducia fauoris et ueritatis meæ, ponendo carnem brachium tuum, ideo consurget in te populi tui perturbatio & tumultus, & hostiũ frequentium impetus in populum regionum tuarum, decem scilicet tribuum, & non te defendent quæcunq; munitiones tuæ, quas omnes hostis uastabit & conculcabit, quomodo uastatus est & contritus, sola domini uoluntate & præter omnem opinionem, Salmon in Betharbel. Vel hic historiam refert & indicat non extantem in sacris literis, ut plures intercidisse non est dubiũ, ubi aliquis Salmon uastauit urbem dictam Betharbel commisso prælio, in qua matres cũ filijs crudeliter elisit. Vel credatur Hieronymo, qui Salmanam cum matre & filijs à Gedeone occisum intelligit ex Iudicum libro. Quod autem Iudæi Salmon Salmanasar & Arbel Samariã interpretantur, qui uolet amplecti poterit: locus enim fuit Arbelas dictus ultrà Iordanem à Salmanasar crudeliter captus.

Libri multi interciderũt.

15 Sicut fecit uobis Bethel à facie malitiæ nequitiarũ uestrarum: sic in aurora succidendo succisus est rex Israël.

Sic, ô Israel, fecit uobis Bethel, à facie malitiarũ uestrarum, in qua uitulum aureum posuistis, & cestis uenerati deos Aegyptiacos: uel aliter, Dominus deus seuere uos puniuit in Bethel, idolum cum sacerdotibus, uxoribus, pueris & ciuibus uastando. Addunt autem Hebræi huic sententiæ id quod sequitur: In aurora excisionis qua excisus est rex Israël, dicentes hãc cladem factam in Bethel, in principio nõ tam regni quàm uastationis qua uastatus est Oseas rex Israël filius Ela, cum ab Assyrio opprimeretur, post mortem Peka filij Romeliæ. Iuxta distinctionẽ ueterẽ talis sensus eruitur, ueriſimilior quàm sit Hebræorum sententia. Sicut ortus auroræ ac diluculum, uel diei principium transit celeriter inter noctis solisq; uicissitudines, cum finitur nox & claresci dies: sic rex Israël uelociter transiit, quia succidendo succisus est.

CAPVT XI.

1 QVia puer Israël, & dilexi eum: & ex Aegypto uocaui filiũ meum.

Beneficia dei ad Israëlem.

Exponit deinceps propheta beneficia quæ in ipsum deus cõtulerit. Dum, inquit, esset Israël puer & pãruulus captus in Aegypto, eum non suis meritis, sed paterno fauore eatenus dilexi, ut misso seruo meo Mose, uocarem mihi eum in filiũ, quasi præ cunctis populis adoptiuũ, sic enim dicitur filius primogenitus meus Israël. Hunc autem locum de filio uocato ex Aegypto, iuxta ueritatem historiæ de Israële propheta eloquitur: secundum uero typicum sensum ab Euangelista refertur ad Christum.

2 Vocauerunt eos, ſic abierunt à facie eorum: Baalim immolabant, & simulachris sacrificabant.

Vocauit quidẽ eos per Mosen & Aaron ut egrederentur de Aegypto: ipsi uero uocati, nõ secuti sunt mandata illorum, sed ab eis recesserunt, uertentes eis tergà, mentis duritiam gestu corporis indicantes, quin & immolare iussi soli domino, ipsi Baalim sacrificauerunt, et sculptilibus suis adoleuerunt incensum. Per Baalim intelligit omnia nomina idolorum, qualia fuerunt et Beelphegor & uitulus Aaronicus, & Astaroth, & cætera.

3 Et ego quasi nutritius Ephraim, portabat eos in brachijs suis: & nescierunt quod curarem eos.

4 In funiculis Adã trahã eos, in uiculis charitatis: & ero eis quasi exaltãs iugũ sup maxillas eorũ: et declinaui ad eũ ut uescerẽtur.

Ingratitudo Israëlis.

In tantũ autem dilexi eos, & tam clemens pastor fui, ut morbidam ouem in humeris meis ipse portarẽ: utq; solet homo gestare paruulũ suum, ne læderetur in solitudine, et ne æstu uel tenebris terreretur, in die nubes eram, in nocte ignis columna. Cumq; crebro peccassent, locũ præbui pœnitentiæ. Ignorauerunt aũt quod curarẽ eos, & uulnus idololatriæ quadraginta annorũ spatio obducerem, & pristinæ redderẽ sanitati. Curaui aũt eos propter uincula charitatis, quibus mihi illorũ patres fideles astrinxeram, et humanissimo affectu me illis præbebam, quo homo potest homini dilecto coniungi: non ut iumenta crudeliter adegi, sed mollibus uelut fascijs misericorditer & amanter induxi ad pietatem. Non sum passus eum subdi humanis uel legibus uel regibus, sed uelut pijssimus pater eleuaui iugum eorũ, laxaui frena, mitigaui & alleuiaui onera. Vel uisus illis sum impatiẽtibus disciplinæ, quasi grauissimum iugum imponens, maxillisq; illorum frenum immittens: uel iugum suspendens, quod in maxillis, ut edere possit. Et declinaui uel aduerti eis cibum manna de cœlo in deserto quo uescerentur, signũ planè eius cibi qui tandem de cœlo descensurus erat, quo uescerentur animæ electorũ, & reficerentur ad uitam spiritualem per fidem in Christi domini nostri sacro sanctum mysterium.

5 Non reuertetur in terram Aegypti, & Assur ipse rex eius: quoniã noluerũt cõuerti.

Interim tamen beneficiorum meorum oblitus, & seruitutis grauissimæ fornacis Aegyptiacæ ex qua eripui, cogitat de auxilio Aegyptiorum contra Assyrios, quasi in Aegyptum optãs reuerti & aufugere. Non fiet hoc, non reuertetur illuc, non inde auxilia obtinebit: sed Assyriorum rex quem tantopere abhorrent, rex eorum erit, uelint nolint. Noluerunt enim conuerti ad me patrẽ suum, nec agere pœnitentiam, sed Aegyptijs magis idolis seruire elegerunt quàm mihi.

6 Infirmauit gladius in ciuitatibus eius, & cõsumet fortes eius, & comedet pro parte consilia eorum.

Pœna ingratorum.

Irruet ergo propediẽ sine dubio gladius in urbes eius, ut non tantum agri possessiones & rura uastentur, sed medias ciuitates hostis introëat, & consumet quicquid roboris est in eis, & deuorabit, & in nihilum rediget omne tam consilium eorum quàm fortitudinem, ut non possint aliquod sibi inuenire consilium.

7 ¶Et populus meus pendebit ad reditum meum: iugũ autem imponetur eis simul, quod non auferetur.

Tunc plebs mea Israël in suspenso erunt, uel trepidant inter tot aduersa ac prospera, si uelint uel debeant reuerti ad me: prophetæ enim domini iugiter uocãt eas ad dominũ, ut quæ sursum sunt quærant, ut ad dominum deum suum redeant, obmissis gentiliũ ritibus et diuis, ut de Helia legimus et Heliseo ac alijs, sed pariter nõ assurgunt, non eleuantur uel attolluntur, ut dei gloriã quærant, huius mundi curis et cogitationibus depressi, ut nihil supersit, quàm ut iusto iudicio deserãtur, fiatq; Assur rex illorum, & gladio urbes deuorentur cum populo.

8 Quomodo dabo te Ephraim, protegã te Israël? quomodo dabo te sicut Adama, ponã te ut Seboim? Conuersum est in me cor meũ, pariter cõturbata est pœnitudo mea.

Duram sententiam, nullum eis locum pœnitentiæ Sonabat relinquentem, parentis affectu mitigando dicit, Quid tibi faciam ô Ephraim? quomodo te meo auxilio denudabo? quid tibi faciam? qua te arte corripiam ut saneris? Sicut Adama et Seboim ponam te Sodomorum urbes, ut in similitudinem uertaris, delearisq; usq; ad cineres ac fauillas. Quàm duram prolatam sententiam paterna mitigat pietate. Conuersum est, inquit, in me cor meum, flatim ut iuiscera (hominum more loquitur cum sit immobili uoluntate) calore cõmiserationis & pietatis pariter conturbata est pœnitudo mea, ne meum quondam populum deleam in perpetuum.

9 Non faciam furorem iræ meæ: non conuertar, ut disperdam Ephraim: quoniam deus ego, & non homo: in medio tui sanctus, & non ingrediar ciuitatem.

Non ideo faciam secundum furorem iracundiæ meæ, Tribuam nec de mea clementia immutabor, nec irritabo promissa pietatis occasio est: deus enim ego sum, & non homo. Homo ad hoc punit ut perdat: deus ad hoc corripit ut emendet. In medio tui sanctus, non ingrediar ciuitatem, non sum unus de his qui in urbibus habitant, qui humanis legibus uiuunt, qui crudelitatem arbitrantur iustitiã, ius summum summa malitia est: mea autem lex, meaq; iustitia est, saluare correctos ubicunq; locorum: etiam si non reduxero Israëlem in urbes suas, tamen alio modo saluare illos potero. Captiuitate enim Israëlis inter omnes gentes usus est dominus ad gloriã nominis sui, ad ueræ fidei dissemination em in omnes gentes, ut probatur ex statu totius mundi, cum per apostolos & filios Israël dispersos prædicatum est euangelium Christi & uniuersi dei cultus orbem obtinuit.

10 Post dominum ambulabunt, quasi leo rugiet: quia ipse rugiet, & formidabunt filij maris.

Ephraim & tota domus Israël dispersi in gentes, ibi dñm sequentur, ipsum solũ non idola colendo, & expectationem gentiũ pariter operiendo, Messiæ regnũ. Dõa rugiet minus autem uelut leo clamabit fortissime, & uoce sua euangelica totum mundũ concutiet, ut arrigãt aures et audiant quid futurũ. Rugiet ipse quidẽ dominus per prophetas in Israëlis terra ad eos qui perierunt de domo Israël. Rugiet etiã per apostolos et cõuersos ex iudaismo, idq; in toto orbe audietur usq; ad extremos maris termi nos, ad omnes mundi plagas. De Sion enim exibit lex, et uerbũ dñi de Ierusalẽ. Dominus de Sion rugiet, et de Ierusalem dabit suam uocem. Quæ omnia ad Christi ademtũ referuntur.

referuntur, etiam secundum Hebræos, genuinum tamen sensum ob uelamen non uidentes, quia futurũ olim prophetarum temporibus & prædictũ olim usq; modo creduntur futurum, quantumlibet cernant oculis pleraq; completa: quorum maximum est, dominum deum suum non iam in Iudæa tantummodo notum, sed in angulis totius orbis, & in postremis insulis maris.

11 Et formidabũt quasi auis ex Aegypto, & quasi columba de terra Assyriorũ: & collocabo eos in domibus suis, dicit dominus.

Euangeliũ propagandum.

Insolito quasi pauore permoti subito festinabunt, in primis autem Aegyptij ad ueri dei agnitionem, dicto citius credent euangelio, & sine impedimento ut auis uement ad clamorem de Sion prodeuntem, & obedient euangelio in maxima simplicitate & puritate uelut columba. Similiter aduolabunt electi ab oriente de Assyriorum uniuerso imperio, & quiescere faciã eos quemlibet in suis domibus, ut non habeant necessarium personaliter Hierosolymam uenire, corpoream Palæstinæ urbem: sed domus fideliũ in omnibus mundi plagis constitutæ, intra urbis Hierosolymæ sacratißimos muros continebuntur, cuius unius urbis una ciuilitas longe patebit latius, quàm si Romanum orbem iungas Babylonico uel Asiatico. Hæc ait dominus, & tunc futura dicebantur, quæ nunc fideles oculis & experientia cernunt impleta, quantumlibet Iudæis uideantur impoßibilia.

1 ¶CAPVT XII.

Circundedit me in negatione Ephraim, & in dolo domus Israël: Iudas autem (adhuc dominatur) testis descendit cum deo, & cum sanctis fidelis.

Iudæ relligio.

Aberrante tam turpiter à cultu ueri dei regno Israëlitarum à tempore Ieroboam, et dominũ deum suum cum illis semper fideliter agente, mendacijs & idolorũ cultura negante: solus Iudas cum tribu Beniamin & Leuitis, qui templũ habebant, legẽ & præcepta seruabant le galia, remanserunt in dei cultu, eranq; testes uel gradie bantur cum deo, uel cum domino imperabant, & cum sanctis fideles extiterunt, ut præceptis domini saltẽ subrem, sanctuarium dei uenerati sunt, & ceremonias domino legitimas detulerunt.

2 Ephraim pascit uentũ, & sequitur æstum: tota die mendacium & uastitatẽ multiplicat: & fœdus cum Assyrijs iniit, & oleum in Aegyptum ferebat.

Manahen rex Israël pace facta cum Assyrijs, ab Aegyptijs auxiliũ postulauit: hoc est quod hic dicitur, Ephraim pascere uentum, spe uana se decipere, sequiq; uentũ perniciosißimum, cuncta uastare solitum, urentem & orientalem: ad meridiemq; pergere, nihilq; aliud agere tota die, nisi sibi illudere: & dum huc illucq; discurrat, uastitatem & euersionem suis urbibus præparare, pangere fœdus cum Assyrijs, & tamen interim Aegyptijs muneribus, quæ per oleum notantur & similia, redimere, & solicitare, ut se contra Assyrios defendant.

3 Iudicium ergo domini cum Iuda, & uisitatio super Iacob iuxta uias eius, iuxta adinuentiones eius reddet ei.

Disceptationẽ & litem dñs instituit cum Iuda, & uisitationẽ, id est, correptionẽ per flagella et supplicia illi comminatur, ut qui Ephraim reddiderit iam antea quod merebatur ob suã perfidiam, Iudæ quoq;, qui inter filios Iacob præcipuus euaserat multitudine, fortitudine & regno, reddat iuxta uias & adinuentiones suas ac merita, quandoquidem impie se gereret in cultu dei, in quo adhuc ægre perstabat.

4 In utero supplãtauit fratrem suum: & in fortitudine sua inualuit angelo,

Beneficia dei ad Iacob.

Exponit quanta bona Iacob acceperit à dño, ut posteritatis eius contra dñm ingratitudo & duritia cognoscatur. Dum enim adhuc esset in utero Rebeccæ, supplãtauit fratrem suum, mea quidem prouidentia qua eum elegi. Esau uero abieci. Non enim fortitudine propria id effecit, qui sentire adhuc nihil poterat, sed miseri cordia dei, qui cognouit & diligit eos & eligit quos prædestinauit. Nec id solum egit, sed in fortitudine quoq; à me accepta, inualuit angelo, quãdo rediens de Mesopotamia peruenisset ad fluuiũ Iacob aduersus angelum tota nocte pugnauit, fide ac fiducia uicit, alioqui propensißimam ad amicos charitatem dei, cupientis benefacere pijs, si tamen instent perseueranter & fortiter fide et oratione ad dominum.

5 & inualuit ad angelum, & cõfortatus est: fleuit, & rogauit eum: in Bethel inuenit eum, & ibi locutus est nobiscum.

Sic ergo tunc instãdo tota nocte Iacob inualuit aduersus angelum, & eius benedictione quem uicerat confortatus est. Fleuit quoq; & rogauit angelũ dei, atq; adeo ipsum deũ, dicẽs, Non te dimittã, nisi mihi benedixeris. Reuersus itaq; in promissam terrã, inuenit eundẽ angelum in Bethel, sibi optima quæq; promittentẽ, et sic reddentẽ fideliter, ut gratias dño fideliter reddiderit, et nominis prærogatiua donatus fuerit, proq; clementia dei magis quàm propriæ uirtutis merito Israëlis nomẽ commereretur. Ad eundem Iacob magnifica ueris Israëlitis promissa locutus est, & benedictionibus ditatuit perpetuis: in filios suscepit familiam Iacob, & dilexit insigniter, sacrosancto & fausto appellauit nomine.

6 Et dominus deus exercituum, dominus memoriale eius.

Dei nomen & domini.

Adeo autem locutus est unicuiq; Israëlitarum, ut nomen domini dei exercituũ illis inclarescere uoluerit, & illorũ nominũ memoriale perseuerare penes illos ad gloriam & fidem. Deus quidem secundũ Hebræos misericordiæ & beneficentiæ nomen est. Dominus autem dicitur ob prærogatiuam diuinæ omnipotentiæ & maiestatis. Exercituum appellatione notatur, quia superna corpora & spiritus angelicos in potestate habeat. Horum nominum recordatio æterna sit apud uos semen Iacob & Israël, postquã promissam hæreditatẽ ueluti pignus salutis & diuinæ bonitatis possideris, quam in terra uiuentium tandem perfectius percipietis.

7 Et tu ad deum tuum conuerteris: miseri-
cordiam & iudiciũ custodi, & spera in deo
tuo semper.

In ingratos. Torquet sermonem in ingratos, dicens, Cum hæc ita se habeant, ô Iuda, consequẽs est ut patrem imitatus, ad dominum deum tuum conuertaris, suspicias illum, et ex illo totus dependeas, hunc unum timeas omnium bonorum largitorem, miraculorum tantorũ & mundi totius opificem. Custodi misericordiam & iudicium, benignus scilicet, beneficus, commodus in demerendo fratres beneficijs, ignoscendo erratis. Iudicium quoq; obserua, ut dominum timeas, peccata odias, æqualitatem custodias: te quoq; in omnibus reum pronũcies, de tuis uiribus nihil præsumas, sicq; spera in deo tuo semper, bonis operibus ad maiora proficiẽs. Hæc tua iustitia sit, ut indesinenter speres in dominum deum tuum, ei accepta referas omne bonum: is te ditat, depauperat, exaltat et humiliat: idem percutit & sanat, in eum tota feraris fiducia, qui sperantes in se fraudare non potest.

8 Chanaan in manu eius statera dolosa, ca-
lumniam dilexit.

9 Et dixit Ephraim, Veruntamen diues ef-
fectus sum, inueni (diuitias) idolũ mihi: om-
nes labores mei non inuenient mihi iniqui-
tatem quam peccaui.

Per Chanaan intelligi Ephraim & Israëlitas, in terra illa Chananæis succedentes liquet, & statim sequentibus uerbis. Dicit autem, Ephraim habere in manu sua stateram dolosam siue iniquam, nõ custodire misericordiã & iudicium sperans in domino, sed diligere calumniã, opprimere homines per potentiã: qui et dicere audeat, Veruntamen diues effectus sum, non refert unde possideam, dummodo possideam, diuitias inique congregando, quas et suo tempore cuomere cogetur: cum potius fidelis de mãmona iniquitatis amicos faciat, qui in æterna habitacula se recipiant. Auarus aũt adorat auri sui idolum, & dicit, Inueni quod quærebam. Fulgor enim auri, imò cæcitas diuitiarum, si semel oculos & mentem occuparit, loqui facit in hunc modum: Sic enim impij iactant diuitias & æquitatem gloriantur audacter, sed falsò suæ industriæ tribuunt sua, cum deus omnia agat, ideoq; minime offendendus. Omnes labores mei non inuenient iniquitatem meam, in quam peccaui: hoc est, quicquid peccauero, si habuero diuitias ab his qui meo indigent auxilio, mihi nõ poterũt imputari, secundũ quod dicitur, Qui iniqua gerit benedicitur: diuitũ enim amici multi.

Ephraim statera dolosa.

10 Et ego dominus deus tuus ex terra Aegy
pti, adhuc sedere te faciam in tabernaculis,
sicut in diebus festiuitatis.

Vtcunq; talis sis Israël, ego tamen dñs deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti, adhuc tibi locũ tribuo pœnitentiæ, & per promissorum magnitudinem hortor ut ad me redeas. Adhuc enim sedere te faciam & habitare in tabernaculis cum gaudio & lætitia, sicut consueueras in solennitatibus, maxime tabernaculorum & scenophegiæ, quãdo de Aegypto eduxi liberatos de seruitute Aegyptiaca, & de labore luti & laterum. Sic etiam nunc educam te de tribulatione & angustijs, ac imminente captiuitate, si tamen feceris quæ præcepi.

11 Et loquutus sum super prophetas, & ego
uisionem multiplicaui, et in manu prophe
tarum assimilatus sum.

Alia subinde beneficia ingratis obijcit, dicens, Ego sum qui per omnes prophetas et uaria genera uisionum assimilatus sum, adaptaui me hominibus & apparui, ac quoq; ad pœnitentiam malorum tuorum prouocare conatus sum semper, de mane consurgens, nihil obmittendo, uerbum ueritatis prophetis prædicandum committens, sedulo ad mores corrigendum exhortans uerbis & factis, paradigmatis & sermonibus prophetarum.

12 Si Galaad idolũ, ergo frustra erãt in Gal-
gal bobus immolantes: nam & altaria eo-
rum quasi acerui super sulcos agri.

Eo tempore quo hæc prophetabãtur, Galaad adhuc in regno decem tribuũ erat: de qua dicitur, Galaad ciuitas operantium idolũ supplantata á sanguine. Galgal autem sub imperio erat duarũ tribuum: de qua dicitur, Omnis malitia earũ in Galgala. Decem ergo tribus & duæ pari idololatriæ errore deceptæ sunt. Et altaria eorũ sunt sicut acerui & tumuli de lapidibus cõgregati. Cumq; illi et hi in captiuitatem fuerint abducti, atq; quondã eorum absq; cultoribus testudinum uel tumulorũ habebit similitudinẽ. Nec ibi ultra primores regni Iuda & Israël idola adorabunt, & sacrificia offerent cõtra legem: est enim multitudo ararum quas extruxerant, ut numero suo exæquarint sulcos agrorum.

13 ¶ Fugit Iacob in regionem Syrię, & seru-
uit Israël in uxorem, et in uxore seruauit.

Non erat necesse in Galaad aram delubrumq; cõstruere contra meam prohibitionem, qui non nisi Hierosolymis mihi sacrificandum præceperam. Et sine huiusmodi sacrificijs patribus uestris propitius fui, & in agendis omnibus præsentissimus. Non mihi sacrificauerat eo loci Iacob, nec Laban, cum utrosque ditasset substantia pecorum & filiorum, quando Iacob fratris iram in Syriam fugeret ad Laban auunculum suum, & seruiuit ei pro uxore Rachel septem annis, & pro Lia oues soceri Laban eodem annorum spacio custodiuit, sine usu, ritu & ceremonijs sacrificiorum propitium me senserunt toto isto tempore ac semper patres uestri.

14 In propheta autẽ eduxit dominus Israël
de Aegypto: & in propheta seruatus est.

Quando etiam in propheta Mose eduxit dominus Israël de Aegypto, totæ duodecim tribus propheta ducente seruatæ sunt, dum nullæ alicubi oblationes mihi fuissent sacrificatæ uel hostiæ. Etiam dum sacrificare uel letus, non multas, non duodecim, sed unam tantum aram admisi uobis.

15 Ad iracundiã me prouocauit Ephraim
in amaritudinibus suis, & sanguis eius su-
per eum ueniet, & opprobrium eius resti-
tuet ei dominus suus.

Domus autem Israël nimia superstitione sua ad iracundiam me prouocauit, innumeris aris suis passim extructis

truſtis per omnes agros, colles, montes & urbes, cis & ultra Iordanem, in Galaad & Galgalis. Sanguinē etiam effudit filiorum & filiarum idolis ſuis, & innocentium prophetarum. Propter quæ omnia ipſe ſibi cauſa mortis erit, ſanguis eius ſuper eum ueniet: et blaſphemia opprobriumq; quo per te dominus blaſphematus eſt, uertetur in caput tuum. Reſtituet tibi dominus ſuum opprobrium, ut ſentias me amaricatum tuis criminibus, qui natura ſemper dulcis ſum & miſericors, dominus deus tuus, ſed nihilominus uerax, iuſtus & zelotes.

CAPVT XIII.

1 Oquente Ephraim, horror elatus eſt ipſe in Iſraël: & deliquit in Baal, & mortuus eſt.

Cauſa Iſraelis. Maxima olim authoritate pollebat regnū Ephraim ſub Ioſue & Ieroboam, ſic ut eius dictis parerent reliquæ omnes ferè tribus, & horror inuaderet omnes uicinas regiones, ſic ut princeps fieret in Iſrael ſuper decem tribus, cum regnum Iuda tantū duas obtinuiſſet. Quia autem non dominum deum patrum ſuorum ſecundum prophetæ uerba ad Ieroboam coluit, ſed Baal, hoc eſt, externorum deorū ritum introduxit, uituloſ erigendo, & ſecundū tempus gentiū idololatriam ſectando, digne adiudicatus eſt morti, excidio, captiuitati, & hoſtibus. Anima enim quæ peccauerit morietur. Breuis eſt oratio ſed acris, pro more prophetarū duodecim.

2 Et nunc addiderunt ad peccandum: fecerunt ſibi conflatile de argento ſuo quaſi ſimilitudinē idolorum, factura artificum totum eſt. His ipſi dicunt, Immolantes homines uitulos (oſculentur) adorent.

Idolatria Iſraelis. Non ſufficit Iſraëlitis uitulorum ſuperſtitio, ſed peccata peccatis addiderūt, ut ex argento quod domino donante acceperant, contra dominum idola fabricarent, opera manuum hominū. Quibus conflatilibus dicunt ſacerdotes & principes, qui docere populum ſacroſancta deberent, ut animalia offerantur à ſacrificantibus & uituli, ut poſt expleta ſacrificia oſculentur manus uel ſacrificulorum uel idolorum. Quibus circumloquitur prophetæ ritus gentilium in ſacrificijs: quaſi dicere uelit, Eò inſaniæ profecerunt, ut nihil tam crudele, inhumanum, ſpurcum & abominabile admiſerint gentiles in ſuis ſacrificijs, quod non Iſraëlitæ quoq; tentarint, quo dominum acerbius irritarent.

3 Idcirco erunt quaſi nubes matutina, & quaſi ros matutinus prēteriens, ſicut puluis turbine raptus ex area, & ſicut fumus de fumario.

Poena idolatriæ. Quatuor utitur cōparationibus. Quia, inquit, homines pro uitulis, imò uitulis ipſis immolauerunt, idcirco erunt quaſi nubes matutina, in totū et uelociter perdentur. Et ſicut ros mane pertranſiens, ſicut puluis turbine raptus ex area, et ſicut fumus de fumario, quæ nemo amplius ſuperſit, ſecūdū quod ſcribitur, Sicut deficit fumus deficiet: ſic regnū Iſraëliticū diſpergetur in omnē uentū, ut non poſſit denuo humana uirtute colligi & congregari. Dicitur autē fumariū feneſtra & cataractæ foramen in pariete fabricatum, per quod fumus egreditur.

4 Ego autem dominus deus tuus ex terra Aegypti: & deum abſq; me neſcies, & ſaluator non eſt præter me.

5 Ego cognoui te in deſerto, in terra ſolitudinis.

6 Iuxta paſcua ſua adimpleti ſunt, ſaturati ſunt: & eleuauerunt cor ſuum, ideo obliti ſunt mei.

Etiam nunc quid eis præſtiterit dominus refert inter multa ſubinde beneficia: Ego, inquit, dominus deus tuus, de terra Aegypti ſcilicet te educens, & ex eo tempore tui curam gerens, quod tibi mandaui per Moſen attēde, ne forte comedas & ſatieris, & obliuiſcaris dei tui, qui te de ſeruitute extraxit. Nō eſt enim alius deus abſq; me, Deitatis unitas. *& qui poſſit ſaluare non eſt alius. Ego qui conditor ſum omnū, cognoui & paui te in deſerto, & in terra inhabitabili, ubi rerum omnium penuria & nullæ aquæ, dedi tibi manna de cœlo, & aquarum fontes produxi de petra duriſſima. Poſtquam autē dilectus incraſſatus & impinguatus eſt, comedentes & ſaturati recalcitrauerunt et ſuperbierunt corde, obliti beneficiorū omnium, cum tam uaſtam ſolitudinē & aridam quadraginta annis ad Iordanis uſq; fluēta peruenire minime potuerint, niſi dominus omnia præſtitiſſet. Tot autē dei beneficia dignum illius cultum & amorem mereri debuerant, nō obliuionem & odium.*

7 Et ego ero eis quaſi leæna, ſicut pardus in uia Aſſyriorum.

8 Occurram eis quaſi urſa raptis catulis, & dirumpā interiora iecoris eorū: & cōſumā eos ibi quaſi leo, beſtia agri ſcindet eos.

Ego occurrā illis capiendis in Aſſyriam ueluti leæna ſiue panther, & ſicut urſa, qua inter oēs feras nihil eſt Iuſtitia diuina. *ſæuius cū perdiderit catulos, uel indiguerit cibis. Velut quoq; leo aliæq; beſtiæ quæ gignuntur in ſaltibus. In hæc omnia uertendum ſe comminatur dominus, quando ierint ad Aſſyrios, ne cum ibidem dura perpeſſi fuerint, non potentiæ & indignationi domini, ſed hoſtium fortitudini aſſignent miſerias ſuas. Beluarum ferocitatem ſe ſtabor, quæ à laniata præda deuoratis uiſceribus intimum etiam cruorem exugunt. Sic ego pectus quod eſt clauſura cordis diffringam, & in fruſta diſijciā. Ibi, hoc eſt, intra urbes, peſte, fame, ſiti, et gladio cōſumā impios.*

9 Perditio tua Iſraël: tantūmodo in me auxilium tuum.

Corruptioni & maledictioni tuæ, ô Iſraël infelix & impie, quis auxiliabitur? Diſperijſti certe, et nihil tibi reliquum eſt, niſi ut mea tantū clementia conſerueris. Nemo enim corū quos tibi præſules æſtimaſti auxilium ferre poterit.

10 Vbi eſt rex tuus (maxime) nunc? ſaluet te in omnibus urbibus tuis: & iudices tui, de quibus dixiſti, Da mihi regē & principes.

11 Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.

Regnorum inſtabilitas.

Ego quidem auxiliari potuiſſem, qui ſemper ſum, calamitatibus tuis. Vbi autem nunc eſt rex tuus, de quo dicebas ad Samuelem, Conſtitue ſuper nos regem, ut iudicet nos, ſicut & gentes habent cæteræ? Cumq; ille contradiceret, reſpõdebas, Nequaquam, ſed erit rex nobis, & erimus etiam nos ſicut & gentes omnes, & iudicabit nos rex noſter. De quo ergo tibi promiſeras, quod tua bella bellaret, nunc in neceßitate ſubueniat, ut uniuerſas urbes tuas liberet de ſeruitute. Vbi ſunt iudices tui illi? ubi reges, de quibus dixiſti, Da mihi regẽ et principes? Itaq; dedi tibi Saulem in furore meo, quod & tollatus ſum, pluuia in diebus meßis præter morẽ delapſa. Sicut autem primum dedi in ira, ſic ultimum auferam in furore Sedechiam. Ieroboam quoq; datus eſt primus ex Ephraim, Oſee autem ultimus in furore ablatus.

12 ¶Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſcõditum peccatum eius.

13 Dolores parturientis uenient ei: ipſe filius non ſapiens: nunc enim non ſtabit in contritione filiorum.

Calamitas Ephraim.

Quomodo ſi ligetur quid in ſacculo conſeruatur, & non perit ei cui ligatum eſt: Sic omnis iniquitas qua in deum peccauit Ephraim, colligata eſt ei, & conſeruata uelut in marſupio, ut in diem ultionis extremæ captiuitatis uelut dolores incidant in parturientẽ, poſtquam multo tempore tormenta cruciatusq; uenturos extimuerit. Ephraim itaq; filius inſipiens, id eſt, ſtultiſſimus, & uecors columba, cum in contritione filiorum & populi ſui parturitionis et captiuitatis tẽpus aduenerit, ſtare aut ſufferre non poterit pondus calamitatis. Non enim paſſus eſt ſe erudiri aliorum exemplis, ut emendata culpa, pœnam etiam euadere potuiſſet.

14 De manu mortis (*inferni*) liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ò mors, morſus tuus ero inferne, cõſolatio abſcondita erit ab oculis meis.

Mors mortis.

Si Iſraëlitæ ſapientes fuiſſent, & prophetarum doctrinæ acquieſcentes, mihi domino deo ſuo adhæſiſſent, redemiſſem eos de poteſtate inferni & faucibus mortis, ſicut Iudæorũ hoſti Aſſyrio feci, ad preces regis et Iſaiæ prophetæ. Quia autem ſapientiã abieciſti, & timorem nominis mei, ideo nõ ſolum non redimam te à morte, ſed magis præcipitabo in miſerias, ipſa morte grauiores & duriores, famem ſcilicet, ſitim, peſtem, & captiuitatem, beſtias & mala infinita. Verba enim quæ ego ad te miſi per prophetas celeberrimos, ad tuam ſalutem & refrigeriũ, quia ſpreuiſti, ea erunt tibi ipſiſſima mors. Et cum te ſeruare toties uoluerim exhortationibus meis, tu tua peruicatia effeciſti, ut tibi in excidium ceſſerint, & in infernũ me quidem authore, tuis autem meritis. Et quia tu non mutas corruptiſſimum inſtitutum præuaricandi, ſic me quoq; non pœnitebit duri iudicij quod perferes, peßimis in exemplum periturus. Si hæc Iudæorum ſententia non placet, uide Hieronymum.

15 Quia ipſe inter fratres (*creſcet*) diuidet: adducet urentem uentũ dominus de deſerto aſcendentẽ, & ſiccabit uenam eius, & deſolabit fontem eius, & ipſe diripiet theſaurũ omnis uaſis deſiderabilis.

Ephraim antequam diuideretur à regno Iudæ, & ſimulacra fabricaſſet, ſemper augebatur honore, fortitudine, multitudine hominũ, et diuitijs, iuxta nomen ſuum & patriarchæ præſagium. Nunc autem dominum contemnens & illius leges, uento urente, graui, pernicioſo & orientali, exercitu nempe Aſſyriorum continue impetitur, ſubuertitur, uaſtatur diſpergiturq; in regiones. Is uentus à ſolitudine oritur, & aſcendit ab ortu ſolis ab Aſſyria, & exiccabit fontes & flumina, quo minus poſthac ualeat ſuccreſcere & incrementa facundi tatis recuperare. Quicquid autem deſiderabile, elegãs, & eximium in theſauris regni Iſraëlitici inuenerit, auferet, prædabitur uel confringet.

CAPVT XIIII.

1 Pereat Samaria, quoniã ad amaritudinẽ concitauit deum ſuũ: in gladio pereãt, paruuli eorũ elidantur, et fœtę eius diſcindãtur.

Hortatur nihilominus propheta ad pœnitentiam re- Caſus & cadio. gnum Iſraël, prædicẽs tamen illi, niſi emendetur, caſum grauiſſimum. Peribit, inquit, & uaſtabitur regnum Samariæ, cui cũ tanta deus bona præparauerit, ipſa tamen domino rebellare non ceſſet, ſimulacra ei præferendo quæ colit, bellatores eius gladio occidentur, paruuli & lactentes elidentur ad terram: prægnantes autem fœminæ dirumpentur ad mortem, hoc eſt, mala quæcunque maxima inter homines patientur, & ultimum calamitatis caſum. Quæ omnia accidiſſe ei credi poteſt obſidionis tam diuturnæ temporibus, ex qua hoſtis exaſperari ſolet, ut atrotius ſæuiat.

2 ¶Conuertere Iſraël ad dominum deum tuum: quoniã corruiſti in iniquitate tua.

3 Tollite uobiſcum uerba, & conuertimini ad dominum: dicite ei, Omnẽ auferiniquitatem, & accipe bonum: & reddemus uitulos labiorum noſtrorum.

Virtus ho- ratoria.

Pereunte Samaria, reſiduus totus Iſrael ad peccandi prouocatur, ut qui infirmatus eſt, & in tanta copia cidit crimina & iniquitates, reuertatur ad medicum & recipiat ſanitatem, uel ſtare incipiat qui corruerat, docetur q; quomodo debeat agere pœnitentiam. Tollite, inquit, uobiſcum uerba, preces et confeßiones delictorum, et conuertimini ad dominũ tam uerbis quàm operibus, et dicite, Omnem auferiniquitatem, nihil languoris et ruinæ priſtinæ derelinquas, ne ruurſum mali ſentinis pullulent rediuiua plantaria. Et accipe bonum, Niſi enim indulſeris mala noſtra, bona tibi quæ offeramus habere non poſſumus. Declinandũ eſt enim à malo, ut fiat bonum. Vituli labiorũ aliud non ſunt, quàm laudes diuinæ, & gratiarum actiones. Sacrificiũ enim deo ſpiritus contribulatus. Igitur illo iam tempore carnalibus uictimis neglectis, et eo modo quo tunc exhibebantur repro batis, placabilis deo hoſtia eſt pura confeßio. Præit autẽ uerbis quomodo loquantur deo et confitcantur, Auferomnes iniquitates q ſolus potes abluere, accipe uictimam parum

parum bonum quod solum possumus. Laus dei & bonitatis suæ confessio sunt Tauri domino offerendi.

4 Assur non saluabit nos, super equos non ascendemus: nec dicemus ultra, Dij nostri opera manuum nostrarum: quia eius qui in te est miserebitur pupilli.

Qui reddituros se esse dicunt labiorum uitulos, etiam illud promittunt, quo nequaquam in Assyrios spem habeant, nec in Aegyptiorum equos, & ultra non adorẽt opera manuum suarum uitulos aureos, nec appellabunt eos deos suos. Quia, inquiẽt, tu eius qui in te est pupilli misereberis, hoc est populi Israel, quia deum patrẽ iamdudum perdiderant, cuius fuerant primogenitus filius.

5 Sanabo contritiones eorum, & diligam eos spõtaneè: quia auersus est furor meus ab eis.

Penitentiæ fructus.

Conuersis ad pœnitentiam, & instar pupilli patrem quem reliquerant agnoscentibus, respondet deus, Sanabo auersiones eorũ quibus descíuerant, & per idololatriam receſſerant à me. Diligam eos liberaliter ex gratia, non debito: qui mei fuerant contẽptores, eos reconciliatos ex gratia cõplectar & clemẽtia. Qui enim prius irascebar eis propter contumaciam & peccata, nunc sponte pœnitentibus & conuersis miserebor.

6 Ero quasi ros Israeli, germinabit sicut lilium: & erumpet radix eius ut Libani.

Germen Israelis.

Roris instar illis ero, ut Babylonicum fornacem & cando enim dominus fit credentibus lumen, uia, ueritas, paminum æstuantis imcẽdij meo rore restinguam. Quomonis, uinea, ignis, pastor, agnus, ianua, uermis, &cæt. sic quia indigemus illius misericordia, & peccatorum febribus æstuamus, in rorem nobis uertitur. Ad quem dicit Esaias: Ros enim qui à te est, sanitas eorum est. Cum autẽ dominus nos suo rore aspersérit, & siccitatem perctoris nostri suis pluuijs irrigarit, germinabimus, imò florebimus, ut lilium conuallium in Canticis: quumq; creuerimus in domino, mittemus radices nostras sicut arbores Libani, quæ quantum in auras consurgunt uertice, tantum radicem in imã demergunt, ut nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant.

7 Ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius: & odor eius ut Libani.

Harum arborum rami huc illucq; tenduntur, ut ueniãt uolatilia cœli & habitent in eis. Et ne forsitan putaremus de cedris eum loqui in Libano, et de infructuosis arboribus, sanctum uirum & conuersum ad dominum oliuæ frugiferæ cõparat, cuius fructu tumor uulnerum mitigatur, languentis membra requiescunt, in tenebris lumen accenditur, unguntur in agone certantes. Hæc olimonis, qui fertilissimus & uirens densissimis arborum comis protegitur.

8 Conuertentur sedẽtes in umbra eius: uiuẽt tritico, et germinabũt quasi uinea: memoriale eius sicut uinum Libani.

Conuersio ad dominũ.

Qui autem conuersi fuerint ad dominum, præmium conuersionis accipient, ut sedeant in umbra eius, ut dicant: Sub umbra eius requieui & sedi, & fructus eius dulcis est in ore meo. Ibi quoq; in regno Christi tam gentiles conuersi ad Christũ, quam Iudæi toto in orbe Messiam cogniturí, de quibus hoc totum caput loquitur, ad dominum deum suum conuertendi. Qui prius fuerant mortui, uiuẽt, id est, nutrientur tritico: uino optimo inebriabuntur, hoc est, rerum omnium abundantia, domino dicente: Comedite amici mei & bibite, & inebriamini charissimi, siue quia dominus noster ipse est frumentũ et uinea, quicunq; crediderit in eo inebriari dicitur.

9 Ephraim quid mihi ultra idola? ego exaudiam & dirigam eum, ego ut abietem uirentem: ex me fructus tuus inuentus est.

Cum ergo tãta rerũ abundantiat si futura, ô Ephraim, nimirum in Christo, omnis qui agis pœnitentiam, et qui meus esse cœpisti, dimitte idola, simulachra contemne: ego enim sum qui humiliaui te, & ego exaltabo, exaudiam & dirigam, faciamq; te quasi abietem uirentem, uel iuniperum condensam. Semper enim Christus & fideles florent, semper nouos habent fructus, uirorẽ suum nunquam deponunt, sub ipsa sedentibus uel dormientibus umbram largitur, ne mundi huius ardore feriantur, & ne percutiat æstus caput eorum, dat quoq; fruges et saturitatem esurientibus.

Florent fideles.

10 Quis sapiens & intelliget ista: intelligẽs, & sciet hæc? quia rectę uiæ domini, & iusti ambulabũt in eis: pręuaricatores uero corruent in eis.

Obscuritatem uoluminis & difficultatem explanationis ostendit. Si autẽ ipse qui scripsit, uel difficile uel impossibile confitetur, quid nos facere possumus qui lippientibus oculis, & peccatorum sordibus obscurati, clarissimũ iubar solis non possumus intueri? Sed dicere illud debemus, O profundũ diuitiarũ sapientiæ et sciẽtiæ dei, q̃ inscrutabilia sunt iudicia eius, et imperuestigabiles uiæ eius. Quicunq; uero sanctus est et iustus, rectas uias domini esse cognoscet. Vias autem domini esse cognoscimus lectionem ueteris & noui testamenti, et sanctarum intelligentiam scripturarum, ablato uelamine carnalis sensus, & fastuosi animi, ut uideat gloriam dei & quærat, non propriam. Simplicius tamen dici potest, ut concludẽdo uelit dicere: Omnis sapiens hæc uerba quæ dei sunt intelliget, non autem sensu elati & fastuosi. Viæ domini dei certæ sunt, approbabunt eas omnes uere sapientes & modestia intellectus prædíti, ac sensu communi non deprauati. Quicquid contra dei uerbum dicitur, falsum est. Iusti in uerbo dei uitam inuenient æternam, impij damnationem & mortem.

Difficultas scripturæ.

FINIS.

COMMENTARIA IN IOELEM PROPHETAM, QVI INter duodecim secundus habetur.

CAPVT PRIMVM.

1 
VERBVM dñi qd factũ est ad Ioel filiũ Phatuel.

Ioel propheta quo tẽpore prophetarit nõ satis liquet, uaria tradentibus Latinis atq; Hebræis. Hieronymus dicit contemporaneum Osee prophetæ. Hebræorum quidam in diebus Ioram filij Achab, cum esset fames in terra septem annis. Alij sub Manasse prophetasse cum Nahum & Abacuc. Quod autem dicitur in hoc propheta, pertinet ad tribum Iuda, ac Ierusalem. Primum autem loquitur de quadruplici uastatione terræ Iudæ à locustarum multitudine maxima & insolita, quam cladem sequuta est ingens fames & rerum omnium penuria. Quæ uastatio terrænascentium, significabat secundum uerbum domini maximam deuastationem superuenturã hominibus regni Iudaici successiue à quatuor regibus, donec tota regio in solitudinem & desertum redigeretur. Id uero contigit non solum infestationibus Assyriorum, Chaldæorum, Græcorum, & Romanorum: sed ueri similiter exponi potest de prophetæ illius uicinioribus tẽporibus, quando unã cladẽ post aliã pertulit populus Israeliticus, donec totus eijceretur à sua hæreditate. Legimus enim ab Syrorum regibus sæpe maxime fuisse afflictos, deinde ab Assyriorum regibus Sennherib, ab Aegyptijs quoq; qui Iosia, occiso filium Ioachas inauguratum regem captum, non sine damno prouinciæ & urbis in Aegyptũ duxerunt. Tandem etiam à Chaldaico exercitu primum Iechonia & Ioiakim captis, regnũ cũ urbe, tẽplo et populo destructa sunt. Quæ lis consequenter facta desolatio terræ, significari potuit per quatuor genera cladium, quas propheta describit. Vt sit clarior litera, donec secundo capite de futuris Meßiæ temporibus prophetare incipiat. Prophetarum autem eloquia non aliter suscipienda sunt, quàm uerba dei, quæ si contemnantur, necesse est plagas non mediocres sequi in hominibus & regionibus. Ioel autem incipiens interpretari potest, quod quo prosit non uideo, quantumlibet ueteres multa ex nominũ huiusmodi expositionibus mysteria cõsequi tentarint, non magno fructu. Filius Phathuelis, quem etiam prophetam fuisse Hebræi suspicantur, quod nos discretionis gratia adnexum credimus. An uero de tribu Ruben fuerit & in agro Bethoron natus & sepultus, nõ attinet ad institutũ: quamlibet de his Epiphanij nomine liber non solidæ ueritatis

Tempus prophetæ.

circunferatur, quem negligere malui quàm sectari.

2 Audite hæc senes, & auribus percipite oẽs habitatores terrę: si factum est istud in diebus uestris, aut in diebus patrũ uestrorũ,

3 Super hoc filijs uestris narrate, et filij uestri filijs suis, et filij eorũ generatiõi alteræ.

Senes inclamat, qui multorum sæculorum historias experimento didicerint, & iudicio polleant ac authoritate. Auribus quoq; percipere iubentur omnes habitatores, quos omnes tangebat. Sciebat enim obscuriora esse quæ dicenda erant, ideo ad reconditam quoq; dictorum intelligentiã prouocat. Si factum est, inquit, istud in diebus uestris, aut in diebus patrum uestrorum: quasi dicer Roboã propheta ret, Nunquam talibus quæ dicturus sum similis fuit aut distus. Arte rhetorica ex rerum magnitudine auditorem facit. Nulla hæc, inquit, ætas meminit quæ dicturus sum, nec uestris, nec patrum, aut maiorum, facta sunt temporibus, quæ & filijs uestris posterisq; narrate, ne excidat æuo sæculorum futurorum tam rari negotij portentiq; memoria à filijs hominum.

4 Residuum erucæ comedit locusta, & residuũ duũ locustæ comedit bruchus, & residuũ bruchi comedit rubigo.

Potest æque uideri & rationabilius eodem anno cõ Potest uoc. tigisse has quatuor terrænascentium clades consequenter, sicut quatuor sequentibus annis successiue, ut pluribus uidetur. Vt cum primo tempore uermes erucæ, quæ in oleribus maxime inueniuntur, ab arrodendo uel tondendo Hebræis nomen assecutæ, uastassent magnam partem germinũ, aliqua tamẽ reliqu issent salua: statim subsequentes locustæ à multitudine nomen sortitæ, quæ penitus depopulatæ sunt omnia. Tertio succedunt bruchi, Hebræis dicta animalcula ab ablingendo uel decerpendo. Tãdem quod uitioris reliquũ fuerat in arboribus, et cunctis terrænascentibus, rubigo absumpsit, ut tum sicut licet tinearum & segetum uastatio, quando uentus uritę flauescere incipiunt omnia, ut granũ non proferatur, & si prodierit, uanum inuenitur & prorsus inutile.

Vastatio terræ.

5 Expergiscimini ebrij, et flete & ululate omnes qui bibitis uinũ in dulcedine: quoniam perijt ab ore uestro.

Sæpe fit prouidentia dei, ut qui dei beneficia non cognouerunt in prosperis & abũdantia, sed abusi sunt malitia & ingratitudine, corrigantur ad penuria et aduersa. Vt hic, qui uini ebrietate sopiti fuerunt, adhortantur ut cuigilent, & plorent se ebrios fuisse, ut sequens ululatus ac fletus uertatur in risum, & gaudeat se ebrietatis materiã nõ habere, unde uesaniã incideratet ebrietatẽ.

6 Gens enim ascendit super terram meam, fortis & innumerabilis: dẽtes eius ut dentes leonis: & molares eius ut catuli leonis.

Videri potest in diebus Ioel reuera tam innumerabilem locustarum super Iudæam uenisse multitudinem, ut cuncta complerent, ut non solũ fruges, sed ne uiticarum quidem & arborum cortices ramosq; dimitterent, ita ut omni uirore consumpto, arentes rami & sicca uinea rum flagella remanerent: etiamsi hæc in libris Regum & Paralipomenon

& Paralipomenon scripta nõ sint, quos constat nimium abbreuiatos, & quæ gesta sunt, multa nõ habere. Et ut hæc facta quidem sint uel non sint, metaphora tamen est præsens scriptura ad hostium crudelium aduentum, non una sed multis uicibus terram Iuda uastantium, ut tandem nihil superfuisse contigerit, Aegyptijs scilicet, Syris, Assyrijs, & Chaldæis subinde terram Iuda in uniuersum redigentibus in solitudinem septuaginta annorum. Nomen enim gentis non solum ad homines referri potest, sed etiam ad animalia, ut dici possit gens & exercitus locustarum, imò & rubiginis aduenisse fortis et innumerabilis, quibus humana industria resisti non possit. Dentes eius quasi leonis dentes sint, & molares eius ut catuli leonis, ut qui fortitudine & multitudine locustis coæquantur, ferocitate & crudelitate leonibus comparentur.

Mollis crudelitas.

7 Posuit uineam meam in desertum, & ficum meam decorticauit: nudans spoliauit eam & proiecit, albi facti sunt rami eius.

Vinea uastata.

Redegit tam multiplex locustarum genus quàm crudelis multorum regnorum populus, Iudæam uineam domini sabaoth, populum Iudaicum in solitudinẽ, ut omnibus depopulatis, terra sola sine hominibus & iumentis extaret, horrida tantũ tellus & squalida habitatio draconum & ferarum solitudines amantium. Ficum quoq; meam decorticauit, ut sine fructu aliquando maledicere tur à Christo, Scrutaturq; eatenus omnia, ut quicquid in illis uitale fuerit interficiat, ut omni uirore consumpto, emortui tantum ramusculi dimittantur.

8 Plãge quasi uirgo accincta sacco super uirum pubertatis suæ.

Iudaicus populus, qui uelut sponsa uirgo nulla idololatriæ sorde polluta, coniunctus est domino suo, quem & patrem & principem uirginitatis suæ appellare iubetur à tempore Abrahæ, Isaac & Iacob, in quibus eum sibi dominus ut spõsam elegit & desponsauit. Quandiu sponsum habuerit præsentem, nec plangere potest, nec abscessi sponsi desiderium lachrymis indicare. Cum autem ablatus fuerit sponsus ab ea, plangere iubetur et accingi cilicio, proq; zona reste circundari.

9 Perijt sacrificium & libatio de domo domini: luxerũt sacerdotes ministri domini.

10 Depopulata est regio, luxit humus: quoniam deuastatum est triticũ, confusum est uinum, elanguit oleum.

11 Confusi sunt agricolæ, ululauerunt uinitores super frumento, & hordeo, quia perijt messis agri.

12 Vinea confusa est, & ficus elanguit: malogranatum, & palma, & malum, omnia ligna agri aruerunt: quia confusum est gaudium à filijs hominum.

Ob locustarum siue hostium incursum creberrimum, qui sub eorũ specie describuntur, uastatis omnibus atq; consumptis, perijt sacrificium & libatio de domo domini: quorum alterum de similia, alterũ de uino offerebant sacerdotes & ministri domini, quia cessabant decimæ, regione uniuersa depopulata, ideóque lugebant omniat humus, hoc est qui uersabantur in humo, triticũ, uinum oleumq; elanguit: ipsi quoq; agricolæ & uinitores confusi sunt & ululauerunt. Omnia enim aruerunt & ipsa messis perijt, quicquid scilicet humus gignere solet. Arborum quoq; poma siccata sunt, ficus elanguerunt, malogranata & palma & malum, omnia ligna frugifera ac infructuosa locusta uastante consumpta sunt, ut gaudium omne auferretur à filijs hominum. Quod tandem factum de Iudæa à Babylonijs propheta Ieremias testatus est.

13 ¶ Accingite uos, & plangite sacerdotes, ululate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco ministri dei mei: quoniã interijt de domo dei uestri sacrificium & libatio.

Sacerdotes templi qui non minima causa fuerunt instantis calamitatis, quia populũ nõ pro uirili instituerũt in timore domini, & sua magis quæsierunt quàm gloriam dei, accingantur nunc cilicio, & plangant tam sua quàm populi corrupti peccata, ingrediantur in cœtum, & in templo orando pernoctent, sacco & cinere humiliati, delicijs omnibus resignantes, quas uitæ austeritate compensent, propheta eos ad pœnitentiam cohortante. Sacerdotes ad planctũ.

14 Sanctificate ieiunium, uocate cœtũ, congregate senes, omnes habitatores terræ in domum domini dei uestri: & clamate ad dominum.

Si omne ieiunium placeret deo, non diceret, Sanctificate ieiunium: hoc est, continete uos ab oblectamentis corporeis quibuscunq;, quæ impediãt ab oratione & lectione, operibusq; pietatis & charitatis. Non enim ieiunium est, semel tantum in die edere, & uentrem postea onerare ad tempus, quorum utrũq; impedit animum ab operibus sanctis, quo modo monachos nostros ieiunasse certius est quàm ut dici debeat. Et tamen sanctificare ieiunium Hebraico usu, est indicere, instituere, & ad illud populum conuocare. Congregatio senum in cœtu multum habet reuerentiæ & authoritatis, ætasq; illa uicina morti magis suscipit timorem dei & cultum. Omnemq; ecclesiam congregari iubet in ecclesiam, ut discamus quid sit ecclesia, dispar scilicet grex, sacerdotum & populi, senum & habitatorum terræ, ne se soli episcopi ecclesiam fateantur: talis autem ecclesiæ oratio ad dominum exaudietur. Ieiunium quale.

15 A, a, a, diei: quia prope est dies domini, et quasi uastitas à potente ueniet.

Vox pauentium & lugentium est aha. Dies autẽ domini, est dies retributionis omnium peccatorum, quum iniquitates populorum peruenerint ad mensurã iustam, quam iustitia dei ferre ultra non uelit, dum instat iudicium domini, inuiolabilisq; sententia, ut pœnitentiæ nullus locus relinquatur, et differri ultio diutius non possit. Quodq; sequitur: Et quasi uastitas à potẽte ueniet: hic sensus est, quod mala succedant malis, & peccata magna semper maioribus aggrauari cernuntur, ut mundus totus uideat iustum dei iudicium, si corpus & animam perdere dominus uideatur in gehennam. Quod ge Dies domini.

neraliter de die iudicij dictum est, hic refertur ad tempus Iudaicæ captiuitatis & destructionis templi domini. Non multo enim post tempore sequuta est decem & duarum tribuum ab Assyrijs Chaldæisq; captiuitas.

16 Nunquid non coram oculis nostris alimenta perierunt de domo Dei nostri lætitia & exultatio?

Alimenta pereuntia.

Ante oculos pereunt alimenta peccantium, quando iam speratæ fruges è manibus auferuntur, & præuenit locusta messorem, ut quod spe in horreis conditum est, bruchus & rubigo consumat. Cumq; fuerint alimenta sublata, uox exultationis & laudis gratiarumq; actionis non auditur in ecclesia, sed esurientiũ: & fragilium imbecilliumq; gemitus & lamentum in templo quidem resonat, multo autem magis in casis egentium.

17 Computruerũt grana seminũ sub glebis suis, demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ: quoniã confusum est triticum.

Hebræi sic exponunt, Cõputruerunt grana seminum sub terra sub glebis, ne succrescat seges, uel pluuiarum frequentia, uel raritate nimia. Quin etiam intra horrea uel theccas uastantur, ut nulla hominibus inde redeat utilitas, non minus quàm si omnia exaruissent. Nouit enim dominus artes puniendi impios, etiam si plena habeant horrea sua, multo magis in agro.

18 Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? Quia non est pascua eis: sed et greges pecorum disperierunt.

Vbi nihil congestum fuerit in horrea, non mirũ si per hyemem iumenta ingemiscant, pabulo fraudata necessario. Greges quoq; ouium flebunt, id est ægerrimè ferent tantam iacturam cibi, cum pascua nulla inuenient. Sublatis enim frugibus atq; uastatis, fames & pestilẽtia cuncta corripiet & absumet.

19 Ad te domine clamabo: quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis.

20 Sed & bestiæ agri quasi ceruus clamabũt (suspexerũt) ad te: qm̃ exiccati sunt fontes aquarũ, & ignis deuorauit speciosa deserti.

Deus solus consolatio piorum.

Propheta clamante ad dominum, & conquerente omnia speciosa deserti, plana scilicet camporum & pratorũ, florentia & uirentia herbis loca, igne ardoribusq; & animalibus uastata: bestiæ quoq; & iumenta suspexerunt ad dominum, quasi areola sitiens imbrem: uel secundum Hebræos ceruus rugiẽs ob defectum herbarum & foliorum. Fruges enim et poma pariter interierunt, quia siccati sunt fontes aquarum, & quicquid in deserto potuit inueniri uorax flamma consumpsit. Ad te igitur suspiciunt & clamant omnia, qui solus potes amoliri omnia hæc mala, non sancti patres mortui uel diui qui cunq;, solus ergo inuocandus.

¶CAPVT II.

1 Tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur oẽs habitatores terræ: quia uenit dies dñi, quia prope est

Rursum per metaphoram locustarum describitur impetus Chaldæorum, iubentúrque per prophetam omnes qui possunt dei audire sermonem, ut quasi tuba exaltent uocem suam, & in Sion prædicent & clangant, in monte sancto suo, ut ad strepitum clamoris & buccinæ omnis Ierusalem populus contremiscat. Cumq; cecinerit hoc dicit propheta, nequaquam dies domini ultra differetur, dies scilicet ultionis & uindictæ tot peccatorum, quibus regnum Iuda dominum irritauit, propter peccata Manassis & aliorum: adest enim uicina captiuitas. Chaldæi in curiosa.

2 dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & caliginis. Quasi mane expansum super montes populus multus et fortis: similis ei non fuit à principio, & post eum non erit usq; in annos generatiõis & generationis.

Dies domini quatuor habet calamitatis epitheta hic enumerata. Iam de suo loco Babyloniorum est egressus exercitus, prope est dies tenebrarum & angustiæ, dies caliginis & nubis in qua auferetur omne lumen lætitiæ, & cuncta tenebris opprimentur. Sicut, inquit, mane & diluculum subito tenebras fugat, & cunctos membres aurora sine impedimento illustrat: ita Babyloniorum per omnem terram uestram fundetur exercitus. Nec putetis turbam esse imualidam, populus multus & fortis est, cuius similis nec in præterito nec in futuro ulla gens alia poterit inueniri. Dies domini.

3 Ante faciem eius ignis uorans, & post eũ exurens flamma: quasi hortus uoluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti: neque est qui effugiat eum.

Quicquid attigerit quasi uorax flamma consumet, nihilq; post se integrum derelinquet. Quasi hortus & paradisus uoluptatis omnis terra est quam nõ tetigerit: uel quantumlibet amœnißima sit & pulcherrima aut optima, quasi solitudo & desertum erit qui quid fuerit deprædata, nec ullus poterit inueniri qui illius effugiat manus.

4 Quasi aspectus equorũ, aspectus eorum: & quasi equites sic current.

Aspectus eorum quasi ferocium equorum, & quasi equites huc illucq; discurrent: non quo Babylonij equitibus comparentur, sed quo locustæ per translationem hostium quasi equites dicantur huc illucq; discurrere, et persequi fugitiuos. Ob celeritatem pedites & equites impediri non poterunt, quo minus etiam montium uertices superent.

5 ¶Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exilient, sicut sonitus flammæ ignis deuorantis stipulam, uelut populus fortis præparatus ad prælium.

Sicut sonitus, inquit, quadrigarum & currum, sic exerit sonitus locustarum, super capita montium exilient, ut omnia excelsa conscendãt. Et sicut stipulam citò flamma consumit, ita sonitus & terror uocis eorum cuncta populabitur. Quodq; infert, Velut populus fortis præparatus ad prælium, rursum ad locustas refert, ut non quasi de hostibus, sed quasi de locustis referre uideatur. Et tamen

men dum locustas legimus, Babylonios cogitemus.

6 A facie eius cruciabuntur populi: omnes
vultus redigentur in ollam.

Tantus terror erit, ut omnes per circumitum nationes, & animo & corpore perhorrescant, imò crucientur, & pauoris magnitudine vultus omnium in fuligine ollæ similitudinem conuertantur, quæ igne combusta nigredinem & fuliginem fœdi monstret aspectus.

7 Sicut fortes current: quasi viri bellatores
ascendent murum: viri in viis suis gradientur, & non declinabunt à semitis suis.

Discurrent, inquit, quasi viri fortes, haud dubium quin locustæ, & quasi viri bellatores ascendent murũ, ut mutorum sublimitas impetum fortium prohibere non ualeat, & nequaquam per portas, sed per muros ingrediantur superatos. Singuli in uijs suis suo more & ordine ingredientur, nec declinabunt à semitis suis. Hoc nuper in hac prouincia Palæstinæ, ait diuus Hieronymus, uidimus. Cum enim locustarum agmina uenirent, & aërem qui inter cœlum & terram est occuparent, tanto ordine ex dispositione iubentis dei uolitant, ut instar tesserularum, quæ in pauimentis artificis figuntur manu, suum locum teneant, & ne puncto quidem, ut ita dicam, unguem transuerso declinent ad alteram.

Locustarũ agmina.

8 Vnusquisq; fratrẽ suum nõ coartabit, sin
guli in calle suo ambulabũt: sed & per (gladium) fenestras cadẽt, & non demolientur.

9 Vrbem ingredientur, in muro current:
domos cõscendent, per fenestras intrabũt
quasi fur.

Vt apertam faceret metaphoram, Et per fenestras ait, cadent, & non demolientur. Nihil enim locustis inuium est, quum & agros & sata & arbores & urbes & domos & cubiculorum secreta penetrent. Hoc autem de locustis dicitur, ut de hostibus intelligatur. Seruat enim coeptam narrationẽ, ut hostes dicat ingredi urbem, per muros discurrere, domos penetrare: sin minus possint per ostia, per fenestras conscendere quasi fures: nõ quod furum timorem habeant qui uictores sunt, sed ut fures sic ianuis, ne ulla sit mora, per fenestras tota irrumpent audacia.

Bestiarum latratus.

10 A facie eius contremuit terra, moti sunt
cœli: sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ
retraxerunt splendorem suum.

A facie istius modi locustarum terra contremuit, cœli moti sunt, quæ dicta hyperbolice sentiamus: non quod locustarum & hostium tanta uis sit, ut possint mouere cœlos, & terram concutere, sed quod aduersa patientibus, præ terroris magnitudine & cœlum ruere, & terra fluctuare uideatur. Denique præ multitudine locustarum obtegentium cœlum, sol & luna conuertentur in tenebras, & stellæ retrahent lumen suum, dum lumen in medio, nubes posita locustarum ad terram non sinit peruenire.

11 Et dñs dedit uocem suam ante faciem ex
ercitus sui: quia multa sunt nimis castra

eius, quia fortia facientia uerbum eius: magnus enim dies domini, et terribilis ualde: & quis sustinebit eum?

Dominus quoque dabit uocem suam ante faciem tam potentis exercitus, quia multa sunt castra eius, & magnitudo uirtutis eius in paruis quoque animantibus demonstratur. Hæc autem multa castra & innumerabilia fortia sunt nimis, & facientia uerbum illius. Quo dicto ostenditur, Babylonios dei uoluntate uenturos, & illius imperio parituros. Magnus est, inquit, dies domini, quo capienda est Ierusalem, & ualde terribilis, nullus eum poterit sustinere, & de necessitate captiuitatis aut mortis cuadere.

12 Nunc ergo, dicit dominus, conuertimini
ad me in toto corde uestro, & in ieiunio,
& fletu, & in planctu.

Territos magnitudine imminentium malorum Iudæos nunc ad pœnitentiam prouocat, & conuerti ad dominum cohortatur, ut tota mente correcti, non patiantur quæ dominus comminatur. Et est sensus: Omnia quæ sermone præterito continentur, propterea sum loquutus, ut uos cõminatione mea terrerem. Vnde cõuertimini ad me in toto corde uestro, & animi pœnitentiam & tædium pro peccatis præteritis, ieiunio, fletu & planctibus indicate, ut nunc ieiunãtes, postea saturemini: nunc flẽtes, postea ridcatis: nũc plangẽtes, postea cõsolemini.

13 Et scindite corda uestra, & non uestimen
ta uestra, & cõuertimini ad dominũ deum
uestrũ: quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & prestabilis
super malitia.

Et quia cõsuetudinis est, ut in tristibus ac aduersis scindatis uestes, idcirco ego præcipio uobis, ut nequaquam scindatis uestimenta uestra, sed corda quæ plena habetis peccatis, quæ instar utrium, nisi scissa fuerint sponte rumpentur. Cumq; hoc feceritis, redite ad dominum deum uestrum, quem uobis priora peccata alienum fecerant, nec desperetis uenian ex scelerum magnitudine, quia magna peccata magna delebit misericordia. Est enim benignus & misericors, malens pœnitentiam peccatorum quàm mortem, patiens & multus in misericordia, qui non humanam imitatur impatientiam, sed longo tempore nostram præstolatur patientiam, & præstabilis siue pœnitens super malitijs, ut si nos egerimus super peccatis pœnitentiam, & ipsum pœniteat comminationis suæ: & mala quæ cõminatus est nobis, non inferat, nostræq; mutatione sententiæ et ipse mutetur. Malitiam autem in hoc loco non contrariam uirtuti debemus accipere, sed afflictionem iuxta illud: Sufficit diei malitia sua: & si est in ciuitate malitia quam dominus non fecerit.

Scissio cordis & uestium.

14 Quis scit, si conuertatur, & ignoscat, &
relinquat post se benedictionẽ: sacrificium
& libamen domino deo uestro.

Ego quidem hortor quod meum est, ait propheta, ad pœnitentiam, & deũ ineffabiliter noui esse clementem: sed quia profundũ diuitiarum & sapientiæ & scientiæ

dei nosse non possumus, sententiam tempero, & opto potius quàm præsumo, dicens: Quis scit si conuertatur & ignoscat? sacrificiũ et libamen domino deo nostro: ut postquam dederit benedictionem, & nostra nobis peccata donauerit, deo hostias offerre ualeamus. Caute loquitur propheta: Quis scit si reuertatur? Sperandũ quidem fortiter in Deum, sed non præsumendum de gratia dei, propter magnitudinẽ peccatorũ nostrorum & incertitudinem pœnitentiæ nostræ & mentis pharisaicæ.

15 Canite tuba in Sion, sanctificate ieiuniũ, uocate cœtum,

16 congregate populũ, sanctificate ecclesiã, coadunate senes: cõgregate paruulos, et sugentes ubera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.

Ad pœnitẽtiã hortatur

Adhuc eos ad pœnitentiam cohortatur, prius cœpta resumens, ant cũ ueniat hostilis exercitus. Supra, inquit, dixeram, aduersa plurima, quæ uos propter peccata manerent: nunc quia benignus sum & misericors, rursum præcipio & dico, Pœnitentiã cõmuniter & palàm prædicate, ordinate legitimum & religiosum ieiunium, congregate populum, ut qui dispersus peccauerat, et distractus per uarios ritus fuerat, ad unius dei culturã ueram congregatus, peccare desistat: Sanctificate ecclesiam, ut nullus in ecclesia sit publice sceleros us, et idololatra uel impœnitens, ne impediantur orationes uestræ, & modicum fermentũ totam massam corrũpat: Colligite senes, ut reuerentia & honestas locum in uobis habeat, & exemplar pœnitẽtiæ timorisq; diuini iuniores sumant à senioribus: Paruulos quoq; & sugentes ubera cõgregate, ut humilius, ardentius & innocẽtius uestra deo uota et orationes persoluatis, ne ulla sit ætas, quæ nõ conuertatur ad dñm. Non seruiat sponsus & sponsa operi nuptiali, quibus & lege permissum est, ut ad bella non procedant. Recedendũ enim parumper à legitimo coitu est, ut uacare possimus orationi, & cõmunem cladem cõmuni oĩm planctu domino cõmendemus, chariorq; sit periclitantis ecclesiæ salus quàm priuatæ libidinis ardor.

17 ¶Inter uestibulũ & altare plorabũt sacerdotes ministri domini: & dicent: Parce domine, parce populo tuo: & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes: quare dicunt in populis, Vbi est deus eorum?

Sacerdotũ oratio pro populo.

Sacerdotum et ministrorum dei est, nõ ficte, sed syncere flere peccata populi, et morũ conuersionẽ docere, orare pro populo, et sacrificare hostias laudis, et confessionis peccatorũ & cordis cõtriti, non tantũ in quadragesima & cãtibus ficte & ad horã, ut fit in ecclesia de more. Id aũt faciebãt tunc cõstituti inter altare holocaustorum & uestibulũ, quod erat prior pars tẽpli, sicut sanctum sanctorũ posterior erat. Docetur insuper qd dicere debeãt sacerdotes, quomodo dñm deprecari: Parce dñe populo tuo per pœnitentiã, quæ est uitæ emendatio uera et ex animo. Breuis est hæc Litania, Parce dñe, parce populo tuo. Ad solũ deũ clamatur, q solus uult & potest iuuare, Nullius hic opus est sancti patrocinio, nisi

Christi solius, in cuius noĩe orandum pro peccatis. Datur autem in opprobrium hæreditas domini, quando seruierit hostibus, et dixerint natiões: Vbi est deus eorum? quem sibi præsulem, quem sibi defensorẽ esse iactabant.

18 Zelatus est dominus super terram suam, & pepercit populo suo.

Terram quam prius quasi alienam contempserat, & passus fuerat locusta uastãte populari, iã in tantũ peperc it pœnitentibus, ut eos dignos sua responsione faceret.

19 Et respondit dominus, & dixit populo suo: Ecce ego mittam uobis frumentum, & uinũ, & oleum, & replebimini eo: & nõ dabo uos ultra opprobrium in gentibus.

20 Et eũ qui ab aquilone est, procul faciam à uobis: & expellã eum in terram inuiam & desertam, faciem eius cõtra mare orientale, & extremum eius usq; ad mare nouissimum: & ascendet fœtor eius, & ascendet putredo eius, quia superbe egit.

Post breuissimã Litaniã, sed ex animo cõtrito dictam, Confestim deus statim humiliatis respõdet, dicens: Quoniã oẽs fru- ges uestras locusta, bruchus rubigoq; uastauit, ideo dabo uobis frumentum, et cætera quæ propheta describit, et ultra uos non tradã captiuitati: & Assyrium atq; Chaldæum, qui ab aquilone est, procul faciam à uobis: & expellam, inquit, eum in terrã solitudinis: et primas partes illius cadent in mare orientale, in quo fuit quondã Sodoma cum cæteris: & posteriores in mare nouissimũ, hoc est, ad occidentem, quod ducit in Aegyptum. Cumq; litora utriusq; maris aceruis mortuarũ locustarum, ymbres aquæ euomerãt, implerentur, putredo carũ & fœtor intantum noxius fuit, ut aerẽ quoq; corrũperet, & pestilentia tam iumentorũ q̃ hominũ gigneretur. Translatio ne aũt locustarũ describit perpetuò hic propheta impetum Assyriorũ et Chaldæorũ, quo Iudæa uastata est, quorum centũ & octogintaquinq; millia sub rege Ezechia in una nocte angelo sæuiente percussa sunt. Nec tamen similitudines tenent in omnibus, quandoquidẽ de locustis suo modo fieri solet, ut in illa maria conijciantur. Et exercitus Sennherib nõ suo fœtore corrupit terram, sed nisi nouo miraculo dñs præuenisset, corrupisset. Et fieri potest, ut populus Iudaicus nõ audierit uocẽ prophetæ, ideo Chaldæorum exercitu uastatus est, ut prædixerat dñi ppheta. Iuxta literã quoq; magis auster q̃ aquilo locustas adducit: uerũ quoniã de Assyrijs uẽturis ppheta bat, locustarum typo aquilonem dixit, non austrum.

21 Noli timere terra, exulta & lętare: quoniã magnificauit dominus ut faceret.

Videri potest id quod sequitur promissio bonorũ esse, quæ Iudæis contigerunt uel tempore Ezechiæ post stra Tem- gem Assyriorũ, uel tẽpore Zorobabel post captiuitatẽ discuti- Babylonicam, sed utraq; felicitas minor fuit, quàm ut sequentibus dictis plene significata putetur. Sed magis elucet ueritas, si maximo bono quod Iudæis collatũ est, præ omnibus gentibus applicetur. Hoc aũt est profectus pietatis & uirtutis, cum uera felicitate fidelibus, quæ tantis Israelitis contigit quàm cæteris omnibus gentibus per eosdem

eosdem, primum quoq; in terra Israel & Iuda, deinde in toto mundo. Sic ergo intelligendum est, quod sequitur, de tẽporibus scilicet Meßiæ usq; ad finem ferè prophetiæ. Tu, inquit, ô terra Israel & Iuda, quæ locustis tam pernitiosis, id est, exercitu tot hostium maxime Babylonico, tandem tota uastata es, ut nulla spes restitutionis supersit iudicio omnium. Noli tamen timere à tam horribili statu tuo, sed exulta potius, & lætare, quia magnifica adhuc faciet tecum dominus deus, & quæ ad inferna usq; prolapsa uideris, iudicio dei iterũ magnificaberis, & exaltaberis usq; in cœlum, et quæ nunc omnibus populis subiecta es, suo tempore omnibus dominaberis.

22 **Nolite timere animalia regionis: quia germinauerunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus & uinea dederunt uirtutem suam.**

Non semper durabit tanta siccitas, solitudo, sterilitas & penuria uictualiũ in hac terra, qua animalia perire cogãtur uel aufugere: sed denuo florebit campus uberrimis pascuis, speciosißima redibunt prata, arua seminaria, uineæ & horti. Arbores proferent copiosißimè fructus suos, ficus et uinea pducent iuxta suã fortitudinem et fœcunditatẽ copiosißimũ prouentũ, et opes eximias.

23 **Et filij Sion exultate, & lætamini in Dño deo uestro: quia dedit uobis doctorẽ iustitiæ, & descẽdere faciet ad uos imbrem matutinum & serotinum sicut in principio.**

Quicunq; ciues in Hierosolyma eritis, cõuersi ad dominum deũ, exultate & lætamini in dño deo, melior est enim causa uestra q̃ sperare posßitis. Dedit enim uobis dñs, id est, dabit, prophetico stilo, doctorẽ eximium pro tot falsis pphetis qui uos seduxerunt, doctorem iustitiæ, qui inducet uos in omnem iustitiã fidei in deum, & charitatis in proximos, imbrem salutis et gratiæ, Euangeliũ ueritatis, & fluenta diuini spiritus, qbus tota terra fœcundabitur, ut fructũ suum pferat. Restituemini quoq; in eã cum dño amicitiã in qua fuistis cum essetis sanctißimi. Hæc suo quoq; modo impleta fuerũt sub Ezechia rege post stragẽ Sennherib, sed clarius sub Christo: potest enim & Isaias, pillo tẽpore dictus fuisse doctor iustitiæ.

Conditio bona Sion.

24 **Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia uino & oleo.**

Copia frumenti implebuntur horrea uestra, et uino optimo & multo exundabunt torcularia uestra, & oleo lætitiæ ac clemẽtiæ et ubertate oĩm fructuũ ditabimini. Diuites enim eritis in omni bono, charismatis donorum dei pfundemini, fideles scilicet & cõuersi ad dñm, quiq; ex corde de illius gloria, & uestra salute gaudebitis.

25 **Et reddã uobis annos quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca: fortitudo mea magna, quam misi in uos.**

Anni de Christo.

De Meßiæ temporibus hæc dici testatur Ionathas Syrus, ordinarius iudæorũ interpres. Compensabo, inquit, dominus, uobis annos infelicitatis et calamitatum, quos pertulistis, ppter peccata, cum fueritis emendati: et quadruplũ reddã, longe scilicet plura ac meliora q̃ sperare nunc audeatis. Qui enim gloriam Christi domini et apostolorum sanctorumq; uerorum non agnoscunt & magnificiunt, ijs nihil de gloria uera dicendũ est. Qui gentis Iudaicæ merita & gratiam non reuerentur, isti gratia dei non fruentur, quam scilicet in Christo assequuti sunt toto orbe, cum olim tantum notus in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius caneretur.

26 **Et comedetis uescentes, & saturabimini: & laudabitis nomen domini dei uestri qui fecit mirabilia uobiscum, & non confundetur populus meus in sempiternum.**

Redacti quidẽ sunt è captiuitate, et pfecerunt semper in temporalibus, donec tempus plenitudinis appetijt, in quo electi ex eis, pmißionum domini felicitatem assequerentur: reprobi aũt mercedem impietatis, quã illis reddi oportuit ingratis, reportarẽt. Comedetis ad saturitatẽ, bonis dñi implebimini, et laudabitis nomen domini Dei uestri, quẽ nũc postponitis idolis uestris, q̃ fecit et faciet mirabilia uobiscum, cõstituendo uos doctores oĩm hoĩm electorũ, ministros euãgelicæ gratiæ, prædicatores gloriæ dei, quorum in oẽm terrã exibit regula fidei, & uerba salutiferæ doctrinæ. Et non cõfundetur uel erubescet in æternum, populus qui meus fuerit, fideles ex Iuda & Israel, hoc est oĩm populorum glorioßimi erunt, qbus cedent reges & natiões amãtißima sua, & prædicationi sacræ colla subijciẽt, Israelitarũ dogmatibus credent.

Cibus animæ.

27 ¶ **Et scietis qa in medio Israel ego sum: & ego dñs deus uester, & non est amplius: & non cõfundetur populus meus inæternũ.**

Qui nunc in utrãq; partem claudicatis, et nũc Baalim nũc dñm reueremini, et pphetarum prædictionibus non creditis: illo tẽpore cum totũ orbẽ soli illi deo uestro adhærere uideritis, et pphetias cõpletas uideritis, & oẽs gentes casdẽ amplecti, tunc nimirũ scietis, quia dñs deus uester nunc est in uobis, & prophetæ fideles sunt, uosq; tunc pœnitebit errorũ quibus nunc inuoluimini. Tunc me dñm deũ uestrũ, solũ coletis, & oĩa idola reliqua uanitatẽ fuisse scietis et docebitis, & ab ipso postea nunq̃ deficietis, sed in deo glorificabitur omne semen Israel, cum uideritis lumen ad reuelationem gentium proceßisse, salutẽq; emanasse ex Iudæis, uitaq; & ueritatis fluenta de Sion redundasse ad omnes plagas mundi.

Claudicatio cessatura.

28 ¶ **Et erit post hęc: effundã spiritũ meũ super oẽm carnẽ: & prophetabunt filij uestri & filię uestræ: senes uestri somnia somniabunt: & iuuenes uestri uisiones uidebunt.**

Tunc cum replebitur tota terra scientia domini, dum euangelium ab his Israelitis ueris, qualis fuit Nathanael, prædicabitur ubiq;. Effundã spiritũ meum sine delectu, non solum super Iudæos, sed super reliquas quoq; gẽtes, quomodo Petrus spiritu sancto repletus exposuit, et tũc completam hanc prophetiã testatus est. Et Iudæi quoq; fatentur hunc locum de Meßiæ exponendum temporibus, quãdo scilicet descendit spiritus sanctus in die Pentbecostes & deinceps, super credentes, & loquebãtur sicut spiritus sanctus dabat eis, ad miraculũ nõ solũ tunc præsentiũ, sed oĩm sapientium huius mundi. Apostolos autẽ & apostolicos uiros, pphetasse, et toti mundo per-

Scientia domini in tota terra.

suasisse unius dei gloriam & gratiam, quod dudum prophetæ Israelitarum semper duræ ceruici non poterant: quis dubitabit opus esse spiritus ex alto effusi in pectora fideliũ? sine delectu sexus & ætatis, gentis & nationis, Iudæi et Græci. Omnes enim gratia dei illustrati sunt ad uisiones & scripturas discernendas, exponendas, persuadendas hominibus toto orbe à deo electis.

29 **Sed & super seruos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.**

Spiritus exuberans.

Explicatio est exuberantis spiritus, effusi in omnes electos, sine acceptione personarũ. Cum apud deum nõ sit seruus uel ancilla, liber aut ingenuus, gẽtilis aut Iudæus: omnes enim secundum mensurã donationis dei gratiam à Christo suscipient, & magnalium diuinorũ testimonia dabunt, ubiq; prædicando gratiam euangelicam, domino coperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Vt infirma quoq; eligere decreuerit dominus huius mundi, ut fortia confunderentur, & ut saluandũ ex gratia sine meritis mundum ostenderet.

30 **Et dabo prodigia in cœlo, & in terra sanguinem, & ignem, & uaporem fumi.**

Euangelij prodigia.

Non solum uerbo prædicationis, apostoli & Christus dominus orbem cõuerterunt ad dominũ, sed magnificis prodigijs & ostentis, de quibus Euangelia docẽt, & Acta apostolorũ apostolicorumq; uirorum: gloria omnipotentis dei orbẽ peruasit uniuersum, & sic docuit, ut persuaserit. Sanguis uero & ignis quomodo prodigia ædiderint, clarissimum est, dum qui olim in Israel beneficijs cœlestibus & terrestribus signis, prophetarũ prodigijs & prædicationibus, domino conciliari perfecta fide & charitate nõ poterant, ut patet de Mose, Samuele, Elia, Isaia, Helisæo, & Ieremia, iam per spiritũ domini susceptum à gentibus, igne, ferro, sanguine, morte quantumcunq; acerba à charitate dei separari non possunt. Nulla enim tyrannorũ crudelitate uincũtur ut idola colant, cũ dudũ ab idololatria nulla potuerint charitate dei flecti. Hæc portẽta dei si impij nõ aduertũt Iudæi uel gẽtes, constat electos ad ueritatis agnitionẽ et salutẽ non esse.

31 **Sol cõuertetur in tenebras, & luna in sanguinẽ: antequam ueniat dies domini magnus & horribilis.**

Conuersio mundi.

Quæ in mundo omnium maxima, clarissima, potentissima, & optima uidebantur, Romanum imperium, sapientia philosophorum, amicitiæ orbis, omnia conuersa sunt in tenebras, agnouerunt per Euangelium errores, ignorantiam, fragilitatẽ, & peccata sua, submiseruntq; se humilitati et gratiæ, quæ est in Christo. Luna quoque in sanguinem, Iudæorum malitia, & crudelis impietas super se suscepit ultionẽ sanguinis Christi crudeliter occisi & impie. Omnisq; creatura armata est in ultionem creatoris, præter hoc quod in morte Christi sol est obscuratus, & ꝓdigia magna in orbe facta. Superuenit quoq; deprauatæ genti Iudaicæ suus dies, sua ultio, terror, strages, et perditio, quæ durat iam in millesimũ & quingentesimum annum. Hæc certe dies est uehementer terribilis, pijs autẽ consolabilis & clara, iucunda et salutaris.

32 **Et erit: omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit: quia in mõte Sion, & in Ierusalẽ erit saluatio, sicut dixit dominus, & in residuis quos dominus uocauerit.**

Post tantam orbis totius immutationem, expletis mysterijs Christi incarnationis & mortis, prædicatumq; Euangelium in mũdo uniuerso, tanta gratia data est omnibus hominibus, non solũ Iudæis, sed & gentibus, ut omnis qui maiestatẽ omnipotentis domini & dei, magnificumq; nomen eius inuocauerit, seseq; totũ illi crediderit, saluabitur, et in unã fidelium sacrosanctam ecclesiã susceptus, capietur, ciuis cœlestis et aureæ Ierusalẽ, habitator montis Zion, & legis dei, quæ inde prodibit in omnes gentes, obseruator, qua & saluabitur. Hæc autem sic loquitur & promittit dominus, ut uerissima esse nemo debeat dubitare, quæ & completa esse etiam cæci Iudæi negare non possunt. Quod uero additur: Et in residuis quos dominus uocat, residuos Iudæorum intelligamus, qui ex ipsis Christo crediderunt uel credent, cum dominus illorum misertus fuerit. Hæc omnia Iudæi adhuc futura sperant post bellũ Gog & Magog, post Messiæ uictoriam, quæ nos aspicimus & hunc locum ut prædictum intelligimus. Quanquam & ad literã de temporibus, & uiraculo Sennherib & Isaiæ exponi possint, sed ut in figura rerum quæ per Christi mysterium implctæ sunt.

Saluatus omnis.

CAPVT III.

1 **Via ecce in diebus illis & in tempore illo, cum conuertero captiuitatem Iuda & Ierusalem:**

2 **congregabo omnes gentes, & deducam eas in uallẽ Iosaphat: & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hæreditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus, & terram meam diuiserũt sortem:**

3 **Et super populũ meum miserũt sortem: & posuerunt puerũ in prostibulo, & puellam uendiderunt pro uino ut biberent.**

Saluatis credentibus tẽpore Christi in monte Sion & Ierusalem, & uocatis residuis de populo Iudæorum, qui cum apostolis & per apostolos crediderunt, congregabit dominus omnes gentes, uocabit ipso facto ueluti ad iudiciũ oẽs nationes et regna, cõuincetq; per Euangelij prædicationem omnes de priscis multis & enormibus erroribus in fide & moribus, de multiplici idolatria sua, propter quã et unius dei cultores pertinaci semper odio persecuti sunt, apostolos omnes occiderunt, & ob fidem ueram Iudæos quoq; uastauerunt à priscis tẽporibus, sub regibus non solũ Assyriorũ & Babyloniorum, sed etiã Græcorum & Romanorũ: multa enim crebro passi sunt, ob unius dñi dei sui cultum, ut in libris quoq; Machabæorum & Iosephi habetur, & in Actis apostolorum ac martyrũ. Descendere aũt uel deponere in uallem Iosaphat, aliud non est, q̃ iudicio mortis sistere quem quam & subdere ultioni iustæ, decreto iudicum ordinariorum. Rependet enim dominus malitiam gentibus, qua Nabal semper pro idolis suis & uanitatibus propugnandis, fideles & dño deo uni & uero credẽtes persecuti sunt et impugnarunt, donec eos dispersserunt in oẽs gentes, & hæreditate

hæreditate paterna exuerunt, & eiecerunt in exilium, terram illorum sibijpsis diuidentes pro uoto, cum summa iniustitia, sine timore Dei, imò ex odio omnipotentis dei, cuius cultum ex orbe semper delere cupiebant, ut suorum idolorũ sacrilegia statuerent. Ibi igitur, hoc est, eo in statu mundo constituto uniuerso, disputabit cum eis potentia maiestatis suæ, docẽs falsitatem omniũ idolorum, & iniuriam admissam in seruos dei, uarijs exquisitis improbis & tyrannicis modis, persequendo uerita tem: ut quum omnia crudelitatis argumenta tractassent cum eis, ausi sunt etiam pueros ponere in prostibula, ut uirilem cogerent mutare naturam. Puellamq; pro uino uendiderunt, ut libidini gulam iungerent: hoc est, omnibus ignominiæ modis aspersserunt fideles deo impij idolatræ. Pro quibus omnibus iniurijs & infandis crudelitatibus, dominus per doctrinam Euangelij Christi domini sic iudicauit mundum, ut suo ipsius iudicio sese damnauerint falsitatis & erroris, adiudicauerintq; edocti idola sua ignibus & perditioni: & peccatorum suorum maximam culpam agnoscentes, conuersi sunt ad dominum deum colendũ, quem tanto studio fuerãt persecuti.

Idolatræ cum impijs uiuat.

4 Verum quid uobis & mihi Tyrus & Sidon, & ois terminus Palęstinorũ? nũquid retributionẽ uos redditis mihi? & si retribuitis uos contra me, cito uelociter reddã uicissitudinẽ uobis super caput uestrum.

Hostes fidelium.

Nomine Tyri, Sidonis & finitimorum Palæstinorum intelliguntur omnes populi finitimi Iudæorum, in circuitu ambientium Iudæam, hoc est, omnes qui dei populum & cultores coangustiauerũt, iniquo titulo, quantũlibet id fieret de uoluntate domini. Quos omnes cum reliquis impijs idololatris, dominus iusto suo iudicio iudicabit falsitatis perfidæ & crudelitatis in fideles, quos qui persequitur dominũ persequitur, qui et retribuet abundanter facientibus superbiam, et quod pijs inferre tẽtabant in commodũ, hoc dominus reijcit in illos. Statim deniq; & sine dilatione ulciscetur se dominus de omnibus tam gentibus quàm dijs et simulachris. Ad Euangeliũ enim Christi pariter oĩa ciderunt idola & sacrilegia gentiliũ.

5 Argentum enim meum et aurum tulistis: & delyderabilia mea & pulcherrima intulistis in delubra uestra.

Cum iam de gloria domini dei actum putarent gentiles, destructo templo à Romanis, auro quoq; & argento translato in cultũ idolorum, quasi eorũ quæ uicissent deum Israelis, statim uirtute uerbi dei prædicati per apostolorum discipulos, omnis in orbe Romano cessauit idolatria, quasi domino deo uero se uindicante de omnibus idolis & dijs gentium.

6 Et filios Iuda, & filios Ierusalem uendidistis filijs Græcorum, ut longe faceretis eos de finibus suis.

7 Ecce ego suscitabo eos de loco in quo uẽdidistis eos: & conuertam retributionem uestram in caput uestrum.

8 Et uendã filios uestros & filias uestras in manibus filiorũ Iuda, & uenundabũt eos

Sabęis gẽti lõginquę, quia dñs locutus est.

Cum Iudæos Romani uel alij uendidissent in gentes, & distraxissent, iudicio quidem dei iusto, sed iniqua uoluntate, in Græciam scilicet & reliquas aquilonares gentes & occidentales diuidendo, ante & sub Christi ferè tempora & post crucifixionem eius, etiam hos per Euangelium suum dominus ueros Iudæos & Israelitas collegit in unam ecclesiã, cui se quoq; gentes omnes addiderunt, ut fieret utraque una, quæ postea idolorum in orbe toto culturã pessundauit & abiecit in uniuersum. Quid est enim aliud Iudæos occupasse terras gentilium, quàm eliminatis ipsorum erroribus & dijs, uerbum domini & cultum dei sui obtinuisse in omnibus gentibus, & quos gentes ipsæ oppressserant Iudæos propter pietatem, eosdem Iudæi subderent suæ religioni, & legibus parere diuinis compellerent, non sua sed dei uirtute superatos, & fortissima uerbi dei ueritate cõuictos? Alio qui quomodo Iudæi post hunc prophetam gentes oppressserint non legimus. Obtinuisse autẽ uerbum domini per Euangelium in omnibus gentibus, nemo negare potest: quæ longe illustrior est uictoria, & domino deo nostro glorioſior, dudum prædicta antequam fieret, quam nemo antequam fieret posſibilem credidisset.

Fideles ueri succesſerũt falsis.

9 ¶ Clamate hæc in gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos: accedant, ascendant omnes uiri bellatores.

10 Concidite aratra uestra in gladios, et ligones uestros in lãceas. Infirmus dicat, Quia fortis ego sum.

11 Erumpite & uenite omnes gentes de circumitu, & congregamini: ibi occumbere faciet dominus robustos tuos.

Hic locus clariorem sensum habere non potest, quàm de impiorum & mundanorum homunũ iugi prælio contra pios, & domino credentes fideles: qui enim pie uiuere uolunt in Christo, persecutiones patiẽtur in omnibus gentibus. Armant enim se quotidie impij contra iustos, Babylonij contra Ierusalem, Antichristus contra Christum, malitia contra innocentiam, omnibusq; se uasis belli muniunt: pijs aũt unicus clypeus & armatura dominus est, fortis contra inimicitias oẽs, quantũlibet illi suas semper iactent uires & arma. Ad unũ enim omnes uincuntur, sola dei gratia & uirtute. Ad hoc enim incitantur, cõgregantur, omniaq; moliuntur quæ possunt, ut pereant ipsi, ut intelligãt se domino aduersante superatos.

Bellũ impiorũ cum pijs.

12 Consurgant & ascendant gentes in uallem Iosaphat: quia ibi sedebo, ut iudicem omnes gentes in circumitu.

13 Mittite falces, quoniã maturauit messis: uenite, descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia: quia multiplicata est malitia eorum.

Iudicium deus indicit omnibus impijs, ne se putent sua malitia posse superare bonitatem dei, nec illis perpetuò licere malos esse, & impunè malignari: iam enim ad iustam mensuram peruenisse ipsorũ crimina, torcular plenum exundare crimimibus.

14 Populi populi in ualle concisionis: quia iuxta est dies domini in ualle cõcisionis.

Vallis concisionis. *In ualle districti iudicij propediem impij populi damnandi & puniendi dicũtur: non enim certior uindicta imminet, quàm dum toti populi flagitijs occupati & consentientes uidentur, nemine reclamante uel impediente malitiam.*

15 ¶Sol & luna obtenebrati sunt: & stellæ retraxerunt splendorem suum.

Hyperbole est, tam dure impios dominus iudicabit, ut ne sol quidem & luna astraq; cætera seueritatem iusti iudicis aspicere audeãt, non quòd clemẽtiora sint quàm dei iustitia, sed quod omnis creatura in tormentis aliorum de suo iudicio pertimescat.

16 Et Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit uocem suam: & mouebũtur cœli & terra, & dominus spes populi sui & fortitudo filiorum Israel.

17 Et scietis quia ego dominus deus uester habitans in Sion in monte sancto meo: & erit Ierusalem sancta, & alieni non transibunt per eam amplius.

Sancta Ierusalem. *Cumq; tam seuerus in eos fuerit qui puniendi sunt, erit tamẽ clemens erga populum suum ucros Israelitas: tunc scient & hi qui puniuntur, & illi qui assumentur in gloriã, quod dominus habitet in sua ecclesia, curã habeat suorũ: tunc erit sancta Ierusalem, non quæ occidit prophetas, sed uisio pacis, ut alienus à fide nõ pertineat ad eam, nec transeat amplius per ipsam.*

18 ¶Et erit in die illa: stillabunt montes dulcedinẽ, & colles fluent lacte: & per omnes riuos Iuda ibunt aquæ: & fons de domo domini egredietur, & irrigabit torrentem (planiciem) spinarum.

Gratiarũ riui. *Riui gratiarũ & donorũ exundabũt in tota terra credentiũ, & dñm deum digne confitentiũ, de quibus non solum fortes & perfecti uelut montes bibant, sed etiam imbecilles, quos dñs non repellit uel negligit, sua cuiq; munera largiendo, singula singulis, ne quis de omnibus glorietur. De ecclesia quoq; exibit fons gratiarum & misericordiæ, quo spinæ nostræ & uitia rigentur ad iustitiam, ut flores & fructus pietatis producant.*

19 Aegyptus in desolationẽ erit, & Idumæa in desertum perditionis: pro eo quòd inique egerint in filios Iuda, & effuderint sanguinem innocentem in terra sua.

20 Et Iudæa in æternũ habitabitur, & Ierusalem in generationẽ & generationem.

21 Et mũdabo sanguinẽ eorum, quos non mundauerã: & dñs cõmorabitur in Sion.

Quicunq; dei populũ unquam persecuti sunt, in perditionem erunt. Iudæa autẽ sancta nunquã fidelibus suis ciuibus et filijs destituetur, qui à peccatis suis mũdabuntur semper, per fidem effusi sanguinis Christi uel effundendi, qui ecclesiæ suæ semper præsidebit, ut uicario nõ egeat, illam reget saluabitq; & glorificabit.

FINIS.

COMMENTARIA IN AMOS PROPHETAM, QVI INter duodecim tertius.

CAPVT PRIMVM.



1 VERBA Amos, q fuit in pastoribus Thecuæ: quæ uidit sup Israel in diebus Oziæ regis Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Israel, ante duos annos terræmotus.

Nihil in hoc propheta indoctũ, nec sermone imperitus merito dicitur, sed quia ex pastoribus cum nõ esset filius prophetæ, sed idiota à dño propheta assũptus, artis suæ cum magno decoro usus est sermonibus. Vnusquisq; enim in quo studio triuit ætatem, illius occupationibus & sermonibus detinetur. Thecuã Hebræi eam putãt urbẽ, nõ modicã, quæ numeratur in tribu Aser, potest alia quoq; fuisse in Iuda prope Bethleem, de qua Hieronymus. Pastores aũt hoc loco נוקדים dicũtur, ab ouibus multã in colore uarietatẽ habẽtibus et maculosis. Acrius quo que inuehitur Amos in uitia regũ & principũ, idco & ab onere et molestia nomen habet, & sicut seditiosus et turbator regni aliquãdo accusatus legitur. Sunt aũt breues sermones, & prædicationes de multis, uiuaces sanè & efficaces, cõtra decẽ tribus & Iudã ac uicinos populos & pseudoprophetas Baal, in regno Israelis temporibus Ieroboam posterioris, cuius ultimi anni currebãt cum regno Oziæ, qui & Azarias rex Iuda. Primã aũt prophetiã suã dixit biennio ante cõmotionẽ uel terræmotũ, qui factus est Oziæ tẽporibus, q̃ post præsumpsam oblationẽ regis, ex qua et lepra percussus est, ab Hebræis illico dicitur cõtigisse, de quo Zach. 14. c. Videtur ergo ante omnes alios prophetas prophetasse. Contra uel

2 Et dixit, Dñs de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit uocẽ suã, & luxerunt speciosa pastorum, & exiccatus est uertex Carmeli. Verbi ad horrorẽ.

Breui sententia prædixit Amos, sic sibi reuelatum esse à dño deo, qui se ad officiũ prophetãdi, cum sequeretur oues, uocauerit: nõ quidẽ ille deus, q̃ in Bethel uel Dan, ubi uituli aurei, sed qui in monte Sion & Ierusalem se præcipit coli, dñs deus Sabaoth. Dixisse sibi, inquit, dominum deũ, horribili cõminatione, ueluti si leo rugiat, ad cuius clamorẽ animalia cũcta cõtremiscũt: sic monet propheta quoq; homines, ad hanc dñi dei increpationẽ pauere & corrigere fidem & mores. Iuga locutionũ in usu sunt omnibus ferè prophetis, ut idem sit, de Zion rugire dominũ, & de Ierusalẽ dare uocem, hoc est dominũ deum Israel sic destinasse, ut propter peccata, nimium populi Israelitici, ingens uentura sit siccitas, ut animalibus defuturũ sit pabulũ tam in omnibus campestribus uel

uel pascuis locis, quàm etiam in collibus & montibus cultis ad hoīm cibū ac potū. Indicās propediē futurā magnam omnium rerum penuriam, nisi conuersi ad dominum mores mutauerint. Id enim semper dominus et prophetæ uel expresse addunt, ut Ezechiel, uel subintelligunt, ut Ionas. Non quidem unus uel duo tantum Carmeli dicūtur, sed plures cultissimi montes. Hic tamen secundum Hebræos, mons Carmeli insignis intelligitur.

3 Hæc dicit dñs, Super tribus sceleribꝰ Damasci, & super quatuor nō conuertā eum: eo ꝙd triturauerit in plaustris ferreis Galaad.

Contra Damascum.

Amos, iussu domini contra Damascum metropolim regni Syriæ loquitur, in quo regnabat Azahel, & grauiter tunc urgebat regnum decem tribuum, quod & dudum propheta Helisæus defleuerat futurū. Super tribus sceleribus & super quatuor, hunc habet sensum iuxta locutionem Hebræorū: Dominus deus semel bis & tergat, etiam quarto uel crebrius iterare, tanto tandem punit seuerius. Et hoc regnū Syriæ sub Baasa, Achab, Ioram, & Ioachas afflixerat regnum Israel & Iudæ, tandemq; ruinis crudeliter tractauit, quod per plaustrorum ferreorum contritionē tropo Hebraico significatur, ut id dominus ultrà ferre noluerit, sed misso Assyriorū rege Damasco Rasin, quæ nunc prædicit Amos futura, sexaginta quinq; annis antequam fieret iuxta Hebræos.

4 Et mittam ignem in domum Azael, & deuorabit domos Ben adad.

In Regum uolumine de Helisæo & Asaele legimus. Regnante Ozia et Ieroboam iam in Syria mortuus erat Asael, & ei in regnum successerat filius suus Ben adad, ideo dixit: Mittam ignem in domum Asael, id est, in domum eius regiam. Quorum regum fere generale nomen erat Ben adad, sicut Aegyptiorum Pharao.

5 Et conterā uectē Damasci: & disperdam habitatorem de campo idoli, & tenentem sceptrum de domo uoluptatis: & transferetur populus Syriæ Cyrenen, dicit dñs.

Campus idoli.

Totam Syrorum fortitudinē conteram, qui ueluti quodam plaustro & uectibus, aduersariorum impetus submouebant. Campum autem Idoli & iniquitatis ubi uana quæruntur idolorum auxilia contra deum, digne Assyrius capiet, cum rege occiso, & populo ducto in extras regiones. Damascus enim in campo sita, urbs dedita idololatriæ, & insigniter superstitiosa, uastandā dicitur & uoluptuosæ domus & regalia palatia igne comburendā dicuntur. Cyrenen autē prouincia non ea est, quæ supra Aegyptū dicitur, sed in Persidis regione locus est, uel in Assyria secundum Hebræos.

6 ¶Hæc dicit dñs, Super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non conuertā eū: eò quòd trāstulerint captiuitatē perfectam ut concluderent (eam) in Idumæa.

7 Et mittam ignem in murum Gazæ, & deuorabit ædes eius.

Ad Gazam eo tempore insigniorē Palæstinorū urbem fata prædicantur. Benignitas dei ad pœnitentiam addu-centis diu expectat, usq; ad tertiam & quartam generationē, nec subito plectit peccātes ex ignorantia, ut aliquādo cōuersi, recipiant bonā mentē. Peccatū aūt Gazæ dicitur, quia transtulit captiuitatē perfectam Iudæorum, & cōclusit eā in Idumæā, ut Idumæis uēderet quos ceperat ex Iudæis oēs, nullo euadēte. Vnde ignem in Gazæ muros & ædes dicit se missurū q̄ uniuersa absumat.

Contra Gazam.

8 Et disperdam habitatorem de Azoto, & tenētem sceptrum de Ascalone: & conuertam manū meā super Accaron, & peribūt reliquiæ Philistinorum, dicit dñs deus.

Quia Palæstinorum quinq; legimus ciuitates, post Gazam igitur transit ad Asdotum, & ad Ascalonē, ciues cum regia potestate perditurus, ut nullus ibi remaneat, ne ultimæ quidem ætatis homines, ex omnibus reliquis Palæstinorū urbibus et uiculis. Idipsum et ab alijs quoq; prophetis Palæstinis prædictum passim legimus.

Contra Palæstinos.

9 ¶Hęc dicit dominus, Super tribus sceleribus Tyri, & super quatuor nō conuertā eū: eo quod cōcluserint captiuitatem perfectam in Idumæa, et non sint recordati fœderis fratrum.

10 Et mittam ignem in murum Tyri, & deuorabit ædes eius.

Opera dei Amos pastor attendebat si digni essent homines pœna uel præmio. Et post reliquos etiā Tyro similiter exprobrat duritiam & consuetudinem peccandi, ac infidelitatem eorum ad Iudæos, quos ex uicinitate, et Salomonis ac Dauidis olim fida necessitudine, saltem non odisse debuerant, à quibus nunquam fuerant lacessiti, licet in partem hæreditatis tribui Aser domino mandante incidissent, sicut et Sidō. Prædicit itaq; & eidem urbi irretractabile iudiciū dei, quod illi immineat, ut scilicet claudatur, uel comprehendatur in captiuitatem hostium suo tēpore sic perfectam, ut nihil illius remaneat integrum, sed iuxta Ezechielis uaticinium, igne sit totaliter cōburenda, ædibus et muris uastatis, pars eorum ciuium sit Idumæis uendenda, qui hominum emptioni studiosius fortassis insistere consueuerunt. Debuerāt enim recordati fuisse fraternæ dilectionis, qua olim fuissent coniunctiores & fœdere amico constricti, quod illi dissoluerant. Vt discamus sanctam colere amicitiā priscam & uicinos non odire uel persequi.

Contra Tyrum.

11 ¶Hæc dicit dominus, Super tribus sceleribus Edom, et super quatuor non conuertam eum: eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, et uiolauerit misericordiam eius, & tenuerit ultra furorem suum, & indignationē suam seruauerit usq; in finem.

12 ¶Mittam ignem in Theman, & deuorabit ædes Bosræ.

Idem esse Edom, Seir, & Idumæam, à rubedine coctionis rufæ dictam, & Esau: qui ut gladio fratrem suum Iacob persecutus est, sic quoq; posteri Idumæi semper Iudæos oderunt, & uiscera pietatis exuerunt, quoties occasio data est eis, non paucis certe uicibus, idq; sine spe

Contra Idumæam.

alicuius reconciliationis. Ideo non retractabit dominus quoq; ultionem suam in eos, ut illi nõ deponunt hostile odiũ. Ex quo frequenti infestatione persequutus est Edõ Israelem, & germanitatis legem infregit, diripiendo eũ quoties daretur occasio iracundiæ: etiam Mosis tempore occurrerum Israelitis exeuntibus Aegyptũ non permittentes transitum, quam iram in diuturna nimis tempora reseruauit & fouit, contra legem charitatis. Ideoq; & ipsa terra uastabitur cum suis urbibus, quarum una est Theman, alia Bosra, principaliores, & præ cæteris fortes et gloriosæ. Odiũ ergo discimus nõ diu fouendum.

13 ¶Hæc dicit dominus, Super tribus sceleribus filiorũ Ammõ, & super quatuor nõ conuertã eũ: eò quòd dissecuerit prægnantes Galaad ad dilatandũ terminum suum.

14 Et succendam ignem in muro Rabbath: & deuorabit ædes eius in ululatu in die belli, in turbine in die commotionis.

15 Et ibit Melchom in captiuitatem ipse, & principes eius simul, dicit dominus.

Cõtra Ammonitas. Filios Ammon, qui de Loth nati, in Arabia habitantes corripit sermo dei, quare illius principes uastauerint Galaaditas crudelissime, et tyrannico furore, ad dilatandum terminos suos. Ideo illorũ metropolim igne uastandam prædicit, populumq; bellico tumultu abducendum in captiuitatem, cum Idolo suo nobili Melchom, in quo sibi placebant, cum suis sacerdotibus capiendo. Terminiproprij non dilatandi sunt cum aliorũ iniuria, sed assecutos bene administrare honestius est.

¶CAPVT II.

1 HAec dicit Dominus, Super tribus sceleribus Moab, & super quatuor non conuertam eum: eo quod incenderit ossa regis Idumææ usque ad cinerem.

2 Et mittam ignem in Moab, & deuorabit ædes Carioth: & morietur in sonitu Moab, in clangore in uoce tubæ:

3 & disperdam iudicem de medio eius, & omnes principes eius interficiam cum eo, dicit dominus.

Cõtra Moabitas: Etiam impijs Moabitis filijs Loth reliquis, sæpe et diu cum pepercerim, non tamen semper parcam, semper in malo proficientibus. Vt autẽ ostendat se deus omnium animarum dominum, conditorem & curatorem, regis quoq; Idumæorum iniuriam uindicat, & scelus à Moabitis perpetratum in eũ, ut ossa eius usq; ad cineres concremarent, extremæ sæuitiæ argumentum. Quando autem hoc factũ fuerit, non exprimitur in sacris literis extantibus, cum interim certum sit multas illorum populorum & temporum historias desyderari, nisi intelligatur fuisse illud quod scribitur de rege Edom Mesa, 4. Reg. 3. Ob hanc causam immittet dominus ignem in Moab urbem, unde prouincia nomen habet, et omnes urbes eius, ut peritura sit tota regio in ululatu uincentis exercitus, ubi uanum erit omne consilium regis & principũ: omnes enim pariter occidentur iudicio domini. Crudelitas

in corpora in bello occisorum & quomodolibet mortuorum damnatur, quod ex impotenti potius ira proficiscetur, quàm zelo ordinato emendandi delicta.

4 ¶Hæc dicit dominus, super tribus sceleribus Iuda, & super quatuor non conuertam eum: eo quod abiecerit legem domini & mandata eius non custodierit: deceperunt enim eos (idola sua) mendaces eorum post quæ abierant patres eorum.

5 Et mittam ignẽ in Iudam, & deuorabit ædes Ierusalem.

Cõtra Iudas de contemptu dei et legis suæ corripitur, qui id omnium minime debuisset, apud quem erat dei ueri religio certa, templum & ceremoniæ, qui acceperat præceptadei, quæ abiecit, ideo ab idolis deceptus est, sufficiẽter præmonitus, toties quoq; post præuaricatiões receptus in gratiam, sed semper iniquior factus, nũc ipse quoq; puniendus digneq; tractãdus prædicitur, exustione urbis Ierusalem, in qua templum, aula, ædes, & quicquid erat uastatum est cum hominibus. Pessi sunt enim se decipi ab idolis, quorum ritus colendi, libidini permnia gratior, exemplo maiorum sibi uetustate errorem commendat. Obstandum imitijs est ut legem domini & timorem creatoris nostri semper habeamus præ oculis, ne in crimina nimis enormia incidamus.

6 ¶Hæc dicit dñs, Super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non conuertã eũ: pro eo quod uendiderit pro argẽto iustũ, & pauperem pro calceamentis.

Iam de sceleribus Israelis commode loquitur, non contemnendus rusticus orator. Improperat grauissima crimina, ut leuia obscurentur, genus prosfectibus usurpans. Idcirco ponit nouissimũ Israel, id est decem tribus, quando prope omnia quæ sequuntur ad ipsam referuntur. Recessit enim à religione Dauidis, & à regno, impietatem ergo incidit idololatriæ in cultu uitulorũ, quẽ secuta sunt grauia crimina, ut semper fit, teste Apostolo ad Rom. Hic nullo rege sectante fidei iustitiam, miranda, non est si cuncta corrũpuntur humana institutaq; ruina. Non igitur auerti potuit dominus à uindicta seuera, à tam strenue in suis malitijs contumaciterq; perseuerantibus, ad omne nefas. Describitur aũt catalogus abominationum, quibus laborabat & contaminabatur ipse populus israeliticum regnum. Vbi enim non est timor iudicij diuini, ibi nec iudicium humanũ? Primò igitur damnatur oppressio iniuriosa innocentum ab iniquis iudicibus, apud quos plus ualet argentũ quàm iustitia, qui accipiunt personas & munera, quorum affectus corrupti sunt, quibus uel carere uel imperare oportebat uirum bonum, & aquum iudicem. Deinde etiam pro re leuissima, nempe calceamentis, quibus pulverem calcant & simum, pretiosam hominis animam uendidérunt episcopi animarum, reges, iudices & dij.

7 Qui conterunt super puluerẽ terræ capita pauperũ, & uiam humilium declinant: & filius

& filius ac pater eius ierunt ad puellam, ut uiolarent nomen sanctum meum.

Pauperes opprimere.

Deglutire & absorbere pauperes usque ad pulueremq; & caput, est opprimere in totum imbecilles, cõterere, exhaurire totos, adfligere, calcare, nõ sinere ut aliquatenus cõualescant. Quæcunq; ordiũtur & incœptãt pauperes etiã iustissima, diuites liuore æstuantes calũniari ac inuertere solent & impedire. Tale aliquid est declinare uiam, mores & opera, cõuictumq; humiliũ, dedignari conuersationẽ pauperum. Sequitur quasi per gradus crescens malitia, dum nõ uerẽtur filius & pater ad unam ingredi puellam, ut nomen dei sanctum uiolarẽt. Quicquid ergo fit turpiter, ad dei refertur iniuriã, qui dicit, Per uos nomen meũ blasphematur in gentibus.

8 Et super uestimentis pignoratis accubuerunt iuxta omne altare: & uinum damnatorum bibebant in domo dei sui.

Quia omne flagitiũ, si terminũ pudoris excesserit, legisq; repagula fregerit, turpissimè fornicatur, crimina auget criminibus, et semper ad deteriora procedit. Etiã super uestimẽtis impignoratis accũbere per iniuriã auferant à pauperibus, in idolio accũbebant, uel nouos dei cultus instituebant è rapinis. Sic quoq; libidini & ebrietati seruiebãt, ut uinũ non de proprio labore, sed de camperi ante solis occasum iubet, nõ offerre ad aras.

9 Ego aũt exterminaui Amorrhæũ à facie eorũ, cuius altitudo cedrorũ, altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus: & cõtriui fructum eius desuper, & radices eius subter.

Ordo in sacris.

Vbi de laudibus & beneficijs dei agitur, nõ est necessario seruãdus ordo historiæ, sed frequẽter ut in Psalmis & alibi, quæ prima sunt extrema dicuntur, & quæ nouissima referuntur ad prima. Hic itaq; dominus beneficia enumerat, quæ Israelitis ingratis cõtigerant exeuntibus Aegyptum. Fuisse Amorrhæos exterminatos, quo nomine omnes Chananaicæ gentes & potẽtatus exprimuntur, non eorum sed domini uirtute, qui habebantur etiam ab illis, uti erant, insuperabiles, quorũ proceritas instar cedrorum erat, splendidi & opulenti ac robusti, fortesq; ut robur & quercus: quos cõtriui ego dominus & disperdidi, ut subsistere & proficere cõtra uos non potuerint, etiam si non omnino delerentur, ut iusserat dominus, tam patres illorum occidi quàm filios & posteritatem. Illos eieci ut uos assererem in libertatem.

Contra Amorrhæos.

10 Ego sum qui ascẽdere uos feci de terra Aegypti: & eduxi uos in desertũ quadraginta annis, ut possideretis terrã Amorrhæi.

Longo uos ad terram promissam feci peruenire circuitu, ut possideretis terram Amorrhæi, cis & ultra Iordanem. Per quadraginta annos ambulaui cum eis in deserto, protexi ab hostibus, direxi in uia, nube interdiu, & columna ignis per noctem, manna quoque pane & aqua de petra potaui.

11 Et suscitaui de filijs uestris in prophetas, & de iuuenibus uestris nazaræos: nũquid non ita est filij Israel, dicit dominus?

Beneficia dei ad Israelem.

Post tanta beneficia etiã hoc addidi, ut de filijs uestris assumerẽ mihi prophetas, & de iuuenibus uestris uel electus facerẽ nazaræos, uerbi mei studiosos, & cultui diuino dicatos, continentes sensuũ, & ab omni leuitate mentis & corporis abstinẽtes, aptos spiritualibus exercitijs, & à mundi huius inquinamentis, quantum fieri posset, immunes, separatos ad tẽpus à studijs huius mundi, ut diuinis cõmissionibus prostarent parati. Nunquid potestis dicere quod ista non fecerim? & meã erga uos clementiam per quam uiuitis negare?

12 Et propinabatis nazaræis uinũ: & prophetis mãdabatis, dicẽtes, Ne prophetetis

Niti cõtrà dominum.

In tantam autẽ rabiem prorupistis, ut per contemptũ omnis disciplinæ quam odistis potaretis nazaræos meos uino, quos secundũ legẽ uinũ bibere non licebat: multò magis alia legis mãdata minimè curabatis, sed risistis potius, & floccifecistis quicquid ad diuinã legẽ obseruandam pertinebat. Prophetis quoque meis præcepistis, ne in meo nomine prophetarẽt, quod nõ solum huic Amos contigit, sed etiam Ieremiæ, à rege prohibente uerbum dei, & codicem comburente. Sic indulgentissimos nutritos in studio uidimus adolescẽtes, quos hodie impios sacerdotes ferimus, ne sint qui populum arguant. Sic Israelitæ agebant de suis nazaræis. Vide hoc loco Hieronymum contra Tatianum.

13 Ecce ego stridebo subter uos, sicut stridet plaustrum onustum fœno.

14 Et peribit fuga à ueloce, & fortis nõ obtinebit uirtutem suam, & robustus non saluabit animam suam:

15 & tenens arcum non stabit, & uelox pedibus suis nõ saluabitur, & ascensor equi non saluabit animam suam:

16 & robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die, dicit dominus.

Pœna post importuna.

Improperationẽ criminũ sequitur digna punitio & grauis, imò impijs hominibus importabilis. Sicut, inquit, plaustrum fœni onere prægrauatum uel manipulis, ferri non potest, sed horribiliter stridet tam auribus quàm dentibus molestum, stridore & sonitu longè exululans: sic ego peccata uestra ultra non sustinens clamabo & dicam, Perijt fuga à ueloce. Tantam inferam isti regno calamitatem, ut eam quamlibet uelocissimus effugere non possit, quemcunq; etiam in locum, fortissimus quoque uiribus sese tueri ac defendere non potest uel euadere. Baleares quoque sagittarij, & grauis uel leuis armaturæ miles nullus subsistet à conspectu meo, uel impetum iudicij mei sustinebit. Constantissimo quoq; pectore fortis, ut cum heroibus censeatur, non saluabitur, sed cum nudis aufugiet turpiter & pauidus. Quis enim seruare eum posset, quem deus omnipotens & inuincibilis perdendum decreuit, qui solus est author salutis & necis? Inculcat autem hæc dixisse dominum, qui fallere non potest nec falli, ne putentur esse figmenta humana quæ prædicuntur, sed dei excelsi decreta certissima & sacrosancta.

¶CAPVT III.

1 AVdite uerbũ quod locutus est dominus super uos filij Israel: super omnẽ cognationẽ quam eduxi de terra Aegypti, dicens,

2 Tantũmodo uos cognoui ex omnibus cognationibus terræ: idcirco uisitabo super uos omnes iniquitates uestras.

Ad totum Israelem.

Sermo propheticus ad totũ Israelem utrunq; regnum decem tribuum & duarum, omnes enim de terra Aegypti eduxit. Dicit autem, Creator quidem sum omnium gentium, imò cunctarũ creaturarũ, & nihil odi eorum quæ condidi: sunt enim omnia ualde bona, & pro generali prouidẽtia dispono omnia, omnes fines terræ in manu mea teneo, & rego omnia, dominus dominantium: uos tamen filios Israelis familiariter elegi, ut mihi seruiatis ad meum beneplacitum. Vobis de cœlo locutus sum, leges præscripsi, de Mesopotamia primùm, deinde ab Aegypto redemi, & incarnationem filij mei ab æterno præuisam & præordinatam, non ex alio semine quàm uestro perficiendam decreui. Vos uirtutis meæ bonitatis iustitiæ & gloriæ elegi præ cunctis gentibus spectatores, domesticos, agnitores & prædicatores, quos destinabo suo tempore in orbem, uobis quidem in contumeliam si impij esse perrexeritis, in gloriam autem tam meam quàm uestrã si pietatẽ colueritis, & uerbis meis diligenter acquieueritis. Quanto autẽ uos peculiarius elegi, tanto seuerius puniam peccata uestra, si perpetuò malignari uolueritis. Iudiciũ enim meum de domo mea incipiet, & à sanctis meis. Elegi quidem uos, sed si à fœdere meo receſſeritis puniam, sic enim inter nos constitutum est ex fœdere.

3 Nunquid ambulabunt duo pariter, nisi conuenerit eis?

Non instituunt homines commune iter proficiſci, nec aliqua familiaritate couti possunt, nisi consentiant animo moribus et uerbis: ideo si, ut hactenus, semper dissentire mihi, irritare me, & immorigeri esse perrexeritis, diutius uos ferre non possum, nec debeo.

4 Nunquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? nunquid dabit catulus leonis uocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit?

Peccata deus ulciscitur.

Subnectit aliam sententiã de leone & catulo, non sine causa rugientibus, sed ob prædam. Nisi iratus dominus contra peccata hominum non immittit cõtritiones, nec iusto suo iudicio totas gentes uastat, nisi grauiter peccatis illarũ offensus. Nec tamen punit nisi prænonitos, prædicit futuras uindictas impijs, patet de Noë, Lot, Pharaone, Iudæis omnibus semper prænonitis per prophetas, cuulsis uerò dum nõ audirẽt. Spectra quoq; gentibus præmittebat grauiter affligẽdis: sic durã sententiã hic prænũtiat in legis suæ & prophetarũ contemptores. Ex cõstituto omnia fiũt, sine causa nihil fit. Sic deus non monet, hortatur, prophetas mittit, reuelat beneplacitum, citra causam magnam & arduam, ideo uerbum suum minimè fuerit negligendum.

5 Nunquid cadet auis in laqueum terræ, absq; aucupe? nunquid auferetur laqueus de terra, antequam quid ceperit?

Vt non proijcitur rete ad capiendum aues, nisi ex uoluntate aucupis, & dum aues captæ fuerint rete componitur: sic uerbum domini prophetis non reuelaretur, nisi illud uellet suscipi humiliter, & studioſe compleri à suo populo. Dumq; populus fuerit ex uerbo domini emendatus, non neceſſaria erit ulterior prophetia, ideoq; tot Israeli prophetas misit dominus, ut emendetur. Sic enim etiã improbæ genti Israeliticæ tunc plurimos & insignes prophetas misit, cum essent corruptissimi, ut patet de tẽporibus Heliæ, Heliſæi, Amos, Michææ, Abdiæ & Oſee in regno Israel. Iudæis autẽ Isaias missus est in tempore & Ieremias, cum cæteris, non tamen tot & tanti, quia non erat tanta neceſsitas.

6 Si clãget tuba in ciuitate, & populus nõ expaueſcet? si erit malũ in ciuitate, quod dominus non fecit?

7 Quia non faciet dominus deus uerbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas.

Sicut non clangitur tuba in urbe, nisi ut populus terreatur & cõueniat: sic non immittit dominus plagam aliquam in urbem uel regionem, aut etiam prophetiam arduam ac grauem per prophetas, nisi uelut populũ resipiſcere & emendari. Signum quoque est non esse abiectam prorsus illam gentem, quam eruditre dignatur uerbis prophetarum, & uerberibus hostium. Nec aliunde sibi Israel tot accidisse incommoda suspicetur, nisi à domino puniente ipsorum perfidiam ad deum, ac improbitates ad seipsos propter cõtemptum uerbi dei ex ore prophetarũ sanctorũ. Vtq; nullum habeat locum excusatio apud hunc populum, & ut non iniuste dominus, & per potentiã cum illis agere uideatur, nunquam ali quam insignem calamitatem immisit Israeli, quam non præ tempestiue, & ut ipse loqtur de mane cõsurgens, prædixerit, & præmonuerit, ceu fidelissimus pater & pastor, qui nihil æquè quærit & optat, quàm ut incolumis semper sit familia, & grex cõmissa. Quòd si prophetis fideliter inuigilantibus, & domino paternè admonente Israel resipiſcere nolit, sed pergere ut cæperunt, in odio dei, perſecutionibus uerorũ prophetarũ, legisq; diuinæ contemptu, & non horrere ad uocem leonis, non imputabunt nisi sibijpsis grauissima mala quæ patiẽtur, quæ & euadere potuissent, si domino & prophetis acquieuiſſent.

8 Leo rugiet, quis non timebit? dominus deus locutus est, quis non prophetabit?

Si ad rugitum unius leonis stupent non solum homines, sed cæteræ quamlibet auſteræ fortesq; bestiæ, & ti morem leonis exhortationemq; declinant: quanto magis uerbũ domini, ubi insonuerit per ora prophetarum negligi nõ debet, sed cum tremore & obediẽtia suscipi nõ enim reuelaretur nec mitteretur, nisi neglectores & contemptores punire & insigni plaga ferire decreuiſset. De qua re ſcriptura plena habetur exemplis. Certiſ

simum ergo signum ingruentis mali est, uerbi domini prædicatio, si cõtemnatur. Si enim non uenissem, Christus ait, & locutus illis nõ fuissem, peccatũ nõ haberẽt. Quia autẽ tempus uisitationis nolũt agnoscere, cogũtur hostiũ furori subiacere, uel potentẽ alioqui domini manum sentire, qui gratiam respuerunt. Non punit dominus nisi sufficienter præmonitos. Instituẽdi ergo sunt in ecclesia, qui diligẽter moneant, & ab offensa domini abstrahant credentes.

9 ¶ Auditum facite in ædibus Azoti, & in ædibus terræ Aegypti: & dicite, Cõgregamini super mõtes Samariæ, & uidete insanias multas in medio eius, & (tumultum) calumniam patientes in penetralibus eius.

Quotquot uicini Israelitis sunt & Iudæis, Palæstini scilicet & Aegyptij, conuocantur quamlibet iniqui iudices, sed sensu communi non carentes, ut audiant & uideant scelera illorum, ne iniquum putent dei esse iudicium, quomodo si diceret, Prius uidete quæ faciant, & tunc meam sententiam comprobate. Super montes, insulici, uidete insanias multas in medio eius, ut pro deo adorent uitulos, quibus immolãt filios suos. Nec hoc scelere contenti, calumniantur quoq; & opprimũt pauperes, durius ac crudelius quàm Aegyptij uel Palæstini unquam fecerint, quos intra se positos & suos fratres, consolari debuerant & iuuare.

Peccata Samariæ.

10 Et nescierunt facere rectum dicit dominus: thesaurizantes iniquitatẽ, & rapinas in ædibus suis.

In tã corruptos mores Israelitæ illi degenerarũt, timore domini eatenus abiecerũt, ut nesciãt, hoc est, scire nolint, uel nõ possint recta agere. Per scelus enim & nefas ditescere quærunt, thesauros corradunt, non alios quàm uiolẽtias rapinarũ, & ex uastatorũ miserijs, quibus impleuerunt palatia sua: ut quia deserto dei cultu adorauerũt idola, tradat eos deus in reprobũ sensum, ut faciant quæ nõ oportet, exactionibus iniquis, furtis & usurijs, imõ uiolentijs sese mutuum attenuantes.

Diuitiæ iniustæ.

11 Propterea hæc dicit dñs deus, Tribulabitur & circũietur terra: & detrahetur ex te fortitudo tua, & diripientur ædes tuæ.

Propter iam dictas Samaritanorum insanias, tota ea terra tribulabitur, & angustias patietur ab Assyriorum exercitu. Auferetur, ô terra Israel, à te fortitudo tua, diripientur in ædibus tuis, quæ per calumniam ex miserorum lachrymis congregasti.

12 ¶ Hæc dicit dominꝰ, Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: sic eruentur filij Israel qui habitãt in Samaria, in angulo lectuli & in Damasci grabbato.

Pastoralis Opus.

Pulchrè artis suæ utitur sermonibus pastor Amos. De eo enim quod aliquoties uidit, sumit exemplum, & sic decem tribuum paruas reliquias de Assyriorum manibus eruendas, quo modo pastor deuoratis omnibus membris, duo crura, aut extremum auriculæ de leonis faucibus rapiat. Positoq; comparationis exemplo, Ita, inquit, eruentur filij Israel decem tribus, quæ habitãt in Samaria, in angulo lectuli, & in Damasci grabbato, per quæ significari potest pax inter duo regna Israel & Syrorum. Quasi dicere uelit, Quicunq; recumbunt in regno Syriæ uel Israel, suo statim tempore simul cõcidẽt. Hoc secundũ Rabi Abraam, ut uidetur, uerisimilius sic exponitur: Non saluabitur de Samaria nisi debilis & grabbato decũbens, qui ad bellũ nõ accesserit, et absconditus fuerit ab hominũ oculis, ueluti si in lectica Damascena dormiat, undique tectus, & maximè debilis.

13 Audite, & contestamini in domo Iacob, dicit dominus deus exercituum:

14 quia in die cum uisitare cœpero præuaricationes Israel, super eum uisitabo & super altaria Bethel: & amputabuntur cornua altaris, & cadent in terram.

Primùm audiant, deinde contestentur in domo Iacob in decem tribubus quæ dominus dixerit. Cum cœpero, inquit, uisitare præuaricationes uel impietates domus Israel, & ei reddere quæ meretur, & captiuitatis tempus aduenerit, tunc destruẽtur altaria Bethel, ubi erant cornua altaris, quod leroboam quoq; manũ extendente diruptũ est, & ruent in terram Assyrio uastante confracta.

15 Et percutiã domũ hyemalẽ cum domo æstiua: & peribũt domus eburneæ, & dissipabuntur ædes multæ, dicit dominus.

Et percutiã, inquit, domũ hyemalẽ cum domo æstiua. Tantarũ opum erãt, ut duplices haberẽt domos, quarũ aliquæ uersæ essent ad aquilonẽ, aliæ ad austrum, ut pro uarietate temporũ frigoris & caloris cœli temperiem prouiderẽt. Et peribunt domus eburneæ, quales Achab rex Israel sibi ædificasse notatur. 3. Reg. 22.

Domus duplices.

¶ CAPVT IIII.

1 AVdite uerbum hoc uaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ: quæ calũniã facitis egenis, & cõfringitis pauperes: quæ dicitis dominis uestris, Afferte & bibemus.

Loquitur ad principes Israel & ad optimates quoscunq; decem tribuum, non aulicè, sed pro officio & usu suo rusticè. Cum uehementia eis loquitur & serio, qui delitijs ac rapinis uacabant, ut audiant sermonẽ dei, & non aratores boues, sed uaccas pingues de armẽto se esse nouerint: significans non agriculturæ sed immolationi & esui præparatos. Vos uaccæ pingues estis in mõte Samariæ, humiles quoscunq; confringitis, & dicitis dominis uestris regibus (notatur interim impudentia qua audeant petere occasionẽ rapiendi & luxuriãdi) dicẽdo, Date, id est, permittite tantum nobis, & cuncta nobis grata assequemur, delitijs affluemus, ebrietati studebimus, uino & luxuriæ, quæ statum mentis euertunt.

Vaccæ pingues.

2 Iurauit dominꝰ deus in sancto suo, quia ecce dies uenient super uos, & leuabunt uos in contis, & reliquias uestras in ollis feruentibus.

Itaq; dominus iurauit in semetipso, uel in templo, uel per sanctitatem & ueritatem suam, quod aduentura sit dies, non post multa secula, sed imminens, dies captiuitatis & angustiæ, in quo uaccæ illæ leuentur in hastis, pro magnitudine stragis futuræ: et postrema uestra, reliquiæ scilicet earum in ollis feruētibus. Capientur enim in prælio & auferentur iure uictoriæ in nauiculis piscatorijs, uel in ollis feruētibus. Nihil supereſt, quàm ut coquantur, non ut asseruentur esui maturæ. Vel quas pingues dixerat uaccas, earum carnes narrat in contis uel scutis esse portandas.

3 Et per aperturas exibitis altera contra alteram, & proiȝciemini in Armon, dicit dominus.

Armon locus. Aperta uobis est captiuitatis uia, & cū lebetes uestri fuerint exusti, exibitis per rimas & aperturas ollarum altera contra alterā: id est, una pars exportabitur uno loco, uel ruptura una, alia autē per aliā exibit. Et proijciemini in locis Armona, dicitur id esse loci nomen extra urbem uel muros Samariæ: alij dicunt ultra regnum Syriæ: alijs uidetur mons Armon ultra Iordanem.

4 Venite ad Bethel, & impie agite: ad Galgalam, & multiplicate præuaricationē: & offerte mane uictimas uestras, tribus diebus decimas uestras.

5 Et sacrificate de fermētato laudem: & uocate uoluntarias oblationes, annūtiate: sic enim uoluistis filiȝ Israel, dicit dñs deus.

Aliud crimen totius populi taxat, dicēs, O Israel propediem capienda, fac quod libet, age impie, cum idolis libere fornicare, ut quanto tu fueris impudentior, tanto mea super tormentis tuis iustior uideatur sententia. Venite, inquit, in Bethel, in qua aurcum posuistis uitulum, & impiè agite in deum, Venite ad Galgala, locum omnium malitiarū, ubi frustra bobus immolate, ibi multiplicate præuaricationē. Quicquid enim ibi egeritis, præuaricatio contra deum est, cui idola prætulistis. Eò afferte mane uictimas uestras, ne in scelere sit ulla dilatio. Tertia die decimas uestras, contra legem Mosis de non conseruandis sacrificatis ultra crastinum, de minoribus decimis tertio anno offerendis. Quasi dicat: Immundas quotidie uictimas cædite, contaminata offerte sacrificia, & sacrificate de fermento laudem, quod domino offerri prohibetur. Pro laude Eucharistiam, id est gratiarumactionem, Aquila dixit: pro uoluntarijs oblationibus, ultronea sacrificia. Latinis epulæ dicuntur secundum Hieronymum, notatu dignum. Cumq; hoc feceritis, impietatem uestram omnibus nuntiate, ut non solum omnia fecisse, sed & alios docuisse uideamini. Hæc autem præcipio, & imperatiuo modo loquor, ut uestræ satisfaciam uoluntati, quia sic egistis, & sic uoluistis ô filij Israel, dicit dominus deus.

Galgala.

Eucharistia

6 Vnde & ego dedi uobis (purgationem) stuporem dentiū in cunctis urbibus uestris, & indigentiam panum in omnibus locis uestris: & non estis reuersi ad me, dicit dominus.

Iam peccata enumerauerat, nunc flagellū addit. Quia propter & ego dedi uobis stuporē dentiū præ famis magnitudine, uel repurgatos faciam uestros dentes, magnam dabo & uacuos cibis. Et feci indigentiā panum, non in una urbe, sed in omnibus urbibus uestris, nec in uno loco, sed in omnibus locis uestris. Cumq; hoc fecerim, nō puniens sed occasionē tribuens pœnitentiæ, nec sic quidē estis reuersi ad me, dicit dñs. Hebræi, Sicut cessare fecistis oblationes & decimas uestras in domo mea, sic faciam egere uos cibo panis & carnium.

7 Ego quoque prohibui à uobis imbrem, cum adhuc tres menses supereſſent usque ad messem: & plui super unam ciuitatem, & super alteram ciuitatem non plui: pars una cōpluta est, & pars super quam non pluiaruit.

8 Et uenerunt duæ & tres ciuitates ad unam ciuitatem ut biberent aquam, & non sunt satiatæ: & non rediſtis ad me, dicit dominus.

Aliud flagellū. Prohibui à uobis imbrem, cum adhuc Negare tribus supereſſent tres menses usque ad messem, quæ appellatur pluuia serotina & agris Palæstinæ, aruisq; sitientibus uel maximè necessaria est, ut quando herba turgeret in messem & triticum parturiret, nimia siccitate areſceret. Significat autē uernum tempus, extremi mensis Aprilis, à quo usque ad messem frumenti tres menses supersunt, Maius, Iunius, Iulius. Et ne forsitan putarent hoc lege naturæ & astrorum cursu ac uarietate temporum urbibus & populis accidisse, super unam urbem & agros eius pluere se dicit, & ab altera urbe pluuiam suspendere, ut duæ uel tres ciuitates pergant ad aliam ciuitatem, & tamen aquarū potu non satientur. Cumq; hæc fecerit non in pœnam sed in medicinam, increpat in scelere permanētes. Et nec sic quidem ad me redijstis, dicit dominus.

9 Percussi uos in uento urente & in aurugine, multitudinem hortorū uestrorum, & uinearum uestrarum, oliueta uestra & ficeta uestra comēdit eruca: & nō rediſtis ad me, dicit dominus.

Non solū priora feci, ut uos corrigerem, sed quicquid superfuit, siccitate, uento urente percussi, & aurugine uel pallore. Cumq; aduersum iram domini multiplicarim hortos, uineas & ficeta, & oliueta, omnia eruca consumpsit: & ne plagis quidem ac affectu malorū ponderе ad deum uenire uoluerunt.

10 Misi in uos mortem in uia Aegypti, percussi in gladio iuuenes uestros, usque ad captiuitatem equorum uestrorum: ascendere feci putredinem castrorū uestrorum in nares uestras: & non rediſtis ad me, dicit dominus.

Per omnia flagella & tormenta eruditur Israel: unde & eo tempore quo ab Aegyptijs auxilia postulabant, mittitur in eos mors, & percutiuntur gladio iuuenes eorum, & equos quos sibi contra dei præceptum

multiplicauerant, captiuitas sæua cõcludit, ut putredo castrorum & fœtor morientis exercitus uiuentium nares impleat. Cumq; & hæc illis fecerit deus, ut corriperet delinquẽtes & emendaret errantes, nec sic quidem redierunt ad eum dicit dominus.

11 Subuerti uos, sicut subuertit deus Sodomam & Gomorrhã, & facti estis quasi torris raptus ab incendio: & non redistis ad me dicit dominus.

Flagellum Gentium.

Quintum flagellum & extrema medicina est decem tribuum, & omnium peccatorum, ut non cõuersos per prædicta ad dominũ, subuertat eos, sicut subuertit deus Sodomam & Gomorrham. Et cum subuersi fuerint ob similitudinem criminum Sodomæ & Gomorrhæ, pessima quoque in eis ædificia diuinus ignis exusserit, ipsi liberentur quasi torris raptus de incendio. Et quomodo Lot Sodoma pereunte seruatus est, amittens substantiã, & partem corporis sui uxorem: sic omnes isti Sodomorum diuitias amittentes euadent nudi.

12 ¶Quapropter hæc faciã tibi Israel: postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum dei tui Israel.

Idcirco tandem hæc faciam tibi ô Israel, ut qui præterita contempsisti omnia quæ feci tibi, saltem ad ea quæ illaturus sum corrigaris. Cumq; dixerit, Hæc faciã tibi, quid facturus sit tacet, ut dum ad singula pœnarum genera Israel pendet incertus, quæ ideo terribiliora sunt, quia grauiora suspicãtur, agat pœnitentiã, ne deus inferat quæ minatur. Postquam autẽ fecero tibi quæ me fectorum esse contestor, præparare ad inuocandũ dominum deum tuum. Omnis enim qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. Siue præparare in occursum dei tui, ut uenientem ad te dominum, tota auiditate suscipias, non resilias à domino, sed occurre potius.

13 Quia ecce formans mõtes, & creans uentum, & annuntiãs homini eloquiũ suum, faciens matutinam nebulam, & gradiens super excelsa terræ: Dominus deus exercituum nomen eius.

Potentia dei.

Ille est qui firmat tonitruum, siue montes confirmat: ad cuius uocem cœlorum cardines, & terræ fundamenta quatiuntur: iste qui creat spiritum hominis uiuificatorem, animã scilicet, quia nemo scit quæ sunt in homine nisi spiritus qui est in eo. Cumq; creauerit spiritum, annunciat hominibus eloquiũ suum, qui cogitationum secreta cognoscit, & quid latẽs animus tacito sermone tractet intelligit. Ipse quoque est qui facit auroram & diluculum, & complet nubibus omnia, & graditur super excelsa terrarum, cuius nomen est Dominus deus omnipotens. Is hæc omnia facturus est omnipotens & omnia sciens, iustus & pius, qui ubique adest, omnia implet, cordium secreta reuelat spiritu prophetarum, aperit arcanum suis prophetis ut prænuntient hominibus antequam puniat, indicat uiam euadendi incommoda, non obruit improuisos.

¶CAPVT V.

1 AVdite uerbum istud quod ego leuo super uos planctum domus Israel.

2 Cecidit, & nõ adijciet ut resurgat, Virgo Israel: proiecta est in terrã suã, & non est qui suscitet eam.

Idem agit quod suprà, sed alio modo, nempe per planctum. Loquitur autem decem tribubus, quæ appellãtur Israel, ductis in captiuitatem, amisso regno & hæreditate, nequaquam restitutis in pristinum statum. Virgo autem appellatur populus Israel, non quia uirginitatis puritatem tenuerit, sed quia quondã instar uirginis sit à domino dilecta & ut sponsa copulata. Sic planctus leuatur super Israelem, qui quondam fide domino adhærens, postea ei seruire desinit, in obliuionem reijciens omnia beneficia dei. Nisi igitur pœnitentiã egerit, pœnis grauissimis subiacebit. Virgo Israel.

3 Quia hæc dicit dominus deus, Vrbs de qua egrediebãtur mille, relinquẽtur in ea centum: & de qua egrediebantur centum, relinquẽtur in ea decem in domo Israel.

Quare non resurgat collapsa, additur: Quia urbs in qua quondam fuerat multitudo, propter nimiam uastitatem uix decima pars remanebit, tam grauis erit tribulatio Israel, tamq; multi occidẽtur & captiuabũtur, ut pauci residui sint futuri. Hæc autẽ propheta loquitur de eo Israele, qui dominum negat, idolis seruit, de carne gloriatur, prophetas non audit, promissiones dei non curat, Palæstinæ terram pro uirtutis ueræ præmio admiratur. Qui autem uerè fideliter domino adhæret, illum solum colit, fidei gratia gloriatur in domino, dei in Christo beneficia glorificat, & uitam sempiternã expectat, nedum non ejcitur à facie domini, sed augetur super numerum arenæ maris, copulatur domino desponsatione beata & æterna. Israel iuxta gratiam & carnem.

4 Quia hæc dicit dñs deus domui Israel, Quærite me, & uiuetis.

5 Et nolite quærere Bethel, & in Galgalam nolite intrare, & in Bersabee non transibitis: quia Galgala captiua ducetur, & Bethel erit inutilis.

Postquam tristia dominus fuerat comminatus, ad pœnitentiam eos quos terruit prouocat more prophetico. Postquam enim decem tribuum casum, de quo non sint resurrecturi prædixit, nunc hortatur eos, dicẽs: Quærite me & uiuetis, quia nõ quærendo me, sed idola, mortui estis, damnati iusto iudicio ad perditionẽ terræ & hominum, corporum & animarum, uos & filij uestri: si uerò quæsieritis, inuenietis & uitam & gratiam, salutem & pacem. Nolite autem quærere Bethel uitulos aureos, & Galgala locum plenum sacrilegijs, & in Bersabee ultimos Iudæorũ fines ad austrum, ut illic idolum ueneremini ob longinquitatem uiæ & laborum tædia, eo sacratius quia remotius & ignotius. In tantum enim Israel furebat cultu idolorum, ut nihil laboris & expensarum horreret, modo simulachra honorasse uideretur. Idola in remotis.

Id in Christianismo de lõginquis peregrinationibus & diuis quæstuosis, utinam posthac non fiat, ut uidimus. Galgala, inquit, captiua ducetur, & Bethel Bethauen, hoc est, inutilis erit, cum illic idola subuertentur, si non ab Israelitis secundũ domini dei uerbũ, saltem ab hostibus, iuxta seueri iudicij dei & iusti uindictam. Exulando exilium perferet Galgala secundũ nominis sui interpretationem, & ubi domus dei fuerat, domus uanitatis & Bethauen apparebit.

6 Quærite dominũ & uiuite: ne fortè comburatur domus Ioseph ut ignis: & deuorabit, & non erit qui extinguat Bethel.

Iam flagitia enumerat causas perditionis. Propheta de domino loquitur, ut quærant eum & uiuãt. In eo enim quod quærunt dominũ uiuere incipiunt: sin minus, statim succendetur ignis domus Ioseph regni Israelitici, ut pereat tam regnum quàm populus. Deinde etiam deuorabit & consumet Bethel, non solum domus idoli, sed etiam Iudas cum suo templo, ubi non remanebit lapis super lapidem. Qui ex fide & charitate dominum quærere nolunt propter beneficia dei illiusq; bonitatẽ, saltem ex timore impendentium pœnarum dominum accedant, & recedant ab impietate.

Quærere dominũ.

7 Qui cõuertitis in absynthiũ iudicium, & iustitiam in terra relinquitis.

Reges & populi, cultores & idola pariter subuertentur, qui iniquo iudicio & peruersis moribus deũ prouocant ad iracundiam, & cõuertunt dulcedinem iusti & æqui iudicij in absynthij amaritudinem, quod genus est herbæ amarissimæ, assumentes iniquitatẽ & iustitiam relinquentes. Quæ sit autem ista iustitia sequens uersus ostendit, Obseruantia legis diuinæ, & obedire mandatis dei, qui qualis sit & quàm rectus ac iustus in suis operibus & mandatis, iam antè scriptum est, præcedẽte capite, & nunc ad idem tendit propheta.

Iustitia in absynthiũ

8 Facientem arcturum, & orionem, & conuertentẽ in mane (umbram mortis) tenebras, et diem in noctẽ mutantẽ: qui uocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ: Dominus nomen eius.

Ipse est, inquit, mandans iustitiam & æquitatem, qui creator est arcturi & orionis. Non habent hæc nomina gentilium fabularum Hebrææ literæ, sed huiusmodi dictionibus significãtur generaliter astra fulgentia quæcunq; rusticis cognita, præ alijs & hominũ æstimatione reputata. Qui, inquit, propheta, facit solem & lunam, hæc & alia astra omnia, noctẽ die cõmutans, & aquas maris in æthera suspendẽs, in tempore eliquat in dulcẽ pluuiarum saporem, instar medicinalis cucurbitæ, quæ calore superioris gyri humorem & sanguinem sursum trahit. Ex quo discimus unde sint pluuiæ.

Pluuiæ unde sint.

9 Qui (corroborat uastatorem) subridet uastitatem super robustum, & depopulatorem super potentem affert.

Ad præsens tempus reuertitur. Et est ordo: Qui creator est omniũ comminatur etiã captiuitatẽ super Samariam, & depopulationẽ super potentẽ adfert, quoniam conuertit in absynthiũ iudiciũ, & iustitiã relinquit in terra: dum uult punire nemo potest euadere uratum.

10 Odio habuerunt corripientẽ in porta: & loquentem perfectè abominati sunt.

Qui in malo robusti sunt, & ad opprimendum potentes in Israele, odio habuerunt in porta, hoc est, in iudicio uel in publico prædicantem uel corripientem, me uel alios prophetas, qui ad eos missi sunt, & loquentem perfectè, siue uerbum immaculatum uel sanctum. In porta autem fuisse iudicia Hebræorum more multis constat, ut nec agricola ad causam ex rure ueniens, frequentia ciuitatis terreretur, nec urbis habitator longe secedere cogeretur. Grande peccatum est odisse corripientem, maximè si te non odio sed amore corripiat, si solus ad solum, si assumpto fratre altero, si postea præsente ecclesia, ut non studio detrahendi, sed emendationis tuæ uideatur crimen ingerere. Loquentem perfecta abominari, est libere, syncerè, sancta et probata loquentem odisse, blandientem autem & susurrantem placentiáq; dicentem suspicere.

Positiua dictio

11 Idcirco, pro eo quòd diripiebatis paupere, & prædam electã tollebatis ab eo: domos quadro lapide ædificabitis, & nõ habitabitis in eis: uineas plãtabitis amantissimas, & non bibetis uinum earum.

Ne putaret Israel ob solam idololatriam hostibus sese obijciendum, iungitur insignis iniquitas ad proximos. Diripiebatis, inquit, pauperem, ut tolleretis uictui & amictui necessaria, & quicquid prætiosum, electum & singulare habebat, uestris usibus attrahebatis: uestem de & ex pretio & usura eorum quæ rapiebatis & tollebatis à paupere, domos quadro lapide ædificastis, ut spoliantes homines, parietes marmoribus, imò argento & auro tapetibúsue uestiretis. Quas, quia de rapina ædificastis, & nõ solum mansioni & tecto, quod exigit humana fragilitas, sed pulchritudini & delitijs præparastis, repentina captiuitate uel morte subtracti non habitabitis. Vineas quoque amantissimas futuras posthac prouidentes plantastis, & nõ bibetis ex eis uinum. Non diu subsistunt opes per iniuriam acquisitæ.

Repetitio superlatiua

12 Quia cognoui multa scelera uestra: hostes iusti accipientes munus, & pauperes deprimẽtes in porta.

13 Ideo prudẽs in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.

Ego uniuersa scelera uestra cognoui, & fortia peccata, quæ meam iustè prouocent iracundiam, qui estis hostes iustitiæ, omnis iusti, accipitis munera, pauperes iudicio deprimitis. Qui ergo uidet pro ueritate regnare mendaciũ: is astutus suis consulet rationibus. Et quid prodest nunc uicina captiuitate uestra cõmunerare peccata, cum iam nullum remedium sit, & muros urbium uestrarum hostilis ferè cingat exercitus? Et dum pauper & prudens furentem iudicẽ uiderit, & propheta irrevocabilem, per omnia malitiã magistratuũ & plebis tacebit in tempore illo, quia tempus malũ est. Vt non est maius donum reipublicæ ciuilis quàm habere prudẽtes &

& amantes æquitatis: sic reipublicæ Christianæ, si habeat qui syncerè doceant uerbum dei.

14 Quærite bonum & non malum, ut uiuatis: & erit dominus deus exercituũ uobiscum, sicut dixistis.

15 Odite malum & diligite bonum, & cõstituite in porta iudicium: si fortè misereatur dominus deus exercituũ reliquijs Ioseph.

Malum diligere.

Grande peccatũ est, non solum facere malum, sed & diligere. Multi peccant, & expleto uoluptatis ardore mordentur cõscientia, & peccati pœnitet: qui uero in suo scelere gloriatur, iste tandem in profundũ ueniet impietatis, & pœnitere contemnit. Qui ergo bonũ quærunt, mala repellunt, iubẽte domino, Declina à malo & fac bonum, tunc enim uiues, tunc, inquit, erit dominus deus exercituũ uobiscũ. Odit autẽ malũ, qui non solum uoluptate non uincitur, sed odit opera uoluptatis. Bonũ quoq; diligit, qui nõ imuitus aut necessitate metuq; legũ facit quod bonũ est, sed idcirco quia bonum est, & dño placet, cui probari cupit per omnia & ex animo. Voluntas autẽ domini est, facere iudiciũ & iustitiam in forensibus causis, sine acceptione personarũ & munerũ, amore iustitiæ, non carnis niti affectibus in iudicio, ut expulsa iniquitate, ueritas redeat. Et si hoc feceritis, forsitan miserebitur omnipotens residuis Ioseph, tribubus decem Israel, ut captiuitatem euadere possint.

16 Propterea hæc dicit dominus deus exercituum dominator, In oĩbus plateis planctus: & in cunctis quæ foris sunt, dicetur uæ uæ: & uocabunt agricolam ad luctũ, & ad planctum eos qui sciunt plangere.

17 Et in omnibus uineis erit planctus: quia pertrãsibo in medio tui, dicit dominus.

Quia uerò hæc facere noluistis, mea præcepta calcantes, & uertistis ad me scapulã recedentes, tam me quàm mandata mea obmittentes, beneficia & exhortationes meas nihili curantes: ideo superinducã uobis generalem planctũ, & qui sciũt more prouintiæ præcinere ad concitandas lachrymas uocabũtur, ut non solum in plateis urbiũ, sed etiã in uineis, ubi olim causa erat lætitiæ, ibi occurret origo lachrymarum, quia pertransibo uos cædendo, occidendo & uastando cum iracundia.

Agricolarũ causam amarissimi planctus.

18 ¶ Væ desiderantibus diem domini: ad quid eam uobis? dies domini ista, tenebræ & non lux.

Dies domini.

Ad totum Israelem prophetiam dirigit. Dies autem domini dicitur in scripturis tempus quodlibet, in quo dominus deus magnificũ aliquod opus se perfecturum prædicit: quale est, captiuitas decem tribuum, regni iuxta Meßiæ uel dominicæ incarnationis, tempus quoque datci excidiũ, & templi tam primi quàm secũdi, aduentus Meßiæ uel dominicæ incarnationis, tempus quoque excidij regni Babylonici, alicubi dies domini dicitur, sic quoque dies ultimi generalisq; iudicij. Quia autem iam à multis prophetata erat uastatio regni decem tribuũ, ideo dies domini futura à multis dicebatur, & etiã contemnebatur, dicẽtibus per irrisionem, Quando ueniet hic dies domini? qui eum uenturum uel non credebant, uel non timebant, de uitæ emendatione, qua mala euadere posset, nihil soliciti. De quibus incredulis hic propheta loquitur, Væ desiderãtibus diem domini: hoc est, ridentibus uerba prophetarum, graue Israelitarum iudicium prænuntiantiũ. Quasi diceret: Longe grauius malum uos manet, quàm ut illud negligere uel ridere debeatis, dicendo, Ad quid ista nobis dicuntur? uel quantum id mali est, ut tantopere timere oporteat nos hostes extraneos, qui dei populus sumus? Dies enim ista tam Israelitis impendens quàm Iudæis per Assyrios & Babylonios, dies erit grauissimæ ultionis, horribilis & stupenda, ut est nocturnũ tempus & tenebrarũ sine omni consolatione uel fiducia effugiendi mala.

19 Quomodo si fugiat uir à facie leonis, occurrat ei ursus: & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietẽ, & mordeat eum coluber.

Simplex sententia est. Grauissima uobis superuenturæ incommoda, nullo modo poteritis subterfugere uel euadere: quin si unum malum uos euasisse putabitis, quacunque ratione, incidetis in aliud, & si minus declinare incommodũ statueritis, occurret uobis maius: si res & substantiam defensare tentaueritis, filiorum & necessariorum sortem redimere uoletis, & dum istis consulere conabimini, non tantum periculum corporis, sed ipsam mortẽ incidetis. Hanc sententiã prophetico stilo proponit, quæ quomodo Iudæis euenerint in captiuitatibus Assyriorum, Chaldæorum, Græcorũ, Aegyptiorũ fuga, & Romanorũ, longum esset enumerare, sacræ hoc docent literæ, & Iosephi aliorumq; historiæ. Hieronymo uidetur per leonem, ursum & colubrem significari diuersa supplicia, uel ipse diabolus.

20 Nunquid non tenebræ dies domini, & non lux: & caligo, & nõ splendor in ea?

Dies dominicæ uindictæ siue specialiter capiatur pro uindicta populorũ in impietate sua mensuram malitiæ assecutorum, ut diutius ferri à iustitia dei non possint, siue generaliter pro omnium hominum discutiendis, iudicandis, plectendisq; impietatibus, certè dies est tenebrarum & non lucis, angustiarũ non solatij, nebulæ & non splendoris, horroris & non fiduciæ in aliqua opera quantumlibet bona, pro quibus iustus orat, ne intret dominus in iudicium cum seruo suo.

21 Odi & proieci festiuitates uestras: & non capiam odorem cœtuum uestrorum.

22 Quod si obtuleritis mihi holocaustomata, & munera uestra, non suscipiã: & uota pinguium uestrorum non respiciam.

Propriè hoc contra tribum Iuda ueluti per occupationem dicitur, ad eos qui ex Israele ad dei ceremonias commigrabant, fiduciã tamen ponebãt in sacrificiorum merita, cum iudiciũ & iustitiã non curarent, deq; rapinis & iniqua mãmona oblationes litabãt, & sine uitæ innocentia, & uera in dominũ fide per corporalia ista domino deo placere quærebant. Odit enim dominus & proijcit festiuitates istas, quas non domino, sed sibijpsis

colebant, conuentumq; huiusmodi hominum, odoremq; talium sacrificiorũ non suscipit dominus, sed ipsos cum muneribus detestatur, scilicet omnium qui de rapinis, iniurijs, periurijs, sceleribus cõquirunt quæ domino offerant. Vnde & Zachæus malè quæsita non in dei donaria offerre poterat, nisi prius dominis suis redderet, & postea impleret quod scriptũ est, Honora dominũ de iustis tuis laboribus. De mercede enim meretricis deus uota non suscipit, sed de proprijs diuitijs.

23 Aufer à me tumultum carminũ tuorum: & cantica lyræ tuæ non audiam.

Tumultus laudum. Pulchre cantica Leuitarum quibus laudabant deum tumultũ uocat, sonitumq; cõfusum: quia nõ est pulchra laudatio in ore peccatoris, & hæc eadem idolis quoque offerre consueuerãt. Iudæorũ quoq; orationes, etiam clericorum peruersorũ psalmi & cantica, quæ pro mercede ex usu & sine fide ac deuotione canunt, tumultus est domino, & (ut ita dicam) grunnitus suis, & clamor asinorum. Quorũ magnis cantibus Israelis opera comparantur, ad quos cõcludit dominus aures suas. Impiorum enim cantica non dignatur audire. Pij autẽ in cordibus domino psallunt sine intermissione, quoties pijs affectibus ad dominũ & pro proximis diriguntur.

24 Et reuelabitur quasi aqua iudicium, & iustitia quasi torrens fortis.

Sicut aqua si labatur in præceps, quod prius texerat nudat, ut omnium pateat oculis: sic iudicium dei de suo quondã populo omnibus patebit, & feretur instar torrentis fortissimi, quicquid arripuerit secum trahit, & sibi obsistere non patitur.

25 Nunquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israël?

Nedum Iudæi multi fatentur, sed etiam Hieronymo probabile uisum est, hostias & sacrificia quæ in deserto obtulit Israel, non deo obtulisse, sed Moloch regi suo, Idololatria Israelitarũ i solitudine cuius portauerũt tabernacula, & imaginem idolorum suorũ statuarumq; uenerati sunt. Id ego intelligendũ puto sic, ut per quadraginta annos quibus in solitudine uagabatur Israel, non sacrificasse dño eo modo qui præscribitur seruandus in terra promissionis, fixo scilicet tabernaculo, in loco quem dominus elegisset, sicut nec circuncisionem peregerunt: tantumq; semel & primo anno pascha celebrasse Iudæi cõsentiunt, & sacrificasse domino dum Aaron & filij consecrarentur, dedicaretur quoq; tabernaculũ domini à Mose extructum. Coluisse autẽ idola imaginesq; cœlestiũ, astrorũ & Moloch cum reliquis, non semel legitur. Sacrificia itaque quæ ibi sacrificarunt, non deo, sed idolis fecisse monstratur: quæ uero eos domino obtulisse leguntur, non uoluntate, sed pœnarũ metu fecerũt. Vbicunq; enim occasio fuit, semper corde reuersi sunt in Aegyptum, desiderantes allia & cepe, cucumeres & carnes, manna cœleste contemnentes: de quo & Stephanus in Actis.

26 Et portastis tabernacula Moloch uestro, & imaginẽ idolorũ uestrorũ, sydus dei uestri: quæ feciſtis uobis (adorare eas.)

Hoc intelligi potest non factum in deserto, ut Moloch Caluus de corporeo coluerint semper, sed post mortem Iosue. Vel fortassis corporeo quidem cultu tabernaculũ domini coluerunt, corde autẽ reuera deuotiores erãt idolis gentiũ, quibus in Aegypto assueuerant, ideoq; & tam frequẽter Mosi & Aaron rebellabant. Apparet enim uerissimum quod dicitur, duræ ceruicis fuisse, & qui semper spiritui sancto restiterint, donec ultra illos ferre nequaquam uoluerit dominus, sed transferre.

27 Et migrare uos faciã trans Damascũ, dicit dñs, Deus exercituum nomen eius.

Non putãdus est Stephanus errasse, quia pro eo quod Trans Damascũ hic dicitur, Trans Babylonẽ. dixerit, Trans Damascũ. Magis enĩ sensum quàm uerbũ posuit. Trans Damascũ enim ducti sunt in Babylonem, ad remotiora loca Mesopotamiæ ultra Babylonẽ in Mediã ac Persidẽ. Hoc autẽ ubiq; obseruandũ apostolos & apostolicos uiros, in proferendis testimonijs ex ueteri instrumento nõ uerba cõsiderare sed sensum, nec eadẽ fermonũ calcare uestigia, dũmodo à sententijs nõ recedãt, multò minus tam arcte loca allegare cõsueuerũt, dũ Stephanus hunc locũ citãs simpliciter dicit, Sicut scriptũ est in libro prophetarũ.

¶ CAPVT VI.

1  Ae (uobis) qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorũ, ingredientes sibijpsis (pompatice) domum Israel.

Ad montem Sion atq; Samariæ prophetæ sermo cõfertur, & maximè ad utriusq; populi optimates ac principes, quia uacabãt delitijs & diuitijs confidebant, põpaticeq; ad sese ostentandũ, nempe sine fide & reuerẽtia zeloq; dominũ colendi ingrediebãtur dominum: uel, ut textus habet, domum Israel, excelsa scilicet, uel templa domini paßim extructa in Samaria, Bethel & alibi, ut tumorem animi corpus ostendat, & pomparũ ferculis simules esse uideantur. Pompaticus non habetur in Hebræo, sed æquiualens quippiã. Et introgressi sunt sibijpsis, quia ut more nostri seculi & præcipuè clericorum uiderentur & uiderent.

2 Transite in Chalanne, & uidete, & ite inde in Emath magnam: & descendite in Geth Palæstinorũ, nónne optima regna hæc sunt: si latior terminus eorum termino uestro est?

Non displicet quod interpretes Septuaginta in principio sequentis uersus legendũ existimauerunt, O domus Israel, transite in Chalanne &c. Chalanne Hieronymi temporibus Ctesiphon est dicta: sicut & Hemath magna Antiochia, Hemath autẽ parua Epiphania. Est autẽ Reblatha regio quædam Hemath maioris, quæ proxima est Mesopotamiæ. Descendite, inquit, in Geth Palæstinorum, uos habitatores montiũ Sion & Samariæ, & ad campestria Palistinæ, & ad optima quæque regna horum, quæ diuersis ciuitatibus subiacẽt: & uidete si

si uos an illi maiores obtineatis fines: uos, inquam, uos de populo Israel, qui reseruamini & addicti nunc estis iudicio dei in diem malum, in diem captiuitatis, ad iniquam iudicem pergentes regem Babylonium, qui uos impiè uiolenterq; tractabit.

4 Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis uestris: qui comeditis agnũ de grege, & uitulos de medio armenti.

5 Qui canitis ad uocẽ psalterij: ficut Dauid putauerunt se habere uasa cantici.

Contra eos uitiationes

Cum hæc, inquam, propediem passuri sitis, nunc dormitis ueluti securi, & otiosi in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis mollibus, ut somno libidinem copuletis: cibos sumitis nõ ad repellendã famem, uel ad sustentationem corporis, sed ad delitias & luxum, ut quicquid in gregibus & armentis tenerum atque pingue est, uestræ gulæ paretis, quibus non sufficit libido penis & guttu-ris, & æstuantis cibi aqualiculi, nisi & tibiarũ & psalterij & lyræ canticis aures uestras mulceatis: ut quod Dauid fecit in cultum dei, Leuitarum ordines, & organorum uarietatem reperiens, uos ad uoluptatem & luxuriam cõferatis. Per irrisionem dixisse uidetur. Quid hic dixisset Hieronymus, si nostra in magnificis templis admiranda organa audiuisset aliquando?

6 Bibentes uinũ in phialis, & optimo unguento delibuti: & nihil patiebãtur super contritione Ioseph.

Ebrietas.

Et uinum bibitis in phialis, non ad satiandam sitim, sed ad opprimendum animum: & ungimini non ad labores corporis mitigandos, oleo purissimo, sed unguentis pretiosissimis. Cumq; his delitijs affluatis, si quos uides perire de populo, nulla misericordia super interfectione eorum flectimini, sed contemnitis quasi bruta animalia, & in suo bestias cruore pereũtes: quod & Ezechiel conquestus est de pastoribus Israelis.

7 Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium: & auferetur (domus) factio lasciuientium.

Captiuitas

Propter prædicta nunc dominus comminatur. Nequaquam, inquit, in futurum pœna differtur, nec de longis post seculis prophetatur, quod nunc ingruit, nunc uenturum est: meus sermo prædicit, eos ituros esse in primis. Vos qui primi estis diuitijs, primi iugum captiuitatis sustinebitis. Et auferetur factio lasciuientium, qui in capiendis uoluptatibus unum habuere consensum, & comessationes exercuerunt ac symbola, hi pariter auferetur, ut quorum una fuit luxuria atque lasciuia, una sit quoque pœna.

8 Iurauit dominus deus in anima sua, dicit dominus deus exercituũ, Detestor ego superbiã Iacob, & domos eius odi, & tradam ciuitatẽ cum habitatoribus suis.

9 Quod si reliqui fuerint decem uiri in domo una: & ipsi morientur.

10 Et tollet eum propinquus suus, & comburet eum, ut efferat ossa de domo: & dicet ei qui in penetralibus domus est, Nunquid adhuc est penes te? Et respondebit, Finis est. Et dicet ei, Tace, non enim recorderis nominis domini.

Per semetipsum iurauit dominus exercituum, se detestari plurimum, & ex animo superbiam Iacob, peruicaciam tribuum Israel omnium, tam duarũ quàm decem, traditurum quoque se ciuitatem cum habitatoribus suis Samariam uel certè Ierusalem. Ambas enim urbes uastauit dominus quammaximè, & usque ad pauciss imas reliquias, quæ nullius reputari possint comparatione multitudinis ciuium utriusque urbis, ut uix superfuturi sint qui mortuos ualeant sepelire. Idq; fiet donec ad unum ferè omnes concidant. Accedet autem propinquus, ut comburat cadauera mortuorum, ut efferat ossa de domo, quia præ morientium turbis integra corpora efferri non ualeant. Cumq; iam lassus fuerit præ labore asportandi, interroget eum qui in penetralibus domus est, utrum supersint quos sibi tradere debeat: & ille respondeat, Finis est, iam non habeo quem tibi sepeliendum tradam, omnes enim sunt mortui. Et antequã non se habere iuret, ille qui interrogauerat & foris erat, & non esse cognouerat, imperat ei & dicit: Tace, & non recorderis nominis domini. Hoc autẽ idcirco commemorat, ut ostendat nec malorum quidem pondere & necessitatis cõpulsos uelle nomen domini cõfiteri, & in tantam apud Israel obliuionem dei uenisse uocabulum, ut ne in simplici quidem iuramento nomen eius dignentur audire. Et in maxima quoque angustia non resipiscunt, nec intelligere uolunt qua ratione tanta illos mala obruerint, quàm ne cõmoneri quidẽ uelint omnino, resipiscere non uolentes.

Vastatio.

Impœnitentia.

11 ¶ Quia ecce dominus mandauit, & percutiet domum maiorẽ ruinis, & domum minorem scissionibus.

Ad irreuocabile potentissimumq; mandatũ domini, & ordinem sanctissimum prouidentiæ suæ crimina punientis, sic fiet, De domo maiori regni Israel, quia maiora peccauerat, feritur ruinis, ut in æternam tradatur captiuitatem. De domo autem Iuda, in qua erat templum, & quæ ex parte peccauerat, & concidere in totũ non poterat ob semen benedictum, septuaginta annorum captiuitate retinetur, & non percutitur ruinis, sed scissuris. Scissa enim domus sarciri potest, ruinæ non tam instaurationem quàm ædificationem desyderant.

Domus maior & minor.

12 Nunquid currere queunt in petris equi? aut arari potest in bubalis? quoniã cõuertistis in amaritudinem iudiciũ, & fructum iustitiæ in absynthium?

Vtriusque domus ruinas & scissiones equis & bubalis comparat. Equi in petris currere non possunt, indomiti autem boues iugum ceruicibus non recipiunt, & ob feritatem terram uomere scindere nolunt. Quales cum sitis uos, ad omne opus bonum inutiles & inuoluntarij: ubi iudicium facere debuistis oppressis, ibi eos magis ad amaritudinem compulistis, & duplo reddidistis infeliciores: & cum iustitiæ dulcissimos fructus,

charitatem, pacem & ueritatẽ proferre debueritis, ibi absinthiũ iniquitatis & calamitatis protuliſtis, & domini dei ueſtri clementiam in uos exacerbaſtis.

13 Qui lætamini in nihilo: qui dicitis, Nunquid non in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua?

Qui deſerto ſummo bono idolis amore coniungimini, & in cultu illorũ inani & ſtulto gaudetis, qui propria fortitudine putatis aſſumpſiſſe uos cornua, reges & potentiam, quibus uentilaretis inimicos, & concuteretis, & eleuaremini in ſuperbiã, non domino deo ueſtro, ſed uiribus ueſtris arrogando uictorias & felicitatem.

14 Ecce enim ſuſcitabo ſuper uos domus Iſrael, dicit dominus deus exercituũ, gentem: & conterent uos ab introitu Emath, uſque ad torrentem deſerti.

Quia igitur iſta feciſtis & tales eſtis, Ecce ego ſuſcitabo ſuper uos, ô domus magna & parua Iſrael & Iuda, gentem ſæuiſſimã Aſſyriorũ & Chaldæorũ, quæ uos conterat & ſubuertat à principio uſq; ad finẽ, à capite ad caudã, à terminis terræ ueſtræ qui ſolẽ reſpiciũt, uſq; ad torrentẽ deſerti ſiue occidẽtis: id eſt, ab Hemath Epiphania, uſq; ad Peluſiũ: omnia enim cõterenda ſunt, & in ſolitudinẽ redigenda, cum nunc ſit regio fertiliſſima & populoſiſſima, quia domino non obſequitur.

¶ CAPVT VII.

1 HAec oſtẽdit mihi dominus deus: et ecce fictor locuſtæ in principio germinantiũ ſerotini imbris, & ecce ſerotinus poſt tonſionem regis.

2 Et factum eſt, cum conſummaſſet comedere herbã terræ, dixi, Domine deus propitius eſto obſecro: quis ſuſcitabit Iacob, quia paruulus eſt?

3 Miſertus eſt dominus ſuper hoc: Non erit, dicit dominus.

Sententiæ breues. Quæ ſequuntur uiſiones quædam ſunt breues & ſententiæ. Prima autem uiſio in uicinum tempus tendit, de quo homines ſolemus magis ſoliciti eſſe. Oſtendit autem dominus regẽ Aſſyriorũ Sennherib uenturũ cum grandi exercitu, locuſtarũ inſtar uniuerſa tondente, in principio imbris ſerotini, quando cuncta uirent, & ager parturit lætas ſegetes, & cunctarũ abundantiã rerum, flores arborũ & herbæ agrorũ pollicentur. Quas locuſtas primo uere uolitantes bruchus ſequebatur, tonſor regis dictus, eò quòd uniuerſa uaſtaret, uelut nouacula acuta apud Iſaiã. Cumq;, ait, cõſummaſſet bruchus, qui uenerat poſt locuſtã comedere herbã terræ, & prophetã intelligeret regẽ Chaldæorũ uenturũ, ad preces uertitur, & ait, Domine deus, propitius eſto obſecro, ne in ſubuerſione populi mei mea uerba compleantur. Quis enim poterit ſuſcitare Iacob, niſi tu ſolus? quo allidente, nullus eſt qui ſuſcitet, imminutus eſt enim crebris hoſtiũ incurſionibus. Cumq; ſic propheta dominũ precaretur, miſertus dominus, reſpondit, Non perdam omne genus Iſrael, reliquiæ ſaluæ erunt. Hoc autem factũ uidetur in

initijs regni Iſrael poſt tempora Ieroboã primi, quando orationibus ſanctorũ ſeruatus eſt populus. Aut certè ſic accipienda eſt prima uiſio. Duo pariter futura proſpexit, locuſtã primũ, deinde bruchũ, pro utroq; dñm precatus, uno tantũ exauditur, ut bruchus ad internecionẽ uſq; cuncta nõ uaſtet, locuſta autem uolans, quædã deuoret, quædam integra derelinquat. Tempora dies ſalutis.

4 ¶ Hæc oſtendit mihi dominus deus: & ecce uocabat iudiciũ ad ignem dominus deus, & deuorauit abyſſum multã, & comedit ſimul partem.

5 Et dixi, Domine deus, quieſce obſecro: quis ſuſcitabit Iacob, quia paruulus eſt?

6 Miſertus eſt dominus ſuper hoc: Sed & iſtud non erit, dicit dominus deus.

Secundũ tempus ſignificare uidetur quãdo diſperdere deus uoluit Ieruſalem tempore Azaelis Syri, quãdo ad orationem prophetarũ iterũ liberatus eſt populus. Hieronymus ſic explicat hũc loeũ, Dñs oſtendit, ſinò precepit uenire Nabuchodonoſor contra Iudã & Ieruſalem, ut faciat per ignẽ iudiciũ de Iuda. Cumq; uenuſſet ignis ad iudiciũ, ut impleret dñi iuſſionẽ, deuorauit abyſſum multã, & comedit ſimul partem, terrã, urbem & templum. Hoc uidens propheta, dicit, Obſecro, quieſce uel deſine: ut quem cœpiſſe iam uiderat, ceſſare precibus impetraret: præſertim cum nullus ſit alius, qui iacentẽ & paruulũ humiliatũq; Iacob ualeat ſuſcitare, niſi ipſe, qui poteſt captos in Chaldæa reducere in Iudæam.

7 ¶ Hæc oſtẽdit mihi: & ecce dñs ſtans ſuper murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij.

8 Et dixit dñs ad me, Quid tu uides Amos? Et dixi, Trullã cæmẽtarij. Et dixit dñs, Ecce ego ponam trullã in medio populi mei Iſrael: nõ adijciã ultra ſupinducere eum.

Dominus iterũ ſtare cernitur ſupra murum litum, uel adamantinũ, & in manu ſua habentem trullam cæmentarij ſecundum Hieronymum, uel lituram, qua ſolent ſuperinduci parietes, & non ſolum pulchritudinem accipere, ſed & fortitudinem contra iniuriã imbrium, & crebras tempeſtates, ne pluuijs diſſipentur. Dicit autem ædificator domus, quod deponat lituram in medio populi ſui Iſrael, & ceſſet lituram inducere, ſuoq; ueſtire tutelarij; auxilio. Cumq; dominus protectionem ſuam patrieti obductum ueſtimentum ſubtrahere cœperit, tunc demolientur excelſa idolorum quæ ſunt in Iſrael, ridiculi cultus imaginum, & ſanctificationes decem tribuum deſolabuntur, ut deſtruatur Dan & Bethel cum aureis uitulis, quos Ieroboam impius inſtituerat contra dominum. Domum autem Ieroboam illius intelligit dominum regiam & poſteros, uel ſucceſſores eius uſq; ad ultimũ Oſee filium Hela, occiſum ab Aſſyrio, quando & ceſſauit populus decem tribuum in ſua terra. Trullam Iudæi perpendiculum dicunt cum plumbo, quo ſignatur excidium, quo ſemel Iſrael abijcietur, cui iam ſæpe peperceram extendendo uaſtationis regulam, non ſine diſpenſatione dei iuſta & æqua parcẽdo innoxijs. Hic non orat propheta

propheta pro immedicabilibus & desperatis.

9 Et demolientur excelsa (Isaac) idoli, & sanctificationes Israël desolabuntur: & cõsurgam super domum Ieroboam in gladio.

Explicatio est priorum. Isaac dicitur Israël, non sine ratione, diu enim habitauit Isaac in terra Israël, ubi altare erexit, uni tantum deo: illi uero posteri impij, multis dijs aras multas erexerunt.

10 ¶Et misit Amasias sacerdos Bethel, ad Ieroboã regẽ Israël, dicẽs, Rebellauit cõtra te Amos in medio domus Israël: non poterit terra sustinere uniuersos sermones eius.

11 Hæc enim dicit Amos, In gladio morietur Ieroboam, & Israel captiuus migrabit de terra sua.

Amos iussu domini et correctionis affectu loquebatur ad populũ, terribilia minabatur, ut agentes pœnitẽtiam reuerterentur ad deũ & idola desererent. Tunc impius sacerdos Bethel mittit ad Ieroboam nepotem Iehu, qui ei nunciet, dicens, Rebellauit contra te Amos, siue cõuentus & coniurationes facit in medio regni tui Israël, & tanta loquitur, ut terra regni tui uerba eius sustinere nõ possit. Audet autem mittere ad regem Israël, quasi ponti fex, metuens ne si populus conuertatur ad cultũ dei, ille sacerdotij perdat gloriã. Cumq; duo audierit idola peni tus destruenda, quibus præerat Amasias, & quod cõtra Ieroboã deus consurgat in gladio, nisi egerit pœnitentiã, ille de sua non mandat iniuria, ut de regis tantũ contumelia dolere uideatur. Hæc, inquit, dicit Amos, cum reuera non quasi ex se propheta loquitur, sed præponit in titulo semper, Hæc dicit dñs. Tales hodie mittuntur epistolæ accusatoriæ ad Cæsarẽ contra uerbũ ueritatis & illius prædicatores. Igitur quæ loquutus est dñs, calumniator cõmemorat Amos prophetã dixisse, ut magis regẽ prouocet ad furiam ac uindictam. Mentitur quoq; Amos dixisse, In gladio morietur Ieroboã: cum dixerit, Cõsurget dñs super domũ Ieroboã in gladio, cõminando pœnã, sed scipere nolenti pœnitentiã. Nõ est enim gladio mortuus rex Ieroboã, sed domus eius, id est, filius Zacharias deo percutiente deletus est. Et Israël, inquit, captiuus migrabit de terra sua: adde et cætera, Si nõ egerit pœnitentiã.

Sacerdos impius cõtra sanctum prophetam.

Epistolæ impiæ.

12 ¶Et dixit Amasias ad Amos, Qui uides, gradere, fuge in terram Iuda: & comede ibi panem, & prophetabis ibi.

13 Et in Bethel non adijcies ultra ut prophetes: quia sanctificatio regis est, & domus regni est.

Porrò Ieroboam uanissima Amasiæ mandata cõtemnens, nihil ad ea uoluit respondere, unde ipse sibi assumit authoritatẽ sacerdotalis fastigij, et loqtur ad Amos, Qui uides, id est, ô tu propheta: uel per irrisionẽ uidentem uocãs, uel à multis libenter audiri perpendens, quos congregatos crebro alloquebatur propheta Amos. Non audet aperte iniuriam illi facere, ne audientes lædere uideatur. Vade, inquit, in terram Iuda, in qua natus es, ubi libenter adiuuantur insani, & comede ibi panem tuum, uel ibi uiue, aut arte inquiras ibi cibos tuos, ibi uaticina

Bethel cathedralis regis canonicorum.

re eis quos seducere cõsueuisti: in Bethel aũt in qua ego sum pastor & sacerdos, ultra non adijcies prophetare, quia sanctificatio regis & domus est regni ecclesia cathedralis extructa à regibus, dotata priuilegijs, aucta diuitijs, sacrificulis multis commendata, quos mihi nutriri oportet: tu rustica tua tracta bubulcus. Hoc quoq; quasi falsus propheta loquitur adulando regi, ut nõ dicat, Sanctificatio dei nostri est, & domus idoli, sed sanctificatio regis, & domus regni, hanc habentibus cũctis qui falsos deos colũt cõsuetudinẽ, ut superbiã suã regibus imputẽt, & quod ipsi faciunt, rex ordinasse uel fecisse uideatur.

14 ¶Respondit q; Amos, & dixit ad Amasiam, Non sum propheta, & non sum filius prophetæ: sed armentarius ego sum uel licans sycomoros.

15 Et tulit me dominus cum sequerer gregem, & dixit dominus ad me, Vade, propheta ad populum meum Israel.

Amos Apostolicus.

Apostolico more Amos respondet, Obediendum deo magis quàm hominibus. Insuper audacter et libere impio sacerdoti denunciat supplicia, qui uetare conatus est, & dei impedire sermonẽ. Non solum, inquit, non eram ex professione uel genere propheta, non didici inter discipulos prophetarũ: sed cum essem armentarius, & ruborum mora destringerẽ, tulit me dñs sequentẽ greges, uel pastorem caprarũ, dum super rupes & asperas cautes, ad altiora conscenderem, & sycamiam uellicarẽ, genus arboris, quæ Palæstinæ nascuntur in cãpestribus, et agrestes afferunt ficus: quæ si non uellicentur, amarissimas eariculas faciũt, & à culicibus corrũpuntur: uel rubos qui afferunt mora, pastorũq; famem & penuriã cõsolantur. Humilẽ scilicet pastorẽ et rusticũ assumpsit dominus & misit ad populũ suũ Israël dominus, ut uẽtura prædicem.

16 Et nunc audi uerbum domini, Tu dicis, Non prophetabis super Israël, & non stillabis super domum (Isaac) idoli.

Quia igitur domino iubente ut loquar, tu Amasia dicis mihi, Noli prophetare, audi quid contra te dominus comminetur. Domus idoli dicitur hic domus Isaac, id est risus, uel delubrum ridiculi idoli. Et stillare prophetare idioma scripturarũ est, quod non totam dei simul inferant iram, sed paruas stillas comminatione denunciet.

17 Propter hoc hæc dicit dñs, Vxor tua in ciuitate fornicabitur, et filij tui & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur: & tu in terra polluta morieris, & Israël captiuus migrabit de terra sua.

Libertas prophetica.

Quia dixisti ne prophetem, Vxor tua ab alijs stupracta, sustinebit non coacta uel inuita fornicationem præsentibus omnibus, cuius tu ignominiam & iniuriam prohibere non poteris: doloremq; tuũ in uxore polluta succedet maior in filijs trucidatis. Nec hoc satis ad iniuriã, nisi et hæreditas tua funiculo ab hostibus diuidatur, nouosq; cultores recipiat: ipse quoq; pontifex in captiuitatem ductus morietur in terra polluta idolis, nec antequam uideat deceptum à se populum pariter captiuum & exulem, quo acerbius doleat, & cum dolore moriatur.

¶ CAPVT VIII.

1 HAec ostendit mihi dñs deus: & ecce (*corbem autumnalem*) uncinus pomorum.

2 Et dixit, Quid tu uides Amos? Et dixi, Vncinum pomorum. Et dixit dominus ad me, Venit finis (*uel autumnus*) super populum meum Israel: non adiiciam ultra ut pertranseam eum.

Vas aucupis uisum prophetæ uidetur etiã Germanica dictione klob, quod Hebræi scribũt בלוב. *Vt sit rationabilior sensus quàm pro uncino pomorum. Quem &* Dominus auceps. *Septuaginta retulerunt, ut sit sensus: Quomodo auceps uisco uel retibus aues uolantes uel incaute residẽtes capit & illaqueat: sic deus per Assyrios uel Chaldæos populum suũ prius liberũ & legis obseruationẽ negligentem cõprehendet, transferet & enecabit. Nõ enim inuste auibus tenduntur retia. Potest quoq; canistrũ æstiualium fructuũ dici, ut significet Israelitarũ populũ semel colligendũ ex arboribus, & ab hostibus deuorandũ. Cui parcere nolit posthac, nec ultra expectare resipiscẽtiã, uel dissimulare peccata ac præterire insolemias.*

3 Et stridebunt carndies templi in die illa, dicit dñs deus: multi morientur: in omni loco proiicietur silentium.

Iuxta Hebraicũ, Vlulabũt carminibus templi, hoc est, pro cantionibus suis ad laudes idolorũ diuorumq; suorum in delubris, uel etiã regum aulis ululatus audietur cæsorum, uulneratorum, captorũ, fœminarum & puerorum. Erunt enim urbes & uiæ plenæ cadaueribus occisorum, & silentium tenebitur in tota terra ob solitudinem & uastitatẽ, sic ut necesse fuerit colonias ex Assyriorum terris transferri in terram Israel, ne redigeretur tota in uastitatẽ, & sæua passim animalia & feræ multiplicarentur. Siue igitur legas uncinum pomorum, uel canistrum ficuum, æstiualium scilicet fructuum, sensum alium non habet, quàm instare proximò destructionem Israelis, & non differendam diutius.

4 ¶ Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ,

5 dicentes, Quando transibit mẽsis, & uenundabimus merces: & sabbathũ, & aperiemus frumentũ: ut imminuamus mensuram & augeamus (*pondus*) siclum, & supponamus stateras dolosas,

6 ut possideamus in argẽto egenos & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti uendamus?

Offensæ dei causæ. *Ne gratis prædicta putetur Israelitarũ captiuitas & interfectio, breuiter describũtur causæ offensæ dei. O tu Iuda, & ô tu Israel, audite quæ scelera feceritis, de nocte surgentes pro oratione & hymnis in cultũ domini, studium habetis opprimendi & conterendi pauperes, ut fame & egestate cõfecti auferãtur de terra: qui expectatis calendas ut negotiemini, & usuras augeatis de usuris: & sabbatha, ut aperiatis horrea, & detis frumenta amplius recepturi: & dei solennitates turpis lucri gratia in uestra compendia uertitis: qui minoremini uendendis mercibus mensuram facitis, & maiora ponderа in accipiẽdis, stateramq; imiquã, ut possideatis pro pecunia pauperes, & tam uiles habeatis homines, ut impleatis illud quod suprà de uobis dixeram, Pro eo quod uendidistis argento iustum, & pauperẽ pro calceamentis: & in tantam lucri rabiem prosilistis, ut nõ frumẽta, quorum esu hominũ corpora sustentantur, sed quisquilias & purgamenta frumenti uendatis pauperibus, pulueremq; & paleas tritico commiscentes.*

7 Iurauit dñs in superbiã Iacob, Si oblitus fuero usq; in finẽ omnia opera eorum.

8 Nunquid super isto non cõmouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius: & ascendet quasi fluuius uniuersus, & eiicietur, & defluet quasi riuus Aegypti?

Iurat dominus contra superbiam Iacob, ut si non credunt cõminanti, credant iuranti, in humanã similitudinem, dum simplicibus uerbis non creditur. Iurat autem, quod non obliuiscatur usque in finem operum eorum (Superbis enim deus resistit, humilibus aũt dat gratiã) sed omnia memoriter teneat quæcunq; peccauerint, & usque ad finem & iudicij tempus adducat, præsertim cum aduersus superbos dei & iustitiæ hostes ipsa terra moueatur siue turbetur & lugeat, non colonus & aduena, sed habitator eius, & ascendat sicut fluuius consummatio, & descendat sicut flumen Aegypti, ut qui egerit pœnitentiã, ascendat cum fluuio ascendente: qui autẽ perseuerauerit in delictis, descendat sicut fluuius Aegypti, & ingressus mare absorbeatur. Sicut enim Nilus statis temporibus eleuatur, & transcendẽs ripas ordes eijcit, posteaq; reuertitur ad riuum suũ: sic hic propheta dicit terra uestra eijciendos uos, & postea quietur, superbiamq; damnandã æternis supplicijs tam certo, quàm si dominus per semetipsum iurasset. Contra Pelagium.

9 ¶ Et erit in die illa dicit dñs deus, occidere faciam solem in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis,

10 & cõuertã festiuitates uestras in luctũ, & omnia cantica uestra in planctũ: & inducã super omne dorsum saccũ, & super omne caput caluitiũ: & ponã eã quasi luctũ unigeniti, & nouissima eius quasi diẽ amarũ.

Diem captiuitatis significat, quãdo uterq; populus duplicetur in Assyrios & Chaldæos, quibus præ tristitiæ magnitudine occidet sol meridie, & clara omnibus alijs lux tenebræ illis cuncta complebunt, quando festiuitates eorũ, & omnia cantica in luctum planctumq; cõuersa sunt. Et super omne dorsum siue lũbos accincti sunt cilicio, & iuxta consuetudinẽ ueterũ lugentiũ, super capita habuere caluitiũ: quod & Iob in mortibus filiorũ fecisse legimus. Et tanta erit magnitudo luctus atq; tristitiæ, ut unici filij moriẽtis matriq; charissimi uincat dolorem, & omnia planctu & amaritudine cõpleantur. Dies unici.

11 ¶ Et ecce dies ueniunt, dicit dñs deus, & emittã famẽ in terrã: nõ famen panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi uerbũ domini.

Et

12 Et commouebũtur à mari usq; ad mare, & ab aquilone usque ad orientem circumibunt, quærentes uerbum domini, & non inuenient.

Panis nes cessarius.

Nihil fame durius, quæ sæpe compellit obsessos humanis uesci carnibus, et in suam sæuire naturã. Quid ergo de fame dicendum est animarum? quæ à Christi domini negati & crucifixi temporibus oppressit populum Iudæorum, & iuncta fami ardentissima sitis, non habentium panem qui de cœlo descendit, & eas aquas quæ de Iesu uentre manarunt. Verbum dei dicitur proprijssimè panis, quia quod corpori panis, id animæ est prophetia & uerbum dei, quod omnia docet sancta & solatur conscientias piorum. Ablata est eis lex, & prophetæ æterno conticuere silentio. Mouentur à mari ad mare, ab occidente ad meridiem, et ab aquilone usq; ad orientẽ, toto orbe peregrini, uerbum dñi non ualentes inuenire.

13 In die illa deficient uirgines pulchræ, & adolescentes in siti.

14 Qui iurant in delicto Samariæ, et dicunt: Viuit deus tuus Dan, et uiuit uia Bersabee. Et cadent & non resurgent ultra.

Synagogæ Iudæorum.

Synagogæ Iudæorum & magistri illorum illo tempore deficient, secundum maledictiones Deuteronomij. Iurauerunt enim in idolo Samariæ, in uitulis aureis, & dixerunt: Viuit deus tuus Dan, in terminis Iudaicæ terræ aquilonaribus. Et uiuit uia Bersabee, quia longo illuc et raro itinere commeabant, propter reges Iudæ iustos pariter & iniustos. Et quia hoc fecerunt, idcirco corruent & non resurgent amplius in statum quem amiserunt.

¶ CAPVT IX.

1 Vidi dominum stantem super altare, & dixit: Percute cardinẽ, & commoueãtur superliminaria: auaritia enim eorũ in capite omnium, & nouissimum eorum in gladio interficiam: nõ erit fuga ei qui fugit, et non saluabitur ex eis qui fugerit.

Visio quinta.

Quinta uisio significat deuastationem templi et Iudaici status. Videbat autem propheta stantem dominum super altare holocaustorũ, quod erat in atrio sacerdotum, ante porticum & templum, præcipientem prophetæ, si ue ut multi putant angelo, qui reddendis peccatorum supplicijs mancipatus est, ut percutiat cardines templi, & commoueantur superliminaria eius siue uestibula. Quumq; ait, templum propter malitiã hominum dissipatũ fuerit, & ira mea à sanctuario meo cœperit, unusquisq; cognoscat se non posse euadere, auaritia omnia possidente, & nouissima sua esse mortem, nullaq; præsidia ad euadendum sententiã dei posse succurrere. Auaritia certe, ut templum Salomonis, ut hic dicitur, destruxit, sic quoq; Christi temporibus in immensum creuisse, ut sua se mole diutius sustinere nõ potuerit, Iudæis quoq; testantibus discimus: & pontificum imò omnium clericorum auaritia, quid incõmodorum inuexerit ecclesiæ, non est ut multis dicatur, omnibus manifestum: á qua si sibi mundi principes nõ temperarint, proculdubio suam quoque illis perniciem grauem inducet, quod radix sit omnium malorum. Iudicium domini illud dum cœperit grassari, nemo euadet nec diuitum nec sapientum, fugere quidem poterunt, sed non effugere: necessario autem illis pereundum prædicitur.

Auaritia Iudaica.

2 Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos: et si ascẽderint usq; ad cœlum, inde detraham eos.

Fuga negata.

Nunc ipsam fugam multipliciter tentandam in partes secat, & hyperbolice etiam si hoc & hoc fecerint, euadere eos non posse testatur. Si descenderint, ait, usq; ad infernum primores illi, reges, principes, pontifices & sacerdotes auaritia sua diuinum cultum deprauantes, si defodiantur in intima terræ in ipsum infernũ, si criptas & catacumbas ingressi fuerint, ut Sedekias, si cubiculum intra cubiculum, inde extrahet eos manus potentiæ ac iustitiæ meæ: & si in ethera eleuati fuerint, in arces præruptissimorũ montium & altissimorum, detraham eos, et hostibus permittã ludificandos, & occidendos.

3 Et si absconditi fuerint in uertice Carmeli, inde scrutans auferam eos, & si cælauerint se ab oculis meis in profundo maris, inde mandabo serpenti, & mordebit eos.

4 Et si abierint in captiuitatem coram inicis suis: inde mandabo gladio, & occidet eos, & ponã oculos meos super eos in malum & non in bonum.

Captiuitas ab hostibus

Si in speluncis Carmeli sese absconderint, illic eos seruabor, si quoq; in infima maris demergantur, nõ abscondentur ab oculis meis, ibi enim mãdabo serpenti, quem in hoc leuiathan siue cete significat, ut seruet metaphoram, & ab istis ad hostes ueniat, mordebitq; eos, id est, suis faucibus deuorabit. Et ne forsitã per superiora quæ dixit aliud quid quàm captiuitatem ab hostibus intelligeremus, iuxta morem suum aperit scriptura, quod prius sub ænigmatibus dixerat: Et si abierint in captiuitatem, coram inimicis suis, ibi mandabo gladio & occidet eos, ne scilicet extrema malorum suorum æstiment serui tutem, sed etiam captos hostis confodiat, & qui superesse potuerint, & mortẽ euadere, dei aspectum non effugiant, sed ponat super eos oculos suos in malũ, & non in bonum, ut semper eos uisitet, & ad pœnitentiam per tormenta compellat.

5 Et dominus deus exercituum qui tangit terram, & tabescet, & lugebunt omnes habitantes in ea, & ascendet sicut riuus omnis, & defluet sicut fluuius Aegypti.

Potentia Dei.

Hæc autem facturum esse se dicit omnipotens deus, ad cuius tactum & nutum terræ fundamenta quatiuntur siue tabescunt, & omnis eius habitator planctu & luctibus occupatur. Hæc autem loquitur, ostendens magnitudinem diuinæ potentiæ, ne forsitan uelit quidem facere quod minatur, sed uires non impleant uoluntatem. Sin autem terra tabescit siue concutitur, & creatorem suum insensibilis quoq; natura persentit, quanto magis homo fragile animal, cuius animæ thesaurus in uasis fictilibus atq; corporeis clauditur? Et quomodo Aegypti

fluuius decurrit in mare, atque sorbetur, ita & terra Israel, de qua supra dixerat, Qui tangit terram & tabescit, ibit in captiuitatẽ, & ab hostibus deuorabitur, per transnominationem, ab eo quod habetur, diuino id significante sermone.

6 Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, & fasciculum suum super terrã fundauit: qui aduocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, dominus nomen eius.

Dominium cœli & elementorum.

Qui ascendere facit uapores è terra mari & montibus in ethera, & illic quasi in fasciculum colligens transmutat in aquas pluuiales, quas fundat super terram adrigandum & fœcũdandum terram, pro filijs hominum nutriendis, & animalibus cæteris: id est graues salsugine aquas sua in altum iussione suspendit, eliquansq; eas & ethereo calore decoquens, dispensat in pluuias ut emittat super faciem terræ, ut arentia quæq; rigentur imbribus, dominus est, qui solus hæc moderatur & efficit. Iudæi exponũt sic, Dominus est qui cœlis insidet, nouem sphæras condidit, elementa suis orbibus compegit iuxta terram, & ex mari inducit pluuias.

7 Nunquid non ut filij Aethiopũ uos estis mihi filij Israel, ait dñs? nũquid non Israel ascẽdere feci de terra Aegypti, & Palæsthinos de Cappadocia, & Syrios de Cyrene?

8 Et ecce oculi dñi dei super regnum peccati, & conteram illud à facie terræ: uerumtamen conterens nõ conteram domum Iacob, dicit dominus.

Gentiũ gubernator.

Qui creator sum omnium cunctas gẽtes de eodem finxi luto, æquali sorte generaui: deniq; Aethiopes, Palæstinos, Syros atque Iudæos, distantes locis atq; corporibus mortalitatis lege sociaui, et pro arbitrio meo seruos meos huc illucq; cõmuto, & in uniuersas prouincias transfero, ne erigantur in superbiam, quod eos de Aegypto eduxerim, & quasi peculiarem populum meum, Pharaoni seruire passus non sim. Hoc idem feci & Palæstinis, ut transferrem eos de Cappadocia, & in Palæstinæ regionibus collocarem. Syros quoq; transtuli de Cyrene. Ex quo qui æquali conditione sunt facti, æquali sententiæ iudicio punientur, & omnia absq; discretione personarum impiæ regna subuertam. Vos autẽ ô filij Israel, primogenitus filius meus, quos de Aegypto uocaui, percutiam in uirga, peccata uisitabo, sed non totum conteram, in gloriam autem nominis mei dispergam.

9 Ecce enim mandabo ego, & concutiã in omnibus gentibus domũ Israel, sicut concutitur in cribro, & non cadet lapillus super terram.

Pro magnitudine potentiæ & prouidẽtiæ meæ utraq; manu tenens margines terræ, quasi cribrum huc illucq; concutio gentes, ut paleis ac sordibus peccatorũ in terram cadentibus, purũ frumentũ remaneat, quod condatur in horrea, paleas autem cõburem igni inextinguibili: de quibus per Hieremiã, Quid paleis ad frumentum?

10 In gladio moriẽtur omnes peccatores populi mei, qui dicũt: Non appropinquabit, & non ueniet super nos malum.

Morientur in gladio, qui propter sordes & pulueres peccatores populi nominantur. Et hoc patientur, quia non credunt uaticinijs prophetarũ, nec putant esse uenturа, quæ per eos dominus comminatur. Cumq; sibi prosperа repromittant, mala postea sustinebunt, è regione sanctis timentibus & non peccantibus, & idcirco nequaquam morientibus gladio, quia dixerunt: Appropinquabunt nobis mala, & ueniẽt super nos supplicia, quæ peccata nostra meruerunt.

11 In die illa suscitabo tabernaculũ Dauid, qđ cecidit, et reędificabo aperturas (murorũ) eius, & ea quę corruerãt instaurabo, & reædificabo eum sicut in diebus antiquis.

12 Vt possideãt reliquias Idumææ, et omnes nationes, eo quod inuocatum fit nomen meũ super eos: dicit dominus faciens hæc.

In Actis apostolorum quæstione inter apostolos suscitata, cur homines ex gentibus Paulus et Barnabas absq; circũcisione & obseruãtia sabbathi susciperent, Petrus respondit ut debuit. Cuius sententiam probans Iacobus hæc locutus est: Viri fratres audite me, Simon enarrauit, quemadmodũ primum deus uisitauit sumere ex gentibus populum nomini suo, et huic cõcordant uerba prophetarum, sicut scriptum est: Post hæc reuertar & ædificabo tabernaculũ Dauid, quod cecidit, & diruta illius reædificabo, & erigam illud, ut requirant cæteri homines dominum, & omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit dominus faciens hæc. Hoc igitur tabernaculum Dauid, quod ceciderat in non credentibus uerbo domini, ex synagoga Iudaica, suscitabit in apostolis & apostolorum discipulis uerbis prophetarũ credentibus. Cum dominus resurgens ex mortuis, & spiritum sanctum mittens, omnia restituit, ut consurgant toto orbe ecclesiæ fidelium, & possideant credentes reliquias Idumææ, & omnes nationes quæ dominum non cognouerant, uel oblitæ fuerant, cõuertantur ad dominum fiatq; regum filij Dauidis incõparabiliter gloriosius, scilicet ctius, maius et firmius quàm fuerit unquã: regnis scilicet domini & Christi sui propagandũ in totum orbem, & in omnes gentes, quæ humero uno ubique dominũ deum exercituũ, agnoscent, adorabunt, colent & amabunt. Et filij Israel cognominabuntur & erunt, talesq; à domino habebuntur & eligentur, eiectis foris eis qui uerbo prophetarum semper credere renuerunt.

13 Ecce dies ueniunt dicit dñs, & cõprehendet arator messorẽ, & calcator uuæ mittentem semen, & stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles (liquefient) culti erunt.

Describitur rerum omnium abundantia, quomodo hi qui prius euntes ibant & flebant portantes semina sua, uenientes uenient cum exultatione, portantes manipulos suos, ut consequatur manipulorũ triturã læta uindemia, siue arator denuo terrã aperiat illico post messem, & uua iam uarietur ac ducat colorẽ in tẽpore seminis, siue calcator uuæ comprehendat semenẽ, et sic sibi inuicem cuncta bona succedant, ut nulla dies sit absq; fructu

mento uino & gaudio. In illo tempore plenis torcularibus uua calcabitur, & Christi ac martyrum sanguine rubentia musta fundẽtur. Huiusmodi autem calcator uuæ erit seminarũ sermonis dei, ut sanguis eorum magis clamet in mũdo, quàm clamauit sanguis Abel iusti. Montes stillare dulcedinẽ et colles cultos esse, est nulla egestate tam corporali quàm spirituali grauãdos fideles, sed summa tranquillitate conscientiarũ gaudiosos, & abundantia pacis & charitatis unam ecclesiam constituturos.

14 Et cõuertam captiuitatem populi mei Israel, et ædificabunt ciuitates desertas, & inhabitabunt, & plantabũt uineas, et bibent uinum earum, & facient hortos, & comedent fructus eorum.

15 Et plãtabo eos super humũ suam, & non euellã eos ultra de terra sua quam dedi eis, dicit dominus deus tuus.

Docibiles Dei.

Vbicunq; ex Israele permanserint in orbe, qui mihi adhærebunt, uerbo credentes, hos ego libertati restituam, & mũdo seruire & uitijs non permittam. Et ubi prius horrore criminũ & errore falsitatum, perfidia & creatoris insciti a omnia laborabant, nunc à minimo ad maximum omnes erunt docibiles dei, ut una quæq; ciuitas extructa fide & charitate dicat: Ego ciuitas firma, etiã si oppugnetur. Vineas plantabunt, uinum bibent, ecclesiasticas personas instituent, à quibus & recreabuntur doctrinæ fluentis, & uino consolationis in spiritu, intersiam in omnibus diuites facti cibo & potu pasti corpore & spiritu. Tunc quoq; plantatores plantabit dominus super terram suam, & firma radice stabiliet, ut uel flaccescere, uel arescere non possit plantatio dñi, nec euelli unquam de terra. Conuerti quidem potest persecutionibus ecclesia fideliũ, sed nequaquam subuerti: tentari potest, superari non potest. Et hoc fiet, quia dominus deus omnipotens id se ecclesiæ facturum pollicitus est, cuius promissiones intermitti & irritari non possunt.

FINIS.

COMMENTARIA IN ABDIAM PROPHETAM, QVI inter duodecim quartus.

CAPVT PRIMVM.



1 VISIO ABdiæ. Hæc dicit dñs Deus ad Edõ, Auditum audiuimus à dño, & legatũ ad gẽtes misit, surgite, & consurgamus aduersus eum in prælium.

Incertum Hebræis est quo tempore Abdias prophetauerit. Quidã dicunt sub Achab rege Samariæ, fuisseq; aducnam ex Idumæa, qui & sub impijssima Iesabele pauerit centum prophetas in specubus, ideo gratiam accepit prophetalem. Paruus quidem propheta uersuum supputatione, non sensuum. Visionem uocat, quia olim prophetæ uidentes dicebantur. Prophetia est contra Edom, Idumæam, Seir, Esau & Dumam, contra quam unã Esaias, Amos, Ezechiel, & Malachias prophetauerunt. Ieremias quoque, in quo magna pars Abdiæ ordine commutato continetur. Audiuit ergo uel Abdias, uel omnes prophetæ pariter audierunt, omnes enim scribunt contra Edom. Vel etiam gẽtes in circuitu Idumæorum hæc dicere uidentur. Iam instat excidium Idumæis. Nuntium enim, id est, nuntios dominus emisit, ut conuocent omnes uicinas gentes ad uastationem Edom, ut non post longum tempus omnes gentes uicinæ insurrecturæ sint contra Idumæos, & bellum tentaturæ non malis auibus, uincent enim & uastabunt Idumæos. Aliud cogitare sibiq; diuinare non debent impiæ nationes, terræ & urbes, dum dominum non timent, & iustitiam non seruant, quàm ut diu à præliorum tumultu tuti esse non possint, nec debeant. Quum domius deus author iusti & æqui, mundiq; rector, diu ferre non possit iniquitatem & iniurias, superbiam ac contemptum.

Tempus Abdiæ prophetæ.

Contra Edom.

2 Ecce paruulum dedi te in gentibus: contemptibilis tu es ualde.

3 Superbia cordis tui extulit te, habitãtem in scissuris petrarum, exaltantem solium suũ: qui dicit in corde suo, Quis detrahet me in terram?

4 Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sydera posueris nidũ tuum: inde detraham te, dicit dominus.

Dicunt ergo gentes reliquæ, uel propheta eorum nomine: O Edom, qui cum minimus sis inter omnes in circuitu nationes, & ad comparationem gentium cæterarum paruus in numero, ultra uires tamen erigeris superbia. Cumq; habites in speluncis, imò in cauernis petrarum, in locis inuijs, naturaq; munitis, altißimis arcibus uel in mõtium cauernis, ut manus tuas contra omnes exeras, & omnium contra te manus non formides, tamoq; sis in uicinos intractabilior, more heroum, nobilium scilicet, quos olim tu quoq; expulisti, cũ esses mihi pro tua innocentia gratior, humilis & pauperculus, excelsa ædificiorum tecta non posidẽs, sed pastorales casas in diem & menses habitans. Nunc quasi aquila rapax et sanguinaria auium domina, in sublime extolleris, rapinis & proximorum iniurijs uitam tuam exigis, bellum ex bello tentas ob rapinam, tantumq; cogitatione intumescis, ut inter sydera habitare te credas, à nemine superari te posse præsumas, elata uictorijs nemini parcas. Etiam si ultra naturam posses cœli alta penetrare, inde te detraherem, & ad terram deducerem, dicit dominus deus.

Ārces montium.

5 Si fures introissent ad te, si latrones per noctem: quomodo conticuisses? nónne furati essent sufficiẽtia sibi? Si uindemiatores

introiſſent ad te, nunquid ſaltem racemos reliquiſſent?

6 Quomodo ſcrutati ſunt Eſau: inueſtigauerunt abſcondita eius?

Eſau uaſtatus.

Si fures et latrones, qui de nocte domos ſuffodere conſueuerunt, & rapere quæ in domibus ſunt, introiſſent ad te, & abſcõditi tenebris circumiiſſent domus tuæ angulos, utiq; hoc tuliſſent, quod ſibi putabant poſſe ſufficere, & aliquid in ædibus tuis uel per ſatietatẽ uel per ignorantiam reliquiſſent. Si uindemiatores introiſſent uineam, & eam uel hoſtiliter uaſtare uel à te conducti demere cuperent, quamuis diligens eorum fuiſſet uindemia, tamen racemos uitibus foliſq; cælatos inter palmites reliquiſſent: ſed omnia hoſtes tui à te auferent propediem qui ad te domino iubente uenient. Significat autem Babylonios & exercitum Chaldæorum. Inueſtigauerũt enim omnia ſecreta tua (Præteritum pro Futuro) cauernas & foramina ſpeluncarum in quibus habitas luſtrauerunt. Et reuera, ut dicamus aliquid de natura loci, ait Hieronymus, Omnis auſtralis regio Idumæorum, de Eleutheropoli uſque Petram & Hailam, hæc eſt enim poſſeßio Eſau, in ſpecubus habitatiũculas habet, et propter nimios calores ſolis ſubterraneis tugurijs utitur. Quod igitur terra premebatur abſconditum, in medium protuli, & aperta ſunt omnia quæ claudebas, ſubſtantiamq; tuam me pariter cum hoſtibus perquirente nulla potuerunt ſecreta cælare.

7 Vſque ad terminum emiſerũt te omnes uiri fœderis tui: illuſerũt tibi. Inualuerunt aduerſum te uiri pacis tuæ, qui comedunt tecum, ponẽt (uulnus) in fidias ſubter te: non eſt prudentia in eo.

Veniente Chaldæorum rege, omnes qui ante erant fœderati Edomitis, & in præſidio urbis ſuperbißimæ fuerant, reliquerunt eum, & iuncti hoſtibus contra inſidias tetẽderunt prævaluerunt q; aduerſus eum. Tunc indicatum eſt, quia nulla in Edom eſſet ſapientia, dum ſperat in his qui aduerſarij demonſtrati ſunt.

8 Nunquid non in die illa dicit dominus, perdam ſapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Eſau?

9 Et timebunt fortes tui à meridie, ut intereat uir de monte Eſau, propter interfectionem,

10 propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confuſio, & peribis inæternum.

11 In die quum ſtares aduerſus eum, quando capiebant alieni exercitũ eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & ſuper Ieruſalem mittebant ſortem: tu quoque eras quaſi unus ex eis.

Cum hoſtes & fœderis tui uiri prævaluerint & illuſerint tibi, tunc peribit ſapientia de Idumæa & callidꝛtas eius ſtultitia demõſtrabitur. Auferetq; prudentiam cunctis montana tua habitantibus, pauebuntq; pugnatores tui auſtrales de Theman, et interibit uir de monte Eſau, qui & pugnare pro ciuitate, & prudenter conſulere ſolitus erat: quia interfeciſti germanum, & inique egiſti contra fratrem tuum Iacob, quando Chaldæis uaſtantibus Ieruſalem, & obſidentibus urbem, portaq; perrumpentibus ac ſortes mittentibus in diuiſione prædarum, tu eorum ſocius eras, & hoſtis. Quotieſcunq; enim occaſio ſe præbebat Iudæos uicinos bello fatigandi, ſeu Idumæi nõ negligentes hoſtes erant, ſed atrociſſimi, ſeuq; parati ex fatali & uetuſto odio quo ſemper inſectabant eos pro omni uirili ſua.

12 Et nõ deſpicies in die fratris tui, in die peregrinationis eius, & non lætaberis ſuper filios Iuda, in die perditionis eorũ, & non magnificabis os tuum in die anguſtiæ.

13 Neq; ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum: neque deſpicies & tu in malis eius in die uaſtitatis illius, et nõ emittes aduerſus exercitum eius in die uaſtitatis illius.

Fratrem uidebit.

Nequaquam facies quæ antea feciſti contra germanum Iacob. Non deſpiciet amplius & irridebit Eſau uidens fratrem ſuum Iacob, id eſt, Iſraelitas, ire in captiuitatem. Nec lætaberis ſuper filios Iuda, dum à Chaldæis captiuabuntur. Non magna loqueris, & quaſi unum de uictoribus eſſe te credens, in fratris ridebis angußia. Neque in die ruinæ populi mei, & in irruptione murorum & portarum Ieruſalem gloriabũdus incedes. Ideo inquam, iſta non facies, quia tu citius ſimilia patieris. Vel admonet ne ſic agat, ne ſibi grauiora fata occurrant ſtatim.

14 Neq; ſtabis in exitibus, ut interficias eos qui fugerint, & non concludes reliquos eius in die tribulationis.

Cum tu ipſe Eſau captus fueris, & Babylonio uaſtante deletus, inter cætera quæ feciſti, non hæc facies quæ ſequuntur, non deſpicies neque contemnes fratrẽ tuum Iacob, dum uaſtabitur, nec iuuabis exercitum Chaldæorum contra Iudam, quando ſuperatus ab aduerſarijs terga uerterit. Cumq; cœperint fugere per notas ſibi uias & diuerticula, & colles ad ſolitudinẽ perferentes, non ſtabis in biuio, nec uenientes expectabis in compitis, ut interficias eos qui fuerint liberati, aliosq; comprehenſos recludas, ut uel ipſe capias, uel captiuitati hoſtium ſeruies.

15 Quoniam iuxta eſt dies dñi ſuper omnes gentes: ſicut feciſti, fiet tibi, retributionem tuam conuertet in caput tuum.

16 Quomodo enim bibiſtis ſuper montem ſanctum meum, bibent omnes gentes iugiter: & bibent, & abſorbebunt, & erũt quaſi non ſint.

Hæc autem, ô Idumæa, ideo facere ceſſabis, quia uenit ſuper te ultio domini. Ieremiam legamus, quomodo calix aureus Babylon in manu domini futurus ſit inebrians omnes gentes. Vniuerſas quippe gentes aquilonis Aſſyrij Babylonijq; tenuerunt. Quemadmodum ergo in Pſalmo legimus: Memento domine filiorum Edom, in

die Ierusalem, dicentium: Eximanite eximanite usque ad fundamentũ in ea, Et beatus qui tenebit et allidet, &c.
Sicut super montem sanctum meum Sion bibisti cum Babylonijs, atque lætatus es, sic omnes gentes quas habebat Babylonius in præsidio, conuersæ contra te, bibent & lætabuntur: & non solum bibent, sed ita te absorbebunt, ut sint Idumæi quasi nõ sint. Vel certe ipsæ gentes, cum te absorbuerint, absorbebuntur à Medis. Et hoc circulo uindicta procedet, ut tu Israelem, te Babylonius, Babylonium Medus ac Persa consumat.

17 Et in monte Sion erit saluatio, & erit sanctus, & possidebit domus Iacob eos qui se possederant.

18 Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula, & succendentur in eis, & deuorabũt eos, & non eruntreliquię domus Esau, quia dominus loquutus est.

Idumæa subuersa. Idumæa subuersa, & ab inimicis gentibus, cum quibus prius cõtra Iacob fœdus inierat, deuorata, in mõte Sion erit saluatio, & erit sanctus. Veniet enim tempus, cum mons Sion tam inuisus omnibus gentibus, Aegyptijs, Idumæis, Assyrijs, Chaldæis, Philistæis, ob religionem & unius dei cultum, & in illum credentes illic Israelitas, mutatis rebus, & humiliatis nationibus, gloriosior erit omnibus in orbe montibus, et Hierosolymæ fama, decus & sanctitas, toto orbe celebrabitur. Et possidebit Christus, & semen sanctum, prædicationis Euangelicæ omnes gentes: quæ unius dei cultũ abhorruerãt, & fuerant semper totis utribus persecutæ, tunc passim auidissimè amplectẽtur & admirabuntur, et in humeros suscipient deuotissimè. Et deuorabit ignis Iacob & ueritas omnes omnium gentium falsitates, & dominus deus Israel, omnes nationum deos opprimet, et in nihilum rediget, neq; solum Edomitarum colla fidei Christi Iudaicæq; subdet, sed omnes gentes sibi subditos statuet, nõ crudelitate armorum, sed Euangelio salutis & gratiæ prædicato per orbem. Alioqui ubi Iudæi post hæc tempora omnes subiecerint nationes, uel etiam Idumæam solam, ostendere non poterint.

19 Et hæreditabunt hi qui ad austrum sunt, montem Esau, & qui in campestribus Philisthijm, & possidebunt regionẽ Ephraim, regionem Samarię, & Beniamin (possidebit) Galaad.

20 Et transmigratio exercitus huius filiorũ Israel, omnia loca Chananæorum usq; ad Sareptham, & transmigratio Ierusalẽ, quæ in Bosphoro est, possidebit ciuitates austri.

Israelitæ ueri cum fidelibus in sancta ecclesia certissime impleuerunt à Christi temporibus & possederunt omnem terram, ex omni orbis plaga circum Hierosolymam, unde exiuit lex domini dei exercituum, Euangelium gratiæ & salutis, conuersis ad dominum Deum creatorem suum non solum Edomitis & Palæstinis, sed tota Ephraim regione Samaritanorum, & Galaad, Sarepta, & Bosphoro, omnes ciuitates austri, de quibus iam multa dicta sunt, & multo plura significantur, omnes prædicit in toto mundo, hostes olim Israelitarũ, & unius ueri dei, cõuertendos, & ab oriente & occidente uenturos populos & recubituros in sinu Abrahæ, et gloriam domini dei Israel adoraturos in spiritu & ueritate. Alioqui nomina hæc sunt gentium & terrarũ, etiam Iudæis testantibus, remotissimis à Iudæa nationibus appropriata, ut Chanaanim Alemaniã uocẽt, Sareptham uel Zarphat Gallias, sicut & Sarphat Hispaniam, quas quomodo possideant terras Iudæi respondeant. Et si illis non sufficit Christi domini filij Dauid imperium æternum ac felicissimum, ipsi sibi de gloriosiore prouideant, infelicissimi homines sine Christo, quibus cum Christi fide nihil felicitatis desyderabitur.

Hostes fidelium conuertendi.

21 Et ascendent saluatores in montem Sion iudicare montem Esau, & erit domino regnum.

Saluatores apostoli. Saluatores ascensuri in montem Sion, ut ibi recepto spiritu sancto à Christo de cœlis mittendo, qui congrue magis intelligũtur quàm apostoli Christi? qui euangelicæ doctrinæ à Christo edocti & missi, mundum conuerterunt ad fidem omnipotentis dei, & unici filij sui Christi domini, qui constituti sunt iudices duodecim sessuri super duodecim sedes, & iudicaturi duodecim tribus Israel, in regno Christi, quod aliud non est nisi domini dei regnum, qui potestatem filio dedit omnem in cœlo et in terra, qui iudicaturus est uiuos & mortuos, cuius imperij finis non erit.

FINIS.

COMMENTARIA IN IONAM PROPHETAM, QVI inter duodecim quintus.

CAPVT PRIMVM.



1 T factũ est uerbũ Domini ad Ionã filiũ Amathi, dicens:

Ionas quare missus gentibus. In æmulationem atq; condemnationẽ Israelis Ionas ad gẽtes mittitur, quod Niniue agente pœnitentiam, illi in malitia perseuerent. Fuit aũt de tribu Zabulon, in qua urbs est Geth Hepher, patria Ionæ, patre autem Amathi, temporibus Ieroboam nepotis Iehu, contemporaneus Hosee, Amos, Ioel. Cuius authoritate & prædicatione Ieroboam felicior erat, regnum collapsum restituens, ab Hemath usq; ad mare in campestribus, quicquid Hasael Syrus regno Israel abstulerat. Tantum habet gratiæ terra et regnum cuius prophetæ audiũtur. Cum aũt post Ieroboam mortuũ, nihil se Israel emendaret, corruebat regnum mutuis

cædibus, regibus subinde corruentibus, donec totum expirauit. Semper enim ante magnam domini indignationem mittuntur uerbi domini prædicatores.

2 Surge et uade in Niniuen ciuitatem grandem, & prędica in ea: quia ascendit malitia eorum coram me.

Non tantum Israelitarum dominus est, & prouidentia sua moderator, sed etiam gentium, & incircuncisorum carne, pater fidelis & susceptor, uerbo suo credentium, & acquiescentium monitis, ut uitam emendent ex timore domini. Arduum prophetæ officiū est, potentiæ huius mundi & superbiæ uerbis resistere & operibus, nuntiare illis suam malitiam, quam & difficulter agnoscunt, & agnitam sibi nolunt narrari. Sed ubi hæc dominus iusserit, intrepide sancti obediunt, nisi dominus aliud agere cum suo supellectili uelit. Antequam igitur dñs crimina puniat Niniuitarum, de quibus Naum commonefacit, mittit illis Ionam, ut pœnitentiam agentes redimantur ad tempus.

Gentium omnium dominus.

3 Et surrexit Ionas ut fugeret in Tharsis à facie domini, & descendit in Ioppen, & inuenit nauem euntem in Tharsis, & dedit naulū eius, & descendit in eam, ut iret cum eis in Tharsis à facie domini.

Voluit aufugere in locum aliquem, non ubi dominus non esset, qui ubiq; est, sed ubi non credebatur, colebatur, uel timebatur, fantasia quadam terribili adactus, abhorrens à tam periculoso officio prædicandi ueritatē, uitia carpendi cōtra reges ac populos, nolēs uideri mendax, qui dei clementiam credebat, omnia agens humanis affectibus impulsus, qui militant aduersus spiritū, etiam in sanctis ac electis. Siue enim cōuerterentur Niniuitæ, uidebat illud cedere in damnationem Israelis, siue non conuerterentur, periculum timebat sibi ab impijs. Tharsis autem nomine longinquum aliquod mare significatur quodcunque, ubi præter cœlum & mare nauigantibus nihil uidetur. Ioppe portus Iudææ est, olim nobilis urbs, interim uix modicæ ruinæ uisuntur. Iuxta regionis naturam de montanis descendebat ad mare, inuenitq; nauem soluentem è littore: non casu, quo nihil fit, sed dei prouidentia, qua omnia reguntur. Mercedem dedit subuectionis, & in ipsa naui uelut cœli dominum timens, latebras nauis petijt in profundo ipsius, uel ut cōmodius dominum oraret, uel animi deiectionem cælaret nauigantibus. A facie domini abibat, ut quocunq; tandem nauis pergeret peruenirent, tantum ut domini declinaret imperium, ad quod alium submittendum sperabat à domino, euasisse se putans si Iudæam exijsset.

Causæ fugæ.

Descendere in nauim.

4 Dominus autem misit uentū magnum in mare, & facta est tēpestas magna in mari, & nauis periclitabatur (cogitabatur) conteri.

Potest fuga prophetæ & ad hominis referri personam in communi, qui dei præcepta contemnens, recessit à facie eius, & se suo tradens arbitrio, uel mundo: ubi postea malorum tempestate & totius mundi naufragio contra se sæuiente, compellitur sentire domini potentiam præsidentem toti mundo, & reuerti ad eum quem fugerat. Vnde intelligimus, quæ sibi homines assimant salutaria, deo uolente uerti in perniciem. Periclitatur nauis quæ periclitantem susceperat, uento maria concitantur, in trāquillitate tempestas oritur: nihil deo aduersante securum est. Leui momento nostri conatus impediuntur. Periculosum est sceleratos admittere sociios, fouere deo rebelles.

Fuga prophetæ.

5 Et timuerunt nautæ, & clamauerunt uiri ad deum suum, & miserunt uasa quę erant in naui in mare, ut alleuiaretur ab eis, & Ionas descēdit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui.

Arbitrantur nauem insolito onere prægrauari, et non intelligunt totum pondus esse fugitiui prophetæ. Ignorantes ueritatem, non ignorant prouidentiam, & sub Timor de errore religionis sciunt aliquid esse uenerandum: proiciunt onera in mare, ut magnitudinem fluctuum elabsis leuior transiliret. Quicquid habet homo dat pro anima sua, id est uita, tutanda. Alijs stulte & inaniter clamantibus ad suos deos, innititurq; ibi unusquisq; cui potest, Ionas satis quiete dormit, animoq; trāquillo ad nauis interiora descendit, somno placido perfruiturus. Nisi forte taßis fugæ conscius & peccati inobedientiæ, tempestatem ignorantibus cæteris contra se sæuire cernebat, nec non securitatis sit dormitio, sed mœroris.

6 Et accessit ad eum gubernator, & dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? surge, inuoca deum tuum, si forte recogitet deus de nobis, & non pereamus.

Naturale est unumquenq; in suo periculo de alio plus sperare. Vnde gubernator qui uectores timidos debuerat consolari, cernens discriminis magnitudinem, excitat dormientem, & arguit improuidæ securitatis comonetq;, ut ipse quoque pro uirili portione deprecetur deum suum: ut cuius erat commune periculum, communis quoq; esset oratio.

7 Et dixit uir ad collegam suum: Venite, & mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes, & cecidit sors super Ionam.

Nouerant naturam maris, & tanto tempore nauigantes sciebant tempestatum uentorumq; rationes: insolitos autem uidentes fluctus consurgere, autorem naufragij gentilium more sorte experiri conantur, & per rem incertam certum cupiunt euitare discrimen. Hic uero dispensatione diuina fugitiuus sorte deprehenditur, non uiribus sortium, sed uoluntate eius qui sortes regebat incertas. Malitiam dicunt afflictionem & calamitatem, non uirtuti contrariam. Nec statim debemus sub hoc exemplo sortibus credere, gentiles erant, deos suos inuocabant, non omnia bene agebant. Alioqui dum res postulat, aliter non finienda, ex fide in prouidentiam dei, oratione præmissa urgente necessitate, instinctu dei, non spiritu uanitatis, non ad tentandum deum, sors admittitur, & sanctis quoq; in usu est.

Sortes.

8 Et dixerunt ad eum: Indica nobis cuius causa

causa malum istud sit nobis: quod est opus tuum? & quæ terra tua? & quo uadis? uel ex quo populo es tu?

Elegans interrogatio.

Quem sors indicauerat, cogunt uoce propria confiteri, cur tanta tempestas sit, et quare contra eos dei ira desæuiat: indica, inquiũt, nobis cuius causa malum istud sit super nos, quid operis agas, de qua terra, de quo populo proficiscaris, quo abire festines? Interrogatur eleganti breuitate persona, regio, iter, ciuitas, ut ex his cognoscatur & causa discriminis.

9 Et dixit ad eos: Hebræus ego sum, & dominum deum cœli ego timeo, qui fecit mare & aridam.

Non dixit Iudæus, sed Hebræus ego sum, quod sciss'a decem tribuũ à duabus populo nomẽ imposuit. Transitorem quoq; se & aduenam significare potuit uoluisse. Et dominum deum cœli ego timeo, non deos quos inuocatis, qui saluando non sunt: sed deum cœli, qui mare fecit & aridam. Timere autem deum, est colere & credere omnium gubernatorem esse.

10 Et timuerunt uiri timore magno, & dixerunt ad eum: Quid hoc feciſti? Cognouerunt enim uiri quod à facie domini fugeret: quia indicauerat eis.

Ordo præposterus.

Historiæ ordo præposterus est. Quia enim poterat dici, Nulla causa timoris fuit, ex eo quod eis confessus est: ideo statim subnectitur, idcirco timuisse eos, quia indicauerit se domini fugisse conspectum, & eius non fecisse præcepta. Deniq; causantur, Si times deum, cur fugis? Si tantæ potentiæ prædicas quem colis, quomodo te putas eum posse euadere? Timent autem timore magno, quia intelligunt sanctum, & sanctæ gentis uirum, quia de loppe soluerant, & Hebrææ gentis priuilegium non ignorabant, & tamẽ fugitiuum cælare non possunt. Reprehendunt culpam, timorem confitentur, rogant ut ipse remedio sit, qui autor peccati fuerat. Vel simpliciter, hominis à deo.

11 Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis? quia mare ibat, & intumescebat.

Propter te dicis uentos, fluctus, mare, gurgites concitatos: quid facere possumus, ne dominus irascatur? Quid tibi faciemus quo facto quiescat nauis, quæ nunc creatoris iram suo tremore testatur? Statimq; historicus causam iungit timoris. Mare, dicit, ibat & intumescebat. Ibat ut iussum fuerat ad uindictã domini sui persequens fugitiuum, intumescebat per momenta temporum, magis fluctibus turbabatur, nolens differre ultionem domini sui.

12 Et dixit ad eos: Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à uobis: scio enim ego quoniam propter mẽ tẽpestas hęc grandis uenit super uos.

Exemplum fidei.

Fidei exemplum Ionas proponitur: aliorum peccata more piorum peccantium qui differunt ab impijs peccatoribus in seipsum trãsfert: se sontem offert, ut alios absoluat, aliorum damna sibi imputat, fatetur se corã deo & hominibus grauiter peccasse, de se mortis fert ipse sententiam, domini uoluntati sese accõmodat, iudicium illius sponte suscipit, fiduciam præbet melioris spei si se proijciant, hortatur illos ut sibijpsis prospiciant, se neglecto, prouidẽtiæ Dei se exponit, morti se pro fratrum salute impendit, iustus pro iniustis, pius pro idololatris. Ingens Ionæ magnanimitas, nolentis ad peccatum fugæ addi alienæ necis delictum.

13 Et remigabant uiri, ut reuerterentur ad aridam, & non ualebant: quia mare ibat, & intumescebat super eos.

Confessio.

Protulerat contra se propheta sententiam, illi autem tanti Dei audientes pium cultorem, manus inijcere non audebant, ideo conantur appellere ad aridã, magis uolentes periclitari uel perire, quàm perdere. Humilitate sua & confessione permouerat alioqui non malos uiros ad insignem charitatem, uim cupiebãt facere, & naturam rerum uincere, ne uiolarent prophetam dei.

14 Et clamauerunt ad dominũ, & dixerunt: Quæsumus domine, ne pereamus in anima uiri istius, & ne des super nos sanguinem innocẽtem: quia tu domine, sicut uoluisti, fecisti.

Fides gentium.

Grandis nautarum fides, periclitantur ipsi, & pro alterius anima deprecantur, sciunt enim peiorem mortem peccati esse quàm uitæ. Et ne des, inquiũt, super nos sanguinẽ innocentẽ. Nolumus interficere prophetã tuum, sed iram tuam & ipse confessus est, & tempestas ipsa loquitur, quia tu domine, sicut uoluisti sic fecisti, uoluntas tua expletur per nostras manus. Quod nos suscepimus prophetam in nauim, quod turbo consurgit, quod uenti sæuiunt, quod mare fluctibus intumescit, quod proditur sorte fugitiuus, quod indicatur quid fieri debeat, totum tuæ est uoluntatis, ô domine.

15 Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare, & stetit mare à feruore suo.

Profectus ex confessione.

Non dixit Arripuerunt: non Inuaserunt, sed Sustulerunt, quasi cum honore & obsequio portãtes miserunt in mare: non repugnantem, sed præbentem manus ipsorum uoluntati. Et stetit mare, quia inuenerat quem quærebat: quod absente Iona irascebatur, in uisceribus suis desyderatum tenens, gaudet & consouet, & ex gaudio redit tranquillitas. Si consyderemus ante passionẽ Christi errores mundi, & diuersorum dogmatum flatus contrarios, & totum humanum genus periclitatum, tranquillitatem autẽ redditam fidei orbis, pacem per Christi mortem, omnia secura, conuersionemq; ad deum, uidebimus quomodo post præcipitationẽ Ionæ steterit mare à feruore suo. Nos hinc discimus professum confessionis Ionæ, mirabilia opera Dei & bonitate sese ubique ostendentem. Innocentem fatentur, quia ipsos non læserat, opus dei agere inuiti coguntur: sic agendum est iudicibus in causa sanguinis.

16 Et timuerunt uiri timore magno dominum, & immolauerunt hostias domino, et uouerunt uota.

Ante Ionæ sepulturam, & Christi mortem, timentes clamabant ad deos suos, postea dominum timent, uenerantur, & colunt: hostias immolabant non alias quàm quas habebant, cor contritum & spiritum contribulatum, sacrificium laudis & redditionem uotorum, uota facientes se nunquam ab eo quem colere cœperant recessuros. Timebãt timore magno, quia ex tranquillitate maris & tempestatis fuga, uera prophetæ uerba cernebant. Ionas in mari fugitiuus, naufragus, mortuus, saluat nauiculam fluctuantem, saluat ethnicos in diuersas priùs sententias diuisos, & mundi huius errore iactatos: & tot prophetæ Israelis uno tempore prophetãtes, populum in Iudæa nequeunt emendare.

Sacrificiũ laudis.

CAPVT II.

1 ET præparauit dominus piscem grandem, ut deglutiret Ionã, & erat Ionas in uentre piscis tribus diebus & tribus noctibus.

Morti & inferno præcepit dominus, ut prophetam suscipiat, quæ auidis faucibus prædam putans, quantum in deuoratione lætata est, tantum luxit in uomitu. Tunc quoque completum est illud quod legimus in Osee, Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne. Vbi putabatur interitus, ibi custodia est. Quod autem ait, Parauit, id est, iuxta nauem fecit uenire, ut præcipitem Ionam in suos reciperet sinus, & pro morte præberet habitaculum, ut qui in naui iratum senserat deum, propitium in morte sentiret. Et erat Ionas in uentre piscis, & cæt. Huius loci mysterium in Euangelio dominus exponit, et superfluum esset uel idipsum uel aliud dicere.

Mors mors tua.

2 Et orauit Ionas ad dominũ deum suum de utero piscis.

Si Ionas refertur ad dominum, & ex eo quod tribus diebus ac noctibus in utero ceti fuit, passionem indicat saluatoris, debet & oratio illius typus esse orationis dominicæ. A nolentibus autem credere tribus diebus potuisse hominem seruari in utero ceti, quærendum est, si fideles sint, multo maiora credere in scripturis cogentur: si infideles & ethnici, multo incredibiliora haberi & doceri à suis poetis, & tamen omnipotentia Dei omnia fieri posse, & ueritatem scripturæ necessariam credi oportet. Intelligimus autem Ionam, postquam in utero ceti sospitem se esse senserit, non desperasse de domini misericordia, & totum ad obsecrationem esse conuersum. Deus enim qui dixerat de iusto, Cum ipso sum in tribulatione, affuit ei, & dicere potest qui exauditus est, In tribulatione dilatasti mihi.

Fides difficilium.

3 Et dixit: Clamaui de tribulatione mea ad dominum, & exaudiuit me: de uentre inferi clamaui, & exaudisti uocem meam.

De præterito gratias agit, quia ex eo tempore quo præcipitatus est in mare cum uidisset cetum, & immanes illos rictus aperto se ore sorbere, domini recordatus est, & clamauit. Ventrem autem inferi aluum ceti intelligamus, qui tantæ fuit magnitudinis, ut instar obtineret inferni. Confitetur & magnificat beneficium Dei, docet solum deum inuocandum, forti animo fert periculum intelligens se saluandum.

4 Et proiecisti me in profundum in corde maris, & flumẽ circũdedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui sup me trãsierunt.

A Deo euas.

Obliuiscitur hominum qui eum eiecerunt in mare, & in deum reijcit illud factum, quod scilicet ceti clausus aluo, in profundissimo & in medio maris fuerit, fluminibusq; uallatus sit. Iram interim domini contra se iustam confitetur & maximam, non tamen sine fiducia salutis, alioquin non oraret, & nisi exaudire dominus desperabili cruciasset, non instigasset ad orandum in tam desperabili statu & horridissimo. Quid enim horribilius quàm uiuum in medio maris seruari? in faucem ingeri immanis beluæ? uentrem ceti habitaculum incolere? Quid potest dici, si talis cõditio infernalis non habetur? Ideo infernus dici, Omnes contritiones maris gurgites & diuexationes & fluctus horribilissimi transierũt super me, maior mihi calamitas terra & mari contingere non potuisset. Leue esset per horam adflictum amarissimæ mortis tradi: triduo uiuum seruari in tam crudeli ergastulo, quid inoginari potest crudelius secundum carnem?

5 Et ego dixi, Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: ueruntamen rursus uidebo templum sanctum tuum.

Ira Dei argumentum.

Quod iræ diuinæ & maximæ similius argumentum? Quomodo non desperasset de fauore dei, tam crudeliter tractatus in carne, tanto tempore? Cum interim non ignoraret inobedientiæ peccatum, qua conscientia mordebatur, ne tantum caro ferret perditionis horrorem, & non simul animus deo rebellis. Veruntamen rursum uidebo templum sanctum tuum. Quanta reuerentia sanctis erat ad dei templum? quanta deuotio in cultu legali dei ueri? ut tantis angustijs pressus de Hierosolyma cogitet, de sanctitate & ornatu templi in mentem ueniat, quasi non tunc præsentẽ sibi dominum cogitaret, quem tanto affectu alloquebatur orando, non ore, sed mente. Certa interim spe & fide fruebatur denuo perueniendi ex abyssо illa perditionis in terram uiuentium, quando recto incessu, electum à domino locum cultus diuini accedere proponebat & uouebat.

6 Circundederunt me aquæ usque ad animam, abyssus uallauit me, pelagus operuit caput meum.

Saluum me fac domine, ait, quoniam intrauerũt aquæ usque ad animam meam, torrens inferni transiuit animã meam: & urgebat super eum putens os suum, & infernus iam illum uiuũ concluserat, iam iudicioru dei abyssus inuoluerat & grauabat, pelagi profunditas operuerat caput suum, cum tanto tempore uiuus intra carcerem uitalium uiscerum piscis contineretur animo uitarem, & sensibus non destituto.

7 Ad extrema montium descendi, terræ uectes concluserunt me in æternum, & sublimabis de corruptione uitam meam, domine deus meus.

Quod Ionas descenderit ad radices extremas montium, & uenerit usq; ad profunda terrarum in fastissimo mari

mari gestatus utero beluæ, contra naturæ ordinem, uiuus & incolumis uirtute dei seruatus in carcere, et tam aquis quàm reliquis cibis & spurcitijs copulatus et ualatus ad spem quidem futuræ saluationis, sed interim inenarrabili angore punitus, mirum est sanctum ferre potuisse, sed potentiæ dei facile, cui omnia seruiunt. Permissus tamen est interim cogitare de dei operibus, & quod uniuersa quæ accidunt absque Dei non ingruunt uoluntate, ideo gurgites Dei & fluctus dicuntur, qui transierunt per eum, non inferentes sed minantes interitum. Subleuabis uel ascendet de exitio & corruptione uita mea, quia qui in uentre ceti iuxta naturam corporum corrumpi debuerat, & in cibos bestiæ proficere, ac per uenas artusq; diffundi, triduo digerendus, sospes & integer diuino miraculo seruabatur. Communem quoq; deum omnium, beneficij tamen magnitudine tunc suum & quasi proprium senserit deum.

Tentatio prophetæ.

8 Quum angustiaretur in me anima mea, domini recordatus sum, ut ueniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.

Desperatio quia.

Cum nullum aliud sperarem auxilium, recordatio domini mihi fuit saluti, iuxta illud: Recordatus sum domini & lætatus sum. Cum de salute carnis desperarem, & carnis fragilitas in uētris medio nihil me de uita sperare permitteret, quicquid impossibile uidebatur domini recordatione superatum est. Videbam me clausum in utero ceti, & tota spes mea dominus erat, ad quem oratio mea dirigebatur, de extremo mari & scissuris montium conscendebat ad cœlum, & ad templum illud tuum ueniebat, in quo tu æterna frueris beatitudine. Petit autē nouo orationis modo, ut oratio illius conscendat ad templum dei.

9 Qui custodiunt uanitates frustra: misericordiam suam derelinquent.

Qui idololatriam & scelus superstitione uana sectantur, misericordiā domini deseruerunt. Vitio nostro, patimus. Qui ita custodiunt uanitates, quasi diligant, & thesaurum se inuenisse putent, istis denegatur dei misericordia, dum tales perseuerant: uerum expectat dominus ut redeant. Simul quoque cerne magnanimitatem prophetæ. In profundo maris, in uentre bestiæ, æterna nocte coopertus, non cogitat de periculo suo, sed de natura rerum, uitijs hominum, & dei iustitia philosophatur. Misericordiam, inquit, suam derelinquent. Licet offensa sit misericordia dei, & ipse deus, non tamen derelinquit peccatores.

Magnanimitas prophetæ.

10 Ego autem in uoce laudis immolabo tibi: quęcunq; uoui reddā pro salute dño.

Votareddenda.

Ego autem qui uoluntate domini deuoratus sum, & hucusq; conseruor bonitate & potentia sua, cum gratiarum actione & laude confessionis immolabo tibi sacrificia grata, ut omnia ossa mea dicant: Domine quis similis tui? Vota autem quæ uoueo domino reddam studiose & deuote, sacrificia scilicet cordis & munerū, pacifica salutaria & gratulatoria pro salute mea domino reddam in templo, non diuis uanis.

11 Et dixit dominus pisci, & euomuit Ionā in aridam.

Præcepit dominus, cuius uelle est efficere sine labore, ut ex imis uitalibus mortis, auræ reddiderit uitali. Similiter abysso, ceto magno, & inferis præcipitur, ut restituant saluatorem tertia die, qui mortuus fuerat, ut liberaret eos qui mortis uinculis tenebantur, ut secum plurimos educat ad uitam.

CAPVT III.

1 ET factum est uerbū domini ad Ionam secundo, dicens:

2 Surge, uade in Niniuen ciuitatem magnam, & prædica in ea prædicationem quam ego loquor ad te.

Non dicitur prophetæ, Quare non feciſti imperata? sufficit enim ei naufragij & deuorationis correptio. Superfluus siquidē est delinquenti sermo post plagas uelle imputare quod fecit, ne uideatur exprobratio esse non emendatio. Prædicare iubetur uerbum domini restitutus statim officio prædicandi, quantumlibet multum peccasset, sed post conuersionem & pœnitentiā, & uelut à domino missus increpare uitia enormia urbis, dominum iratum, hortari ad emendationē, efflagitare dei clementiam, fidere de domini bonitate, non prius q̄ sese emendauerint. Sinimus id egerint, dūmq; non timuerint, certißimè sine perituri, post quadraginta dies, quod antea illi fuerat commendatum. Nec aliud loqui prædicatores debent, quàm deus illis loquitur in scripturis.

Restitutio peccatoris.

3 Et surrexit Ionas, & abiit in Niniuen iuxta uerbum domini, & Niniue erat ciuitas magna deo itinere trium dierum.

4 Et cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei unius, et clamauit, et dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.

Opere statim imperata perficit Ionas. Iam mutatus, non uerbum dei, non alium mittit, sed priorem ut esset typus Christi glorioſioris post resurrectionē quàm antea. Niniue autem erat tanti ambitus ut uix trium dierū posset itinere per plateas circumiri. Præcepti enim memor, & superioris naufragij, tanto feruore prædicauit pœnitentiam, ut tridui uiam unius diei festinatione compleuerit, uel una tantū parte urbis prædicans confestim ad reliquos prædicationis sermo peruaserit. Quadragenarius numerus conuenit ieiunio, orationi, sacco, & lachrymis, & perseuerātiæ deprecandi, ob quod & Moses, Helias & Christus quadraginta dies ieiunasse scribuntur: cuius tamen præceptū nunq̄ datum in scripturis legitur, & hoc loco nō imponitur, nec omnibus congruit pœnitentibus, & nostris clericis in usu non fuit.

Obediētia post flagella

5 Et crediderunt uiri Niniuitę in dominū, & prædicauerunt ieiunium, & uestiti sunt saccis à maiore usq; ad minorem.

Niniue credidit ad unam prædicationē, & Israel incredulus ad tot prophetarum clamores perpetuo perseuerat. Qui deum offenderant luxu & ambitione, eorum damnatione placent per quæ prius offenderant. Saccus & ieiuniū arma sunt pœnitentiæ. Præcesserat aūt fides

Gentium fides & pœnitentia.

uerborum dei, agnitio ſuiipſius, horror peccati, uoluntas complacendi domino, deſiderium melioris uitæ, cordis conuerſio, & inſtitutio cõuerſationis melioris, humilis feruens ac perſeuerans oratio, morũ religioſior inſtitutio, cum fiducia bonitatis diuinæ, quantumlibet uerbis prophetæ crederent, clementiæ tamen diuinæ credebant magis, non uacua fide, ſed ſanctis operibus conteſtata. Hæc domino pariter placebant, qui ieiunium & ſaccos non magis curaſſet, quàm mugitum boum & omnium animalium.

6 Et peruenit uerbum ad regem Niniue, & ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit ueſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco & ſedit in cinere.

7 Et clamauit & dixit in Niniue ex ore regis, & principũ eius, dicẽs: Homines, et iumenta, boues & pecora nõ guſtent quicq̃: nec paſcantur, & aquam non bibant.

8 Et operiantur ſaccis homines & iumẽta, & clament ad deum in fortitudine, & conuertatur uir à uia ſua mala & ab iniquitate quæ eſt in manibus eorum.

Regis pœnitentia. Rex poſtremus prædicationem audit, ſed compungitur conſcius peccatorum, deſcendit de ſolio, humiliatur credens uerbo prophetæ, ſuperbiam abijcit, ornatũ contemnit, ſacco ueſtitus ſedet in cinere, nec ſua conuerſione contentus, cæteris quoq; principibus ſuis & aulicis prædicat pœnitentiam commiſſorum, ut aut eactæ uitæ pœniteant, meliora proponant & arripiant ſtatim, ne ultione dei præueniantur. Etiam homines & iumẽta boues & pecora cruciantur, ut exẽplo ſint peccatoribus, quatenus damnatis priſtinis uitijs, totos ſe conferant ad orationem, quam dominus humilem non aſpernatur. Notanter autem additur: Clament ad dominum, & conuertatur quiſq; à uia ſua mala: alioqui uana ſunt omnia ceremonialia, niſi cordis reformatio & uita innocentior ſubſequatur, ut ceſſent omnes iniuriæ, oppreßiones pauperum, luxus omnis & faſtus pariter emendentur.

9 Quis ſcit, ſi cõuertatur, & ignoſcat deus, et reuertat à furore iræ ſuę, et nõ peribimus

Hæc uerba fidei quidem argumenta ſunt, ſed quæ non careat timore, quæ in luctu uerſetur et pugnet, gratiam tamen dei ob oculos teneat, qua ueniam & gratiam conſequatur ut non pereat.

10 Et uidit deus opera eorum quia conuerſi ſunt de uia ſua mala, & miſertus eſt deus ſuper malitia quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit.

Opera fidei uidebat, orationem, conuerſionem, humiliationem animorum & corporum, emendationem iniuriarum, odium præteritæ uitæ, fiduciam in dei bonitatẽ, ſuſceptionem uerbi prophetici, conſenſum regis & populi ad bonũ. Hæc ſic reſpexit dominus, ut in exemplum rebellium Iſraelitarum fieri dederit. Niſi enim dominus exaudire uoluißet, operum illorum merita non præmiſiſſet, ut totũ ſit gratiæ dei qua ſaluãtur peccatores. Formula hinc ſumenda bonis principibus, quos non raro populus anteuertit. Nõ ſunt hic neceſſario omnia imitanda ſed principale, credere prædicatoribus uerbi dei, pœnitere ſigno & operibus.

CAPVT IIII.

1 ET afflictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt:

2 & orauit ad dominũ, & dixit Obſecro domine, nũquid non hoc eſt uerbũ meum, cum adhuc eſſem in terra mea? propter hoc præoccupaui ut fugerẽ in Tharſis, ſcio enim quia tu deus clemens & miſericors es, patiens & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia.

Non contriſtatur quod gentiũ multitudo ſaluatur, ſed Propter quod pereat Iſrael: ſic & Paulus anathema eſſe deſyderat pro Iſraele ſecũdum carnẽ. Quia oratio Ionæ afflicti ſecundũ nomen ſuũ quodammodo iniuſtitiæ arguit deũ, querelas ſuas temperat, Obſecro dñe, ſciui te eſſe hoc facturum, miſericordiã largiturũ, ideo truculentũ nuncia re nolebam. Si clementem dixiſſem, nihil emendaſſem: ſi ſeuerũ, hoc natura tua non fert. Malui ergo fugere, quã aut pœnitentes lenitate decipere, aut de te prædicare quod non eſſes. Veruntamẽ non nobis laborandũ pro ex cuſatione pphetæ. Nõ omnia ſanctẽ geßit, ſicuti nec Da uid. Non eſt dãda ſalus operibus. Valde iratus Ionas dies aliquot expectauit, dubitare cœpit de urbis ſubuerſione & iraſci. Cui hac parte melior Ieremias, Moſes et Paulus, nõ meliores apoſtoli ignẽ cœlitus euocantes. Viget etiã ſenſus carnis in ſanctis, ut dei clemẽtia declaretur.

3 Et nunc domine tolle quæſo animã meã à me, quia melior eſt mihi mors quã uita.

Non dicit, Male iratus es qui doles conuerſis gentibus Iſraelem perire, uel male cõtriſtatus es: ſed quærit ut uel cauſas iræ reſpondeat, uel mœroris: aut ſi ille tacuerit, uerum dei iudicium ex eius ſilentio comprobetur. Lector bone, Cõmentaria à uerſu 3. ad 6. uſq; tu ipſe ordinato.

4 Et dixit dñs. Putásne bene iraſceris tu?

Voluit ut alter Abraham expectare iudiciũ domini, quod prædicauerat futurum, & ſeſe intra urbis mœnia periclitari credebat, et feciſſe officium iam conuerſis ad pœnitentiam. Vmbraculum autem ſibi parauit contra ſolis ardores, quadraginta illic dies perſtiturus. Reuera autem prouidentia Dei inſtigatus facit & fert omnia. Charus domino propheta etiã ſi innocẽs à peccato non eſſet, electus enim erat, & à domino familiariter diréctus, caſtigatus, et cõſolatus, ut etiam factis ſuis & falſa interminatione erueret à nece Niniuitas, & Iudæos ſuos perpetuo uerbo Dei rebelles argueret, gratiam quoque Dei ad gentes declararet, ne ſe ſolos à Domino amatos & prouidentia Dei gubernatos Iudæi crederent. Id quod non ſolum propheta Ionas, ſed etiam primi eccleſiæ rectores apoſtoli credebant, & Petrum admirabantur Cornelio prædicantem.

5 Et egreſſus eſt Ionas de ciuitate, & ſedit contra orientẽ ciuitatis, & fecit ſibimet umbraculum ibi, & ſedebat ſubter illud in umbra, donec uideret quid accideret ciuitati.

Ludit

Ludit ferè cum propheta dominus stomachãte, cucurbitam latißimis folijs herbam præparans, qua umbram concedente lætetur, & persistere posßit ex solis ardoribus in suo instituto. Hic autem frutex quicunq; fuerit, cucumis scilicet uel salicetũ aut cucurbita, etiam si natura celeriter crescat, hic per miraculum paratus est à domino pro tentando Iona.

6 Et præparauit dominus deus hederam, & ascendit super caput Ionæ, ut esset umbra super caput eius, & protegeret eum, laborauerat enim, & lætatus est Ionas super hedera, lætitia magna.

7 Et parauit deus uermẽ ascensu diluculi in craſtinum, & percussit hederã, & exaruit.

Omnium creaturarum dominus quæ uoluerit agit circa creaturas suas, subito fruticẽ crescentem, subito uerme iubet absumi radicitus, absq; spe restitutionis, sic seruum suum domino exercente. Quin & uentũ immittit, ne uideatur miraculum: omnia autem ad affectum hominis commouendum, quod facilius fieret dum omnia casu tione dei & speciali, de qua irasci non potuisset, si agno uisset. Nunc autem irascitur ad infortuniũ, non parum, ut mortem uitæ præferret à peccato non excusandus, sicut nec aliquis sanctorũ hominũ, præter solũ Christũ.

8 Et cum ortus fuisset sol, præcepit dominus uento calido & urenti, & percussit sol super caput Ionæ, & æstuabat, & petiuit animæ suę ut moreretur: & dixit: Melius est mihi mori, quàm uiuere.

Confidentius iam nunc respõdet, se merito irasci, quia non sic uelit uel cupiat saluari alios ut perirent alij: non sic alienos lucrifacere, ut meos perderẽ, Iudæos scilicet, qui minus dño credant et prophetis quàm Niniuitæ.

9 Et dixit deus ad Ionam: Putásne bene irasceris tu super hederam? Et dixit: Bene irascor ego usq; ad mortem.

Deus patet omnium.

Discimus dominum omnium hominum esse patrem & saluatorem, non solum tunc Iudæorum: sic nec hodie Pæ obedientium, uel Christianorũ: et quod uerbum domini nonnunquam fructificet ubi minime sperabatur. Non indignandum cuiq; de donis & gratia dei, concessa reliquis uberius quàm sibi uel suis, dominus est enim, & oculus noster hac parte iniquus, si inuideat reliquis clementiam dei.

10 Et dixit dominus: Tu (parcis) doles super hederam, in qua non laborasti, neq; fecisti ut crescеret, quę sub una nocte nata est, & sub una nocte periit:

11 & ego non parcã Niniue ciuitati magnę, in qua sunt plusquam centũ uiginti millia hominũ, qui nesciunt quid sit inter dextеram & sinistram suam, & iumenta multa?

Ignorare dextram & sinistram.

Ignorant quid sit inter dextram & sinistram, uel propter innocentiam et simplicitatem, uel ut lactentẽ monstret ætatem, & indicet numerum ætatis alterius, cum tantus sit numerus parulorum uel piorum, unum dominum deum non ignorantium, sed timentium & uerbo suo credentium. Vel hoc ignorare, est nõ esse instructum de lege dei naturali, & non nisi ex ignorantia peccantium, cum plures sint idololatræ & ex malitia peccantes in tãta urbe. Ponitur autem certus numerus pro incerto. Colligimus dei bonitatẽ ad suas creaturas quàm faueat pœnitentibus: carnis nostræ improbitatẽ, et mansuetudinem dei, qui se de animalibus quoq; curam habere signat: quia additur, Et iumenta multa.

FINIS.

COMMENTARIA IN MICHAEAM PROPHETAM, QVI inter duodecim sextus.

CAPVT PRIMVM.



1 VERBVM dñi q̃d factum est ad Michęam Morasthitẽ, in dieb⁹ Ioatham, Achaz, & Ezechiæ regũ Iuda, quod uidit super Samariam & Ierusalem.

Michæas, quia Oziæ temporibus prophetasse non legitur, sed in diebus Ioatham, Achas & Ezechiæ intelligitur aliquanto fuisse iuxta tẽpus posterior Ozee Amos & Isaiæ. De Morasthi aũt Palæstinorũ uiculo natus est, non ille Michæas filius Iemla, qui sub Achab prophetauit & Ioſaphat, annis supra centũ ante hunc. Verbum autẽ dñi factum est, ut ꝓponeretur dei populo, & emendaretur à peccatis, euaderetq; uindictã dei: sin minus attenderent, appareret ipsorũ uastatio iusta omnibus omnium temporũ hominibus, sicq; dei clemẽtia cũ illius iustitia prædicaretur & coleretur. Ponitur aũt ꝓphetiæ titulus secundũ ordinẽ captiuitatis. Quia primũ capta est Samaria metropolis regni decem tribuũ et Israel, posthea Ierusalẽ urbs Iudææ capitalis regni duarũ tribuum: ideo primũ ꝓphetat de Samaria, secundo de Ierusalẽ. Intentat autẽ illis imminens utrisq; excidiũ per dei iram & uindictam, primo ob idololatriam & perfidiam in deum, deinde ob uiolentiã, & iniquitatẽ in populũ. Postea mysteria Christi cũ q̃busdã alijs prædicit & docet.

Capta Samaria.

2 Audite populi omnes, & attẽde terra & plenitudo eius, & sit dominus deus uobis in testem, dominus de templo sancto suo.

Alloquitur totum populum utriusq; regni Israelis & Iudæ, quibus propheta fuerat destinatus, & quos nominatim perstrinxit in titulo: uult tamen hoc quoq; ab omnibus gentibus & omni tẽpore audiri, et mentibus percipi, ut electi quiq; ad dei cognitionem & cultum, exemplo duarum gentium illarum sese accõmodent, ne ob

similia peccata similem uindictam experiantur. Terræ quoq; plenitudinẽ, id est, habitatores omnes alloquitur prophetico more, quod omnes tangat causa. Audite, inquit, & diligenter attendite dñm uobis grauia comminantem de templo suo sancto, non de Dan & Bethel uitulos, serioſe uobis testificantẽ et prædicentẽ quæcunq; facturus est, in cuius cõſpectu propheta agit et loquitur.

3 Quia ecce dñs egreditur de loco ſuo, et deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ.

Ierusalem deserenda.

Hactenus intra populum suum electum dominus habitabat, peculiari præsentia quadam, in tẽplo sancto suo, Hieroſolymis reſponſa dans, et orationes exaudiens, sic ut tantum in Iudæa dominus notus diceretur, et in Israel magnum nomen eius celebraretur. Propter impietatem autem illius populi, in primis autem regni Israel egreſſurum ſe dicit de iſto loco suo, & nominis sui gloriam suo tempore disſeminaturus in alias quoque regiones & nationes: ad quod præparamenta quædam fiebant, captiuitates utriuſque regni. Deſcendet, inquit, de celſitudine gloriæ suæ et gratiæ, quam oſtendit tanto tẽpore tam multipliciter filijs Israel ingratiſsimis, & calcabit quicquid excelſum eſt in terra illuſtre & fortẽ, Samariam & Ieruſalem cum magnificis urbibus suis, & excelſis suis ædificatis ad idolorum culturam paſsim in utriſque regnis. Iam enim Achas ad priorum perfidiam & impietatem non pauca addiderat.

4 Et conſumentur montes ſubtus eum, & ualles ſcindentur ſicut cera à facie ignis, ſicut aquæ quæ decurrunt in præceps.

5 In ſcelere Iacob omne iſtud, et in peccatis domus Iſrael. Quod ſcelus Iacob? nõne Samaria? Et quę excelſa Iudæ? nõne Ieruſalẽ?

Tabeſcent & defluent montes, & ualles ſub eo, quos principes intelligamus & populos: uehemẽter enim terribilis eſt aduentus domini, ad iudicandum impios & tyrannos. Nihil autem tam magnificum eſt in mũdo, quod non ſub potentia manus eius contremiſcat & conſumetur, populi quoque per ualles deſignati reſoluentur. Et quomodo uiciniam ignis cera nõ ſuſtinet, & prono curſu aquæ feruntur in præceps: ita omnis impiorum ſuperbia domino ueniente ſoluetur & defluet. Hic autem to-

Scelera decem tribuũ.

tum fiet propter ſcelera decem tribuum, quas uocat Iacob & Iſrael, et propter præuaricationem Iuda, quia in decem tribubus Samaria metropolis fuit. In regno autem Iuda Ieruſalem excelſorum idola fabricata eſt à domino & illius lege cultúq; defecit. Quis enim primus peccandi contra dominum occaſionem præſtitit? Non alius certè quàm regnum Iſrael ſub Ieroboam, quum nondum Samaria extaret urbs regia, quæ deinde ſub patre Achab extructa eſt in caput regni, & idololatriæ ſacrilegium, quam reges Iſrael omnes ſectati ſunt: et quis excelſorum occaſionem præſtitit, niſi regnum Iuda & illius reges, qui in Ieruſalem reſidebant?

6 Et ponam Samariam, quaſi aceruũ lapidum in agro cum plantatur uinea, & detraham in uallẽ lapides eius, & fundamenta eius reuelabo.

7 Et omnia ſculptilia eius conſcindẽtur, & omnes mercedes eius cõburentur igne, & omnia idola eius ponã in perditionẽ: quia de mercedibus meretricis cõgregata ſunt, & uſq; ad mercedẽ meretricis reuerentur.

Ordo pœnarum. *Secundum ordinem peccatorum ſit ordo pœnarum. Primum peccauit Samaria, fabricata eſt idola, et pro domino Deo ſuo uitulos adorauit, prima ergo & pereat. Deſtruam eam uenientibus Aſſyrijs, & ponam quaſi aceruum lapidum, cum plantatur uinea, ut quamlibet nunc inexpugnabilis uideatur redigatur in tumulos. Et detrahã in uallem lapides eius (erat quippe ſita in mõtibus) et fundamenta eius reuelabo. Tanta quippe ruina erit tantæq; urbis ſubuerſio, ut non ſolum parietes & ædificia corruant, ſed fundamenta quoq; uſque ad extremum lapidem reuelẽtur. Et omnia ſculptilia eius cũctæq; diuitiæ, quas diuerſi reges in eam cõportauerant, cõcidentur & comburentur igni, et ad nihilum redigentur. Siquidem opes & multiplex ſupellex quæ ex fornicatione idolorum à regibus & ſacerdotibus, et impia Ieſabele fuerant in Samariam congregata, ducentur ad aliam meretricem, ad Ninuẽ: ut quomodo in terra ſua fornicati ſunt cum idolis quæ fecerunt, ſic uadant ad aliam terram idolorũ & fornicationis, ad Aſſyrios, quibus tunc idola non ſuccurrent. Atrociſsimis uerbis utitur, mercedes ſcorti nominans donaria idolorum, quibus ſeſe putabant religioſiores haberi, quorum nunc bona opera damnant.*

8 Super hoc plangã, & ululabo: uadã ſpoliatus, & nudus: faciam planctũ uelut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum.

Hucuſq; de Samaria. Et quia eadem plaga percuſſit deinceps ad Ieruſalem, ipſa enim ſimili errore peccauit deſerens deum ſuum, & idola fabricans, propterea prophetа ſub perſona ſua inducit plangentis affectum, & dicit: Super hoc plangã & ululabo, eadam deformem uulnerato, uadam ſpoliatus & nudus, decẽ enim tribus perductum, uadam ſpoliatus & nudus, decẽ enim tribus perfidi. Ideoq; ſicut dracones terribili ſibilo perſonant, eo tempore quo uincuntur ab elephantis, & ſicut ſtruthiones immemores ſunt ouorum ſuorum, & quaſi non pertinent in arena calcandos pedibus beſtiarum fœtus ſuos relinquũt: ita et ego ſine filijs ſpoliatus, et nudus incedam.

9 quia deſperata eſt plaga eius, quia uenit uſq; ad Iudam, tetigit portam populi mei uſque ad Ieruſalem.

Hoc autem faciam, quia deſperata eſt plaga Samariæ, ut ſanari non poſsit, uehemẽs enim eius contritio eſt, & obtinuit in pernicie: & idem peccatum eademq; pœna, quæ euertit Samariam, ueniet uſq; ad Iudam, uſq; ad urbem populi mei Ieruſalẽ. Vt enim Samaria ſubuerſa eſt ab Aſſyrijs, ita Iuda et Ieruſalẽ ſubuertetur à Chaldæis.

10 In Geth nolite annũciare, lachrymis ne ploretis: in domo pulueris puluere uos cõſpergite.

Geth interpretatur lamentatio.

Locus hic eſt elegans ex alluſionibus uerborũ, et prophetico loquendi modo, aliquãto obſcurior, quo ad uerbum, facili tamen ſententia. Geth una de quinq; Palæſtinorũ urbibus, uicina Iudææ eſt, quos cõſtat inimiciſsimos ſemper

semper fuisse Iudæis. Ideo sicut & Isaiæ decimoquinto propheta præuenire cupit, ut non annũtietur hoc futurum malum Hierosolymæ in Geth, uel Palæstinorũ reliquis urbibus, ne lætentur audiẽtes inimici, quibus nõ sit opus hæc noua dici, nam alioqui resciscerent propediẽ: sed dolorem potius premite mœsto corde, ut ne dolor quidẽ in singultus erũpat. Dissimulate, inquit, fictum, ne aduersarij gratulentur: lachrymas genæ non habeãt, etiam dum pectus dolet. In domo pulcherrima, quæ tamen in puluerẽ redigetur, in domo scilicet domini, & in atrijs eius puluere aspergamini, sicut Niniuitæ dei clementiam deprecãdo, ut tantis malis nõ toti deleamini.

11 Et transite uobis habitatio pulchra, confusa ignominia: non est egressa, quæ habitat in exitu: planctum domus uicinæ accipiet ex uobis, quæ stetit sibimet.

Allegoria nominum urbium.

Affinguntur urbibus propria nomina, ex quorum interpretatione ipsis futura mala annuntiat. Pulchra, inquit, Samaria turpis exulabit, Zanan exibit. Transi in captiuitatem, scilicet ô Samaria, quæ habitas in pulcherrimo Israeliticæ terræ loco & uberrimo, cum ignominia & confusione transeas, & deducaris in captiuitatem, ut præ malorũ magnitudine, ne uicinus quidem Philistæus audiat uocem clamoris tui. Non exibit habitatrix urbis Zanan, ut plangat transmigrantes ciues de urbe Bethezel, quandoquidem & ipsamet simili calamitati subiacebit abeũdi in captiuitatẽ. Hostis siquidem qui obsidebit illas urbes, satis amplum præmium suscipiet stationis suæ spolia multa. Sic quidem Iudæi. Placet autem Hieronymo, ut ipsa quoque Samaria nomine Zanan intelligatur, quæ secundum interpretationem nominis sui ab exeundo sit exitura in captiuitatem: & insuper proxima urbs regia, soror Ierusalem, similiter subsecutura sit, ut non sit opus unam plangere, & non alteram æquè infelicem.

12 Quia infirmata est in bonũ quæ habitat in amaritudinibus: quia descendit malum à domino in portam Ierusalem.

Vrbs amaritudinum.

Vrbs habitans in amaritudinibus, Ierusalẽ scilicet, uallata exercitu Assyriorũ, & ueluti regno priuata diq; de regno Iuda & Israel. In bonũ suum infirmata est, ut cogeretur cõfugere ad dominũ deum suũ per orationes Isaiæ, quod ei cessit in magnum bonum. Hoc autem malum Ierusalem descendit à domino usque ad portas, non intra urbẽ. Assyrius quippe uastata Samaria uenit etiã ad Ierusalẽ, eo tempore quo Rabsaces missus est insultans de Lachis, quæ & ipsa quoque capta est.

13 Tumultus quadrigæ stuporis (iunge currũ ad opes) habitanti Lachis: principium peccati est filiæ Sion, quia in te inuenta sunt scelera Israel.

Iunge, ô Lachis in cõstinio sita, currũ iumẽto, & præpara frustra ad defendendũ te, quia capieris non sine causa, quia & in te sunt inuẽta scelera Israel, & tu fuisti principiũ idololatriæ in Iuda: per te enim quasi per portam impietas decem tribuũ migrauit in Ierusalẽ.

14 Propterea dabit emissarios (missilia) super hæreditatẽ Geth: domos mendacij in deceptionem regibus Israel.

15 Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa: usque ad Odollam ueniet gloria Israel.

Mittet etiã Assyrius super Geth metropolim Palæstinæ latrũculos suos, quos uocat emissarios, & possidebit domum idololatriæ urbemq; mendacij, nomine Achsib, quæ sita fuit in tribu Iuda, quæ in supplantationem fuit regibus Iudæ & Israel: loca præsidij incerta uobis erũt. Quod autẽ sequitur, Adhuc hæredẽ adducã tibi quæ habitas in Maresa, pulchre alluſit ad nomen Maresa, quod hæreditatem significat: possidebitur enim ab hostibus Assyrijs tota regio usq; ad oppidũ Odolla, quæ gloriosa est inter urbes Israelitarũ. Nimia abbreuiatio librorum Regũ & Paralipomenon in causa est, ut nõ pauci passus prophetarum tanto difficilius intelligantur, qualis esse uidetur & hic locus. Israelis autem reges non raro accipiuntur pro regibus Iuda.

16 Decaluare, & tondêre super filios delitiarum tuarũ: dilata caluitiũ tuũ sicut aquila: quoniam captiui ducti sunt ex te.

Aquila & Ierusalem.

Quomodo aquila quæ regina est auiũ, certo tempore amittit pennas, & remanet implumis: sic etiam Israel deponet omnẽ gloriã suã, qua ante fuerat circundatus, & planget filios, hostium potestati subditos, peccatiq; obnoxios. Decaluata est Ierusalem, amissa omni gratia qua quondã apud deũ floruit. Vbi enim prophetæ? ubi doctor legis? ubi præsidia angelorum? ubi cõtra plures à paucis insperata uictoriæ? omnẽ comam pristinæ gloriæ perdidit, & filij eius in captiuitatem ducti sunt. Rade re ergo, inquit, & assume habitũ pœnitentis, & quæ prius quasi aquila uolabas in excelsis, nunc plãge filios tuos, & sobolem captiuitati destinatam.

¶ CAPVT II.

1  Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus uestris: in luce matutina faciunt illud, quoniam contra deum est manus eorum.

Cõtra principes.

Specialiter sermonẽ dirigit cõtra principes & capita populorũ, qui curã regẽdi populi habere debebãt, quem abiecto timore dei, per uim, rapinã, furtum, adulterium & homicidia opprimũt. Væ, inquit, qui et cogitatis malum & opere perficitis, cubilia uestra ad quiescendum data stupris polluitis, & quicquid iniquitatis nocte tractatis, quasi differri nõ liceat, statim ut dies claruerit festinatis implere, non considerantes quod aduersum dominũ fortis est uestra manus, pro omni uirili ad id perficiendũ cõtenditis, nec uos sinitis ab instituto huiusmodi detineri, sed fortis est eorum manus ad nocendum.

2 Et cõcupierũt agros, & uiolẽter tulerũt, & rapuerũt domos: & calũniabantur uirũ & domũ eius, uirum & hæreditatẽ eius.

Exponit scriptura quid noctu cogitẽt & in die perficiant. Cõcupierũt agros, & uiolẽter tulerũt, & domos

ſubauditur, cõcupierunt: & quas cõcupierant diripuerunt, ut Achab uineã Naboth. Et nõ ſolũ calumniantur homines & domos eorũ, ſed uim faciũt fortibus, cõſtantibus & recta monẽtibus uiris, ne ſupſint boni & uirtute prædíti ut reſiſtãt impijs. Quin et domos, id eſt, familias totas deletis ex inuidia & regnãdi cupiditate, occiſorũ per iniuriã, innocentiũ hæreditates inuaditis, qui etiã per ætatẽ paruulã infantes clementiã merebãtur.

3 ¶ Idcirco hæc dicit dñs, Ecce ego cogito ſuper familiã iſtam malũ: unde nõ auferetis colla ueſtra, & nõ ambulabitis ſuperbi, quoniam tempus peſſimum eſt.

Cogitare malum.

Quia igitur iſta feciſtis & cogitaſtis inutile, & ego dominus cogitabo ſuper familiã iſtam malũ uehemens, nõ quòd malũ ſit quod cogito, ſed quòd patiẽtibus malũ uideatur quod irrogo: quod ita uos premet, ut colla ueſtra non poſſitis leuare nec euadere, deprimeturq; eatenus ſuperbia ueſtra, ut nõ quæ uelitis mala omnia perficiatis, ſed humiliabimini ab hoſtibus cõculcandi. Iudiciũ enim dñi corripiet uos, & tempus calamitatis uos circumueniet, ut ultioni dei ſubdamini, uelitis, nolitis.

4 In die illa ſumet ſuper eos parabola, & cantabitur canticũ cũ ſuauitate, dicẽtiũ, Depopulatione uaſtati ſumus: pars populi mei cõmutata eſt: quomodo recedet à me, quũ reuertatur qui regiones noſtras diuidat?

Tunc dicetur ſuper uos parabola, & miſeriæ ueſtræ uertentur in canticũ hoſtium ueſtrorũ. Depopulatione uaſtati ſumus, dicet quiſpiam plangens imminentia & præſentia mala. Pars, inquit, populi mei, templũ meum, quod ſolum inter gentes cæteras & unicũ habebã, mutabitur in ruinã, & hæreditas populi mei ab Aſſyrijs diripietur, & mutabit terra mea poſſeſſorem ſuum, quæ dominum paſtorem agnoſcere cõtempſit. Quomodo auferre potuit mihi Aſſyrius, quod ut meum eſſet dominus mihi promiſit, & poſſidendũ tradidit in æternũ? Et tamen id exigentibus malis meis aliquoties reuerſurus hoſtis totũ ſibi partietur & uendicabit. Multis enim uicibus direpta eſt terra Iſrael, donec tota auferretur, & ſorte ſibi eam crudelis hoſtis diſtribueret.

5 Propter hoc, nõ erit tibi mittẽs funiculũ ſortis in cœtu domini.

Propterea, ô familia Iſrael, propter tot & tantas malitias ueſtras ad deũ ac homines, eueniet uobis, ut nullã aliquando ſortẽ habituri ſitis in hæreditate ſanctorũ patrum ueſtrorũ, quorũ non æmulamini neq; fidem neque opera, ſed eijciemini in exteras nationes, ſecundũ quod uobis lex dñi cõminata eſt, quam abijcere maluiſtis.

6 Ne loquamini loquentes, Non ſtillabũt ſuper iſtos, non comprehendet cõfuſio.

Ne ſtillando ſtillent, hoc eſt, prædicãdo prædicent, uel loquendo loquantur. Hebraico quodã idiomate eloquiũ ſtillicidiũ dicebatur, ab eo quod fluat, & ad aures perueniat audientiũ. Nolite uos decipere, ô domus Iacob, & in conſolationem mutuã dicere, Deus bonus eſt, non uenient hæc mala quæ nobis prophetãtur à prophetis, non eijciemur ex hæreditate noſtra, nõ tanta afficiemur

Stillicidiũ ſermonis.

ignominia, ut falſi à deo noſtro uideamur, & contra promiſſiones ſuas in uniuerſum proiecti.

7 Dicit domus Iacob, Nũquid abbreuiatus eſt ſpiritus domini, aut tales ſunt cogitationes eius? Nónne uerba mea bona ſunt cum eo qui recte graditur?

Dici nunc ſolitũ eſt in domo Iacob, Numquid larga eſt dñi dei noſtri miſericordia, & clementiſſimus ſpiritus, qui late et abundãter ortus eſt omnibus? Quomodo nos deſeret, qui ſic illi ſacrificijs noſtris ſeruimus? Tantum in nobis abbreuiabitur & ſeuerus erit cõtra nos populũ ſuum? Num huiuſmodi ſunt cogitationes eius quales in hominibus cernimus, ut antiquam teneat iracundiã, & ad uindictam furore ſubitò cõcitetur? Ad quæ reſpõdet dñs, Bonus quidẽ ſum, & uerba mea ſonant clementiã, multæ miſericordiæ meæ ſunt, ſed eis qui me diligũt, ſed ad eos qui recto itinere graduntur, qui ambulãt in ijs meis, & legibus obſequuntur diuinis.

8 Et e contrario populus meus in aduerſarium cõſurrexit. Deſuper tunicã pallium ſuſtuliſtis: & eos qui tranſibãt ſimpliciter, conuertiſtis in bellum.

Sed iamdudũ & heri in cõtumeliã meã populus meus procũbit cõtra me ſurgit hoſtiliter, idola uenerãdo, legẽ contemnendo, & quanũ in ipſo fuit tyrãnica aduerſum me arma corripuit, & ex aduerſo legi meæ qua charitatem præcepi mutuã, ipſi mutuũ ſeſe expoliant, diuites pauperibus quaſi deſuper tunicã cum pallio inſultant, ſimplices quoſq; credentiũ, & acquieſcẽtes authoritati malorum, cõtra me uertũt bellũ. Nunquid, inquã, nõ ſtillebit ſuper huiuſmodi uerbũ duræ uindictæ ſecundũ legẽ meam, & apprehẽdet eos confuſio digna? Omnia enim euertiſtis, tam diuina quàm humana, ius & fas, pietatẽ & diſciplinã, timorẽ dei & proximorũ curã, ut etiam à prophetis uerbum domini audire recuſaueritis.

9 Mulieres populi mei eieciſtis de domo delitiarum ſuarum: à paruulis earum tuliſtis laudem meam in perpetuum.

Non ſolũ deſuper tunicã palliũ ſuſtuliſtis, & fiduciã nominis mei dextrè agẽtes prophetas perſecuti eſtis & impugnaſtis, ſed mulieres quoq;, id eſt matronas, quondã delicatas feciſtis captiuas ire: ſiue ſub metaphora, urbes Iſrael matronas, quæ pro talibus flagitijs uaſtatæ ſunt, et in Aſſyriã captiuæ ductæ, eiectæ de poſſeſſionibus ſuis. A paruulis quoq; earũ tuliſtis laudẽ meã in perpetuum, nullus remãſit in populo, cunctis uel interfectis uel captiuis, qui meos pſalmos caneret. Et decorem templi mei, quod in æternũ ſtare uoluerã, ueſtris imigratibus ſubieciſtis: ideo uos quoq; expellemini de ueſtris prædijs.

10 Surgite & ite, quia nõ habetis hic requiẽ propter immunditiam eius corrumpetur putredine peſſima.

Surgite itaq;, & ite in captiuitatẽ, quia in hac terra pollutã requiẽ nõ habebitis, quæ propter ſcelera ueſtra polluta eſt, & mundari nõ poterit, niſi longum ſabbathũ ante celebrarit. Corruptione enim peſſima uiolata eſt, & uehementer indurauit malitia hominũ in ea, impietate ani-

mum

mam,libidine & uiolẽtia corpus corrumpentiũ:Adest, inquit,tempus uastationis uestræ,nec est ut uos ullo pacto cõsolari possitis:noluistis enim respiscere,nec prophetarum monitis acquiescere.

11 Vtinam non essem uir habens spiritum, & mendaciũ potius loquerer:stillabo (stillarem) tibi in uinũ, & in ebrietatẽ:& erit super quem stillatur populus iste (& esset qui stillaret populo huic.)

Prophetæ inuidio.

Vtinam,ait propheta,ô Israel,de meo hæc tantũ sensu loquerer,& sanctum spiritũ non haberẽ,& inter pseudoprophetas potius cõputatus solus perirẽ,& nõ esset uera quæ dico,sed spiritus inanis & transiens.Vtinam stillarem hæc uerba,& prophetarem cõtra uos ex uino & ebrietate,falsa scilicet & uana dicerem,& non nisi mium,proh dolor,uera atq; constantia:& esset quispiã alius uir bonus, qui stillaret & doceret aptius & fructuosius populũ istum.Scio enim quales habere uelletis prophetas,quod ego uobis loqui cogor,uobis nõ conuenit.Vel sic iuxta Hieronymũ,Quia propheta sum & dei spiritu loquor,& prædico ueritatẽ,ideo stillabo tibi sermonẽ meum in meracũ uinum,quod te inebriet & subuertat. Me autẽ stillãte,populus iste uelit nolit meas suscipiet pluuias,sustinebitq; aduersa quæ dico.

12 Congregatione congregabo Iacob totum te:in unum conducã reliquias Israel, pariter ponã illum quasi gregem in ouili, quasi pecus in medio caularum tumultuabuntur à multitudine hominum.

Conuersio gentium.

Et ne me putetis prophetã semper mala promittentẽ, audite etiã quæ dominus loquitur læta et felicia:Veniẽt quidem hæc omnia mala super Israelem,quæ ego & alij prophetæ domini prædicimus propter cõtinua & immẽdabilia flagitia uestra:ueniet tamen etiã tẽpus,cum, ut ait dñs,Congregando cõgregabo reliquias quasdã totius gentis ex omnibus tribubus, & totum te Iacob congregabo, fideles scilicet ex Israel, & cum gentium populo secundũ alios prophetas,in ouili meo pariter copulabo,tunc te muro firmissimo sepiam, tantaq; erit credentium multitudo,ut inter caulas positi gregis,præ nimia multitudine tumultus fiat ingens, & inæstimabilis consensus, & cõgratulatio fideliũ acclamantiũ domino deo uno & uero legitimam confessionẽ & gratiarum actionẽ,non certe brutorũ animaliũ uel ouium,sed hominum plurimorũ laudantiũ bonum pastorem suum.

13 Ascẽdet enim pandens iter (destructor) ante eos. Diuidet & trãsibũt portã, & egredientur per eam:& trãsibit rex eorũ coram eis, & dominus in capite eorum.

Congregatio Israelis.

Is autẽ fidelissimus cõgregator Israelis,qui facturus est utraq; unũ ouile,rex unus omniũ filiorũ Abraæ secundum fidẽ qua dño placetur,is pastor uerus & bonus arreliquias quasq; semitas cõplanabit,& suo pede æquabit,ut rediganetur praua in directa, & aspera in uias planas. Ipse autẽ dux itineris eorũ, & ianua paradisi erit,quo iter diuidente & præcedẽte,ac uiã portæ ingrediente, transibit quoq; per eum credulũ omne pecus. Pastor au-

tem iste & rex est & dominus. Vnde sequitur,Et transibit rex eorũ coram eis,& dñs in capite eorũ. Est ergo hæc prophetia de Christo,quam & inferius clariorem describit de regno Dauidis, qui reliquias fideliũ liberabit, & post reditum Israelitarũ sub Persarũ regibus ac deinde ueniet,adhuc stante secũdo tẽplo. Eritq; eximia fidelium multitudo,de qua dicetur,Lætare sterilis &c. Quanquã intelligi quoq; possint hic duo ultimi uersus secundũ consequentiã ad præcedẽtia de pœna nolentiũ audire prophetas, ut collectio intelligatur in malã partem pro ablatione totali, ut nemo relinquatur in terra, sed sint dispergẽdi ut grex in uastam solitudinem errabundi:id enim ut prædicã uobis habeo à domino in mandatis, utcunq; illud inuiti audiatis, sed nihil loqui possũ ad gratiã ex domini præcepto. Et quidẽ tam rex Oseas quàm Sedechias cum populo suo uicti sunt & capti in exilium. Eligat Lector quod spiritus suggesserit.

Collectio dupliciter

¶ CAPVT III.

1 ET dixi, Audite principes Iacob, & duces domus Israel, Nũquid non uestrũ est scire iudicium,

2 qui odio habetis bonũ, & diligitis malum: qui uiolenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum?

3 Qui comederũt carnẽ populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt:& ossa eorum cõfregerunt, & conciderunt ficut in lebete,& quasi carnem in medio ollæ.

4 Tunc clamabunt ad dominũ,& nõ exaudiet eos: & abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinuentionibus suis.

Aduersum principes Israel sermo est,& sub metaphora leonũ siue latronũ crudelitas eorũ describitur,quod spoliauerint pauperes & interfecerint eos,carnes eorũ ossaq; cõtriuerint,& quasi in medio ollæ,sic in urbe Ierusalem miserabilẽ plebem afflixerint, & propter hæc inferatur eis postea suppliciũ in die captiuitatis,& clamẽt ad dñm,& non exaudiat eos, sed abscõdat faciem suã ab eis,quia nequiter egerint in sceleribus suis. Cõminatur igitur iudicibus populi, qui uestigia domini sequi nolunt,& officij sui eos admonet,ut discãt iudiciũ dñi, amare bonũ,odire malũ,cum ipsi cõtra detestentur sancta,& sanctos si sint pauperes, honorãt aũt diuites peccatores. Cum uerò bona nõ amare peccatũ sit,quãti sceleris est odisse & persequi? Sicut non fugere malũ cum uitio detur,quantæ impietatis est diligenter inquirere? Non sufficerat spoliasse subiectum gregem,sed corpora quoq; eorũ afflixerũt duro imperio, ossa cõterentes,ut quicquid in eis forte fuerat frangerent. Quomodo ergo illi spoliauerũt medullitus populũ meum cute,carne & ossibus, mittẽtes ueluti in ollam feruentẽ discerptos frustulatim, quam rex accẽdit Assyrius:sic & ipsi cum uenerit dies ultionis clamabũt ad dñm & nõ exaudiẽtur, quia nec ipsi rogãtes audierãt, & extendẽt manus suas ad dñm,qui faciem suã auertet. Hæc autẽ patiẽtur,quia

Cõminatio ad iudices.

peßime egerunt in ſtudijs ſuis & uoluptatibus: nõ reges fuere, ſed tyranni: non præpoſiti, ſed leones: non diſcipulorum magiſtri, ſed lupi ouium. Carnibus ſe ſatiauerunt & incraſſati ſunt, ideo pinguißimũ holocauſtum domino facti occidentur, digni ſupplicijs præparati.

5 ¶ Hæc dicit dominus ſuper prophetas qui ſeducũt populũ meum: qui mordent dentibus ſuis, & prædicant pacẽ: & ſi quis non dederit in ore eorũ (quippiam) ſanctificant ſuper eum prælium.

Prælia ſanctificantes.

Pſeudoprophetas legimus multos fuiſſe in Iſrael, qui propter dona pacem quæ eis donanda non erat prædicabant, & ſi quis munera nõ dediſſet, quamuis ſanctus eſſet, iram dei nuntiarent illi eſſe ſuperuenturam: ſicut & Romanorum merces non datur ſine oblationibus uel officijs. Vnde nunc dicitur ad eos, quod loquantur mendacia, & ſermo eorum non prophetia, ſed diuinatio ſit falſa: neq; habeant lumen, ſed tenebras & errorem.

6 Propterea nox uobis pro uiſione erit, & tenebræ uobis pro diuinatione: & occumbet ſol ſuper prophetas: & obtenebrabitur ſuper eos dies.

7 Et confundentur qui uident uiſiones, & confundẽtur diuini: & operiẽt omnes uultus ſuos, quia non eſt reſponſum dei.

Supplicũ pſeudoprophetarum.

Supplicium eorum deſcribit. Vbi exiſtimaſtis eſſe uiſionem, ibi nox erit: & ubi iactatis uaticinium prophetale, ibi ſpiritus loquitur immũdus. Occidet enim ſol in ſtitiæ ſuper huiuſcemodi prophetas, & uidebunt tenebras ſuas & cõfundentur, deſtituẽtur ueritate, prophetia, conſilijs ſanis & ratione. Cumq; diuini magis quàm prophetæ fuerint comprobati, ridebũtur ſuper ſomnijs ſuis, & populi qui ab eis prius decepti fuerant, contra eos per iracundiam loquentur.

8 Veruntamen ego repletus ſum fortitudine ſpiritus domini, iudicio & uirtute: ut annuntiẽ Iacob ſcelus ſuum, & Iſrael peccatum ſuum.

Rurſum oratio prophetæ loquẽtis inducitur. Illis falſa uaticinãtibus & cõfuſis, ego quæ loquor à ſancto ſpiritu inſtitutus loquor: loquor autẽ iudiciũ dñi & uirtutem. Illis pſeudoprophetis mordentibus dentes, & pacẽ prædicãtibus ad ſuam libidinẽ, ego abſq; ulla formidine annuntio Iacob ſcelus ſuũ, & Iſrael peccatũ ſuum, quia pro deo & idola uenerati ſunt, & fidei & honeſtatis ſtatũ omnẽ ſubuerterũt. Scio uobis gratos eſſe adulatores: ſi liceret ſuperare eos poſſem, ſed aliter deus mãdat, aliter domini prophetas oportet eſſe inſtitutos, ſpiritus plenitudine, zelo, iudicio, cõſtantia, ueritatis amore, & modi certa ratione cum uerbi dei eruditione.

Sermo prophetieus.

9 ¶ Audite hæc principes domus Iacob, et iudices domus Iſrael: qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis.

10 Qui ædificatis Sion in ſanguinibus, & Ieruſalem in iniquitate.

Generaliter aduerſum iudices & pſeudoprophetas prophetalis ſermo texitur, quod & in Ieremiæ uolumine ſcribitur, ubi & Michææ huius prophetæ fit mentio, & Ieruſalẽ uaſtitas prædicatur. Iudices, inquit, & principes domus Iacob duarũ & decem tribuũ, non ſolũ in dicium non faciebãt, ſed abominabãtur illud, & omnia recta peruertebant, ne ſaltẽ parua iuſtitia remaneret in ciuitate. Qui ædificauerũt Sion in ſanguinibus, & Ieruſalem in iniquitate, aulas rapinis pauperum, cæde inſontium, occiſione ſanctorũ. Seditioſa hæc quidẽ prædicatio uidetur, ſed uera ac neceſſaria contra tyrannos.

Contra iudices & principes.

11 Principes eius in muneribus iudicabãt, & ſacerdotes eius in mercede docebant, & prophetæ eius in pecunia diuinabãt: & ſuper dominũ requieſcebant, dicentes, Nunquid non dominus in medio noſtrũ? non uenient ſuper nos mala.

Quod ſi quis de principibus uidebatur iudicare quod erat rectum, uendebat magis ſententiam, & pro muneribus iudicabat: ſacerdotes quoq; non docebãt populũ, niſi accepto pretio, & cum dicatur ad ſanctos, Gratis accepiſtis, gratis date: illi dei reſponſum acceptæ pecuniæ proferentes, gratiam domini auara mercede uendebant. Et poſt hæc omnia mala, non intelligentes peccatum ſuum, quaſi ſceleribus redimerent charitatem dei, iudices ac ſacerdotes & prophetas dei eſſe ſe memorabant, & ſecundũ impœnitens cor ſuum dicebant, Dominus in medio noſtrum eſt, fauet nobis, & colloquitur ad nutum noſtrũ, nos amat, nos tuetur, illius clementiã cæteris impetramus, regni cœleſtis ianuam aperimus, non uenient ſuper nos mala.

Sacerdotes ignauiæ.

12 propter hoc cauſa ueſtri, Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalẽ quaſi aceruus lapidũ erit, & mons templi in excelſa ſyluarum.

Quia igitur non egerant pœnitentiã, & omnis populus ſequutus eſt principũ, ſacerdotũ & falſorũ prophetarum uitia, Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalẽ ſicut aceruus lapidũ erit, & templũ quod prius auro argentoq; fulgebat, in ruinas ultimas collabetur. Hæc contra populũ Iudæorũ, cuius uera captiuitas & extremæ ruinæ, & propter ſuperiora quidem ſcelera, ſed maximè propter promiſſi Chriſti dñi & exhibiti crucifixionem completa ſunt & irrogata: unde & Sion quaſi ager arata eſt, & Ieruſalem in tumulos conuerſa ſaxorũ, & templũ illud quondã nobile atq; ſublime in extremos cineres comminutũ eſt, ut prophetici oris eloquiũ oculi probant, prophetiæ teſtis aſpectus eſt. De auaritia iudicum, ſacerdotũ & prophetarũ, lege hoc loco diuũ Hieronymum obſecro, & compara ſui temporis mores noſtris calamitatibus, & dominum ora, ut iudicet ac emendet, quæ perperam fiunt in eccleſia.

Iudæa.

¶ CAPVT IIII.

1 IN nouiſſimo dierũ mons domus dñi præparat⁹ in uertice montiũ, & ſublimis ſup colles: & fluent ad eum populi.

2 Et properabũt gentes multæ, & dicent, Venite, aſcendamus ad monte domini, & ad domũ dei Iacob: & docebit nos de uiis ſuis,

suis, & ibim⁹ in semitis eius: quia de Sion egredietur lex, & uerbũ dñi de Ierusalem.

Vastanda fecũdo Ierusalem.

Post dictam futurã desolationẽ domus dñi ut uertatur in excelsa syluarum, prædicitur non in omnino ultimis, sed posterioribus diebus, hoc est, secundo templo extante, & similiter uastãdo, Messiæ scilicet tẽporibus, quando Christus dñs dixit, Surgite eamus hinc: &, Relinquetur uobis domus uestra deserta: angeli quoque Ioseph referente dixerũt, Transeamus ex his sedibus. Tempore scilicet fidei gentiũ, erit mons domus domini præparatus & extructus, ecclesia scilicet dei erecta, per mysterium Christi expletũ in Ierusalẽ, ut ex Iudæis & gentibus cõfletur una unius dei fideliũ ecclesia in Christo, qui fecit utraq; unum, qui ut semen uerũ & benedictum Abraæ & Dauidis, uerus hæres erit arcis Zion, Ierusalem & templi. A cuius Christi gloria mons Zion erit in uertice montiũ, quia omnia regna seruiẽt illi, & usq; ad terminos terræ erit possessio eius, à mari usq; ad mare. In capite autẽ montiũ dicitur, quia gloriosus & uenerabilis etiã habebitur propter mysteriũ mons Zion ab omnibus gentibus, qui tunc erat omnibus exosus, & conculcationi expositus, & præ collibus omnibus eleuabitur. Christũ enim Hierosolymis crucifixũ, & ecclesiam illic primordia assecutã, exaltauit deus pater, & nomen dedit illi super omne nomen, ut & Christus in gloria sit dei patris, agnoscatur saluator mũdi, & ecclesia ipsa ueritate doctrinæ suæ uincat omniũ errorũ præstigia. Ad hunc ergo montem festinabũt uel fluent omnes populi, in morem fluuiorũ turbæ innumerabiles congregabuntur, in ipsum credẽt, saluatorẽ & filiũ dei agnoscent: tunc scilicet, quando in eum crediderunt fideles Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithiniæ, ad quos Petrus epistolã scribit, quando sequutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, de Decapoli, Iudæa & transIordanẽ, omnes quibus Paulus usq; ad Illyricũ & Italiã & Hispaniam prædicauit: totus deniq; orbis in eum credens, ubique passim populi dicẽt, Venite ascẽdamus in montẽ domini, & in domũ dei Iacob, ag gregemur ecclesiæ fideliũ, & efficiamur semen Abraæ, & filij simus Israelis ueri, et docebit nos Christus de scripturis sanctis, quæ uiam domini præostendãt, & eum qui dicit, Ego sum uia, & ambulemus in gratia euangelica per doctrinam apostolicam toto orbe disseminandam. De Zion enim exibit lex, ad gentes dei sermo transibit de Ierusalem.

Mons Zion.

3 Et iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes usq; in longinquũ: & concident gladios suos in uomeres, & hastas suas in ligones: nõ sumet gens aduersus gentem gladium, & non discent ultra belligerare.

Christus iudex.

Omne iudiciũ pater dedit filio, qui iudicabit inter errores multorũ populorũ, & corripiet populos multos ob dei ignorantiã: apprehendet enim sapiẽtes in astutia eorum, & conuincet stultitiæ. Dijudicabit quoq; inter populos, qui salute digni habeãtur, & qui indigni. Nec tam ferox et robusta gens erit in orbe, quæ nõ mansuefacta humiliatur a fit humeros suos uni summo uero & optimo deo colendo & adorando, per Christi sacrosanctum Euangeliũ erudita, etiã usq; ad extremos Brittannos & Hibernos, Indos & Hispanos, Aethiopes & Noruegios. Inq; cius aduentu omne bellandi studium conseretur in pacẽ, in aratra gladij mutabũtur, hastæ cudentur in falces, gens bellare desinet cõtra gentẽ, summum studiũ colendæ pacis erit euangelicæ doctrinæ ueris sectatoribus, quia iustitiæ et charitatis studiũ summopere commẽdabitur à Christo, & à discipulis illius uere seruabitur. Interim tamen nõ deerũt mundo sui filij, & diabolicæ infestationis arma cõtra electos, quorũ omne studium erit exercitatio spiritualis pugnæ cõtra carnẽ ac sanguinẽ, mundum & diabolũ, ut clarior appareat & gratia Christi, & fideliũ inconcussa fidei gratia. Neminem itaq; pugnare discet pugnandi necessitate deposita.

Pax in ecclesia.

4 Et sedebit uir subtus uineã suã, & subtus ficum suam, & nõ erit qui deterreat: quia os domini exercituum locutum est.

Tantaq; erit requies, ut non solum in urbibus, sed in uiculis quoq; & agris fore ut sit unusquisq; securus, lætus & gaudens cum familia sua gratias agens de dei beneficijs, quem agnoscet & colet religiose, contentus sua sorte si uelit: sin minus, sibi imputabit inquietudinem, non legi dei & Christo. Hoc autem certissimè fiet, quia os domini loquutũ est, & factum esse iamdudũ uident, qui oculos habentes cæci non sunt. Verba enim domini uera sunt, & eius dixisse fecisse est.

5 Quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine dei sui: nos autem ambulabimus in nomine domini dei nostri in æternum & ultra.

Cunctis inquiunt nationibus euntibus iuxta errorem suũ, nos ad montẽ domini festinabimus, & dicemus, In nomine domini dei Sabaoth, qui creauit cœlũ & terrã, ambulabimus & adorabimus, qui elegit Abraam, Isaac & Iacob, à quibus & agnitus est & adoratus, ut solus unus uerus deus, cuius gloria & lex, ut fuerit per Christum dũm mundo reuelata, semelq; suscepta à gentibus, nunquam finietur nec fides nec religio sancta.

Conuersio Israelis.

6 ¶ In die illa dicit dominus, congregabo claudicantem: & eam quam eieceram colligam, & quam afflixeram.

Congregabo, inquit, claudicantem, eam ad quam Helias dixerat, Vsquequo claudicatis in duas partes? &c. Cuius pes scandalizatus fuerat absciſus, quam eiecerã, & cui dederã libellũ repudij colligã: & quam afflixerã captiuitatibus uarijs cõsolabor, & ad dominũ deũ suum dignè colendum colligã. Maxima quidẽ pars succesſiue sub regibus Persarum & Græcis cõuenit in Iudæam de omnibus tribubus: ex quibus, ut dictũ est, plurimi Christo & apostolis crediderũt, multo autẽ plures ex eis qui adhuc dispersi erãt in gentibus Christi fidem & doctrinam susceperunt & prædicauerunt.

Gentes conuertendæ.

7 Et ponã claudicantẽ in reliquias: & eam quæ laborauerat in gentem robustam: & regnabit dñs super eos in monte Sion, ex hoc nunc & usq; in æternum.

Ecclesia apostolica et prima.

De prima Christi ecclesia, quæ ex Iudæis credidit, de qua fuerunt apostoli, de qua in Actis apostolorum Lucas scribit, q; una die crediderint tria millia, etiã alibi quinque millia, & de quibus Iacobus loquitur ad Paulũ: Vides frater quanta millia sunt de Iudæis credentiũ, & omnes hi æmulatores legis sunt. Notanter autem non dicitur, Ponam claudicantẽ totam saluã, sed ponã claudicantem in reliquias, ut reliquiæ & electio saluæ fiant: & eam quæ laborauerat in gentẽ robustã, in nomen uidelicet Christianũ, quod non gladius, non ignes, non tormenta superabunt. Vide fidem & paßionẽ martyrũ, & de robusta gente non ambiges, & regnabit dñs super eos, id est, super gentes multas, & super reliquias claudicantis in monte Sion in ecclesia præsentis sæculi & futuri.

8 ¶Et tu turris gregis nebulosa filia Sion usq; ad te ueniet: & ueniet potestas prima regnum filiæ Ierusalem.

Nomina Israelis & ecclesiæ.

Conuertitur propheta ad consolandum regnum Iuda & urbem Ierusalem, quæ hic dicitur turris gregis, arx scilicet & fortalitium populosum, & turris fumosa filia Zion, per quam intelligitur status regni Iudaici, et Israëlitici populi, uinea domini Sabaoth, quæ licet destruenda sit per Chaldæos, ut erat omnium prophetarum consensus, non tamen in afflictione deficere debeat, cum sit suo tempore restituenda in integrum, uenturus q; sit illi rex suus, à quo glorificanda sit magis quàm fuerit unquam. Veniet enim usq; ad eam prima potestas, uel primus principatus, qualis nec ante eum in mundo fuit, nec post eum sit uenturus, cuius regnum æternum est gloriosißimum ac uniuersale, is regnauit à ligno in Ierusalem, & adhuc regnat in throno Dauid patris sui, in inæstimabilem gloriã tã illius urbis, quàm fidelium ex illa gente, Dauidis quoq; & Iacob, Isaac & Abrahæ. Regnum ergo filiæ Ierusalem, est regnum Christi quod illic cœpit & perfectũ est: cœpit in corporali & temporanea Ierusalem, perficitur autem in spirituali & æterna.

9 Nunc quare mœrore contraheris? Nunquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus perijt, quia comprehendit te dolor sicut parturientem?

Afflictio ecclesiæ.

Quarè, ô Ierusalem, nunc mala tanta experiris? quare tantopere afflingeris? quare tantopere luges & defles imminentem tibi captiuitatẽ? Certe dñs tui interim curã habet, qui licet te capi faciat, iterũ tamẽ te cõsolabitur, restituet, uindicabit, redimet, et saluabit. Viuit nihilominus rex tuus Christus ipse, & non perijt adhuc, qui consilium optimũ de te iuuanda & glorificanda concepit & prosequetur. Quantũlibet grauißima calamitate laboratura sis, & ad solũ delenda, iterũ tamen reædificaberis, et eris glorioßor ac in toto orbe celebrior, laudabilior & uenerabilior quàm nunc sis, uel aliquando fueris: quod & de templo tuo Haggæus testabitur.

10 Dole & satage filia Sion quasi parturiens: quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in regione, & uenies usq; ad Babylonem, ibi liberaberis: ibi redimet te dominus de manu inimicorum tuorum.

Cuî præcipitur ut doleat, ueluti parturiẽs mulier, & strenue satagat, ut partũ enitatur & proferat, quod hic est uiriliter agere, nõ deficere progenerãdo. Nõ frustrà præcipitur, sed ut dolores patienter ferens, egrediatur de ciuitate, habitet in cãpo, & ueniat usq; ad Babylonem, et cũ pro peccato sustinẽs captiuitatẽ, eam fortiter tulerit quod illatũ est, tunc liberet eam dñs, et redimat deus suus de manu inimicorũ suorũ, ut postq; fuerit liberata, insultãtibus dicat, Noli insultare mihi inimica mea, quia cecidi, resurgã nim. Et si enim ambulauero in tenebris, dñs lux mea est, &c. ut infra cap. 7. Pertinet enim quod hic dicitur, Dole et uiriliter age, ad saluẽ dolentis. Dolet siquidem Ierusalẽ, quia excalceata et nuda egressa est in campũ Sennaar, futuraq; in Babylone, donec Zorobabel ueniat & Esdras ad eam restituendam.

11 Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ: quæ dicunt, Lapidetur, (hypocritam egisti) & aspiciat in Sion oculus noster.

12 Ipsi autem non cognouerunt cogitationes domini, & non intellexerũt consilium eius: quia cõgregauit eos quasi fœnũ areæ.

Iudæi referre hæc coguntur ad tempora Meßiæ. Cum huiusmodi bellũ non legãt commissum, dicunt futurum illud Meßiæ sui temporibus: cum reuera literalis sit alle goria, & prophetico stilo descriptum imperium uerbi dei, hoc est, regnum Christi, quo humiliatæ sunt omnes gentes, & subiugatæ genti Israëliticæ in spiritu & ueritate, secundũ omnium prophetarũ oracula. Igitur contra ecclesiam uerbo dei inuitentem, congregantur in præsenti sæculo multæ impiæ nationes, totũ Romanum imperiũ, & quicquid absq; dei ueri notitia usquam uixit in mũdo, cum dæmonibus mũdi rectoribus tenebrarum, qui totus erat positus in maligno, ueritati ac uirtuti insultans. Omnes enim nationes contra doctrinã pietatis & ueri dei cultũ sese erexerunt, & impugnauerunt pro omni uirili sua, interim nescientes consiliũ dñi. Has autẽ omnes quasi manipulos areæ, et quicqd spinosum, sterrum & uacuum habere uidebãtur, ungulis iræ suæ, imò clementiæ suæ gratia contriuit, & cornibus diffudit, ut purificatæ erroribus & impietate, per auditũ & credi dei aream & donaria sunt oblata. Qui igitur lapidare & occidere apostolos & ueræ fidei prædicatores solebant reges et populi incredituli olim, & Sion persequi ac delere, eamq; uidere cupiebant uastatam, bi longe secus atque consultauerant instructi sunt de uerbo, triturati à fidelibus et humiliati, ut sponte sese eidem dederint ecclesiæ, Sionis ciues facti sint, & eam illustratam et uallatam totis uiribus susceperint defensandã et propugnandam quam oppugnauerant.

13 Surge & tritura filia Sion, quia cornu tuũ ponam ferreũ, et ungulas tuas ponam æreas: & cõminues populos multos, & interficies domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum domino uniuersæ terræ.

Veri fideles domino adhærentes, uirtute ueritatis & pietatis per spiritum dei roborati, uicerunt mundũ cum suis

Vitiatis mundi.

suis erroribus, & uelut ungulis aream mundi conculcauerunt, cõminuerunt idola omnia, & quicquid aduersarium pietati sese erexerat contra deum, totum per Euangelij prædicationem donuno subiecerũt, tanquam spolia & rapinas, in domini dei gloriam reponendas. Omnia autem non proprijs uiribus, sed fortitudine domini, qui aliquando totam sibi terrã subijcere, & Christi sui regnum in suam gloriam exaltare uoluit & perficit. Vtcunq; autẽ interim uarijs fatigetur opinionibus mundus, id tamen effectum semel est, & non inficietur, ut dominus deus omnipotẽs solus adoretur in mũdo, & sacræ scripturæ ueritas credatur, & Christũ dominum agnoscant mundi saluatorem. Licet de ipsius gloria & altitudine minus religiose multi sentiant quàm debeant secundũ Canonicas scripturas diuinas, & magis carneo suo sensu & brachio fidant quàm uirtuti altissimi, cui tamen subinde subijci & obedire uelint nolint cogẽtur, quotidieq; coguntur prouidentia dei.

CAPVT V.

1 NVnc uastaberis filia latronis: obsidionem posuerunt super nos, in uirga percutient maxillam iudicis Israel.

Pertinet hic uersus ad præcedẽtia, ut dicat propheta: Hæ quidẽ felicia suo tibi tempore accident ô filia Zion, nunc uerò filia uastationis es, ob impietates tuas, ideoq; uastaberis. O Iudæa & Israel, filia latronis dignè cognominaris, quæ olim eras ciuitas fidelis, in qua nunc habitant homicidæ, uastaberis propediem propter crimina tua, licet reædificanda sis iuxta promissum domini, interim tamen à gentibus obsidionẽ patieris & capieris, & percutiẽt super maxillã iudicis Israel in uirga, id est, regẽ, imò reges subinde multos captiuos ducẽt in Aegyptum, Assyrios et Chaldæos, ut patet de regibus ultimis regni Iuda & Israelitici, quos constat captos translatos & occisos ab hostibus. Alij referũt ad Babylonẽ, quæ diuitur filia latronis, seipsam lacerabit & peribit, quia spoliauit & tractauit immaniter regẽ & populũ.

Filia uastationis.

2 ¶ Et tu Bethlehem Ephráta, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel: & egressus eius ab initio à diebus æternitatis.

Regnum Christi.

Reditur iuxta morem omnium prophetarum à tristibus ad læta, ad regni Christi mysteriũ, cuius nunc originem ex loco & gente indicat, quod exponi non potest nisi de Messiæ ortu, quemadmodum & apud Euangelistam Matthæum scribæ & Iudæorum docti cõfessi sunt ab Oriente uenientibus Magis & Herodi, non tam uerba huius prophetæ narrantes quàm sententiam, quæ talis est: Et tu Bethlehem, id est domus panis, quæ uocaris Ephrata, minima quidem es in ciuitatibus Iuda, & tantis millibus comparatã uix paruus es uiculus, sed ex hoc paruo uiculo egredietur suo tempore, sicut & olim in typo egressus est Dauid rex Israel, Christus, qui est dominator in Israel. Ac ne putes eum de genere Dauid tantum esse, cui repromisi, dicens: De fructu uentris tui ponam super sedem tuã: &, Postula à me & dabo tibi gentes &c. Carnis assumptio diuinã non impedit maiestatem: de me enim natus est, ante omnia secula, & temporum conditor, in tempore nõ tenetur. Ipse est cui & in alio loco dicitur: Ante luciferum genui te, uel simile aliquid. In principio enim erat uerbũ, & uerbũ erat apud deum, & deus erat uerbũ, quod uerbũ caro factum est, & habitauit in nobis, & cũ hominibus cõuersatus est, et apparuit ut homo, qui olim multifariã locutus fuerat per prophetas, & patribus multis olim modis apparere cõsueuerat & colloqui. Et idcirco dicitur hic: Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. Quod autẽ Bethlehem ipsa sit Ephrata, sacræ literæ passim testantur, & utroq; nomine sacramentũ indicatur, fertilitatis et cibi. Confitentur hoc loco neoterici Iudæi, Messiã proditurum de filijs filiorũ Dauid, quantũlibet multũ temporis intercedat, Abraam Aben Ezra dicit super præcedentẽ uersum: Videtur mihi is iudex Israel maxilla percutiendus Messias esse, uel Zorobabel, quia statim sequitur: Et tu Bethlehem &c. & quod non fuerit percussus, sed putabunt se eũ percussuros. Dauid Kimhi, Hic, inquit, princeps, qui egredietur ex Bethlehem, rex est Messias, quia de semine Dauid erit. Quod tamen semen Dauid, toto orbe, ex se Iudæi ostendere à mille annis non potuerũt. Rabi Salomon hoc loco dicit: Super hoc etiã dicitur in Psalmo, Lapidem quem reprobauerunt ædificãtes &c. Et ante solem filiatio nominis eius.

Christi dominni diuinitas & humanitas.

Messias filius Dauid.

3 Propter hoc dabit eos usq; ad tempus (in quo) parturiens pariet: & reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Israel.

Iudæos Dominus regnare permittet, & statu suo subsistere, usque ad tempus parientis, quãdo scilicet synagoga generabit ecclesiam, & delicto populi Iudaici fides, salus ac plenitudo gentium subintrabit: & reliquiæ fratrum eius ad filios Israel conuertentur, fratres scilicet Messiæ secundũ Hebræos, tota gentilitas, cuius expectatio & semen benedictum Abrahæ promissum, Christus est, cuius ueri filij sunt, qui credũt in eum, quem uidit Abraam & lætatus est.

4 Et stabit, et pascet in fortitudine domini, in sublimitate nominis domini dei sui: & conuertentur, quia nunc magnificabitur usq; ad terminos terræ.

Christus Dominus Messias & frater Israelis, secundũ spiritũ & carnẽ, firmiter stabit, quantũlibet reprobatus à fratribus secundũ carnem & crucifixus. Et pascet uerbo Euãgelicæ cõsolationis & ueritatis, uirtute diuina, quam miraculis omnipotentiã testãtibus probabit. Nec propriã suam gloriã quæret ut homo, sed patris sui & diuini nominis unicã maiestatẽ. Et cõuertentur electi ex Iudæis & gentibus ad dominũ, per Euãgelij prædicationem: uel, ut alij uolunt, Sedebũt scilicet in requie opulenta, certi de fauore dei ad se, & de salute omnium electorũ. Ea quoq; prædicatio, ueritas & conscientiarũ pax, & unius ueri dei agnitio & religio, diffamabitur, pficiet & magnificabitur usq; ad ultimos fines terræ.

Christi uictoria.

5 Et erit iste pax: Assyrius quũ uenerit in terram nostrã, & quando calcauerit in do-

mibus nostris: & suscitabimus super eum septẽ pastores, & octo primates homines.

Pax in regno Christi

Hic dominus Christus noster, promissus & præstitus mundo Meßias, erit pax omnibus in illum credentibus, qui ante Christum acerrimi semper fidelium hostes & infestatores fuerãt, ij tunc ut lupi pacificè cohabitabũt mutata natura agnis, & leones uitulis, eritq; pax inter Assyrios & Iudæos, inter Aegyptios & Chaldæos, facto ternario charitatis et fidei. Veniẽt enim potẽtißimi Assyrij in terrã Israelitarum, id est fidelium, & concorditer nobiscũ calcabunt pauimentum domus domini, ob perfectam concordiam: non enim post hæc de religione contendent, non propter idola Iudæos persequẽtur, non odient mutuũ propter cõtrarios cultus diuorũ, pacifici & cum consensu habitabunt, unius moris in domo dñi. Tunc ex Assyrijs qui maximi Iudæorũ hostes fuerant, instituentur quotquot necessarij illis pastores fuerint, apostolici uiri & episcopi, qui illos docebũt uerã pietatem, & gratiam dei per Christum, cõmunicationem doctrinæ & charitatis in una fide. Quod certè manifestè conuincitur factum ab apostolis, & discipulis Christi alijs, & apostolicis uiris, qui illis sub Christo prælati erunt, & animarum antistites, præter Christum principem pastorum, & solum pontificem maximum.

6 Et pascẽt terrã Assur in gladio, & terram Nemrod in lãceis eius: & liberabit ab Assur, quũ uenerit in terrã nostrã, & quum calcauerit in terminis nostris.

Erunt tunc paßim in omni terra docibiles domini & gladio uerbi dei Assyrij dño subiugabuntur. Vel si qui fuerint, ut erunt, in terra Assur, uel alibi pietatis Christianæ hostes & persecutores, illi uiolentia diuini spiritus & fortitudine fidei in electis uincentur, & utcunq; ferocißimi fuerint, ut Nimbrodti etiam persecutores fidei, tamen superabuntur ab electis omnes impij, quantumlibet sæuiant, irrumpant & conculcare nitantur. In summa, sufficiẽter muniti erimus, quotquot domino credimus, & adiuti contra omnes hostes pietatis.

7 ¶ Et erũt reliquiæ Iacob in medio populorũ multorũ quasi ros à dño: & quasi stillæ super herbã: quæ nõ expectat uirum & non præstolatur filios hominum.

Sub Christi aduentum & regnum, quicunq; de Iacob secundũ carnẽ nati, in omnibus gẽtibus dispersi fuerint per Assyrios, Chaldæos & Græcos, illi audiẽtes de uerbo uitæ prædicando per apostolos, credent Euangelio, & unius dei gloriã promouebunt ad eliminandũ idola in toto orbe. Ex eis enim Israelitis aucta est ecclesia, ut non solum apostoli, sed & alij ex Iudæis paßim ecclesiarum fuerint fundatores, ut etiã quidã ex Iudæis conuersi Romanam rexerint ecclesiã, ut Euaristus & cæteri. Hi tales ex Iudæis, erũt in medio populorũ multorũ, quasi ros à domino cadens. Ardebant enim ignitis diaboli laqueis corda populorũ, quasi clibanus igne succensus, unde ros Euangelicæ doctrinæ à domino cadens, factus est sanitas infirmorũ. Sic in medio uniuersarum nationũ, doctrina apostolorũ quasi ros à dño sit aspersa,

Aucta ecclesia.

proficit, non uirtute, sapientia uel studio humano, sed gratia dei cœlitus inspirata. Non enim hic fructus humano consilio uel cultu succrescit, sed à domino plantatur, rigatur & incrementa sumit.

8 Et erũt reliquiæ Iacob in gẽtibus in medio populorum multorum, quasi leo in iumentis syluarũ, & quasi catulus leonis in gregibus pecorũ: qui quũ trãsierit, & conculcauerit, & ceperit, non est qui eruat.

9 Exaltabitur manus tua sup hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt.

Dedit Christus dñs apostolis, & apostolorum discipu- Fortitudo Christi & lis, ut quomodo leoni nemo potest resistere in iumẽtis, ecclesiæ. & catulo leonis in ouibus: ita illi de manu Assyrij & diaboli, suorumq; satellitũ liberati rapiẽt iumẽta & pecora, nõ ut interficerẽt, sed ut diuiderent, hoc est, ut ab infidelibus separarent, & non essent qui resisterent. Fideles enim fortiores erunt pardis, ursis, lupis, ut uincere possint tyrannidem principum huius mundi, qui per Assyrios intelliguntur. Nec magni enim nec parui, nec tyranni nec plebes, fidelibus in Christo dominabuntur. Israelitæ enim ueri, per uerbũ dei omnem fastum mundi subiugabunt, tyrannidem & errores. Iudei quidẽ expectant se subiugaturos omnes gentes sibi. Certè domino & Christo suo subdiderunt omnes gentes apostoli, & ex Iudæis cõuersi Christiani. Hæc autem interfectio hostium à fidelibus, non abolitionem significat, sed cessationem peßimæ uitæ, qua male antè uiuebant.

10 ¶ Et erit in die illa, dicit dominus, auferam equos tuos de medio tui, & disperdã quadrigas tuas.

Quando eleuata fuerit manus tua super hostes tuos ô Israel, & omnes inimici tui perierunt, interficiã equos tuos de medio tui, omnem fastum, pompam, libidinẽ, rombur opprimendi bonos, & bellũ gerendi contra fideles, equitatum Aegyptiorũ cui tu fidis excindam, ostendam uanam fuisse fidutiã tuam omnem, præterquam in dño minum, & pacem sic firmabo sanctorum, ut his rebus opus non habeant, equis scilicet & quadrigis.

11 Et perdã ciuitates terræ tuæ, & destruam omnes munitiones tuas,

Pax & lida.

Solidam eatenus tibi pacẽ dabo, ut nullis hummis aut xilijs uel murorũ munimentis egeatis: ciuitates quoque tuas subiugabo Christo, & habitãdas fidelibus donabo, sine uastatione munitionũ, sponte enim colla subiciente euangelistis dei & uerbo fidei, ut nulla se possit impietas uel animalis scientia aut argumenta carnis tueri:ditias quoq; & pompam seculi, rhetorum eloquentiã, dialecticorum tendiculas, in quibus sibi gentiles uelut in munitionibus confidebant.

12 & auferam maleficia de manu tua, & diuinationes non erunt in te.

Maleficia tua auferã de manibus tuis, qbus ipse Israel decipiebaris ab alijs, uel deceptus alios decipiebas. Et augures responsatores & astrologi non erunt tibi, tota enim fidutia à domino pendere docebũtur, & superstitionibus omnibus renuntiabunt.

Et

13 Et perire faciam sculptilia tua, & statuas tuas de medio tui: & non adorabis ultrà opera manuum tuarum.

14 Et euellã lucos tuos de medio tui: & conteram ciuitates tuas.

Nec in Israele nec in eis quos uerbo salutis superabũt & regẽt isto tempore, sculptilia uel altaria remanebũt, sed tota superstitio impiæ idololatriæ excindetur & cessabit. Id quomodo factũ probare necesse nũc esset, ni si nostro seculo uidissemus hæc omnia dolo satanæ resti tuta fuisse, quæ constat priscis patrũ nostrorũ seculis in totum abolita fuisse. Noua enim altaria & templa, Ro ebo, Annæ, Margaretæ, & diuæ uirgini olim ab aposto lorum temporibus ignorata fuerunt, sicut & illorũ imagines & cultus, cum intercessionũ efflagitationibus, & multis alijs superstitionibus, quas Augustini tẽporibus & antea nõ fuisse cõstat ex scripturis ipsorũ sanctorũ.

Sculptilia cessabit. diuucda.

15 Et faciam in furore & in indignatione ultionem in (omnibus) gentibus quæ non audierunt.

Gentes uerò quæ rorem Euangelicæ doctrinæ recipere noluerunt, à domino graui uindicta punientur & excindẽtur, ut cedant locũ fidelibus, ut fiat unum ouile & unus pastor. Respondeant hoc loco Iudæi, obi omnes hostes suos deleuerint, ubi de oppressoribus uindictas tulerint, ubi non ipsi fuerint hactenus & sint oppressi: si hæc facta cõmemorant, producant historiam, & authoritatem ueterũ librorũ, doceant cunctas gentes & Assyrium Israeli quondã fuisse subiectum. Si autẽ uana spe lusi, cum suus Christus uenerit, dicant futura, quæ tunc de Israel idola auferentur, quæ modo nõ colit? qui succidentur luci quos non habet? quæ urbes subruentur quæ olim subrutæ sunt? &c. Tanto tempore derelicta tamen est filia Zion, & sedet sine altari, & sine sacerdotibus, & alijs fruges eorum comedentibus, ipsi siccis faucibus sibi futura promittunt quæ nesciunt.

Iudæi condemnantur.

CAPVT VI.

1 AVdite quæ Dominus loquitur, Surge, contende iudicio aduersum montes, & audiant colles uocem tuam.

2 Audiant montes iudiciũ domini, & fortia fundamẽta terræ: quia iudiciũ dñi cum populo suo, & cum Israel dijudicabitur.

Prima uox prophetæ est, qui dicit: Audite, non quæ ego, sed quæ dominus loquitur. Deinde deus loquitur ad prophetam, Surge &c. Rursum propheta, sicut ei fuerat imperatum, mõtibus loquitur, & fortissimis fundamentis terræ, & dicit: Audite montes iudicium domini. Causamq; reddit, quare eos compellat audire, Quia iudicium domini &c. Qui poterat quasi deus pro sceleribus populi peccatoris inferre supplicia, nõ uult uideri iuncta illud, Venite & iudicemur, dicit dominus. Etiam nunc populũ Israel cogit præsentibus angelis & omni creatura, si quid habeat respõdere, ut iustificetur deus in sermonibus suis, & uincat cum iudicatur.

3 Populе meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi.

4 Quia eduxi te de terra Aegypti, & de domo seruientiũ liberaui te: & misi ante faciẽ tuam Mosen, & Aaron, & Mariam.

Prouocat deus ad iudiciũ & licentiã contra se tribuit disputandi. Contristat autẽ pater filiũ flagellatũ, & iniquitates ouiũ in uirga pastor uisitat. Quo, inquit, labore te pressi? An beneficia mea contumeliã interpretaberis, & pepones carnesq; Aegyptias desyderãs, dolebis te eductũ de terra Aegypti, ac de domo seruitutis meo auxilio liberatũ? quia dedi ductores tibi Mosen amicum meũ, & Aaron sacerdotẽ, & Mariam prophetã meũ?

5 Populе meus memẽto quæso quid cogitauerit cõtra te Balach rex Moab: & quid responderit ei Baalam filius Beor, de Setim usque ad Galgalam, ut cognosceres iustitias domini.

Quod si hoc tibi parũ uidetur, recordare illius temporis, quando Balach rex Moab Balaam diuinum aduersum te mercede conduxit: & uide quomodo contra uoluntatem suam, cupiens tibi maledicere ariolus, benedixit, de Setim usque ad Galgal totum exercitũ Israel oculis lustrans, & mutans loca, quasi ego non possem cum pergente pergere, & cum transeunte trãsire. Quanta quoque beneficia mea ad te fuerint de loco Setim donec peruenistis in Galgal ubi circũcisi fuistis. Et hoc feci, ut misericordiæ meæ & iustitiæ innotescerẽt tibi, tamũ te amantis, ut cum eo quotidie ore blasphemantiũ maledicar, tibi ab inimico non permiserim maledici.

6 Quid dignũ offeram domino? curuabo genu deo excelso? Nũquid offerã ei holocaustomata, & uitulos anniculos?

7 Nunquid placari potest dñs in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium (riuorũ olei?) Nunquid dabo primogenitũ meũ pro scelere meo, fructum uentris mei pro peccato animæ meæ?

Deus populũ suum ad iudicium prouocarat: ille sciens peccatum suum non uult contendere, sed rogare: nec tamen in ipsis precibus habet fiduciã. Nihil enim dignum est, quod pro peccato possit offerri domino, & nulla humilitas potest maculas eluere delictorum. Quia impossibile est sanguinem taurorum & uitulorum, & holocausta medullata & cruorem arietum & hircorum pinguium animæ sordes lauare. Nunquid, ait, dabo primogenitum etiam meum pro scelere meo, sicuti rex Moab fecisse describitur? aut fructum uentris mei pro peccato animæ meæ, quod fecit Iepte pro temeritate uoti offerẽs filiam? Quid nos domino reddimus pro his quæ nobis retribuit? Cum iustus pro peccatoribus, dei filius pro hominibus mortuus sit, nos peccatores & homines pro nominis eius confessione cur non moriamur?

Oblationes indignæ deo.

8 Indicat tibi ô homo quid sit bonum, & quid dominus requirat à te, Vtique facere iudiciũ, & diligere misericordiã, & solicitũ (modeste) ambulare cum deo tuo.

Sic respondet deus, Quia dubitas ô Israel, imò uniuersum humanũ genus, quomodo pro peccatis tuis deũ placare possis, ego tibi respõdebo, quid à te quærat dominus, Non exigit æram, oleum, sericum, aurum, nec ieiunia à carnibus, nõ uota supererogatoria, non cœlibatũ, non suffragia diuorũ. Certè ut iudiciũ facias, & diligas misericordiã, opus iudicij, amorẽ beneficentiæ. Quærit à nobis dominus, & poscit accipere, quod danti prosit, ut nihil absq; ratione & cõsilio faciamus, ut antè mens iudicet quid factura sit, & postea opere expleat, & misericordiã diligamus, imò proximũ in nullo lædere, sed ut nosipsos amare, & iuxta bonam conscientiã secundũ timorem dei cõuersare cum proximo, & fidei iustitiam in sanctis & à deo præceptis operibus comprobare, cumq; multa solicitudine semper cogitare uoluntatem domini dei nostri, et ad illius beneplacitũ sanctè & piè conuersari in hoc mundo, semperq; ob oculis habere timorem domini, & ei fidele obsequium præstare, non ut seruus coactum, sed ut filius deuotum & promptum. Hoc tandem est facere iudicium, amare beneficentiam, paratum & humilem ambulare cum deo.

Sacrificia deo digna.

9 ¶ Vox domini ad ciuitatem clamat, & salus erit timẽtibus nomen tuum: audite tribus, & quis approbabit illud?

Aliud quidem caput apud Hebræos est, sed continua uidetur prophetia esse domini ad Samariam, quæ quia prohetante Michæa, corruptissima erat criminibus, capta est. Clamat autẽ dominus, & corripit eam, & plagas quæ uenturæ sunt illi comminatur, ut audiens populus Iuda, siue timentes nomen domini alios supplicia pati, ipsi timore correpti adipiscantur salutem. Pestilente quippe flagellato, nõ solum sapiens, sed etiã stultus prudentior fiet. In Hebræo difficilis cõstructio est, Vox domini ad ciuitatem clamabit, & qui est in uera pietate, qui subsistit secũ, qui sensatus est, & uir æquus, is timebit nomen tuum. Sunt qui sic interpretantur, Vox domini, id est, nomen urbi uocabitur, ut sit urbs dñi, & æquitas uidebitur nomen tuum esse. Audite ergo tribus, quis testatur? Syrus sic interpretatur: Vox prophetarũ domini super urbem clamantium & docentium, ut timeatur deus. Audi rex & principes et reliquus populus terræ. Adhuc nónne est domus impiorum plena thesauris impietatis, & mensuræ falsitatis adducẽtis maledictionẽ? &c. Audite, inquit propheta, ô tribus Israel, quorũ caput est Samaria, audite uirgã uindictæ diuinæ, quæ uos manet, & decreta est ei urbi, audite baculum qui imminet capiti omniũ impiorum, nolentium audire prophetarum monita, & uerbum dei.

Vox prophetarũ.

10 Adhuc ignis in domo impij thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena.

Etiã dum multa auditis quotidie à prophetis de uerbo domini, tamen adhuc ignis, id est iniquitas uel feruor impietatis est in domo regũ Israel, & thesauri impietatis perseuerãt in domo regia. Vultis audire per singula quibus malis urbs uestra plena sit? Mẽsura minor dei iram prouocãs, statera fraudulẽta & diuersa põdera, ut alio pondere utãtur uendẽtes, in alio emẽtes mercimonia.

Iniquitas gentis.

11 Nunquid iustificabo stateram impiam, & sacculi pondera dolosa?

12 In quibus diuites eius repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum.

Num innocentes reputabo uos, qui nondum abiecistis rapinas, bilances iniquas & pondera falsa, cum omnia uobiscum ementita sint, cum omnia ex diametro repugnent cum iudicio & iustitia? Etsi quidẽ pauperes hoc facerẽt, poterat fortassis inopia scelus necessitate defendere: nunc uerò diuites eius, non tam diuitijs quàm iniquitate pleni sunt: quia omnes diuitiæ dum alios spoliãt iniquitate pariuntur. Congregationem diuitiarum comitatur mendaciũ, & manus asueta thesauros cõdere, fraudulentam linguam posidet. Veritas paupertatem, mendacium parit diuitias.

13 Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis.

14 Tu comedes & nõ saturaberis, & humiliatio tua in medio tui. Et apprehendes, & non saluabis: & quos saluaueris in gladium dabo.

15 Tu seminabis & non metes: tu calcabis oliuam, & non ungéris oleo: & mustum, & non bibes uinum.

Cum hoc facerent principes uestri, nolui uos statim subuertere propter grauia peccata uestra, sed paulatim cœpi percutere, & plagis uarijs admonere. Misi in uos famem, misi sitim, misi morbos, & hostilem in circuitu uastitatem: seges frumenta non attulit, oleum pressa oliua non fecit, uinum steriles uineæ negauerũt. Ego quoq; ut materiam dolendi & calamitatũ haberes, & humiliandi te intra teipsum, ut tecũ ipse humiliareris, ut scias licet etiam si uxor tua concepisset factum in utero, non tamen perduceret ad partum, sed occidi fœtũ in utero matrum suorum: quòd si peperissent prolem, multo dolore & periculo, non permisi ut de prole lætarentur edita, sed occidi infantes eorũ: & iuuenes quoq; eorũ dum iam adoleuissent ceciderunt gladio hostium. Hæc tam atrocia supplicia intuli uobis, propter iniquitates uestras, in dolosis mensuris & ponderibus.

Fœtus peccata.

16 & custodisti præcepta Amri, & omne opus domus Achab: & ambulasti in uoluntatibus eorum, ut darem te in perditionẽ & habitantes in ea in sibilum, & opprobrium populi mei portabitis.

Quia uerò custodiuisti omnes cerimonias idololatriæ, quæ Amri rex impius cõstituerat, & omne opus impiũ Achab & Iezabel, pro mea lege seruasti, impulsus summo scelere tuo, ut darem te & habitatores tuos in sibilũ, ut opprobriũ populi mei portares, dum capti in Assyriot, quasi populus dei uincimini, et propter uos nomen meũ blasphematur in gentibus. Cumq; unusquisq; uestrũ diligenter obseruet, ne quid præter eatur ex legibus regum impiorũ et põtificũ, uerba aũt mea & leges cõtemnitis, ideò puniã uos opprobrio graui in gẽtibus dispergẽdos.

¶ CA-

¶ CAPVT VII.

1 Vae mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autūno racemos uindemiæ: non est botrus ad comedendū, præcoquas ficus desyderauit anima mea.

Corruptio totius ciuitatis.

Prædicta captiuitate Israëlis & paucitate credentiū plangit cōsequenter propheta corruptionem totius gentis ut nullus uel pauciſsimi è populo iuſti inueniantur in terra Israël, qui poſsint iræ dei resistere & medium se quasi murū opponere. Frustra, inquit, locutus sum, frustra uolui iam uindemiatæ & perditæ ciuitatis quasi extremos racemos requirere, & cum non sit botrus ad comedendum, saltem immaturas ficus grossos ficorum in cibo sumere. Quasi dicat: Non inuentens panem, præ fame magnitudine quisquilias & furfures requisiui.

2 Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiantur, uir fratrem suum ad mortem uenatur.

Vbiq; insidiæ, doli, fraudulentiæ, non inuentur sanctus, pius & integer, qui recto oculo & fida manu opetur salutem proximi sui & gentis, innoxius sanguis effunditur præ auaritia et libidine, germanitas ignoratur, & non solum faciunt, sed defendunt quoq; mala & nominibus cōmutatis, bonum dicunt esse quod malum est, & criminum nominibus utuntur ad uirtutis extenuationem, & uirtutum nomine ad excusationem uitiorū, pro nihili proximus et frater ad mortem uenatur fratrem suum uita & bonis priuando, proscribendo, excommunicando, uitā laboriosam reddendo rapinis, cæde, minis.

3 Malum manuum suarū dicunt bonum: princeps postulat, & iudex in reddendo est: & magnus locutus est desiderium (prauitatem) animæ suæ, & cōturbauerunt eam (concinnauerunt eam.)

Prauitas extrema.

Non satis est principibus, & impijs illorum satellitibus patrare flagitia, quin & laudant, insuper pro iustitia quod faciunt iactant: si quid malum loqui & agere instituerint, non se patiuntur quocunq; consilio impediri, quin illud esse bonum cōtendunt, causas prætexunt iustas & euincunt, potestatem faciendi quæ libeat iactant, freti potentia & diuitijs. Princeps non solum ab offerentibus accipit munera, sed exigit et cogit dare subiectos. Et iudex in reddendo est, sic alium iudicans, quo modo ipse ab alio iudicatur, ut præstent sceleribus suis mutuum fauorē, & in alterius crimine se defendant, iniquis iudicijs colludendo, in iniuriam pauperum & imbecillium. Et qui magnus est in populo, non dei sed suam loquitur uoluntatem, pro sua cupiditate moderatur officium suum & operas, donis dei abutitur ad minorū oppressionē, quæ acceperat ad auxiliū. Hi deniq;, magnus, princeps, & iudex, pariter concinnant suarum cupiditatū causas, conspirant ad suam utilitatem et gloriam, fiunt, ad reipublicæ perniciem defendunt mutuū, ut terram contorquent prolixum, ex affinitatibus catenā parem contorquent prolixum, ex affinitatibus catenā parem contorquent prolixum, ex affinitatibus catenā parem

7 Ego autem ad dominum aſpiciam, expectabo deum ſaluatorem meum: audiet me deus meus.

Cum ergo hæc ita ſe habeant, nolite credere Samariæ & Ieruſalem pſeudoprophetis. Ego autem, inquit, propheta ad dominum aſpiciam, & dominum ſaluatorem meũ expectabo, qui fideles ſuos redimet de captiuitate: ipſe eſt deus ſalutis meæ & anchora unica ſpei meæ, qui ſolus ſaluare poteſt, quiq; non auertitur à me quo minus exaudiat orationes ſuorum, qui in illum ſperant, quotieſcunq; eum inuocauerint.

8 Ne læteris inimica mea ſuper me, quia cécidi, conſurgam quum ſedero in tenebris, dominus lux mea eſt.

Videtur propheta in perſona Hieroſolymæ cõtra Babylonem & cæteras gentes loqui, quæ ſibi & populo Iſraëli perpetuò inſultauerant: Ne lætemini in ruina mea, quia domino miſerante conſurgam, poſtquam ſedero in captiuitate: ut quæ nunc ob fiduciam in dominum deum noſtrum à uobis irridemur, et perſequimur, captiuamur & occidimur, ſuo tempore non ſolum de omnibus uobis uindicabimur, ſed etiam laudabimur, innocẽteq; tanta noſ paſſos uidebimur, & pro ueritate fidei noſtræ, & gloria dei noſtri pertuliſſe tantas inuidias totus mundus iudicabit, cum abiectis idolis ſuis noſtræ religioni accedet, & obſequetur noſtræ legi & doctrinæ, quam nunc crudeliter perſequitur. Ipſe, inquam, dominus olim educet me de tenebris, & erit lux mea, cõſolator et paſtor.

Conuerſio mundi.

9 ¶Iram domini portabo, quoniam peccaui ei: donec cauſam meam iudicet, & faciat iudicium meum: educet me in lucem, uidebo iuſtitiam eius.

10 Et aſpiciet inimica mea, & operietur confuſione, quæ dicit ad me, Vbi eſt dominus deus tuus? Oculi mei uidebunt eam: nunc erit in cõculcatione, ut lutum platearum.

Quia me ſcio meruiſſe quod paſſa ſum, donec ulciſcar de gentibus, & fiat iudicium meum. Noui quippe quòd me ſit eductурus in lucem, et uidebo iuſtitiam eius, eã inſpicient omnes aduerſariæ gentes & inimicæ meæ in circuitu. Operientur autem confuſione, quia nunc mihi dicunt, Vbi eſt dominus deus tuus? Oculi mei uidebunt eam, idq; non longo poſt tempore, ſed nunc & in præſentiarum, conculcatam quaſi lutum platearum.

11 Dies ut ædificentur maceriæ tuæ: in die illa longe fiet lex:

Hactenus propheta ex perſona populi ſic eſt locutus: nunc deus ad Ieruſalem reſpondens inducitur, O Ieruſalem uenerunt dies, ut ædificentur maceriæ tuæ, quæ erant à Babylonio uaſtatæ & deſtructæ, quo tempore nequaquam Babyloniorum imperio ſubiacebis. Diebus quibus reædificabitur eccleſia, deſinẽt leges gentilium, & traditiones humanæ contra dominum.

12 In die illa et uſq; ad te ueniet Aſſur, et uſq; ad ciuitates munitas: & à ciuitatibus munitis uſq; ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem de monte.

Tempore quo denuo te dominus conſolabitur, & eoſ Conſolabi-
liget de captiuitate, & macerias tuas reædificabit, cõ- tur Bibliũ.
fluent adhuc, uel uſq; ad te uenient Aſſyrij, & cohere-
bunt tibi, & ad dominum deum tuũ conuertentur: non
ſolum qui urbes habitant munitiſſimas, ſed ex uniuerſis
regionibus & regnis, de ea quæ eſt prope uel ultra Eu-
phraten fluuiũ, uſq; ad mare, non unum, ſed multa mare
ria, uſq; ad nouiſſimum, & ab uniuerſis montanis. Non
erit gens uel populus ex eis à quibus es paſſa uaſtatio-
nes, quæ non tibi ſit in dominica religione iungenda, id
certè quod nedum prophetæ, ſed pij omnes pro maximo
bono deſyderabant futurum, longe ardentius quàm ex-
truendos muros uel domos ciuitatesq; quaſcunq;, et qui
aliud ſentit ſpiritui ſancto infert iniuriam. Quæſt dicat
propheta: Felicitas tua, ô Iſraël, aliquando maior erit &
optabilior, quàm hodie ſit eorum qui tibi imperant, &
quorũ legibus ſeruire cogeris, Aſſyriorum & Chaldæo-
rum, qui dominantur à mari ad mare, omnibus etiã mu-
nitiſſimis urbibus et altiſſimis ac remotiſſimis montibus.

13 Et terra erit in deſolationem propter habitatores ſuos, & propter fructum cogitationum eorum.

Illorum autem qui nunc regunt imperium deſtrue- Impiorũ
tur, uaſtabuntur eorum idola, ſapientia illorum uidebi- conſilia
tur, poteſtas oprimetur, leges calcabuntur, urbes capie- deluden-
tur, et omnes cũ habitatoribus ſuis. Nota enim omnibus erit im-
pietas, error, & uanitas cogitationum ſuarum, ut quæ-
quid nunc poſſident, laudant, diligunt, & deſiderant
omnes iſtæ gentes, id eo tempore ſine abiectura, damna-
tura, abominatura & perſecuturæ. Hanc ego puto de-
ſolationem terræ futuram, tunc, cum uerus Iſrael maxi-
me conſolandus erit. Niſi cui placeat hic ſenſus, nũc ter-
ræ me conſolandus erit. Niſi cui placeat hic ſenſus, nũc ter-
cepturos ſuo tempore populos omnes, eorum malorum
quæ Iudæis ante & intra terræ illius uaſtationem intule-
runt. Quandoquidem cõſtet omnes in circuitu nationes
à Chaldæis uaſtatas, qui tamen & ipſi à Perſis & Me-
dis tandem puniti ſunt. Aliam enim proſperitatem car-
nalis Iſrael iactare nõ poteſt, ſpiritualis autem excellen-
tiorem ſperare & ſuſcipere non poteſt, nec debet.

14 Paſce populũ tuum in uirga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes ſolos in ſaltu, in medio carmeli: paſcentur Baſan & Galaad iuxta dies antiquos.

Prophetæ uerba uidentur eſſe ad dominum orando,
& inſtinctu diuino prædicendo ea eſſe ſine dubio futu-
ra, quæ à domino precibus cõſequi optet: ut dicat, O do-
mine deus, qui uides populum tuum deſtitui legitimis, fi-
delibus, dignisq; paſtoribus, regibus ſcilicet, quos peſſi-
mos habuit omnes regnũ Iſraël, et malos multos regnum
Iuda, ſacerdotibus quoq; & prophetis perfidis, et tantũ Populus
ſua quærentibus: Obſecro igitur, ut fidelis pater & pa- deſ.
ſtor, populum tuum paſcas, in uirga & regimine tuo, ut
melior ſemper euadat ex correctione tua, qui grex eſt
hæreditatis tuæ, peculiariter à te electus, & dilectius po-
pulus, quẽ de captiuitatibus liberare cõſueuiſti, qui nũc
ueluti ſolus, & paſtoribus deſtitutus ac derelictus, habi-
tat in gentium multarum oppreſſione, Chaldæorum, Aſ-
ſyriorum,

syriorum, Græcorum, & aliorum potestate cõstitutus,
Fac, ô deus, ut olim oues tuæ redeant ad Carmelũ suum,
cultissimam terram hæreditatis suæ, ut ibi denuo felici-
ter & fiducialiter pascantur & in pace, sicut olim sub
Samuele, Dauide, Salomone, et alijs. Et ostende te illis pa
trem & regem suum, miraculis gloriæ tuæ illos conso-
lando & liberando, reducendoq; illos in pristinam suam
patriam, in Basan & Galaad, ut non minus feliciter ha-
bitent in ea, quàm post exitum illorum de Aegypto. Po
pulus enim dei, et oues pascuæ eius, quæ prius pasceban
tur absq; fidelibus pastoribus, & in saltu uersabantur er
rorum et uagæ, transferentur aliquando ad notitiam ue
ræ circuncisionis, & seruient deo in spiritu, gloriabun
15 tur in domino, & non in carne confident.

Secundum diem egressionis tuæ de terra Aegypti ostendam ei mirabilia.

Responsio est dei ad prophetæ orationem. Veniet tempus quando non minoribus & leuioribus miraculis ostendam me, am potentiã & bonitatẽ ad fideles meos, quàm tunc, cum olim exires de terra Aegypti, qualia tempore secundi templi, et Christi domini apostolorũq; eius, uisa sunt multa, magna & clara.

16 **Videbunt gentes, & cõfundentur super omni fortitudine sua: ponent manum super os, aures eorum surdæ erunt.**

Hostes fidelium, gentes improbæ uidebunt huiusmodi mirabilia mea, & confundentur ob stupendam magnitudinem portentorum, cernentes gratiam & potẽtiam domini ad fideles suos, terribiliaq; iudicia eius cõtra idolatra & cultores illorum, ut more confusorum & erubescentium cogantur manus ponere super os suum, præ stupore & admiratione. Aures quoque eorum obsurdescent, audientes uocem Euangelicam, & diuinorum mandatorum, sapienter incantantium magistrorum, qui prius auribus grauiter audiebãt uerba ueritatis, & prophetarum exhortationes.

17 **Lingent puluerem ficut serpentes, uelut reptilia terræ turbabuntur de ædibus suis: dominum deum nostrum desyderabunt (pauebunt) & timebunt te.**

Qui prius crudeliter persecuti fuerant seruos summi dei, & totis uiribus uastauerant sanctum deo populum, idololatræ et abominandæ gentes, toto orbe, hi aliquando uenient, ait propheta, & humiliter se totos fidelibus dedent, usque ad pedum oscula, ut uelut lingere ueline passus pedum suorum, Israëlis scilicet: & sese totos pro sternent humi, sicut serpentes reptantes, omnium rerum suarum & corporum potestatem illis subdentes. Turbabunturq; de subitatione insperatæ salutis, dicẽtes intrase pœnitentiam agentes: Hi sunt quos aliquando habuimus in conclusionibus nostris, quos nostra seueritate indigne oppressimus, quos occidimus. Pauescentq; ad iudicia & iustitias domini dei nostri, et timebunt posthac quicquam tibi mali inferre, uel à te domino deo nostro formidabunt, & deinceps fideliter tibijpsi quoq; seruient, relictis erroribus suis & impietatibus.

18 **Quis deus similis tui, qui aufers iniquita**

tem, & transfers peccatum reliquiarum hę reditatis tuæ? Non immittet (retinebit) ultrà furorem suum, quoniam uolens misericordiam est.

Verba iterum prophetæ sunt laudantis dominum, pro resipiscentia gentiũ, ut posthac fideles nolint persequi, sed dominum potius timere et colere cupiant. Vt dicat: Quis deus sicut tu? auferens iniquitatem, et dissimulans tot præcedentes iniustitias: ueluti exterminator in Aegypto Israëlitarum domos transcendebat ac præteribat, ut non uastaret eos: sed ut illi qui ob fidem suam & peccata quoq; dati fuerant in manus infidelium, iam nunc liberati à captiuitatibus per gratiam dei, ceperint eos qui se ceperant, et conuerterant ad dominum deum colendum eos qui toties tentauerant eos auellere à domino: sic tu quoq; parcas gentibus, nequaquam illis imputans iniquitates suas. Is dominus deus noster, non confirmabit nec continuabit ultra iram suam contra hæreditatem suam, contra electos tam ex Iudæis quàm Gentibus, sed uolens beneficentiam et clementiam ipse est, secundum ingenium suum ac instinctum aget cum electis suis omnibus. Resipiscentia gentiũ.

19 **Reuertetur, & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras: & proiũcietin profundum maris omnia peccata ipsorum.**

In gratiam redibit & iterum miserebitur nostri, cum reuersi fuerimus per suam gratiam & uocationẽ ad se, et grauissima peccata nostra subiget, ac in infernum opprimet, ueluti talentum plumbi, ut posthac amplius non compareant. Et proijciet in profundũ maris omnia peccata eorum, non solum nostra, hoc est, Iudæorum: sed etiam eorum, id est, Gentilium conuersorum ad dominũ deum uerum & unicũ, per merita et satisfactionem eius sacrificij, quod ipse tradidit pater pro totius mundi peccatis offerendum in cruce, Christi domini nostri pro peccatoribus à peccatoribus crucifixi. Nihil hic dicitur de confecto Purgatorio Gentilium & Romanensium. Conuersio gentilium.

20 **Dabis ueritatem Iacob, misericordiã Abraham: quæ iurasti patribus nostris à diebus antiquis.**

Dabit ueritatem Iacob & misericordiam Abraam, ut nouo populo supplantatori, & semper in lucta posito, reddat in Christo ueritatem, et multitudini Gentium tribuat misericordiam, sicut iurauit eis qui patres fuerunt fidei nostræ secundũ dies antiquos. Ab initio enim mundi hæc erat Gentium expectatio, uenturum aliquando Messiam, qui fideles à deo electos cõgregaret in unum, & ficret unum ouile ouium ad dexterã collocandarum, ex Gentibus et Iudæis, sine personarum acceptione, ut in omnibus Gentibus agnosceretur fides patrum, et gratia dei, per quam saluantur electi. Tantum de reliquijs sermonum Michææ. Summa est totius pictatis, cognitio dei & innocentia uitæ. Nouus populus.

FINIS.

COMMENTARIA IN NAVM PROPHETAM, QVI inter XII. Septimus habetur.

CAPVT PRIMVM.

1 

NVS NINIVELI ber uisionis Naũ Elcesæi.

Decem tribus iam in Assyrios deductæ fuerant captiuæ, regnante Ezechia rege Iuda, sub quo etiam nunc in consolationẽ populi transmigrati, uisio cernitur aduersum Niniuen, quæ Assyriorum metropolis erat, quæ nunc uocatur Ninus. Denuntiat enim illis bellum qui fuerant omnibus iniurioſi gentibus circumiacentibus. Nec erat parua consolatio à Nahum, qui dicitur consolatio, tam his qui iam Assyrijs seruiebãt, quàm reliquis, qui sub Ezechia de tribu Iuda et Beniamin ab ijsdem hostibus obsidebantur, ut audirent Assyrios quoque à Chaldæis esse capiendos. Onus autẽ dicitur à prophetis grauis prophetia. Niniuitæ uerò per Ionæ monita emendati, euaserant exitium, sed ad uomitum redeuntes nunc à Naum admonentur. Quòd uerò additur Helkesæi, æquè patris nomen haberi potest ac loci uel patriæ. In Galilæa enim uiculus extitit Helkas dictus. Onus quoque dicitur hæc prophetia, eò quòd eam Niniuen, aduersus quam uidetur dure premat, nec sinat eleuare ceruicem. Incertum alioqui est Iudæis quo tempore uixerit Naũ. Constat autem regnũ Assyriorum captum à Nabuchadnezer primo anno regni sui Babylonici: secundo autem anno cepit Iehoiakim regem Iuda.

Contra Niniuen.

2 Deus æmulator, & ulciscẽs dominus, ulciscens dominus, & habens furorem: ulciscens dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis.

Vox prophetæ laudantis dominum quod de Assyrijs populi sui sit ultus iniuriam, quod & sperandum est de omnibus tyrannis omnium regnorum & temporum, et ueluti consolatio quædam est omnibus fidelibus, in hoc mundo aduersitates patientibus. Amplissime autem describit propheta maiestatem domini, & magnificum apparatum iudicis uenturi, ut timeatur ab improbis, iniuriam uiolenter inferentibus fidelibus, & ut consolationem suscipiant pij, potentiam & zelum cum iustitia diuina audientes, quæ in tempore succurrit uim patientibus, & non sinit inultam malitiam iniuriam inferentiũ. Deus, ait, zelator est populi sui, sic amat pios, ut qui illos tangit, uideatur pupillã oculi dei offendisse, & sponsam unice amatam improbe tractasse. Nec solum irascitur & zelat, sed & ulciscitur iniurias facto, & nõ parcit. Vltor nimirũ est dominus et uindex, cuius proprium est irasci improbis, & fideles suos persequentibus, ut æquanimiter illud ferre nequaquam posſit, clemens et miserator dominus. Habet autem pro suis hostibus eos, qui

Maiestas domini.

fideles suos persequuntur, sicut Paulo dicebat: Saule Saule, quid me persequeris? & uelut sibi illatam iniuriam ulciscitur. Sicut & spernit eos qui pios spernunt, & hostibus suis, hoc est impijs seruat & diu, sed in suum tempus retinet iram suam, ut tandem sæuiat ferotius & iniustius persequatur. 9

3 Dominus patiens, & magnus fortitudine, & mundans nõ faciet innocentem: dominus in tempestate & turbine uia eius, & nebula puluis pedum eius.

Diu quidem sceleris Assyriorum patiens fuit, & magnanimitatis suæ fortitudine iniquitates eorũ sustinuit, & prouocans eos ad pœnitentiam, sed quia contempta bonitate dei, secundum cor impœnitens thesaurisauerunt sibi iram in die iræ: ideo qui ante patiens fuit, nequaquã eos tanquam mundos & innocentes inultos abire permittit. Quanto autem diutius suffert, tanto proüit contra non se emendantes austerior, & uelut tempestuosissimus turbo, uehementior incedit & aggreditur durius, tanto iræ suæ horrore, ut nebula quædam ex pedum sire compitu sursum eleuata uideatur.

4 Increpans mare & exiccans illud: & omnia flumina ad desertum deducẽs. Infirmatus est Basan, & Carmelus: & flos Libani elanguit.

Non grande est deo Assyrios destruere, cuius potentissimæ maiestatis sit, etiam cœlum et elementa mutare, qui olim mare rubrum, & Iordanem siccauit, in cuius manu & largitione sunt quicquid fertilissimus mons Basan, Carmel & uniuersa tellus progerminat, à cuius statu pendet Libani omniumq; in terra montium fructus & prouentus, à quo solo hæc ipsa pentenda sunt, & illius indignationi ascribendum, si minus culturæ laboriosæ annona responderit.

5 Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt (defluxerunt) & contremuit (sublata est) terra à facie eius, & orbis, & omnes habitantes in eo.

Qui montes condidit, ad nutum quoque non modo cõmouere potest, sed etiam deijcere, imò & transferre quò uelit: ut nulla sit potestas in elementis, animalibus et hominibus, quæ nõ pendeat ex ipsius arbitrio, & gubernatione, in cuius uoluntate subsistit totus terrarum orbis, et omnes qui habitant super terram: ne sibi reges & tyranni blandiantur, qui ad minimæ auræ flatum domino iubente concidunt, & peste soluuntur.

6 Ante faciem indignationis eius quis stabit? & quis resistet in ira furoris eius? indignatio eius effusa est ut ignis: & petræ dilutæ sunt ab eo.

Caueat sibi quisq; hominum in terra, ne iram domini incidat, ne omnipotentẽ cõtemnat, ne blasphemet illius prouidentiam, ne diuitias bonitatis suæ aspernetur, ne se quisquam opponat uoluntati illius, & quos ille amatissimos habet pios homines, ipse tyrannus inuadere & indigne tractare præsumat, ne durum experiatur eum Paulo contra stimulum calcitrare. Cuius indignatio si conspicitur,

consletur, uelut ignis est, cuncta absumens, cui nihil resistere potest. Et quamlibet durissimæ petræ & saxa terrore dei dissoluuntur, id est, nulla potestas est in mundo, quæ domini iracundiam ualeat sustinere, quæ ferre possit illius iudicium & iram effugere, ut timeatur à malis, ametur à bonis.

7 Bonus dominus, & cõfortans in die tribulationis: & sciens sperantes in se.

Pijs qualis deus.

Talis ut nunc descriptus est, dominus esse solet impijs, quantumlibet potentibus. Pijs autem hominibus & fidelibus suis bonus est dominus, suauis & clemens, quibus in ipsa tribulatione etiam maxima, robur est & firmamentum tutissimum, quos cõfortat ad omnia æquanimiter & sine molestia sufferenda, qui præsentissimus semper paterna benignitate gratissimos amplectitur, sperantes in eum, & tota fidutia pendentes ex gratia & fauore illius.

8 Et in diluuio prætereunte cõsummationem faciet loci eius: & inimicos eius persequentur tenebræ.

Cõsummationes futuræ.

Patiens quidem est dominus, & multæ miserationis, præstabilis super malitia: si tamen increuerit super terram in hominibus malitia, & omnis caro uiam suã corrupisse uideatur in aliqua gente, sine dubio inducit dominus træ suæ diluuiũ, & omnes simul grauissimas pœnas inducit, ut pertranseat feruor æquus iudicij diuini, sed non permaneat semper. Consummationem quidem loci alicuius facere cõpellitur, nõ tamen totum mundũ, nisi suo tandem die absoluet. Sed genẽ quæ enormiter peccauerit, dominus non potest nõ uehementer punire: sic, ut plagarũ modus fiat secundũ delictorum pondus. Inimicos enim domini Assyrios, uel alios quoscunq; fidelium persecutores tenebræ persequentur.

9 Quid cogitatis contra dominũ? consummationem ipse facit: non cõsurget duplex tribulatio.

O uos Niniuitæ, Assyrij, et quotquot impiè agitis contra dominum & sanctos eius, nolite cogitare cõtra dominũ, quasi suos negligat ac uindicare eos de uobis non possit, sicut improbe rex uester Sennherib ausus est dei potentiam blasphemare, & illi similes impij nõ cessant similia cogitare, etiamsi non dicant. Certissimè sciatis, quia consummationẽ de uobis faciet, mensurã superfluentem & coactã reddet impietati uestræ, nõ paucis & leuibus afflictionibus uos afficiet, semel unica uastatione uehemẽtissimaq; in totum delebit. Id nuper sensit exercitus Senacherib angelica manu percussus, lapsusq; tunc maximus imperij Assyriorũ, tu quoq; eius metropolis Niniue & omnis Assyriorum tyrannis.

10 Quia sicut spinæ seinuicẽ complectũtur: sic conuiuiũ eorum pariter potantiũ, cõsumentur quasi stipula ariditate plena.

Impiorum tentationes.

Sicut spinæ seinuicem cõplectentes, hominum quidem manibus euinci & eradicari non ualent, undiq; munitæ aculeis, adhibito igne facilè subitò & in totum uastantur, ut nihil supersit, & tueri se non possint, sicut quoq; conuiuium eorum qui simul usque ad ebrietatem com potauerunt, sese tueri nõ possũt, quantũlibet insaniant, & sicut stipula ariditate plena, traditur facillimo incendio: sic omnes impij facili opera iustitiæ diuinæ opprimentur, ut nulla se malignitate tueri possint. Contra iustum dei iudiciũ non potest potẽtatus omnis totius mundi, non crudelitas cõsentientiũ tyrannorũ, seseq; iuuare contendentiũ, non insania, furia & tumultus ebriosorum à malitia, quin omnes unica dei uoluntate, unico uirtutis suæ angelo, sic percutiantur, ut in fauillas redactæ spinæ, & stipula à facie ignis immensi.

11 Ex te exibit cogitans contra dominũ malitia: mente pertractans (diabolicus) præuaricationem.

Rabsaces caduceator.

Ex imperio Assyriorum exijt blasphemus caduceator Rabsaces, qui iussu sui domini, mente pertractauit blasphemiam contra dominũ deum, præferens ei deos gentium & uirtutem Assyriorum: populo Iudaico persuadere uolens, ut desperans de auxilio domini, Assyrijs se traderet non deo sed idolis seruiturum. Talia audent impij, qui in corde suo dicunt, Non est deus: ideo nec deum timent, nec imbellibus parcunt, sed se solos omnia posse præsumunt, fideles unius dei cultores à tanta malitia abhorrentes, & nõ acquiescentes persequi conantur, & uastant pro uiribus.

12 ¶ Hæc dicit dñs, Si perfecti (fuerint) & ità plures, sic quoq; attõdentur, & pertrãsibit (&) afflixi te, non affligam te ultrá.

13 Et nunc conteram uirgam eius de dorso tuo, & uincula tua disrumpam.

Hostes dei humiliãdi.

Licet robusti sint animo & corpore Assyrij, & fortitudo eorũ numero augeatur cunctarum gentium: sic quoque angelo uastãte tondentur uel iam pridẽ attonsi sunt. Quomodo enim numerus capillorũ acutæ forcipi non repugnat, ita & numerus aduersariorum dei, facili succisione tolletur, & pertransibit sine aliquo impedimento gladius & iudiciũ domini, sicut transit nouacula acuta barbã. Rursumq; ad iudam & Ierusalẽ sermo dirigitur. Afflixi te, & non affligã te ultra: non quòd perpetuam securitatem polliceatur, sed illius tamtũ temporis, & ab illis hostibus, & pro illis peccatis, quibus Achas deum offenderat, & quæ Ezechias pro omni fide & diligentia emendauerat. Deniq; infert, Et nunc conteram uirgã eius, Assyrij scilicet, de dorso tuo, & uincula tua disrumpam: uel per metaphoram, potestatẽ eius significans, uel certe uirgam qua percutere conabatur, & uincula quæ captiuis parabat: quanq; possit & obsidio clausæ multitudinis in urbe pro uinculis accipi.

14 ¶ Et præcipiet super te dñs, nõ seminabitur ex nomine tuo amplius: de domo dei tui interficiã sculptile & cõflatile: ponam sepulchrũ tuum, quia inhonoratus es.

Præcipiet, inquit, contra te dominus ô Assur, ut quod passurus es, non fortuitu & absq; aliquo indice ueniat, sed deo pronunciãte patiaris. Nõ seminabitur ex nomine tuo amplius, deficiet successio filiorũ tuorũ, et regni tui, quin & regnum Assyriorum defecit, & Sennherib à filijs occisus est, & occisus denique in domo dei sui,

quem adoraturus intrauerat, cuius sperauerat auxiliũ. Erit sculptile & conflatile sepulchrũ tuũ, ut inter aras & puluinaria adorantis idola sanguis nefarius effundatur: sine honore, & uilis morieris occisus à filijs, quia dominum blasphemasti & uilipendisti.

15 Ecce super montes pedes euangelizãtis (&) annuntiantis pacem: celebra Iuda festiuitates tuas, & redde uota tua: quia non adiiciet ultrà ut pertrãseat in te belial, uniuersus interijt.

Festa restituenda.

In Paralipomenon libro scribitur quòd obsidente Senacherib Ierusalẽ, in primo mense pascha facere nõ potuerunt. Cæso autem per angelũ exercitu eius, & fuga ac morte eius nuntiata, in secũdo mense summa festiuitate paschæ diẽ celebrarint. Quod ergo dicit, tale est, O Iuda, qui regnas in Ierusalem, noli esse solicitus interfecto hoste tuo, Ecce ueniet tibi nũtius, montes collesq; transcurrens, & quasi de sublimi specula procul nuntians Senacherib mortuũ, urbem eius imperio & timore liberatam. Celebra festa, redde uota, pro nece inimici, quæ pollicitus es deo. Nequaquam ultra pertransibit per te præuaricator & apostata, totus eñ interijt exercitus, rex & imperiũ Assyriorũ penitus conciderunt, pariter iusto clarissimoq; iudicio domini dei omnipotentis.

CAPVT II.

1 Ascẽdit qui dispergat coram te, qui custodit obsidionẽ: cõtemplare uiam, cõforta lumbos, robora uirtutem ualde.

2 Quia reddidit dominus superbiam Iacob, sicut superbiã Israel: quia uastatores dissipauerunt eos, & propagines eorum corruperunt.

Iudæi iuniores referunt quæ sequuntur similiter ad Ierusalem. Hieronymus uerò ueteres sequutus Iudæos ad Ninuen. Vereq; testatur hinc uel maximè obscuros esse prophetas, quod repẽtè dum aliud agitur, ad alios persona mutatur. Et dicitur ei, Ascendit ad te Nabuchadnezer, qui te obsideat, qui ante os tuum uastet agros, persequatur agricolas, rura populetur, qui te quoque ipsam clausam teneat. Quia itaque ibi imminet bellum, ecce gaudens propheta nunc præcino. Cõtemplare ô Niniue, & totum pariter imperium Assyriorum diligenter conspice, & quid tibi eueniat intuere. Conforta lumbos, id est, accingere armis. Robora uirtutem ualde, hoc est, exercitus cõgrega. Quia sicut ultus est dominus Iudam de superbia Senacherib, interfecto exercitu eius in Iudæa, & ipso quoque à filijs iugulato: sic ulciscetur Israel, id est, decem tribus quæ à regno Assyriorũ possidentur. Vtrunque enim & Iudam totam, præter Ierusalem, & Israel cum Samaria uastauerunt & euerterunt Assyrij, & sub metaphora uitis amborum propagines corruperunt.

Obscuritas prophetarũ

3 Clypeus fortium eius ignitus (rutilus) uiri exercitus in coccineis: igneæ (lampades) habenæ currus in die præparationis eius, & agitatores (lanceis) consopiti sunt,

Describitur Babyloniorũ exercitus cõtra Niniuen ue- Exercitus descriptus
niens, & quasi præparantiũ se ad prælium pompa narratur, nimirum castrensibus dictionibus usus propheta: Clypeus fortium eius rubricatus uel minio uel sanguine occisorũ: milites fortissimi purpurati, coccinei rubricati Martialium more, & uariegatis induti sunt uestibus, ad gloriã & terrorem: currus illorũ citissimè agitati, uelut lampadarum splendorem & scintillas excutiũt, dum se totos effundunt ad obruendum Niniuen, & bello grauissimo aggrediendũ. Lanceis quoq; fortissimis de abiete paratis timorem incutiunt aduersarijs, & uulnerant grauiter. Commixtimq; nunc de Israel, quæ olim passus sit, nunc de Assyrio quid fecerit, nunc de Babyloniis, quæ exerceãt in Assyrios, scriptura cõtexitur. Non est ergo, ait, mirũ, si tam uelociter ad uastandũ ueniãt, cum agitatores & fortes aurigæ ac milites uel Israelis antè, uel postea Assyriorum fuerint consopiti.

4 In itineribus conturbati sunt, quadrigæ collisæ sunt in plateis: aspectus eorũ quasi lampades, quasi fulgura discurrentia.

Rediens ad descriptionis ordinem, Tanta est, inquit, multitudo uenientiũ, ut cõmixtim agmen sit in itinere & discerni nequeat, ipsæ quoq; quadrigæ dum uiã non reperiunt præ multitudine inter se colliduntur in plateis. Aspectus quoque Babyloniorũ quasi lampades & quasi fulgura discurrentia: ut ante uisu aduersarios terreant quàm mucrone prosternant.

5 Recordabitur fortiũ suorũ, ruent in itineribus suis: uelociter ascendẽt muros eius, & præparabitur umbraculum.

Tunc recordabitur Assur, rex scilicet Assyriorũ fortium suorũ, & quæret eos qui in itineribus corruerũt, & ascẽdet uelociter Babylonius muros Niniue, ac propter obsidionem diuturnã ad depellendos æstus præparabit umbracula, uel ad effodiendũ muros urbis contra déſuper iaciendos lapides, pro clypeis sibi tuguria, uel de coreo tabulas præparabunt pro operculis.

6 Portæ fluuiorũ apertæ sunt, & templum ad solum dirutum.

7 Et miles captiuus (regina uel præsidium) abductus est: & ancillæ eius minabãtur gementes ut columbæ, murmurantes (palpitantes) in cordibus suis.

Sed quid prodest ædificare domum, nisi dominus ædificauerit? Quid iuuat claudere portas, quas dominus reserat? Apertæ sunt portæ Niniue, quæ instar fluminis habebat ciuium multitudinem: & templum uel basilicam, id est, regium palatiũ in ea cum regno destructũ est, miles captiuus abductus est, hoc est, omnes ducti sunt in Babylonẽ. Hebræi moderni Hutzab nomen reginæ putãt, ductam cum alijs in captiuitatẽ. Dum æquè & uerisimilius stationem militũ & præsidiũ fortium significet, aut quod nunc omnes dicũt, robustissimũ fortalitium à consistentia nomen habens, quod hic dicatur ablatũ à uictoribus Chaldæis. Ancillas uerò Niniue per metaphorã minores urbes & uiculos ac castella intelligere. Vel certè captiuæ mulieres minabũtur ante ora uiorum,

rorum, tantusq; terror erit, ut ne in singultus quidē & ululatum erumpat dolor, sed intra se tacitè gemant, & obscuro murmure deuorēt lachrymas in morem mussitantium columbarum.

8 Et Niniue quasi piscina aquarum aquæ eius: ipsi uerò fugerūt. State state: & non est qui (respiciat) reuertatur.

Manifestum est quod ciuitatibus in circuitu Niniue in captiuitatē ductis, ipsa Niniue quæ tantos nutrierat populos, ut piscinarū aquis comparetur, inutilem habeat multitudinē, dum nullus est qui resistat, & irruentium Babyloniorū impetū ferat. Fuerat lustrum prædarum, receptaculum latronum, & lacus thesaurorū. Habebat etiā populos, sed qui tantūmodo fugerent, & clamante matre, State state, claudite portas, muros ascendite, hostibus repugnate, nullus esset qui reuerteretur, nemo qui respiceret ad matrē, sed omnes terga uertētes præ dæ inimicorum deseruerunt ciuitatem.

9 Diripite argentū, diripite aurum: & non est finis diuitiarum ex omnibus uasis desyderabilibus.

Sermo ad Babylonē. Sermo est dei uel prophetæ, uel imperatorum ad Babylonios, quia illi fugerūt, diripite argentum, & tanto tempore cōgregatas opes, subita uastatione prædamini. Non enim est finis diuitiarū, supellectilis & uasorum, quæ in Niniue condita sunt. Nec potestis tantū rapere, quantum ad diripiendum illa se præbet.

10 Dissipata est, & scissa, & dilacerata: & cor tabescens, & dissolutio geniculorū, & defectio in cunctis renibus: & facies omnium sicut nigredo ollæ.

Sub metaphora captiuæ mulieris Niniue dissipata, scissa, lacerata describitur, tabescente corde, dissolutis genibus, renibusq; confractis: & quod omnium habitatorum eius præ terrore hostium & magnitudine mediæ & pallore deformes.

11 Vbi est habitaculū leonum, & pascua catulorum leonū: ad quam iuit leo, ut ingrederetur illuc (leæna ibi) catulus leonis, & nō est qui exterreat?

12 Leo cepit sufficiēter catulis suis, & necauit leænis suis: & impleuit præda spelūcas suas, & cubile suum rapina.

Niniue ereptæ. Adhuc de Niniue dicitur, quòd habitaculū fuerit regū & aula nobiliū, ad quā perrexit leo rex Babylonius, & catuli leonis, subreguli quoq; eius, & nō fuit qui eis resisteret. Leo cepit sufficiēter catulis suis, & necauit leænis suis: idē uidelicet Nabuchodnezer, uictoriæ iure cuncta possedit, et liberis urbibusq; suis, uel certè uxoribus in seruitutē captiuos tradidit, et implcuit præda speluncas suas uel foueas, et cubile suū rapina, tam thesauros q̄ ciuitates, auro, argēto, uestibus, omniq; ornatu cōplens, ut qd' Niniue habuerat, Babylō quæ uicerat posideret.

13 Ecce ego ad te dicit dns exercituū, & succendam usque ad fumū quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius: & exterminabo de terra prædā tuam, & nō audietur ultrà uox nuntiorum tuorum.

O Niniue, uniuersa quæ dicta sunt, me authore patieris. Ego dns te succendā usq; ad fumū, & consumptionē currus tuos, & nobiles quosq; atque subregulos gladio faciā deuorari: nequaquam terras ultra uastabis, nec tributa exiges, nec audiētur per prouintias tuas emissarij tui, ut Rabsaces & similes tui duces & exactores.

CAPVT III.

1 VAe ciuitas sanguinum, uniuersa mendaciū dilaceratione plena: non recedet (à te) rapina.

Potentia Niniue. Describitur potentia Niniue, & sub lamentationis forma arguitur regni illius crudelitas. Væ ciuitas sanguinū, quæ & per maxima bella diu humanū effudit sanguinē, & propediē iudiciū sanguinis est passura, tota mēdax, in qua nulla locū habet ueritas, sed errorum priscorū, imò idololatriæ mater, à Nino et Beelo & antiquissimarū historiarum mendax cōfictrix, à temporibus Semiramidis & similiū. Ex qua idolorū cultura introducta est in mundū, rebus semper friuolis studens, direptionū plena, & indesinētis seueritatis. Nō receßit unquā de illa urbe studiū diripiēdi, & iniurias inferēdi cæteris omnibus nationibus. Ad hoc enim tam ampla extructa est, & tam fortis, ut multis inferret iniurias, & sese defendens ab omnibus cæteras urbes fœderibus fallens ad bella solicitans, ut sibi subderet gentes.

2 Vox flagelli, & uox impetus rotæ, & equi fremētis, & quadrigæ feruētis (subsilientis)

Crudelitatis merces. Crudele semp & sæuiēs exercuisti imperiū in omnes, quos subijcere potuisti, uelut equo insidens auriga flagello impellit, quo nititur per uias & auia, uocē ædere solita, uelut impetus horribilis rotarū falcatarū, quibus resistere nemo audeat, sed à quibus terra contremiscat. Vox tibi est equi persequētis frementis & calcitrātis: cuius hinnitus, & ungula terram fodiens, & pectus æstuans semper bella desyderāt. Omnia nunc hostes exercent cōtra Niniue, quæ pacis & imperij tempore ipsa faciebat per luxum. Vox feruentis quadrigæ, cōcrepantis & subsilientis, quibus hæc Niniue equis & quadrigis cuncta perturbat.

3 equitis ascendentis: & micantis gladij, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & grauis ruinæ: nec est finis cadauerum, & corruēt in corporibus suis.

Sed & equitis ascendētis uox in ea personat, qui arte quadā & gyro præparatus ad bellū, non absq; periculo contra se impugnātes incedit. Habet hic quoque eques gladiū cote acutum, & oleo leuigatū armaq; fulgentia, ne quis miretur in illa urbe uel monarchia interfectorū multitudinem, & multam occisorum cadauerū ruinā, & stragem horribilem, quando gentes multæ cadunt corporibus suis, à crudelitate imperij illius regni.

4 Propter multitudinē fornicationū meretricis speciosæ, & gratæ, & habētis maleficia, quæ uēdidit gētes in fornicationibus suis, & familias in maleficijs suis:

Nemo mirabitur Niniuen scortorũ esse gratissimam, qui tantam hominũ multitudinem cum ea uiderit fornicari, eius amplecti idola & superstitiones multiplices, quibus ad amorem eius penè cuncti trahebãtur populi, etiã Israelitæ tot Baalim uenerãtes, cum prisci Niniuitæ unum tantũ Beel colere cœperint: successu tamen imperij, quia cum multis gentibus fornicata est, totius quoq; orbis, quem sibi subiecerat, colebat idola: quæ uendidit gentes in fornicationibus suis, & familias, id est ducatus uel nationes in maleficijs suis, id est, quæ in cunctas gentes habuit potestatem. Quàm hæc clarè dici possint de Romano imperio, VTROQVE, *dispiciat qui pius est, & uidebit quàm uiuax sit uerbũ propheticũ, & non ad unam tantũ ætatem uel gentem descriptum à spiritu domini per prophetas.*

Idololatria Niniuitarũ

5 Ecce ego ad te dicit dominus exercituũ: & reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam in gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.

6 Et proijciã sup te abominationes, & contumelijs te afficiã, & ponã te in exemplũ.

Niniue sub uertenda.

Quia ô Niniue, talis fuisti, propterea egoipse ad te ueniam subuertendam, non mittam angelum, non credam alijs iudicium tuum. Discooperiam pudenda tua in facie tua, ut quæ prius non uidebas, ante tuum ponantur aspectum. Ostendã gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiã tuam, ut qui tecũ fornicati sunt, ipsi te despiciant, irrideant, cõtumelijs te afficiant, & eris in exemplum uniuersis gentibus aspicientibus. Hæc autẽ omnia sub metaphora mulieris narrantur meretricis exoletæ ac adulteræ, quæ cum fuerit deprehensa producitur in medium, & ante oculos omnium depompatur. Quod quidem per translationẽ etiam super Ierusalem plenissimè in Ezechiele prophetalis sermo describit: uerius tamen & utilius dicuntur ad mundũ totum, & ad Romanum imperium, & omnium impiorũ regnum, quod Satanas moderatur & antichristus, & ad omnes impias nationes quæ bello uiuunt, auro uenales circumferunt animas, libidini seruientes & otio, quibus cum Christo nullum commercium, qui fidem docuit & charitatem, pacem & iustitiam.

7 Et erit omnis qui uiderit te, refiliet à te, & dicet, Vastata est Niniue: quis commouebit super te (*caput*) unde quæram consolatorem tibi?

Qui ruinas uiderit Niniue, & positam eam omnibus in exemplum, expaueſcet atque mirabitur, & dicet: Dissipata est Niniue, quis commouebit super te caput? hoc est, quis dolebit super te? quis tuus esse poterit consolator? quæ, quamdiu potens fuisti, quasi crudelis fœmina, non miserebaris senis, nec paruulum respiciebas, nec præparasti luctus tui socium quæ noluisti cõsortem habere regnandi.

8 Nunquid melior es Alexãdria populorum, quæ habitat in fluminibus? aquæ in circumitu eius: cuius diuitiæ (*fortitudo*) mare: aquæ muri eius.

9 Aethiopia fortitudo eius, & Aegyptus, & nõ est finis: Aphrica & Libyes fuerunt in auxilio tuo.

Alexãdria Aegypti.

Nũquid melior es Alexãdria populosa, uel populorũ, quæ habitat in fluminibus Nili & maris Aegyptiaci? aqua in circuitu eius. Non quod eo tempore Alexãdria uocaretur, quippe quæ longo post tẽpore ab Alexãdro Magno Macedone nomen accepit, sed quia sub primo nomine, id est No, semper Aegypti metropolis fuerit, & abundãtissima populis. De qua & Ieremias, Aman siue No Alexandriã intelligens, in uisione multa dicit, cap. 46. Dicitur itaq; ad Niniuen: Nunqd populosior es aut potentior Alexãdria? Et describitur situs Alexandriæ, quod sit super Nilũ, & sup mare posita, hincinde aquis & fluminib. ambiatur, aqua in circuitu eius, cuius diuitiæ mare, aquæ muri eius, hinc enĩ riuuli Nili, inde lacu Mareotico, ex alia parte mari cingitur. Quod autẽ Aethiopia & Aegyptus, Aphrica & Libyes in præsidio eius fuit, ipse situs prouintiarũ & urbis ostendit.

10 Sed & ipsa in transmigrationẽ ducta est in captiuitatẽ: paruuli eius elisi sunt in capite omniũ uiarum, & super inclytos eius miserũt sortem, & omnes optimates eius confixi sunt in compedibus.

11 Et tu ergo inebriaberis, & eris (*abscondita*) despecta: & tu quæres auxiliũ ab inimico.

Hæc igitur quam meus, inquit propheta, sermo describet capietur à rege Babylonio, & idẽ tuus atq; illius uastator erit. Quæ Iosephus quoq; Iudaicæ scriptor historiæ in libris suis refert. Paruuli eius alludẽtur in cõpitis, nobiles eius diuidentur sorte uictorum, & potentissimi quondã principes, captiui ducẽtur in catenis. Cum ergo hæc passura sit Alexãdria, et tu ô Niniue, de eodẽ bibes calice, & inebriaberis, & cõsopita iacens despicieris, & in tantã uenies necessitatẽ, ut à Babylonijs siue contra Babylonios ab inimicis tuis auxilium roges.

12 Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis: si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.

Omnia firmamenta tua, & muri in sublime porrecti, & altitudines turriũ quos nunc inexpugnabiles putas, & uiri fortes bellatoresq; tui, primitiuis ficubus comparabuntur, quæ si concussæ fuerint leui tactu, in os cadent deuorantis, ne saltem paruus labor sit colligentiũ: sic turres tui leui concussione hostium corruent, & pro uoto inimicorum capieris.

13 Ecce populꝰ tuus mulieres in medio tui: inimicis tuis ad apertionẽ pandentur portæ terræ tuæ, deuorabit ignis uectes tuos.

Non mirum si fortes & pugnatores tui facilè capientur, cum populus tuus effœminatus sit, & resistere nequeat. Pandentur ergo portæ tuæ, & patebit ciuitas hostibus, robustissimos uectes quibus claudebantur portæ ignis consumet.

14 Aquam propter obsidionem hauri tibi, extrue munitiones tuas: intra in lutum & calca, subigens tene laterem.

Hauri

Hauri igitur aquam, & cura ne potus desit obsessæ mu
nitioni, confirma & corrobora quantum poteris muni
tiones tuas. Ingredere in lutum, ut lateres conficias, &
calca limum, & paleam pro cemento compone, & con
firma furnum lateritium, ubi coquuntur lateres, ut toto
hoc labore multo & studio interrupta murorum struas
& restituas, prope est enim obsidio.

15 Ibi comedet te ignis, peribis gladio, deuo
rabitte ut bruchus. Congregare ergo ut
bruchus, multiplicare (aggrauare) ut locusta.

Et cum hæc omnia diligenti opera perfeceris, quasi
à brucho humus, ita à gladio deuoraberis, & igne absu
meris. Sicut brucho & locusta terrænascentia uastan
tur: sic multitudine Chaldaici exercitus opprimeris.

16 Plures fecisti negotiationes tuas, q̃ stellæ
sint cœli: bruchus expãsus est, & auolauit.

17 Custodes (coronati) tui quasi locustæ: &
paruuli tui quasi locustæ locustarum quæ
consident in sepibus in die frigoris: sol or
tus est & auolauerunt, & non est cognitus
locus earum ubi fuerint.

Sed & cum multiplicata fueris ut bruchus & ut locu
sta, in unum pariter congregata, & congregaueris si
cut astra cœli diuitias tuas, sicut locustæ & bruchus &
parua genimina locustarum, quæ uocantur attelabus, so
le incalescente auolant, nec reperiuntur: sic tu dispergé
ris & fugies. Natura enim hæc locustarum, ut in frigore
torpentes, per calorem uolitent. Pro locusta locusta-
rum, Septuaginta attelabum. Aquila significantius tran
stulit comessorem: parua autem locusta est, inter locu
stam & bruchum modicis pennis reptans, potius quàm
uolans, semperq; subsiliens, & ob hanc causam ubicũq;
orta fuerit, usq; ad puluerem cuncta consumit: quia do
nec crescant pennæ, abire non potest.

Leuitarũ natura.

18 Dormitauerunt pastores tui rex Assur, se
pelientur principes tui: latitauit (dispersus est)
populus tuus in montibus, & non est qui
congreget.

Non mirum est, si dormitauerunt pastores tui, ô rex
Assur, & ueluti in sepulchro quieuerint egregij princi
pes tui, reguli scilicet, & omnium gentium duces, qui ti
bi antea seruiebant, cum populus tuus mulieres fuerint
in medio tui, &c. Irato enim deo, quia populum eius ua
stauerat ô Assur, & sublimaueras usque ad cœlũ nidum
tuum, destructa est ciuitas tua, & cũctis principibus in
terfectis, qui resistere poterant aduersarijs, reliquus po
pulus tuus imbellis et ignobilis dispersus est in mõtibus,
& nemo de ducibus inueniri potest, qui congreget eos,
& de collectis rursum cogat exercitum.

19 Non est obscura cõtritio tua, pessima est
plaga tua: omnes qui audierunt auditionẽ
tuam compresserunt manũ super te: quia
super quẽ non transiit malitia tua semper?

Non est obscurum uulnus tuum, nec talis plaga, quæ
sub medici manu curari possit. Omnes qui Niniuen subrutã
& Assyrium regem superatum audierint, & potentissi
mam urbem, & regem dominatorem quõdam urbis uul
neratum, & iacere seminecem, & in suo sanguine uo
lutari, uel stupebunt propter rei magnitudinem, & in
speratum nuntium, & compriment manus suas: uel cer
te præ gaudij magnitudine insultantes tibi applaudent
manibus, & quodam gaudij strepitu cõcrepabunt. Nul
lus enim est qui possit super te dolere, & euersioni &
uulneri tuo donare lachrymas: quia nullus est super quẽ
tua malitia nõ semper transierit. Et pulchre dixit, Tran
sierit, non enim potest malitia regis Assyrij & crudelis
effusio sanguinis multorum inulta iugiter permanere.

Niniue sub rutæ.

FINIS.

COMMENTARIA IN HABACVC PROPHETAM, QVI inter duodecim octauus.

CAPVT PRIMVM.



1 ONVS QVOD VIdit Habacuc propheta.

Ignoratur apud Hebræos genus & familia Habacuc, patriaq; & tempus nisi quod in libro Sedarholom dicitur contẽporaneus fuisse prophetis Naum et Ioel, scilicet diebus Manassis impijssimi regis. Ob cuius malitiã non nominatur Manassis regis nomẽ in alicuius pphetæ tẽporibus, cum tamen certum sit eum regẽ non fuisse destitutum admonitionibus creberrimis prophetarũ: sicut nec reges Israel qui tum fuerunt perpetuo mali. Quod autem Onus nominat prophetiã suam, ostendit eũ ante Ieremiam scripsisse, in cuius prophetijs legimus cap. 24. prohibuisse dominum, ne posthac propheticæ uisiones & prophetiæ per contemptum ut fiebat Onus nominarentur, quia iam hoc nomen apud rebellem populum abierat in contemptum. Quotiescunque enim propheta aliquis domini Onus nominabat se accepisse à domino, ridebatur, & omnem exhortationis sermonem Onus, hoc est, aliquod durum ac graue malum imminens appellabant Iudæi, increduli omnibus omnium prophetarum dictis, quia perdẽdi erant à domino propter grauia peccata sua non solum idololatriæ. Nulla enim apud eos legum reuerentia erat, nullus timor dei: omnia autem fiebant ex libidine rapiendi & fraudandi proximos, nullum ius neque iudicium curabatur. Hæ sunt enim sequelæ impij cultus idolorum. Quanquam autem Manasses emendatus legatur in Paralipomenon, tam leuis tamen resipiscentia erat, ut author libri Regum omiserit, & filium impium successorẽ habuerit, & Iosias nepos uehementer multa inuenerit præpostere ordinata, et ob hoc in ordinẽ redigenda. Iam enim populus degenerauerat in uitia omnis generis, ut nõ potuerit nec pphetarũ dictis, nec regis Iosiæ pio studio reuocari ad integrũ, Cui

Onus prophetiæ.

Manasses qualis emendatus.

acceſsit, ut Ioſias quoq; nõ uſq; adeo diu regnauerit poſt inuentum librum legis, & eradicatam idololatriam, reliqueritq; poſt ſe omnes impios filios & nepotes, impij populi reges, malitia ſimiles. Habacuc autem iſte de quo in Danielis apocryphis hic propheta non facile probabitur fuiſſe, niſi nimium ſenex euaſerit, uel eiuſdem nominis filium habuerit, uel alium ſucceſſorem, quod in ſacris literis non raro deprehenditur. Cõſuetudine igitur uulgari prophetiam ſuam Onus uocat, Babylonio ſcilicet regno dura nuntiaturus & Hieroſolymæ, quamuis libet conſolationes quoq; admiſceat more omnium prophetarum, quorum utrorumq; ſtatus ob crimina minabatur ruinas & intolerabilem uaſtitatem.

Habacuc apud Danielem.

2 Vſquequo domine clamabo, & non exaudies? uociferabor ad te uim patiens, & non ſaluabis?

Cum ſanctus propheta incidiſſet in impium ſæculum, in quo tam reges quàm principes & populum uidebat abiecta lege domini, et timore iudicij diuini per omnem iniquitatem & iniuriam debacchari, opprimi bonos & pauperes, non ſecus quàm ſi dominum neſcirent, gentilium more uiuentes, prophetas ridebant, & continuo deteriores fiebant: idipſum doluit pio prophetæ quàm maximè, & per reuelationem uidebat non poſſe carere diuina uindicta impendente de proximo. Incipit igitur Domino conqueri ſuam infelicitatem propheta, & tam ſancti quondam populi, ac à deo electi corruptelã enormem plangere in conſpectu domini, non expoſtulando cum domino, nec iudicium domini aliquo modo increpando, ſed potius lamentando perfidiam tantam ingratiſſimi populi, ob quam aliter fieri non poſſet, ſalua diuina iuſtitia, quàm peſſimos peſſime perdere, & nolentibus obſequi filijs adhibere flagella ſeruilia, id quod iam dudum ab alijs quoq; prophetis communatũ fuerat, ſed minime curatum. Dicit itaq; amator iuſtitiæ diuinæ, & ex animo orans pro domeſticis ſuis, Quouſque domine deus Iſrael pater noſter, orationes meas pro populo tuo nõ exaudis, ut illis præſtes animum meliorem? Quouſq; conqueri cogor & uociferari gratis, eiulando coram te pro tanta totius populi illius maiorumq; ſuorũ iniuria, uiolentia, impietate? qui poſt tot illis præſtita beneficia te malignitate ſua prouocant, iniuriã inferunt mutuum, ut non tu illos ſaluare debeas neq; poſſis.

Zelus prophetæ.

Querela piorum.

3 Quare oſtendiſti mihi iniquitatẽ & laborem uides, prædã & iniuſtitiam cõtra me? & fuit qui litem & contentionem ferret.

Vt quid natus ſum uidere tantam, ô deus, tuam contumeliam, uidere electi populi improbitatem tantam, tam moleſtum negotiũ tam ingratiſſimæ gentis ad deũ ſuum? ad quæ tamen emendanda, nulla ſufficiant uerba omniũ prophetarũ, nulla quantumlibet ſtupenda miracula dei, nulla uexatio temporalis intellectũ illis ſuggerente, & reſipiſcentiã perſuadente, quin continuo fieri duriores ad pœnitentiã, & procaciores ad omne flagitiũ, nullam illis adeſſe charitatẽ, amicitiam, ueritatẽ, fidẽ, ſua quiq; quærũt, alius aliũ fallit uerbo & opere, rapit, furatur, depopulatur, redigit ad paupertatẽ, quaſi nulla ſit lex,

iuſtitia, ordinatio uel commiſeratio, ſic continuo omnia miſcentur litibus, contentionibus, iniurijs, nullo interponente uices, ſola iniuria regnat, & fortitudo fit iuſtitia, rex & principes ſunt tyranni & ſocij furum.

4 Propter hoc lacerata eſt lex, et non peruenit uſq; ad finem iudiciũ: quia impius prævaluit aduerſus iuſtum, propterea egreditur iudicium peruerſum.

Lex iuſtitiæ laxatur, & labaſcit, uigore nullo profuit in tam corrupto regimine. Et ſi quis pauperũ ac iniuriã paſſorũ pro ſe iuſtitiam habeat, ſuccumbere tamen cogitur in iudicio, ſi fauore & muneribus non ſe tuebitur. Legitimum finem non ſortitur iudicium humilis & egeni. Lex inflectitur pro peruicacia corruptorũ iudicũ. Oĩa bonæ cauſæ impediuntur, differũtur & inuertũtur improbis cõſiliarijs, uel regũ libidine. Impius enim circumuenit iuſtum, illiuſq; cauſæ imponit, ut iuſtus iniuſtã eam ſam habere cogatur. Talis tũc erat ſtatus Iudaici regni, quẽ iam antea fruſtra Iſaias, et Hoſeas deſcripſerant atq; traduxerant, ſed minime emendatus eſt, quia indurauerat dñs cor populi illius, nolentis audire prophetas.

Lex uiolata.

5 Aſpicite in gentibus & uidete, & admiramini, obſtupeſcite: qa opus factũ eſt in diebus ueſtris, q̃d nemo credet cũ narrabitur.

Videte oro quid alijs gentibus ſimiliter uiuentibus contigerit, humaniter, & mutuum ſeſe opprimentibus. Et quod in alijs exemplum infelicitatis ueſtræ inſpicite. Et quod à prophetis quoq; gentibus Syriæ, Aſſyriæ, & Paleſtinis improbis prædicatum uidetis contigiſſe, idipſum eiſdem narrantibus, uobis quoq; futurum non ambigite, audite, tandem formidare iuſtum ac ſeuerum iudicium domini uobis impendens, quod alios populos impios oppreſsiſſe cõſpicitis, quod illæ gẽtes æquè non credebant uenturum ſibi atq; uos nunc creditis. Certo autem continget uobis, quod nunc prophetis omnibus narrãtibus credere non uultis. Sentietis autem magno ueſtro malo, ut ambæ aures ueſtræ tinniant, & præ ſpiritus angustia quò uos uertatis non inuenietis. Quis enim ueſtrum & didiſſet Iſraelitici regni excidium, atque Aſſyriorum & Syriæ? ea tamẽ uidiſtis, et expaueſcitis: ſic quoq; ueſtræ Hieroſolymæ & tẽpli uaſtationem uidebitis, quã nunc credere recuſatis.

Videte maiorum.

6 Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos, gentem amaram & uelocem, ambulantem ſutem per latitudinem terræ, ut poſſideat tabernacula non ſua.

Quod tam grande opus futurum ſit demonſtrat. Suſcitabo ego, inquit, regem Nabuchodnezer, Chaldæumq; gentem pugnaciſſimam & uelocem, cuius roboris et ad bellandum audaciæ omnes ſcriptores teſtes ſunt. Hæc nõ contenta finibus ſuis, ſed huc illucq; diſcurrẽs, ſuper terræ latitudinem peruagatur. Et hoc eſt: opus eius, non ut terram uomere exerceat, ſed ut rapto uiuat, & gladio, ut poſſideat urbes non ſuas. Antequam manum inferat, antequam prorumpat ad bellum, terrorem portat in ultu. Quomodo autem fecit hæc gens alijs, ſic fiet ei: ſic uaſtabitur ut ipſa uaſtauit.

Horribilis

7 Horribilis & terribilis est: ex semetipsa iudicium & onus eius egredietur.

De sua gente uobis constituet principes, pro sua libidine uos tractabunt, non secundum uestram uel alterius legem, erit illi pro ratione uoluntas, illi uos suo arbitrio iudicabunt, qui non uultis secundum dei leges iudicare.

8 Leuiores pardis equi eius, & acutiores lupis uespertinis, & diffundentur equites eius: equites nanq; eius delonge ueniẽt, uolabũt quasi aquila festinãs ad comedendũ.

Equi quoq; & equites qui delonge uenient, tam pernices ad persequendum erunt, & ad cuncta deprædanda, ut pardos superẽt, & sæuiores & acutioris iræ sint quàm lupi uespertini. Siquidem lupi sæuiores esse dicuntur nocte uicina, nempe tota die fame ad rabiẽ concitati. Volabunt & diffundent se equites illi, non ad pugnandum, quia nullus resistet, sed ad discurrendum ut aquila, cui in uolatilibus omnia subiacent, festinans ad deuorandum.

Leuiores pardis equi eius.

9 Omnes ad prædam uenient, cõtra facies eorum uentus urens: & cõgregabit quasi arenam, captiuitatem.

Quomodo ad flatum uenti orientalis uis & succus terræ aresçit, quia ex solis æstu nociuior est, & germina siccat: sic ad aspectum Babyloniorum omnia uastabuntur. Nullius enim rei causa uenient, quàm ut uiolentiam exerceant & rapinas: tam innocentes enim quàm nocentes, sine clementiæ cuiuscunq; ratione oppriment. Hic certe mos est ferè omnium imperiorũ magnorum, ut nihil aliud sint quàm sæua quædam latrocinia, quibus tamen deus utitur ad iustitiæ suæ ordinem. Tãtusq; erit numerus captiuorũ & prædæ, ut per hyperbolen etiam arenæ maris possit æquari.

Vis uentus.

10 Et ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt: ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.

Omnem fiduciam adimit propheta Iudæis, potentiam Chaldæorum describens. Tametsi enim reges & urbes ruũt, non tamen impediunt regnum illius, quin cursum suum de regibus triũphans continuabit, insultabit omnibus, tantæq; potentiæ & superbiæ erit, ut naturam superare contendat, ut urbes robustissimas fortitudine sui exercitus capiat. Veniet enim Tyrum, proiecto in mari aggere, peninsulam faciet de insula, & introitum inter fluctus maris in urbem terra præbebit.

11 Tunc mutabitur spiritus, & pertranfibit et delinquet: hæc est fortitudo eius dei sui.

Cum autem comportauerit aggerem, & nihil uiribus eius nimium fuerit, tunc mutabitur spiritus eius in superbiam, & deum esse se credens, imaginem auream statuet, quam uniuersas gentes adorare compellet: quod cum fecerit, transibit in bestiæ figuram, & postea corruet, delinquet, desinetq; esse quod fuerat. Et subditur per irrisionẽ: Hæc est fortitudo eius, quam dedit ei Beel deus suus: ad cuius cultum omnes nationes etiã per scripturam & edictum, & mortis comminationem sæuissimo imperio compellebat, in iniuriam non solum domini dei Israël, sed etiam aliarum gentium deuictarũ, quibus dij illorum succurrere nequaquã potuerint, id quod dño deo exercituum illiq; fidelibus ferendum non fuit.

12 Nunquid non tu à principio domine deus meus, sancte meus, & nõ moriemur? Domine in iudiciũ posuisti eum: et fortem ut corriperes, fundasti eum.

Cum itaq; stultus Chaldæus deũ suum fecerit suamanu, non tu talis noster es deus, sed increatus, omnipotẽs æternus & sanctus. Loquitur autem hæc blandiẽtis affectu & pœnitentis, quia à principio nos creasti, cuius misericordia hucusq; subsistimus. Ipse autem potestatem accepit à te corripiẽdi nos, ut post correptionẽ ipse quoq; à te sit puniendus iusto iudicio. Quaneum igitur ad uires eius, nullus nostrũ potest resistere, quantum ad misericordiã tuam, tuum est omne quod uiuimus, quod non ab eo interfecti sumus. Tu enim domine ad iudicandum posuisti eum, ut ipse inimicus sit et ultor, et ut per illum omnes corripias quicunq; peccauerint tibi.

Verba deb.

13 Mundi sunt oculi (tui) ne uideas malum, & respicere ad iniquitatẽ nõ poteris. Quare (non) respicis super iniqua agentes, (&) taces deuorante impio iustiorem se?

Tale quid & Ieremias ad deũ loquitur, Iustus es domine, cõsiteor, ueruntamẽ iudicia loquar ad te, cap. 12. Eadem sententia Abacuc loquitur. Mundi sunt, inquit, dñe oculi tui: Scio quoniã malũ iniustumq; non libenter aspicias, nec potest quisquã de tua dubitare iustitia, nec uidere potes dolores eorum qui iniustitiæ sunt subiecti. Veruntamen causam inuenire non possum, cur Abel iustum Cain occidat iniustus, & taceas? Cur sæuiente cete & omnia deuorante, non solum minores pisciculos, sed ipse quoq; tuus deuoretur Ionas? Quare impius Nabuchodnezer uincat, & iustus Israël uincatur? Nec hoc dico, quod nouerim quenquã iustificari in cõspectu tuo, & absq; peccato esse, sed quomodo Sodoma & Gomorra comparatione Ierusalem iustæ sunt, & publicanus in euangelio pharisæi collatione fit iustior.

Iudicia dei.

14 Et facies homines quasi pisces, & quasi reptile non habens principem.

Et quomodo pisces qui non habent principem, & irrationabilia iumenta & reptiliũ multitudo absq; prouidentia dei, ut uidetur multis, subiacent fortiori, & quicunque plus ualuerit uiribus dominatur in alterum: sic in animali quod est rationale, & ad similitudinem tuam conditum, non ualebit ratio, non merita, sed uires corporis, & irrationabilis fortitudo.

15 Totum in hamo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum: super hoc lætabitur & exultabit.

16 Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo: quia in ipsis incrassata est pars eius, & cibus eius electus.

17 Propter hoc ergo euacuabit sagenã suã, & semper interficere gentes non cessat,

Metaphora piscium.

Metaphoram piscium seruat in cæteris, ut quomodo piscator mittit hamum, rete et sagenam, ut quod hamus non potuit, rete comprehendat, quod euaserit rete, sagenis latioribus circundetur: ita & rex Babylonius cuncta uastauerit, & uniuersum hominum genus suam prædam fecerit, super hoc gaudebit & lætabitur, & immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo, idolum significat quod fecit in campo Dura, & simulachrũ Belis, cui quasi grandi sagenæ immolauit pinguissimas uictimas, totas quas uicerat nationes, ad cultum eius cogens. In ipsis quippe idolis suis incrassatum esse se credens, & suam partẽ, id est, omnes se habere diuitias putans, quasi grandes pisces etiam principes quosq; atq; reges suo subiugauit imperio, quas escas electas uocat. Quia autem semel piscatione opulentissima saturatus est, & sagenã suam, id est, suum repleuit exercitum, propterea gentes interficere & semper pugnare & iugulare non cessat. Crescit enim amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Sic dominandi libido satiari non potest. Terras autẽ & populos consequi, absq; hominum cædibus non fit: id uero latrocinanti auaritiæ parum curæ est, modo ditescat & impinguetur. Hoc pacto dolere frequenter solent pusillanimes quamlibet pij & fideles, quia non dirigit dominus mundi cursum ad solatium piorum: negligere uidetur aliquantisper homines iustos, & iuuare fortunas impiorum, & uictorijs donare etiam contra fideles.

¶ CAPVT II.

1 SVper custodiam meã stabo, & figam gradum super munitionem: & contemplabor, ut uideam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.

Quæstio.

In hac tam difficili quæstione, qua quæritur de prosperitate malorum, improbè se meliores multipliciter et guauiter persequentium. Sicut nunc audio per uisionem diuinitus edoctus, facturum Babylonium Israëlitis, Hierosolymæ & templo, id certo quod nunc Iudæorum nemo dignatur credere, sed omnes fabulam esse prophetarum mentiuntur & contendunt: quomodo scilicet deus omnipotens & clementissimus electam suam gentem, locum, templum, cultum, arcam sic repulsurus sit contra promissiones suas patribus factas, ut impio regi, impiæ Chaldæorum genti tantam sit potestatem daturus, qua possit totus Iudæorum status destrui, cum summam & æternam felicitatem Israëliticæ genti, urbi Hierosolymæ promiserit affuturam. Quomodo, inquit, tam iniquus rex, tam impium facinus cõtra dei electos designare audeat uel possit? Huius inquam quæstionis difficillimæ re-

Responsio.

solutionem à domino mihi reuelandam desiderans, Ego Abacuc propheta super custodiam meã stabo solicitus, & diligenti attentione considerabo, quid mihi super hac quæstione respõsurus sit dominus: gradumq; meum firmiter figam in munitione, hoc est, in tuto loco meo, ne quacunq; impulsione dimouear à fixa mente mea in dominum. Contemplaborq; mecum ut uideam in secreto cogitationis meæ, quid loquatur mihi spiritus domini de iustitia iudiciorum diuinorum, ut infidelibus Iudæis

& Israëlitis meis, quibus me dominus prophetam misit, respondere possim, ut in ueritate diuinorũ promissorũ non scandalizẽtur, nec dei infallibilem ueritatem iustitiam & bonitatẽ blasphement semper ut hactenus, qui non cessant me & alios fideles dñi prophetas calumniari & mendacij arguere, quod ferendũ nobis quidẽ esset, si nõ idipsum cederet in blasphemiam domini dei Israël, qui solitus est loqui per prophetas electis suis, ut me audiente à domino rationem, & populum docente de iustitia dei, fideles intelligant opera dei sancta esse, iusta, uera & sacrosancta, si quando talium rerum à me quærere cœperint rationem.

2 Et respondit mihi dominus, & dixit, Scribe uisum, & explana (eum) super tabulas: ut percurrat qui legerit eum.

Verbi dei doctor.

Tam anxie desiderauit prophetæ ueritatis agnitionem, quam doceat populum, dñs ipse per uerbum suum respõdet, ut nihil addubitet qui audit & qui docet. Dicit ergo dñs ad Abacuc, Scribe uisionem, id quod me reuelante audis & uides, noli tantũ uerbis uolubilibus et auræ mobili, auribusq; imbecillibus cõmittere, ne facile auditum negligatur, & in obliuionẽ abeat, ut postea ignoretur ab his qui credere debent: & dum completũ fuerit, scire olim fuisse prædictum. Sed scribe quod uides, in perpetuam rei memoriã, idq; clarissime scribas super tabulam uel paginã, diu perseuerare ualẽtem, tamq; manifestis literis & sentẽtia, ut facile & legi et intelligi possit à quolibet transeunte, ut nullo impedimento uelocitas eius & legendi cupido teneatur, sed plane descripta ab omnibus capiantur.

3 Quia adhuc (uisio in tempus) uisus procul, & apparebit (& loquetur) in finẽ, & nõ mentietur: si morã fecerit, expecta illum: quia ueniens ueniet, & non tardabit.

Prophetia scribenda.

Visio et prophetia ideo scribenda est, quia nõ modo, sed futuris aliquando tẽporibus continget, siue id de punitione Iudæorum, siue de uindicta punientis Babylonij intelligatur, quã prophetis reuelaui iamdudũ, siue de cõsolatione futura gentis tuæ per Messiam. Hæc, inquam, ideo scribi uolo, quia non illico nũc uenient, sed ad constitutũ quodq; suũ & definitũ tempus et seculũ fiet, sine dubio. Ad præfinitũ siquidẽ tẽpus et certũ finẽ loquitur uerbũ dñi, quod deo notũ, non expedit hominibus etiam fidelibus ad momentũ suũ notũ esse, ne fides euacuetur & prouidentiæ diuinæ ratio ueniat impijs in abusum. Sufficit enim scire uẽturũ esse iudicium dñi impijs, et beneficiũ fidelibus, horã aũt et definitũ tẽpus scire utriq; nõ prodest. Credere aũt utriq; debent infallibili ueritati diuinæ, ut mentiri non possit uerbũ dñi, quod fallere non potest nec falli. Certissime enim futurũ est, quicquid uerbum dñi præmonuit ad futurũ. Proinde, ô Israël, si dilata fuerit huius et aliarũ uisionũ completio, ut non cito uel urbs hæc uastetur uel post 70. annos Babylonicũ regnũ destruatur, et cõsolatio redeat Israëlitis, de reditu in terram, & regno Messiæ, tuum est expectare & sperare semper, & firmiter credere ueritatem promissorũ dei. Veniendo enim ueniet, & sine cunctatione perficiendum

dum credas quod prædicitur. Non enim tardius ueniet quàm dñs uenturũ prædixit, nemo illud differre et impedire poterit arte malitia uel potentia. Fideliũ igitur est, sperare in uerbũ domini, & uigilare ad iudiciũ dei.

4 Ecce (pertinacia) qui incredulus est, nõ erit recta anima eius in semetipso: iustus autem in fide sua uiuet.

Pertinaciã perfidia.

In quocunq; autem homine locum habet peruicacia, contumacia, cõtemptus & superbia, is non facilè persuadebitur animo ad credendũ prophetarũ uisionibus, dum non statim ad oculum uidet imminere & ingruere quod futurum prædicitur: ideo nõ emendãtur increduli, sed per tumorẽ animi peiores reddũtur ex prophetarũ oraculis, dum contemnũt, & uerbũ & eos quibus reuelatum est tanquã falsos, despiciũtq; minas dei. Iustus aũt nõ despicit uerbũ domini, sed credit, amplectitur, amat & pendet à domini uolũtate, et ueriſimè futura cognoscit, quæ à sanctis prophetis futura dicũtur, inq; sua humanis sibi prospiciat, & ad suã salutẽ hæc sibi prædicta æstimat ac suscipit, dũ interim infidelis reum se statuit, superbè uel cõtumaciter cõtemnendo uerbũ domini ad se dictũ uel de ipso, & causam exitij sui auget, dum tam clementer admonitus, sese emendare contempsit.

5 Et quomodo uinum potantẽ decipit: sic erit uir superbus, & non decorabitur: qui dilatauit quasi infernus animã suã: & ipse quasi mors, & non adimpletur: & congregabit ad se omnes gentes, & coaceruabit ad se omnes populos.

Vinum & superbia.

Sicut uinũ æstuare potantem facit, ut postquã surrexerit, neq; pes neq; mens suum officiũ teneat, omnisq; lætitia & mẽtis exhilaratio uertitur in ruinam: sic uir superbus nõ subsistet, nec uoluntatẽ suã perducet ad finẽ, non decorabitur in loco suo, quantũlibet sibi multũ placeat, sed in rerum omniũ penuria potius erit. Fortaſsis mores indicãtur Nabuchodnezer cbriosi, et ex uinolentia truculenti, nõ sanis consilijs freti, sed bene potus bella aliquando indixerit noctu, quæ craſtino statim feliciter peregerit, cuius tamen regnũ nõ diu duraueri. Qui quasi mors & infernus nõ satiatur occisis, & oẽs gentes & populos suo imperio subiugãs finem suæ auaritiæ nullũ posuit nec putauit. Idipsum & de omnibus principibus intelligi potest, hmõi principẽ satanã sequẽtibus.

6 Nunquid non omnes isti super eum parabolam sument, & loquelã ænigmatum eius: & dicetur, Væ ei qui multiplicat non sua? usquequo & aggrauat contra se densum lutum?

Væ stans ua Babilon.

Nõne cum inebriatus fuerit poculo dñi, & meraco calice cõsopitus, omnes super eum per cõparationem loquentur propositionẽ huiusmodi, Væ ei qui totũ orbem uastãs, nõ saturatur rapinis, nec desinit spoliare iam nudos, & ad hoc tantũ sæuit ut deuoret, & iniqtatis prædarumq; onere quasi grauissima torque se deprimat. Eleganter aũt multiplicatas diuitias nominat dẽsum lutũ, cui diues tenacissimè hæret, & facilè se explicare nõ põt.

7 Nunquid non repente consurgent, qui mordeant te: & suscitabũtur lacerantes te, & eris in rapinam eis?

8 Quia tu spoliasti gẽtes multas, spoliabũt te oẽs qui reliqui fuerint de populis: propter sanguinẽ hominis, & iniquitatẽ terræ ciuitatis, & omnium habitantiũ in ea.

Babylon destruenda.

Medi & Persæ propediem insperatoq; ac ueluti uenenatus prester regulusq; serpens exitialis consurgent, qui Babyloniorum imperiũ destruentes, mordeant eum primum, & postea lacerent, fiatq; eis Nabuchodnezer in rapinã, & uastator ille totius orbis expolietur à reliquis populis, qui manũ & crudelitatem illius euadere potuerũt. Hoc autẽ ei fiet propter sanguinem hominis, id est, Iudææ, & iniquitatem terræ Israel, & ciuitatis haud dubium quin Ierusalem, & omnium habitantium in ea, generaliter populum significans generis Israeliticæ & aliarum nationum quas uastauerunt.

9 ¶ Væ qui congregat auaritiã malam domui suæ, ut sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali.

10 Cogitasti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, & peccauit anima tua.

11 Quia lapis de pariete clamabit, & lignũ quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit.

Babylonis superbia.

Adhuc ad ipsum sermo est per generalem sententiam corripiendo Babylonũ, qui sibi coaceruet mala, & diuitiarum multitudinẽ non intelligat causam esse ruinæ suæ domus: simulq; per metaphorã superbiæ arguitur, quod ad auium similitudinem in excelso posuerit nidum suũ, & arbitratus sit erui se de manu mali, id est, nunquam uenire in hostium potestatem, quod superbiæ consilium, & arrogans cogitatio finem habuit ignominiã. Interfecisti populos multos, & in alijs occidendis contra animã tuam desæuisti, et in tanta crudelitate debachatus es, ut si dici liceat, Lapides ciuitatis & ligna parietum quos subuertisti, tuam ferociã clamitent. Parietum lapides qui à te destructi sunt, & ligna eorum ambusta, quæ ad cõtinendos parietes in medio structuræ ponuntur tigna & fibulæ tuam crudelitatem sonabunt. Si homines tacuerint, lapides clamabunt.

12 ¶ Væ qui ædificat ciuitatẽ in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.

13 Nunquid non sunt hæc à domino exercituũ? Laborabunt enim populi in multo igne: & gentes in uacuum, & deficient.

Babylon quãta urbs

Prosequitur contra Nabuchodnezer, & eum plangit, quod ædificet Babylonem in sanguinibus, plurimorumq; ruinis ac mortibus illius mœnia construat. Quæ iuxta Diodorum Siculum ambitu suo dicitur stadia trecenta & sexaginta complecti, frequentibus turribus et magnis: ideo quæ à domino inferẽda uicißim illi sint, prædicit, Nunquid non hæc à domino sunt exercituum, qui dignam uindictam illam à te est sumpturus? Reuera laborauerunt populi multi anxie in extruendo palatio

& urbe, sed omne illorũ opus tam operosum, nihil aliud erit quàm materies ignis, cum exercitus Persarum & Medorum ueniens laboriosißimè constructa, una incensione uastabit, & ita omnia abolebuntur, ut ne ruinæ quidem locus aspiciendus sit, deficientq; populi gentis Chaldaicæ.

14 Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam dñi, quasi aquæ operientes mare.

Vitio domini contra Babel

Illius temporis homines intelligẽt clare ultionem esse à domino, qua populũ, nomen ac templũ suum uiolatum ipse asserit: euersa Babylone, manifesta erit omnibus potentia uirtutis dei, quasi aquæ operientes mare. Sic gloria domini in terra uniuersa complebitur, sicut aquæ alueum & fundum contegunt maris. Cessit enim hæc uictoria maximè in gloriã dei, Cyro rege clare confitente uirtutẽ dei omnipotẽtis, proq; gratiarũactione licentiã concessit Israelitis redeundi ad propria, & reædificãdi templum, & deinde urbem Ierusalẽ. Quam deinde secuta est gloria maior dei per Christum dominũ, cuius doctrina & salus peruasit totum orbem terrarum.

15 ¶ Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum & inebrians: ut aspiciat nuditatem eius.

16 Repletus est ignominia pro gloria: bibe tu quoque & cõsopire: circũdabit te calix dexteræ domini, & uomitus ignominiæ super gloriam tuam.

Adhuc contra Babylonium inuectio est, quòd oblitus conditionis suæ, & quasi ignorans se esse hominẽ, alteri homini fel & amaritudinem propinarit. Possumus autẽ eum uel regem intelligere Iudææ, & generaliter omnes homines, quod inebriauerit eos malis, ut uideret Sedechiæ & captiuorũ omniũ nuditatem. Dicuntur autem per metaphorã ebrij hominis & nuditate turbati, quod Nabuchodnezer omnes inebriauerit calice furoris sui, cunctosq; expoliatos uiderit & captiuos: & illos qui quondam glorioſi fuerant, in ultimam redactos seruitutem: hoc enim est quod ait, Repletus est ignominia pro gloria, ut subaudiatur amicus & proximus siue consors regni, qui tuum ô Nabuchodnezer calicem bibit. Vnde quia inebriasti plurimos, tu quoq; bibe de calice domini, & cõsopire, circũdaberis supplicijs dexteræ domini, & cum ignominia uomitus tui, ut omnia quæ absorbueras egereres, & de sublimi gloria ad ultima deduceres mala.

Ebrij & nudi.

17 Quia iniquitas Libani operiet te, & uastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus hominis & iniquitate terræ, (&) ciuitatis & omniũ habitantium in ea.

Superbia uastanda.

Superbia, inquit, tua & euersio templi, et rapina sanctuarij te depopulabitur atq; uastabit. Et quia semel nominauerat montẽ Libani, sub eiusdẽ translatione uictimas & sacrificia, uel certe multitudinẽ populorũ quæ interfecta est in Ierusalẽ animalibus uel bestijs cõparat, dicens, Et uastitas animaliũ opprimet te. Hoc aũt omne patieris, quia uastasti Iudam, subuertisti terrã hæreditatis domini, & ciuitatẽ Ierusalem, omnesq; habitatores

eius, iudicio quidẽ meo iusto, sed tua iniquißima uolutate. Nota autẽ Lector, eam quam Hieronymus narrat fabulam in Lydda sibi auditam, etiã usque hodie legi in Commentarijs Iudæorum, Sedechiam scilicet potuinebriatum coram Babylonijs ridicule cacasse.

18 ¶ Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus conflatile & imaginem falsam: quia sperauit in figmento fictor eius ut faceret simulachra muta?

Contra idolatriam

Consequẽter alijs malitijs Nabuchodnezer, adijcitur hoc quoq; crimen, quod fabricatus sit statuã idoli Bel, & posuerit eam in campo Dura, de qua in Daniele. Nã ratur autem scriptura regis amentiã & stultitiam, qua ipse iusserit statuam auream fieri, & fictor confidat in simulachro quod finxit: quod quidem possumus generaliter & contra omnes idolorũ accipere cultores. Nec putemus unum esse quod sculpitur & conflatur, quia hoc in metallis, aliud lapidibus fit, utrunque lege prohibitum, dum quocunq; modo prostat culturæ & hominum admirationi. Nouit enim humani cordis conditor, quare tam diligẽter, crebro & multis prohibuerit. Cui quod dominus tam serioſe prohibuit.

19 ¶ Væ qui dicit ligno, Expergiscere: Surge, lapidi tacenti: (nunquid) ipse docere poterit? ecce iste coopertus est auro & argẽto: & omnis spiritus nõ est in uisceribus eius.

20 Dominus autem in templo sancto suo: fileat à facie eius omnis terra.

Contra idolatriam

Hoc similiter uel aduersum Nabuchodnezer, uel adeuersum omnes qui uenerãtur idola accipi potest. Et describitur error humanus, quod argentum, aurum, gemmas & sericum, quibus uel obuoluta uel operta sunt idola, præ fulgore materiæ & artis subtilitate deos existimant, cum formã quidem potuerit artifex dare, animam autẽ quibus uegetantur artus nequiuerit. Et econtrario dominus dicitur in templo sancto suo, non in templo manufacto, sed uel in cœlis, uel in unoquoque sanctorum, iuxta Apostolũ dicẽtẽ, An nescitis quoniã templũ &c. Aut iuxta illud quod cœlos & terras et maria & uniuersum mundum spiritus intus alit, totamq; infusa per artus mens agitat molem, & magno se corpore miscet, mundus omnis, qui cœlo constat & terra, & cælorum circulis clauditur, dei domus perhibetur, in quo spiritu uiuimus, mouemur & sumus. Spiritum autem non esse in uisceribus idolorum, de uita intelligitur qua carent, etiam si quando spiritus maligni idolis assederint. Idola igitur nihil possunt, uerum si scire cupis à quo sit auxilium expectandum, Dominus, inquit, est qui dat spiritum omni carni, illum suspicias, illum reuereris, quem uniuersa creatura admiratur & colit, illiusq; iudicia bona & iusta magis reueretur & timet, quam ut audeat discutere & prouocare in iudiciũ domini uoluntatem, quæ fallere non potest nec falli, nec quocunq; modo errare uel deficere: silendũ potius est creaturæ omni, & humili studio illius clementia inuocanda.

ORA-

CAPVT III.

1 ORATIO Habacuc prophetæ pro ignorantijs.

Orat prophetico spiritu tolli ignorantiam dei, auferri caliginem, & reddi lucem cognitionis dei, à mundo uel saltem à suo populo, quem uidebat uehementer corruptum fide & moribus. Quidam uolunt orationem esse pro captiuitate tollenda, tam prima sub Chaldæis, quàm ultima sub Romanis. Alij de tentatione famis, quæ contigit biennio in terra Israel. Rabi Salomon putat prophetã pro peccato proprio agendo pœnitentiam plangere se temere locutum, & petere ueniam, ut misericordiam consequatur, quia ignorans fecerit. Verius dicitur esse doctrina hominis quomodo se gerat in istis inscitijs, omnia deo permittendo, interim quietem cordis amplecti, & exitum domino commendare.

Omnia deo permittẽda.

2 Domine audiui auditionem tuam (&) timui. Domine opus tuũ, in medio annorum uiuifica illud: in medio annorũ tuorum facies notum: cum iratus fueris misericordiæ recordaberis.

A laude dei oratio inchoata.

A laude dei auspicatur orationem suam propheta, recenſendo quædam ingentia miracula dei patribus olim exhibita, ut dicat: O domine deus meus, multam de te famam audiui, quam te tuaq; magnitudine & bonitate mandãte patres nostri narrauerũt nobis posteris, quam & cum multa fide & reuerẽtia audiens expaueſco ad omnipotentiam tuam, & ad mirabilia opera tua, cum tuis tam fidelibus quàm impijs. De te autem hoc nobis narratum est, te tam clementissimum esse deum, qui in medio annorũ non post lõgissimos annos tuis succurras, sed in tempore opportune, cum tibi uisum fuerit quàm maximè tribulatis cõducere, qui omnia nostra nosti, ut pater filijs prospiciens, longè utilius quàm ipsi sibi possint, ut exercentur interim in fide & patientia, humi lientur, ut alijs condolere discant. Tunc autem cum tuæ uidebitur bonitati uiuificas, hoc est succurris & seruas anxios ac desperationi ultimæ proximos, quæ est mors animæ. In medio quoq; annorũ, id est, dum maximis & multis afflictionibus longè diutius fuerimus exercitati, quàm æquanimiter ferri possit à carne infirma, nondũ per spiritũ roborata, tu multis beneficijs, consolationibus & auxilio nobis succurrere cõsueuisti, & indicare nobis paternã miserationem tuam ad filios tuos, quantumlibet tibi parum morigeros & obsequentes, solitus misscere clementiam in irrogandis pœnis, etiam cum maximè infensus uideris.

3 Deus ab austro ueniet, & sanctꝰ de monte Pharan semper (Sela) operuit cœlos gloria eius, & laudis eius plena est terra.

Miracula dei prisca.

Incipit cõmemorare canticorũ more prisca miracula dei cũ suis electis, in primis, quod in mõte Sinai, in monte Seir & Oreb ad illos sese inclinauerit, alloqui dignatus, & legẽ ut filijs proponens, ipsos sibi ut charum peculium excoluerit, sanctitatẽ suam ostenderit, ut ipsi quoq; sancti esse studerent. Id certe quod uehemẽter stupendum, & ineffabilis gratiæ signum erat, cuius simile non fecerit omni nationi: propter quod bene hoc loco סלה Sela adscribitur, signũ suspensi tam sensus quàm animi, quod non leui sit cogitatione præteundũ. Operuit cœlos laus eius. Maior est gloria tua, quàm ut eam sufficiant admirari, laudare & colere uniuersa cœlestia corpora. Et omnes homines qui in terra sunt uel fuerũt, digne tuam laudem explicare nõ ualent: maior es enim omni laude, cuius admirandi & optimi effectus nusquã non semper & ubique conspicui sunt.

4 Splẽdor eius ut lux erit, cornua in manibus eius: ibi abscõdita est fortitudo (eius.)

Potentia dei.

Claritas & maiestas regni dei & potentia in populo quidem Israel abscondita erat, nondum apparuerat gentibus speciali aliqua manifestatione, nondũ miracula supra naturæ ordinem ædiderat, nondum sol ille claro fulgore resplenduerat fidelibus, donec operibus miraculosis ueluti manibus fortitudinis eius splendores diuinæ bonitatis suæ illucescerent, ut ex operibus eius uelut è manibus præsentia eius more hactenus inconsueto cognosceretur, famaq; potẽtiæ & præsentiæ eius ad filios hominum uulgari inciperet, & impleret cœlum atque terram. Nusquam enim clarius aperuit à seculis non uisam potentiam suam, quàm in exitu Israelis, & in monte Sinai. Eandem ergo, ait, fortitudinẽ tuam, nunc quoque demonstra cõtra Babylonios, qualem tunc primum contra Aegyptios ædidisti.

5 Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.

Eximiũ hoc unum opus diuinæ potẽtiæ & præsentiæ erat, cum Aegyptũ afflingeret, ac cæderet tandem una nocte omnia primogenita hominum & animalium, ut pariter morerentur. Illud iudiciũ domini contra impios exercebatur, unde pascha domini, id est transitus illius apparuit, illic pestis egrediebatur è pedibus.

6 Stetit & mensus est terrã, aspexit & dissoluit gentes, & contriti sunt montes seculi: incuruati sunt colles mundi (ab) itineribus æternitatis eius.

Præsentia dei.

Aliud maiestatis diuinæ præsentis specimen erat, & fulgor præsentiæ diuinæ, gratia qua post exitum Israel de Aegypto, dominus stetit per quadraginta annos cum populo suo, non solum in columna & nube, sed etiã super propitiatorium & super tabernaculũ responsa dabat. Nec etiã progredi permittebat, sed in deserto subsistere coegit, manna illos cibando, & ab hostibus defensando. Deinde diuisit illis terram per Mosen ultra Iordanem duabus & dimidiæ tribui, & transito eo reliquis tribubus terrã gentiũ plurimarũ. Vidit quoque illorum opera mala, puniendo & impios populos delendo, non sine magnis miraculis prouidentiam diuinam illis assistentem continuo contestando. Confregit quoq; gentiũ fortitudinem, ut resistere populo suo non potuerint. Vetustum populum & magnum ueluti montes æternos superauit & dissipauit, prorsusq; comminuit pro sua uoluntate, ut resistere Israeli non potuerint. Gigãtes quoque in montibus prædones populorũ, & colles arcibus

munitas habitantes, fortißimos terræ oppreſſores humiliauit, & deleuit uirtute diuina, idq; nõ ſine cœleſtibus miraculis, quibus curſum cœli ſolis & lunæ, ueluti in expugnatione regũ iuxta Gabaon factũ legimus, ſtare iußit, & ſeruire tam omnipotentiæ diuinæ, quàm ſaluti & uictorijs ſui populi.

7 Pro iniquitate uidi tentoria Aethiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.

Idololatræ puniti. *Si quando Iſrael iniquè agebat in dominum, & ingratitudinis crimine enormiter laborabat idola adorando, & legem domini abijciendo, aduentu propinquorũ ſibi populorum illos dominus adfligebat, quos tamen ad ſe uicißim cõuerſos eripuit, miraculoſe proſtratis non ſemel gentibus, Madianitis & Chuſan, uel Aethiopibus, qui in tabernaculis habitare conſueuerant. Nulla enim gens fuit, quæ non ad auditum huiuſmodi portentorum expauerit maieſtatem domini dei exercituũ dei Iſrael, ſic propugnantis populum ſuum.*

8 ¶ Nunquid in fluminibus iratus es domine? aut in fluminib⁹ furor tuus? uel in mari indignatio tua, quia aſcendes ſuper equos tuos (&) quadrigæ tuæ ſaluatio?

Nónne tu domine deus noſter is es, qui miracula pro tuis Iſraelitis ædidiſti in fluminibus tã maris rubri quàm Iordanis, ubi iram tuam in impios Aegyptios primum, deinde etiam in Amorrhæos oſtendiſti & exercuiſti, ut creatura quoque aquæ armaretur ad uindicandum iniuriam, non ſolum creatoris, ſed etiam credentium creatori & colentium. Sed hoc facilè tibi erat longè fortioribus tuis equis uehi procedere & bella gerere, quàm Aegyptius præſumptuoſus & contumelioſus in dominum. Equi enim tui ſunt nubes, & angeli tui quadrigæ tuæ ſunt, ut ſit inſuperabilis exercitus omnipotẽtiæ tuæ regibus omnibus, quo tutaris fideles tuos, & opprimis flagitioſos & ſuperbos: qui filijs tuis ſalutem ex inimicis præparas, & non ſinis diſperdi amicos tuos, quos eligere tibi peculiariter uolueris.

9 Suſcitans ſuſcitabis arcum tuũ iuramẽta tribubus quæ locutus es Sela: fluuios ſcindes terræ.

Iſtis & alijs modis, ô deus omnipotens, arripere & intendere ſoles arcũ potentiæ & uindictæ tuæ pro tuis filijs, contra blaſphematores tuos, cõtra eos quos longo tempore peccantes tuliſti, quos tandem ad exemplũ iuſtitiæ tuæ & bonitatis tuæ ad electos aggredi ſtatueris & punire, ſecundum quod iuraſti patribus noſtris multis uicibus, & omnibus iſtis tribubus filiorum Iſrael in monte Sinai, quia ſcilicet uelis illis eſſe deus, ſi ipſi populus tuus eſſe perſeuerauerint. Eum uoluiſti ſermonẽ & conuentionem firmiter ſubſiſtere, & imperpetuum ſtabiliri, quo iuraſti patribus noſtris daturum te nobis, ut in ſanctitate et iuſtitia ſeruiamus tibi, & tu nobis ſis in patrem. Hoc autẽ ut fiat, ô domine, perfice, & nulla noſtra culpa labefactari utrinq; ſponſionem permitte, quod hic iterum Sela importat. Denique non ſolum armatus es cõtra noſtros hoſtes arcu uindictæ tuæ, ſed & clementia tua occurriſti fidelibus, propinãdo eis aquas de ſaxo duriſſimo, nullum eis cuiuſcunque rei defectum immittens.

10 Viderunt te (&) doluerunt montes, gurges aquarũ trãſiit, dedit aby ſſus uocẽ ſuã, altitudo manus ſuas leuauit.

Videns & doleret, & pera gro

Reges Chananæorum & populi ſuo malo compulſi ſunt uidere mirabilia opera tua, pro tuo populo introducendo in terram, & doluerunt omnes quotquot magni erant, & arces habitabant munitißimas montium, in quibus tutos ſe arbitrabantur, quantumlibet uiolentiam terræ habitatoribus inferrent. Viderunt etiam æquarum gurgites potentiam dei & ceſſerunt, rumpunturq; contra naturam ſuam, naturæ domino præcipiente, ut permittant uiam populo tranſeunti. Abyſſus datum ſuum, ut aufugiãt aquæ, & ſiccetur uia populo dei, dum qui excelſus eſt dominus uniuerſorum, maximum poteſtatis potẽtiæq; ſuæ extulerit ad aliquid iubendum pro ſuo populo.

11 Sol (&) luna ſteterũt (in) habitaculo ſuo, in luce ſagittarũ tuarũ ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.

Miracul iuſtus Iſrae

Conſtant domi ſuæ ſol & luna domino iubente, donec populus potiatur ſua uictoria, & ad nutum domini obſequuntur uſibus fidelium ad domini uoluntatem. In quacunque enim cœli parte deprehenſa erant, ibi ſteterunt ſol & luna, donec Ioſue expugnaret reges Chanaan. Ambulabant enim Iſraelitæ ad ſplendorem columnæ igneæ noctu dum exirent Aegyptum, & ſub protectione nubis interdiu defendebantur à ſolis ardore: & cum tibi placeret, illorum & tuos hoſtes fulgure, fulminibus & tonitru uelut tuis haſtis & gladijs occidebas, uel inſtar micantis fulguris motu territabas atque conſumebas.

12 In fremitu conculcabis terram, (&) in furore obſtupefacies gentes.

Iuſto & graui iudicio uelut ira ſua dominus ſuppeditat & cõculcat terram Chananæorũ, ſubingando filijs Iſrael, impias gentes, quarum tunc cõſummata fuerant peccata uetuſta, à temporibus Iacob, eas triturabis & comminues, ut omni uirtute reſiſtendi exuantur, minis tuis & uerberibus totam impiorũ terram uaſtando.

13 Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo. Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentũ uſq; ad collum, ſemper (Sela.)

Poſſeſſio terræ ſanctæ

Egreſſus es ad ſaluandum filios Iſrael à uiolẽtia Aegyptiorum & aliorum, oſtendendo te defenſorem fidelis populi tui, quem ad hoc elegiſti, & ueluti unctos parauiſti ad militandum tibi, ad ſeruiendum tibi in ſanctitate & iuſtitia corã te, ut eſſet gens ſancta, & regale ſacerdotium, populuſq; acquiſitionis. Hæc per te facta ſunt populo tuo, à temporibus Moſis & Ioſue, Samuelis & Dauidis, quando contudiſti & oppreſſiſti potentiam infidelium, & impios eieciſti de ſuis poſſeſſionibus, ut locum darent populo dei. Nudaſti eos regnis, urbibus, terris & authoritate, ut ſeſe erigere contra fideles non poſſent donec in fide permanerẽt, & dominũ timerent

ac

ac colerent. Hoc est fundamentum ab imo retegere usque ad collum, regna occupare tyrannorum, populum cum principibus impijs sic eneruãdo, ut sæuire nequeãt amplius. Vbi iterum scala ponitur, quod fideles defendere contra impios grande opus sit, & unica spes fidelium in hoc mundo, paucis quoque manifestũ, omnibus autem optabile.

14 ¶ Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum (uillarum) eius, uenientibus ut turbo ad dispergendũ me: exultatio eorum sicut eius qui deuorat pauperẽ in abscondito.

Perforasti & excidisti baculo uirtutis tuæ, uel etiam ipsius hostis robore ipsum hostẽ deuicisti & subiugasti potenter omnes urbes, uillas & habitacula eius, ut mihi nocere nõ potuerint, qui tamen sæuissimo tumultu nitebantur ad me opprimendũ & dispergendum, qui sese iactabant cõtra me, & exultãdo illudebant, promittentes sibijpsis uictorias de nobis, ut abuterẽtur corporibus & uita nostra, nõ aliter ac leo uel bestia, uel etiã tyrannus quicunq; deglutiens inopem & imbecillem in occulto, nemine sciente, condolente uel prohibente. Tales erant hostes tuorũ fidelium, tales tua potentia oppressisti & maledixisti, ut eadem paterentur.

15 Viam fecisti in mari equis tuis, (in) luto aquarum multarum.

Incedere fecisti equos tuos in mare, eos quos tibi rapere, subdere, occidere aquis et præuocare decreueras, exercitum Aegyptiorũ persequentẽ populũ tuum, & infixisti eos in limum aquarũ multarũ maris caricosi, unde sese explicare non potuerint, donec obruerentur aquis: sic obsecro hostes nostros Babylonios tractare uelis, ut olim secundum iam enumerata magnalia tua tractasti Aegyptios & Chananæos. Si ordinem quæris, potes ad Sennherib referre: sed non est ordo in affectibus & carminibus piorum requirendus.

16 Audiui & conturbatus est uenter meus, à uoce contremuerunt labia mea: ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat (expauescam:) ut requiescã in die tribulationis, ut ascendam ad populũ accinctum nostrum.

Ingratitudo populi Ego infelix propheta tam impij populi, & ingrati tot beneficijs, infelici seculo, talia quidem audio recitari de tua magnitudine et bonitate pro populo meo, sed simul quoq; impietatem qua nunc laborat considerans, iudiciumq; tuum iustum illi imminens, totus cõtremisco & perturbor ex intimis & ex animo, ut labia quoq; mea præ terrore & angustia contremiscant, & imbecillia ad confitendũ uel orandum existant, ut medulla quoq; ossium meorum marcescat præ nimio mœrore pectoris mei, sic totus conturbor & cõtremisco, omnibus membris & animo deiectus, hinc cernens malitiam Israelis, inde iustitiam iusti iudicis impendentẽ, cupiens interim quiescere, & uel morte præueniri, quo minus perferre cogar diem tantæ & tam dignæ afflictionis populi mei, qui nullius prophetæ exhortatione cõmouetur ad uitã emendandã, & ad timorem domini suscipiendũ. Longè ergo mihi felicius erit ascendere ad populũ accinctum, contra nos ad Babylonios deficere, & iudicium dei uolens suscipere & amplecti, quàm fugere uel perferre inuitus quod iuste infertur.

17 Ficus enim non florebit, & non erit germen in uineis: mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum: abscindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præsepibus.

Omnes enim maledictiones legis Mosaicæ propediem uenturas uideo super contumacem hunc populum, nolentem audire prophetarum uerba, & uerbum domini abijciunt: ideo terra & arbores negabunt illi fructum suum, consuetam annonam non proferent, fallent agricolam, & fraudabunt habitatores terræ necessarijs cibis, & uini potu, unguẽtis & ficubus. Necesse est enim destitui obedientia fructuũ homines, & terræ prouentibus, qui hominũ & terræ conditorem non agnoscunt ac uenerantur, qui ad hoc cõditi sunt, ut dominũ deum omnium creatorem agnoscant, diligant, & eo tandem perfruantur felices. Pecora quoque de caulis deficient, propter defectum alimentorum, morborũ contagiones: & stabula boum euacuabũtur, qui domino deo suo decimas & gratitudinem cum cæteris diuinæ legis obseruantijs negauerunt. Maledictiones Mosaicæ.

18 Ego autẽ in domino gaudebo, (&) exultabo in deo Iesu meo.

Licet igitur impiorum supplicijs implicãdus sim, & infelicis ac inobedientis populi angustijs inuoluendus: una tamen mihi spes salutis reliqua est, ut credam populum hunc meum restituendum, & suo tempore glorificandum per regnum Christi saluatoris, non solũm gentis Iudaicæ, sed omnium Israelitarum fidem sectantium, de quo & in quo olim quotquot sancti fuerimus lætabimur, & gratias domino referemus.

19 Deus dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum: & super excelsa mea deducet me uictor in psalmis (canentem.)

Versus hic assutus est à propheta, desumptus ex Psalmo decimoseptimo: quasi dicat, Adhuc tamen dominus deus fortitudo mea erit, qui & tantopere exhilarabit me, ut nedum animo & corde læter de bonitate eius, sed etiam corpore & exultatione externa membrorum omnium plenum gaudiũ sim percepturus, quum gloriam dei & fidelium profectum, & totum mundum uidero certatim confitentem bonitatem dei: & canticis tam spiritualibus quàm etiam corporalibus laudes domino omnipotenti, & saluatori hominum Christo Iesu uero Messiæ concinere summa deuotione conspexero. Versus assutus.

FINIS.

COMMENTARIA IN SOPHONIAM PROPHETAM, qui inter XII. Nonus.

CAPVT PRIMVM.

1 
ERBVM dñi quod factumest ad Sophoniam filiũ Chusi, filiȝ Godoliæ, filiȝ Amariæ, filiȝ Ezechiæ, in diebus Iosiæ filiȝ Amon regis Iudæ.

Prophetia uerbũ domini.

Prophetiã suam sacer Sophonias Verbum domini nominat, ut uerorum prophetarũ oracula siue Visiones, siue Onera nominentur, aliud haberi non debeãt quàm certa dei reuelatio, à deo instillata ueritas, & uerbum non hominũ sed diuinum. Ad admonitionẽ ecclesiæ dei, nedum ad prisca illa Iudæorũ tempora, sed quoad mundus durauerit, ad ecclesiæ dei per omnia secula statum suæ exhortationis dirigit. Non minus nobis nunc uiuentibus in ecclesia fidelibus hæc omnia dicta suscipienda sunt, quàm illis erant, & germanus intellectus studiose inuestigandus, qui sic spiritu altißimi digestus est, ut æque nobis proficere poßit et debeat, quàm regno Iosiæ. Quod autem prophetæ huius pater Chusi, auus Godolias, proauus Amarias, abauus uero Ezechias nominantur, non quidem ille rex Iuda filius Achas, uel pater Manaßis, sed alius aliquis spectatæ honestatis & famæ, pertinet ad laudem non tam prophetæ quàm patrum illorum, qui eximium de se prophetã genitum à domino

Authoritas prophetæ qualis.

susceperũt. Authoritati deniq; prophetæ id solum accedit, quod à domino inspiratus hæc dicere debuit: interim tamen hæreditaria pietas à parentibus pietate insignibus, Iudæis eatenus semper commendata fuit, ut similiter illos prophetas domini fuisse otiose definiãt. De Iosiæ autem regni diebus, cum regnauerit annis triginta unum, & decimooctauo tandẽ anno ætatis suæ librũ legis seruandũ susceperit, uidetur hæc prophetia primis Iosiæ temporibus à Sophonia descripta, sicut Ieremias prophetare exorsus est decimotertio anno. Non parũ uidentur ambo hi prophetæ momenti cõtulisse, ad præclaram illam regni Iudæ resipiscentiã sub Iosia.

2 Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit dominus:

3 congregans hominem & pecus, congregans uolatilia cœli & pisces maris: & ruinæ impiorum (erunt) & disperdã homines à facie terræ, dicit dominus.

Quia se Iudaicus populus poterat excusare in regibus malis, quia ab ipsis prohiberetur seruire domino, quod ferrent inuiti, datur à domino rex iustus, quo zelante zelum domini, & populo nihilominus in idolorum cultu perseuerante, iusta iræ causa profertur à domino, & prophetatur de euersione Ierusalem, & captiuitate Iuda, & uictoria Nabuchadnezer. Dicit itaque dominus per prophetam, Nequaquam ultra tribuam gratiam uel locum pœnitentiæ, sed à facie terræ uniuersa consumam, non homo, non iumentum, non uolatile, nõ pisces maris remanebunt, iram quippe domini etiam bruta sentient animalia. Vastatis enim urbibus, hominibusq; interfectis, solitudinem & raritatem bestiarum quoq; & uolatilium natura sentire dicuntur. Hoc autem accidit, quia fuit nimia multitudo impiorũ in populo deprauato à prophetis falsis & impijs regibus. Corruent ergo impij, & disperdentur homines, & erit solitudo super faciem terræ.

Contra impietatem.

4 Et extendam manũ meam super Iudam, & super omnes habitantes Ierusalẽ, & disperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina æduorum cum sacerdotibus:

Tametsi tota Israelitarũ regio in solitudinem sit redigenda, sicut & uicinæ nationes, specialiter tamen super Iudæam terram Iuda se manum suam extensurum prænuntiat, id est, gestum aut figuram percutientis ostendit: in primis autem idolorum casum & sacrificulorum abolitionem prædicit. Cum enim initium sit hoc capitulũ prophetiarumq; multarum prima, uidetur prophetasse eas sum idololatriæ, qui postea cõtigit per Iosiam à domini spiritu instigatum, sicut & alij prophetæ Isaias & Ieremias multa prædixerunt, quæ statim suis futura erant temporibus. Disperdam ait dominus Sophoniæ, de loco hoc Ierusalem, & toto Iudæorum regno reliquias Baal, quas post Ezechiæ reformationem Manasses & Amon restituerant, & à populo non poterant contemni uel negligi. Hoc completum uidetur & legitur per Iosiam, qui destructis excelsis omnibus, delubris, aris, imaginibus idolorum, Solis, Lunæ & planetarum simulachris, etiam institutos ad cultum sacrilegũ æduos, monachos & sacrificulos prope excelsa habitantes, religionis gratia, ut gentilium mos erat, etiam à Christianis aliquantis, diu receptus, ut habeãt sua collegia diua uirgo, Petrus, Stephanus, Georgius, Blasius, Anna, Margareta, Felix & Regula, Leodegarius & Michael, Martinus & Nicolaus, Germanus & Gallus. Tales Iosiæ temporibus fuisse sacrificulos diuorum cultores, quis non uidet? & hodie defendi tales à Christianis, quis non dolet? & à doctis uiris non improbari, quis nõ miretur? Quis igitur rat quæstum illis pietatẽ haberi? Huiusmodi Chamarim siue Nonnos nigros Iudæi dicãt siue albos, cum sacerdotibus constat Iosiam eliminasse & abiecisse.

Gentilium mos & Christianis receptus.

5 & eos qui adorant super tecta militiam cœli, & adorant & iurant in domino, & iurant in Melchom:

Ornatum cœli Solem, Lunam & stellas suspicere, adorare, & ab eis rerum euentus sperare, uetus superstitio fuit, & à domino interdicta, sed non obmissa, adeo, ut in tectis quæ plana habebant, supplicasse astris Iudæos Iere-

Idolorum deserti.

Ieremias quoque testetur. Quo enim astra illa rectà aspicerent, in tecta ascẽdebant. Has aras Iosias deiecit, etiam à tectis, à portis, à compitis, à templo etiam domini, & quoscunq; idolorum cultores deleuit & exterminauit, qui quidem dominum etiam adorabant & sacrificijs honorabãt, inq; illius nomine iurabant, sed insuper etiam idola colebant, ac in ipsorum nominibus & ad illorum honorem iurabant, claudicantes in utrunque latus, dominum colendo & diuos suos. Quos regum quoque nominibus appellabant, sicut & nos non raro audiuimus sanctum Antoniũ cœli principẽ appellatũ, & deiparam uirginem cantauimus Reginã cœli, quod scripturis sacris aduersari nemo negare potest, niſi qui eas prorsus ignorat.

6 & qui auertuntur de post tergum domini, & qui non quæsierunt dominum, nec inuestigauerunt eum.

Excindet quoque dominus per seruos suos omnes qui dominum non uere colunt, qui leges eius contemnunt, qui de illius perficiẽdo beneplacito nihil curant, qui ob auaritiã uel libidinem recedunt à timore dei, & qui in necessitatibus non recurrunt ad dominum deum solum, sed ad tutelares deos suos, quos odit & prohibuit dominus, qui non toto pectore & uera fide pendent à deo, sed ab idolis quibuscunq; quæ inuocant & implorant, cum dominus se solum requiri uelit & adorari.

7 Silete à facie domini dei: quia iuxta est dies domini, quia præparauit dñs hostiã, sanctificauit uocatos suos.

Vitio in idolatras.

Obstupescite quotquot tales estis sacrilegi idololatræ propter iram domini quam statim sentietis, prope est enim, ut omnes uos cum uestris simulachris, aris & sacrilegijs exterminemini, appetit tempus in quo hæc omnia abiecta damnataq; desinẽt esse, magno uestro exitio & planctu. Iam enim dominus præparauit sibi sacrificium cruento gladio suo, ex sanguine sacrificulorũ illorum & Chamarimorum. Paratus nunc est dominus ulcisci detractũ sibi debitum honorem, delatumq; sceptribus, uult hæc omnia propediem deleri, & cessare in hac terra et urbe. Iam præparauit, sanctificauit, munauit uocatos ad hoc sacrificiũ, iam parata sunt omnia, ut nullam uobis moram & euasionem fingatis.

8 Et erit in die hostiæ domini: uisitabo super principes, & super filios regis, et super omnes qui induti sunt ueste peregrina:

Capitulũ aliud Hebræos adsignasse non arbitror sine causa, quod quæ sequuntur ad aliud tempus referenda uideantur. Cum scilicet Iosiæ sancti impia soboles in regno succedens, dominũ deum suũ denuò cœperint offendere, uerbum dei nolle audire, persequi prophetas, & sacrificium & mactatio erit, non solum totius populi, sed etiam principum, regum, aulicorũ, omniumq; libidinem sectantium & impietatem. Maximè uerò in uestimentorum pretiosorum uel exoticorum insolentia, quibus animorum corruptela luculenter proditur, & abusus diuitiarum & lenocinium iuuentutis.

9 & uisitabo super omnẽ qui arrogãter ingreditur super limen in die illa, qui implẽt domum domini sui iniquitate & dolo.

Vltionem sumam de omnibus illis regum officialibus & seruis, qui temerè & uiolenter inuadunt domos pauperum, fraude & ui domos principum replent rapinis, unde suam quoque ipsi recipiant non modicam portionem. Harpiæ nimirum aulicæ dominis corradentes per fas & nefas, unde ipsi quoq; ditentur & libidimentur. Aulici Harpiæ.

Satis enim constat filios Iosiæ regis, si non idololatria, tamen auaritia, libidine & fastu ædificiorum & uestiũ, cum aula sua tota fuisse corruptissimos. Hæc autẽ uitia sequitur pauperum despectus, iniuria, rapinæ, exactiones, labores & contributiones, dum regnum deficit diuitijs & terræ prouentibus, non tamen decrescit, sed indies augetur fastus & luxus.

10 Et erit in die illa, dicit dominus, uox clamoris à porta piscium, & ululatus à secũda, & contritio magna à collibus.

Eo tempore quando Hierosolymã uallauerit hostilis exercitus Chaldæorum, erit uox conclamantium horribilis & miserabilis, à porta piscium extrema, & in humiliore loco urbis sita, & ululatus etiã de interiore loco uel uico urbis, ubi erat habitatio doctorũ & studentium, procedentibus hostibus subinde ad regis palatiũ, donec cõtritio ingens etiam audiatur in colle Zion, & in ciuitate Dauid, in supremo æditiore & munitissimo loco urbis, ut hic urbis Ierusalem captiuitas ordine facta describi uideatur. Anhelabant enim Chaldæi post muri irruptionem, ad comprehendendũ perfidum Sedechiam in arce sua, sed per subterraneum specum fugit cum suis filijs, sed non euasit.

11 Vlulate habitatores pilæ: quia conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt omnes inuoluti deferentes argentum.

Vos quoq; Hierosolymæ ciues post captam regiam, forum quoque uenale ubi iniqui negotiatores ex populi pauperis iniurijs diuites fieri uolebatis, ad uos quoque ilico quò minus euadatis milites auari delabentur, & mercatorũ collegium factionemq; in primis adorietur, omnes uestras diuitias cũ iniquitate corrasas direpturi. Ibi cessabit pompa luxus uestri, ibi diripientur opes, ibi dispergentur congregata per auaritiam, & rapina uestra rapietur ex uestris ipsis dentibus et unguibus. Exci si enim sunt, & morte deleti omnes, qui aurei & serici incedebant & nitidi, purpura scilicet uestiti & pretiosis, qui merces uestras magno emere poterãt et asueti erant, cum quibus uos quoq; peribitis.

12 ¶ Et erit in tempore illo, scrutabor Ierusalem in lucernis, & uisitabo super uiros defixos in fecibus suis: qui dicunt in cordibus suis, Non faciet bene dominus, & non faciet male.

Tempore captiuitatis huius urbis, quam credere non uultis, & quam euadere cõfiditis, quia legem dñi auersando impie egistis in dominũ creatorẽ uestrũ, scrutabitur dominus cum lucernis omnia abscondita Ierusalem,

nullumq; malum patietur inultum effugere, quin in secretißimis quibusq; locis ſpeluncis & ſepulchris reconditi, extrahemini ab hoſtibus ad mortẽ. Viſitaboq;, ait dominus, ſuper uiros, qui inuoluti ſunt ſuis fecibus, qui implicati ſunt carnalibus affectibus & ſtudijs ſuis, toti dediti exſatiandis carnalibus deſiderijs & delitijs, quia eò deueniunt impietatis peccando continuò, ut tandem deum negent, prouidentiam dei tollentes, nec boni nec mali deum authorem eſſe dicentes, nec bonis bona, nec mala malis reddentem, ſed quod fortunæ cuncta regantur arbitrio, & caſu ferantur incerto.

Inuoluti fecibus.

13 **Et erit fortitudo** (*ſubſtantia*) **eorum in direptionem, & domus eorum in deſertum: & ædificabũt domos, & non habitabunt: & plantabunt uineas, & non bibent uinum earum.**

Vniuerſus Iudæorum cæſus eſt exercitus, & domus pretioſæ & curioſæ extructæ dirutæ ſunt, agri uineæq; uaſtatæ ſunt, quia non diſtulit diutius illos dei patientia. Coacti ſunt uidere hoſtes ſuos uti ijs quæ ſibi magno labore parauerant. Cum uerò dicerent prophetis, in multum tempus & in dies lõgos hæc illis prædici, additur: Proximus eſt dies domini magnus. Initium enim malorum ſtatim poſt Ioſiam fuit.

14 **Iuxta eſt dies domini magnus, iuxta eſt & uelox nimis: uox diei domini amara, tribulabitur** (*inclamitat*) **ibi fortis.**

Dies domini.

Dies domini uocatur, quo ſe dominus ac ſuam potentiam incredulis Iudæis magnificè erat declaraturus, id cum magnificentißimè facturus ſit in fine ſeculorum, cum extremum iudicium peraget, id temporis peculiariter dies domini magnus uocari ſolet, plerunque uerò & dies Chriſti, quod tum demum uenturus ſit in maieſtate ſua filius hominis iudicaturus uiuos & mortuos. Hic tamen propheta Hieroſolymæ deſtructionem non tunc differendam in longinquum prædicit, ſed feſtinare & ocyus imminere & indici uoce horribili & anxia, quaſi ſignificans iam exaudiri hoſtium uoces iam reſonare claßicum, & fortes atque prævalidos hoſtes amarum maximeq; horrendum uociferari.

15 **Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis:**

Dies iræ.

Quo latius diei huius horrorẽ explicet, eum diem iræ uocat æſtuantis, diem afflictionis & angustiæ, quæ inexplicabili modo populũ erat apprehenſura. Diem quoque deſolationis & uaſtitatis uocat propheta tenebrarum & caliginis, diem denſæ nubis & nebulæ, utiturq; congerie nominũ horrendorum. Ea enim maximè terrifica facies orbis tunc eſt, cum in die ſublata lux eſt, & omnia tenebris implentur, tunc enim maxima dei ira ſæuire agnoſcitur. Cum enim omnia fame, peſte, gladio & igni pereunt & uaſtantur, uitæ lux aufertur, & tenebris mortis omnia inuoluuntur, an non mortis umbra & inferorum caligine ac tenebris omnia plena putantur?

16 **dies tubæ & clãgoris ſuper ciuitates mũnitas, & ſuper angulos excelſos.**

Vt magis explicet hoſtilem ſe uiolentiam depopulationemq; prædicere, diem buccinæ nominat & clangoris, in quo irruptio urbis & mœniorum intelligitur. Addendo, Super urbes munitas & propugnacula excelſa. Illa enim ferè non niſi uiolẽtia dura, multoq; cum ſanguine ciuium & innocentum cæde perficitur, cum omnium direptione & uaſtatione ſeſe defendentium, tantoq; crudelior ſit hoſtis victoria, quanto munitior locus fuerat, & audacior fortiorq; reſiſtentium fortitudo ac pertinax.

17 **Et tribulabo homines, & ambulabũt ut cæci, quia domino peccauerunt: & effundetur ſanguis eorũ ſicut humus, & corpora eorum ſicut ſtercora.**

Recedente à Hieroſolyma uiſitatione domini, & tem- Iudæa uaſtata.
plo deſtructo, propter iniquitatem regum & populi, tota Iudæa tribulata eſt, & pro magnitudine preſſurarũ ambulauerunt ut cæci, quid agerent ignorantes. Et hæc paßi ſunt, quia domino peccauerunt, fundendo ſanguinem prophetarum & innocentum, tam ante primam illius uaſtationem à Babylonijs, quàm ante ſecundam per Romanos, ob crimen occiſi dei filij, Chriſti domini & apoſtolorum, Ioannisq; Baptiſtæ, ſecundum ſuum loſephum. Ideo ipſorũ quoq; ſanguis effundi debuit, ſicut humus calcanda pedibus incedentium, & corpora occiſorum redigenda dicuntur & calcanda ut ſtercus, ut abiectißimæ ſordes habebuntur.

18 **Sed & argentum eorum, & aurũ eorum nõ poterit liberare eos in die iræ domini: in igne zeli eius deuorabitur omnis terra, quia conſummationem cum feſtinatione faciet cunctis habitantibus terram.**

Diuites quoque eorum, qui argentum & aurum inia Idola pro deoſ.
quitate nimia congregauerunt opibus ſuis, idolaq; ſua aurea & argentea, quæ maximis impenſis ſibi fabricauerunt & adorauerunt, eos in die iræ domini non poterunt liberare. Nulla enim creatura eripere poterit eos, quos dominus iratus decreuerit uaſtare. Electis autem terræ habitatoribus, uaſta ſolitudo regionẽ occupabit, horrida ac terribilia omnia reddentur. Tum ſanè facti ſunt Iudæi cõſumptio & cõſternatio. Tanta enim terræ mala immiſſa ſunt, ut penitus ipſa omnibus cõſumptis, in uaſtam ſolitudinẽ redacta fuerit, ut omnes illam aſpecturi, animo ſine uehementer conſternandi & pertrahendi, quò ſe uertant, quidúe incipiant, quò confugiant neſcientes. Hic finis cõtempti uerbi domini, & prophetarum occiſionis & criminum.

¶ CAPVT II.

1 Conuenite, cõgremamini gens
2 non amabilis: priuſquam pariat iuſſio quaſi puluerem tranſeuntẽ diem, antequam ueniat ſuper uos ira furoris domini, antequam ueniat ſuper uos dies indignationis domini.

poſſ

Ad penitẽtiã inuocatur

Post descriptionem malorum, quæ in die uentura sunt domini, populus ad pœnitentiam prouocatur. Conuenite, inquit, estote uobis charitatis uinculo copulati, gens quæ amore dei indigna es, siue impatiens responsatrix, cui displicet omne dei institutum, quæ disciplinam non suscipit, antequam fiat quod prophetatum est, quod ita facile ueniet, quasi puluis pertrãsiens, antequam super uos furor dñi compleatur: simulq; consyderanda dei clemẽtia, cui non sufficit malorũ ucnientiũ impetũ describere prudentibus, sed quia non uult inferre supplicia, sed terrere passuros, ipsemet prouocat ad uitæ emendationem & pœnitentiã, ne faciat quod minatus est. Vos Iudæi, qui pro perfidia uestra nullius estis pretij coram domino, cuius uerbum & prophetas non suscipitis, iam saltem nunc recolligite uos, & conuocati consultate quid uobis faciendum sit, antequam quod de uobis instutum est iudicium Domini adueniat, & compleatur subito, & post breue tempus imminens malum, ne super ueniat nobis per iram Domini grauis uindicta, antequam obruamini die tremendi iudicij diuini, antequam iudicium dei ponat uos uelut stipulam transeuntem quæ proijcitur à uento.

3 Quærite dominum omnes mansueti terræ, qui iudicium eius estis operati: quærite iustum, quærite mansuetum: si quo modo abscondamini in die furoris domini.

Quicunq; in terra relicti estis boni uiri, qui præceptis meis obedire desyderatis, effugere ingruentem terræ uastationem digni eritis. Qui ueremini uerba prophetarum, & auditis uocem meam, humiliter & pia mente domino gratificari cupientes, & quod iustum est & domino placet perficere: qui executores estis legis diuinæ, delendo idola, & ex animo omnia egistis, persistite in bona uoluntate, iustam uitã uiuite, clementiæ studete, ut sæuiente ira dei in alios, uos euadatis. Breuibus dico quid mihi in primis placeat. Id solum est quod exigo, Quærite diligenter & assidue iustitiam, ut benefaciatis omnibus quibus potestis, recte & iuste cõuersando cum proximo, & humiliter sentite de uobis ipsis, non extolliminicordibus & conscientia coram deo, & super reliquos homines, humilitatem & mansuetudinem sectamini, si quo modo abscondamini in die furoris domini, & euadere positis captiuitatem, & cætera mala, quæ contumacibus, præuaricatoribus huius gentis imminent & promissa sunt, propediem uentura.

Quærere iustum.

4 Quia Gaza destructa erit, & Ascalon in desertum, Azotum in meridie eijcient, & Accaron eradicabitur.

Tam ingens uastitas à tam potente & crudeli Babylonio Iudææ accidet, ut etiam fortissimas Philistinorum urbes, quæ semper uobis æquo certamine restiterunt, eadem captiuitas & uastatio apprehendat. Gaza enim destructa erit, Ascalon in solitudinem redigetur, Azotum non furto, sed manifesto & cruenta uictoria trahetur in exilium, Accaron hoc sustinebit quod suo uocabulo sonat, id est eradicabitur.

5 Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum: uerbũ domini super uos Chanaan terra Philisthinorum, & disperdam te, ita ut non sit inhabitator.

Ad maritimam Palæstinam.

Quatuor magnis Palæstinæ urbibus nominatis, nunc ad ipsam generaliter maritimam Palæstinam sermo domini fit, prædicendo excisoribus Cerethim dictis excidium à rege Babylonis. Est autem Palæstina portio quædam terræ Chanaan. Sic autem dicitur disperdenda, ut nullus in ea remaneat habitator, imq; tantam redigetur solitudinem Palæstina, ut omnes eius urbes munitissimæ in ouilia sint pastorũ, eorum qui residui erunt ex Iudæis & Ierusalem, de quorum euersione lætabantur.

6 Et erit funiculus maris requies pastorũ & caulæ pecorum:

7 & erit funiculus eius qui remãserit de domo Iuda, ibi pascẽtur: in domibus Ascalonis ad uesperam requiescẽt: quia uisitabit eos dominus deus eorum, & auertet captiuitatem eorum.

Dum dominus uastauerit populum suum, & fecerit eos regredi, sub Zorobabel & Iesu, & ædificauerint templum, & Ierusalem reædificauerint: tu Palæstina ita inculta eris, sic uepribus & urticis operieris, ut pastores de reliquijs Iudæorum in Ascalone post meridiem requiescant, & in ruinis urbis quondam nobilis greges suos faciant accumbere. Hoc autem fiet, quia dominus uisitabit plebem suam, & auertet captiuitatem eius. Redeuntes autem à Babylone aliquandiu quidem compressi sunt à uicinis gentibus, tandem tamen regnantibus Machabæis omnes suo imperio subiecerunt, quæ tamen prosperitas tanta non fuit, quanta fidelibus promissa est, & in Messiæ regno contigit & sentitur à pijs, qui omnia possident, omnibus fruuntur, Deo semper & maximæ curæ esse se sciunt, indeq; semper gaudent in domino.

Ascalon destruenda.

8 Audiui opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon: quæ exprobrauerunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum.

More aliorum prophetarum post uisionem Iudæ aduersum cæteras nationes uicinas uaticinium uertit, uentura illis prænuntians, sed breuiter, in primis autem contra Moab & filios Ammon, eò quòd præbentes auxilia Babylonio uastauerint Iudam, conculcauerint sanctuarium, templum subuerterint, & dominum deum exercituum semper blasphemauerint. Chaldæi enim post Iudæos captos etiam consequenter cæteras gentes oppresserunt, sicq; factum est, ut qui populo dei insultauerant, ipsi quoq; similia paterentur, habueruntq; Iudam conseruum, quem putabant habere subiectum. Tam Moab Areopolis, quàm urbs filiorum Ammon Philadelphia postea dictæ, blasphemauerunt populum dei.

Contra Moab.

9 ¶ Propterea uiuo ego dicit dñs exercituum deus Israel: quia Moab ut Sodoma erit, & filij Ammon quasi Gomorrha, ficcitas spinarum & acerui salis, & desertum

usque in æternum: reliquiæ populi mei diripient eos, residui gentis meæ possidebũt illos.

10 Hoc eis eueniet pro superbia sua: quia blasphemauerunt, & magnificati sunt super populum domini exercituum.

11 Horribilis dominus super eos, et attenuabit omnes deos terræ: & adorabunt eum uiri de loco suo, omnes insulæ gentium.

Ego Dominus qui possum implere quod comminor, quiq; ego in populo meo patior iniuriam, faciam ut sint quasi Sodoma & Gomorrha, non per omnia, sed hominibus non habitatæ urbes: erunt enim squalidæ, senticosæ & salinæ, hoc est, extremæ uastationi subiectæ, steriles. Quæ omnia prophetarum more per hyperbolen intelligenda sunt, quum hæ regiones post prædictam uastationem iterum habitatæ legantur. Nomenq; æternitatis & sæculi, pro uno sæculo accipi potest, pro aliquanto tempore, & pro una aliqua ætate. Et qui reliqui fuerint de populo Israel, uastabunt hos populos suo modo & tempore. Hoc autem eueniet eis pro superbia eorum, quia blasphemauerunt & magnificati sunt contra populum domini exercituum, qui dominus deus erit horribilis super eos, et horror eius interficiet superbos, fundet sanguines blasphemantium, sed & dispердet & attenuabit omnia idola eorum, ut qui prius tenebantur errore, & domini beneficia non sentiebant, malorum necessitate pressi, sciant idola nihil prodesse, & adorent eum unusquisq; de loco suo, omnes insulæ gentium. Interrogẽtur hic Iudæi, quare deus potissimum has gentes sic puniat, & non totum orbem, in quo Iudæi longe lateq; dispersi sunt. Si enim meretur Moab corripi Iudæis insultans, & filij Ammon, & reliqui in circuitu, quare Gallia non corripitur? quare Britãnias in commi natione non ponit? cur Hispaniæ ea pœna alienæ sunt? De Italia nihil dicitur, de Aphrica cur tacetur? Et ut semel dicam, cum totus orbis Iudæos captiuos teneat, quod solæ gentes hæ tantum commisere flagitium ut solæ nominentur. Hoc potius audiant Iudæi, iamdudũ per Christi Euangelium & apostolos completum, quod hic prædicitur quod dominus deijciet attenuabit & annihilabit omnes deos, qui in tota terra tunc colebantur, etiam à Iudæis. Et quod omnes orbis gentes dominum Deum exercituum solum & unicum adorant, & non tantum pro eo colendo ad Ierusalem currunt, sed de suo quisque loco in omni terra, quæ æquè est domini. Fideles dominum deum uerum adorant in spiritu & ueritate, ut nullus in orbe locus etiam in ultimis insulis supersit, ubi dominus deus uerus non adorari ceperit, ex prædicatione apostolorum & peruagatione Euangelij.

Hyperbolæ prophetarũ

Contra Iudæos dispu tatio.

12 Sed & uos Aethiopes interfecti gladio meo eritis.

Quamlibet longe sitis à Iudæa, & Chaldæa, tamen iram meam per Chaldæos uobis superuenturam non effugietis, & uos sane inter eos, quos gladius meus uulnerabit, eritis, sicut ipsi Palæstini & reliquæ gentes. Vocat autem suum gladium, nihil nempe mali cuiquam immittitur, quod non sit manus domini, quæ nonnunquã certis gentibus & temporibus mala infert, ut se rerum humanarum curam gerere ostendat, & uindicem esse scelerum: non tamen semper pro meritis cuiusq; rependit.

13 Et extendet manum suam super aquilonem, & perdet Assur: & ponet speciosam in solitudinem (&) in inuium (&) quasi desertum.

14 Et accubabunt in medio eius greges & omnes bestiæ gentium: & onocrotalus & ericius in liminibus eius morabuntur: uox cantantis in fenestra, coruus in superlimi- nari, quoniam attenuabo robur eius (ce- drum nudauit.)

Non solum superiores gentes, sed Aethiopes ac Assyrios aquilonariores, & ipsam Assyriaci regni Metropolim Niniuen esse in solitudinem ponendas prædicit, ut in ea cubituræ sint & pacem habituræ omnes bestiæ terræ illius, nemine illas infestante ob hominum absentiam & defectum. Quia autem Niniue speciosa interpretatur, ideo Iudæi in præsenti loco speciosam referunt ad Babylonem, teste Hieronymo, quæ tamen Chaldæorum est regio. Siue autem Babylon, siue Ninive dicatur, certum est utrasque & ipsarum imperia corruisse, & redactas in solitudines, aptissima habitacula ferarum ruinosas specus diligentium, ad quas homines inuiti accedant, uel à quibus procul absint. Ibi enim malia huiusmodi gregatim habitatura dicuntur, ut sunt Onocrotalus uel Cameleon, alicubi Pelicanus dictum animal, & Hericius habitabit in his locis. Vbi nunc sunt portæ ornatissimarum urbium, uel septæ aut limina, ibi tunc ut in uastatarum domuum ruinosis fenestris canent horridiora auium genera, solitudinem & uastitatem amantia. Coruus quoque in liminibus portarum dirutarum iubilabit. Et pretiosæ illic cedri, quæ in domibus obductæ fuerant, auro, argento uel ebore, nudi marcessent, & sedilia præbebunt auibus abhorrentibus humanum consortium. Quibus omnibus loquutionibus propethæ aliud nihil uolunt, quàm maxime nutantes ac horridas solitudines describere, in quam celeberrimæ ac superbissimæ urbes & delicatissimæ regiones conuertendæ sint propter peccata sua Domino irato, quo minus in hoc mundo pretiosa ac superba admiremur uel desyderemus.

Niniue ad Babylonẽ

15 Hæc est ciuitas gloriosa habitans in confidẽtia: quę dicebat in corde suo, Ego sum, & extra me non est alia amplius: quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? Omnis qui transit per eam, sibilabit, & mouebit manum suam.

Insultatio est felicitati Niniue, quasi dicatur: En præclaram urbem, quæ ignara miseriarum, affluentissimis iugiter bonis exultans, procul à metu, secura sedebat, itasecum cogitantem: Ego sum, & præter me nulla alia, nulla urbs, nullum regnum quod meæ uirtuti non oporteat cedere. Quomodo ergo uersa nunc es in solitudi-

nem

nem, habitaculum bestiarum, ut quicunque transeat ore sibilet super te, manúsque iactet cum stupore. Hinc discendum nobis ex fato Niniue & Babylonis (quam ego aliquando coactus sum cogitare unam fuisse urbem, Niniue dictam pro plausu, Babylonem pro odio & malitia, sed quædam obstant quidem quo minus id defendere possim) ex fato inquam earum timēdum est inclytis tam urbibus quàm gentibus, ne nimium tuto uiuentibus & superbientibus, similia usui ueniant, eorum quæ hic & alibi legimus. Nihil quamlibet uiribus præstet stare possc irato deo, quo fauente, nihil quamlibet infirmum, non inuictum immotumq; perseuerare.

CAPVT III.

1 VAe prouocatrix & redēpta (polluta) ciuitas, columba (uiolentiæ.)

Contra Ierusalem sermo est, quam Dominus nominat horridam & prouocatricem, deum scilicet amarum faciens: suo enim uitio dulcem Dominum atq; clementem uertit in amaritudinem: uel quæ præ multitudine scelerum magnorū, horridam deo speciem offerat, quam uoluit esse totam formosam & elegantem. Polluta quoq; & sordida dicitur Ierusalem, urbs sine dubio non columbæ, sed iniuriæ, & humiles suos ciues affligens per uiolentiam ac improbam tyrannidem, quam uoluit dominus esse urbem uirtutis & iustitiæ, pacis & gaudij, fidei & salutis: sed contra fa-

Verba cō lamba.

ctа est urbs horroris, turpitudinis, & uiolentiæ, sacrilegiorum & sanguinis.

2 Non audiuit uocem, & non suscepit disciplinam: in Domino non est confisa, ad deum suum non appropinquauit.

Præceptum domini non audiuit, hoc est, auditum non reuerita est, nec impleuit, uel etiam à prophetis prædicatum cōtempsit, & abiecit, uerbi dei prædicatores audire renuit. Correpta quoque per manum prophetarum, & multis cladibus corporum admonita, noluit suscipere disciplinam, sed continuo euasit improbior. Prementibus quoque aduersis & imgruentibus calamitatibus, non est confisa in domino deo, non ad dei clementiā, sed ad idolorum suorum spurca sacrilegia supplex cucurrit, stulta & impia. Nec ambulat per tergum eius, nec discente eo, Ego sum dominus de propinquo, & nō de longe, ipsa ei appropinquare uoluit: sed abijt post adulteros, & ea quæ dominus ex animo odit studio iniquo amplexata est & quæsiuit.

3 Principes eius in medio eius quasi leones rugientes: iudices eius lupi uespere, nō relinquebant in mane.

Principes eos prin cipes malos

Principes eius quasi leones atrociſsimi semper uersantur in prædis ad effundendum sanguinē subditorum innocentium ac imbecillium, quos tueri et uindicare oppressos debuerant. Iudices eius rapaces, non dimittentes alijs quod ipsi rapere possint. Voraciſsimos & truculentos lupos, non quoslibet scilicet, sed uespertinos, hoc est, qui accensi fame ueſperi, ut quid rapiant oberrāt, etiam ossibus non parcentes, nihil usq; ad mane relinquentes,

qui cum principibus eo loci existentes, ut regi in gubernando regno assistere deberent, curare ut ordine omnia gererentur, nemo fraude circūueniretur, uel ui opprimeretur, ipsi potentia sua abusi, quos defendere ab iniuria debebant, eos ipsi prorsus conterebant atq; perdebant.

4 Prophetæ eius uesani, uiri infideles: sacerdotes eius polluerunt sanctum, iniuste egerunt contra legem.

Prophetæ eius insanientes siue arreptitij, & stupentes, ad gratiam magnatum et populi loquentes, quorum expaueſcebant indignationem, fauores sectabantur, loquebantur quasi ex ore domini, & omnia contra dominum prædicabant. Quum itaq; in dei populo existerent tres ordines, Principes rempublicam administrantes, Sacerdotes ceremonias procurantes, legémque docentes, Prophetæ qui populum ad officium adhortabantur, & de reconditis Dei iudicijs monentes: his statibus corruptis, non poterat non peßimè periclitari totum populi dei regimen. Sacerdotes in loco sanctuarij commiserunt sacrilegium, & cum contra legem facerent, ex lege uictimas exigebant à populo.

Ordines tres in urbe

5 Dominus iustus in medio eius non faciet iniquitatem: mane mane iudicium suum dabit in luce, & non abscondetur: nesciuit autem iniquus confusionem.

Propterea quia illa egerunt iniuste, Dominus iustus non faciet iniquitatem, sed restituet urbi peßimæ quæ meretur. Mane mane, id est manifeste & absque aliqua ambiguitate ac cito faciet de ea iudicium, nec erit qui ab eo possit abscondi. Et hoc faciet dominus, ut correpta ciuitas conuertatur ad melius, sed iniquus Israel non cognouit confusionem suam, nec intellexit idcirco sibi illatas plagas, ut ageret pœnitentiam.

6 Disperdidi gentes (&) dissipati sunt anguli earum: desertas feci uias eorum, dum non est qui transeat: desolatę sunt ciuitates eorum: non remanente uiro, neq; ullo habitatore.

Vindicaui te postea de gentibus, & destruxi imperia eorum qui te ceperant, ut qui per plagas me non senseras, saltem per beneficia cognoscerес. Vel sic: Disperdidi omnes ciuitates tuas, ô Iuda, & omnes tibi subiectos pagos tribus, proximáque confinia: & tanta hominum uastitas fuit, ut non esset qui habitaret in urbibus tuis.

7 Dixi, Attamen timebis me, suscipies disciplinam: & non peribit habitaculum eius, propter omnia in quibus uisitaui eam: ueruntamen diluculo surgētes, corruperunt omnes cogitationes suas.

Postquam hoc feci, misi prophetas meos, consurgens diluculo, & ad pœnitentiā prouocans, dixiq;, Feci quidem tibi hæc ô Ierusalem, ut timeres me, & susciperes disciplinam, & non periret habitaculum tuum, hoc est templum, propter omnia scelera quæ gesseras: at econtrario habitatores Ierusalem, me eos ad pœnitentiam

prouocante, quasi de industria & ex contentione dilu-
culo surrexerũt, ut festinatione qua ad me redire debue
rant, complerent omnes cogitationes suas, & opere de-
monstrarent quod mente conceperant.

8 ¶Quapropter expectate me dicit domi-
nus, in die resurrectionis meę in futurum,
quia iudicium meum ut congregem gen-
tes, & colligam regna: & effundam super
eos indignationem meam, omnem iram
furoris mei: in igne enim zeli mei deuora-
bitur omnis terra.

Nouo capite etiam secundum Iudæos, uaticinari inci-
pit propheta de regno Christi, quod Iudæi sperant per-
petuo futurum. Nos certo credimus uenisse & prophe
tiam hanc cum alijs clare uidemus impletam: ad hunc
legitimum sensum. Quandoquidem toties moniti, resi-
piscentia digna consulere non uultis loco uestro, urbi,
regno & templo, quibus parcere semper uolui, nihil
negligens eorum quibus uos meliores fieretis, prophe-
tijs & beneficijs, ut per uos nomen meum glorificare-
tur in gentibus, uestro bono & commodo. Agite uos,
quia gloriam meam zelatis, & religiose me colitis, ex-
pectate me, & sustinete, donec in perpetuum stabilire
incœpero gloriam meam, & potentiam meam notam
facere, non iam uni genti Iudaicæ, & uni regioni Cha-
Ecclesiæ collectio. nanaicæ, sed me dominum omnium & uindicem demon
strabo, omnibus gentibus terris & regnis. Iudicium
enim meum est, ita decreui colligere mihi gentes, &
congregare in unam meam ecclesiam, multis ac arduis
beneficijs prosequendam. Postquam prius contra eos
effudero indignationem meam, non tam contra homi-
nes, quos creaui & suscipiam, quàm contra illorum ui-
tia, perfidiam, ignorantiam, errores & superstitiones:
contra hæc, inquam, effundam iustam indignationem
meam & furorem, contra omnia idola eorum, & pec-
cata: in feruore enim zeli mei, quo gloriam meam non
amplius patiar opprimi, & ab indigno Iudaico populo
perpetuo contemni & illudi non feram, eliminato re-
gno Satanæ & impietatis, suscitabo mihi regnum Chri
sti mei, qui hactenus & usque nunc semper est expecta
tio gentium, illud erigam, calcato & eradicato regno ui
tiorum & perfidiæ.

9 Quia tunc reddam populis labium ele-
ctum, ut inuocent omnes in nomine Do-
mini, & seruiant ei humero uno.

Quum per regnum Messiæ filij mei iuxta uetustissi-
ma promissa mea mundum uniuersum, & omnes gen-
tes ad cultum meum conuocare incœpero. Vertam ego
Labium electum omniũ gentium. super uel ad populos omnes labium purum, ut qui prius
me tantum blasphemare consueuerant, & suis uel æ-
quare uel subdere dijs uel idolis, & omnes cultores me-
os perfecto odio perdere, hi tunc incipient abiurare om
nia idola, omnes falsos deos suos, uarios errores, & infi
nita sacrilegia sua, eliminare omnem statuam, & falsi
dei culturam: me autem concordi uoto & deuotione,
sancto meo spiritu afflandi, confitebuntur: & lauda-

bunt unum uerum & solum deum, creatorem omnium,
dominum & rectorem mundi totius, dominum deum
exercituum, Deum Abraham, Isaac, Iacob & Mosis.
Cuius quoque uerba suscipientes, deuotissime illis perse
cta & perpetua fide inhærebunt. Cuius nomen glorio-
sum inuocabunt omnes, & una fide colent in spiritu,
non posthac in utrunque humerum inclinando claudi-
cabũt, ut Israel, sed una fide, spe & charitate me colent
omnes quos elegero, ex omnibus gentibus, in tota terra,
ut præter me deum nullum sint uel nominaturi uel agni
turi sicut nec culturi.

10 Vltra flumina Aethiopiæ: inde supplices
mei filij (filia) dispersorum meorum defe-
rent munus mihi.

Christi glo riz diffusa denũtia. Tunc ex ultimis & remotissimis gentibus, etiam quæ
sunt ultra flumina Aethiopiæ, æquè intelligendum de
reliquis terræ ultimis finibus, uenient ad me gentes, non
gressibus pedum, qui mea maiestate repleo orbem, &
nusquam absum, sed gradibus fidei, spei, & charitatis,
quibus solis uictimis digne me colent. Aethiopia præ-
ueniet manus eius deo. Tunc legifero uero Christo do-
mini Aethiopissa nubet, inuidente synagoga. Supplices
illi mei, qui se totos mihi dedent ex omnibus gentibus
fideles, & uerbo meo credentes, una cum israelitis in-
terim in totum mundum dispersis, dignum mihi confes-
sionis, laudis, fidei, & amoris, obedientiæ & deuotio-
nis munus passim & in tota terra deferent, sacrifica-
buntq; orationis suffitum & fidei.

11 ¶In die illa non confunderis super cun-
ctis adinuentionibus tuis, quibus præua-
ricata es in me: quia tunc auferam de me-
dio tui magniloquos superbię tuę, & non
adijcies exaltari amplius in monte sancto
meo.

Quando gentium multitudo crediderit, etiam tu Is-
rael non penitus cõfunderis super cultis erroribus tuis, Fidelium multitudo.
quibus me tanto tempore toties offendisti. Cognoscent
enim omnes gentes salutem suam eis processisse ex semi
ne Dauid & Abrahæ secũdum carnem. Agnoscent om-
nes ueritatis uerbum, & domini dei iudicia et iustitias,
soli tibi olim fuisse peculiariter manifestatas, tuũ deum
solum esse uerum deum, utcunq; eum ægrè, indigne &
neglectum colueris. Confunderis quidem ob adinuentio
nes tuas prauas, sed gloriosa dicta erunt de te ô ciuitas
dei. Certatim curretur ad domum dei Iacob, ad montem
Sion, Christo regi tuo & fratri dabitur omnis gloria, ho
nor & potestas. Apostolis fratribus tuis simplicibus pi-
scatoribus credetur in toto orbe à sapientissimis huius
mundi proceribus, contra omnium sapientissimorũ phi
losophorum & oratorum decreta: qui paterna sacra et
ceremonias abiecturi, humilem Christi doctrinam ac cer
tissimam ueritatem agnoscent, & sanguine usq; ad mor
tem defensabunt. Hæc grandia fuissent, si propheta tam
multis dixisset, minima tamen portio eorũ est bonorum,
& gloriæ sanctorum Iudæorum, quæ facta nunc esse
mundus totus testatur, præter infelicium Iudæorum per
tinatiam, quam olim quoq; dominus aspiciet, & clemen

ter

ter illustrabit, & in ecclesiæ sinum susceptos fouebit eadem fide & consolatione qua olim Abraham & Israel Dauidemq; & prophetas felices reddidit, & sanctos per fidem scilicet & charitatem non fictam. Tũc quoq; auferam iactatores superbiæ tuæ, ut non ultra uelis uel possis tete reliquis fidelibus ex gentibus præferre, quasi solum semper te uenditans esse populum Dei electum, cum uideris filios fidei tuæ replesse mundum, ut ad sufficientiam mirari non ualeas unde tibi aduenerint tot filij, & fidei tuæ patrumq; tuorum ac generis benedicti laudatores, qui olim pariter illius persequutores erant. Superbiatu de futura. Tunc quoque non addes superbire de tuo aureo templo, de arca tui fœderis, quod nunquam seruasti, de Hierosolyma illa Iebusaica, toties in ruinas conecta: sed agnosces sanctuarium domini, Christum filium Dei saluatorem mundi, & Hierosolymæ plateas tunc primum intelliges esse potentissima regna mundi, suburbia illius, Europam, Aphricam, Asiam & Indiam. Quid multa? Agnosces ueritatem dei, & perfidiam tuam, bonitatem illius, & duræ ceruicis tuæ cõtumaciam ipsa quanquã nimis tarde dolebis.

12 Et derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum: & sperabunt in nomine domini.

Totum pondus gloriæ tuæ redigetur & perueniet in quasdam reliquias modicas, humiles & pauperes, in cœtum apostolicum, suorúmque discipulorum, quorum tota gloria & felicitas erit pro nomine domini pati omnia aduersa, ex fide & charitate in dominum Deum suum, de suis uirtutibus nihil polliceri uel gloriari, sed de gloria nominis diuini, quam per gratiam diuini spiritus agnouerunt, quorum tota salus & sanctitas erit, fiducia bonitatis dei, per Christum filium dei, regem sæculorum omnium, & saluatorem mundi. Reliquiæ Iu dæor.

13 Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mẽdacium, & non inuenietur in ore eorum lingua dolosa: quoniam ipsi pascentur & accubabunt, & non erit qui exterreat.

Hæ reliquiæ fideliũ ex Iudæis & gentibus nequaquã facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, credentes firmiter ueritati in Christo, unctione diuina edocti. Nec inuenietur in ore eorum lingua dolosa, scientes & persuasi omne mendacium à diabolo esse, quorum omne studium erit uera discere, scire & docere, proq; ea certare usq; ad mortem. Ipsi quoque pascentur in pascuis domini, ubi illis nihil deerit, in quas ipsos dominus misericorditer collocauit, translatos ab errore in fidem, à peccato in iustitiam, à morte ad uitam, à miseria temporali ad felicitatem consummatam & tutissimam, ubi nullus hostis exterreat, satanas nihil possit, & mors ipsa uitæ sit ostium, & gaudium mentis & corporis. Sic non erit qui eos exterreat, uincente fide credentium perfectorum superbiam. Hoc de primo aduentu Christi intellectum sit, quod Iudæi sibi semper promittunt & sperant, ut habitaturi sint in Hierosolyma reædificanda, & in morte multorum pecorum Domino offerendorum pecorum more corporalibus delitijs & opibus incumbendi, ut pascantur aliquãdo in herbis uiridibus, & deletis cunctis gentibus, sibiq; subiectis, nullus possit resistere qui eos exterreat. Christiani ab peccant.

14 Lauda filia Sion, iubila Israel: lætare, & exulta in omni corde filia Ierusalem.

Ecclesiæ fidelium in regno Messiæ felicitatem more aliorum prophetarum explicat, sub nomine Ierusalem Sion & Israel: prophetarum enim temporibus Ierusalem sola in uniuerso orbe dei ciuitas dicebatur & erat, expectabaturq; ex ea Euangelium salutis ad omnes gentes dimanaturum, ideo ecclesia sanctorum, id est, deo fidelium & seruientium, dicta est Ierusalem, spiritu quidem collecta, corporibus uero quàm late orbis patet dispersa. Inuitat ergo fideles ad lætitiã in spiritu, primum ex Iudæis conuersos per Sion, deinde ex gentilibus filios fidei Abraham per Israel, & sic nomine Ierusalem totã ex illis duobus populis collectã ecclesiam. Ideo autẽ gaudere uult & iubilare tam spiritu quàm uoce, quia fruitura sit felicitate infinito maiore, quàm mens queat humana cogitatione complecti. Felicitas ecclesiæ in regno Messiæ.

15 ¶ Abstulit dominus iudiciũ tuum, auertit inimicos tuos: rex Israel dominus in medio tui, non timebis malum ultra.

Quæ tibi, ô fidelium populus, mala immiserat dominus, hoc est, iudicium tuum, pœnas quas digne pro tua olim infidelitate sustinueras, captiuitatem inter hostes, gladium, bestias, pestem, & omnia aduersa, nunc abstulit, & ad gratiam suam uocauit: auertit hostes tuos, ut qui hactenus propter ueri dei cultum & falsorum odium, te sæpe & multum uexauerant, iam nunc ueritate agnita, non solum desinant persequi, sed tibi quoque coniungi fide & animo, tecum potius sustinere mala parati, quàm decidere à semel agnita ueritate fidei in unũ Deum per Christum dominum, iam enim tam gentes quàm Iudæi per Euangelium edocti agnoscunt suum regem Messiam Christum, habitantem in sua ecclesia, dominum fontem & authorem bonorum omnium, ut iam nihil mali timeant, præsente sibi saluatore & rege felicissimo. Christus in medio ecclesiæ.

16 In die illa dicetur Ierusalem, Noli timere: Sion, non dissoluantur manus tuæ.

17 Dominus deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione tua (& sua) exultabit super te in laude.

Cum Christi regnum adauctum fuerit acceßione gentium, & gratia diffusa in corda fidelium, omnia quidem feliciter habebunt, non tamen sine omni timore mali fideles esse poterunt, sed continuo consolabuntur per uerbum domini, quibus per Euangelium gratiæ dicetur, ut non timeant, ne scilicet timore aliquo conturbentur, ne in bono opere manus remittantur, quod trepidantium est. Secunda enim & optata omnia aderunt, quia dñs deus in medio eius erit, qui illis erit omne bonũ, unus et uerus deus, qui sua omnipotẽtia sufficiet tibi, et bonitate saluare uolet: de quo uehemẽter semper in dño gau- Vnde felicitas ecclesiæ.

dere poterit, qui & ipse dominus super suis fidelibus lætabitur benefaciendo, effusior ad dandum quàm illi ad petendum futurus. Totus enim sibi complacebit deus in sua ecclesia, ut & ipsa secum in conscientia tuta sit, & cum gaudio foris erumpere possit in opera pietatis & gratiarum actionem. Cum enim amor dei erga suos uerbis humanis explicari nequeat, quicquid omnino in amore uehemens est & flagrans, illi se dominus cõparat & præfert: hinc modo patris, nunc matris, tum et mariti affectum sibi sumit, quum omnes in immensum superet & excellat, id quod sibi uere fideles persuadere debent & possunt.

18 Nugas quæ à lege recesserãt (afflictos de cœtu auferam) congregabo (quia) ex te erant: ut non ultra habeas super eis opprobrium.

Afflictos de cœtu distractos in exilium tunc auferam. Faciam ut nulli futuri sint in ecclesia afflicti, & affecti molestia, quia remoti erunt opprobrio afficientes dei populum. Id quidem notabiliter contigit Israeli Machabæorum temporibus, sed longe illustrius in regno fidelium per Christum, ubi opprobrium simulachrorum & perfidiæ ablatum est, donec uerbum domini uiguit in ecclesia: quod ubi negligi cœptum est, & traditiones humanæ in locum repositæ, omnia passim in ecclesia impleta sunt opprobrio & despectione, errore dogmatum, & uitijs morum, idque in omni statu: quod auferri non potest, nisi denuo uerbum domini regnare incipiat, & fideles non ab alio pendere cupiant quàm à domino, per Christum regem & saluatorem credentium.

Opprobriũ simulachrorum.

19 Ecce ego interficiam (facio) omnes qui afflixerunt te in tempore illo: et saluabo claudicantem, & eam quæ ejecta fuerat congregabo: & ponam eos in laudẽ & in nomen, in omni terra confusionis eorum.

Conficiam & interficiam omnes eos qui te adfligent in tempore illo, agam ut nemo illorũ tibi nocere possit, nemo te affligere audebit amplius. Alij legunt, Omnia hæc bona promissa tibi propter te faciam in tẽpore illo, ut agnoscas amorem erga te meum. Et saluabo te eo tempore claudicantem, & congregabo ejectam, quoslibet contemptissimos & humillimos faciam salutis participes. Colligam enim intra istam meam ecclesiam pauperes, debiles, cæcos & claudos, prægnantes & pueros: faciamq; eos laudatos, et donabo celebri nomine, quod magnifice præstitisse uidetur in apostolis, & primis ex Iudæis & Gentibus fidelibus, pro ueritate primũ quidem occisis, quorum tamen celebris per omnia interim sæcula perseuerauit fama & commendatio. De quibus dicitur in Zacharia: Decem homines ex quibuslibet linguis gentium apprehensuros laciniam uestis uiri Iudæi, ac dicturos: Eamus uobiscum, quia audiuimus quod apud uos sit deus. Differsi enim Israelitæ, per Euangelium conuersi per apostolos, & Christi discipulos, Euangeliũ magnifice promouerunt per dei gratiam in toto orbe, quibus credulam gentes aurẽ præbuerunt, & in summo deinde pretio haberi cœperunt, qui prius ignominiose semper tractati fuerant, ob unius dei culturam.

Gentium ad deum conuersio.

20 In tempore illo quo adducam uos, & in tempore quo cõgregabo uos: dabo enim uos in nomen & in laudem omnibus populis terræ, quum conuertero captiuitatem uestram coram oculis uestris, dicit dominus.

Emphaticos legendum: quasi dicat, Eo tam felici secundo Felix quilo. lo, quod satis commẽdare non possum, quo colligam uos, & glorioſos faciam, & laudatissimos in omnibus populis, in quo denique auferam captiuitatem uestram, ut si uelitis, animo conscientia & corpore rebusq; liberi esse uel fieri possitis, omnem uestram miseriam prorsus abolebo. Id oculis uestris uidebitis, et reipsa percipietis, non tantum ex promissis sperabitis. His & omnibus superioribus tanquam sacram & supremam confirmationem subiecit, Dixit Dominus Quasi dicat pheta: Hæc quæ præclara à deo & diuina uobis pollicitus sum, ne dubitetis certo euentura: neq; enim ex me illa dixi. Dominus deus testatur, qui & antea uobis cumulatissimè benefecit. Is hæc prædixit & præstabit ubertim omnia, tantum ei fidem habete, & æquanimiter, dum tempus horum appetat, expectate.

FINIS.

COMMENTARIA IN AGGAEVM PROPHETAM, QVI inter XII. Decimus.

CAPVT PRIMVM.



IN ANNO SECUNDO Darij regis, in mẽse sexto, in die una mensis: factũ est uerbum domini in manu Aggæi prophetæ ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedec sacerdotem magnum, dicens:

Præmittunt prophetæ tempus missionis suæ, ut historiæ euidentior sit certitudo, dum quo tempore sit dicta, Tempus hab & sub quibus regibus clarucrit. Secundus autem hic annus Darij, fuit secundum Hebræos septuagesimus captiuitatis, uicesimus autem à primo reditu sub Cyro, quando iacto fundamento templi, construxerant altare, impediti per aduersarios, ut prophetia domini per Ieremiam compleretur, ne ante septuagesimum annum templum domini extrueretur. Darius autem iste rex Persarum filius fuit Histaspis, qui regnauit Olympiade sexagesima quinta, quartus post Cyrum secundũ Eusebium, cui successerat Cambyses, qui & Artaxerses, deinde secundũ eundẽ, magi duo mensibus duobus, quos secutus dicitur hic

bie Darius. Nõ fuit aũt propheta ex his qui proprio motu currũt, uel sua loquũtur somnia, sed à domino missus, authoritate accepta, organũ, id est, manus fuit spiritui diuino, cuius & uerba dixit, difficili sanè prouintia oneratus, dicendi ueritatem, principes & populũ inuadendo, contra mandatũ regum solicitando, hostium quoque in propinquo existentiũ uoluntatẽ, duramq; ceruicem Iudaicæ gentis. Zorobabel autẽ dicitur filius Salathiel, cuius tamen dicitur fuisse nepos, filius autẽ Pedaiæ. Dicuntur aũt duces nõ reges, de tribu tamen Iuda, tanquã præstãtiore, à quibus Christus dominus nasciturus erat, Machabæi autẽ & Herodes non fuerunt de tribu Iuda.

Prophetæ officium.

2 Hæc ait dominus exercituũ, dicens: Populus iste dicit, Nondũ uenit tempus domus domini ædificandæ.

Cunctatio in bono.

Cunctabantur in ædificatione templi, propter multas calamitates illius temporis, ex annonæ caritate, hostiũ insidijs & contumacia, ex regum imperio, ob paucitatem ipsorũ & paupertatẽ. Interim tamen suis negotijs incumbebant satis diligenter, increduli uerbis prophetarum, qui tempus adesse dicebant ædificãdi templum, anno scilicet septuagesimo, à cuius initio illud inchoasse debuerant, quorum nunc ignauia coarguitur, in opere dei, cum in proprijs essent studiosi.

3 ¶ Et factum est uerbum domini in manu Aggæi prophetæ, dicens,

4 Nunquid tempus uobis est, ut habitetis in domibus uestris laqueatis, & domus ista deserta?

Diuina præsentia nunciata hu manis.

Ad populum nunc loquitur, iussus à domino. O uos, inquit, increduli & procrastinatores operis domini, qui uestra ædificia tam diligenter urgetis, tamq; sumptuosas & amplas suscitatis, cedrinis tabulis incrustatas, non sine peccato, quod & Amos propheta notat, Esaias & Ieremias, interim tamen domum dei nõ ædificatis, sed desertã relinquitis: cum si in temporalibus uelletis, primùm regnum dei quærendũ erat, non tam propter deum quàm pro seipsis. Non egebat dominus ædificio illo, sed fidei deuotionem negligere quando templum domino extrui debebat, & sacrificia domino offerri secundũ legem.

5 Et nunc hæc dicit dñs exercituũ, Ponite corda uestra super uias uestras.

Opus uobis iniunctum alacri corde perficere studete, recogitate in animo uestro quæ sint uiæ uestræ, quales sint successus studiorũ uestrorũ & operum, ut uos deus pœnitentiæ & humiliarit, ut apertis tandem oculis immoriendi. uandæ uitæ desyderio corripiamini, & ad diuinæ misericordiæ auxilium confugiatis.

6 Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & nõ estis satiati: bibistis, & nõ estis inebriati: operuistis uos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.

Primum regnum dei quærendũ.

Omnis uester labor profectu caruit: seminastis plura, cuius comparatione pauca congessistis, nec potestis dicere quod in exercenda terra agricola cessauerit: comedistis, & non estis saturati, quia paruos fructus congregueratis in horrea: unum bibistis è uineis, sed non tantum ut lætaretur cor uestrum: habuistis palliũ, sed quod frigus non repelleret, nec seruaret calorem. Labor uester omnis sine pretio laboris impẽsus est. Omnes enim, uelut si quis in pertusum sacculum mittat, pecuniæ defluxerunt. Id miseri nõ attenditis, & ob quamuis aliam causam quàm propter peccata uestra, & iram dei, accidere creditis.

7 ¶ Hæc dicit dominus exercituũ, Ponite corda uestra super uias uestras,

8 ascendite in montẽ, portate ligna, & ædificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glorificabor dicit dominus.

Repetit quod dixerat paulò pluribus & diuersis uerbis, ubertate stili Asiatici, inculcãdo, ut cogitent quare omnia sua illis infeliciter succedant, ut alacriter aggrediantur opus iniunctũ. Iubet ascendere in montẽ Libani Iudæos, & secare ligna ad templũ. Vtinã sic quoq; mundani homines uelut syluarũ arbores in ædificiũ domino gladio uerbi dei aptentur, & securi serioſi operis. Hoc loco notandum contra Iudæos Iudæorũ dictum, Quinq; res defuisse secũdo templo, idq; satis rationabiliter, quæ fuerunt in primo: arca domini, id quod est contra authorem secundi libri Machabæorum: Vrim uethummim: oraculum illud & splendor ex pectorali summi pontificis: ignis cœlitus delapsus, qui holocausta absumeret: diuinitatis specialis præsentia, & spiritus sancti influxus, fortaßis eo intelligunt oracula prophetarum, idq; significari per defectum He literæ in uersu octauo, in dictione Et glorificabor, id est, gloriosus apparebo, non tam propter ornamẽta aurea & mira donaria regum, quàm propter Christum, qui in eodem templo diuinam esset sapientiam docturus: exauditurum quoque se polliectur orationes fidelium in loco isto, ut olim in Salomonis templo, & tabernaculo Mosis.

Quinq; res in tẽplo secundo defuerunt.

9 Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus, & intulistis in domũ, & exufflaui illud: quã ob causam, dicit dñs exercituũ? quia domus mea deserta est, & uos festinatis unusquisq; in domum suam.

Minatur ut suprà, Quandiu intermittitis ædificium templi, frustrabitur omnis spes uestra. Expectabitis magnam messem, & minimam inferetis, & quamuis minima sit, non tamen ea fruemini: nam inuectam in horrea exufflabo, id est inutilem reddam, ut disperdatur sicut puluis à uento. Causa est, Quia contemptis diuinis sua sectantur, currunt in ædes suas sumptuosas, & domum dei despiciunt.

10 Propter hoc, sup uos prohibiti sunt cœli ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen suum:

Pœna inobedientiæ.

Hanc pœnam Deut. 28. deus præceptorum suorum transgressoribus minatur: nempe cœlum eis futurũ æneum, & terram ferream, dum cœlum nec pluit nec rorat, terraq; propter siccitatẽ fit inarabilis. Prohibentur

igitur cœli, non ſolum ut nõ dent pluuiam, ſed etiam ne rorem quidem ſpargant: & terra negat ea, quæ ſponte abſq; hominum cultura producit.

11 & uocaui ſiccitatem ſuper terrã, & ſuper montes, & ſuper triticũ, & ſuper uinũ, & ſuper oleum, & quęcunq; profert humus, & ſuper homines, & ſuper iumenta, & ſuper omnem laborem manuum.

Obediunt omnia deo præter hominem.

Deus uocat ſiccitatẽ, id eſt, ordinat ac præcipit fieri. Vtitur autẽ propheta uerbo Vocaui, ut diſcamus omnia ad ſolum nutum deo ſicut ſeruos domino obedire, quæ mox ut accerſuntur præſto ſunt, & obediendo reſpondent, ſolum autẽ homo inobediens uerbum dei contemnit. Imperat igitur deus ſiccitati, ut ſit ſuper montes, ut ab illis nulli fontes defluãt, & ne cadat ſuper eos ros: & ſuper terrã, ne fontes deſubtus ſcaturiant: & ſuper frumentum, quando propter æſtum & cauma enata ſeges ſucco carens ſteriles ariſtas profert: & ſuper uites ac oleas, dum uuæ ac baccæ prorſus exiccantur: ſuper homines & iumenta, quando anni ſiccitatem ac intemperiem cœli peſtis ſequitur hominũ & beſtiarũ, & ſic tandem merces ac hominum labores uileſcunt.

12 ¶ Et audiuit Zorobabel filius Salathiel, & Ieſus filius Ioſedec ſacerdos magnus, & omnes reliquiæ populi uocẽ domini dei ſui, & uerba Aggæi prophetæ, ficut miſit eum dominus deus eorum: & timuit populus à facie domini.

Tam principes quàm populus non abſq; fructu audierunt uocẽ domini, humiliati afflictionibus multis. Reliquiæ uerò populi dicuntur, quia magnã partem indicat peſte abſumptã ac fame, uel fuga dilapſam, ſiue olim in captiuitate, ſiue nunc poſt reditum. Ita autem oportet audire prophetas domini, ac ſi deus ipſe audiretur, & timere dominum, ſi minus ſtatim admonitionibus ſacris acquieſcant. Cognoſcebant ſingulari dono dei prophetam miſſum, & uim uerborũ diuinorũ ſentiebãt (agnoſcunt enim oues uocẽ paſtoris legitimi) quæ tamen abſq; promiſſionibus trepidabant, & propria ſectando, ædificationem dei intermiſerant, ideo non habent unde ſe protegant, uel quò excuſando confugiant.

Prophetæ audiendi.

13 Et dixit Aggæus nũtius domini, de nuntijs domini, populo dicẽs, Ego uobiſcum ſum dicit dominus.

Dei uerba loquuntur prophetæ

Cauet iterum propheta, ne quid è ſuo capite, ſed eloquia dei comprobetur attuliſſe. Angelus autẽ domini dicitur, quia ab eo miſſus ut nũtius. Vno autẽ uerbo Euangelico confortat, quos terruerant minæ, & uicini hoſtes, qui hactenus ſemper opus prohibuerant. Promittit enim auxiliũ ſuum deus, dicens: Ego uobiſcũ ſum, ne timeatis hoſtes, amodo non poterũt prohibere, hactenus nondũ tempus erat, poſthac uobis regẽ placabo: omnia poteritis in me, qui uobiſcum ero.

14 Et ſuſcitauit dominus ſpiritum Zorobabel filij Salathiel ducis Iuda, & ſpiritum Ieſu filij Ioſedec ſacerdotis magni, & ſpiritum reliquorũ de populo: & ingreſſi ſunt, & faciebant opus in domo domini exercituum dei ſui.

Diſcimus omnia opera noſtra eſſe bona domini, atque adeò, ut etiã ipſum uelle & audere proficiſcatur à domino, qui ſpiritũ & cor ſuſcitat, & intrepidũ animum ſancta audendi miniſtrat, & alacriter aggrediẽdi quod iubet. Iam ut feliciter Iudæi ædificarint, habes 1. Eſdræ 5. Regnum etiam cum ſacerdotio anniti debent communiter ad ædificationem eccleſiæ. Verum inter primum diem ſexti menſis, quo dominus loquitur per Aggæum, & uiceſimumquartum, quo opus aggreſſi ſunt in domo domini, patet uigintiduos medios interfectiſſe, ut cunctatio populi notetur, & ſolita perfidia teporq; aggrediendi opus domini, etiam ſub ſanctis principibus. Nos quoque, ſi fidem habuerimus uerbis dei, ut ſit mens concors in domo domini, ſtrenue & proſpere operabimur opus domini in eccleſia.

Opera à domino.

¶ CAPVT II.

1 IN die uiceſima & quarta mẽſis, in ſexto (menſe) in anno ſecundo Darij regis.

2 In ſeptimo (menſe) uiceſima & prima menſis: factum eſt uerbũ domini in manu Aggæi prophetæ, dicens:

3 Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducẽ Iuda, & ad Ieſum filiũ Ioſedec ſacerdotẽ magnũ, & ad reliquos populi, dicẽs,

In Hebræo uerſus ultimus prædicti capitis iungitur cum ſequenti, in hunc ſenſum. Ea quæ ſupra dicta ſunt, quomodo Iudæi cœperint ædificare in domo domini, ſacta quidem ſunt die uigeſimaſexta ſexti menſis: quæ autem ſequũtur dicta ſunt menſe ſeptimo. Ceſſantibus aũt externis hoſtibus prohibere ædificium templi, ſuborirı cœpit domeſticum malum, torpor & triſtitia, quæ animos inuadebant, pro eo quod Cyrus præſcripſerat certam menſuram templi multò minorem, quàm erat templum prius à Salomone conſtructum, de quo minus ſperare illuſtria poterant. Vnde & uehementer flebant & lamentabantur, hi, qui prius templũ olim conſpexerant iam ſenes, cum illuſtrius ædificare uoluiſſent quàm poſſent. At benigniſſimus deus etiam in hoc mœrore conſtitutos, longanimis magis quàm iraſcens, cõſolatur: & à puſillanimitate dehortatur, promittitq; maiorẽ ſecundi templi gloriam futuram quàm primi.

Malum & medicina.

4 Quis in uobis eſt derelictus, qui uidit domum iſtã in gloria ſua primã? & quid uos uidetis hanc nunc? nunquid non ita eſt, quaſi non ſit in oculis ueſtris?

Dicere uult, Audio ſeniores, qui Salomonis templum uiderunt multũ lugẽtes, quia iſtud amplitudine & magnificentia illi nõ ſit æquale, uſq; adeò, ut pro nihilo habeatur illud ædificiũ, quamuis hoſtes ægrefirrẽt & accuſarent ipſos, quod pro templo caſtellũ extruerent.

5 Et nunc confortare Zorobabel, dicit dominus: & cõfortare Ieſu fili Ioſedec ſacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit dominus, & facite, quoniã ego uo-

uobiſcũ ſum, dicit dominus exercituum.
6 Verbum quod pepigi uobiſcũ cum egre deremini de Aegypto, & ſpiritus meus ſta bat in medio ueſtrum, nolite timere.

Principes agant cum populo.

Hortatur ut ſtrenue agãt principes cum populo, quia proſperè illis omnia ſint ceſſura, ſi tamen deum timue rint & illius uerbum fecerint, quod promiſerunt cum educeret eos de Aegypto, in monte Sina per Moſen. Ego enim, inquit, uobiſcum ero, & ſpiritus meus ſtabit in medio ueſtri, hoc eſt, grati & accepti mihi eritis. Spi ritus enim dei eſt bona uoluntas eius, qua gratos nos ſi bi ſuis donis locupletat, ne ſimus & nos ultra ſoliciti, tantũ curemus ut impleamus & obſeruemus mandata dei, & operi diuino fortiter inſiſtamus, nihilq; negliga mus. Dominus enim quod per nos incipi uoluit ſua tan dem bonitate feliciter abſoluet.

7 ¶Quia hæc dicit dñs exercituũ, Adhuc unum modicum eſt, & ego cõmouebo cœ lum & terram, & mare, & aridam.

Mœrentes Iudæos nunc conſolari incipit, promittẽdo mirant templi magnificentiã, futuris temporibus obuen turam, uolens ut interim præſentibus beneficijs cõtenti

Typi ſecun di ſplendor.

eſſent & longanimes. Externus autem templi decor mi re auctus eſt ſub tempore Herodis regis, ut contenderit etiam cum magnificentia quam habuit templum Salo monus, ut legitur apud Ioſephũ cap. 13. lib. 15. Antiquitã tum. Breue autẽ tempus uocat & modicũ, illud in quo notitia dei ueri & reprobatio idolorum peruagatura erant totum mundum, & ampliſſima regna Perſarum, Græcorum, Romanorum, concuſſura erant orbem to tum, qua concuſſione impietas punienda erat, & or bis componendus ad ſuſcipiendum ſuo tempore Chriſti Euangelium, per prædicationem apoſtolorũ, per quam renouatus eſt mundus, & gloria dei & maieſtas toto in

Commotio mundi.

mundo agnita & reuerita, eliminata ſpurcitia idolo rum & cæterorum errorum. Quod totum non indigne dicitur commotio cœlorum & terrarum, maris & ari dæ, ob ſtupenda quoque miracula, quæ non ſolum ma gnifica Chriſtus dominus & multa ædidit, ſed etiã apo ſtoli, quibus gratiam miracula maiora patrandi promi ſit, dedit, & toti mundo ad ſui conuerſionem oſtendit. Denique de cœlis nobis locutus eſt deus in filio ſuo, cœle ſtibus promiſſionibus animauit ad glorificandũ deum. Magna quidem gloria templum affectum eſt, ab arro gantiſſimo alienigena Herode, quæ tamen deſtrui po terat. Opes denique quas Herodes uel Helena Adiabæ norum regina Iudæis contulit non ſuſpicimus, ſed quas

Chriſti ad Chriſtus ſuo aduentu humano generi conceſſit noua E uangelij gratia benedictiones, non ſine maximis miracu lis, de quibus & Ioel multa futura prædixit, quæ apoſto li uiderunt, & teſtati ſunt magnificè completa, & quæ in Euangelijs ſcripta leguntur, & in priſcis ſanctorum geſtis magnificis. Quis enim negabit uocationẽ omniũ gentium, ad ſtabilem fidem in unum deum, à qua toties Iſrael defecerat tam impie, poſſe dici cõmotionem ter ræ & maris & ſolitudinis? Quis magnificentiam ueri Iſraelis explicet ſufficiẽter? de qua Eſaiæ 60. Surge illu

minare, quia uenit lux tua &c. Tunc uidebis & illu ſtraberis & formidabit & dilatabitur cor tuum, quan do conuerſa fuerit ad te multitudo maris, potentia gen tium uenerit tibi &c.

8 Et mouebo omnes gentes & ueniet deſy deratũ cunctis gẽtibus: & implebo domũ iſtam gloria, dicit dominus exercituum.
9 Meum eſt argentũ, & meum eſt aurum, dicit dominus exercituum.
10 Magna erit gloria domus iſtius nouiſſi mæ plus quàm primæ dicit dominus exer cituum: & in loco iſto dabo pacem, dicit dominus exercituum.

Commotio illa, accurſus eſt populorũ ad uerbum dei, dum uiolenti regnum dei rapiunt, & commouentur ad oſtenſiones ſignorũ, quæ ſub Chriſto cœperunt, & per apoſtolos ſunt impletæ. Et ueniẽt omnia deſyderabilia, Chriſtus deſyderiũ eſt ſeculi totius.
quod Rabi Dauid Kimhi, primo Regum 9. ſimiliter po ſitum exponit, Regnum, & bene. Chriſtus eſt enim & regnum ſuum, expectatio & deſyderium: hoc eſt, opti ma quæ deſyderari poſſunt à fidelibus omniũ gentium. Quod quidem & Iſaias explanat, Abundantia camelo rum operiet te, Dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba &c. Singulæ enim gentes non tam pretioſa ſua attulerunt domino, quàm inuenerũt apud Chriſtum, & abſtulerunt ſibi optima quæque, quæ in mũdo à pijs & bonis deſyderari poſſunt. Quid enim nobis de pretioſis illis corporalibus, quæ pijs oneri ſunt non honori, mo leſtia ſunt non felicitas, abominatio non deſyderiũ, reie ctamenta non theſauri? Venient quoque ad Chriſtum omnes gentes, ab oriente & occidente, ut accumbant cum Abraam, Iſaac & Iacob in regno cœlorũ & Chri ſti, ut nulla hinc detur euaſio Iudæis. Et implebo domũ Gloria eccleſiæ ſanctæ.
illam gloria. Non ſolum diuitijs & facultatibus immen ſis, & eximio decore honoratum eſt illud ſecundũ tem plum, quod carnales illi Iudæi deſyderare uidebantur, quos & propheta conſolatur his uerbis, ſed multò ma gis cœleſtibus diuitijs, quas templo & eccleſiæ ſuæ pro miſit, ditando eam ſpiritualibus benedictionibus, ueris bonis fideliũ, quas uere pij ſolas exquirunt & magnifa ciunt, perq; Chriſti beneficia adſequuntur. Diſſentiunt hic Iudæorũ Rabini de maioritate templi. Aliqui enim eam in ſtructura & pretioſo ornatu & magnitudine præferunt: alij in annis, aſſerentes primam domum ſte tiſſe quadringẽtis decem annis, ſecundam autem qua dringentis uiginti. Nos gloriam ſecundi templi aliã non Maioritas templi.
nouimus uel magnifacimus, niſi Chriſtum dominũ eum honorantẽ ſua præſentia, doctrina, miraculis & redem ptione, unde exiuit lex Euangelica, ad quod ingreſſæ ſunt omnes gentes, ut in illo dominum adorent: quod maximum eſſe Iudæi negare non poſſunt, quodq; in la pidea domo æque fieri non potuit. De pace danda in hoc loco temporaria, aliquo modo intelligi poterat à di cente & audientibus, quam tamen non niſi ſæpius in terruptam conſecuti ſunt. Eccleſiaſtica autem pax, fi Pax eccleſiaſtica.
delium ſcilicet in conſcientia & ſpiritu, à ſanctis in pri mis deſyderatur, uteunq; mundus ſemper & ubique ſæ

uiat, & impij, quibus mundus nunquam carebit, semper ut mare ferueant: pax scilicet Christi, quæ exuperat omnem sensum, & diligentiũ legem domini, ut non sit illis scandalum. Quòd uerò de argento & auro inseritur, faciebat ad auditores consolandos etiã in corporalibus rebus, quas in primis anhelare uidebãtur. Quasi diceret propheta: Ne forsitan sponsorem putetis infirmum, meum est aurum, & meum est argentũ, & meæ sunt cunctæ opes: ego etiã talia conferam in ornamenta huius templi, si tantopere desyderatis huiusmodi splendorem, quem ego non desydero, pro honore tamen nominis mei parabo.

11 ¶ In uicesima & quarta noni mensis, in anno secũdo Darij regis, factum est uerbũ domini ad Aggæum prophetã, dicens:

Vicesimaquarta die noni mensis, secũdo anno Darij, factum & dictum est quod sequitur, cum iam decem & nouem annis altare extructum staret pro sacrificijs antequam domus domini extrueretur.

12 Hæc dicit dominus exercituũ, Interroga sacerdotes legem, dicens:

Hunc locum clarius explicatum inuenies à diuo Hieronymo, quàm à Iudæis, non inter se consentientibus. Obmißis illis, uerba nostri doctoris breuiùt, ut sæpe aliàs consueui, annotabo, nõ sine causa. Hæc, inquit, post multa prolixius posui, ut tam ex ueteri quàm ex nouo testamẽto, sacerdotũ esse officiũ nouerimus scire legẽ dei, & respondere ad quæ fuerint interrogati. Sacerdotes autẽ Hieronymi temporibus alij non erant, nec dicebantur præterquam episcopi ecclesiarum. Nec simplicitatem, ait, & ciborum continentiã in magistro sufficere, nisi quod ipse facit, posßit & alios erudire. Certè, quia responsuros puto, hoc eorum esse qui se ab adolescentia præparant ad docendũ, frequenter autẽ iudicio domini & populorum suffragio in sacerdotiũ simplices eligi: saltem illud habeant, ut postquam sacerdotes fuerint ordinati, discant legem dei, ut posßint docere quod didicerint, & augeant scientiã magis quàm opes, & non erubescant à laicis discere, qui nouerint ea quæ ad officium pertinent sacerdotum, magisq; noctes & dies in scripturarum tractatu, quàm in ratiocinijs & supputatione cõsumant. Hæc & huiusmodi sanctus diceret longè copiosius, si nostrorum temporũ sacerdotia intueretur, & laicos monachos suis pingeret coloribus.

Sacerdotũ quale officiũ ex Hieronymo.

13 Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora uestimẽti sui, & tetigerit de summitate eius panem, aut pulmentũ, aut uinum, aut oleum, aut omnem cibum: nunquid sanctificabitur? Respõdentes autem sacerdotes, dixerunt, Non.

Sanctificata caro, ut sciatur quid sit, notandũ, carnes in altari immolatas & sanctificatas fuisse in multa diuersitate: alias enim sacerdotes in templi aditis comedebant, alias propinqui eorum domi, alias hi qui de sacerdotibus uidebãtur esse impuri, alias Israelitæ mundi. Huius diuersitatis ratio plena in Leuitico datur cap. 22. Si quis igitur, quærit Aggæus, ex hominibus quibuscunque non immundis tulerit carnem sanctificatam, & lingauerit in summitate uestimenti sui, & ipsa summitas uestimenti tetigerit panem, aut quãlibet aliã coctionem uinum uel oleum, quo homines uescũtur, nunquid talis cibus tactu huiusmodi uestis, in quo caro sancta ligata est, sanctificari potest? Responderunt non indocti sacerdotes, & bene, etiã secundũ Rabi Aben Ezra, dicentes: Nihil eorũ sanctificabitur, de quibus quæris, sed ita unumquodq; permanebit ut fuerat.

Caro sanctificata.

14 Et dixit Aggæus, Si tetigerit pollutus in anima, ex omnibus his, nunquid cõtaminabitur? Et responderũt sacerdotes, & dixerunt, Contaminabitur.

Alia quæstio proponitur sacerdotibus, quod scilicet bene responderint ad primam. Si, inquit, tetigerit is qui pollutus est in anima, hoc est, qui cõtagione mortui est immundus effectus, huiusmodi quemcunq; cibum, numquid ex contactu eorum hæc quæ tetigerit polluentur? Et responderũt sacordotes, quorum nimirum princeps erat Iesus filius Iosedech, unde & legem nouerant, & dixerunt: Contactu eius qui immundus est, omnia quæ ab eo contacta sunt pollui.

15 Et respondit Aggæus, & dixit: Sic populus iste, & sic gens ista ante faciẽ meã dicit dñs, & sic omne opus manuum eorum: & (oĩa) quæ obtulerũt ibi, cõtaminata erũt.

De superioribus tacens, quod sancta caro ceteros cibos sanctificare nõ posßit, de secũda quæstione sermonis texit occasionẽ. Sic populus iste, & sic gens ista, ante faciem meã, dicit dominus. Sic uolens loqui: O populc, qui altari tamũ extructo, & diruta domo mea, hostias mihi offers in altari, & uictimis huiusmodi te sanctificari putas, scito non tam sanctificari te ex hostijs, quæ templo diruto tibi prodesse inobedienti deo non possunt, quam contaminari omnia opera tua, & cuncta quæ agis, ex eo quod negligis imperata. Sanctũ quidẽ est quod offertur in altari, sed non tam sanctificaris ex hostijs, quàm commacularis, ex eo quòd inobediẽs es domino, nõ credens uerbo illius, sine fide in dominũ & obedientia, cum obedientiã magis uelim quàm uictimas quascunq; coporeas. Si enim fide & obedientia sancti essetis, omnia opera uestra sancta essent: quia autem uestra magis curatis quàm mea, uestras ædificatis domos, non meam, nihil fiditis in meas promißiones, nec iussa perficitis, ideò immundos uos habeo, talesq; estis in conspectu meo, & ad sacrificia uestra nõ respicio, quia sicut Cain non placetis, & estis impuri uos & sacrificia uestra.

Sancta altaris.

16 Et nunc ponite corda uestra, à die hac & supra antequam poneretur lapis super lapidem in templo domini.

17 Cum accederetis ad aceruum uiginti (modiorum) & fierẽt decem: & intraretis ad torcular ut exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant uiginti:

Nunc te hortor ô populc, ut sensu ad præterita reuertaris, consyderesq; quid retro gestum sit, propter quæ quanta sustimueris. Antequã enim inciperes ædificare tem-

templum, & lapidem ſuper lapidem ponere, cum acce
deres ad acerũ, & putares uiginti te habere modios,
nonne uix mediã partem colligere poteras? Ad torcular
quoq; cum uideretis uuas, & quinquaginta amphoras
uobis oculi pollicerentur, non dico partem mediam, ſed
uix uiginti amphoras exprimere poteratis.

18 Percuſſi uos uento urẽte & aurugine, &
grandine omnia opera manuum ueſtra-
rum: & nõ fuit in uobis (qui reuerteretur) ad
me dicit dominus.

Et hæc feci percutiens uos uento urente, & corru-
ptione aëris, & emorientibus frugibus, uacuisq; ſpica-
rum ſolliculis & uinearum botris, ut malorũ pondere
uos ad meam notitiam prouocarem. Et nec ſic fuit qui
reuerteretur ad me.

19 Ponite corda ueſtra ex die iſta & in futu-
rum, à die uicesima & quarta noni (menſis)
à die qua fundamẽta iacta ſunt templi do-
mini, ponite ſuper cor ueſtrum.

20 Nunquid iam ſemen in germine eſt: &
adhuc uinea, & ficus, & malogranatũ & li
gnũ oliuæ nõ floruit? ex die iſta benedicã.

Proſperitas unde oritur

Ex hac autẽ die qua fundamẽta templi iecistis, uidete
quomodo omnia uobis proſpero curſu fluant. Iam nunc
decimus eſt menſis, eo tempore quo ſemina latitant in
terra, nec futura fœcũditas coniectari poteſt. Nunquid
iam, ait, ſemen in ſolliculo eſt? id eſt theca frumẽti. Nun
quid uinea & ficus & malogranatũ & lignum oliuæ
florem ſuum dederunt? ut ex flore intelligatur & fru-
ctus. Vtique nono menſe, Decembri ſcilicet, futurarum
nulla ſigna ſunt frugum: & tamen ego prædico uobis,
quia cœpiſtis ædificare templum meum, ad benedictio-
nem meam frugum omnium fœcunditatem.

21 ¶ Et factũ eſt uerbũ domini ſecundò ad
Aggæum, in uicesima & quarta menſis, di
cens, Loquere ad Zorobabel ducẽ Iuda,
22 Et ſubuertam ſolium regnorum, & con
teram fortitudinem regnorũ gentium: &
ſubuertã quadrigam & aſcenſorem eius:
& deſcendent equi & aſcenſores eorũ, uir
in gladio fratris ſui.

23 In die illo dicit dñs exercituũ, aſſumã te
Zorobabel fili Salathiel ſerue meus, dicit
dominus: & ponam te quaſi ſignaculum,
quia te elegi, dicit dominus exercituum.

Eodem die bis uaticinatus eſt Aggæus: hoc ſecundò lo
quitur principi Zorobabel, pro fide eius præmium pol
licendo. Ego, inquit, qui concutio cœlum & terram,
id eſt, in poteſtate mea habeo omnia, exalto & humi-
lio, do & tollo regna, quamuis omnia alia regna diſper
dam, commiſtis illis inter ſe, ita ut mutuis cadant uulne
ribus, te tamen, ut fidelem ſeruum ſeruabo & cuſtodiã,
ſicut is qui curam gerit pretioſi anuli, quem de digitis
& manu ſua minime uult eijcere: nam te elegi, mihiq;
gratus eris. Gratiã ucrò maiorẽ aliã non legimus, quàm
quod in genealogia Chriſti ipſum Dauidis filium & be

Gloria Zo robabelis.

nedicti ſeminis uenam agnoſcimus, & ut uirũ optimum
laudamus. Plurimũ hac promiſsione roborabatur, quæ
& unicuiq; iuſto ædificanti ſpirituale templũ data eſt:
quod ſcilicet ſint in manu dei, & nõ tangat eos tormen
tum malitiæ, & quamuis totus mundus pereat, ſalua ta
men ipſis ſua manet gloria. Impiorum autẽ regna ſeipſa
diſperdunt, inq; ſeipſis diuiduntur, & proinde conſi-
ſtere non poterunt.

FINIS.

COMMENTARIA IN ZACHARIAM PROPHETAM, qui inter XII. Vndecimus.

CAPVT PRIMVM.



1 IN MENſe octauo, in anno ſecundo Dariũ, factum eſt uerbum domini ad Zachariã filium Barachiæ filiũ Addo prophetam, dicens:

Eodẽ anno quo Aggæus prophetare exorſus eſt, etiã Zacharias iuſſu domini cœpit loqui ad principes ſacerdotes & populũ, ſed non eodem menſe: ille enim ſexto, hic octauo menſe incipit: Aggæus de conſtruendo templo ſollicitat, hic Zacharias de ipſa ciuitate plus loquitur. Creditur ille eſſe Zacharias de quo in Euãgelio dominus, quia in ordine prophetarum ultimus legitur. Dicitur autem filius Addo, non quia per Barachiam illius nepos extiterit, ſed ut ex Ezdra diſcimus & Neemia, de familia Addo fuit, quæ à tempore Salomonis & Ieroboam filij Nabot nomen & famam habuit: non aliter quàm Chriſtus dicitur filius Dauid, filij Abraæ.

Zacharias propheta quis.

2 Iratus eſt dñs ſup patres ueſtros iracũdia.

Propheta coætaneos taxat, & ad pœnitentiam hortatur, tardiores enim erant ad ædificandum, & uxores duxerant alienigenas. Exorditur itaque magno affectu. Quaſi dicat, Quid ſuperbitis miſeri, & pergitis in peccatis? patres ueſtros imitari ſtudetis, & tanquã populus ſanctus uobiſipſis placetis, ſed ne ſeducamini, patres ueſtri peccatores fuerunt, & non uulgari ira in illos deus exarſit, ſed ualde iratus eſt, perdẽdo Ieruſalem & Iudã, fame, peſte, gladio, exilio. Videte igitur ne & uobis grauius aliquid accidat, grauius enim meretur puniri, qui exemplis ob flagitia punitorum à flagitijs admonitus non deſiſtit, nec emendatur.

Contra ſuperbiam.

3 Et dices ad eos, Hæc dicit dñs exercituũ,
Conuertimini ad me, ait dñs exercituũ: &
conuertar ad uos, dicit dñs exercituum.

Nihil etiã hic propheta humanũ loquitur, ſed eloquia dei profert, & ob hoc toties ſicut & in Aggæo dicitur,

Dicit dñs exercituũ, ut sciãt dñm esse, qui præcipit aduersus regis imperiũ et hostes circũfrementes. Præcipit autẽ, ut reuertantur ad dñm, qui de Babylonia sunt reuersi, ut & dñs reuertatur ad eos, ne incipiãt sustinere filij quod quondã sustinuerũt patres, ad quos similiter prophetæ illius tẽporis sunt locuti. Cõuertimini, inquit ad me, & conuertar ad uos: iuxta illud quod legimus, Accedite ad dñm, & accedet ad uos. Quibus hoc contrarium est, Recessistis à me, & ego recessi à uobis.

4 Ne fitis sicut patres uestri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes, Hæc dicit dominus exercituũ, Cõuertimini de uijs uestris malis, & de cogitationibus uestris pessimis: & non audierũt, neq; attenderunt ad me dicit dominus.

Cõsuetudo quid probet

Nihil agũt qui se excusare nitũtur lõgo seculorũ usu, & patrũ authoritate, solũ spectãtes quid illi fecerint et docuerint, nõ curãtes quid facere uel docere debuerint. Hic ergo arguũtur ob hoc, quod prophetas nõ curabãt patres illorũ, id quod & Christus obijciebat, quod filij eorũ sine qui prophetas occiderũt. Hæc aũt quæ sequuntur, nõ loquitur Zacharias ad populũ, sed ostendit quid priores prophetæ ad patres eorum locuti sunt, ad quos clamauerũt, dicẽtes, Hæc dicit dominus exercituũ, Conuertimini &c. Hoc clamabat Esaias, hoc Osee, Iohel, Amos & Ieremias, ut uias malas desererẽt, & cogitationes pessimas derelinquerẽt, quibus opere & mente peccabãt, & nihilominus per prophetas dñm cõmonentem nõ audierũt neq; attenderũt: nequaquã prophetas qui eis loquebantur, sed me dicit dominus, in illis enim ego eram, qui loquebar & contemnebar.

5 Patres uestri ubi sunt? & prophetæ nunquid in sempiternum uiuent?

Patres boni & mali.

Videtisne quò patres uestros perduxerit inobediẽtia eorũ? quò peccatũ illorũ & falsorũ prophetarũ contruserit eos? quò eos mendacia adegerint? Et his enim qui peccauerũt, & noluerũt toties moniti à ueris prophetis conuerti ad me, & his qui peccantes falsis pollicitationibus deceperunt morte subtractis. Verba mea quæ per prophetas meos locutus sum, permanent in æternũ, quæ comprehenderũt patres uestros, & ostẽderũt uera esse quæ dixi. Qui patres uestri, rerum exitu prophetarum meorũ in se uaticinia cõprobantes, conuersi sunt ad pœnitentiam atq; dixerũt: Sicut prædixit dñs exercituũ, ut faceret nobis secundũ opera nostra atq; peccata, redditur nobis. Potest & de sanctis prophetis accipi, quos impij iactabãt æque mortuos ut populũ quẽ admonuerãt. Non raro enim populi peccatis inuoluuntur prophetæ, quorũ tamen prædictiones nõ cassantur uel prophetiæ. Beati enim non alij quàm qui in dño moriuntur.

6 Veruntamen uerba mea & legitima mea quæ mandaui seruis meis prophetis, nunquid non cõprehenderũt patres uestros? & conuersi sunt, & dixerunt, Sicut cogitauit dominus exercituũ facere nobis secundũ uias nostras, & secundũ adinuentiones nostras, fecit nobis.

Quomodocunq; prophetæ moriãtur, etiamsi occidãt Prophetæ tur, ut Christus et apostoli occisi sunt, et Moses mortuus occiest & Samuel cum alijs, uerbũ tamen dei semp stat, & certissimè completur quicquid illi prædixerũt. Hoc suo malo testari tandẽ coguntur impij, & uerbis ꝓphetarũ inobedientes. Verbũ enim domini in æternum manet.

7 ¶In die uicesima & quarta undecimi mẽsis ipse est mẽsis Sabath in anno secũdo Darij, factũ est uerbũ dñi ad Zachariã filiũ Barachiæ filij Addo prophetam, dicens:

Eodem secũdo anno Darij, tertio mẽse, post primã uisionem, undecimo scilicet post octauũ, qui Hebræis de Babylonia redeuntibus cœpit uocari Sebet, & nostro partim Februario cõcurrit, partim Ianuario, rursum ad Zachariã fit uerbũ dñi, in acerrimo hyemis tẽpore, & nocte ferè tota nubilosa & horrore crescente.

8 Vidi per noctem, & ecce uir ascendẽs super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta quæ erant in profundo: & post eum equi rufi, uarij & albi.

Propheta populo suo adhuc in seruitutis malis constituto, ea quæ pro eis uidet cernit noctu & in tenebris. Et certè uisiones huius prophetæ & Danielis obscurio res sunt uisionibus aliorũ prophetarũ, quia prophetalis Prophetæ uigor in prophetis secundũ Iudæos imminutus ac debilitatus uidetur à diebus captiuitatis, & ad cominuam uicinitatẽ solis iustitiæ & ueritatis, splendor lunæ prophetici sermo uisus est etiã tepescere & remittere lumen. Vir ascendẽs sup equũ rufum, qui & cũ prophetæ iugiter locutus dicitur, & pro fideli populo orasse, & semp solicitus fuisse legitur, & omnia quæ futura uel facta dicũtur reuelasse, Iudæis quidẽ Michael uidetur, non bis alius uideri nõ potest, nisi uerbum dñi, spiritus Christi, qui locutus est in omnibus patriarchis, prophetis & apostolis, curã semper habẽs ecclesiæ ueteris & nouæ, quæ & unica est, nunc apparens hac forma, nunc alia, Abraæ, Israeli, Mosi, Heliæ, Esaiæ, Ezechieli. Is uidetur uel apparet nunc insidẽs equo, propugnaturus suum populum, tempore quo omnia bellis feruebãt: & eo quoq; rufo propediẽ incarnãdus, & in carne rubricãdus, ostendo suo sanguine crucifigẽdus. Is Christus, inter myrteta apparet, rex sanctorũ & fidelium primogenitus, & sanctificator electorũ, fragrantia meritorũ omnibus sufficiẽs & author gratiarũ, omniũ eorũ qui adhuc sunt in profundo mundanarũ miseriarũ circundati luto & fecibus peccatorum. Post hunc propugnatorẽ ecclesiæ, regem & patronũ sese ostendentẽ prophetæ, etiã apparebant alij tres equi, uel potius turmæ gregesq; equitũ, domino deo exercituũ seruientiũ, rubeorum scilicet & uariorum: alij exponunt luteos & albos.

9 Et dixi, Quid sunt isti domine mi? Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me, Ego ostendam tibi quid sint hæc.

Cupiens propheta scire uisionis huiusmodi rationem, quærit à uiro, qui & angelus dicitur magni consilij, spiritus scilicet Christi, & ipse Christus, princeps tunc synagogæ, nunc catholicæ ecclesiæ caput & rex & sacerdos,

Angelus consilij.

dos, & dixit: Qui sunt isti equi? id est, quid significant, quid portendunt, ô domine mi, si respondere digneris, qui tam humaniter appares? Et dixit is angelus qui mihi loquebatur. Quod autem translatio habet, Qui loquebatur in me, æque & rationabilius exponendũ uidetur ב, qđ est cum me, id est, mecũ. Habent enim idiotismos singulos singuli prophetæ. Promittit aũt se ostensurum & patefacturũ mysterium uisionis ipsi prophetæ is angelus, qui scilicet sint isti equi, quidúe significent.

Prophetarũ discipulus.

10 **Et respõdit uir qui stabat inter myrteta, & dixit, Isti (sunt) quos misit Dominus, ut perambulent terram.**

Satis apparet inter myrteta equo insidentem nunc angelum dici, respondentem prophetæ de equis, & dicentem: O propheta, isti equi uel equites quos uides, sunt, id est, significant eos exercitus regnorum, qui peruagantur passim terram, & negotiũ graue & arduum faciũt filijs hominum, maxime aũt fidelibus et electis. Id quoq; non proprio arbitrio, sed prouidentia dei, qui bonorum & malorum ordinat actiones, ad suam gloriã & electorum profectum. Non est enim malum, multo minus bonum in orbe, quod non faciat dominus: omnia autem bona sunt illi, & ad regimen sui orbis necessaria.

11 **Et responderũt angelo dñi, qui stabat inter myrteta, et dixerũt: Perãbulauimus terrã, & ecce omnis terra habitaꝫ & quiescit.**

Exercitus illi qui regnis & nationibus imminent, siue defendendis, siue diuexandis, dño dominorum iubente, iam nunc conspiciuntur per uisionẽ uenire ad angelum stantem inter myrteta, & quasi requisiti ab illo respondent ei, audiente propheta, & dicunt: Perambulauimus quidem terrã, & strages multas quidẽ cõmisimus dño præcipiente, in Aegyptijs, Edomitis, Ammonitis, Moabitis, Syris, Assyrijs, Chaldæis, Tyrijs, Sidonijs, & Palæstinis, Israelitis & Iudæis. Omnes enim has nationes iubente domino pro suis sceleribus uindicauimus, afflixímus, & humiliauimus, nunc aũt sub Medorum & Perarum monarchia omnes hæ nationes & tota terra pacifice sedit & quiescit, et sua contenta est sorte, sub regibus satis, ut nunc uidetur, clementibus & benignis.

Syriæ pro Babylonia.

12 **Et respõdit angelus domini, & dixit, Domine exercituum, usquequo tu non miseberis Ierusalem & urbium Iuda, quibus iratus es? iste iã septuagesimus annus est.**

Is qui colloquutus est prophetæ & fuerat angelus, uir scilicet qui inter myrteta stabat, audita hac respõsione, quasi humano more loquendi & agendi, non quidem dolet de pace gentium in terra, qualis tunc erat, sed ueluti patronus, magister, dux & rex fidelium Israelitarũ, spiritus Christi, qui gemitibus inenarrabilibus semper interecedit pro electis, ex compaßione ad miserias Iudæorum, & terræ Iudaicæ orationem sumit ad dominum deum omnium exercituum, & dicit, O domine deus Sabaoth, quandiu autem tu nõ decreuisti misereri miseræ, proiectæ, uastatæq; Hierosolymæ urbi gloriæ tuæ, & totius Iudaicæ prouinciæ tuæ urbibus, quibus tantopere irasci uideris, quas pateris in ruinis cõsenescere, & iuxta prophetarũ prædictiones, animaliũ latibula ferorũ & ferarum, cum id quoq; prophetæ nõ minus prædixerint, post septuaginta annos restituendas & feliciter inhabitandas, & ecce nunc agitur septuagesimus annus, & adhuc in ruinis iacet Ierusalem ac Iudæa.

13 **Et respondit dominus angelo qui loquebat in me uerba bona, uerba cõsolatoria.**

Huic ergo oranti angelo dñs deus exercituum, quẽ inuocauerat & orauerat, aliqua ratione & modo respondit: quem non oportuit describere, sufficiebat aũt dici, quomodo deus uiro qui inter myrteta orauerat respondit uerba bona, promißiones futurorum bonorum, & consolatoria de præsenti necessitate, & angustia, tam orantis angeli, quàm uidentis & audientis prophetæ.

14 **Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me, Clama, dicens: Hæc dicit dominus exercituũ, Zelatus sum Ierusalem, & Sion zelo magno.**

Verba bona & consolatoria, quæ responderat dominus angelo, & nunc ꝓpheta iubetur ab angelo clamare & prædicare, sunt, q. zelatus sit dñs Ierusalẽ, & Sion zelo magno. Qui autem zelatur amare se eam quam zelatur ostendit, nõ abijcere ab animo, uel odire aut despicere. Ego, inquit, non solum memor ero uel miserebor Ierusalẽ, ut tu faciẽdum oras, sed ètiã magno zelo diligo, ita ut propter eam omnes à quibus afflicta est grauiter persequar, ipsam autem mira misericordia prosequar.

Zelus prophetarum.

15 **Et ira magna ego irascor super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum, ipsi uero adiuuerunt in malum.**

Quia dñs reconciliatus est Hierosolymæ, ideo irascitur super gentes opulentas, nunc feliciter et pacifice habitantes, quas supra equos rufos uarios & albos nominauit, quia ipse quidẽ tradiderit eos ad corripiendum, illæ uero sæuierint in traditos: hic ut filium à pædagogo uoluerit emendari, illæ ut hostẽ interficere & punire conatæ sint. Cui simile est illud in Isaia: Ego dedi eos in manus tuas, tu autem nõ feciſti eis misericordiam. Senis agrauasti iugum, & dixisti: Ero in sempiternum domina. Non posuerunt iræ suæ modũ gentes, infestãdo Iudæos.

16 **¶Propterea hęc dicit dñs, Reuertar ad Ierusalẽ in misericordijs: domus mea ędificabitur in ea, ait dominus exercituũ: & perpendiculum extendetur super Ierusalem.**

Reuertar non in una misericordia, sed in multis misericordijs ad Ierusalem: primum conterendo hostes, septuplum rependendo: secundo, domũ meam, id est, templum ædificando intra Ierusalem, sub Zorobabel & Iesu filio Iosedech. Et perpendiculum cementariorum extendetur super Ierusalem, hoc est, diligenti opera instabitur. Non est ergo ascribẽda reædificatio Ierusalem ullæ rei quàm diuinæ misericordiæ, quæ præuenit omne opus sanctum. Hic extendere regulam, est ædificare ædificium, alicubi euertere signat.

Domus secunda.

17 **Adhuc clama dicens, Hæc dicit dominus exercituũ, Adhuc affluẽt ciuitates meę bonis: et consolabitur adhuc dominus Sion,**

& eliget adhuc Ieruſalem.

Qui ſupra clamare prophetã iuſſerat angelus, nunc quoq; impellit ut clamet & dicat, Adhuc affluent ciuitates meæ bonis, quas nũc cernis à Babylonio rege igne uaſtatas, rurſum rebus & bonis omnibus abundabunt, & præſentibus bonis, præteritã miſeriam dñs conſolabitur, & eliget iterũ Ieruſalẽ, quã paulò antea proiecerat. Ita ſtipabuntur urbes, reædificandæ in Iudæa opibus, ut præ abundantia rumpantur, non ualentes omnes fructus in horreis continere, & ciuiũ multitudine rũpi muros. Maxime aũt Sion, id eſt, Ieruſalem, conſolabitur ſpiritualiũ bonorũ ubertate glorificanda ſuo tempore.

Clamor prophetarũ

18 ¶Et leuaui oculos meos, & uidi & ecce quatuor cornua.

19 Et dixi ad angelũ qui loquebatur in me. Quid (ſunt) hæc? Et dixit ad me, Hæc ſunt cornua, quæ uentilauerunt Iudã, & Iſrael, & Ieruſalem.

Alia uiſio eſt, priore apertior et clarior. Quatuor cornua uidet, auditq; ab angelo eis ſignificari eos exercitus & reges uel populos, qui robore & potentia ſua per cornua ſignata, uentilarũt, diſiecerunt et diſſipauerunt Iudam, Iſraelẽ et Ieruſalẽ. Iudã ſæpe Palæſtini, Moabitæ, Aegyptij, & Syri Iſraelitæq; uaſtauerũt, Iſraelem Syri, Aſſyrij, & Moabitæ. Hieroſolymam aũt Chaldæi, tandem & Aegyptij ac Romani cum alijs. Fideles toto orbe paſſi ſunt ſemper perſecutiones. Alij intelligunt Babylonios, Perſas, Græcos & Romanos.

Quatuor cornua.

20 ¶Et oſtendit mihi dñs quatuor fabros.

21 Et dixi, Quid iſti ueniunt facere? Qui ait, dicẽs: Hęc (ſunt) cornua quę uentilauerunt Iudã per ſingulos uiros, & nemo eorũ leuauit caput ſuũ, et uenerũt iſti deterrere ea, ut deiẽciãt cornua gentiũ, quæ leuauerunt cornu ſuper terrã Iuda, ut diſpergerent eã.

Viſis exterminatoribus, oſtenduntur prophetæ benignitate dei etiã quatuor fabri horribiles, qui oppreſſuri erant cornua exterminatorũ: & exponitur ab angelo qui ſint fabri, hoc paclo. Quærẽti enim prophetæ qui ſint fabri quos nunc ſecundo loco uidet, reſpondet angelus, dicendo: Cornua, inquit, quæ prius uidiſti uentilabunt quidem & exterminare conabũtur Iudã. Sennherib, Aegyptij, Chaldæi, & alij, quiſq; iuxta uires & ferocias ſuas: nihil enim obmiſerunt etiã Palæſtini cũ alijs ad opprimendũ Iudam. Non tamen profecerũt tãtopere ut Iudæis hæ gentes dominentur pro nutu & uolũtate, non extollent diu capita ſua ſuper fideles, non aſſequentur cupita. Superueniẽt enim illis gentibus fabri atrociores, à quibus deterrebuntur, humiliabuntur, intantũ ut in totũ cornua iſta deiecturi ſint. Certũ eſt enim oẽs has gẽtes, quæ Ieruſalẽ et Iudæã uaſtarũt, uaſtatas quoq; eſſe. Primum à Chaldæis, deinde à Perſis et Medis, deinde à Græcis, poſtea ab Aegyptijs, tandẽ à Romanis. Sic ergo cornua decuſſa dicuntur à fabris: interim aũt dum hæc cornua ſic cõteruntur, creſcit, proficit, exaltatur et regnat cornu ſalutis in domo Dauid, Chriſti regnũ. Hæc omnia regna fabrorum & cornuum ſubdit ſibi clemen-

Fabri quatuor.

tia, beneficijs, uerbo ueritatis, & uirtute ex alto.

¶CAPVT II.

1 LEuaui oculos meos, & uidi et ecce uir, & in manu eius funiculus menſorum.

Aedificatio duplicis Hieroſolymæ deſcribitur, eius in qua prophetæ occiduntur, & alterius ſanctæ & pacificæ. Satis in his locis ſtylus prophetarũ indicat, quæ intelligenda ſint ad literã de prophetæ temporibus, & quæ de Chriſti Meſſiæ myſterijs. Eleuatis oculis propheta circũſpiciens, Vidi, inquit, uirũ angelũ ſcilicet diuini conſilij, uerbũ dei patris, qui diuina ſecreta reuelandi prophetis officiũ habet: primumq; ſubindicat certo futurã Hieroſolymæ reædificationẽ, quã obregum & uicinorum maleuolentiã Iudæi non poſſibile erbitrabãtur. Accinctum ergo ſe oſtendit & paratũ ad dificationem urbis, funiculum geſtans menſuræ perpendicularem & geometricum in manu.

Aedificatio Ecclesiæ.

2 Et dixi, Quo tu uadis? Et dixit ad me, Vt metiar Ieruſalem, & uideam quanta ſit latitudo eius, & quanta longitudo eius.

Intelligebat deſignari myſterium, ideo percunctatur illud & audit, ſine dubio extruendã Hieroſolymã à Babylonijs deſtructam, ſecundũ longitudinẽ & latitudinẽ eius, ut fuerat prius, inuitis etiã omnibus hoſtibus, tamẽ ſi ſint animo forti perſeuerantes, et dño confidẽtes. Erat Munenim reſtaurãda urbs & templũ, et paulatim recolligen dus populus, & parandus interim mundus ad unius dei cognitionẽ, donec plenitudo tẽporis adueniret, in quo expectatio gentiũ, & uerorũ Iſraelitarũ animi purgarẽ tur ad gratiam domini ſuſcipiendã: & impij menſuram damnationis peccando implerent.

3 Et ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, & angelus alius egrediebatur in occurſum eius.

Angelo loquente iſta & ꝓdeunte ad opus menſurãdi urbẽ ſecundũ longum & latũ, ecce ꝓpheta uidet alium quendã dei nunciũ, excuntẽ ut occurrat priori, et aliud nunciũ perferens, plauſibilius et ſacratius de Ieruſalẽ ſecunda extruenda, multo maiore, auguſtiore et feliciore. Is autẽ alius angelus cernitur, & nõ eſt alius, nec aliud uerbũ dei: licet alio tẽpore aliud myſteriũ, alio modo de nunciandũ ſuſcipiẽs, ut capi poterat à ꝓpheta. Nõ ſunt adamuſſim ſingula quæq; et minima excutienda in ſormis exemplorũ et ſimilitudinũ, principale inſtitutũ uiſionis diligẽter attendendũ eſt. Et tamẽ unus quoq; deus Abrahæ apparuit tribus angelis deſignatus, uno remanente & preces ſuſcipiẽte, alijs duobus abeũtibus Sodomam, qui & ipſi tandem ut unus loquuti deſcribuntur.

Similitudines non ad amussim exigendæ.

4 Et dixit ad eum, Curre loquere ad puerum iſtum, dicens, Abſq; muro habitabitur Ieruſalem præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius.

Vnus angelus loquitur alteri, ut non ſine gaudio, feſtinantia & diligentia denũciet puero, hoc eſt, prophetæ Zachariæ, aliam Hieroſolymam ædificandam, quæ tantæ amplitudinis & ſecuritatis futura ſit, ut nullo muro circundarẽ

circundari posit, scilicet, distendenda & dilatanda per totum terrarum orbem, cuius ciues & habitatores præ multitudine nimia numerari non possint. In qua tamen etiam iumenta futura sint, tam sensu carnali imperfecti, quàm cibo sufficienti omnibus accõmoda, & laboribus hominum opportuna.

5 ¶ Et ego ero ei, ait dñs, murus ignis in circumitu: & in gloria ero in medio eius.

Hanc Ierusalem dñs deus se defensurum promittit, & pro muro illi futurum, ut incursionẽ hostium formidare non debeat, qui potentia sua semper eam tueri uelit & possit. Ecclesia enim dei est, à diuino spiritu regitur, & ut frequenter impugnetur, nõ tamen uincitur: nec aliũ regem uel principem habet præter Christum dñm, qui est tota illius gloria. Tantum enim decoris & sanctimoniæ habet ac uirtutũ, quantũ à Christo accipit: à se nihil habet, omnia à sponso ornamenta suscipit. Et fidelibus suis deus per Christũ nihil gratiarum deesse patitur, ut sit illis & fiducia certa iustitiæ & satietatis, ac spiritualis uoluptatis torrens, corona gloriæ, & adimpletio desideriorum sanctorũ. In ea urbe ac ecclesia nihil timendum erit fidelibus, nihil ibi immundũ, horribile, obscurum, dominus enim lux & gloria illius est.

6 ¶ O, o, fugite de terra aquilonis, dicit dominus: quoniam in quatuor uentos cœli dispersi uos, dicit dominus.

7 O Sion fuge quæ habitas apud filiam Babylonis,

Non constat ciuitas sine populo, ideo post promissam urbis extructionẽ, tam corporalis quàm spiritualis, tam muratæ quàm sine muro, nunc duplicem quoq; ciuium collectionẽ futuram prædicit & aduocat. Dispersio enim fidelium duplex erat, una Iudæorum in Babylone, qui ad Hierosolymæ extructionẽ cum Neemia aduocatum sub Dario, quos propheta hortatur exire, & fugere de Babyloniorum priuincia, & uerbo Dei credere, cultumq; diuinum cum tẽplo restaurare. Altera autem est maior & generalior, totius Israelis, quos disperserat ad quatuor plagas uel climata orbis uel cœli, quos omnes conuocat & congregari cupit in Zion. Quæ ciuitas Dauid, cum omnes fideles etiã tantũ Israelitas secundum carnẽ capere non posset, imò nec Hierosolyma quadruplo latior quàm fuit tempore Salomonis, nemo intelligens aliter interpretari potest, quàm de electis & fidelibus ex Israelitis ueris, de utraq; gente congreganda catholica ecclesia, pro qua congregãda Christus dominus uenerat, à confusione errorum & criminum, superstitionum & sacrilegiorum, unde Dominus electos suos gi in unam sacrosanctam ac apostolicam, imò Christianam Messiæ ueri ecclesiam.

8 ¶ quia hęc dicit dominus exercituũ, Post gloriam misit me ad gentes quæ spoliauerunt uos: qui enim tetigerit uos, tangit pupillam oculi eius.

Post tam glorioſe ostẽsam à dño suam gloriam, tam in restitutione corporalis Hierosolymæ, q̃ etiam post uocationem omniũ gentiũ in ecclesiã gloriosam, uel post agnitam dei ad homines charitatẽ, qua filium suum misit in hunc mundum, & cum hominibus cõuersari uoluit, & apparere in similitudine hominis, uerus deus & uerus homo, & mysteriũ redemptionis peragere, charitatem & fidem ostendere & exhibere, non sine magnis uirtutis diuinæ miraculis, & uerbo euangelicæ prædicationis. Post huiusmodi gloriã, ait Christus per prophetã, misit me dñs ad gentes omnes, qui prius tantũ ad oues quæ perierant de domo Israel carnalis missus fuerat. Ad hoc aũt missus est, ut infideles toto in orbe, q̃ semper multis modis spoliauerant & persecuti fuerant et oppressẽrãt pios, ueri dei cultores, hos Christus uicißim spoliaret, subiugaret, & in suam seruitutẽ ascisceret felici gratioſoq; obsequio. Deniq; aduertendũ q̃ dñs qui loquitur dicit se mitti ad gentes, ut cognoscamus in diuinitate missum & mittentẽ, filium scilicet dei missum à deo, de quo Gen. 49. Qui mittendus est, dicitur. Et in Exodo, Mitte quem missurus es. Et in sequentibus uersibus, Et scietis quod dñs miserit me. Missus est aũt Christus in apostolis suis prædicantibus gentibus toto in orbe conuertẽdis ad pietatem. Quod aũt dicit, Qui tetigerit uos, tangit pupillam oculi eius: tantũ pro uexatione & iniuria accipe: qui enim sanctos dei tetigerit, sic est, quasi uexare cupiat pupillam oculi eius: in hunc sensum, Qui uos lædere tentarint, nõ tam uos quàm seipsos, & me quoq; dampno afficient, atq; adeo contra stimulum calcitrabunt.

Ecclesiæ propagatio

Christus mundo apparens.

9 quia ecce ego leuo manũ meã super eos, & erunt prædæ his qui seruiebãt sibi: & cognoscetis quia dñs exercituũ misit me.

Elcuat deus manũ suam ut percutiat gentes Babylonicas aduersarias, & populũ suum uel in Ierusalẽ reducat, uel in ecclesiam colligat. Gẽtes aduersariæ idolorũ cultores & piorum persequutores reges & tyranni, toto in orbe ad dñm conuertentur, quem in sanctis persequi consueuerant, ut uideri liceat mutationẽ dexteræ excelsi. Vt gẽtes totius orbis terrarũ fiant spolia apostolorũ, & quæ antea filios Israel abducebant in corporalẽ seruitutẽ, nũc illis seruis suis fiunt præda, et serui Iesu Christi. Quot igitur populos sub fidei iugũ miserũt, tot prædas ceperunt. Hinc cognoscetur uirtus Christi, quod totus mundus euãgelio obediet, neq; miraculũ maius neq; certius præsentis Christi indicium cõtra Iudæos, q̃ quod Christo deus possessiones terræ in hæreditatem dedit.

Contra idolatras.

10 ¶ Lauda et lętare filia Sion, quia ecce ego uenio & habitabo in medio tui, ait dñs.

11 Et applicabuntur gentes multæ ad dominum in die illa, & erunt mihi in populum & habitabo in medio tui: & scies quia dñs exercituum misit me ad te.

12 Et possidebit dñs Iudam partẽ suã in terra sanctificata, & eliget adhuc Ierusalem.

Et hæc adhuc ex persona domini intelligenda, quod hortetur populum suum, ex gratia de captiuitate in sedem pristinam restitutum, gaudere atq; lætari, quia ipse dominus ueniat & habitet in medio eius, & multæ

Gentes in Christũ credituræ.

gentes creditur æ sint in eum, de quibus dicitur, Postula & dabo tibi gentes &c. Et ego uobiscum sum omnibus diebus, &c. Et ut possideat dominus Iudam partē suam, confitentem & credentem nomini suo, & non alibi possideat nisi in terra sancta, quæ est ecclesia. Et eligat adhuc in Ierusalē, quam tentationi in persecutionibus dereliquerat. Pugnat ille locus contra Iudæos hodie negātes Christum deum & hominē: dicit enim, Ecce ego uenio: & supra se dixerat mittendū. Loquitur enim deus qui habitat in medio fideliū, gratia sua assistens electis usq; ad consummationē sæculi. Deniq; gentes quoq; populus dei erunt, ne quid cōtra illas glorientur Iudæi, quasi ipsi soli populus dei sint. Nec gentes tamen Iudæis insultare possunt, quasi prorsus abiecti sint. Nō enim derelinquetur totum semen Israel secundum carnem, sed super terram sanctuarij, hoc est, in ecclesia Israel etiam in præcipuo honore erit, utpote electissima hæreditas dñi. Apostoli ac primitiæ ex illis assumptæ maiore sanctimonia claruerūt, pluribusq; spiritualibus donis fuerūt locupletati, assumpti in doctores et sacerdotes aliorū populorū.

Gentes dei populus erunt.

13 Sileat omnis caro à facie domini: quia cō surrexit de habitaculo sancto suo.

Vult dicere, Domini est omne regnum, & nomini eius honorem det omnis mundus, tanta reuerentia, ut coram ipso sileat & plane ipsum dominum fateatur. Venit enim de cœlo & excitatus est, qui antea putabatur dormire, audiuitq; populum suum, cuius uidebatur oblitus. Ne diutius gentes opponant se fidelium doctrinæ & cœlesti ueritati: iam enim zelo populi sui permotus exurget pro suis contra impios.

Dei regnū ubique.

CAPVT III.

1 Et ostendit mihi Iesum sacerdotem magnū stantem corā angelo dñi: & satan stabat à dextris eius, ut aduersaretur ei.

Tenuia quidem nobis sunt, quæ hic de Iesu filio Iosedech iuxta historiam scribuntur: statui autem Iudaici populi, ut erat Zachariæ temporibus, arduum erat de dei beneuolentia tantum præsumere, ut in tanta rerū angustia templum extrui posset uel ciuitas, cum etiam reuersus populus in multis offenderet dominum, & contra legem ageret, intantū ut etiam summus illorū sacerdos non in paucis uel modicis offenderet, intantum negligens obseruator legis diuinæ, et institutor populi & Leuitici status, ut alienigenā uxorem & ipse duceret, & ducendi alijs exemplū esset, & populum in multis peccantem, Neemia teste, non corrigeret, & de felici statu loci & populi parū curaret: ueluti non parū squaloris & rubiginis contracto ex Babylonicæ captiuitatis contaminationibus, quæ & teste Ezechiele, uigebant inter captiuos. Consolatur itaq; dñs uisione prophetica per Zachariam totum populū & pontificē, ut sciant dñm deum illis clementē & propitiū, nolle propter quæcūq; peccata fragilitatis humanæ deserere populū suū, et negare beneficiū ꝓmissum, tam restituendi tēpli q̄ reædificandæ urbis, quod hæc prædixerit & ꝓmiserit, & multo maiora beneficia per Christum electis. Ostēdit mihi, inquit, dñs per uisionē Iesum magnum sacerdotē ueluti corā angelo constitutū, ut de suis operibus & negligentijs uel peccatis rationem reddat, & iudicetur: ex cuius dextris stabat aduersarius ut aduersaretur ei, non à sinistris, quia uera erat accusatio, eo quod et ipse cū cæteris prauo exemplo contra legē uxorē duxerat alienigenā, & in alijs quoq; officium suum non sancte exercuerat.

Pusillanimitas summi sacerdotis.

Iesus magnus sacerdos.

2 Et dixit dñs ad satan, Increpet dñs in te satan: & increpet dñs in te qui elegit Ierusalē: nunquid non iste torris, erutus de igne?

3 Et Iesus erat indutus uestibus sordidis, et stabat ante faciem angeli.

Id est, refrenet dominus & premat imperio suo malitiam & robur, quo per impios Samaritas sanctis contra nuo resistis, ut tentando electos non uincas. Et increpet dominus in te: subiugabit te dominus pedibus sanctorū & ecclesiæ dei, ne ei prævaleas, ipsam impediendo profectibus uel subuertendo, quam dñs elegit, & promouere in gloriā suam & filiorū suorū decreuit. Nōne iste torre in gloriā suam & filiorū suorū decreuit. Nōne iste tortio ereptus est ab igne? Ferreus fornax Babylonicæ captiuitatis aduſserat omnes, fuerant ibi sine cœtu, alidicentia legis, sine ceremonijs sacris, sine sacrificijs, templo et sacerdotibus, cōmixti gentibus, quorū & didicerūt superstitiones præter idololatriam, quam minime ex animo sectati sunt, etiam si foris cogerentur ad nimium honorem regis & statuæ tyranni. Quæ tamen omnia peccata dæorum dominus per bonitatē suam illis utcunq; parua non essent, non imputauit, fide cordis in dñm integra ut lis permanente, Iesum tamen summū pontificē expetijt satan ut cribraret, & ereptū ex Babylone ueluti torrē, nonnihil aduſtum obrueret tentationibus, et domino sic offensum redderet, ut propter eum & aliorū principū peccata dñs sic offenderetur populo iā regresso, ut templi & urbis ædificationem promiſſam denuo negaret, & ueluti de nouo impietatis damnaret: hoc aduersarius moliebatur. Et hoc est summū sacrdotem semiuſtū è Babylone euasisse, sed non combuſtum. Hoc est ergo Iesum pontificē indutū esse sordidis, & stare ante angelū dñi, quem etiā Ezdram intelligere possumus, ad salutē fidelium missum à dño Hierosolymam. Potest & intelligi de neglectis ceremonijs in sacrificijs legalibus iuxta aram. Sed & de Christo facto pro nobis peccatū, & humanis miserijs, præter peccatum, perpeſis pro mundi salute.

Peccata dæorum in bonā partē accipiuntur.

4 Qui respondit & ait ad eos qui stabāt coram se, dicens, Auferte uestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum, Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs.

Angelus ante cuius faciem stabat Iesus, præcepit in uisione cæteris angelis ex persona dñi, ut auferrent ab eo sordida uestimenta, de q̄bus supra diximus. Qui cū præceptū opere cōplesſent, rursum idē angelus loquitur ad Iesum: Ecce abstuli à te iniquitatē tuā, hæc sunt sordida uestimenta, et indui te mutatorijs, honorabili te statu et exercitio decoraui, ut mihi nō posthac disſlicereres, sed quæ uolui sine cūctatione exequereris, strenue insistendo cū Ezdra et Neemia operi, qd' dñs demādasſet extruendi templū, ordinandi diuinū cultū et urbē cū pumicia secundum

secundum dei beneplacitum gubernandi. De Christo id quoq; accipitur, qui se litauit pro mundo immundo, quare & gloria maxima est præmiatus. Ante mortem habuit consortium cum peccatoribus, postea factus sacerdos idoneus & æternus.

5 Et dixit, Ponite cidarim mundã super caput eius. Et posuerunt cidarim mundam super caput eius, & induerunt eum uestibus: & angelus domini stabat.

Mitram quoque iubet imponi sacerdotalis dignitatis, ablatis enim peccatorum sordibus, & peccatis non imputatis, fragilitatis humanæ & Babylonicæ contagionis, mundum deo exhibeat sacerdotium, & secundum uoluntatem domini legitime præsit populo dei, & magnanimiter uitijs eliminatis inferat pietatẽ & iustitiã, quod est muneris põtificalis. Vidit ergo propheta in spiritu Iesum coronari & indui mundis uestibus, ut non solum pro innocente censeatur, sed etiam gloria & honore coronetur ad gloriam dei, & gentis suæ ædificationem. Adhuc autẽ uidebat Zacharias angelum stantem, & consolationem ampliorẽ exhibere paratũ per Christum uerum põtificem, cuius is in aliquibus typus erat.

Mitra sacer dotalis.

6 Et contestabaꝫ angelus dñi Iesum, dicẽs,
7 Hæc dicit dominus exercituum: Si in uijs meis ambulaueris, & custodiam meam custodies atria mea, et dabo tibi itinera inter eos qui nunc hic assistunt.

Præcipitur consequenter sacerdoti, ut sanus factus ultra nolit peccare, ne quid sibi deterius fiat: præmiumq; illi promittitur, si in uijs dñi ambulauerit, & eius præcepta seruauerit. Quod & ipse iudex sit domus eius, id est, pontifex perseueret in templo, & custodiat ceremonias legitimas in templo, atrio & uestibulis, secundũ institutionẽ legis Mosaicæ, de qua in Leuitico nunc pro uirili utcunq; renouatam ab Ezdra. Detq; ei dñs ex angelorum numero, qui eo tempore stabãt ante conspectum eius, quorũ circumualletur auxilio, & ab omni hostium fraude securus sit, & transitum habeat inter stantes illos coram Christo, id est, angelos dei, ut illis connumeretur infigni dignitate, quandoquidem & sacerdotes angeli dicuntur, eo quod legem domini annunciant populo: unde & quindecim ex genere ac prosapia huius temporis Onias fuit cognomento Menelaus.

Sacerdotis ministe.

8 Audi Iesu sacerdos magne, tu et amici tui qui habitant corã te, quia uiri portentes sunt: ecce enim ego adducam seruum meum Orientem.

Per uisionem quoq; propheta audit dici summo sacerdoti Iesu filio Iosedech, Tu & amici tui sacerdotes & prophetæ, eorumq; filij, qui in signum positi sunt futurorum, filij portendentes uel portentorum, dicti, id est, admirabiles: quales et Isaias accepit à domino in portentum & signũ, quales & Apostoli dici possunt & fuerunt, tunc plenam felicitatẽ & perfectam beatitudinem illis adfuturã, & desyderia omniũ sanctorũ complenda, quando uenerit Oriens, de quo scribitur, Ecce uir Oriẽs nomen eius, in quibus uisitauit nos oriens ex alto. Qui Oriens ipse dicitur & lapis angularis, quia populum utrunque coniungat, & duos parietes in unam domum cõsociet: quod de Iesu filio Iosedech minus clare uel perfecte intelligitur, qui non credentibus lapis scandali est. Super quo Christo domino septem oculi sunt, de quibus Isaias, uniuersitas gratiarum & uirtutũ. Qui primo dicitur seruus dei, iuxta habitũ serui assumptum. Germen quoq; pullulans, & oriens de terra, natus ex immaculata uirgine.

Prophetæ portentum fuit.

9 Quia ecce lapis quem dedi coram Iesu super lapidẽ unũ septẽ oculi (sunt) ecce ego celabo sculpturã eius, ait dñs exercituũ: & auferam iniquitatem terræ illius in die una.

Lapis propter robur & firmamentum, in quem qui impegerit conteretur, super quem autem ceciderit diśiliet. Multitudo autem oculorum, speciem & decorẽ indicat, in quem omnium oculi intendant, etiam angelorum & prophetarum cum patriarchis. Istum autem lapidem clauis crucis & lancea militis faciam uulnerari, ut effluat ex manibus & pedibus pectoreq; potissimum fons sanguinis, in cuius passione auferam iniquitatẽ terræ in die una, de qua scriptum est, Hæc est dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea. Verum enim se Christus sacerdotem declarauit, non enim per sanguinem taurorum, aut hircorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, ut uictus satan accusationem nullam contra electos inueniat.

Lapis oculatus.

10 In die illa dicit dñs exercituũ, uocabit uir amicum suũ subter uineã & subter ficum.

In die illa passionis & resurrectionis Christi, uocabit qui perfectus est in Christo, & cum apostolis ad dominicæ beneuolentiæ culmen ascenderit, proximum suum uel credentes ex Iudæis, uel certe gentilium populũ, subter uineam Christum, ut fructus eius cor hominis lætificet, & subter ficum spiritus sancti poma dulcissima, ut æterna pace requiescant, & compressa seditione mundi & cruore bellorũ sciãt se esse sub rege Salomone pacifico. Agnitio domini Iesu ipsa uitis est, & ficulnea, ad quam proximos nostros inuitabimus, si quidem in nobis est charitas. Erit enim uerorum Christi discipulorum et Christianorũ maxima tranquillitas & pax conscientiarum, utcunq; mundus impiorũ sæuiat semper contra fideles: sine metu enim habitabũt sub pennis alarũ Christi.

Felicitas & delium.

CAPVT IIII.

1 ET reuersus est angel⁹ qui loquebaꝫ in me, & suscitauit me, quasi uirũ q̃ suscitaꝫ de somno suo.

Angelus domini reuelator secretorũ, ad iussum domini iterum prophetæ loquitur, satis difficilem intellectu propheticã uisionẽ. Ideo eum excitat et attentum facit auditorẽ & speculatorẽ. Hebetiores siquidem sunt sensus humani ad contemplandũ diuina, et eo quoque tẽpore perspicaciores prophetias gens Iudaica non merebatur, nec indigebant fideles illius temporis post priorum prophetarum nondum completa oracula, Isaiæ

Difficultas prophetarũ

scilicet et aliorum, quorum de futuris ueritas ex completis iamdudum multis poterat liquido credi.

2 Et dixit ad me, Quid tu uides? Et dixi, Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas rotunda eius super caput ipsius: & septem lucernæ eius super illud: septē & septem infusoria lucernis quę erant super caput eius:

3 & duæ oliuæ super illud: una à dextris lampadis, & una à sinistris eius.

Candelabrum aureū

Angelus suscitator Zachariæ interrogat eum quid uiderit: respondet id quod res erat, Video, inquit, candelabrum totum aureum, in cuius summitate erat discus latus & rotundus, ueluti lampas inflammata & lucens, septem quoq; lucernæ uel lichni super illo rotundo disco: singulis autem septem lucernis infusoria quædā aderant superne, in quibus oleum erat, quod mittebatur ad lucernas quæ super candelabro lucebant. Porrò utrinq; oliua stabat iuxta candelabrum, una ad dexteram eius, alia ad sinistram. Quæ uisio quid significet deus certò nouit, & cui reuelare dignatur. Videtur Christus cacumen esse candelabri, caput ecclesiæ suæ, illam sufficienter ubiq; & semper illustrans gratijs spiritus sancti, non sine oliuis duabus ueteris & noui testamenti, unde per prophetas & apostolos oleum unctionis infunditur intellectui, & cordibus fideliū, ut filij ecclesiæ sine offensione ambulent in templo domini.

4 Et respondi, et aio ad angelum qui loquebatur in me, dicēs: Quid sunt hæc dñe mi?

5 Et respondit angelus qui loquebatur in me, & dixit ad me, Nūquid scis quid sunt hæc? Et dixi, Non domine mi.

6 Et respondit, & ait ad me, dicens, Hoc est uerbū domini ad Zorobabel, dicens, Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo dicit dominus exercituum.

Propheta cum narrasset uisionē suā, nesciens uisionis intellectū, interrogat angelum sibi loquentem, quid hæc essent, id est, quid significarent. Angelus autē non explanat uisionē prophetæ, ut rogatus ab eo fuerat, sed interrogātem rursum interrogat, Num ignoras quid sunt hæc? Quo respondente, Nescio, etiam ipse angelus respondet: Hoc est uerbum Domini ad Zorobabel sic loquentis. Quasi dicat, Hæc uisio pertinet ad Zorobabel, ut sciat diuinum opus & institutū esse, quod sibi à prophetis iniungitur, extruere scilicet templū, aram, candelabrum, mensas & atria, quæ nullæ humanæ uires, molimina impedimentorū, artes malignorum hominū quantumlibet magnorū, & maligne resistentiū, poterūt præpedire: spiritus enim meus, prouidentia mea, & uoluntas hoc statuit, cui nulla creata uirtus resistet: sic uolo dūs exercituum, sic fiet. Significant aūt lampades splendorem ædificij, duæ arbores Zorobabel & Iesum, qui instare debebant ædificio, non obstantibus impedimētis.

7 Quis tu mons magne coram Zorobabel in planum? & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius, (acclamationes gratiæ gratiæ eius fient.)

Angelus hoc uerbo consolatur & adigit magis Zorobabel, ut magnanimiter conetur, sine trepidatione instat, nemunem esse tam magnum & fortem principem in terra, qui domini institutum à prophetis prædictum remorar, multo minus impedire præualeat. Quamlibet enim montem magnum sibi transcendendum uideat & cuncletur, certus tamen sit per uerbū domini, sine omni periculo, et impedimento ueluti planitiem superaturum eum cunctam tum operis difficultatem, tum resistentiū importunitatem. Certissimum quoque esse, ut sicut primum in ædificio isto lapidem posuit, sic ultimum quoq; operis colophonem sit impositurus, cum alacri, magno & felici plausu totius populi, gratias deo & tibi Zorobabelo dicētium suo tēpore, ut certo persuasum teneas, ad quos misit uerbum suum & prophetas, minime neq; dio congratulaturorum.

8 ¶Et factum est uerbū dñi ad me, dicens:

9 Manus Zorobabel fundauerūt domum istam, & manus eius perficiēt eam: & scies quia dominus exercituū misit me ad uos.

Ad maiorem assertionem propheta repetit iam prædictum, dicens, Manus Zorobabel principis Iudæorum qui reuersi sunt de Babylone, templi fundamenta iecerunt, & manus eius usq; ad templi fastigia uenient, complentes quod cœperant, & omnia quæ cœpta fuerant extruentes. Cumq;, ait Zacharias, in templo quod nūc ædificatis uideritis à uobis culmen impositum, tunc intelligetis me missum à dño, et quæ locutus sum ipso manante dixisse. Iterū colligi ex hoc loco potest, Christum Christus is qui ad prophetas in uisionibus, & ad nos in carnē missus prophetatur, & dominus exercituum appellatur. Ex completione quoq; ecclesiæ, quæ in toto mūdo propagata est, Christum certissimum prophetam agnoscimus.

10 Quis enim despexit dies paruos? & lætabuntur, & uidebunt lapidē stanneū in manu Zorobabel. Septē isti, oculi (sunt) domini, qui discurrunt in uniuersam terram.

Quisquis hactenus despexit modicam & humilem fortunam & statum Israelis, propter opprobrium gentium à quibus opprimebatur, is nunc uice uersa lætabitur, uidens lapidem perpendiculi in manu Zorobabelis, & iuxta illius imperium ædificari, magna ubertate & copia omnium bonorum, ad structuram totius operis necessariorum. Licebit & hoc loco dubitare de Hebræo-rum distinctione, quandoquidem aptior sensus uidetur, dicere, septem oculos domini, hoc est uniuersalem prouidentiam dei cuncta peruagari, omnia clare intueri, nihil illi ignotum, omnem terram, id est habitatores ut condidit, sic et administrare, multo magis autē electos suos, ad quos misit uerbum suum & prophetas, minime negligere posse.

11 Et respondi, & dixi ad eum, Quid sunt duæ oliuæ istæ ad dexteram candelabri, & ad sinistram eius?

12 Et respondi secūdo, & dixi ad eum, Quid sunt

sunt duæ spicæ oliuarum, quæ sunt iuxta duo roſtra aurea, in quibus sunt suffuſoria ex auro?

Duæ oliuæ.

Interrogat adhuc propheta de duabus oliuis: duo autem quærit. Primò quid sint uel significẽt duæ oliuæ ad dexteram & sinistram. Secundò quoque interrogat de duabus spicis plenis baccis, quæ cõprimebantur duobus ueluti roſtris uel paruis torcularibus, ad exprimendum oleum purũ ex baccis, in aurea illa suffuſoria uel uaſcula olearia quæ lucernis aderant, ad fouendam lucem earum. Auream autem speciem refert oleum purum, ideo hic quoq; olearum uaſculum aurum dicitur, ut uideatur modus loquendi propheticus.

13 Et ait ad me, dicens, Nũquid neſcis quid sunt hæc? Et dixi, Non domine mi.

14 Et dixit, Iſti sunt duo filij olei, qui aſſiſtũt dominatori uniuerſæ terræ.

Filij olei duo.

Duo filij olei qui stant prope dominũ omnis terræ qui sint, si duo teſtamenta non sunt, uel Moſes & Christus, Helias & Enoch, multo minus sunt Ioannes & Paulus martyres Iuliani, ut placuit Romanis: ueriſimilius dixiſſent, apoſtolos & prophetas, ſed iſti non exprimunt oleum Christo quo luceat, ſed Christus lux est, à quo omnes ſuſceperunt gratiam & gloriam. Fortaſsis pater & ſpiritus ſanctus Christo homini oleũ largiuntur, quo fideles exhilarantur. De his autem præstat nihil quàm inconſulte multa pronunciare.

¶ CAPVT V.

1 ET conuerſus sum, & leuaui oculos meos, & uidi, & ecce uolumen uolans.

2 Et dixit ad me, Quid tu uides? Et dixi, Ecce ego uideo uolumen uolans: longitudo eius uiginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum.

3 Et dixit ad me, Hæc est maledictio quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ: quia omnis fur hinc ſicut ibi innocens iudicabitur: & omnis iurans hinc ſimiliter innocens iudicabitur.

Simpliciſsimus uidetur ſubeſſe ſenſus, maximè tamen neceſſarius eius prophetæ temporibus, in quibus ferè ſolus Zacharias & Aggæus prophetabant, admodum popularitèr, & parum curioſe uel ſplendide. Rurſum ait propheta, In uiſione apparuit mihi, longum & latum ualde uolumen inſolitæ ſcilicet quantitatis, myſterium iniquitatis, & publici erroris & traditionum pharisaicarum contra uerbũ dei. Volat autem, quia inſtabile & adytum oraculi obuelat ne pietas cernatur. Illud autem angelus dicebat uocari maledictionem, ſignificans hanc publicã maledictionẽ peruaſiſſe totam terram, ſacerdotum impiorũ dogmata excogitata ad ſuũ quæſtũ, luxum & faſtum, de quibus Christus in Euãgelio, & Iosephus de auaritia in ſecundo templo. Nihil ſcilicet eſſe uel remanſiſſe doctrinæ & morum in tota terra, pium, æquum & iuſtũ, ſine omni timore & uerecũdia paſſim obuolare maledictionẽ, non unam ſed duplicẽ. Primam, quæ dicitur & est iniquitas & iniuria ad proximos quoſq;, quæ per furtum ſignificatur tanquam genus alicuod fraudandi quenquam: ſub quo genere includũtur omnes modi fallẽdi ꝓximos quoſcunq; per fas & nefas, quoquo modo rapiẽdo aliena, ſine timore & punitione quacunq;, non ſecus atque ſi liceret cuiq; furripere ſibi aliena, quæ poſſet per uires ſine delectu perſonarũ & rerum, æque magna ut parua, æque pauperibus ſicut diuitibus, ſic tamen ut ad ſacerdotes rediret portio compendij iuxta traditiones humanas. Altera maledictio erat cõtra deũ, falſò & ſine timore per dũm deũ peierando, ſine fide prouidentiæ diuinæ, ſine timore ultionis, quaſi deus nõ ſit, qui mala ulciſci uelit uel poſsit. Videtur autẽ hac uiſione taxare mundũ repletũ perfidia in deum, & uiolentia in proximũ, ſine ſpe reformationis. Quandoquidem uolumen illud omnia excuſat & ratificat, & indulgẽtias taxat, & ceremonijs & ſacrificijs expiari docet. In ſumma, tam innocẽs habetur fur qui furatur, quàm ille qui patitur furtũ, ſi in templo fiat oblatio de iniuſte ablatis ſecundũ hoc uolumen.

Mundi crimina.

4 Educam illud, dicit dominus exercituũ, & ueniet ad domũ furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus eius, & cõſumet eam, & ligna eius & lapides eius.

Educam ego dominus maledictionẽ huiuſmodi de loco ſuo, de ſolio iuſti iudicij mei, & introducã in domos peſtilentiũ hominũ, in ſubſtantiã totã furũ & uiolentorũ illorum, & eorum qui falſò iurant per nomen meum, ut quicquid agere cœperint & tentarint, totũ ſit maledicto futurum. Vltionem meam iſti impij & uiolenti ſentient in omnibus negotijs & rebus ſuis, ſic ut manſura ſit apud illos perpetuò, donec deficiant & cõſumãtur, & ab omni malitia ſua uelint nolint deſiſtant: ut tam ligna quàm lapides illarum domuum præ maledictione quam illis immittã ſubſiſtere omnino nõ ualeãt. Subuertam enim familias totas, quæ ſe cum proximorum iniuria, & ſine timore dei ſtabilire conati ſunt.

Vltio dominj.

5 Et egreſſus est angelus qui loquebatur in me, & dixit ad me, Leua oculos tuos & uide: quid est hoc quod egreditur?

6 Et dixi, Quidnam est? Et ait, Hæc est amphora egrediens. Et dixit, Hæc est oculus eorum in uniuerſa terra.

Alia uiſio & ad idem, qua deſcribit primo iniquitatem & iniuriam populi, nimirum Iudaici, & omnium ſeculorũ hominũ, qua ſeſe fraudant publice & impune iniquis ponderibus, menſuris omniũ generum, tam in liquidis quàm aridis, id quoq; de alijs iniuſtis cõtractibus multis. Vide, inquit angelus ad prophetam, ipſum attentum reddens, quò exiens pergat iſta iniquitas. Reſpondente autem propheta quid aſpicere debeat, dicit, Modium illũ (uel Ephi, inſtrumentũ menſuræ aridorum) qui exit uel imminui uidetur effuſione aliqua rei menſuranda: hoc est, iniquã falſamq; menſurã aſpice ô propheta. Addẽs inſuper: Talis est forma, habitus, uſus & malitia iniquarum menſurarũ in tota terra: hoc est, impleta est

Fraudes hominũ.

terra iniurijs hominum malignorum, ut qui magis decipere posit fratrem, sit in ista terra tota felicior, prouidentia dei interim decernente pœnas criminum & legum impiarum.

7 Et ecce talentũ plũbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphoræ.

8 Et dixit, Hæc est impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius.

Impietas in deum.

Non solum uiolentia inter homines impune exercetur, sed etiã impietas in deum, & negatio dei altissimi: hoc est idolorum cultura, saltem in cordibus & uoto, si non etiam re ipsa. Quæ impietas comparatur centenario stanni uel plumbi uehementer onerosi, pro sua grauitate à supernis uehementissime abhorrens, & ad ima deprimens. Hæc autẽ impietas, quæ significatur per uolumen & fœminã, intruditur in modiũ. Iungitur enim doctrinæ falsæ iniquitas populi deprauati, sunt enim indissociabiles, quasi si sedeat impietas ad deum, & conseruetur in iniquitate iniuriarum ad proximum, ueluti plumbum in modio. Vtræq; autem pariter abijciuntur, & diuturna uindicta sine dubio ulciscuntur, æqua mensura illis repẽditur, qua metiebãtur hominibus & deo, quam uel excutere uel euadere utraq; non poterit. Hæc sunt enim quæ dominus ferre non potest, damnatq; sempiterno maledicto & supplicio.

9 ¶ Et leuaui oculos meos & uidi, & ecce duæ mulieres egrediẽtes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas ciconiæ: & leuauerunt amphoram inter terram & cœlum.

10 Et dixi ad angelũ qui loquebatur in me, Quò istæ deferunt amphoram?

11 Et dixit ad me, Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super basem suam.

Causæ utriusque captiuitatis.

Ostenditur prophetæ, perfidiam in fide & moribus, causam fuisse & esse utriusq; captiuitatis, tam Israelis in Assyrios, quàm Iudæorũ in Babylonios, & omnium calamitatum quæ sunt in mundo, scilicet hunc modium cum iniecto plumbo, iniuriam hominũ, cum impietate in deum, propter quas exierint hæ duæ mulieres Oolla & Oolibama in exteras nationes, in regnũ Chaldæorũ & Assyriorum, quod intelligitur per terram Sennaar. Comparat autem easdem upupæ omniũ auium turpissimæ & fœtidissimæ, quæ nõ nisi humano stercore delitiatur. Ideo nõ quiescere potest nisi in Babylone, quæ sedes est confusionis. Vel secundum alios, qui חסידה ciconiam interpretantur, à pietate simulata, quæ ambitionem iunctam habet cum auaritia, quibus mundo imponit & infert pessimas plagas. Ambæ autem mulieres impietatem clausam modio per aërem ferunt, toti orbi ostentant iustum iudiciũ domini contra eas. Quod propheta intelligens non interrogat, quæ sint istæ mulieres, patebat enim spiritui prophetali: nec quid portent, hoc enim didicerat, sed quò portent. Audit ergo terram Sennaar, quæ campus est Chaldæorum, & confusionis

Modius impietatis.

prouintia, quo fertur iniquitas, ad locum ubi stridor erit dentium & pœnarum locus, pro ambitiosis & auaris, pro falsis stultisq; doctoribus, & pusillorum oppressoribus, ubi manebit extra ecclesiam fidelium damnata in perpetuum, unde euadere non poterit iudicio dei lato super eam pro meritis.

¶ CAPVT VI.

1 ET conuersus sum, & leuaui oculos meos, & uidi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorũ montiũ: & montes, montes ærei.

Quatuor quadrigæ.

Finita priore uisione pro ædificanda ecclesia, nunc Zacharias uidet aliam propheta domino reuelante præmium ædificantium. Hoc autẽ significatur per hoc quod dicitur, Reuersus sum & uidi, id est iterum uidi sublatis oculis. Et ecce apparebant mihi quatuor currus, quorum quilibet secundum Hebræos trahebatur quatuor equis. Egrediebantur autem de loco angusto inter duos montes ferreos uel potius æneos, multo scilicet fortiores, quàm si fuissent lapidei montes. Signatur autem prouidentiæ diuinæ & regiminis ordinationisq; infallibilis ordo, circa statum huius mũdi, qui secundũ illius uoluntatem disponitur & perseuerat.

2 In quadriga prima equi rufi, in quadriga secunda equi nigri,

3 in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi uarij & fortes.

Equi trium curruum similes erant prioribus tribus in prima uisione: rufi scilicet, nigri & albi. Quartæ autẽ quadrigæ equi uisi sunt coloris maculosi & uarie relucentis, & uehemẽter de remotis splendẽtis quasi igniti. Et significant quatuor regna mundi in quatuor plagis uel climatibus mundi, in quæ Iudæi dispersi sunt, non solum pro ipsorum peccatis uindicandis, sed multò magis pro gloria dei amplificãda in omnibus gentibus, tam quam ab electis maiestatis suæ præconibus. Qui enim in propria terra dei sui beneficia agnoscere noluerunt, in exteras gentes dissipati, dei sui gloriã prædicare coacti sunt, & confiteri illius iustitiam & potentiam, ad ueram ecclesiam dei in omnibus gentibus extruendam, Christi scilicet promissi omnibus gentibus ex utriusq; populis. Quis autem ignorat regna Aegypti, Babylonici, Græcorũ, Romanorũ, successiue uastasse Israelitas, non uno modo sed uarie, quosdã truculẽtius, quosdã mitius? Vt hic aliud scribi non uideatur, quàm prouidentia dei circa mundum & totam terrã, non solum quantum ad suos fideles, sed etiã infideles, qui pacem & bella mittit quò uult, quando, & ad finem bonũ, sub quibus tamen regnis fideles de populo Israel passim inæquali sorte uel prosperitate degebant, quæ per colores differentes nota tatur curruum & equorum.

4 Et respondi, & dixi ad angelũ qui loquebatur in me, Quid sunt hæc domine mi?

5 Et respõdit angelus, & ait ad me, Isti sunt quatuor uẽti cœli, qui egrediũtur ut stent coram dominatore omnis terræ.

Pro-

Prophetaquærente quid sibi uellent significare quæ cerneret, angelus qui ei loquebatur, respondet: Nihil aliud sunt hæ quadrigæ cum equis, quàm quatuor plagæ mundi, cœli scilicet portiones, oriens, occidens, auster & aquilo. Vbiq; enim principatus dei omnia ordinat, ineuitabili ordine & æterno: cui assistunt omnia uelut imperatori, sub cuius conspectu & nutu omnia fiunt iuxta suã prouidentiã, quæ omnibus dominatur. Alicubi autem regnum exercetur sanguinolentum & crudele, quale fuit Babyloniciũ: alicubi pacatum & benignum, ut Medorũ: alicubi cum magna pressura absq; sanguinis effusione, ut Græcorum: alicubi uarie, mutabiliter & incerto gressu uel fato, ut Romanorum, scilicet ira, odio, gaudio uel fastu regnante, aut certe fortitudine, sapientia, bello & pace, significata per colores equorum uel equitum.

Prouidẽtia deitmiuer talia.

6 In qua erant equi nigri, egrediebãtur in terram aquilonis: & albi egressi sunt post eos: & uarij egressi sunt ad terram austri:

Tam nigri quàm albi ab aquilone fidelibus occurrũt, feroces & clementes domini: ab austro & occidente austeriores. Romani autem licet occidentales Israelitis sint, non tamen eos nisi prius Aegypto subiecta oppressérunt, ut ab illa parte Iudæis pernicies aduenerit per

7 Romanos, ut Iosepho testante discitur. qui autem erant robustissimi exierunt, & quærebãt ire, & discurrere per terram. Et dixit, Ite, perambulate terram, (& perambulauerunt terram.)

Romani.

Romanos omnium fortißimos fuisse certum est, qui omnes reliquos quamlibet fortes & sapientes uicerunt totum orbem, hoc est, quatuor illius plagas peruagando uictricibus signis, omnia domando & diripiendo pretiosa quæque: domino sic ordinante & præcipiente, ut impij in terra sic sese perturbent & persequantur, ut interim eius gloria, quam omnes persequebãtur, per electos passim Israelitas illustretur & proficiat in salutem sanctorum.

8 Et uocauit me, & loquutus est ad me, dicens, Ecce qui egrediuntur in terrã aquilonis, requiescere fecerũt spiritum meum in terra aquilonis.

Dei quies ira est.

Ab aquilone ferè semper, & non ab ortu uel occasu solis aduersa aduehi usquam legimus: quibus tamen æruminis multiplicibus peccatores & impios dominus iusto suo iudicio punit & satisfacit iustitiæ suæ, quod est ipsum quietari & serenari, ultione scilicet sumpta de impijs in gẽtibus, quas sua mutuũ malitia afflixit, donec tandem agnoscant unicum moderatorẽ uniuersorũ, & ad eum colendũ corde cõuertantur. Pro tam difficilibus locis intelligendis, quos potuimus Hebræos uidimus & Latinos, nusquam inuenientes quæ omni ex parte protenditur intellectui, uti hæc quoque non omnibus placitura non ambigo: interim contenti quod sine fidei morumq; periculo hæc sic intelligi posse putamus.

9 ¶ Et factum est uerbum domini ad me, dicens,

10 Sume à transmigratione ab Oldai, & à Tobia, & ab Idaia: & uenies tu in die illa, & intrabis domum Iosiæ filij Sophoniæ, qui uenerunt de Babylone.

11 Et sumes argentũ & aurum, & facies coronas: & pones in capite Iesu filij Iosedec sacerdotis magni,

12 & loqueris ad eum, dicens, Hæc ait dominus exercituũ, dicens, Ecce uir, Oriens nomen eius: & subter eum orietur, & ædificabit templum domino.

13 Et ipse extruet templum domino: & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo. Et erit sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos.

Simpliciter intelligo hunc locum esse exhortationem prophetică, iussu dei ordinatam per prophetam statim post primam prophetiam, antequam auderent arripere opus ædificandi templũ, uel urbem Ierusalem, quum primum redijssent de captiuitate Babylonica dux, sacerdos, prophetæ, cum reliquis ad hunc sensum. Iubetur Zacharias accipere argentũ & aurum, quod de Babylone attulerant remißi Iudæi: & ex eo formare non regiam coronam, sed (ut ueteribus in usu erat multiplex genus coronarũ, de quibus multa in Romanorum historijs & Plinio) gloriæ, fortitudinis & strenuitatis insigne. Qua parata corona, cõuocauit propheta quosdam primores ex populo, qui aurum contribuerant, Heldai scilicet, alio quoq; nomine Helem dictum, & Tobiam, & Iadiam, cum Zorobabel & Iesu sacerdotem, in domum Iosiæ filij Zophoniæ, qui etiam alio nomine Hen dictus est. Cumq; conuenissent hi uiri ad conuocationẽ prophetæ iussu domini, accepit duas uirtutis & fidei in deum & patriam coronas, & imposuit unam in caput Coronæ duæ. *Iesu filij Iosedec summi sacerdotis, & dixit ei, Hæc dicit dominus exercituum, Ecce adest quoq; nunc nobis uir alius, cuius nomen est, Germen proficiens, & feliciter iucundeq; crescens, Zorobabel scilicet, qui de loco suo in quo nunc est succrescet, proficiet, augebitur, & subinde seipso semper gloriosior erit, proferetq; clarissimũ typum Christi domini de se nascituri suo tempore, & ecclesiã toto orbe fidelium ædificaturi. Is ædificabit domum templi dominici. Ipse, inquam, illud reuera ædificabit animi sui fortitudine in ciues, & deuotione in deũ* Ædificatio templi & ecclesiæ. *commendabilis. Ipse ex hoc facinore & glorioso opere suo reportabit sibi perpetuam gloriam & illustre nomen, sicut & Salomon, ut apud posteros dicendus sit extructor secundi templi Zorobabel. Sedebitq; in ea urbe pacifice, & ducali officio præerit, & collecto ex gentibus populo in Iudæam imperabit, solio nõ quidem regali, sed honorifico & glorioso ualde apud suam gentem. Sedebitq; nihilominus & magnus ille sacerdos in authoritatis suæ glorioso solio, princeps sacerdotum & instaurator diuini cultus legitimi, sic ut ambo illi optimi uiri Zorobabel in suo officio, & Iesus pontifex in suo, summa concordia, fide & prudentia omnia sint*

acturi, & pariter profecturi in gloriam dei, & in tranquillitatem gentis & patriæ.

14 Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hen filio Sophoniæ, memoriale in templo domini.

Memoria uirtutum.

In perpetuam autem huius rei memoriam, ut suo tempore uisuri sitis me nunc uerissima dixisse, uult dominus ut hæ coronæ, quibus utrunque decorauí, & ueluti ad opus domini peragendum consecraui, in potestate & custodia maneant, uel fortassis publico loco suspensæ ad memoriam uirtutis præmiumq; pietatis, interim eorum uirorum, qui nunc sunt præsentes, & audiũt domini uoluntatem, Tobiæ scilicet, Iadaiæ & Iosiæ, qui cognominatur Hen filij Zophoniæ: ut his signis rerum & uerborum cõmoneamini ad extructionem templi secundũ domni uoluntatem & imperium.

15 Et qui procul sunt uenient, & ædificabũt in templo domini, & scietis quia dñs exercituum misit me ad uos. Erit autem hoc si auditu audieritis uocẽ domini dei uestri.

Non solum autem hi præsentes uiri & cæteri Iudæi, qui de Babylone redierunt incumbent templo extruendo feliciter, sed & alij tam ex gentibus quàm Iudæis, adhuc agentes in remotissimis locis, plures uenient, & ad operis complementum operas suas & impensas sponte & liberaliter offerent. Tunc autẽ scietis certissimè, quod nunc tarde creditis, me missum uobis prophetam à domino, qui id uoluit & mandat fieri, quod tam cunctabundi suscipitis perficiendũ. Veruntamen quicquid felicitatis dominus uobis per prophetas promittit, non aliter futurum credatis, quàm sub ea conditione, quam omnes semper prophetæ etiã Moses adiunxerunt prædictionibus, Si pactũ seruaueritis, Si obediendo obedieritis uoci domini dei uestri. Si enim præuaricaueritis legem domini, ipse tamen non præuaricabit, sed in suã gloriam abutetur malitia uestra, ipseq; semper bonus & iustus uidebitur ab omnibus gentibus, uos autem impij & maligni digneq; proijciendi ad exemplum orbis & catholicæ ecclesiæ collectæ ex omnibus gentibus. Pertinent quoq; coronæ istæ etiã ad Christi gloriã, & omniũ eorum qui iuuant ecclesiam & excolunt ut ædificetur quàm gloriose & latissimè ad gloriam dei.

Promissiones sub conditione.

¶ CAPVT VII.

1 ET factũ est in anno quarto Darij regis, factum est uerbũ domini ad Zachariã, in quarta mensis noni, qui est Casleu.

Tempus actionum notatur & prædicationũ prophetalium pro more scripturæ: discimusq; mensem nonum à Martio computatum Hebræis post reditum è Babylone Casleu dictum, nostro Nouembri partim respõdentem, Syriaco non Hebraico nomine.

2 Et miserũt ad domum dei Sarasar & Rogom melech, & uiri qui erant cum eo ad precandum faciem domini:

3 ut dicerent sacerdotibus domus domini exercituum & prophetis, loquentes, Nunquid flendũ est mihi in quinto mense, uel sanctificare me debeo, sicut iam feci multis annis?

Iudæi qui adhuc in Babyloniorum regno habitabant legatos mittunt Hierosolymã orationis & sacrificiorum causa, ut simul quoque sciscitarentur, num nunc tandem surgente templi ædificio ieiunandum sit illis ut antea. Ieiunabant enim certis mensibus, quinto & septimo, eis diebus quibus duas insignes perpessi fuerant calamitates, templi incendium, & muri urbis irruptionem, & Godoliæ occisionem. Flebant ergo & ieiunabant orationi uacantes in Iulio mense, ac tunc Nazaræorum more corpora castigabant, & continebant se à delitijs, quo ardentius & attentius orarent: idq; iam in morem trãsierat plus quàm septuaginta annis. Nunc quia dicitur templum esse constructum, uidenturq; causa cessasse tristitiæ, quærunt si non mœrorem hunc gaudio commutare debeant. Ieiunia flagitia.

4 ¶ Et factum est uerbum domini exercituum ad me, dicens,

5 Loquere ad omnem populum terræ, & ad sacerdotes, dicens, Cum ieiunaretis & plangeretis in quinto & septimo per hos septuaginta annos, nunquid ieiunũ ieiunastis mihi?

6 & cum comedistis & bibistis, nunquid non uobis comedistis, & uobismetipsis bibistis?

Imperat prophetæ dominus quid sit respondendum legatis, idq; coram uulgo & sacerdotibus, Quando ieiunabatis & plãgebatis captiuitatis tempus, & occisionem Godoliæ &c. uestro non meo instituto per septuaginta annos, nunquid mihi proderat? nũquid ex mea lege & mandato ieiunabatis? Et contra, Si quando manducatis & bibitis, nunquid non uobis & comeditis & bibitis? Neque enim his rebus placatur deus, sed pietate & innocentia, modestia, continentia à uitijs, benefactis in proximos, dei mandatorũ obedientia, & humiliatione cordis, ut illius fiant præcepta, quia esca non cõmendat nos deo. Ad quid mihi ieiunia uestra? facite potius quæ uolo. Frustra deus colitur his rebus, quæ non instituit ipse per prophetas uel legem agenda. Placari deum.

7 Nunquid nõ sunt uerba quæ loquutus est dominus in manu prophetarum priorum, cum adhuc Ierusalem habitaretur, & esset opulẽta (ipsa) & urbes in circuitu eius, & ad austrum, & in campestribus habitaretur?

Nunquid non hæc sunt uerba mea adhuc stante Ierusalem & urbibus Iuda, quæ loquebar ad uos per prophetas, cum extaret adhuc omnium rerum abundantia, & tam montana regio tribus Iudæ, quam campestris, tota undique hæreditas Iuda hominibus, urbibus, frugibus redũdaret, & fidissima pace frueretur? Si tunc pie uixissetis secundum uerba mea, non tam miserum hodie spectaculum cerneretis, non opus haberetis uestro ieiunio & lamentis.

¶ Et

8 ¶Et factum est uerbum domini ad Zachariam, dicens,

9 Hæc ait dñs exercituũ, dicens, Iudiciũ uerum iudicate: & misericordiam & miserationes facite unusquisq; cum fratre suo.

10 Et uiduam & pupillũ, & aduenã, & pauperem nolite calumniari: & malum uir fratri suo non cogitet in corde suo.

Grata deo opera.

Vnius dei uerũ cultum, iudiciũ iustum, misericordiã in proximos, uiduam & pupillum, aduenã & pauperem non calumniari, & maleuolentiã nullã fouere in corde contra proximũ: hæc sunt opera deo grata.

11 Et noluerunt attendere, & auerterũt scapulam recedentes: & aures suas aggrauauerunt, ne audirent:

Hæc, inquit, noluerunt facere, & surdis auribus mea imperia cõtempserunt: quamobrẽ uenit indignatio magna super Ierusalẽ. Et quomodo illi me audire noluerũt, sic & ego nõ exaudiui eos: & nunc tanta scrupulosita te quærunt, quando debeãt ieiunare & plãgere, quum dudum dixerim, non tale ieiuniũ me elegisse, neq; ut humiliet homo animã suam, sed soluat uinculum &c. Hæc magis uolui, ista quæsiui, quæ non facientes, captiuitati estis traditi: ut scilicet iniquũ non decernatis, personas non accipiatis, nec pium opprimatis, in cunctos clementiam ostendatis, maxime in fratres & domesticos fidei, patres sitis pupillis, & pro tutoribus uiris matri corũ. Fratrem autem & proximũ omne hominum genus debemus accipere, quia ex uno sumus parente generati. Quod autẽ hominis debeat ira finiri antequam sol occumbat, & omniũ malorũ quæ ab alijs passi sumus deleri memoria, etiam Ieremias dudum prædixit.

12 & cor suum posuerũt ut adamantem, ne audirent legẽ & uerba quæ misit dñs exercituum in spiritu suo per manum prophetarum priorum: & facta est indignatio magna à domino exercituum.

Rebellio in deum.

Cum ergo ista præceperim, illi attẽdere noluerũt, sed uerterunt scapulam recedentem, ex habitu corporis imperia contemnendo. Et aures aggrauarunt ne audirent, sicut aspides surdæ &c. Et cor suum posuerunt adamantinum, in tanũ durũ, ut cõfringat metalla, & ipse non confringatur, propria uoluntate duritiam cordis suscipientes, ne audirent uerba domini, quæ misit in suo spiritu per manum prophetarum priorum, Isaiæ, Oseæ, & cæterorum qui mundas habuerũt manus. Idcirco ad magna peccata magna facta est indignatio, & domini uerba completa sunt, par pari referentis.

13 Et factum est sicut locutus est, & non audierunt: sic clamabunt, & non exaudiam, dicit dominus exercituum.

Sicut illi ambulauerũt ad eum peruersi, & ipse aduersum eos pueruersus incedet, & nõ audiet uerba inclamationum, quia & illi uerba dñi surda aure cõtempserint.

14 Et dispersi eos per omnia regna quæ nesciunt: & terra desolata est ab eis, eo quod non esset transiens & reuertens: & posuerunt terram desiderabilem in desertum.

Quamobrem & dispersit eos per omnia regna quæ nescierant prius, Assyriorũ, Chaldæorũ, Medorum & Persarũ, & gentium cæterarũ, quæ his imperijs subiacebant, & in quarũ terris disseminati sunt. Et omnis Iudæa deserta est, eò quòd nullũ habuerit habitatorẽ, & non esset in ea transiens & reuertens. Et terrã quæ fauus erat præ omnibus terris, et propter abundãtiæ multitudinem lactẽ & melle manabat, uerterunt in solitudinem. Noluerunt enim obedire & facere quæ iubebam, suas potius inuentiones sectantes.

Dispersio Iudaica.

¶CAPVT VIII.

1 ET factum est uerbũ domini exercituum ad me, dicens,

2 Hæc dicit dñs exercituum, Zelatus sum Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus sum eam.

3 ¶Hæc dicit dñs exercituũ, Reuersus sum ad Sion, & habitabo in medio Ierusalem: & uocabitur Ierusalẽ Ciuitas ueritatis, & Mons dñi exercituũ, mons sanctificatus.

Quantũ prius indignatus sum Ierusalẽ & Israelitico populo, quod à multis amatoribus gentium idolólatria deturpata esset, & thorum meum maculasset, unde & tradidi eam amatoribus suis, nequaquam ut sub marito adulteram, sed ut scortum & uile mancipium & in lupanaribus prostitutam. Tanto nunc clementius ad eam reuersus sum, quia egit pœnitentiã, & ædificauit templum nomini meo, in quo habitabo in medio illius, & uocabitur ciuitas ueritatis, quæ antea dicebatur urbs mendacij, & mons domini omnipotẽtis, mons sanctificatus, in templo instaurato immolantur uictimæ, ceremoniarũ à lege præscriptarum ordo seruatur.

Reuersio per pœnitentiam.

4 ¶Hæc dicit dñs exercituum, Adhuc habitabũt senes & anus in plateis Ierusalem, & uiri baculus in manu eius præ multitudine dierum.

5 Et plateæ ciuitatis complebũtur infantibus, & puellis ludentibus in plateis eius.

Tanta subsequetur rerum omnium prosperitas, bellorum quies atque tranquillitas, ut nullo hoste remanente, usque ad ultimam ætatem in utroq; sexu senilis ætas perueniat, & trementes artus baculo regente sustentent (signum enim felicitatis est multitudo ueteranorũ & senum.) Plateæ quoque ciuitatis impleantur pueris puellisq; ludentibus. Hoc autem fieri solet quando securitas & profunda pax urbiũ est, & gaudiũ ciuitatum lusibus & choræis ætas iucunda cõcelebrat: deerit enim seditio domestica & bellum foris.

Prosperitas emendatorum.

6 ¶Hæc dicit dñs exercituũ, Si uidebitur difficile in oculis reliquiarũ populi huius in diebus illis: nũquid in oculis meis difficile erit, dicit dominus exercituum?

Ne putetis mea esse quæ spõdeo, ut quasi homini non credatis, dei sunt promissa quæ replico, licet quoq; reliquijs populi quæ redierant de captiuitate uideretur impossibile, cernẽtibus urbem penitus destitutã, murorum

ruinas, cõbustos parietes, manus Babylonias ostentare: nũquid in cõspectu dñi aut difficile erit aut impossibile, quia hæc futura meo ore promittit? Quæ enim apud homines impossibilia, apud deũ possibilia sunt. Hæc quoq; Christi ecclesia principio sæuissimè persecuta, postea didicit sibi collata beneficia. Vide Hieronymum.

7 ¶ Hæc dicit dominus exercituum, Ecce ego saluabo populũ meum de terra orientis, & de terra occasus solis.

8 Et adducam eos, & habitabũt in medio Ierusalem: & erunt mihi in populũ, & ego ero eis in deum in ueritate & in iustitia.

Salus Iudæorum. Hæc quidem cõpleta didicimus ex parte tẽpore Zorobabel & Neemiæ, quãdo populus reductus est de Babylone, Hierosolymis habitauit, dei populus appellatus est, & rursum dñs uocatus est deus deorũ, nequaquã in mendacio & in iniquitate, sed in ueritate & iustitia, nunc autẽ plenissimè sub Saluatore in ecclesia, id est, in uera Ierusalẽ promissionẽ rebus expleri uidemus, quia dicitur, Ecce ego saluabo populũ meũ de terra orientis & occidẽtis, de quibus Christus, Multi de oriente &c. Et Malachias de incẽso quod offeretur in omni loco. Factus enim de omni loco grex unus, ad lætitiã prouocatus est totus mundus: iuxta illud, Lætamini gentes cum populo eius, & cõuertẽtur ad dñm oẽs fines terræ, & adorabũt eum uniuersæ familiæ gentiũ, quando ueteris legis umbra discedet, & euãgelij ueritas ueniet, nequaquã in iustitia Iudæorũ, sed Christi, quæ de cœlo prospexit.

9 ¶ Hæc dicit dominus exercituum, Confortentur manus uestræ, qui auditis in his diebus sermones istos per os prophetarũ in die qua fundata est domus domini exercituum, ut templum ædificaretur.

Ædificantibus templum Zorobabel & Iesu, quarto enim anno Darij, quarta die mensis noni hæc uniuersa dicuntur, quãdo iam templũ extruebatur, idem prophetæ Aggæus & Zacharias, qui ut ædificaretur & duces & populũ sunt cohortati: nunc eos hortãtur, ut ex priorum ueritate his quæ in futurum promittũtur accõmodent fidem, & cõfortent manus suas, nequaquã Medorum impetum & impedire cupientiũ per circumitum nationum insidias formidantes, & confortentur per os prophetarum ex die quo templi fundamenta sunt iacta usq; ad diem quo superædificatum est templum.

10 Siquidem ante dies illos merces hominũ non erat, nec merces iumentorũ erat, neq; introeunti neq; exeũti erat pax præ tribulatione: & dimisi oẽs homines unũquenq; contra proximum suum.

Merces de bono opere. Antequã fundaretur domus domini, & ædificaretur templũ, omnis labor uester irritus fuit, & tam homines quàm iumẽta in agricultura, in mercimonijs operibusq; diuersis casibus conatibus frustrabantur, foris aduersarij, domi seditio turbabãt pacẽ, & erat ubiq; iustitiũ, ob bellorum frequentiã & insidias domesticas, dum nec frater fratri exhibet fidẽ, & omnis est inimica propinquitas. Hunc sensum alijs uerbis Aggæus prosecutus est.

11 Nunc autem non iuxta dies priores ego faciam reliquijs populi huius, dicit dominus exercituum,

12 sed semen pacis (erit) uinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum, & cœli dabunt rorem suum, & possidere faciã reliquias populi huius uniuersa hæc.

Nunc fundata domo nequaquã faciã ut prius, sed erit Prolepsis consueta. reuersis de captiuitate ubiq; pax & gaudiũ, & aviditatem ac famem pristini temporis futura abundãtia compensabit. Vinea enim dabit fructũ suum, & torcularia omnia complebũtur, terra lætis segetibus uestietur, & irrigantibus pluuijs & rore nocturno omnia pullulare bunt: uniuersa quæ dixi faciã populi mei reliquias possidere, quia templũ domini extruxerunt, quæ & in sensu simili Aggæus quoque prædixit.

13 Et erit: sicut eratis maledictio in gẽtibus, domus Iuda & domus Israel, sic saluabo uos & eritis benedictio: nolite timere: confortentur manus uestræ.

14 ¶ Quia hæc dicit dominus exercituum, Sicut cogitaui ut affligerem uos, cum ad iracundiã prouocassent patres uestri me, dicit dominus, & non sum misertus:

15 sic conuersus cogitaui in diebus istis ut benefaciam domui Iuda & Ierusalem: nolite timere.

Hæc post ædificationẽ templi futura promittit, ut fiat in cunctis gẽtibus in maledictionẽ & in sibilũ, ut erãt in cunctis gẽtibus in maledictionẽ & in sibilũ, & in exemplũ domus Iuda & domus Israel, duæ uidelicet & decẽ tribus, sic cum saluatæ fuerint & reuersæ fuerint & reuersæ in Iudæam, sint omniũ benedictio. Nolite, inquit, timere Prædictio ea diuina. aduersarios rebellantes, confidite uera esse quæ per me dominus pollicetur, cõfortentur manus uestræ, implete opera quæ cœpistis. Causa confortationis domini promissio est. Hæc enim dicit dominus omnipotens, cui nihil est impossibile: Sicut cogitaui ut affligerem uos, & captiuitati traderem, quia me patres uestri ad iracundiam prouocauerunt, & non sum misertus, ut uos corriperem per flagella & omnia tormenta: sic nunc cogito ut benefaciam Ierusalem & domui Iuda.

16 Hæc sunt ergo uerba quæ facietis, Loquimini ueritatem unusquisq; cum proximo suo: ueritatem & iudicium pacis iudicate in portis uestris.

17 Et unusquisq; malũ contra amicũ suũ ne cogitetis in cordibus uestris: & iuramentum mẽdax ne diligatis: omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit dominus.

18 ¶ Et factum est uerbũ domini exercituũ ad me, dicens,

Ne irrita fiat hæc mea pollicitatio, hæc uobis facienda Opera bona. erunt bona opera quæ præcipio. Loquimini ueritatem cum proximis uestris, qui sunt omnes homines, quia ex uno omnes sumus parẽte generati: alioqui si proximus propinquus accipitur, peregrinis & alienis mentiendũ est. Veritatem & iudicium pacis iudicate in portis uestris

striis, In iudicio primas ueritas habeat & iustitia, deinde sequitur misericordia. Hoc est enim iudicium pacis, ut pro posito iudex habeat pacificandi discordes, iuxta illud, Beati pacifici: nõ deferat impijs, nõ suspiciat personas et munera, hæc sunt enim in urbibus causæ litiũ, et seditionũ. Quodq; sequitur, In portis uestris, illi pphetico congruit, Oderunt in portis corripientẽ, & uerbũ sanctum abominati sunt. Qui uero sanctus est, nec amicũ affligit, nec malũ aduersum eũ cogitat in corde. Et iuramentum ait mendax ne diligatis, Nec assumetis nomẽ dñi dei uestri super re uana. Oia hæc sunt quæ odi dicit dñs. In præceptis quæ ad uitã ptinẽt, hic ait Hiero. et sunt pspicua, nõ debemus quærere allegoriã, Nodũ scilicet in scirpo.

19 **Hæc dicit dñs exercituũ, Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, et ieiunium septimi, & ieiuniũ decimi erit domui Iudæ in gaudium & in lætitiam & in solennitates præclaras: ueritatem tantum et pacem diligite.**

Iudæorum ieiunia. In Iulio ieiunant Iudæi die decimaseptima pro confractis tabulis à Mose, & irruptione muri Ierusalẽ prima, Ier. 52. In quinto, qui Augustus nobis est, ieiuant quodã die propter decretũ domini de morte omniũ, præter Caleb & Iosue in deserto, in quo & Nabuchodnozor & Vespasianus urbẽ ceperũt. In septimo mense, qui Octobri partim respõdet, ob Godoliã occisum. Mẽse decimo Ianuario partim cõcurrẽte ieiunant ob triste nuntiũ de capta Ierusalem. Hoc est igitur omne quod dicitur, Dies planctus & ieiuniorũ, quos hactenus habuistis in luctũ, scìatis uobis, quia cogitaui ut benefaciã Ierusalẽ & domui, Iuda in lætitiã & gaudiũ & solennitates esse uertendos: ita dũtaxat, si ueritatẽ diligatis & pacẽ, si absq; offensa mutua caueritis, & dominũ deũ timueritis & credideritis prophetarum suorum uerbis. Alioqui deus non ieiunium requirit, sed iustitiam & ueritatem, non ultmaceratum corpus, sed piam mentem & iustam uitam.

20 ¶Hęc dicit dñs exercituũ, usq; quo uenient populi, ut habitẽt in ciuitatib⁹ multis,

21 & uadãt habitatores unus ad alterum dicentes, Eamus & deprecemur faciẽ dñi, & quæramus dñm exercituũ: uadã etiã ego.

22 Et uenient populi multi, & gẽtes robustę ad quęrendũ dominũ exercituum in Ierusalem, & deprecandam faciem domini.

Conuocatio gentium ad dei cultum. Adhuc tempus erit conuocationis gentiũ ad unius dei cultum in unã ecclesiã, quãdo ciuitates Iudæ quæ prius desertæ erant frequenti habitatore celebrabuntur, ut una ciuitas pergat ad alterã, & se mutuo cohortentur, & dicant, Quia per hos septuaginta annos uiæ Sion luxerant, eo quod non esset qui iret ad solennitatẽ, omnes portæ eius desertæ, &c. Nũc pace reddita pergamus Ierusalem, in qua lege præceptũ est, ut uictimas immolemus, & ter in anno omne masculinũ nostrum appareat in conspectu domini, & dicent altera urbiũ ad alteram, Eamus & deprecemur faciem domini, & quæramus dominum omnipotentẽ. Respõdebit altera ciuitas, Vadam etiam ego. Quo tẽpore uenient populi multi & gentes immumerabiles, & robustæ, ut sacrificia in Ierusalẽ offerant domino exercituum, & deprecẽtur faciẽ eius. Appropinquat enim dominus his, qui non tentant eum, & ostendit faciem suam his qui non sunt increduli.

23 **Hæc dicit dominus exercituũ, In diebus illis, in quibus apprehendent decẽ homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam uiri Iudęi, dicentes, Ibimus uobiscũ: audiuimus enim quoniam deus uobiscum est.**

Recte hæc nos intelligimus de tempore aduentus saluatoris, scribitur enim: Vsquequo ueniant populi: quod nõ de præsenti tẽpore Zorobabelis, sed de futuro, quando uenient populi multi, & gentes maximæ, ut quærant dominum exercituũ. Tunc apprehendent decẽ homines ex omnibus linguis gentium fimbriam uiri Iudæi, dicentes: Ibimus uobiscum. Audiuimus enim quoniam deus uobiscum est. Omnes enim omnium linguarũ populi, eum dominum & deum adorare cœperunt, & colere, quem Moses et Dauid. Nõne fimbriã Christi oẽs apprehenderunt? Petri quoq; & Pauli, Ioannis & Barnabæ, ac aliorum, qui ex Iudæis primum Christo crediderunt, quorũ apostolatu cõuersæ sunt omnes gentes ad dñm deũ suum, & eandem quam dominus Iudæis legem & doctrinam dederat amplexati sunt, & ingenue professi sunt salutem illis prouenisse ex Iudæis, agnoscentes de se dictum, Erit radix Iesse, & qui exurrexerit ut dominetur gentibus, in ipso gentes sperabunt. Vberiorem quoq; indicat gentiũ multitudiem ad Christum conuersarum, quàm Iudæorum iuxta proportionem denarij ad unitatem: utcunq; enim ad prædicationes Petri quinq; millia & tria millia crediderint, longe tamen plures toto orbe crediderunt in regnis & nationibus omnibus. Sed nec omnes gentes resistere potuerunt, nec poterunt robustißimo uerbo dei humana sapientia uel potentia. Gentiũ conuersio ad Christum

CAPVT IX.

1 **ONus uerbi Dñi in terra Adrach et Damasci requiei eius: quia domini est oculus hominis, & omnium tribuum Israel.**

2 **Emath quoq; in terminis eius, et Tyrus, & Sidon: assumpserũt quippe sibi sapientiam ualde.**

3 **Et ædificauit Tyrus munitionem suam, & coaceruauit argẽtum quasi humum, & aurum ut lutum platearum.**

4 **Ecce dominus possidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem eius, & hæc igni deuorabitur.**

De regno Meßiæ hoc caput etiam à Iudæis exponitur, sed non intelligitur ab eis. Loquitur enim propheta de Christo & ecclesia usq; ad finem prophetiæ, ostendens omnes gentes subiugandas per uerbum dei, pomeriũ ecclesiæ propagandum ubiq;. Significat quidẽ aliquas ciuitates Iudææ finitimas aliquando Meßiæ regno iungendas, absit autẽ ut eas tantũ rex ille maximus sit possessurus: quin per paucas eas Iudæis tunc notas & admirabiles, uniuersas gentes intelligimus. Regnũ enim Christi si Regnum Meßiæ.

nitur oriente, occidente, meridie & septentrione. Vo-
Onus uisio cat aũt uisionẽ Onus, quod graue sit gentibus relinque-
re inueteratas superstitiones, expugnari uerbo ueritā-
tis errores gentiliũ. Hadrach autẽ ciuitas dicitur uel lo-
cus in regione Damascena. Damascus aũt metropolis no
ta est, regni quondã Syriæ, antiquissima urbs, quæ et ho
die illustris dicitur, orientalior quàm Hemath. Idem au-
tem est dicere, Onus dñi in terra Hadrach, &, Dama-
scus requies oneris uerbi dñi. Idola enim utriq; abijciẽt,
& unicã fiduciam reponent in dominum. Oculus enim
gentium & intentio tantum erit in deũ uerũ. In Dama-
Terra fide- sco itaq; cognoscetur, quod deus non est solũ Iudæorum
lium cõuer- sed etiam gentiliũ. Terra enim promissa fidelibus, non
sorum. est sola Israelitica ista citra et ultra Iordanem, sed cõple-
ctetur omnes magnas urbes & regiones, regna & po-
pulos, quorũ Hemath, Tyrus, Damascus, Sidon, Gaza,
cum reliquis Palæstinorũ urbibus potentibus, sed Iudæis
notiores, minimæ erunt. Pro eis enim dño addentur, &
cum eis regna omnia mundi, & omnes potentissimæ in
terra ciuitates. Nulla obstabit Christo, nec sapientia nec
fortitudo huius mundi, quin habitanti & regnũ tenen
ti Hierosolymis regi potẽtissimo omnes colla submittent
reges & populi. Hemath, quæ & Epiphania, urbs est
in Syria Celes, quæ suo tẽpore cum Tyro & alijs Chri-
sto credent, de quibus dicitur: Filiæ Tyri in muneribus:
Et ecce alienigenæ & Tyrus ac populus Aethiopũ: hoc
est, uicini & remotissimi populi dño apponentur & ser
uient. Per uerbũ enim domini peribit omnium luxus &
quæstus nimius, dño omnes suas diuitias consecrabunt,
spiritualibus autem uicissim à domino donis ditabuntur.

5 Videbit Ascalon, & timebit: & Gaza, &
dolebit nimis: & Accaron, quoniam con-
fusa est spes eius, & peribit rex de Gaza, &
Ascalon non habitabitur.

Etiam Palæstinorum populus et urbes, fidelium regno
aggregabuntur, dum Tyrũ à uerbo dei expugnari con-
spexerint, quantumlibet secundũ sæculi prudentiam sa-
pientem. Videbunt enim confundi spes suas, actũ esse de
Tyrus credit. sua sapientia & robore, cum uiderint Tyrum domino
credidisse. Non ergo extabit illic rex, qui tunc regnabit
uel idolum, sed dabitur regno Christi, et fideliũ fiet colo-
nia: et Ascalõ nõ ab idololatris sed à pijs inhabitabitur.

6 ¶ Et sedebit separator in Azoto, et disper
dam superbiam Philistinorum.

Antea Israelitæ Asdotios ac cæteros Palæstinos, quia
Palæstini idolis seruiebant, pro alienis & spurijs uehementerq;
conuersi. contemptibiles habebant, per uerbum autem Euangelij
conuersi & ipsi iam idola execrabuntur, & à tempore
uocationis ad regnum Christi superbia Palæstinorum et
inuidia contra deum Israel peribit, quin & ipsi eccle siæ
præbebunt multos eximios doctores et seruos dei: spon-
te enim laturi sunt mite iugum Christi, humiliatique se-
quentur mansuetum.

7 Et auferã sanguinẽ eius de ore eius, & ab
ominationes eius de medio dentiũ eius: &
relinquetetiã ipse deo nostro, & erit quasi
dux in Iuda, & Accaron quasi Iebusæus.

Auferet dominus per uerbum suum de ore eorum san-
guinem, uerba blasphemiæ & abominationes, idolorum
cultum & esum eorum quæ immolata sunt idolis de me-
dio dentiũ eorum, ut postq̃ hæc ablata fuerint, ipsi Pale-
stini, hoc est, alienigenæ, relinquantur dño. Et sit dux in
Iuda, id est in populo dño confidentiũ, ut prior populus
qui erat in capite, redigatur in caudã: et nouissimus qui
erat cauda, in caput trãseat: et Accaron sterilis quõdam
et idcirco eradicata, sit quasi Iebus, id est quasi Ierusalẽ.

8 Et circundabo domum meam ex his qui
militant mihi euntes & reuertẽtes, & non
tranſibit super eos ultra exactor: quia nũc
uidi in oculis meis.

Circundabo, ait dominus, domũ meam catholicam ec- Tuebor
clesiam angelorum præsidio, de quibus dicitur, immittet eccle-
angelus domini in circuitu timentiũ eum, et eripiet eos:
ut non sit qui uadat & reuertatur, hoc est, qui insidias
meo populo moliatur. Nec transibit super eum ultra ex-
actor tyrannus, sicut & superius futurum se promisit
murum igneum. Nunc prædicit se propulsorem omnium
hostium. Tanta enim clementia prosequetur hanc ciui-
tatem Ierusalem, ecclesiam fidelium, ut eius necessita-
tes iugiter sibi præsentes attendat, & sine intermissio-
ne contempletur studia tam sanctorũ suorum, quàm in-
piorum persequentium eam. Ego hæc omnia uidi et præ-
dico, clementerq; ostẽdo uobis consilium bonitatis meæ,

9 Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalẽ:
ecce rex tuus ueniet tibi iustus & saluator:
ipse pauper & ascendens super asinã & su-
per pullum filium asinæ.

Hanc prophetiam Euangelistæ scribunt esse cõpletam
domino ingresso Ierusalem, cum sederet super asinã & Christus
pullum asinæ, quando puerorũ cum palmarũ ramis oc- militat &
currit turba, clamamiũ, Benedictus, &c. Exultat ergo regnat.
Sion & iubilat Ierusalẽ, quia uenit ei rex suus, omnium
prophetarũ uaticinijs promissus. Iustus et ipse saluator,
id est Iesus, quia ipse saluabit populũ suũ à peccatis suis.
Pauper quoq; siue mansuetus, qui cũ dines esset, pro no
bis factus est pauper. Et dicit in Euangelio, Discite à me
quia mitis sum & humilis corde. Et ascendens super asi
nam subiugalẽ, utrũq; uidelicet populũ circũcisionis &
præputij, quarũ prior grauissimum legis portauerat iu-
gum. Pullus aũt nouus, gentilium scilicet multitudo, fre-
no legis carens, non directus ab aliquo, sed semper in er-
roribus idololatria & flagitijs elisus atq; cõfractus, dñi
sessione didicit ambulare, & rectam uiam ingredi.

10 Et disperdam quadrigam ex Ephraim, &
equum de Ierusalem, & dissipabitur arcus
belli: & loquetur pacem gentibus, & pote
stas eius à mari usq; ad mare, & à flumine
usq; ad fines terræ.

Non solum patri nos reconciliat, sed etiam pacificos Pax Chri-
facit, propterea aufert equos & quadrigas, quibus alij sti.
ad bellum utuntur, ut sciamus regnum eius pacificum,
quia gladij & lanceæ conflantur in falces & uomeres,
Nec opus est urgere literam, quasi nulli sint futuri equi
& quadrigæ super terram, uel nulla bella, sed hoc tro-
po co-

po cognoscás, quod ij qui uere Christum induerunt, & ad Ierusalem pertinent, non exercebuntur ad quẽpiam infestandum, sed amabunt pacem: unde addit, Et loquetur pacem ad dissidentes. Potestatem deniq; omnis carnis accepit, dominaturq; toto mundo, qui per quatuor partes mũdi describitur. A mari ad mare, à flumine usq; ad fines terræ, significat id quod Christus dixit, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

11 Tu quoq; in sanguine testamẽti tui emisti uinctos tuos de lacu, in quo nõ est aqua

Tu quoq; ô ecclesia, mundata es per sanguinem fœderis tui, id est, Christi domini, qui absterserit suo sanguine peccata tua, pro te crucifixus, qui tibi promissus est, ab initio mundi, & tot sanguinolẽtis sacrificijs significatus, quem totus gentium orbis tanto tempore expectauit, saluatorem suum & reconciliatorem, qui & constitutus est in fœdus populorum, in quem gentes sperarent. Dimisiq; uinctos tuos de lacu in quo nõ erat aqua. Captiuum humanum genus omne sub peccato erat, & uelut infernale mancipium, liberatũ est autem per Christum mediatorem & satisfactorem, qui chirographum peccati cruci affixum interposuit pro debitis nostris, et redemit præstito pretio suæ iustitiæ pro iniquitatibus nostris patri suo & deo nostro: sic quoque eripuit electos ac fideles de puteo sine aqua, id est, de captiuitate quæ est sine consolatione.

12 Conuertimini ad munitionẽ uincti spei: hodie quoq; annũtiãs duplicia reddã tibi.

Quamuis sciamus & confiteamur nos peccatores, et uinctos cupidinibus corporis destructæq; naturæ, & ad mala procliues, tamen liberandos nos & liberatos per sanguinẽ fœderis credimus, & gratias agimus per Christum dominum sponsum sanguinis, ad quem tanquam ad arcem, munitionem ac refugium nostrum conuertere iubemur, à quo & duplicia dona recipere licet, hoc est, copiosa & spiritualia. Nam non est comparatio bonorum quæ expectamus ad tribulationes quas ferimus. At ubi abundauit iniquitas, ibi superabundauit gratia.

13 Quoniam extendi mihi Iudam quasi arcum, impleui Ephraim: & suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia, & ponam te quasi gladium fortium.

Ex Iuda & Ephraim, id est toto Israele, deligam mihi apostolos, emittendos sicut iacula in totum mundum, ad tollendam impietatem, & maxime ad expugnandos filios Iauam, hoc est Græcos, qui præ alijs sapientiam iactauerunt, dum apostoli simplices iuxta mundum, philosophos mundi principes uicerunt, & fastuosas Athenarum scholas humiles Zion scholæ confutarunt. Comparat autem eos tam gladio quàm sagittæ, quia tam propinquos quàm remotos deuicerint. Prælium Iudæorum contra Græcos Machabæorum temporibus, typus fuit apostolorũ contra philosophos superandos à uerbo dei.

14 Et dominus super eos uidebitur, & exibit ut fulgur iaculũ eius: & dominus deus in tuba canet, & uadet in turbine austri.

Pugnat deus miraculis, sanguine, libris.

Dominus deus uidebitur magnificus propugnator ueritatis suæ per Apostolos prædicatæ, sua uirtute terrens & confutans hostes. Ipse enim est qui, ut promisit, dat os & sapientiam, cui non possunt resistere omnes aduersarij, ideoq; egressi prædicauerunt ubiq;, domino cooperante & sermonem per signa subsequentia confirmante. Et hoc est dominum præcedere in clangore tubæ, & turbinibus Theman, hoc est australibus horribilibus, & inuincibili fortitudine & uchementia, cõtra impios pro pijs. Per ipsum enim missi apostoli signis claruerunt, & magna fortitudine inimicorum potẽtiam confregerunt.

15 Dominus exercituũ proteget eos: & deuorabunt, & subijcient lapidibus fundę: et bibentes inebriabuntur quasi à uino, & replebuntur ut phialæ, & quasi cornua altaris.

Victoria ecclesiæ cõtra mundũ.

Apostolos & primos ex Israelitis fideles, gratiæ & iustitiæ Euangelicæ prædicatores cõstat domino auxiliante protectos, licet uelut oues in medium mitterentur luporum, quos tam facile expugnarunt, ut quisq; edit buc cellam panis, ut prædæ eis essent, & deuorationi impij omnes, & non possent resistere sapientiæ & fortitudini quæ loquebatur. Felici ergo uictoria euicerunt Græcos & Barbaros: quamlibet duros, ac ut dicitur, lapides fundæ mansuetudinis spiritu imbuerunt, desuper infusa spiritus sancti gratia. Tunc bibentes inebriabuntur quasi uino, ut ebrij & musto pleni cum desperatione de uita sua pugnabunt, & domino placebunt, quasi altaris cornua gratorũ sacrificiorũ sanguine delibuta. Hoc enim intelligitur in phialis, quibus super altare liba fundũtur.

16 ¶ Et saluabit eos dominus deus eorũ in die illa, ut gregem populi sui: quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius.

Saluabit quoq; dominus eos sicut oues & gregem populi sui. Non enim ut armatus exercitus et instructus arte bellandi, aduersus Macedones dimicabit, sed ueniet quasi grex paratus ad mortem, et domino auxiliante superabit. Lapides enim sancti qui oppressi fuerant eleuabuntur de humilitate sua, & erunt in terra illius gloriosi. In magna enim existimatione erunt sancti dei, cum cognoscetur quanta bona per eos Deus operatus sit, & quanti illos fecerit. Eleuabuntur ergo in coronã, hoc est tam pretiosi existimabuntur, sicut gemmæ coronarum, quas qui turparit uel cõfregerit, crimen lesæ maiestatis cõmisisse cẽsebitur, et regis irã seuerissimã exasperasse.

Honor ecclesiæ apud deum.

17 Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius (nisi) frumentum electorum, & uinum germinans uirgines?

Mundi cõuersio felix.

Quàm felix tunc mundus erit, quum suum agnouerit creatorem, quanta illis deus uicissim bona largietur, spiritu & ueritate se colentibus. Impartietur enim per spiritum sanctum suum abundantiam uerbi, & ubertatem donorum, ut fortes & constantes reddantur in omni bono, conspicuiq; fiant in elegantia morum utrusq; sexus fideles, & animæ fidelium proficiant in agnitionem ueritatis & mysteriorum dei ex scripturis, ut non post idola sua ut antea fornicentur, sed fiant filiæ Zion uirgines

Iuda sponsæ Christi, pro quibus mortuus est, ut eos lauacro innoxij sanguinis emendaret ab omni iniquitate, electos ac eruditos redderet, discussis philosophorum uanis erroribus in scripturis sanctis, de bonitate & gratia dei ad humanum genus. Frumentum enim electorum quid aliud est, quàm uerbi dei cibus & masticatio fidelis animæ? Vinum autem germinans uirgines, est simplex fidelium admiratio charitatis diuinæ, & amor sponsi, hic in fide incipiens, ut fiat ambrosia in cœlis.

Frumentum electorum.

CAPVT X.

1 PEtite à dño pluuiam in tempore serotino, & dominus faciet spectra, & pluuiam imbris dabit eis, singulis herbã in agro.

2 Quia simulachra locuta sunt inutile, & diuini uiderunt mendacium, & somniatores locuti sunt fruſtra, & uane consolabantur, idcirco abducti sunt quasi grex, affligentur, quia non est eis pastor.

Idolorum reiectio.

Pendent ad superiora, quasi propheta iam tunc alloquatur conuersos gentiles de suis idolis & erroribus, ut conuertendi aliquando omnes populi terræ ad unius ueri dei cultum, reijciant in totum superstitionẽ impiam, petendi à creaturis, quæ solus dat creator, dominus uniuersorum. Quasi dicat: Postquam per uerbum ueritatis & fidei agnoueritis omnium rerum creatorem & gubernatorem, & meram uanitatem esse quicquid hactenus coluistis, nolite posthac necessaria huius uitæ postulare, nisi à domino deo authore uitæ & necis: hunc solum & non planetas cœli implorate pro pluuia uobis necessaria secundum tempus, siue serotina siue temporanea. Is enim solus est naturæ uniuersalis rector & artifex, qui facit apparentias uisionesque & impressiones aëreas cunctas, ipse omnia dispensat secundum uoluntatem suam pro bono fidelium ac sibi seruientium, sine cuius nutu & ordine germen de terra nullum producitur, sed nec foliũ cadit de arbore. Is ergo solus inuocandus erit uobis, non idola uana, quæ nõ nisi mendacia fallaciasq; respondent de suis tripodis, quorum aruspices & augures ipsissima sunt falsitas, & somnia illorũ conficta sunt de capite suo, sine reuelatione diuina, nihilq; norunt nec intendũt præter fallere, & irridere eos qui se admirantur, & lactare mendacijs, uanis spebus consolando miseros, promittentes semper pacem & bona, cum nihil minus præstetur deceptis. Quia autem tales sortiti sunt, et acceperũt sacrificulos, pseudoprophetas & sacrilegos sacerdotes, ideo mirum non est si profecti sunt ut grex perditionis in præcipitium omnium errorum & impietatis, & per omnes huius mundi calamitates translati & ducti absq; omni scientia & ueritate, sine consolatione spiritus & spe futurorum bonorum, afflicti in conscientijs suis, & seductione impostorum, qui pascere magis debuerant.

Prouidẽtia dei uniuersalis

3 ¶Super pastores iratus est furor meus, et super hircos uisitabo: quia uisitauit dñs exercituum gregẽ suum domum Iuda, & posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello.

Aliud caput annotatum in Hebræo, significat aliud argumentum. Est autem prophetia secundum Hebræos de temporibus Machabæorum. Fortasis generalis est sententia contra perfidiam sacerdotum & plebis, quorum illi gregem perdunt, falsa doctrina & improbo uitæ exemplo: uitioq; magistrorum discipuli puniuntur, iustitia iudicis, qui peccata patrum reddit in filios: sed quia illis peccantibus populus applausit, æque punitione dignus. Fideles tamen suos interim, & oues pascuæ suæ dominus eripere potest, tam de tyrannorum oppressione, q̃ de mulcta impiorum tam pastorũ quàm ex gregibus perfidorum. Domum Iuda, id est fibi per fidei confessionem adhærentes, quamlibet oppressos uiolentia iuporum, non solum eximet à perditione impiorum pastorum, sed etiam glorificabit, & ueluti magnifici, ferocientes & bellicosi equi gloria suas illustrabit ouic ulæ: ut tam non expaueſcat ad luporum occursum, sed uelut magnanimus equus sese opponere cum ira & audacia possit, quibuscunq; atrocibus pietatis aduersarijs. Vere enim confisus de domino, non minore robore contra hostes pietatis certabit & triumphabit, quàm regius equus.

Pestilentes ceruices & plebis.

4 Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælij, ex ipso egredietur omnis exactor simul.

Ex Iudæis qui nunc humiles uidentur, territi & oppressi tyrannide, ut spes nulla uideatur futuræ potentiæ uel gloriæ. Ex eis, inquit, prodibunt propediem gloriosi Apostolorũ gloria. & strenui principes & capita populorum, qui illos tuebuntur & regent: dicunturq; prælati & duces bello et pace anguli Hebraico more prostantes & conseruantes domum, prospicientes populo & ecclesiæ, ne facile impetatur uel corruat. Prodibunt etiam paxilli uel claui, unde tentoria sustentantur uel tabernacula, uiri fideles, qui summa cura ecclesiam sustentare conantur, inspectu uentorum cohibentes, ne concutiendo subuertant domũ dei: quales certe in Iudaico populo fuerunt Machabæi, & in Christi ecclesia apostoli, & apostolici uiri, episcopi & doctores. Paxilli quoq; dicuntur prælati fidelium, unde suspenduntur uasa, in quos cura rerum conficitur. Ex ipso etiam Iuda, hoc est, fidelium cœtu, prodibunt tenentes arcum in prælio, hoc est fortiter propugnantes ecclesiam, fortitudine animi & corporis, doctrina & exemplis. Ex Iuda etiã prodibit exactor, pariter cum prædictis, id est exactores, qui unanimiter ac cõstanter urgeant ad ædificium spiritualis Ierusalem, uel etiam coporalis secundum Iudæos tempore Machabæorum, & secundi templi.

5 Et erunt quasi fortes conculcãtes lutum uiarum in prælio: & bellabunt, quia dominus cum eis: & confundentur ascensores equorum.

Erunt Machabæi in Iudæorum populo ueluti fortissimi uiri, conculcantes Macedones, quasi lutum platearum in prælio. Erunt aũt fortissimi atq; bellabunt, quia dominus cum eis erit, quod et de apostolis in Christi ecclesia accipi uerius potest, qui se fortissimos declarabunt, non suis uiribus, sed auxilio & præsentia domini, impietatẽ mundi

mundi expugnando, & ascensores equorum, hoc est, superbos & humanis auxilijs fidentes confundent.

6 Et confortabo domum Iuda, & domum Ioseph saluabo: & conuertam eos, quia miserebor eorum: & erunt sicut fuerũt quando non proieceram eos: ego enim Dominus deus eorum, & exaudiam eos.

Sensus duplex.

Et hæc iuxta duplicem sensum edisseri possunt, ut alias. Cum Iudas conculcauerit aduersarios pietatis, & domino secum bellante superarit, tunc omnis equitatus Græciæ corruet: & reuersi de Babylonico regno, ex tribu Iuda & Ioseph, hoc est, ex oĩbus tribubus pariter saluabuntur. Mihi enim per fidem adhærebunt, & erunt in gloria & pace, sicut fuerant eo tempore, quando non proieceram eos. Ego enim sum dominus deus eorum, qui illos exaudiam deprecantes. Hæc quidem Machabæorũ tempore facta dici possunt, perfectius autem in tempore & ecclesia Christi, ubi omnes Israelitæ uere domino adhærentes exaudientur clamantes ad dominum, & eam misericordiã consequentur, quasi nunquam peccassent.

7 Et erunt quasi fortes Ephraim, & lætabitur cor eorum quasi à uino: & filij eorum uidebunt, & lætabũtur, & exultabit cor eorum in domino.

Iudæorum obstinatæ.

Omnes Israelitæ qui post reditum de Babylone generaliter Iudæi nominabantur, licet aliquãdo Ioseph, aliquando Ephraim, sæpe Israel dicantur, quum domino placuerit in tantum uenient gaudium, ut eos uino madidos arbitreris. Filij quoque eorum cernẽt patrum triumphos, & in domino lætabuntur, quo præbente uictoriam consequuti sunt. Cantantur quidem Iudæorum uictoriæ in Machabæorum libris, sed longe illustriores in Actis apostolicis, & ecclesiasticis historijs, quomodo apostoli & apostolorum discipuli omnesq; fideles spiritu Christi, uerbo dei, et heroica uirtute præditi uicerunt regna, & populos, quisq; sunt de gloria dei in orbem propagata spirituali lætitia, quod non sua, sed dei sit gloria, sua prædicatione glorificaretur.

8 Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos: & multiplicabo eos sicut (ante) fuerant multiplicati.

Meum habebunt sibilum, ait dominus, & ex sibilo meo congregabo fideles & electos meos ex toto orbe, tuba sacra uerbi dei & Euangelica prædicatione: meq; docebo esse pastorem eorum, quos redemi, & de captiuitate liberaui extento brachio. Et ego eos multiplicabo, qui antè multiplicaueram, ut dispersio in populis nõ uideatur esse abiectio, sed sementis operatio.

9 Et seminabo eos in populis, & de longe recordabuntur mei: & uiuent cũ filijs suis, & reuertentur.

Semen Israelis.

Semen Israelis secundum fidem & ueritatem, crescere faciam & plantabo in omnibus populis terrarum et de remotissimis totius orbis angulis & lateribus, de ultimis maris insulis, mei memoriam cum deuotione & fide retinebunt, & ubique cum filijs suis iucunda uita uerent conscientia ex ueritatis agnitione, & qui prius per multos errores dilapsi fuerant, inq; regionem dissimilitudinis procul cum prodigo filio abscesserant, reuertentur ad patrem clementissimum, in terram optimam. Nusquam enim negabit dominus temporalia, quibus bonitate sua nõ negat spiritualia. Nec filios suos esurire patietur in terra, quos pane cœlesti satiari nõ desinit. Terra autem optima, hæc est sub cœlo, quæ necessarijs humanæ uitæ affatim repletur, & gaudet iucundo & salubri cœlo, cui dominus benedicit, etiam si sit in extremis orbis terrarum insulis. Aequé enim domini est terra & plenitudo eius.

10 Et reducã eos de terra Aegypti, & de Assyrijs congregabo eos: & ad terrã Galaad, & Libani adducam eos: & non inuenietur eis (locus.)

Congregatio Israelitarum.

Satis probabile est temporis successu ante secundi templi destructionem sub Romano Graecorúmque imperio, ex omnibus regnis terrarum plurimos confluxisse in terram Israel habitasseq; Iudæos sub suis regulis Herode & Hircano, post Machabæos non solum Hierosolymis, sed etiam in Galilæa & Palæstina, Tyro, Sidone, & Galaad trans Iordanem, ut clare patet ex Iosephi Chronicis, & Euangelijs. Sed longe felicior regressus is est, quo Israelitæ passim electi conuersi sunt ad Christum dominum et Messiam suum, & secum adduxerunt infinitam gentium omnium multitudinem, quæ certe omnes in terra Israel corporaliter habitare non possent, tanto enim numero factos uidemus, ut omnem terram impleuerint.

11 Et transibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis: & humiliabitur superbia Assur, & sceptrum Aegypti recedet.

Orbis ad dominũ conuertendus.

De omnibus locis mundi conuertentur ad Dominum, & per mare totum uolabit Euangelium in omnes gentes, ut quæ olim sancta dicebatur Iudæa, propter dei sanctum populum & cultum per Christi spiritum diffundendum in omnem terram, toti mundo sanctificationis titulum relinquat: ut non solum in Iudæa notus cantetur dominus, sed canat domino uniuersa terra, & confiteantur nomen domini uniuersæ familiæ gentium, nullumq; sit uel tumultuosum mare, uel iugum horribilium montium, quod huic propagationi Euangelicæ queat resistere, sicut nec mare rubrum, & Iordanis fluenta dei populum prohibere potuerunt à profectu illis destinato à deo suo. Quicquid enim fidelibus aduersari præsumpserit, potenti manu dei comprimetur, etiam si potentissima se regna contra uerbum dei erexerint, ueritatis & uirtutis diuinæ fortitudine prosternentur.

12 Confortabo eos in domino, & in nomine eius ambulabunt: dicit dominus.

Non intelligunt hos & similes sensus scripturæ cæci Iudæi, quos nos clarissimè per Christi mysterium et apostolos cernimus iamdudum cõpletos, quotidieq; sine intermissione cõpleri. Confortantur enim apostoli & apostolici uiri spiritu sancto, quo gloriam dei ad animarum consolationem clarissime certissimeq; ubiq; prædicent,

& sine impedimento omnium inimicorum Dei profi-
Prosperitas ecclesiæ. ciant in sanctificationem diuini nominis. Prosperabitur enim Christi & fidelium Deo negotium, ut gloria eius ubiq; cognoscatur & prædicetur. Quod autem prophe ta in persona dei loquitur: Ego dominus confortabo eos in domino, & in nomine eiusdem domini ambulabunt, si quis simpliciter & non contentiose ac Iudaicè contrari tatur, intelligi potest & pluralitas quædam in diuinis, personarum scilicet & diuinitas Christi, in quo fideles per deum confortantur, & ex cuius nomine se Christia nos nominari gaudent, sed Iudæis nihil satisfacit, impijs & damnatis hominibus.

CAPVT XI.

1 Peri Libane portas tuas, & co-
medet ignis cedros tuas.

Libanus pro templo Perspicue Libanus ad quem propheta lis sermo conuertitur, non tantum tota Iu dæa & terra Israel dicitur, sed etiam specialius Salomo nicum illud templum intelligitur Iudæorum, quod reædi ficatum à Zorobabel, rursum à Vespasiano & Tito ca nitur subuertendum, statim ut orbem peruaserit sine im pedimento Euangelium Christi & unius dei susceptа re ligio. Et quia Libanum templum appellauerat metapho ricos, in reliquis quoque similem seruat translationem, ut per cedros & abietes & quercus Basan, saltũ quoq; nemorosum, principes & sacerdotes & populum signi ficet Iudæorum. Aperit autem Libanus portas suas, ut in Iudaicam totam terram, maximè uero in templum Hie-rosolymitanum Romanus intret exercitus, & comedat ignis cedros eius, ut uel incendio cuncta uastẽtur, uel ho stili impetu Iudæorum duces ac principes consumantur.

2 Vlula abies, quia cecidit cedrus, quoniã
magnifici uastati sunt: ululate quercus Ba-
san quoniã succisus est saltus munitus.

Templi ua-statio præ-dicta. Vlulant abietes, quia cecidit cedrus mutuo, sacerdo-tes & principes sua depopulatione lugentes. Quodq; prius dixit obscure, nunc ponit manifestius: Quoniã ma gnifici uastati sunt. Vlulate quercus Basan, confusionis & ignominiæ, quia nobilissima regio & saltus munitis simus & nemorosus excisus est, quia templum quod in-expugnabili succreuerat firmitate, et à diuersis regibus & principibus ac postea ab Herode constructũ est, Ro-mano oppugnante Cæsare deletum est. Etiã Hebræorum quidam per Libanum templum illud secundum intelli-gunt, quod magno miraculo annis quadraginta ante ei-us destructionem apertum est, sicut testatur Iosephus. Vnde Rabi Iohannan filius Zachæi dixit: Templũ tem plum quare aperis te? Vere hoc ad destructionem tuam pertinet, Ita enim de te prædixit Zacharias: Aperi Li-bane, &c. Hæc Rabi Salomon in hunc locum.

3 Vox ululatus pastorũ quia uastata est ma
gnificẽtia eorum: uox rugitus leonũ, quo-
niam uastata est superbia Iordanis.

Quos uocauerat cedros, abietes, pinos & quercus Ba san, & exposuerat magnificos: nunc per aliã metapho-ram dicit esse pastores, id est, principes & doctores pri mos in populo, quod flere debeant & lugere, quia ma-gnificentia eorũ pulchritudo & decus uastata sint atq; consummata, templum scilicet in quo sibi gloriabantur: cuius sacerdotia ampla & quæstuosa emere consueue-rant tandem sub Herodibus & Agrippis. Leones quoq; eosdem nominat. Et quomodo templi altitudinem iuxta situ terræ Iudææ altitudini Libani cõparauit, nihil enim Libano in terra promissionis excelsius est, nec nemo-rosius atq; condensius: sic Iordani fluuio, qui maximus in Iudæa est, iuxta quem morantur leones, fremitum iun xit leonum, propter ardorem sitis, et ob deserti uicinia, & latitudinem uastæ solitudinis, arũdineta & carecta, quibus sacerdotum ac regulorũ auaritia significata est.

4 ¶Hæc dicit dominus deus meus, Pasce
pecora occisionis,

5 quæ qui possederant, occidebant & non
dolebant: & uendebant ea, dicentes, Bene
dictus dominus, diuites facti sumus & pa-
stores eorum non parcebant eis.

Ad te, ô propheta, sermo confertur, Pasce gregem oc cisionis: hoc est, nunc interim nutriatur & crescat, qui postea ab hostibus occidendus est, quas oues & pecora principes Romanorum, qui possidebant ea & obtines bant iure uictoriæ, interficiebant & non miserebatur, immolabant & non sentiebant dolorem, id est, nihil mi li pro tanta crudelitate patiebantur, & uendebant ea, quæ non propter clementiam, sed propter pretium re-seruabant. Isti ergo uictores & domini ultores occide-bant & non dolebant, uendebant ut pecora Iudaicam fœcem, & dicebant, Benedictus dominus, diuites facti su mus. Iudæi dominum offenderunt, ideo eos oppressimẽ, & pretio eorum diuites facti sumus. Non cõscientia eo rum Iudæum occidisse, nemo huiusmodi homicidium iu dicabat, sub hasta uendebantur, Tito ipso miserante, & iudiciũ dei agnoscente contra impios homicidas Iudæos. Nec solum hostes sed pastores quoq; ipsi atq; doctores non pepercerant eis, sed culpa eorum grex lupis tradi-tus est, quo minus mirabile sit quod oblata occasione eisdem minus pepercerint hostes alienigenæ. Romani Iudæi

6 Et ego non parcam ultra super habitan-
tes terram, dicit dominus: ecce ego tradam
homines, unumquenque in manu proxi-
mi sui, & in manu regis sui: & concident
terram, & non eruam de manu eorum.

Quia pastores & doctores primum meum populum Matth. 21. deuorauerunt, idcirco & ego non parcam ultra habita toribus Iudææ, sed post lapsum tempus pœnitẽtiæ, quod neglexerunt, dimittam unumquenq; contra proximum suum, & mutua se cæde truncabũt, siue in ipsa obsidio-ne templi, quando Hierosolymam Romanus cinget exer citus. Tanta enim inter ipsos Iudæos erunt bella atq; di scordiæ, ut in tres partes populus diuidatur. Legatur Io sephus, & hanc prophetiã esse completam historiæ ue-ritas comprobabit. Et conscindent, ait, terram: haud du bium quin Romani omnem terram & uniuersas urbes destruxerint Iudæorum. Et non eruam eos de manu co-rum. Audi Iudæe, qui tibi spes uanissimas repromittis, & non audis dicentem dominũ atq; firmantẽ, Non eruã de ma

de manibus eorum, quòd æterna sit apud Romanos tua futura captiuitas.

7 Et pascam pecus occisionis propter hoc ô pauperes gregis: & assumpsi mihi duas uirgas, unã uocaui Decôrem, & alterã uocaui Funiculũ (Corrumpentes) & paui gregẽ.

8 Et succidi tres pastores in mense uno, & contracta est anima mea in eis: siquidem & anima eorum uariauit in me.

9 Et dixi, Nõ pascam uos: quod moritur, moriatur: & quod succiditur, succidatur: & reliqui deuorent unusquisque carnem proximi sui.

Et pascã pecus occisionis, ut semper Iudæi nutriantur ad mortẽ, propterea quia dei est ista sentẽtia. O uos qui estis pauperes gregis, hoc est iusti de Israel, qui credidistis in dominũ Christũ Iesum & dei filiũ suscepistis, audite quæ dicãtur, & sequẽtis capituli sacramẽta cognoscite, quia creator uniuersitatis & dñs mysteria nunc sui orbis exponit, & dicit duas habuisse se uirgas, quarum alterã Decôrem uocauerit, alterã Corruptores aut Corrumpentes, & in duabus uirgis iunctũ pauerit gregem. Duobus modis tractat populũ, clemẽtiã & prospe ritatẽ boni sentiũt, supplicia et aduersa nebulones. Tres indignata anima mea sup eos: haud dubiũ quin pastores significet, quos succidit in mense uno, id est breui admodum tempore. Redditq; causam cur pastoribus indignatus sit, in tantũ, ut eos in uno mense succiderit. Siquidẽ & anima, inquit, eorũ uariauit in me. Et est sensus: Non me pleno animo dilexerunt, sed ut mercennarij pastores non potuerunt uerum amare gregẽ: quia pastor bonus ponit animã suã pro ouibus suis: quamobrẽ & ego indignatus sententiã protuli, & ad ipsos pastores, quos mea quum gregem locutus sum, Nõ pascã uos, sed quod mortem elegit sua uoluntate moriatur, & se alterutrũ deuorent, mutuaq; cæde dilanient. Duas uirgas Hebræi uarie exponunt, Rabi Salomon, Ieroboã & Roboam: Ioseph Kimbi, sacerdotiũ & regnũ: Abraam Toletanus, unam Zorobabel & Neemiã iucundã intelligit uirgã, aliam Herodem, Alexandrum & Aristobolũ, quorũ temporibus uenale erat sacerdotiũ, & omnia corrupta erant in fide & moribus, doctrina & uita. Ex quibus apparet hæc fortassis exponi posse de priscis tẽporibus, ante sicut licet captiuitatẽ Babylonicã iam exactis, quando duos baculos regnũ Israel & Iuda susceperat, & breui tempore tres reges filios Iosiæ succiderit, qui pascebant gregem occisionis, à domino morti captiuitatiq; adiudicatum, cui ultra dominus parcere nõ poterat, quia detesta batur eos anima sua, sicut & ipsi dñm odiebãt. Quamquam & tres pastores simplicius intelligi possint, tria plex ordo magistratuum, sacerdotes, iudices ac prophetæ, propter quos dominus dixit: Nullam posthac curam habebo de uobis, nõ uos posthac pascã uel redimã. Non aliter me gerã ad eos quàm pastor deserẽs oues, & expo nens periculo luporũ: quando quidẽ Israeliticus populus post tot beneficia & castigationes nihil profecit, sed continuò euasit se contumatior & inobedientior.

Pastores occidendi.

10 Et tuli uirgã meam, quæ uocabatur Decus, & abscidi eam: ut irritũ facerẽ fœdus meũ quod percussi cũ omnibus populis.

11 Et in irritum deductũ est in die illa: & cognouerunt sic pauperes gregis qui custodiunt mihi, quia uerbum domini est.

Pactum rescissum.

Regnum Iudæ quod iucundũ & decorum esse uolueram abstuli, & regẽ Iosiã ultimũ succidi, cum iam multa reformasset ad speciem, sine tamen interna fide succedentium filiorũ & populi. Et irritaui fœdus meũ quod pepigerã cum illis de seruãdis illis & protegẽdis, quandiu obsequerentur legibus meis & me deum colerent, quandoquidem ipsi priores ruperant cõdictiones, quas ferè nunquam seruauerant. Recissum est ergo tunc pactum meum, Iosia occiso, in typo, quo modo & postea Christus dominus occisus est, ut omnes scirent qui in populo pij remanserãt propè instare totius gentis & regni excidiũ, quod iamdudũ prædictũ fuerat per prophetas à domino, sed ab impijs non curatum.

12 Et dixi ad eos, Si bonum est in oculis uestris, afferte mercedẽ meam: & si non, quiescite. Et appenderũt mercedem meam triginta argenteos.

Ingratitudo Iudaica.

Expostulatio dñi est cũ suo populo Israelitico, qui pro tot collatis suis in eos beneficijs, fideliter sibi adhæsisse debuerant, & ueluti pretiũ custodiæ, propugnationis, & assiduæ nutritionis repẽdisse dño, cultũ fidelis pectoris, & synceræ fidei & amoris. Hoc enim ab illis pretiũ exigebat deus, quod si reddidissent bene habuissẽt, & perpetua dei beneficia sensissẽt. Ipsi autẽ non solũ non obedierũt uerbis prophetarũ, nec dñm colere uoluerũt, sed tandem prophetarũ summum & promissum regem Messiã suum infelici huiusmodi pretio uendiderunt pro triginta argẽteis, & pro debita cultura dominũ gloriæ Israeliticæ Messiã & Christum domini crucifixerũt.

13 Et dixit dominus ad me, Proijce illud ad statuarium (figulum) decôrum pretium quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos: & proieci illos in domo domini, ad statuarium (figulum.)

Triginta argentei.

Per uisionem uidebatur prophetæ dominũ iubere, ut sumptam pecuniã pro qua dominũ uendiderunt, proijceret ad aliquem, qui illã perpetuò seruaret in rei memoriam, ut semper sciretur quanti æstimasset Iudæi deũ suum, quàm ingrati fuerint dño deo & Messiæ filio dei iniqui agricolæ & uinitores, quibus locauerat uineam, cuius unigenitum occiderũt, quàm glorioso & decoro pretio regem suum & Christum domini prodidissent. Idipsum autẽ fecisse se propheta fatetur, accepisse scilicet se triginta argenteos, & proiecisse in conseruaculũ sacrum, & segregasse ab alijs pecunijs, ad tantæ proditionis memoriã nunquã intermoriturã, quam & in hodiernum diem agnoscere coguntur Iudæi: quia Christũ dominũ suum uendiderunt gentibus pro pecunia, ut occideretur à militibus, ministerio Iudæ Iscariothis. Hunc

autem locum Zachariæ, cum alio Ieremiæ cap. 32. Euangelista cõtraxisse uidetur sacrosancta simplicitate nescia memiendi, ad iungendum ambas captiuitates Babylonicam & Romanã: quia primò dominũ prodiderant occidendo seruos suos, prophetas multos quos miserat de nocte cõsurgens & sedulò, donec Ierusalem sanguine illorum impleretur ab ore usq; ad os: secundò autẽ domini dei filium & hæredem uenientem ad agricolas apprehensum uendiderunt ad crucifigendũ. Vel adferant Iudæi his sic dictis, si poterunt, certiora.

Captiuitas duplex.

14 Et præscidi uirgã meã secundã, quæ appellabatur Funiculus (Corruptores) ut dissoluerem germanitatem inter Iudã & Israel.

Cum secundò Israel sub secũdo templo uelut uirga elegans germinasset, satis feliciter post captiuitatem Babylonicam reductã multis annis, etiã illam succidi, non ut priorem, sed ad perpetuam corruptionẽ, unde & uirga dicebatur corruptionũ uel corruptorũ. Hoc est, cessaui omnino à custodia & uisitatione Iudæorũ, qui tam uilime pretio prodiderũt & occiderunt, negauerũt & blasphemare nõ cessãt, & ita dereliqui, ut nec malos ex se principes habeãt, sed miserè dissipati et discerpti sint in uniuersum mundũ, ita ut nulla inter eos sit fraternitas aut germanitas, quando nullus Iudæus certũ suum genus cognoscit, nec ad gentes alias quæcunque amicitia, sed omnium sint ludibrium & opprobrium.

15 ¶ Et dixit dominus ad me, Adhuc sume tibi uasa pastoris stulti.

16 Quia ecce ego suscitabo pastorẽ in terra, qui derelicta nõ uisitabit, dispsum (paruum) non quæret, & contritũ non sanabit, & id quod stat nõ enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum dissoluet.

Contra antichristianos.

Prophetia uidetur noua cõtra omnes Antichristianos qui negligunt manifestã ueritatem, illis enim à deo retribuitur error & uanitas doctrinarũ. Iubet autem dominus ut propheta formã induat & exemplar præbeat pastoris stulti, imperiti: uasa enim insignia & habitum debemus accipere, peram, baculum, fistulã & sibilum. Et quomodo Esaias, ut captiuitatẽ populi demonstraret nudus ingreditur, & Ieremias uadit in domũ figuli: sic Zacharias habitum stulti pastoris, nimirũ Antichristi, assumit, ut eum nunciet qui uenturus est. Ideò autẽ consurgit talis pastor in populo dei: quia dominus dixerat, Iam non pascam uos: qui scilicet non affert doctrinã uerbi dei, qui aliud docet quàm fidem in deum & charitatem ad proximũ, qui traditiones humanas præponit ad quæstum & gloriã, canonem scripturæ diuinæ non docens. De quo Daniel & Paulus, prædicũt abominationem desolationis, qui sessurus sit in tẽplo domini, qui se faciet ut deum. Et ad hoc uenit, non ut ministret humilis uel ut sanet & soletur, sed ut illi ab omnibus ministretur, colatur ut deus, utq; non pascat, sed perdat gregem Israel. Pastor enim bonus ægrotantia pecora uisitat, dispersa inquirit, relicta adfert, lassa sustentat: econtrariò pastor malus omnia aduersa agit, & carnes pinguiũ deuorat, ungulas arietũ & ouium dissoluit atq; peruertit,

Pastor bonus.

ne recto ingrediãtur pede. Hunc pastorem susceperunt, quando relicto Christo & uerbo scripturæ Talmudicas sibi fabulas elegerunt, & Christiani cum pro canonica scriptura Aristotelicã susceperunt, & traditiones inutiles hominum quæstum resipientes, & superstitionem contra sacras literas elegerunt.

17 O pastor (&) idolum, derelinquens gregem: gladius super brachiũ eius, & super oculum dextrum eius: brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur.

Tam sceleratus est pastor, ut non iam uiolentus sit ido- Pastor malus. lorum & imaginũ cultor, sed ipse idolũ nominetur, sum se sinit appellare deũ, & ut deus mãdata & leges indicit, quibus cõscientias liget, quas deus sibi uult esse solo deuotas, & qui uult ab omnibus adorari. Qui bestijs deuorandũ relinquit, si non ipse potius uastet quam ferus custodiendũ tradiderat. Gladius super brachium & rubur, & super oculum dexterũ eius, quo se acute deiactabat cernere mysteria & uolũtatẽ, plus uidere quàm omnes retro prophetæ uiderant, in tantũ ut se terrestrẽ deum nominaret, & dei uicariũ, cuius robur & omnis iactantia fortitudinis eius ariditate siccetur, & scientia quam sibi falso nomine promittebat æternis tenebris obscuretur. Vbi liquet duplicẽ esse potentiã Antichristi, ualet enim brachio secularis potentia, & oculũ hasti, ualet enim brachio secularis potentia, & oculũ habebet malignitatis & uersutiæ: sed super utrumq; erit gladius dñi. Huiusmodi antichristus nõ unus est homo, nec uno tempore testante Ioanne apostolo, sed qui semper fuerunt & sunt aduersariæ potestates satanæ, contrarij Christo, uaria hypocritarũ genera, pomposi prælati, falso nomine pastores, humilibus Christi discipulis aduersantes, gloriæ Christi detrahẽtes, nulli boni pastoris officium facientes, cõscientias non sanantes sed fauentes. Talis antichristus cum satellitibus auro tamũ & gladio uincens, uerbi dei gladio occidetur.

¶ CAPVT XII.

1 ONus uerbi domini super Israel. Dixit dñs extendens cœlum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo,

Grauia quidẽ sunt quæ iam sequũtur, sed lectore fine absoluentur. Dominus qui cœlũ extendit ut pellem, & terrã alta mole solidauit, et spiritũ hominis finxit in eo, idem animarũ creator est omniũ, ut ex duabus substantijs animæ & corporis unum animal compingeret. Spiritus enim pro anima accipitur.

2 Ecce ego ponã Ierusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circũitu: sed & Iuda erit in obsidione cõtra Ierusalem.

Sicut Christus dicitur petra scandali, ita ecclesia quæ Ierusalem dicitur, calix ebrietatis, quia omnes illam impugnantes grauiter offenduntur. Alij legunt Limen superliminare, uel Superliminare crapulæ, in quod impingant ebrij, qui non lædunt superliminare, sed seipsos, ut grauiter corruam: ita ecclesiam impugnantes, sua insolentia illam non offendunt, sed interitum suum accelerant.

Non

Non solum autem gentiles olim idololatræ, sed etiam Iudæi persecuti sunt ecclesiã Christi, non quidem omnes, sed ij qui Christum & apostolos occiderunt, & persequuti sunt in orbe. Quanquã fuerint & ex electis qui Christum persequuti sunt & ecclesiam, sed timore acti uel ignorãtia, qui tandem dei gratia resipiscẽtes saluati sunt, & ad ecclesiam destinati.

3 Et erit in die illa, ponã Ierusalẽ lapidem oneris cũctis populis, omnes qui leuabũt eum, concisione lacerabũtur, & colligẽtur aduersus eam omnia regna terræ.

Lapis oneris. Certatim omnes impij persequẽtur dei ecclesiã, omnes defensatores suorũ idolorũ, omnes amatores huius mundi, ij autẽ sibijpsis maximo damno erunt. Lapis oneris dicitur ecclesia, lapis in quo exercebantur uires fortissimorum. Sic multi reges & populi opprimere conati sunt ecclesiã, sed occubuerũt omnes sub onere, uirtute Christi & ueritatis manifestè oppressi.

4 ¶In die illa dicit dñs, percutiam omnem equum in stuporem, & ascensorẽ eius in amentiam: & super domũ Iuda aperiã oculos meos, & omnem equum populorum percutiam cæcitate.

Superbos, potentes ac sapientes huius seculi, ad Euangelij prædicationẽ opprimentur spiritu soporis, & stupore cordis consternabũtur, uersi in amentiã erunt, & apertis oculis obstupescẽt, quãdoquidẽ nullis miraculis, Conuersio Iudæorum. nullis plagis ad agnitionem ueritatis & dei perduci ualuerũt. Maxima autẽ pars Israelitici populi, qui ex ignorantia tantũ peccauerãt, conuertentur ad dominũ, non solũ Hierosolymis apostolorũ temporibus, sed in dispersione gentiũ, passim uerbũ Euangelij audientes per apostolorum prædicationem, tam uerbis quàm epistolis. Superbos aũt & luxui deditos equos, excæcauit Dñs, tam de gẽtibus quàm Iudæis, ij enim cõtemptibilẽ sermonem crucis & sacrum uerbum Euangelij non recipiunt.

5 Et dicẽt duces Iuda in corde suo, Cõfortentur mihi habitatores Ierusalẽ in domino exercituum deo eorum.

Duces Iudæorum. Duces ac tribuni Iuda & fideliũ, apostoli sunt & uiri apostolici omnes atque pij doctores ecclesiæ, qui Christi & fidelũ exercitui præerũt, qui toto pectore salutem & profectũ, pacemq; & gloriã desyderabũt, orabuntq; ex animo semper quæ ad pacẽ sunt Ierusalẽ, ut crescat & saluetur ab impijs hostibus ecclesia sancta, & triumphet in Christi fortitudine, ad eius gloriã. Ad hoc ecclesiæ præsides incumbũt oratione, uigilijs, prædicatione, ut hostes pietatis nõ præualeãt sed uincantur.

6 In die illa ponã duces Iuda sicut caminũ ignis in lignis, & sicut facem ignis in fœno: & deuorabũt ad dexterã & ad sinistrã omnes populos in circũitu: & habitabitur Ierusalẽ rursus in loco suo in Ierusalem.

Apostolici hi uiri duces ecclesiæ ut clibanus ignis erũt spiritus sancti feruore animati, qui uirtute uerbi ignem in toto mundo essent accensuri, & frigida gentium pectora, quæ fœnum & lignum hic dicũtur, ignituri, adq; dei amorem attracturi. Deuorabuntq; utrinque, id est, totum mundũ ab idololatria ad uerum dei cultum conuertent: & qui nunc latent per imbecillitatem carnis timidi, hi sese milites Christi ostendent, propugnabunt ecclesiam, quæ semper uerbo dei fundata persistet immobilis. Et multiplicabũtur ciues Ierusalẽ ecclesiæ Christi magis quàm unquam. Extendentur enim eius muri latissime, & cõfluent ad eam omnes gentes, & glorificabitur etiam urbis Hierosolymæ fama, nomen & gloria usque ad fines terræ, magis quàm prius unquam. Apostolicus feruor.

7 Et saluabit dominus tabernacula Iuda, sicut in principio: ut nõ magnificè glorietur domus Dauid, & gloria habitantium Ierusalem contra Iudam.

Eatenus saluabit dñs Ierusalem ab infestatione omniũ gentium, & tabernacula Iuda, ecclesias fideliũ sic glorificabit, ut parua sit gloria domus Dauid quam olim habuit, cõparatione eius quæ accidet eidẽ ex Christo domino: & prisca Hierosolyma longè minoris celebritatis habebitur, respectu eius quã ex Christo habebit fideliũ ecclesia, domino deo uero & solo militantiũ. Et domus Dauid in Christo & apostolis toto mundo glorificabitur. Ex quibus si qui à principio sequuti sunt regnũ Antichristi, saluabuntur tamen resipiscentes, suamq; salutẽ non sibi sed dei gratiæ adscribentes. Ecclesia quoq; catholica omniũ deo credẽtiũ, longe erit sacratior & deo amabilior innocentiorq; in fide & moribus, quam prisca Ierusalem cum suis Iudæis toties relapsis à domino. Ecclesiæ gloria.

8 ¶In die illa, proteget dominus habitatores Ierusalem: & erit qui offenderit ex eis in die illa, quasi Dauid: & domus Dauid quasi dei, sicut angelus domini in conspectu eorum.

Eo tempore, saluatoris scilicet in regno, dominus scutum erit omnibus suis fidelibus contra aduersarias potestates quascunq;, tam corporeas quàm spirituales, & ecclesiam electorum saluabit, ut etiam si quis in ea ceciderit in peccata, dominus illi non sit imputaturus, non minus quàm olim fideli suo Dauidi, cui non obfuerunt grauia illius crimina, quin esset & appellaretur homo secundum cor dei. Et quotquot de domo Dauidis erunt, fide, deuotione & humilitate illi similes uel saltem æmulatores, quales semper in ecclesia Christi multi fuerũt & sunt, illi in diuorum etiã famam referentur, & erunt etiam coram mundo gloriosissimi, quales sunt Petrus, Paulus, Iacobus, Ioannes & innumeri alij: quod de carnali domo Dauid Iudæi nunquam sperabunt futurum, qui sciunt dudum defecisse familiam Dauidis, præterquam in Christo domino. Domus Dauid gloriosa.

9 Et erit in die illa: quærã cõterere omnes gentes quæ ueniunt contra Ierusalem.

Omnes idolorum cultores toto orbe ecclesiam oppugnarũt, cuius fidem & charitatẽ in deum euincere & exterminare adnixi sunt, sed cõtra stimulũ calcitrarũt. Tantũ enim abfuit ut euincerẽt Christũ cum suis fidelibus, ut ipsi potius omnes subacti sint iugo Christi, & Iudæi contra Christũ uanè.

uni se domino cultores deuotissimos præbuerint, quem in sanctis antea sunt crudelissimè persequuti.

10 Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super unigenitũ, & dolebunt super eum ut doleri solet in morte primogeniti.

11 In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut plãctus Adadremmon in campo Mageddon.

Domus Dauid cœtus fidelium.

Domus Dauid specialiter dici potest iste fideliũ cœtus ex Iudæis, qui Hierosolymis domino iam à se crucifixo crediderunt, uisis miraculis in Christi morte, cõpuncti ad prædicationem Petri & aliorũ. Super quos spiritus gratiæ & miserationum tanta abundãtia effusus est, ut illum toti orbi effundere potuerint, & agnitã, reuelãte spiritu, ueram pietatem orbi gentilium persuadere. Isti certè statim uiderũt cum multo dolore pectora pungentes in quem confixerunt, quis ille fuisset uel esset quem maligno spiritu crucifigi postularant, & suffixerant talem & tantũ filium dei, & Dauidis unicam gloriam in crucis patibulũ. Nota etiã Rabi Salomonem hoc loco. Magistri nostri, inquit, exposuerũt hunc locum dudum super interfectionem Meßiæ filij Ioseph. Quod & Abraam AbenEzdra testatur, & Euãgelistæ non tacuerunt. Super eum, inquiunt Iudæi, super Meßiam filium Ioseph, qui interficietur in prælio, plangent nedũ Iudæi sed etiã gentiles, secundũ quod lugeri solet occisio unigeniti. Quis enim uerè fideliũ non plangit, peccatis suis causam se dedisse occisioni & crucifixioni Christi filij dei & hominis? ideoq; amarissimè semper pij Iudæi & gentes domini paßionem plangunt. Impij autẽ gratulantur, & patres suos excusant, imò laudãt Christi domini occisores, qui nihil gratius ducerent quàm semel omnes Christianos interfectos, ut ipsi suo regno fictitio potirentur. Comparatur hic deploratio mortis Christi triplici planctui, nempe planctui unigeniti & primogeniti, & Iosiæ regis, qui maximè deploratus fuit. Christus autem dei unigenitus, primogenitus quoque omnis creaturæ, qui & pro salute suæ patriæ mortuus est, & cultum dei uerum eliminata idololatria restituit, ut Iosias, qui postquam sauciatus est à Pharaone rege Aegypti in Hadadremmõ iuxta Iesrael, quæ ciuitas postea dicta est Maximianopolis, ibiq; mortuus, maximo et perpetuo semper planctu est deploratus.

Meßiæ interfectio.

Planctus triplex.

12 Et planget terra, familiæ & familiæ seorsum: familię domus Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ domus Nathan seorsum, & mulieres eorũ seorsum:

13 familiæ domus Leui seorsum, & mulieres eorũ seorsum: familiæ Semei seorsum, & mulieres eorum seorsum.

14 Omnes familiæ reliquæ, familiæ & familiæ seorsum, & mulieres eorũ seorsum.

Hebraica locutio est, Tribus tribus seorsim, id est singulæ tribus. Nominatim autẽ eas familias Christũ magis

deploraturas prædicit, quibus abundãtior fuit gratiæ spiritus sancti. Numerat autem tribum Dauid & Nathan, quos prophetas fuisse constat, & quorum genealogia tempore Zachariæ gloriosa extabat, ut patet in Neemia. Leui sacerdotio nobilis fuit: & primi hi fuerunt in necem Christi promouendam, ideo conuersi in numero magno sacerdotum ad Christum amarius lugere debebant. Semei uerò cognatio etiã tunc illustris erat, ut patet ibidem. Denique nemo piè plorat, nisi qui spiritu dei agitur. Iam quod mulieres seqüestrantur, dicitur iuxta consuetudinem Hebræorum. In summa autem hac descriptione tanti planctus significatur atrocitas inenarrabilis Iudaici criminis, quo promissum suum Christum & præstitum, non solum non susceperunt, nec tempus uisitationis agnouerunt, sed salutis & gratiæ auctorem Deum morte contumeliosissima trucidauerunt, ob quã tantum incurrerunt malum, quale nemo posßit sapiens & pius ad sufficientiam admirari & plangere. Cui malo uolentes insistunt, & nolentes, quia uelamen legis ob oculos ferunt, quo minus scopum legis aspicere ualeant. Possunt & per has familias quatuor ordines intelligi plangentium à se crucifixum Christum dominum. Regius ordo uel principum populi per familiam Dauid. Militum quoque gentilium per familiam Nathineorum, qui non erant de filijs Israel, sed Gabaonitæ. Sacerdotum quoque per filios Leui. Literatorum uel scribarum, quales Semei familia fuisse dicitur. Qubus populi quoque uulgus promiscuum iungitur, qui acclamationibus dominum occiderunt. Seorsum autem fœminas orare, plangere & doceri, Israelitis mos erat & tocẽlis prophetia ordinatum.

Homilia 10. Iudæi.

Fructus Paßionis Christi.

CAPVT XIII.

1 IN die illa, erit fons patẽs domui Dauid & habitantibus Ierusalem (*in ablutionem*) peccatoris & menstruatæ.

Subdit aliquot & inclytos fructus, qui nobis ex effusione sanguinis Christi & paßione eius proueneruent. Primò enim ablutæ sunt peccatorum nostrorũ immunditiæ. Deinde abolita idola, quorum nec nominũ apud pios memoria relinquitur, postremum ablegatur impiorum dogmatũ pernicies & morum hypocrisis. De hoc autem fonte qui egreditur de domo Dauid, id est, de Christi domini ecclesia, Ezechielem legis, quemadmodo erumpat fons in domo domini, & creseat in fluuium, qui appellatur aqua remissionis & indulgẽtiæ, ut pergat ad solitudinem, & ad mare, quod nunc uocatur mortuum, pisces quoque omnes uiuificet, & ex utraque ripa fluminis uarij generis consurgant arbores pro singulos menses semper nouis fructibus abundantes. Omnes autem qui in ecclesia Christi sumus, ad aquas fontis uitæ & scientiæ salutaris inuitamur, utq; omnes renascamur in Christo, & in aqua baptismatis nostri nobis peccata donentur: expiarecq; studeamus ecclesiam spurcitia idolorum & falsorum dogmatum & pharisaicarum traditionum pollutione, ut Christi sanguine & aqua, uerbo & exemplo omnia purificemur.

Aqua uitæ.

Nihil

Nihil immundius mẽstruata, quæ quicquid attigerit immundum facit, & huius tamen sordes, qua omnes reliquæ pollutiones secundũ legem expiandæ intelliguntur, Christi abluentur baptismate. Vtrunq; tamen et immunditiam peccati & menstruatæ, hoc est, peccatũ per ignorantiam et infirmitatẽ Christi passione mundatur. Ideo Ioannes Euangelista singulari diligentia adnotat, quomodo aperto latere lancea militis exierit sanguis & aqua, nimirum in ablutionem peccatorum nostrorum, id quod hoc loco propheta prædicit fore fontem apertum.

2 Et erit in die illa dicit dñs exercituũ, Disperdam nomina idolorũ de terra, & non memorabũtur ultra: & pseudoprophetas, & spiritũ immundum auferam de terra.

Christi domini temporibus omnia idola auferentur de terra, siue idola illa de quibus Psalmista dicit: Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum: ut nulla sit religio alia præter quàm in unum uerum Deum per Christum filium suum: siue hæc idola de quibus Apostolus loquitur, Spiritus autem manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus recedent quidam à fide, attẽdentes spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi falsiloquorum, cauteriatam habentium conscientiam. Per prophetas hic intellige pseudoprophetas, & per eos qui habent spirium immundum, omnes qui loquuntur spiritu falsitatis, qui ab habentibus domini spiritum dijudicantur.

3 Et erit quum prophetauerit quispiam ulterà, dicẽt ei pater eius & mater eius qui genuerunt eum, Non uiues: quia mendaciũ loquutus es in nomine Domini, & configent eum pater eius, & mater eius genitores eius quum prophetauerit.

Punientur falsi prophetæ à proprijs eorum cognatis & parentibus. Tantus tunc erit zelus ueritatis, & certitudo ueri diuini cultus tanta, ut communiter de eis fiat iudicium, & erunt omnes à deo docti, & uno humero dominum adorabunt. Alluditur autem ad legis uerba quum præcipitur, ut absq; misericordia pseudoprophetæ lapidentur, etiam amicis primos in illos lapides mittẽtibus, uolentes magis cognatos mori, quàm mendacium & falsitatem persuaderi contra uerbũ domini & canonicam scripturam, ut nec filijs parcãt parentes, nec fratres fratribus contra sacrosanctam scripturam impia docentibus. Tam piæ enim erunt omniũ in deum mentes, ut non expectetur publicum iudiciũ, sed pereant qui tales sunt sententia propinquorum.

4 Et erit in die illa confundentur prophetæ unusquisq; ex uisione sua cum prophetauerint, nec operientur pallio saccino, ut mentiantur:

5 sed dicet, Nõ sum propheta, homo agricola ego sum: quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.

6 Et dicetur ei, Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet, His plagatus sum in domo eorũ qui diligebant me.

Prophetarũ dura prosapia.

Qui prophetare aliter quàm ex uerbo dei tentauerit, & parentum iudicio fuerit condemnatus, quasi contra unius dei legitimum cultum, & pro idolorum resumpto cultu aliquid machinetur uerbis uel facto, confundetur ex uisione sua, nec ultra operietur cilicio, uel quocunq; hypocritico habitu uel prophetico ut mentiatur. Hic erat olim habitus prophetarum etiam falsorum, ut quando populum ad pœnitentiam prouocabant, induerentur cilicio. Ergo et isti falsi prophetæ nequaquam accipient habitum prophetalem, ne sub alieno uestitu & operimento simplices decipiant. Sed potius labore manuum suarum uictitare tentabunt, ostendendo se ad hoc natos, ut in sudore uultus sui, ut Adam ille primus hominum parens uescãtur pane suo. Interrogabit huiusmodi hominem alter quispiã, & dicet, Quid sibi uolunt istæ plagæ, & hæc uulnera, quæ in medio manuum tuarum sunt? Et est sensus, Quare adhæres patibulo? Quur manus tuæ transfixæ sunt clauis? Quid cõmisisti ut huic pœnæ & cruciatui subiaces? Et ille respondebit: Hæc uulnera & has accepi plagas, parentum meorum iudicio condemnatus, & eorum qui me non oderant sed amabant, quia contra dominũ deum & illius legitimum cultum & infallibile uerbum aliquid dicere, persuadere uel instituere præsumpsi. In tantum fugato mendacio & superstitione, ueritas & pietas obtinebit, ut etiam ipse qui suo punitus est uitio, rectum perpessum se esse fatea tur, nec aliud magis opprobrium existimabit, quàm in pseudoprophetarum numero haberi.

7 ¶Phramea susciture super pastorem meum, & super uirum cohærentem mihi, dicit dominus exercituũ: percute pastorem, & dispergentur oues: & conuertã manum meam ad paruulos.

Aliud capitulum incipit apud Hebræos, quod & ipsi ad Christũ referunt, & in ultimo tempore futura contendunt. Hoc autẽ discrimen est inter nos & illos, q, nos expleta iam dicimus, illi explenda cõmemorant. Pastor bonus cũ pugnat pro grege.

Pastor is est bonus, qui animã suam posuit pro ouibus suis, patrisq; uolũtate percussus est, & uir cohærens deo à magnitudine perfectionis dicitur uir et coæqualis patri, uel proximus deo patri, sola filiatione & subauthoritate quadã distans. Cõtra hunc impij insurgent, à quibus percutietur uolente patre, qui dicit, Percutiã pastorẽ secundum humanitatem, qui iuxta deitatẽ secundũ quam ab æterno consubstantialis est patri, proximus deo dicitur, uel insigni uicinitate deo coniunctus, qui ait, Ego in patre & pater in me, secundũ deitatẽ, sed ut homo pependit in patibulo, & dixit, Pater, in manus tuas cõmendo spiritum meũ, Quare me dereliquisti? tunc dispersæ sunt oues, omnis in Christo credentiũ multitudo scandalizata est dño ligato, & ad mortẽ petito & condẽnato ab impijs, q̃ se iustissimos uenditabant. Cõuertitq; tunc dñs exercituum manus suas ad paruulos uel minores discipulos Christi, de quibus in Euangelio, Ne timeas grex pusille: quales quoq; cruce, ut Christus, uelut Lydio lapide probabuntur. Patiente enim Christo iudiciũ fit mundi.

8 Et erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duę in ea dispergentur & deficient: & tertia pars relinquetur in ea.

9 Et ducam tertiam partem per ignem, & uram eos sicut uritur argentum: & proba bo eos sicut probatur aurum. Ipse uocabit nomen meum, & ego exaudiam eum. Dicam, Populus meus es: & ipse dicet, Domi nus deus meus.

Tres partes in ecclesia.

Duæ partes post Christi passionem & Apostolorum prædicationem factæ sunt in omni terra, Iudæorum & gentilium, qui pariter perierunt & defecerũt, illis contumaciter legem Mosis quam non seruabant defensanti bus, & Christũ negantibus, istis idola sua mordicus tuentibus. Tertia autem pars, quæ ex Iudæis & gentibus per Euangelium ad Christum conuersa est, sola uitæ & habitationi terræ reseruata est. Ipsa quoq; tertia fidelium in Christo pars, ne delicata esset & secura, quasi argentum & aurum per ignem fidei & charitatis ducitur & probatur, quem & Dominus in credentibus ardere cupit, sed non consumi incẽdio, nec flamma deuorari. Cum uero sic probati fuerint paruuli sensu in Christo, super quos dominus suam manum conuertit, & per uocationem eorum omnis nationum turba crediderit, tunc credentium populus uocabit Christum nomine suo, & illo dicente, Tu es populus meus: populus respondebit, Dominus deus meus es tu. Tales enim tota fiducia pendentes à domino, ipse pro populo suo & pro dilectis filijs habebit, & ipsi uicissim deum pro suo deo, qui in nullis necessitatibus eos derelinquit, in quo sanctimonia fœderis cognoscitur.

¶CAPVT XIIII.

1 Ecce dies domini uenit, & diuidentur spolia tua in medio tui.

Ferè nihil mihi tutius uidebatur, dum huius ultimi capitis literam cum aliorum explicationibus contulissem, quàm silere & futurorum temporũ futura mysteria futuris hominibus reseruare. Incidit tamen & non spernendus uisus est sensus, quẽ ut alia permisso iudicio lectoribus, adnotabo. Aliud quidem caput, sed prioribus non inepte subiũctum. Diebus Christi domini, qui nouissimi uel posteriores dicuntur, per prædicationem Euangelij & apostolorum & apostolicorum uirorũ operas, diuina uirtute & spiritu sancto prosecutas, hoc fiet ad gloriã dei multo maximam, quam sancti omnes omnium maxime efflagitarunt, ut Christus sibi orbis possessionem hæreditario iure à patre acceptam, totã suis sit usibus applicaturus, & quicquid fortis armatus longissimo tempore possederat, & erroribus obscurauerat, hoc Christus sibi diuina fortitudine usurpauit & iure, inq; suis fidelibus omnem impietatis potentiam attriuit, idola & illorum cultum, cum suis cultoribus fortissimis & prudentissimis, crucis simplicitate, humilitate & robore subdidit & mancipauit.

Nouissimi dies

Spolium Gog.

Hoc uidetur esse spolium Gog & Magog, de quo Iudæi fabulantur hoc loco & alijs.

2 Et congregabo omnes gentes ad Ierusalem in prælium, & capietur ciuitas, & uastabuntur domus, & mulieres uiolabuntur: & egredietur media pars ciuitatis in captiuitatem, & reliquum populi non auferetur ex urbe.

Virtute potentiæ diuinæ in Christo, & spiritus sancti opera, omnes gentes conuicti de erroribus & stultissimis superstitionibus, manus porrexerunt uictoribus Euangelistis, & sese cœtui ecclesiastico nouæ Hierosolymæ sponte & deuotissime addiderunt. Capietur autem ciuitas terrestris Hierosolymæ à Romanis, qui eam diripient, domos uastabũt, & uictorum more nulli parcent, etiam fœminas constuprando, magna ciuium parte in captiuitatem uendita, quibusdam tamen remanentibus ut ea, quos Christi gratia fideles seruauit & effugiendi opportunitatem concessit. Postea enim fidelibus inhabitanda concessa fuit ab Helio Adriano.

Virtus Christi.

3 Et egredietur Dominus, & præliabitur contra gẽtes illas, sicut præliatus est in die certaminis.

4 Et stabũt pedes eius in die illa super montem Oliuarum, qui est cõtra Ierusalem ad orientem: & scindetur mons Oliuarum ex media parte sui ad orientem & ad occidentem præruptu grãdi ualde, & separabitur medium montis ad aquilonẽ, & medium eius ad meridiem.

Olivetus mons divisus.

Hoc intelligere consequentius non possum, quàm dominum deum Israel postquam stetit in mõte Olueti, & ascensurus ilico in cœlum, Euangelistas misit in orbem terrarum: ueluti in Ezechiele, Diuinitas exijt & stetit in mõte deserta Hierosolyma: sic nunc quoq; dicit deum exiturum esse, nedũ Hierosolymam, sed etiam Iudæam, ne ulterius iactare Iudæi possint, notum dominum tantum in Iuda, & magnum nomen eius in Sion, sed in quatuor plagas mundi in orbem terrarum omnium exiturum se dicit dominus, per clementem susceptionem omnium gentium ad suum cultum, postquam impij Iudæi iam secundo extremam uastationem suis flagitijs meruerunt & susceperũt. Hoc significare uidetur diuisio ista montis Olueti, ut ab ortu & occidente diuisio dicatur, & ab aquilone & austro, ut de loco ubi dominus Euangelium prædicandum in orbe toto terrarum commendauit, quasi uiam aliquam faceret, ad quatuor orbis plagas apostolis & alijs discipulis abeuntis, domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Sicut autem dominus pro gloria sua pugnauit cõtra Aegyptios et Chananæos in gratiã Israelis: sic pro suis quoq; Christianis ad gloriæ suæ manifestationem, ad omnes gentes pugnauit contra idololatriam, & gloriosę fidelium suorum fide præstita triumphauit.

5 Et fugietis ad uallẽ montium (eorum) quoniam coniungetur uallis montium usque ad proximũ: & fugietis sicut fugistis à facie terræmotus in diebus Oziæ regis Iudæ: & ueniet Dominus deus meus, omnes sancti cum eo.

Cum

Tum mons Olueti grandi uoragine perruptus fuerit, ita ut una pars uoraginis ad orientẽ, altera ad occidentem respiciat, repente & in ipsa uoragine excelsa ex utraq; parte prærupti, alia uorago rumpetur ad aquilonem, alia ad austrum, & prærupti quadrangulum fiet, ut quadrifariam in quatuor plagas uorago tendatur, ut de loco diuinitatis aquæ Euangelicæ fluant in quatuor partes orbis: hoc est, dei notitia & cultus ab omnibus gentibus suscipiatur. Vos autem, ô Iudæi, tunc fugietis, & præ admiratione quod gratia dei uobis obmissis deriuanda uidebitur in omnes gẽtes, nescietis quid agere de beatis, & omnibus cæteris nationibus festinantibus ad audiendã dei legem in monte Sion uestrũ plurimi fugietis, & dñi clementiam contemnetis, uehementissimaq; confusione conturbabimini, ausugere contendentes, ueluti tempore horribilis terræmotus: sic uos Hierosolymã nobilem ac auream sacrosanctam ecclesiam deseretis, & inhabitare renuetis, cum gentes ad illam occurrere summo conatu inceperint. Tũc uerificabit dominus uerbum suum de reprobatione Iudæorum, & gentium uocatione, quod locutus est ad Israelem per omnes prophetas suos & sanctos amicos suos: quod est uenire cum sanctis eo modo quo illi ipsum uenturum per gratiam prædixerunt. Reuelabitur enim per fidem & Euangelium dei bonitas electis omnibus. Quod Hebræus legit Tecũ, hoc

6 Syrus transtulit Cum eo.

Et erit in die illa: non erit lux, sed frigus & gelu.

Post propagationem gloriæ dei per apostolorum prædicationem, & susceptam Christi doctrinam in toto orbe, ueniet quoq; tempus, in quo non splendebit clare lux neq; solis neq; lunæ, sed omnia erunt non quidẽ tenebræ nec clara lux, sed obscura, pallida, crepusculina, et ignorantia sacrarum rerum, & hæresibus plena omnia apparebunt. Hoc qui melius nõ potest exponere, dicat intelligendum de tenebris errorum magnorum, quos fidelibus inuexit clades, si non Arrianorum & Mahumetistarum, saltem Gothorum & similium irruptionũ, quibus lux fidei et morũ uehementer obfuscata est, licet nõ extincta fides articulorum fidei, & sacræ scripturæ etiam non intellectæ, iusto iudicio dei sibi optime noto, et fidelibus indubitato.

Tenebræ fuerunt in ecclesia.

7 Et erit dies una quæ nota est dño, nõ dies neq; nox: & in tempore uesperi erit lux.

Si quid Dominus uerius inspirabit pio pectori, id est, quod optare debemus, nos cũ nihil aliud succurrat sic interpretandũ credimus. Cũ omnia plena fuerint nubilosa ignorantia uel malitia morũ, tunc suo tempore soli deo noto, cum aliquanto tempore caligines illæ cessauerint, in quibus nec dies apparebat, nec intempesta nox, tunc ad uesperum mundi prope finem scilicet, uel ultimã horam temporis, iterum dñs lucem claram immittet, & ueritas scripturæ & catholicæ doctrinæ manifestius cũ morũ reformatione succedet dies & claritas nõ expectata.

8 Et erit in die illa exibũt aquæ uiuæ de Ierusalem: medium earum ad mare orientale, & medium earũ ad mare nouissimum, in æstate & in hyeme erunt.

6 Et erit dominus rex super omnem terrã: in die illa erit dominus unus, & erit nomẽ eius unum.

Tunc dominus mirabili bonitate sua post tentationes huiusmodi & ignorantiarum tenebras, iterum emittet in totum orbem terrarum aquas uiuas intelligentiæ uerborum dei, quando de ecclesiasticis canonicis scripturis & de monte Sion, & de Christi domini aquis, ex illius uentre defluentibus, dogmata pietatis diffundentur ad orientem & occidentem: hoc est, totum cõplebunt orbem ea abundantia & plenitudine, ut nulla deinde nec æstatis calore, nec hyemis siccitate defecturæ sint unquam. Id autem, dum dño uolente & sciente contigerit, ut uerbum domini sine impedimento clarum peruaserit orbem uniuersum, aliud consequi non poterit, quàm ut unius dei uera pietas & cultus, agnitio deuota uoluntatis suæ totius orbis pectora & electorum conscientias peruadat & compleat: ut dominus deus regiam maiestatem suam ostendat toti mundo: cũ scilicet, quicquid Antichristi malignitate conscientias fidelium obfuscauerat, uerbi dei rutila claritate depulsum fuerit, et eradicatum semen maligni hominis, quod noctu in agrum bono seminatum malitiose seminauerat, quodq; bonũ semen à patrefamiliãs seminatum crescens oppresserat, & famem synceræ ueritatis mundo ingesserat. Syrus interpres dicit hic: Et reuelabitur tunc regnũ dei super omnẽ terrã, eodemq; die colent omnes gentes dominũ humero uno.

Doctrinæ ecclesiasticæ lux.

Antichristus occidendus.

10 Et reuertetur omnis terra usq; ad desertũ, de colle Remmon ad austrum Ierusalẽ: & exaltabitur, & habitabitur in loco suo, à porta Beniamin usq; ad locũ portæ prioris & usq; ad portam angulorum: & à turre Hananeel usq; ad torcularia regis.

Videntur nihil aliud sequentia uerba uelle, quàm hoc, ut quicquid olim extra urbem Hierosolymam erat & à remotis uisum, hoc aliquando pro amplitudine urbis à Messia ædificandæ, intra muros claudendum sit. Quod longe illustriore intellectu capiendum uidetur, quàm ut uerba sonant, sicut omnia quæ ab omnibus prophetis dicta sunt de regno Messiæ, glorioſiore sensu accipienda sunt, quàm ut sonant, quod inenarrabilis sit maiestas regni Christi etiam in hoc mundo: sperandáque est adhuc longe clarior futura, postquam Domino sic placuisse uidemus, ut ubi quondam uix in regno aliquo diuini libri & sacrosancti codices centum ut plurimum habebantur, nunc uideantur quinquies centum millia: & ubi olim unicus Hieronymus linguas nouerat, nunc mille inueniantur gratia dei. Hoc signum maxime gloriæ Dei instantis libenter crediderim, imò non possum non maxime sperare, Beatus qui uidebit & gaudebit: sicut nos quoque nunc uidemus, quæ si dudum prædicta fuissent, nemo credere potuisset, quæ spectant ad gloriam dei, & amplioris profectus spem non confundendam erigunt in electis.

Ierusalem illustranda.

11 Et habitabunt in ea, & anathema nõ erit amplius, sed sedebit Ierusalem secura,

Fideles domini semper postea habitabunt Hierosolymis, nullus extra eam electus inuenietur, decq; ea nemo excommunicabitur pius, nec unquam uastabitur, sed ut Christi regnum æternum est, sic & sedes regni sacrosancta ecclesia, ut salus, felicitas, laus & gratiarum actio nunquam illi deficiant.

12 ¶ Et hæc erit plaga qua percutiet Dominus omnes gentes quæ pugnauerũt aduersus Ierusalem, Tabescet caro uniuscuiusq; stantis super pedes suos, & oculi eius contabescent in foraminibus suis, & lingua eorum contabescet in ore suo.

Ecclesiæ hostiũ clades.

Quanta passuræ sint gentes quæ ecclesiam Christi & uerbi dei ueritatem persequuturæ sunt, præsens scriptura testatur. Quantumuis enim minacces sint hostes ecclesiæ, & crudeliter persequantur ueritatẽ fidei, cadent tamen, diffluent & dissoluentur. Legamus Ecclesiasticas historias, quid Valerianus, Decius, Diocletianus, Maximianus, Maximinus, Iulianus, & ante eos Nero & Domitianus passi fuerint persecutores ecclesiæ, & rebus ipsis atq; gestis probabimus etiam iuxta literã prophetiæ ueritatem esse completam, quod computruerint carnes eorũ, & oculi contabuerint, & lingua in pedorem & saniem dissoluta sit. Omnia enim crudelitatis suæ genera frustra se exercuisse doluerunt, & quanto seuerius animaduertabant in fideles, ad opprimendum fidem in Christum, tanto felicius ecclesia profecit, creuit, floruit & promouit. Subuersa est enim omnium gentium superstitio, pro qua impensissimè defensanda laborauerant, & ecclesia Christi toto orbe diffundi cœpit, & aucta est in immensum, inuitis inferorum portis, tyrannis insanientibus, & præ odio & malignitate tabescentibus, et morbo perfidiæ morientibus. Hæc omnia fiebant à domino, ut deficientibus malis succresceret bona: defluebant carnalia ut spiritualia orirentur: oculi maligni de foraminibus suis cadebant, ut reponerentur qui dominũ certa fide respicerent: lingua blasphema computrescebat, ut altera succederet, quæ dominum Deum glorificaret. Sic enim in iudicium Christus in hunc mundum uenit, ut gentiles qui non uidebant lumen ueritatis illud luculenter intueri inciperent.

Superstitio euersa.

13 In die illa erit tumultus domini magnus in eis: et apprehendet uir manum proximi sui, & conseretur manus eius super manũ proximi sui.

Totus semper mundus & omnes carnales ac impij tumultuati sunt ad prædicationem euangelij, & non sine grauibus conflictationibus & simultatibus corporum & animorum semper obtinuit Christiana uictoria, de eis qui patriam suam religionem tutari satagebant, sicut & Christus futurum prædixerat, & experientia Ecclesiasticarum historiarum comprobat. Cui si quis credere recuset, nostrorum saltem temporum inquietudinem propter ueritatis prædicationem cõsyderet, & ex præsenti statu credere præterita incipiat.

Christiana uictoria.

14 Sed & Iudas pugnabit aduersus Ierusalẽ, & congregabuntur diuitiæ omnium gentium in circumitu, aurum & argentum & uestes multæ satis.

Apostoli quidem et apostolici uiri ab exordio quidem plantauerunt ecclesiam suo sanguine & studio, qui de Iudæorum fauore Israelitis & secundum carnem Iudæi erant. Multi tamen ecclesiæ Iudæorum non solum in Iudæa, sed in toto orbe dispersi, persequuti sunt atrociter ecclesiam, & incitauerunt eam pro omni uirili sua gentiles, ut deleretur ecclesia, & expugnaretur. Ad id omnium gentium archiflamines, flamines, & collegiorum pontifices idololatræ, ipsoque tempore pro suis defensandis idolis & delubris, pro aris & focis suis, quicquid erat illis diuitarum erogarunt contra Christi religionem, pro suis tutandis statibus, ante & post Constantini tempora, qui ut erant ipsi principes, ut nunc quoq;, sic reges quoq; & imperatores instigarunt ad eliminandam doctrinam euangelicam. Sed inaniter omnia tentasse, rerum tunc probauit euentus: succubuerunt enim cum tota sacrilega superstitione sua, cum omnibus in uniuersum idolis suis & ritibus, & omnem suam perdiderunt operam, quam contra pietatem insumpserant.

15 Et sic erit ruina equi & muli, cameli & asini, & omnium iumentorum quę fuerint in castris illis: sicut ruina hæc.

Tota mundi totius potentia se cõtra Christũ erigens, & tanto tempore impugnans, tandem cõtrita est, & uicta procubuit cum omni suo exercitu impiorum hominum, qui pro uarietate malignitatis suæ uarijs compãrantur beluis & animalibus. Equi dicuntur ob superbiam & bellorum amorem, Muli steriles & lasciui, Cameli grandi peccatorum sarcina onerati, Asini immundi, stolidi, & ad omne bonum tardi. Totus, inquit, gentilium is exercitus, & quicquid contra dominum militare audet, ueritatis potentia, & Christi regis gloria, martyrumq; triumphis uastabatur & subiugabatur.

Conuersi Christi.

16 Et omnes qui reliqui fuerint de uniuersis gentibus quæ uenerunt contra Ierusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent regem dominum exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum.

Qui post impiorum ruinam & hostium Christi exterminiũ superstites fuerint, qui sese euangelio Christi subdiderint, & ecclesiæ membra maluerint esse quam persequutores, reliquiæ Iudæorum & gentium conuersorum ad Christum, toto in orbe sese cultui diuino reiectis omnibus idolis mancipabunt. Et ascendent Hierosolymam, hoc est, ciues & domestici ecclesiæ Christi, sese addicent & persecuerabũt, susceptaq; apostolica doctrina à finibus terræ ubiq; uenient ad colendum deum, secundum legem à domino datam, hoc est, pro uoluntate & beneplacito dei, nullũ alium deum adorantes, quàm dominum deum exercituum, cui sacrificium humilitatis & fidei non tantum ter in anno, sed iugiter & sine intermissione dependent. Et quod olim Iudæi ter in anno, hoc fideles dei sæpissime in die persoluent, in spiritu & ueritate dominum colendo, qui spiritus est, & in spiritu gaudet uenerari & coli. Festa autem tabernaculorum

Ecclesiæ prosolytorum.

rum, quomodo omnes gentes Hierosolymis quotannis celebrare possent? Sed nō sic docet ueritas nec intēdit, Gratias domino deo cœli pro omnibus suis beneficijs iugiter agent domino pij omnes, agnoscentes omnium bonorum largitorem deum, qui accepta hæc omnia dudum referebant idolis. Non se hoc in mundo habere sciunt manentem ciuitatem, sed peregrinari in tugurijs ad cœlestis patriæ regnum: hoc est tabernaculorum solennia celebrare.

Gratiarū actio in ecclesia.

17 Et erit: qui nō ascēderint de familijs terræ ad Ierusalē, ut adorent regē dominum exercituum, non erit super eos imber.

Pœna impiorum.

Quicunq; etiā de remotis nationibus & gētibus non hoc pacto dominum coluerit, ecclesiā dei cōtempserit, agnitam ueritatē non susceperit, Christi regno non se subdiderit, promissionis cœlestis patriam nō ambierit, & regem dominū exercituū non adorauerit solum, non erit super eum imber temporaneus & serotinus, nec terra illius pluuijs cœli rigabitur, sed cum illis reputabuntur qui pugnauerūt aduersum Ierusalē, & quorū tabescet caro, & oculi defluent & lingua putrescet.

18 Quod & si familia Aegypti non ascenderit, & non uenerit: nec super eos erit, sed erit ruina qua percutiet dominus gentes quæ non ascenderint ad celebrandā festiuitatem tabernaculorum.

19 Hoc erit peccatum Aegypti, & (hoc) peccatum omnium gentium quæ non ascenderint ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum.

Dei unius cultus.

Peccatum maximum reputabitur Aegyptio, Assyrio, Chaldæo, Syro, Moabitæ & Ammonitæ, per quos intelliguntur omnes gentes regno Christi subijciendæ, si noluerint adorare dominum deum exercituū, & sese coniungere ecclesiæ Christi, & in Hierosolymis festum tabernaculorū celebrare. Omnes enim nationes quæ olim persequebantur ecclesiā & credentes, unum dominum deum Israel pro tota uirili sua persequebātur, per euangelij prædicationem inserentur ecclesiæ, & pro unius dei cultu idola refutabunt & abijcient.

20 ¶ In die illa erit quod super frenum equi est sanctū domino: & erunt lebetes in domo domini quasi phialæ coram altari.

Cultus ecclesiasticus.

Pacato regno Christi, & idolis deletis, & tranquillitate reddita fidelibus ab impiorū infestatione, nequaquam opus erit equitatu bellicoso, sed omnē ornatū & decorem phalerarū, ad dei cultum conferent: non ut aurō & argento coli delectet dominum, sed iniuriosa erit Christiano & fideli homini superba pompa huius mundi, modestia magis ornabit, ut si quis superfluū habeat, conferre malit in usus egentium. Lebetes quoque futuri in domo domini quasi phialæ altaris, quid dignius intelligemus, quàm animas piorum in quibus uiua fides & deuotio semper sursum ascendit, & in odorem suauitatis suscipitur à domino, ut sint Christi bonus odor in uitam, pro carnis corruptione uarios uirtutum flores gestantium in palatio cœlestis regni.

21 Et erit omnis lebes in Ierusalē & in Iuda sanctificatus domino exercituū: & ueniēt omnes immolātes, & sument ex eis: & coquent in eis: & non erit mercator ultra in domo domini exercituum in die illo.

Tunc erunt in Ierusalē & in Iuda, hoc est in ecclesia sanctificati domino omnipotēti, omnes piè uiuētes, & firmiter per fidē domino adhærentes. Multitudo describitur sacrificantiū domino gratas oblationes in spiritu, sicut olim magna diligētia & legitimis ceremonijs domino sacrificātes illum colere satagebāt & cōplacere. In Christi autē ecclesia pro sacrificijs iustis nō erūt necessarij multi negotiatores & uenditores boum, ouium, caprarū & auium. Tunc enim nec Samariæ nec Hierosolymis corporaliter deus coletur, qui spiritus est, sed ubiq; & semper, spiritu & ueritate illi litabitur ab electis & Christo subiectis in regno filij Dauid æterno. Ament Iudæi suos æneos lebetes, qui amauerunt ollas Aegyptiacas & pepones & allia, nos dño deo dignum sacrificium in spiritu & ueritate deferre conemur.

Sacrificiū ecclesiasticum.

FINIS.

COMMENTARIA IN MALACHIAM PROPHETAM, qui inter XII. Vltimus.

CAPVT PRIMVM.

1 ONVS VERbi domini ad Israel in manu Malachiæ.

Malachias Hebræis Ezdras habetur. Verisimilius dicitur Zacharias à Christo domino dictus, occisus à Iudæis inter templum & altare, qui ut Abel primus sanctorum occisus est, sic is Zacharias ultimus prophetarum. Eius hic libellus tantæ authoritatis est, ut nulla suspictone laboret, cōmendatus nimirū Euangelistarum & apostoli Pauli testimonijs. Verum Ezdras nusquam propheta scribitur, sed scriba. Quoniam autem sacerdotum auaritia denuò suppullulabat, eam acriter redarguit, præmittēdo expostulationē grauem cum Israelitis, quam Onus nominat uerbi domini ad Israelem. Graue quidem, quia pondus appellatur, sed cōsolatione non caret, ideo non cōtra, sed ad Israelem sumitur: quo nomine post captiuitatem r. ductam ex Babylone, indifferenter significantur reuersi ex duabus tribubus & decem, qui & plerunq; omnes uno nomine Iudæi nuncupantur. in manu Malachi, hoc est ministerio Malachiæ. Prophetæ enim organa sunt spiritus sancti, & dispensatores mysteriorū dei. Malachi autē angelus quidē meus interpretatur: nec tamen propter hoc angelus fuisse credendus est de cœlo, & assumpsisse corpus humanum, ut Israeli quæ à domino sunt mandata loqueretur, sed nomen ge-

Malachias Ezdras.

Graue onus.

Malachi.

nerale legati est, quocũq; aliâs proprio nomine uocetur Zacharias, uel Aggæus, uel aliter, certe nomen hominis prophetæ accipiendum est, sicut & alia nomina.

2 Dilexi uos dicit dominus: & dixistis, In quo dilexisti nos? Nõne frater erat Esau Iacob, dicit dominus, & dilexi Iacob?

Dilectio dei. Vt acrius redarguat Iudæos ad quos solebat fieri uerbum dei, & ne pœna in suos uideatur iniusta, præmittit dominus, Dilexi uos. Quem enim diligit dominus corripit. Castigat autem omnem filium quem recipit. Dicendo autem Dilexi, præsens ferè negat, dum præteritum confitetur. Illi quidem respondent temeritate, qua peccant obliti beneficiorum eius, In quo dilexisti nos? Ad quæ Dominus, Vt cætera, inquit, taceam, ut quod nuper de Babylonica captiuitate ueni stis, incunabula uestra tractabo. Antequam nascereminì, imò priusquam Rebecca Esau & Iacob utero suo funderet, in Iacob uos dilexi, id est, in peculiarem mihi populum elegi, possessorem hæreditariũ feci terræ manantis lacte & melle, qua melior non sit in orbe, uel excelsior prærogatiuis uarijs, in quo gloriã meam declararẽ, et beneficijs singularibus dilectũ mihi populũ cõmonstrarem: In Esau aũt Idumæos odio habui, nihil tale in eos designaui, montes horridos & domicilia uenenatorum animalium dedi eis.

3 Esau autem odio habui, & posui montes eius in solitudinem, & hęreditatem eius in dracones deserti.

Dei odium in Esau. Non solum autem hoc odium, & amorem in istos constitui antequam nascerentur, sed & in posteros eorum amorem meum & odium conseruaui. Odium quidem in Esau, cuius montes qui appellantur Seir, redegi in solitudinem, & urbes feci esse desertas, & à serpentibus ac bestijs obtineri. Esaiæ 34. habes quanta sit futura uastitas terræ Edom. Conuertentur torrentes eius in picem, & puluis eius in sulphur, &c. Et inhabitabũt eam Onocrotalus & Ibis, &c. Habitant autem dracones in locis aridis, & in quibus terra non est irrigua pluuijs.

4 Quod si dixerit Idumæa, Destructi sumus, sed reuertentes ædificabimus quę destructa sunt: hæc dicit dominus exercituũ, Isti ædificabunt, & ego destruam: & uocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est dominus usq; in æternum.

5 Et oculi uestri uidebunt: & uos dicetis, Magnificetur Dominus super terminum Israel.

Si autem dixerit Edom, hoc est Esau, destructi quidem sumus ad iram Dei propter peccata nostra, sed rursum ædificabimus ciuitates. Hæc domino prædicente, cognoscite, quod illis ædificantibus ego destruam, & iram meam æterna eorum uastitas approbabit. Odium igitur in Esau rebus ostendi, amorem autem in uos, hoc est, in Iacob sequentibus approbabo, illis destructis & redactis ad solitudinem uidebitis oculis uestris, & dicetis, Magnificetur dominus super terminũ Israel, & ex comparatione malorum quæ frater uester patitur, dei in uos beneficia sentietis. Iudæi falso sibi blãdiuntur Edom Romanos & Israel in consummatione mundi seipsos prophetari, quòd destructo Romano imperio, regnum orbis ueniat ad Iudæos.

6 Filius honorat patrem, & seruus dominum suũ: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si dominus ego sum, ubi est timor meus: dicit dñs exercituũ? Ad uos, ò sacerdotes qui despicitis nomen meũ, & dixistis, In quo despeximus nomen tuum?

Licet priusquã nascereminì in Iacob, quasi filios amare uos cœperim, tamen eligite quo me uocabulo nomine Dominus & pater uobis debetur. tis: aut pater sum uester, aut dominus: si pater, debitum patri honorem reddite, & dignam parente offerte pietatem: si dominus, cur me contemnitis? cur dominũ non timetis? Loquitur autem ad eos qui sub Zorobabel & Iesu filio Iosedech & Esdra sacerdote & Neemia de Babylone sunt reuersi, extructoq; altari, necdum templum ædificauerant, nec muros extruxerãt ciuitatis. Et nihilominus in peccatis pristinis permanebant, deum nec amore uel timore uenerantes. Vult primum deus ut filij eius simus, & bonum uoluntate faciamus, si hoc cõsequi nolumus, ut saltem seruos nos habeat, & à malis per supplicium formidinem recedamus. Expetit enim à filio honorem, à seruo timorem: principium enim sapientiæ timor domini, ut de timore seruorum ad filiorum gloriam transeamus. Ad uos autem ô sacerdotes, iste sermo dirigitur, qui reuersi de Babylone, plena mente ad dominum conuerti debuistis, nũc aũt despicitis nomen meũ, imitantesq; Cain superbis contra deum uocibus respondentes, sciscitamini ab eo, quem occulta non fallunt, & dicitis, In quo despeximus nomen tuum? ut dissimulatio nis impudentia uulnus conscientiæ protegatis.

7 Offertis super altare meum panem pollutum: & dicitis, In quo polluimus te? In eo quod dicitis, Mẽsa domini despecta est.

Nomina si despiciuntur. Vultis ergo scire in quo despexeritis nomen meum? offertis super aram meam panem pollutum. Sacerdotum præcipua cura debebat esse misericordia, iudicium, & scientia dei, ceremoniæ autem quatenus ueræ religioni & charitati seruiebant, erant datæ: at superbi ac impij sacerdotes, relictis præcipuis minima sectabantur, occupati immolandis pecudibus, doctrina legis obmissa & fidei. Quærebãtur aram impuram haberi à populo, non alia ratione quàm quia pauca offerrent, unde quæstus decedebat sacerdotibus, quem in primis zelabam. Populus nimirum cibus est, quem deus desyderat à fermento pharisaico alienum. Polluitur autem iste panis qui nos omnes sumus, si non syncero corde et in ueritate deo offeratur, sed iuxta pollutas hominum traditiones instituitur. Sacerdotes autem Malachiæ temporibus contenti erant offerendo panes uel oues etiam qualescunq; pro sua auaritia, quam etiam tractat Ezechiel cap. 13. uiolantes deum apud populum dei, propter pugillũ hordei & fragmen panis, mentientes populo credenti mendacijs. Hoc autem est mensam domini dicere esse despectam, despicere ac polluere nomen ac panem domini, non quæ dei sunt quærere, sed quæ sua, non populum pascere, sed depa

depascere, non tam deo cõplacere, quàm sibi prodesse, scandalizare fideles, & usu sacrificiorum abuti.

8 Si offeratis cæcũ ad immolandũ, nónne malum est? & si offeratis claudum & languidum, nónne malũ est? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit dominus exercituum.

Victimæ illicitæ.

Illicitas quoq; deo uictimas offerebãt, cæcas uidelicet & claudas, ac uaria debilitate confectas. Hoc est enim quod dicit Languidũ, uno cuncta sermone comprehendens. Potest quod scribitur, Nõ malum, per interrogationem legi & per irrisionẽ. Sed & sensus esse potest: Vos sacerdotes nõ multum curatis, etiam si populus cæcus sit, ignoretq; scientiã dei, etiam si langueat uel claudicet, multò minus curatis si legẽ dei non attendat, nisi quantum auaritiæ uestræ cõducit. Si istiusmodi, inquit, duci tuo offerres munera, nónne respueret? nónne sibi factam putaret iniuriam? & hoc audetis offerre deo quod dare hominibus non audetis?

9 Et nunc deprecamini uultũ dei, ut miseretur nostri: de manu enim uestra factũ est hoc, si quo modo suscipiat facies uestras, dicit dominus exercituum.

10 Quis est in uobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? nõ est mihi uoluntas in uobis, dicit dñs exercituum: & munus non suscipiã de manu uestra.

Vos ergo qui tam negligẽter, infideliter, & cum contemptu dño sacrificatis, etiã illicitas lege uictimas: uos qui talia quæ dixi uniuersa fecistis, agite pœnitentiam, respiscite, orate dominũ pro indulgentia, si quo modo misereatur uestri deus, & nõ uos puniat ut meriti estis. Reuera enim pro personis fide & cõscientia uos mihi non placetis, quomodo ergo uestra mihi munera placent? Nullus enim in uobis est, usque ad extremum ministerium, non dico pontifex, non sacerdos, non Leuita, non cantor, sed nec ianitor quidem, & is qui ignem supponit altari ad cremandũ holocausta, qui non à me mercedem accipiat laboris sui, decimas scilicet omniũ frugũ tri uestro seruitis, nihil de meo honore curaturi, nisi ue & uestri tanũ amãtiores. Quid nostro seculo clamasse sint prophetæ cõtra impios & auaros ministros ecclesiæ? Tantam sacerdotũ oportebat esse iustitiã & æmulationẽ gloriæ dei, ut sponte absq; munerũ respectu ad omnia obsequia offerre se deberent. Gratis enim dampere uictum & amictũ, qui certè debetur in agro dñico laborãtibus, sed indignus est sacerdotali ministerio, quis quis non sponte cupit dño deo suo esse fidelis & proximo: & si posset per corporis fragilitatem proprijs etiã manibus laborare, ne cui esset grauamini. Qui itaq; fideles nõ sunt ex corde, illorũ non probat dñs oblationes & munera. Cor sibi præberi uult dñs, & exigit ex fide opera: & Abel primũ respicit, cuius suscipit pietatem, deinde ad munera quibus non indiget.

Perfidia mi nistrorũ ecclesiæ.

Gratis seruiendũ deo.

11 Ab ortu enim solis usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur (suffitus sit) & offertur nomini meo, & oblatio munda: quia magnum est nomen meũ in gentibus, dicit dominus exercituum.

Oblatio sacra & communis ecclesiæ.

Propriè ad sacerdotes Iudæorum sermo fit domini, ut sciant carnalibus uictimis spirituales uictimas succedere, & nequaquam taurorũ hircorumq; sanguinem, sed thimiama, hoc est, fideliũ orationes domuno offerendas, & non in una orbis prouintia Iudæa, urbe Hierusalem, sed in omni loco offerri oblationem, nequaquã immundam, ut à populo Israel, sed mundã ex fide & deuotione offerentiũ. Agnoscũt enim iam nunc me primã omnium rerum causam esse, & deum deorum, etiam si idola colant, me tamen illis præferre nõ dubitãt plurimi passim in tota habitabili terra. Totius enĩ terræ dominus sum, unde & nomen meũ celebre erit in gentibus, ab ortu solis usque ad occasum, hoc est toto mundo. Multa hic docentur, nempe uocatio gentiũ, deinde abolitio ceremoniarum, insuper cõmutatio craßi cultus Iudaici in spiritalem, qui fit per ueram eucharistiã, id est gratiarumactionem. Offerendum nomini dei sacrificium laudis, & incendẽdus ardor charitatis scilicet & fidei, quod non tantum à rasis, sed à fideli quoq; plebe perficitur, cõmemoratio deuota & gratã unici sacrificij, quod pro nobis se semel Christus in cruce obtulit, ad sanctificandum omnes omnium seculorum electos.

Eucharistia

12 Et uos polluistis illud in eo quod dicitis, Mensa dñi cõtaminata est: & quod suppositum cõtemptibile est cum igne qui illud deuorat (& fructus eius cõtemptibilis est esca eius.)

Cumq;, inquit, nomen meũ magnũ in gentibus sit, & maius futurũ per euangelij prædicationẽ & abolitionẽ superstitionũ: uos interim cõtemptim uestro ministerio fungimini, nihil aliud quàm uestrum cõmodum quærentes. Dolentes enim adipem à strue lignorum cõcremari, & quædã alia uiliora uobis reseruari in cibũ, paruifacitis altare, & quod super altare ponitur, & quod ab igne altaris deuoratur. Displicet, inquit, uobis quidquid mihi offertur, cum id mea lege instituerim, nõ intelligentes me non aurũ gemmasq; & hostiarũ multitudinẽ in templo quærere, sed offerentiũ uoluntates: uel conquerimini aram pollui ex paucitate oblatorũ, qui pro auaritia cupitis multa & pretiosa uel optima quæq; offerri à plebe in uestrum usum, non in dei gloriam.

13 Et dixistis, Ecce de labore, & exufflastis illud, dicit dñs exercituũ, & intulistis de rapinis claudũ & languidũ, & intulistis munus: nunquid suscipiam illud de manu uestra, dicit dominus?

Ingratitudo redemptorum.

Nec sufficit prioris sermonis impietas, sed etiã hoc dixistis, De captiuitate reuersi sumus, hostibus prædæ fuimus, multum in longo itinere laborauimus, pauperes sumus, qualiacunq; habemus offerimus: & hæc dicendo exufflastis uestra sacrificia, id est exufflatione mea digna feciſtis. Non sacrificio, sed mihi cui sacrificabatis

fecistis iniuriã, de industria offerendo mihi, quibus uos carere sine damno rei familiaris poteratis, uobis quidẽ seruando meliora: intulistis altari meo quod alijs rapuistis, de iniuria pauperum placare uoluistis patrem egenorum, & uindicem uiduarum. Et claudum elegistis de grege, & languidum ad offerendũ mihi, quasi prouidentiæ meæ fidem reieceritis, & legis obseruantiã irrideatis. Auaritiam uestram inuerecunde protestati estis, & perfidiã cordis, quod nulla in deum pietate uel timore

Oblatio ingrata deo.

feratur. Quamobrem nequaquam suscipiam oblationes uestras de manu uestra: non placere possunt, quia sine fide deferũtur, sine qua nihil placet. Et manus uestræ sanguine plenæ sunt, tam dolosæ, rapaces, plenæ muneribus pauperumq; cruore, quæ neminẽ non affligũt, nulli nisi sibijpsi uel propter se benefaciunt. Iudæi de hypocritis exponunt, qui cum pecora debiliora adferant, fingunt se tamen grauissima & optima attulisse, magnisq; laboribus allata abijciunt & respirant, quasi fatigati ex onere, cum nõ nisi leuissima offerenda elegerint, domino illudentes & ecclesiæ.

14 Maledictus autem dolosus, qui habet in grege suo masculũ, & uotũ faciens immolat debile domino: quia rex magnus ego dicit dominus exercituũ, & nomen meũ horribile in gentibus.

Quicquid potest in excusationẽ peccati sui humanus animus inuenire, & falsa se satisfactione defendere, hoc præuidens sermo diuinus corripit & cõdemnat. Quia, inquit, offertis cæcum & claudũ & languidũ, & hoc ipsum non de uestro, sed de rapinis & spolijs, fletibusq; miserorum, & insuper uos per paupertatem excusatis, & contra conscientiã obtenditis, ideo audite quod infero, Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculũ,

Dolosus sacrificulus.

& uotum faciens immolat domino debile: si non habes masculum nihil tibi nocet maledictio. Hæc autem dicendo, ostendit eos habere quæ optima sunt, & offerre uoluisse peiora, perfidiam suam prodendo foris, quæ dominum non latet intus: cum nõ tam pecora deus cupiat quàm pectora offerentium. Non fert fucum, uult syncritatem, & legitimũ sibi honorem deferri uult, cum sit dominus omnium, à quo omne bonum: cui nihil tribuimus, sed gratias de omnibus acceptis obligamur, qui à nobis uult reuereri & honorari ut meritus est, quia dominus omnipotens & clemens pater.

CAPVT II.

1 ET nunc ad uos mandatum hoc ô sacerdotes.

Sacerdotũ uerus cultus.

Alloquitur sacerdotes, & hortatur ad obseruantiam mandatorũ legis, ut diligenter curent quæ officij illorum sunt, qualia dona domino offerant, & quomodo populum doceant timorem dei. Vestrum est, inquit, maxime seruire deo in ueritate, & sic quoque plebem erudire. Nõ est satis ceremoniarum curam habere, quæ nihil ad deum, curandum potius ut glorificetur dominus, & ne in contemptum ueniat nomen eius, ut omnia fiant ad gloriam dei patris, & ad ædificationem plebis.

2 Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere sup cor ut detis gloriã nomini meo, ait dominus exercituum: mittam in uos egestatem, & maledicam benedictionibus uestris, & maledicam illi: quoniã non posuistis super cor.

Si me audire nolueritis nec intelligere, ut detis nomini meo gloriã, quod est terribile in gentibus, uerã in uos mittam (quam omniũ maximè abhorretis, quia auari) fructuum omniũ penuriam, ut nequaquam mentientes, sed omnium rerum coacti egestate, dicatis uos non habere optima quæ offeratis. Et maledicam benedictionibus uestris, his scilicet, quæ nunc meis benedictionibus postpositis, siue quicquid à uobis benedicitur, à me maledictum erit: & maledicam benedictionibus uestris, quoniã noluistis intelligere quæ dicuntur, quod est non super cor ponere. Nõ posthac lucra ex religione sectabimini, ut libidinemini ex donis meis.

3 Ecce ego proijciam uobis brachium, & dispergam stercus super uultum uestrum, stercus solennitatum uestrarũ: & assumet uos secum.

Non potest diu latere sacerdotũ impietas, sed iusto dei iudicio suo traducitur tempore, ut fiant contemptibiles toti mundo. Ideo, inquit, arguam uos, proijciendo in facies uestras ea quæ sanctiora putatis in lege, & uobis à deo pro uirtutũ munere ex hostijs cõdonata, brachium uel armum animalis dextrum: & dispergam uentriculum uel stercus animalium sacrificandorũ, pro eo quod contimet, id quod cõtinetur appellãs. Armum enim & pectusculum, & linguam & uentriculum, & ea quæ in Leuitico describuntur, accipiebant ex hostijs sacerdotes. Quæ omnia pro peccatis eorum se abijcere, & in facies sacerdotum infligere redarguendo contestatur, ut scilicet tales sint qui offerunt, qualia & illa quæ offeruntur. Et assumet uos, inquit, secum, id est, stercus solennitatum uestrarum, ut fœtentes facies putida sterco ris commixtione turpentur. Et ex eo quod uos abijcio, intelligatis ipsum esse me, qui quondã maiores uestros elegi ut essent sancti, nunc autem deprauatos abijciam & contemptibiles reddam, qui me contempserunt, & uelut spurcitias cum fecibus eijciam.

4 Et scietis quia misi ad uos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Leui, dicit dominus exercituum.

5 Pactum meũ fuit cum eo uitæ & pacis: & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat.

Describitur ex persona dei, perfecti officium sacerdotis, qualẽ esse uoluerit Aaronem, Phinees & successores quos instituit sacerdotes, ut esset pactum illius cum Leui & posteris propter Phinees, qui requiescere fecit furorem dei ab Israel, quia æmulatus est zelum dei contra scortatores cum Madianitidis fœminis, ubi dixit dominus deus, Ecce ego dabo ei testamentum pacis, & erit ipsi & semini eius post eum testamentum sacerdotij sempiterni, pro eo quod zelatus est pro deo suo, & exo-

exorauit pro Israel. Dedit ergo dominus Leui & posteris ut timerent eum. Principium enim sapientiæ timor domini. Et à facie eius timerent, menuis formidinem horrore corporis indicantes: iuxta quod scribitur, Super quem requiescam, nisi super humilem & quietum, & uerba mea trementem? Pactum uitæ & pacis, intelligitur longæuitas Phinees secundum Iudæos trecentorum annorum, & tranquillitas in hoc mundo, propter timorem dei ex fide & filiali affectu ac zelo.

6 Lex ueritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius: in pace & in æquitate ambulauit mecũ, & multos auertit ab iniquitate.

Doctrina sacerdotum. Lex ueritatis fuit, hoc est, semper esse debet in ore sacerdotis, doctrina populorum in sacerdote nullo debet mendacio deturpari, sed tota de ueritatis fonte procedere, uerbum domini pure denuntiare ad populũ. Et iniquitas, fraudulentia & falsitas non mueniatur in labijs eius, ut imitetur dominũ suum, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. In pace & in æquitate ambulauit mecũ, ut & ipse in se perfectus sit, & pacem habeat, & nulla doctorem culpa redarguat, & cæteros pacificet, nulliusq; personam accipiat in iudicio, & idcirco ambulet cum deo, sicut ambulauit Noë & Enoch, ut per innocentiã uitæ iuxta domini beneplacitum conuersari studeat, & insuper tam uerbo exhortationis, quàm exemplo uirtutis multos auertat ab iniquitate. Qui enim sacerdos est, & non corripit delinquentes, sacerdotis officiũ præterit: corrigat autẽ non gladio, tormentis, nec ulla tyrãnide, sed uerbo dei, cuius scientia sacerdotibus in hoc concredita est, inde licebit discere officia omnia sacerdotum.

7 Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus domini exercituum est.

Officium sacerdotis. Non dixit proferent, sed custodiẽt ut loquãtur in tempore suo, quod ab infantia didicerũt, dentq; cibaria, & proferãt noua & uetera in tempore suo. Et legẽ requirent ex ore eius. In Aggæo idẽ scribitur, Interrogate sacram, interrogatum respondere de lege. Frustra enim sacerdotalẽ iactant dignitatẽ, qui opera docẽdi & de uerbo domini respõdendi nõ exhibẽt. Potẽs enim sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere, insiruere ad salutẽ, ut peccãtẽ corã omnibus arguat & c. Talibus pietatis & timoris dei, ueritatis, iustitiæ, lenitatis & integritatis ac sapientiæ donis cõspicuus, magna in authoritate erit, nempe angelo dñi exercituũ simulis, imò ipse angelus, eo quod mira prodigia nõ omnibus patulus domini dei omnipotentis, non principum, non episcoporum, non hominum, non magistratuũ, sed domini, ut ea quæ à deo accepit, sicut angelus & legatus doceat & promulgeat, non proprias constitutiones, sed legem domini. Idcirco in rationabili doctrina & ueritas ponitur, ut discamus sacerdotem doctũ esse debere, & præconem dominicæ ueritatis & iustitiæ.

Angelus dicitur sacerdos, si sacerdotalia tentia per talem operetur dñs.

8 Vos autẽ recessistis de uia, & scandalizastis plurimos in lege, irritũ fecistis pactum Leui, dicit dominus exercituum.

Ego uos uolui esse & facere quæ dicta sunt, uos autem recessistis de uia recta, declinantes ad dexteram uel sinistram, & infirmos fecistis multos in lege, siue scandalizastis. Declinare ad dexteram, est abstinere à cibis quos deus creauit ad utendum, condemnare nuptias, & incurrere in illud quod scriptum est, Ne sis iustus multum. Ad sinistram diuertere, est esse luxuriosos, libidinosos, scandalosos fieri, & mala cõuersatione infirmare infideles, corrumpere ecclesiasticã disciplinã, fenestram aperire transgressionibus legis dei, cauponari uerbum domini, placentia tantũ eblatterare, nõ domino seruire, sed uentri & gloriæ. Declinare ad dexteram & sinistrã.

9 Propter quod & ego dedi uos cõtemptibiles, & humiles toti populo, sicut non seruastis uias meas, & suscepistis faciẽ in lege.

Quam ob causam & ego uolui ut uos impios sacerdotes populi ecclesiarum, ut meruistis, contemnerent, proq; honore & gloria quasi humiles, contemptibiles deiectosq; calcarent: quia meam gloriam non quæsistis, uestra quoq; carebitis. Emendẽt igitur se sacerdotes & clerici, qui nunc se contemni queruntur, custodiant uias domini, legem dei discant, doceant, uiuant, honestatis exempla uerbo & factis proferant, & tunc dignè ipsi quoq; tractabuntur & honorabuntur, non se peccatis abominabiles reddant. Illud autem ultimum & maximum ponitur peccatum, accipere faciem in lege, ut non causas sed personas cõsiderent, iustumq; pauperẽ despicientes, iniquos diuites uel cognatos suscipiant, honorent uel promoueant: parcentes iniquis dona offerentibus, irati negantibus, timidi coram potentibus, superciliosi & austeri coram oppressis. Cõtemptus sacerdotũ.

10 Nunquid non pater unus omnium nostrum? Nunquid non deus unus creauit nos? Quare (ergo) despicit unusquisque uestrum fratrem suum, uiolans pactum patrum nostrorum?

Reuersi de captiuitate Iudæi, principes, sacerdotes et Leuitæ cum reliquo populo, cum alienigenis ætate florentibus, & cultu corporum pulchrioribus, uel cum potentum ac diuitum filiabus matrimonia iunxerãt, cum non modica iniuria & contemptu Israelitarũ uxorum. Quos Ezdras corripit propheta, & ad repudium nouarum coniugum prouocat, ut uxores quas dimiserant recipiant. Locus hic est de legitime contrahendis matrimonijs. Nónne, inquit, pater unus Abraam omnium nostrum est, & deus unus creauit omnes nos, qui ex Abraam nostrũ elegit genus? Quare ergo ueteres uxores contemnimus, & fratrum nostrorum abijcimus filias, ut relinquamus pactum patrum nostrorũ, & non secundum legem accipiamus uxores? Matrimonia legitima.

11 Transgressus est Iuda, & abominatio facta est in Israel & in Ierusalẽ: quia cõtaminauit Iudas sanctificationẽ domini, quam dilexit, & habuit filiam dei alieni.

Hæc transgressio facta est ab illis qui de Babylonia reuersi de tribu Iuda principales erãt, & à Iuda deinde omnes cognominati sunt, qui sanctificationem domini contaminauerunt. Vocatur autẽ reuera & est sanctificatio dei, coniugium uiri & mulieris. Præceptum enim domini est, ut uir adhæreat uxori suæ: Israeli autem præ alijs gentibus præceptũ est, ut sanctus sit, quia & deus sanctus est. Non igitur sicut gentibus licet eis quaslibet uxores ducere. Vnde aggrauat hoc peccatum, quod nec sanctitati, loci, uel tribus habuerunt reuerentiam, qui alienigenas uxores duxissent.

Sanctificatio dei.

12 Disperdet dominus uirum qui fecerit hoc, magistrum & discipulum de tabernaculis Iacob, & offerentem munus domino exercituum.

Pœna digna peccati, est futura solitudo in domo tam incontinentium uirorum. Nemo ibi sit qui respõsurus sit uocanti in ea, cum fructus coniugij optetur plena domus & numerosa proles. Qui ergo coniugiũ polluunt, merentur & fructu fraudari. Præceptor & discipulus, ut si quis fuerit tam male idoneus sacerdos, successoribus careat filijs. De tabernaculis autem dicit Iacob, siue ille sacerdos sit uel laicus, una maledictione ferientur. Et nõ erit in eis pœnæ diuersitas, in quibus peccata sunt paria. Offerentem quoque munus domino exercituum, subauditur, excindat dominus, & eum qui pro huiuscemodi hominibus uoluerit ad altare munus offerre, quorum solum remediũ est non facere quæ fecerunt. Summatim dicitur: Impia docens, faciens & defendens, pariter excindi merebuntur. Pulchrè enim non abscidit errori ueniã, nec dixit, Maledicat dominus ei qui fecit hoc, sed qui fecerit, in futurum tendens maledictionẽ, ut peccatores ad resipiscendum prouocet.

Ministrorũ impiorum iudicium.

13 Et hoc rursum feciſtis, Operiebatis lachrymis altare dñi, fletu & mugitu, ita ut non respiciam ultra ad sacrificiũ, nec accipiam placabile quid de manu uestra.

Derelictæ uxores Israeliticæ uel neglectæ, & in thoris suorum maritorũ alienarum gentium fœminas contemplantes, ad dei solius auxilium ac solatium confugiebant, ante altare domini prouolutæ lachrymis & gemitu, atque eiulatibus ueluti inuidiam faciebant eius prouidentiæ, quod non respiceret humana, & miseras non iuuaret: unde dicit deus, Sacrificium & hostiam de manibus sacerdotum, qui uel ista commiserunt, uel pro cõmittentibus sacrificabant, se accipere non posse, uxorum fletu & planctibus impeditũ, lachrymæ enim miserarum testantur uestram crudelitatem. Non uult deus preces nostras audire, nisi prius reconciliemur cum proximis.

Pauperes neglecti.

14 Et dixisti, Quam ob causam? Quia dominus testificatus est inter te & uxorẽ pubertatis tuæ, quã tu despexisti: & hæc particeps tua, & uxor fœderis tui.

Semper culpæ suæ habent hypocritæ quod obtendãt. Quare aiunt dicis, propter uxores nostras sacrificia nostra non suscipis? Nónne uir caput est mulieris, & illa

sub potestate uiri est, ut eam possit repudiare? Respondet dominus, quàm anxiè demandarit coniugij fidem. Primum deus author est coniugij, idq; in paradiso instituit. Deinde uenit, is certe misericordiæ diuinæ dono assequitur illam: proinde deum testem habebis contra te. Grauis est quoque, in adolescentia iunctam, tandem contemni quum flos ætatis marcescere incipit: hoc igitur grauius de flagitium fuerit contra id quod dicitur, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Et idcirco particeps dicitur, & uxor coniunctionis & fœderis, quæ à deo de costa uiri facta est.

15 Nónne unus fecit, & reliduum (abundantia) spiritus eius est? Et quid? unus quæritur (nisi) semen dei? Custodite ergo spiritum uestrum, & uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.

Syrus interpres Nónne habet: Vt sit sensus secundum Hieronymum: Nónne à deo de costa uiri facta est uxor? Et reliduum spiritus eius siue dei, in quo omnes uiuimus, mouemur & sumus. Siue secundum alios, Mariti spiritus, eo quod propter affectum quodammodo una anima in duobus esse uideatur, spiritu coniunctis, mentibus sociatis. Cum ergo unus utrunque fecerit, & uirum & mulierem, propterea à deo facta est utriusque coniunctio, ut liberi nascerẽtur. Vnus enim deus quid quærit nisi semen dei? hoc est, filios de Israelitica gente electa generatos. Cum ergo habeatis fœcundas mulieres, Vxores & liberis gaudeatis, quid pulchritudinẽ uxorum quæritis? quæ meretricibus apta est, non uxoribus. Præcipitaque per prophetam deus, & dicit, Custodite spiritum uestrum, ne abducamini libidine, ne alienigenarum amore uincamini. Et uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere, ut quæ tibi uirginali primum iuncta est matrimonio, perseueret usque ad senectutem. Hæc quidem diuus Hieronymus. Sed simplicius etiam secundũ Iudæos intelligitur, ut abutantur maleuoli exemplo Abrae, si imperfectiore spiritu donati, id agunt quod ille: quibus propheta respõdet, Ille de uoluntate Saræ agebat, propter semen iuxta dei promissiones producendum, uos solam libidinem sectamini.

16 Cum odio habueris, dimitte, dicit dominus deus Israel: operiet autẽ iniquitas uestimentum eius, dicit dominus exercituum. Custodite spiritum uestrum, & noli despicere.

Sed poterat fieri, ut principes, sacerdotes & reliqui respõderent, Præcepit deus per Mosen, ut cum odio habuerimus uxores, dimittamus eas. Quibus respõdet dominus, Hoc quidem in lege præceptum est, Sed propter duritiam cordis uestri. Quod plenius dominus in Euangelio prosequitur, ut sit sensus: Nihilominus si dimittes ex odio, excepta fornicationis causa, inique dimittes, operiet enim uestimentũ eius iniquitas, corã deo & in cõscientia uiolentus & improbus habeberis: inferẽsq; replicando quod dixerat, Custodite spiritũ uestrum, & noli te

Contra Pudium.

nolite despicere uxorem pauperem aut deformem, aut spiritus uestri custodiam, ne scilicet libidine & uoluptate uincatur cum iniuria uxoris legitimæ, & contra fidem matrimonialem. Multa enim lege tolerantur magis quàm ut comprobentur, & modus præscribitur uiolentiæ & passionibus, ne nimium increscant.

17 **Laborare fecistis dñm in sermonibus uestris. Et dixistis, In quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis, Omnis qui facit malũ, bonus est in conspectu dñi, & tales ei placent, aut certe ubi est deus iudicij?**

Ethnorum ratio.

Aliud post prædicta crimen murmurationis cõtra deũ & ueram pietatem. Populus de Babylone reuersus cæteras gentes idololatras uidens felices secundum sæculum, se uero notitiam & cultum habẽtem dei, squalore & inedia seruitutéq; opprimi, hypocritico more scandalizabatur, ut diceret: Non est prouidẽtia dei in rebus humanis, omnia casu feruntur incerto, nec Dei iudicio gubernantur: quin potius mala ei placent, & bona displicent: aut certe, si deus cuncta dijudicat, ubi est illius iustum æquumq; iudicium? Non intelligentes tempus iudicij, nec uera bona esse quibus fruuntur impij, quia non sunt perpetua, dicunt, Mali ei placent, & ubi est Deus iudicij? quasi ipsi non essent mali, & ut erat solitus iste populus, tam inuidus gentibus, quàm deo semper ingratus, & intolerabiliter blasphemus in bonitatem ac iustitiam Dei.

CAPVT III.

1 **Ecce ego mitto angelũ meum, & præparabit uiam ante faciẽ meã. Et statim ueniet ad templũ suũ dominator quem uos quæritis, & angelus testamenti, quem uos uultis. Ecce uenit dicit dominus exercituum:**

Ad quæstionem hypocritarum de iudicijs diuinis in hoc mundo, ut humano iudicio apparet inuustis dissoluendam, sermo domini respõdet, Mittam angelũ meum, qui uiam meam prospiciet mihi. Et ueniet ut iudex sit ueritatis, cui omne iudicium pater dedit, cui mala non placent, qui nulla nec misericordia nec seueritate mutatur. Interpretatus est autẽ hunc locum Christus sapientia patris. Ecce ego, inquit, misi Ioannem Baptistam in deserto Iudææ prædicare baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorũ. Quod autem sequitur, Et statim ueniet ad templum suum dominator quem uos quæritis, &c. Ita de se quasi de altero loquitur, iuxta consuetudinem scripturarum. Nullíq; dubiũ, quin dominator iste saluator sit, qui creator est omnium, & angelus testamenti, & magni consilij appellatur. Præparat autem uiam Ioannes, & rectas facit semitas dei nostri in cordibus credentium, in quibus propter prauitatem et incredulitatem prius deus ambulare non poterat. Angelus autem dicitur Ioannes Baptista, propter uitæ sanctimoniam, & officij dignitatem, sacramento baptismi præparando domino plebem perfectam, non adauctis ceremonijs, sed studio iustitiæ et pietatis, conti nentiæ & agnitionis Christi. Tollebat autem è uia impedimenta pietatis, immunditias ebrietatis, comessatio-

Iudicium suum facit deus.

Ioannes Baptista angelus.

num, libidinum, aggeres superbiæ demoliebatur, incredulitatis scrupos elapidabat, & spinas solicitudinum huius sæculi eradicabat: ut uere de eo dixerit Esaias, Vox clamans in deserto, & cæt. quæ Euangelistæ pariter concinnarũt. Venit autem ad templum Christus, ut pro iustis & suis oret, eorum respondeat desyderijs, & quod impios magno zelo perdat. Angelus autem testamenti dicitur, eò quòd fœdus nobiscum initum à deo, in sanguine eius consummandum erat. Desyderium quoq; omnium sæculorum fuit, promissum humano generi, & à patribus sanctis expectatum, in quem omnes saluari cupientes respiciunt.

2 **& quis poterit cogitare (sustinebit) diem aduentus eius? & quis stabit ad uidendum eum? Ipse enim quasi ignis cõflans, & quasi herba fullonum:**

Si cogitare præ potentia maiestatis eius nemo potest, ferre quis poterit duram scilicet uindictam impiorum? Et quis stabit ad uidendum eum? hoc est, quis eum poterit lippientibus ac cæcutientibus oculis, in sua claritate conspicere? qui est sol iustitiæ, & in cuius pennis est sanitas. Ipse ueniet quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. Ignis enim in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas ualida. Tunc uocabit cœlum desuper, & terram, ut dijudicet populũ suum, flumina ignis trahent ante eum, peccatores quosq; uoluentia. Ignis autem dicitur dominus, & ignis consumens, ut ligna nostra fœnum stipulamq; comburat. Ipse his qui grauiter peccant ignis conflans dicitur atq; consumens, qui autem leuia peccata committunt, herba fullonum, ut lotis mundiciam restituat.

Deus ignis

3 **& sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & quasi argentũ, & erunt domino offerentes sacrificia in iustitia.**

Quicquid in nostro auro & argento, id est, sensu & eloquio, ære, stanno, ferro, plumboq; commixtum est, in camino domini cõcoquatur, ut purum aurum remaneat & argentum. Vnde & dominus in euangelio, Ignem ueni mittere super terram, & cæt. Et purgabit filios Leui. Accommodando ad sua tempora propheta dicit, Tempus est ut iudiciũ domini incipiat à domo Dei. A sanctis meis incipite, dicitur in Ezechiele. In filijs autem Leui omnem sacerdotalem intellige dignitatem. Si autem sacerdotes colandi sunt & purgandi, ut purum aurum remaneat, quid de cæteris dicendum est? Sic ergo emundati offerent domino iusta sacrificia.

Leuitæ purgandi.

4 **Et placebit domino sacrificiũ Iuda & Ierusalẽ sicut dies sęculi et sicut anni antiqui.**

Sacrificium quod offerunt domino pro Iuda & Ierusalem, hoc est, pro his qui dominum confitentur, & pacem eius mente conspiciunt. Sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui, ut quomodo in principio placuerunt deo, sic post peccatum & pœnitentiam placere incipiant, quum omni fuerint peccatorum sorde purgati.

5 **Et accedam ad uos in iudicio, & ero testis uelox maleficis, & adulteris, & periuris, &**

qui calumniantur mercedem mercenarij, & (*humiliant*) uiduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit dominus exercituum.

Iudicij Dei terror.

Quanta formido erit iudicij, cum ipse sit testis & iudex? Testis autem est cūctis maleficis & adulteris. Hæc enim crimina perpetrantur occulte, & ideo proferuntur in mediū ne diu lateant. Post maleficos ponuntur adulteri, post adulteros periuri, post periuros qui calūniantur mercedem mercenarij, et nolunt reddere pro operis labore quod debent. Viduas quoq; & pupillos, subauditur, calūniantur, & opprimunt peregrinū & alienigenam. Et si ista uniuersa non fecerint, sufficit eis solum crimen ad pœnam, quod non timuerunt dominum. Nequaquam ergo leuia putemus esse peccata quæ dicta sunt, quæ maleficio & ueneficijs & adulterio comparantur. In summa dicitur, Pompa sacerdotalis ueteris populi cessatura, cum crassis suis sacrificijs, ut Domino nihil aliud nisi innocentia offeratur, & fides pia in dominum.

6 Ego enim dominus & nō mutor, & uos filij Iacob non estis consumpti (*defecistis.*)

Velox iudicium.

Ne putes quia aliquandiu differtur iudicium quasi omnino nullum sit futurum. Ero enim testis uelox, & uerax sum, nec mutor, et si mutarer, ô filij Iacob, olim consumpti fuissetis omnes, sed reliqui semen propter promissiones, sic & minarum mearum memor ero. Si enim à peccatis uestris tam enormibus non cessaueritis, sed continuo uestri similes eritis, ego quoque à decreto iudicio contra uos non mutabor, sed strenue puniā strenue præuaricantes.

7 A diebus enim patrum uestrorum recessistis à legitimis meis, & non custodistis. Reuertimini ad me, & reuertar ad uos dicit dominus exercituū. Et dixistis, In quo reuertemur?

Seuerū Dei iudicium.

Cum seuerum & iustum iudicem esse me fatear, ô filij Iacob, tamen non estis tormētorum diuersitate consumpti: nec huiusmodi peccata nuper committitis, nec semel ut erroris mereamini ueniam, sed hæreditariam habetis impietatem, ex diebus patrum uestrorū à legitimis meis recedere & non custodiendo quæ præcepi. Hortatur ergo ut ad dominum redeant, ex quo indicatur perspicue eos à domino recessisse, sicut & legitur Neemiæ quinto, famemq; grauissimā fuisse, & ob famem seditionem quoq;, & pauperum oppressionem, in tantum, ut pauperes ex plebe filios suos uendere cogerentur, quia domino peccabant. Et uide clementiam domini, par pari repromittit, ut in qua mensura mensi fuerint, remetiatur eis, hortaturq; populum ad reditum, ut ipse quoque ad eos redeat. Qui non intelligētes se à domino recessisse, impudenter interrogant, In quo reuertemur? et dicunt, Quando enim recessimus ut merito redire cogamur?

8 Si affliget (*fraudabit*) homo deum, quia uos configitis (*fraudastis*) me? Et dixistis, In quo cōfigimus (*fraudauimus*) te? In decimis, & in primitijs.

Si fraudat homo deum, quia uos me fraudastis, & re-

uera secundum historiæ ordinem, quia decimas & primitias Leuitis populus non reddebat, seipsum fraudē dicit dominus sustinere, cuius ministri fame coacti & penuria tēplum deseruerint. Si enim per alios uisitatur in carcere, & ægrotus suscipitur, & esuriens sitiensq; cibum accipit atq; potatur, cur nō in ministris suis ipse debitas decimas accipiat, et si nō dentur, parte sua ipse fraudetur?

9 Et in penuria uos maledicti estis, & me uos configitis (*fraudatis*) gens tota.

Quamuis propter peccata alia redarguti sæpe sitis et puniti, noluistis tamen agnoscere maledictionem & pœnam, & confusi nescisistis erubescere, frontem meretricis assumpta, unde maledictio maledictioni accessit, & sterilitate puniti estis. Dum enim negatur ministris dei sua portio, apparet deesse & pietatem in deum, & charitatem in proximum.

10 Inferte totam decimā in horreū meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc dicit dominus exercituum, si non aperuero uobis cataractas cœli, & effudero uobis benedictionem usque adabundantiam,

Dicere uult, si non dederitis posthac decimas, & primitias nostros meos non paueritis, sine quibus populus in statu pietatis & uirtutum perseuerare non potest, affligam uos & alijs malis: sin dederitis, omni benedictione imbuam plebem. Et probate me, inquit, si nō tantas pluuias infudero, ut cataractæ cœli apertæ esse credantur. Et effundam uobis benedictionem & abundantiam, hoc est, largissimam annonam.

11 & increpabo pro uobis deuorantē, & nō corrumpet uobis fructum terræ, nec erit sterilis uinea in agro, dicit dñs exercituū,

12 & beatos uos dicent omnes gentes: eritis enim uos terra desyderabilis dicit Dominus exercituum.

Fieri potest, ut & agri frustra rigentur, & sterilitatem terræ locusta disperdat, ideo subditur. Et increpabo pro uobis deuorantem, locustam uidelicet, bruchum, eruginem aut erucam, omnem quoq; hostem, & quicquid auferre prouentum posset, & non corrumpet fructum terræ uestræ. Vinea quoq; implebit torcularia, & cinctæ per circuitum nationes mirabuntur fertilitatem terræ uestræ, in tantū, ut omnes in ea habitare desyderent, & abundantia rerū omnium cunctis gentibus sitis exemplo. Quod de decimis primitijsq; diximus, quæ olim dabantur à populo sacerdotibus & Leuitis, in ecclesia dandis, quoq; populis intelligite, quibus præceptum est, non solum decimas dare, & primitias, sed & uendere omnia quæ habent in casu pietatis & fidei in deū, & dare pauperibus, & sequi dominum saluatorem. Quod si facere nolumus, saltem Iudæorū imitemur exordia, ut indigentibus partē demus ex toto, & ecclesiæ necessarijs minstris honorem debitū deferamus: unde dicit Apostolus, Presbyterum duplici honore honorandum, maxime qui laborat in uerbo & doctrina dei: quod qui non fecerit, Deum fraudare & supplantare conuincitur, & male dicitur

dicitur ei in penuria rerum omnium, ut qui parce seuerit, parce metat. Si quando fames & rerum egestas opprimunt mundum, sciamus hoc ex dei ira descendere, qui in pauperibus si non accipiant eleemosynam fraudari se loquitur. Non potest enim negari decima ministris ecclesiæ & religionis præsidibus, quin si necessitas urgeat quintæ & septimæ, sicut et in casu uigesimæ posset sufficere, ex quibus alantur eruditores ecclesiæ & reipublicæ necessarij ministri, pauperes & infirmi. Peccant igitur qui non dant, qui malè procurãt, & qui male utuntur.

Eleemosyna.

13 Inualuerunt super me uerba uestra dicit dominus. Et dixistis, Quid loquuti sumus contra te?

14 Dixistis, Vanus est q̃ seruit deo: & quod emolumentum quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram domino exercituum?

15 Ergo nũc beatos dicimus arrogãtes, siquidem ædificati sunt facientes impietatem, & tentauerũt deũ, & salui facti sunt (euaserũt.)

Blasphemiæ impiorum in deum.

Propheta qui est medicus animarum, uitijsq; medetur, uerba ipsa blasphemiæ in creatorem redarguit. Et dicit ex persona dei, Inualuerunt super me uerba uestra, siue ingrauata sunt. Iniquitas enim & impietas in deum, sedet super talentum plumbi: & quod contra deum dicitur, graui blasphemiarum mole deprimitur. Qui non intelligentes uerba grauissima & blasphemiam suam, interrogant: Quid locuti sumus contra te? Quibus respondet dominus: Dixistis, Vanus est qui seruit deo: & quod emolumentum quia custodiuimus præcepta eius? in præsenti sæculo mercedem pro dei exigunt seruitute, ideo non recipiunt. Et quia ambulauimus tristes coram domino. Beatos igitur dicimus arrogantes, qui superbiunt contra Deum, & impia blasphemiarum uerba iaculantur. Siquidem ædificati sunt, & post scelera atque blasphemias prosperis omnibus perfruuntur. Tentauerunt deum, siue restiterunt deo, ausu temerario cõtemnendo, & tamen salui facti sunt. Salutem, felicitatem præsentis sæculi putant, & idcirco decipiuntur erroribus.

16 Tunc locuti sunt timẽtes deũ unusquisq; cum proximo suo: Et attendit Dominus, & audiuit: & scriptus est liber monimenti coram eo timentibus Dominum & cogitantibus (æstimantibus) nomen eius.

Impiorum grauitas arguit.

Quum impij offenduntur de iudicijs dei, & blasphemia illis sentiunt & loquuntur, mutuumq; se cohortantes fatentur iustum dei iudicium, & absque iniquitate. Esse enim repositam coronam iustitiæ credunt, expectantes amplissima gaudia pro momentaneis suis tribulationibus: unde dicunt, Nemo opinetur quia hic afflictus est, quasi ignorẽtur. Nam curam gerit eorum pater eorum cœlestis, attendit, audit, ac numerat omnes gemitus suorum, & conscribit, ne in obliuionem ueniant, librumq; semper ante oculos habet, ut quando tempus opportunum uenerit, non opus sit aliquo suggerente, sicut & apud Esaiã, in manus scripsisse dicit. Proinde quia certa spes est, huiusmodi fidelium nemo cunctetur seruire deo. Nuntiant autem pij & deum timentes proximis suis, & colloquuntur ex animo, ut non desinant timere dominum, & existimare magnitudinem maiestatis & gloriæ eius, quam per nomen eis intelligimus. Id autem faciunt humiles sensu suo, de suis meritis nihil præsumentes, de deo autem optime.

17 Et erũt mihi, ait dominus exercituum, in die qua ego facio in peculium: & parcã eis, sicut parcit uir filio suo seruienti sibi.

18 Et conuertimini, & uidebitis quid sit inter iustum & impium: & inter seruientem deo, & non seruientem ei.

Peculiũ dei iusti sunt.

Sententia dei est ad hanc quæstionem motam, etiam superius in fine secundi capitis, hic autem resumptæ. Timentes dominũ qui locuti sunt cum proximo suo, & ad uerba blasphemiæ responderunt, erunt in die iudicij in peculium, familiariter electi, amati & custoditi, & parcet eis, etiam si aliquando fragilitate humani sensus per errorem aliquid loquuti sunt contra deũ minusq; conueniens. Omnes enim sub peccato sumus, & qui in lingua non offenderet perfectus esset, sed nõ inuenitur, præter solum Christum. Eliget autem eos dominus, sicut eligere solet homo filium suum obedientem & seruiẽtem sibi. In quo duplex est affectus, & pietatis in filium, & seruitutis in famulũ. Et tunc uos infideles qui nunc blasphematis & dicitis, Quod emolumentum quia custodiuimus præcepta eius, & ambulauimus tristes coram domino? Et illorum electionem & beatitudinem, & uestram miseriam cognoscetis. Quod si fueritis uersi in pœnitentiam, uidebitis quid sit inter iustum & impium, & inter seruientem deo & non seruientẽ ei. Videbitis enim sanctos & domino obsequentes poni à dextris & benedici, regnoq; cœlesti donari: impios uero cum diabolo mitti in supplicium æternum, maledictos à domino.

CAPVT IIII.

1 ECce enim dies ueniet succensa quasi caminus: & erunt oẽs superbi, & omnes facientes impietatem stipula: & inflãmabit eos dies ueniens, dicit dominus exercituũ, quę non derelinquet eis radicem & germen.

2 Et orietur uobis timẽtibus nomen meũ sol iustitiæ, & sanitas in pẽnis eius: & egrediemini, & salietis (aucti eritis) sicut uituli de armento.

Discrimen piorum ab impijs.

Discrimen impiorum à pijs designatur latius. Ecce, inquit, dies ueniet scilicet iudicij, quæ sanctis lux erit, & peccatoribus tenebræ, et ipsa dies erit succensa quasi caminus siue clibanus, ut omnes impij uertantur in stipulã, & camini cremantur ardoribus, cumq; eos inflammauerit atq; combusserit non relinquet in eis ullã radicem et germen malitiæ. Hoc de impijs quid in die iudicij sint passuri: ecõtrario dicitur qd timentibus nomen dei eueniet. Et orietur uobis timẽtibus nomen meũ sol iustitiæ, q uera oia iudicabit, & nec bona nec mala, nec uirtutes

Sol iustitiæ.

nec uitia latere patietur. Et sanitas erit in pennis eius. Nam sicut sol splendore ac iubare suo tanquam alis quibusdam extendit se super montes, et illos suis radijs primum illustrat: ita & Christus, splendore maiestatis eius in nubibus ueniens, liberabit electos suos, & beatos faciet. Vel sanatos per nouam conuersationem, portabit clementia dei electos in humeris suis: tunc egredientur qui nunc in sæculo quasi carcere sunt inclusi, & salient quasi uituli de armento, siue quasi uituli de uinculis liberati, cupientes Apostoli more dissolui & esse cum Christo. Vt egrediatur & saliat sicut uitulus uinculis liberatus, & sicut uictima domini. Vel, secundum aliam interpretationem, Pulchri eritis, & pleni meritorum & gratiæ muneribus, ut sitis futuri clariores astris ipsis.

3 Et calcabitis impios, quum fuerint cinis sub planta pedum uestrorũ in die qua ego facio, dicit dominus exercituum.

Nec hoc lætitiæ fine contentus est, sed calcabit impios quum fuerint puluis. Vnde & ad iustos sit imprecatio: Deus autem conterat sub pedibus uestris uelociter satanam, & omnes satellites suos impios persecutores piorum. Licet autẽ hæc ad secundũ Christi aduentum manifeste pertineant, aliqua tamen ratione symbolica, ad primum quoq; aduentũ exponi possunt. Impij enim uerbũ dñi audientes torquentur conscientijs, fideles aũt consolantur, & impiorum minas contemnunt ut puluerem.

4 Mementote legis Mosi serui mei, quam mandaui ei in Horeb ad omnem Israel præcepta & iudicia.

Legis cessatio quomodo suscipienda.

Hunc Iudæi locum allegare consueuerunt pro sua lege, quod ea non cessauerit. Quibus respondemus, Nobis non cessasse legem, sed perfecte intellectam ad spiritum quo deo placere possumus, & proximo prodesse. Finis enim legis dilectio est. Quod si tantopere legem seruandam uolunt, quare à duobus millibus non est in aliquo obseruata, nec obseruabilis, destructo tam templo quàm arca, ara, & reliquis, de quibus in lege fit mentio. Nobis aũt sacerdos est et iudex Messias Christus dominus, de quo Moses prædixit in lege, quod nunc obliuioni tradere minime debuissent, Surrecturum ex fratribus quendam similẽ sibi, & illum audiendũ. Lex enim ad Christũ nos mittit, quam si exacte discusseris, inuenies præ alijs doceri fidem & charitatem, quæ Christus manifestius & uberius docuit.

5 Ecce ego mittam uobis Eliam prophetã, antequam ueniat dies domini magnus & horribilis.

Post Mosen in spiritu intelligẽdum & seruandum, Heliam quoq; mittendum promittit: in Mose legem, in Helia prophetiam significans, dicente Abraham ad quendam diuitem purpuratum, Habent Mosen et prophetas, illos audiant. Et saluator transfiguratus in monte, loquentes secum habuit Mosen & Heliam. Lex & omnium prophetarum chorus prædicat Christi passionem & regnum. Et Iudæi quoq; negare non possunt, Messiam humilem & gloriosum, occisum & regnantẽ in toto mundo æternaliter: unde & fingunt duos, unum filium Ioseph occidendum, alterum filium Dauid regnaturum. Nobis unus est Christus dominus & saluator omnium. Reuera autem dominus, qui non immittit grauia iudicia quæcunq; in homines, & terræ calamitates, nisi prius admonuerit prædicatoribus & prophetis, sicut quoque ante ultimam Iudæorum stragem Christum miserat & apostolos, & Ioannem Baptistam in spiritu & uirtute Heliæ uitia corripientem, ut essent inexcusabiles: sic sine dubio is Heliæ spiritus uigebit, domino instigante, in cordibus prophetarum, & prædicatorum ardentium, & zelantium quàm maxime dei gloriam, et hominum conuersionem, antequam ueniat iudicium extremum, & Christus in sua maiestate iudicaturus uiuos et mortuos.

Heliæ spiritus.

6 Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne forte ueniam & percutiam terram anathemate.

Hoc quoque tam Christus dominus quàm angelus ad Zachariam testificatur, dicens: Et ipse præcedet, &c. ut conuertat corda patrum ad filios, & inobedientes ad prudentiam iustorum, ut paret domino plebem præparatam, nimirum ad suscipiendum Christum, cui credere. Missa prædicatio. nolentes percussi sunt anathemate. Sicut quotiescunq; prouidentia dei mittuntur prophetæ Heliæ spiritu imbuti, qui reformationi morum instent & fidei, & restituere charitatem & disciplinam nitantur, ut parentes sancte uiuendo exemplar sint filijs, & filij parentibus obsequendo pacem & felicitatem rebus humanis conferant: & huiusmodi prædicatio ueritatis, fidei & morũ fuerit abiecta & contempta, sine omni cunctatione erudendum est imminere proximo anathema terræ & graue iudicium dei.

FINIS.

SVMMA VERSVVM DCCCC. XXXVIII.

INDEX TERNIONVM.

Aa. Bb. Cc. Dd. Ee. Ff. Gg. Hh. Ii. Kk. Ll. Mm. Nn. Oo. Pp. Qq. Rr. Ss. Tt. Vu. Xx. Yy. Zz. aaa. bbb. ccc. ddd. eee. fff. ggg. hhh. iii. kkk. lll. mmm. nnn. ooo. ppp. qqq. rrr. sss. ttt. uuu. xxx. yyy. zzz. ααα. ββϐ. γγγ. ϡϡϡ. ϵϵϵ. Omnes sunt terniones, præter ϡϡϡ. duernionem.

TIGVRI apud Christophorum Froschouer, Anno M. D. XL.